✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 273.

Cantante 35
Arch. 4 a
Vol 6.°

R.mi IN CHRIST. PAT. AC DOM. D.

HIERONYMI BATISTÆ DE LA NVZA,

ORDINIS PRÆDICATORVM

SS.æ Theologiæ Doctoris eximij, quondam Prouinciæ Aragoniæ Prouincialis, nunc autem Barbastensis Ecclesiæ Episcopi;

Tractatus Euangelici,

CONTINENTES DISCVRSVS, ET CONCEPTVS Literales, Morales, & Allegoricos super diuersis Materijs.

CVM TRIBVS COPIOSISSIMIS INDICIBVS.

1. Locorum sacræ Scripturæ explicatorum.
2. Rerum & Verborum.
3. Super omnia Euangelia totius anni, de Tempore, Festis, & per Quadragesimam.

PARS POSTERIOR.

Nunc primùm in Italia in lucem editi.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS, APVD IVNTAS. M. DC. XXX.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.



TRACTATVS QVARTVS DE DILECTIONE INIMICORVM, ET MODO FACIENDÆ IVSTITIÆ, DE QVIBVS SIC LOQVITVR CHRISTVS DOMINVS APVD *Sanctum Apostolum, & Euangelistam Matthæum:*

AVdistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos : & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos : vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est : qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos : & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt; quam mercedem habebitis ? Nonne, & publicani hoc faciunt ? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm; quid amplius facitis ? Nonne, & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. ¶ Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.

Matth 5. 43.

Cap. 6.

Argumentum quarti Tractatus.

Rom. 12. 8. 10. 1. Ioan. 2. 7 1. Ioan. 2. 8.

PRæceptum dilectionis tam excellens est, vt dixerit Apostolus, illum qui diligit proximum, legem implesse, & quod plenitudo legis est dilectio. De illo autem scribens S. Ioannes Euangelista, primò dicit, esse mandatum, non nouum, sed mandatum vetus, quod habuimus ab initio: deinde autem statim, & è vestigio subdit: mandatum esse nouum, quia verè illud, & in antiqua lege datum fuit: sed ita à Christo in noua, & Euangelica reuocatum, vt quasi nouum vocari posset. Duplex propterea Tractatus de præcepto dilectionis inimici constituendus est: In primo explicandum est, quatenus est mandatum vetus ab initio traditum, & quod perpetuò homines ad sui obseruationem obligauit. In secundo explicandum est, quatenus nouum est, ac spiritui Euangelicæ legis proprium. In hoc igitur tractatu quarto (qui primus est de dilectione inimicorum) explicatur, & ostenditur, mandatum hoc, antiquos etiam homines obligasse, quibus in antiqua lege traditum iam fuit, quod tamen, quia mendaci Scribarum, & Pharisæorum stylo erat antiquatum, & quasi obliteratum, Christus reuocandum assumit, & purgandum erroribus, quibus propter eorundem malitiam erat corruptum. Substantiam propterea præcepti clarè, ac perspicuè iterum proponit, & quasdam rationes indicat, alias expressè subijcit, quæ ad illud obseruandum inducunt, & obligant. Cuius occasione, Scribarum, & Phariſæorum hypocrisim condemnans, breuem modum, quo virtutum opera agenda sunt exponit.

PROOEMIVM, ET totius Tractatus diuisio.

MAlachias depinxit Christum sub typo argentarij, sedentis, & emundantis argentum, quod implet Dominus sedens in monte, legem repurgans, & conflans.

PRIMA PARS, DE IMpuritate, quam præceptum dilectionis à Phariſæis contraxerat.

§. 1. CHristus Dominus duo intendit; & antiquam legem à Phariſæis, & à Scribis maculatam emundare, & altiora per legem Euangelicam statuere.

§. 2. An

§.2. *Antiqua lex dilectionem præceperat inimici: Scribæ tamen, & Pharisæi, solius amici statutam suaserat.*

§.3. *Scribæ, & Pharisæi dilectionis præceptum corruperant, primò arctando proximi nomen ad solum amicum.*

§.4. *Corruperunt etiam legem Pharisæi, addendo, odiendum inimicum, quod Deus non dixit.*

SECVNDA PARS, de purgatione mandati dilectionis per Christum.

§.1. *CHristus legis immunditiã à Pharisæis inuectam purgat, sicut Simon acquæductus, & Isaac puteos: similis Ieremiæ, & exeunti seminare semen suum.*

§.2. *Ostendit Christus tempus sui aduentus, esse tempus putationis, & se comprobat quem Esaias prædixit, reparatorem sepium.*

§.3. *Christus perfectius quàm Iosias, renouat diuinam legẽ, quam primò Deus interius in cordibus, deinde exterius in tabulis scripserat.*

§.4. *Legem Dei contraria consuetudo non abrogat: ideo præceptum dilectionis inimici perpetuò stat, non obstante vsu in contrarium, propter quem singulariter Hispani describũtur damnati apud Ezechielem.*

TERTIA PARS, CONtinens substantiam præcepti dilectionis inimici.

§.2. *CHaritas ita necessaria est, vt qui illa caret, etiamsi cæteris virtutũ operibus abundet, nihil sit apud Paulum, & ædificet absque temperamento apud Ezechielem.*

§.2. *Vera charitas inimicũ diligit, est enim ignis in aqua, & gelu ardens, instar lampadum Sponsæ, ignis Eliæ, & quem pluere consuerit Dominus.*

§.3. *Quia diligere est velle bonum, sicut tenemur diligere inimicum, ita & velle illi bonum, & irrisari de eius malo.*

§.4. *Quia ratio diligendi inimicũ est Deus ipse; licet velle ei malum, & lætari, quando ad Dei gloriam fuerit expediens.*

§.5. *Quoniam amor etiosus non est, sicut tenemur inimicos diligere, ita, & eisdem benefacere.*

§.6. *Orandum est pro inimicis quorũ damnatio certa reuelatione precognita nõ est: si enim certò fuerit cognita, Ioannes pro illis non dicit orandum.*

§.7. *Diligere calumniantes, & pro eis orare tenemur: iustum est tamen ab impositis calumnijs hominem sanctum se purgare.*

QVARTA PARS, DE rationibus huius præcepti in eiusdem verbis implicatis.

§.1. *DEus præceptum hoc tradens, eiusdem rationes simul indicat, qui propterea inducitur à Moyse legem ferens in dextera, & ab Habacuc ferens cornua, aut flammas ignis lucidas.*

§.2. *Singula verba huius præcepti cum Dauid requirenda, & obseruanda sunt, & cum Tobia exenterandus hic piscis immanis, vt totus, salubris reddatur.*

§.3. *Primam rationem ex legislatore indicat pronomen illud, Ego, suprema illius potestatem exprimẽs, qui Rex est, cuius os Salomon obseruabat.*

§.4. *Abyssus, ac venti obediunt Deo spontanee, vt ait Sapiens, & hominis effrænem iram, condemnat mare.*

§.5. *Se ipsum supponit Deus huic præcepto, cui qui eũ profitetur Dominum, etiã*

iuxta Pharaonis iudiciũ tenetur obtemperare.

§.6. Christus sicut Iob, primò præcepit per seruum, nunc ore proprio deprecatur: & si sermo quiuis per Angelos fuit firmus, multò magis, quem Deus ipse firma profert sententia.

§.7. Secunda ratio est, quia hoc præceptum est bonum, vtpote conforme voluntati diuinæ, quam sine replica complendã ostendunt multa, quæ in Scriptura recensentur.

§.8. Quæ Deus statuit, approbanda, non examinanda docent Seraphim: nec homo, vt ait Iacobus, est Iudex legis, sed executor: vnde qui concilia pro lege duelli congregant, verbis Ieremiæ, & obedientia Roboam condemnantur.

§.9. Tertia ratio est, quia hoc præceptum est iustũ, & iustè iuxta Augustinum, & Gregorium, cuius est interdicta vindicta, quamuis iustè antiquis dictum fuerit: Oculum pro oculo.

§.10. Considerandũ est ad patienter sustinẽdas iniurias quod nullatenus Deus vult multa relinqui.

§.11. Deus non intendit, impunes dimittere offendentes te, quos potius sibi puniendos assumit: cuius consideratio sedare potest animum iratum.

§.12. Quæ dicta sunt, confirmantur exemplis.

§.13. Quarta ratio est, quia hoc præceptum est vtile, nam vindicator magis sibi quàm inimico nocet.

§.14. Grandes vtilitates ex remissione iniuriæ expendit prudenter prudens Abigail.

§.15. Huius præcepti obseruantia singulariter inducit securitatem conscientiæ ad orandum, quam expertus fuit Dauid.

§.16. Vtile est hoc præceptum quærentibus remissionem peccatorũ, ideo in principio Quadragesimæ illud proponitur, etsi difficile, & perfectum.

§.17. Amor erga inimicos maximi est meriti, & quasi oleum Elisei in vasa vacua, aptus ad satisfaciẽdũ pro debitis.

§.18. Tempus Quadragesimæ opportunum est ad orandum pro remissione peccatorum, quàm sine dilectione inimicorum non obtineri, docuerunt Sapiens, Ezechiel; & Christus per admirabilem parabolam.

§.19. Qui non dimittit, non dimittetur ei, etiamsi cum lacrymis oret, vt Saul, Esau, Antiochus ostendunt, explicatque mors Ioab, & sententia Iona, excellenterque factum Dauidis.

§.20. Quinta ratio est, quia hoc præceptum ad honorem condiuit, quamuis posset Christus iustè iubere, illum contemnere, quem Dauid vanitatem iudicauit.

§.21. Causam honoris tantum profert homo, ne Deo obsequatur, cùm ad vocẽ dæmonis, mũdi, carnis illum profundat, vt dixit Ieremias.

§.22. Parcere inimico verum inducit honorem. Quis iste sit, & vnde procedat, Deus ipse explicare voluit, contra homines veri honoris iniquos æstimatores.

§.23. Qui parcit inimico suprema fortitudine præstat, imò & Deus omnipotentiam suam parcendo demonstrat, vt annotant Moyses, Dauid, Sapiens, Paulus.

§.24. Dauidis historia confirmat quæ diximus, quam excellenter expẽdit Chrysostomus.

§.25. Qui inimico visibili parcit, prudentẽ & fortem se cõprobat, quia ad inimicum inuisibilem vincendũ se conuertit, sicut Iob, & Christus, hocque est, carbones congerere super caput eius.

§.26. Vera fortitudo in patientia præcipuè posita est, quæ sola fortes Israel comprobat, & beatum Iob manifestè fortem dæmoni ostendit.

§.27. Verum honorem in patientia, dilectione, beneficentia ad inimicos consistere, demonstrat primo Deus ipse, qui sui honoris est zelator insignis.

§.28. Quomodo Sponsus maiores offensas sæpè magnis compenset beneficijs, docuit Sponsa, inducens illum similem botro Cypri.

§.29. Deus

§.29. *Deus ità sibi reputat honorificũ parcere inimicis, vt id vocet laudem, & gloriam suam, quam Apostolis enarrandam commisit.*

§.30. *Moyses hanc Dei gloriam, & honorẽ videre, & exhiberi petijt, Christum morientem pro inimicis, hæcque fuit gloria, quam ad sui satietatem Dauid optabat.*

§.31. *Rem esse honorificam, parcere, & patienter ferre inimicos, etiam sancti viri demonstrat, quorum vita tanquam speculum conspicienda est, vt nostram componamus.*

§.32. *Factum B. Stephani singulariter expendendum est, & cur eius oratio peculiariter Paulo profuerit, & quorũ iudicium sequendum sit in causa honoris.*

§.33. *Philosophi, & Sapientes, sola naturalis rationis luce iudicarunt rem honorificam, inimicis parcere, & benefacere.*

§.34. *Sexta ratio est, quia hoc præceptum possibile est nobis, qui iræ motum possumus tenere, sicut Iacob plantam Esau, & id est nobis omnino necessarium.*

§.35. *Egregiè Apostolus iram contra offendentes statim comprimendam, docuit, dicens: Sol non occidat, &c. innumera enim mala ex ira, si perseueret, sequuntur.*

§.36. *Septima ratio est, quia huius præcepti verba modum indicant, quo facilius compleri possit à nobis, qui similes esse debemus equitatui Pharaonis.*

§.37. *Ira inter omnes affectus, rationis fræno est regenda, quæ similis est equo, & cani, qui aliquando acuendi, & vrgendi sunt, aliquando continendi.*

§.38. *Facilè homo se ab appetitu vindictæ temperabit, si Deum imitetur, qui iuxta Tecuitis dictum ad Dauid, retractat cogitans.*

§.39. *Decem breuissimæ rationes quarum consideratione homo iræ affectum, & vindictæ appetitum facilè poterit cõprimere.*

§.40. *Earundem rationum, & considerationum prosecutio.*

QVINTA PARS, CONtinens rationes huius præcepti expressas à Christo.

§.1. *MAnifestè Christus probat nullatenus à Deo dici potuisse, odiendos inimicos: imò exemplo Patris cœlestis diligendos ab ijs, qui illius sunt filij.*

§.2. *Poterat Deus iubere amare inimicos sine præmio, sed grandi operi, grandem proposuit mercedem dicens: Vt sitis filij patris, &c.*

§.3. *Grandis est merces, esse & vocari filium Dei, quod nomen, Dauid parcens inimicis expectabat bonum in conspectu sanctorum.*

§.4. *Ad patris cælestis exemplar tenemur eius filij nostras disponere actiones, ideoque debemus sicut ille beneficos nos exhibere ad amicos, & inimicos.*

§.5. *Qui à Deo mercedem expectant, maiora debent agere, quàm Ethnici, & Publicani. Quinam hi fuerint, explicatur.*

§.6. *An dilectio amici, & resalutatio ad salutantem, sit meritoria, & an sit potior dilectio inimici, quàm amici.*

SEXTA PARS, DE MOdo facili, & iusto diligendi inimicos.

§.1. *CVr Deus dicatur perfectus ex sola misericordia, quæ aptè omnibus operibus illius præfertur, cui similes nos exhibere debemus, non in essendo sed in agendo.*

§.2. *Modus quo debemus contendere esse perfecti, est imitari Deum in misericordia, & patientia erga inimicos, ratione cuius ille perfectus dicitur.*

§.3. *Similis diuinæ debet esse perfectio nostra, non æqualis, qua propterea multas patitur imperfectiones, nec contra eam est, conturbari ad subitum inimici conspectum.*

§.4. *Perfectum modum diligendi inimicũ exhibet pater cœlestis, amando naturam, odiendo culpam, quem in distinctione rerum, clibano, & lampade, indicauit.*

§.5. *Inimicorum omnium legalium, & moralium culpa odio habenda est, & diligenda natura; vt maledictio Chanaam designauit.*

§.6. *Perfectum modũ vincendi inimicum pater cœlestis indicat, per beneficia qua de causa, amor dicitur à Sponso fortior morte.*

§.7. *Excellenter Christus hunc vincendi modum comprobat, & ostendet cum tradet regnum Deo Patri.*

§.8. *Perfectum modum vincendi inimicos tenuit Dauid, per dilectionem, de qua dictum est: Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.*

SEPTIMA PARS, DE modo faciendæ iustitiæ.

§.1. *IVstitiæ nomine, Christus omne opus bonum intelligit, quod tantùm prohibet coram hominibus eo fine fieri, vt ab eis videatur, & laudetur.*

§.2. *Quid sit tuba canere ad eleemosynã, & quomodo hoc fugiendum.*

§.3. *Quomodo sinistra non debet scire eleemosynam quã facit dextera, & quid dextra, & sinistra nomine Christus intelligat.*

R. P. F.

HIERONYMI BAPTISTÆ DE LA NVZA,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS,

TRACTATVS QVARTVS EVANGELICVS,

Qui est primus de dilectione inimicorum.

PROOEMIVM, ET TOTIVS TRACTATVS DIVISIO.

Malachias depinxit Christum sub typo argentarij, sedentis, & emundantis argentum, quod implet Dominus sedens in monte, legem repurgans, & conflans.

¶ 1. BEatus Augustinus (absque cuius nominis mētione, fatetur S. Hieronymus *a*, se nec vnam horam praterijsse) insigne opus edidit *b*, contra Faustum Manichæum, in quo per triginta, & tres libros, omnes ferè Manichæorū errores reuincendos assumpsit; qui satis et noti erant, quippe qui ad trigesimum vsque annum fuerat eisdem detentus. Libro autem duodecimo, illam eorum blasphemam hæresim refert, qua asserebant, antiquos Prophetas nullatenus audiendos, aut curandos, qui nihil de Christo prænunciarunt, aut prædixerunt. Quem errorem integro illo libro confutat, singulariter obseruans, hunc omnium Prophetarum fuisse scopum, Christum, sub varijs figuris, & formis exhibere: quod tam egregiè persecerunt, vt cuius homini etiam obtusi sensus, consideranti Prophetarum dicta, & Christi opera, & facta, manifestè appareat summa eorum inter se conuenientia.

a *Epist.* 80. *ad Aug.*
b *Habetur tom.* 6.
Cap. 6. 7.
Cap. 1.

Quod Deus ipſe non obſcurè admo-
Oſea 12. 6. nuit, vt obſeruant ſancti Patres, expendentes illa verba: *Locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum.* Locutus quidem eſt Deus ſuper Prophetas, id eſt, ad Prophetas,
Luc. 3. 2. Ioan. 1. 51. phraſi Hebræa: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem*, id eſt, ad Ioannem: &, *Videbitis angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis*, id eſt, ad filium hominis. Vnde Chaldaica, *Locutus ſum cum Prophetis:* Septuaginta, *ad Prophetas*. Varijs autem formis, & figuris, in viſione imaginaria, aut intellectuali ſe illis manifeſtabat, vt ſub eis ipſum depingerent: id enim
Brixi. in arca f. 118 col. 4. significabat illud, *In manibus Prophetarum aſſimilatus ſum:* in Hebræo verbum *Dimah*, quod ſignificat ſimilitudines facere. Manus in Scriptura ſacra dicitur miniſterium, & inſtrumentum; q.d. Miniſterio Prophetarum varias ſimilitudines effinxi. Non ergo minus pictores, quam ſcriptores, videntur Prophetæ ſancti, quorum calami, vices penicilli habuerunt, quibus diuerſas Chriſti actiones, & opera depingebant. Ita locum iſtum intellexerunt antiqui Patres, Dionyſius Alexandrinus *a*, Chryſoſtomus *b*, egregiè, & ex profeſſo Origenes *c*, Iſychius presbyter Ieroſolymitanus *d*, quondam Gregorij Nazianzeni, auditor, & eleganter Hieronymus *e*, illiſq; omnibus antiquior S. Iræneus *f*. Quoniam enim Chriſtus multa, illaque varia facturus erat, quem vnica effigie tam diuerſa facientem non poterant exprimere, ſub varijs figuris repræſentare neceſſarium fuit. Vnde ipſum exhibent ſub figura regis imperantis, & ſerui obſequentis; diuitis abundantis, & mendici egentis; paſtoris paſcentis, & deducentis oues, & ouis quæ ducitur iudicis iudicantis, & hominis in iudicio comparentis, leonis rugientis, & agni manſueti, hic viuificantem mortuos:
12. Cont. Fauſt. cit. cap. 7. illic vitam expirantem, &c. Vnus, inquit Chryſoſt: eum refert ſtantem, alius ſedentem: vnus antiquum dierum, alter puerum, &c. Hæc quidem omnia, ait Auguſtinus, ſecundum diuinæ ſapientiæ ordinem facta ſunt, vt nos opera Chriſti conſiderãtes, exerceamus mentem, videntes, quam ad viuum quę ille fecit, fuerint prius à Prophetis exhibita, & inde animus tali conſonantia, non minus quam ſuaui muſica allectus, delectationem ſpiritualem capiat. Inter hos ergo egregios pictores, fuit S. Propheta Malachias: inter duodecim minores, vltimus loco, non ſpiritu, & dignitate; cuius excellentiam, vel nomen ipſum apertè declarat. Malachias enim, vt dixit Auguſt. *g*, Angelum ſignificat; quem propterea Clemens Alexandr. *h*, Angelum abſolutè vocat, quo nomine, Septuaginta vocẽ Hebræam transferunt: creditiq; Origenes *i*, vt refert Hieronymus *k*, verũ fuiſſe Angelum, qui in humano corpore aſſumpto fuit locutus. Hebræi cenſent: vt annotauit Hieronymus *l*, & Auguſtinus *m*, fuiſſe illum famigeratiſſimum ſacerdotem, ſcribamq; legis Eſdram, quod, & Hieronymo *n*, placuit: qui ideo dictus eſt Angelus, quia tam familiaris fuit ipſe Angelis, vt quæcunque prædicaret, confeſtim confirmaret aliquis angelus de cœlo deſcẽdens, vt Epiphanius *o*, & Iſidor. *p*, annotarũt. Hic ergo homo angelicus (ſiue fuerit Eſdras, ſiue alius hoc nomine dignus) vo ens omnium oculis Chriſtum exhibere, eum depingit ſub effigie fabri argentarij; ſedentis ad conflatorium, emundantis, & repurgantis argentum. Oculos in primis attentos petit æternus pater, vt eum conſideremus. *Ecce*, inquit, *q, ego mitto angelum meũ, & præparabit viam ante faciem meam.* Hæc verba completa exhibuerunt Euangeliſtæ, imo, & Chriſtus Dominus in perſona S. Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris, qui multis rationibus angelus fuit vocatus. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctũ ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quẽ vos vultis.* Chriſtũ his verbis exprimi, omnes etiam, & Hebræi fatẽtur; quem verum Deum eſſe, Propheta ſanctus exprimere voluit, primò in eo quod dicit, *ad templum ſanctum ſuum:* ſolius enim veri Dei eſt habere templum; illudque antiquum ſolius veri Dei templum dicebatur, de qua re Galatinus, Deinde in eo quod eũ vocat: *Dominator* ẽ in Hebræo, *Haadon*, i.e. Dominus ille, vt vertit Leo Iudas; Septuaginta ὁ κύριος, cũ arti-

¶ 2.

g 20. De ciu. cap. 25.
h Libro 1. ſtromat.
i in Malac.
k In præmio in Malach.
l In prolog. duod. Prophet. & in præm. Mala.
m 20. De ciui. c. 25.
n In illud Malac. 2. Ang. dom. exercit.
o Li. de vita Proph.
p L. de PP. vet. teſt.

q Mal 3. 1.

1 Mat. 11. 10. Marc. 1. 2. Luc. 7. 27.

Lib. 4. c. 10. מארוי

articulo, id eſt, Dominus ille, cui per ſe conuenit ſupremum dominium. Hieronymus, vt vim articuli ſuppleret, oſtenderetque eius ſingulare dominium, vertit, *Dominator*. Tertiò vocat eum Angelum teſtamenti, quia nuntius eſt, inquit Auguſtinus, nouæ legis, & teſtamenti æterni author: aut certè alludit ad Angelum, qui in monte Sina legem dedit, qui diuini verbi typum expreſſum gerebat. Quaſi autem venientem incipit eum Propheta contemplari, & depingere. *Ecce venit, ait Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum?* Prius dixit, *Veniet*, nunc, *ecce venit*. Illa repetitio veniendi, firmitatem diuinæ promiſſionis deſignat. Duæ autem illæ interrogationes, non terrorem, ſed ſummum deſiderium, magnitudinemque exprimunt beneficij. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius?* In Hebræo *Michalchel*, quod à verbo *chul*, non tam cogitare ſignificat, quam comprehendere, menſurare, metiri, apprehendere; cui affine credunt verbum, & nomen Latinum, Calculo, & Calculus. Vnde vult dicere Propheta: Quis poterit ita calculare, aut metiri dies, vt apprehendat diem aduentus eius? eo modo quo Balaam dicebat: *Heu, quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus?* Aut verò vult dicere: Quis poterit metiri, aut comprehendere illius diei maieſtatem, gloriam, lætitiam, & gaudium? Hoc magis explicat ſubdens: *Aut quis ſtabit ad videndum eum?* quaſi alludens ad Reginam Saba, quę videns illius pacifici Salomonis gloriam, *Non habebat vltra ſpiritum*, aut ad Cœleſtem Sponſam, quæ conſiderans Sponſi ſui pulchritudinem, ſtare non poſſe præ cordis lætitia, in eius conſpectu, clamabat: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. Quis ad huius ſolis radios ſtare poterit? quis tãtam gloriam, claritatemque ſuſtinere? Cuius animus non deficiat præ lætitiæ magnitudine? *Ipſe enim quaſi ignis conflans*. Ignis maximam habet actiuitatem, talem vt poſſit fortiſſima metalla colliquare, purgare, renouare, clarificare. Quaſi dicat: Erit quaſi ignis omnia renouans, purificans, clarificans, & illuſtrans. Et vt deſignaret magis in particulari, quid acturus erat; eum depingit ſub typo argentarij, purgantis argentum: *Et ſedebit conflans, & emundans argentum*. Chaldaica, *ipſe ſicut vir qui conflat, & emundat argentum*. Conficit argentarius in conflatorio argenti vas argenteum, pulchrum, ſplendidum, & illuſtre; tradit illud hominibus habẽtibus manus impuras, & immorigeratas, vnde ſtatim vas non ſolum contrahit ſordes, ſed, & laceratur, & conteritur: oportet propterea, vt idem artifex vas ſuis iterum manibus ſuſcipiat, quod ad conflatoriũ reuocat, vt non ſolum purgatum ſordibus, ſed ſuæ integritati reſtitutum exhibeat. Hoc Chriſtus acturus erat: & tãquam ſi iam Propheta videret illum, id agentem, eum depingit. Eſt quidem diuina lex, vas argenteum, quod Deus confecit, tradiditque nouum, recens, pulchrum, ſplendidum, ex mõte Sina, ſuccenſo ingentium flammarum ignibus tanquam conflatorio ardenti extractum. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, purgatum terræ, probatum ſeptuplum*. Illa decem præcepta, quaſi ex naturæ viſceribus extraxit Deus, purgata omni impuritate. *Lex Domini immaculata*, dicebat idem Dauid. Hoc vas tradidit Deus diſpenſandum hominibus immundis, & impuris, doctoribus ſcilicet ſcribis, & Sacerdotibus; quorum intererat legis myſteria manibus ſuis pertractare, & explicare, per manus enim magiſtrorum legem, & doctrinam tradidit, quæ procedit ab ipſo tanquam à *magiſtro vno*. Illæ manus erant immundæ, quas *ſanguine plenas*, dixit ipſe Deus. Erant illi repleti odio, inuidia, cupiditate. Hinc factum eſt, quod lex impuritatem, & ſordes quaſi contraxerit: quia doctores legi ipſi impuros ſuos affectus inſerebant, quam ita tradebant, vt dicerent, illam tantum prohibere opera externa homicidij, & adulterij, non autem internas concupiſcentias, & tantum præcepiſſe amorem circa amicos, ſtatuiſſe autem odium circa inimicos. Hocque eſt quod Chriſtus eis dixit: *Irritum feciſtis mãdatum Dei propter traditiones veſtras*.

18. *De ciu. cap. 35.*

¶ 3.

Pagnin. in theſ. col. 1139.

מחלכל

Nu. 24 23.

3. Reg. 10. 5

Cant. 2. 5.

Pſ. 11. 7.

Pſal. 18. 8. ¶ 4.

Eccleſ. 27. 11.

Eſai. 1. 15.

Matth. 15. 6.

Quo

Quo factum est, vt non tantum huiusmodi impuritates contraxerit vas, sed, & confractum fuerit. Ita conqueritur Propheta: *Lacerata est lex.* Nec mirum: confringitur enim vas, quod in terram proijcitur, Sacerdotes autem *a*, *aliecerunt legem Domini exercituum*: *b legem meam proiecerunt*. Idem igitur artifex qui primò vas conflauit, emundandū, & restaurandum suscipiat. *Ecce*, inquit, *venit, & sedebit conflans, & emundans argentum*. Lex non solum impuritatem contraxerat, & sordes, sed, & contrita erat, ideo oportebat, vt emundaretur, & quasi de nouo conflaretur. *Sedebit*. Vide illum in monte, in quem ascendens, *sedit*, intendens vas emundare, & quasi de nouo conflare. In monte Sina non defuit cōflatorium, totus enim mons ardebat, & tam ingentes flammarum copias emittebat, vt terrorem cunctis videntibus incuteret; inde legem quasi ex conflatorio primum extraxit Deus: nunc in monte non deficit ignis ardentissimus Spiritus Sancti. *Iesus enim plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane*. Huius cōflatorij ardentissimum ignem præuntiauit Ioannes, qui quasi volens explicare, quis esset ignis, de quo Propheta loquebatur, dixit: *Ipse vos purificabit in Spiritu sancto, & igne*, id est, qui est ignis, vt exponunt Sancti Patres, Cyrillus *c*, Hieronymus *d*, Leo Papa *e*, & Euthymius *f*. Hoc igne erant ignita, & succensa Christi viscera, tanquam ardentissimæ prunæ in conflatorio ad purificandum, & purgandum. Ipse ergo Christus tanquam artifex excellentissimus, qui antiquitus vas argenteum legis conflauerat, tūc inueniens immundum, & contritum propter impuritatem, quam è manibus impuris doctorum contraxerat, illud quasi manibus suis accipit, & ad conflatorium reuocat, inde nouum, integrum, pulchrum, splendidumque extracturus. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis. Non occides, & omnis qui occiderit, reus erit iudicio*: quasi solum homicidium fuerit per legem prohibitum.

¶ 5. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, & *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis*, quasi solum opus interdictum fuerit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: iam mœchatus est eam in corde suo*: & *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, quasi lex ipsa præceperit inimici odium: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*. Vide quomodo sedet conflans, & emundās argentum. Ex quibus possumus explicare, quid sit, quod cum Propheta Christum depingere voluerit tāquam argentarium conflantem, & emundātem argentum, descripserit illum sedentem: artifex enim, qui in conflatorio emundat, aut conflat, vel purgat argentum, non sedet, sed stat. Veruntamen aptissimè eum depinxit sedētem, primò, vt indicaret, quod Christus aggrediebatur hoc opus ex professo, & accuratè, non leuiter, aut transcursim, vel raptim. In scriptura enim, vt annotauit Euthymius, cum exhibetur aliquis sedens, faciensque aliquid, indicatur id fieri ab eo, ex professo, & accuratè. Deinde, quoniam Propheta voluit exprimere Christum repurgātem immūditias, quas lex ob impuritatem doctorum contraxerat: & quia id erat facturus sedens in monte, eum depingit sedentem. Quid autem per hoc opus intenderet Christus declarat Propheta subdens: *Et purgabit filios Leui*, non filios Leui secundum carnem, sed secundum spiritum, id est, fideles suos, quos voluit disponere ad offerēda spiritualia sacrificia Deo accepta: vt id autem præstare possent, necessariū erat, vt essent purgati, & mundi, non tantū exterius in opere, sed interius in corde, signanter ab odio, & inimicitia. Quasi ergo legem ad conflatorium reuocans, indeque eam integram, & quasi nouam extrahens, septem facit. Primò exponit impuritatem, quam ex immundis Scribarum, & Pharisæorum manibus lex ipsa contraxerat, cui suam impiam traditionem inseruerant. Secundò, legem emundandam, & purgandam assumit. Tertiò, legem ipsam proponit perspicuam, & claram, qua statuit, quidnam erga inimicum agere debeamus. Quartò, legem proponens, rationes eiusdē simul indicat. Quintò, alias expressas subinferr,

qui-

Hab. 1. 14. *a Esa. 5. 24.* *b Ier 6. 19.* *Matt. 5. 1.* *Exod. 19.* *Luc. 4. 1.* *In illud psal. 1. in cathe. pestilentia non sedit.* *Mat. 3. 11.* *Luc. 3. 6.* *c In cap. 4. Esaiæ.* *d In idem cap.* *e Epi. 4. ad Episc. Sicili c. 6.* *f In cap. 3. Matth.* *Matth. 5. 21.* *Mat. 5. 27.* *Mat. 5. 43.*

quibus omnia quæ dixit cõfirmat. Sextò, modum, quo lex iſta ſeruanda eſt, proponit: quo finito, ad modũ, quo iuſtitia ſit agenda, ſeptimò progreditur, Quæ omnia ipſo duce à nobis ſunt explicanda: iuxta quæ, in ſeptem partes erit hic tractatus diſtinctus, in quibus ſeptem, quæ diximus ſingillatim proſequemur.

PRIMA PARS,

DE IMPVRITATE, QVAM PRAECEPTVM DILECTIONIS A PHARISÆIS CONTRAXERAT.

§. 1. *Chriſtus Dominus duo intendit, & antiquam legem à Phariſæis, & Scribis maculatam emundare, & altiora per legem Euangelicam ſtatuere.*

q 6. AVdiſtis quia dictum eſt: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* In aliquibus codicibus additum eſt, *Antiquis*, ſicut cum Chriſtus Dominus in ſuperioribus dixerat: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis:* ſicque Chryſoſtomus *a*, & Auguſtinus *b*, legunt. Aggreditur Chriſtus Dominus indicare impuritatem, quam lex ex immundis manibus Scribarum, & Phariſæorum contraxerat. Quod vt explicemus, obſeruandum eſt: grauem eſſe difficultatem, Quid Chriſtus Dominus per hæc verba intendat: an legem aliquam nouam promulgare, quam nunquam antiquus populus audiuit, an vero antiquã legem, Scribarum, & Phariſæorum malitia corruptam renouare, & renouatam tradere. Quidã contendunt, Chriſtum, legem quandam nouam, ſtatui Euangelico conuenientem, promulgaſſe, quæ nunquam in antiqua lege fuit tradita, in qua nunquam (inquiunt) Deus dilectionem inimicorum præcepit: quoniam legem antiquam tradidit populo imperfecto, & in virtute paruulo, & infirmo, à quo propterea nequaquam exegit, id quod viris ipſis perfectis eſt difficile, diligere ſcilicet inimicos: hoc enim reſeruabatur populo Chriſtiano, quem ad altiora euexit, & cui ea quæ viris perfectis ſunt digna, impoſuit. Hoc autem ita eſſe probari poteſt, quoniam ſic multi Sancti Patres ſentire videntur, qui fatentur, imò, & ſupponunt tanquam certum, verè in lege antiqua ſtatutum fuiſſe, *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: & CHRISTVM Dominum, cùm dixit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis.* Verè voluiſſe, antiquæ legis diſpoſitionem in medium proferre, ex quo procederet, ad præceptum Euangelicum, præceptis antiquis ſuperius, & perfectius, promulgandum, dicens: *Ego autem dico vobis.* Itaque voluit dicere: In lege antiqua vobis præceptum fuit, diligere amicos, & odire inimicos: Ego verò id quod ibi præceptum non fuit, præcipio, vt ſcilicet diligatis inimicos. Ita ſæpè S. Auguſt. aſſeruit, dicens *a*, in veteri teſtamento, ſcriptum quidem: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum b*: id tamen nõ tanquam vocem iubentis iuſto accipiendum eſſe, ſed permittentis infirmo. Et obiicientibus Adimãto *c*, & Fauſto *d*, Manichæis

Matt. 5. 21. 27. 33.

a Hom. 13. in imperf. & ho. 8. ex varijs in Matth.

b Lib. 1. de ſerm. dom. in monte cap. 21.

a Ser. 168. de temp.

b Lib. 1. de ſerm. dom. in monte.

c Lib. cont. Adiman. c. 7.

d Lib. 19. cont. Fauſ. cap. 24

chæis, huius præcepti iniuſtitiam, non eis negauit Auguſtinus talem ſententiam in veteri lege ſcriptam eſſe, ſed id potius liberè concedens, & aſſerens ita ſcriptum eſſe, ad illam declarandam procedit. Hæcque cauſa eſt, cur præceptum de dilectione inimicorum abſolutè ad legem Euangelicam pertinere liberè fateatur *e*: quod Hierony. *f*, præceptum Apoſtolicum vocanit, id eſt, pertinens ad Euangelicam legem, quam Apoſtolis Chriſtus intimauit. Et ex his explicat ipſe Auguſtinus *g*, quod dixit Dominus *h*: Non veni ſoluere legem; ſed adimplere. Cum aliqua ſcala erigitur, ac extruitur, qua ad ſuperum locum aſcendatur, ille, qui gredui primo, ac infimo, quem iam ſtratum, & extructum inuenit, alium altiorem ſuperaddit, quo ſcala perficiatur, non gradum priorem deſtruit, aut ſoluit, ſed potius complet, & perficit intentionem eius, qui priorem gradum ſtatuerat. In ſcala dilectionis, & lenitatis, qua ad cœlum aſcenditur, lex antiqua primum gradum poſuit, diligere ſcilicet amicos; ibique ſubſtituit, nec altiorem gradum extruxit: venit Chriſtus Dominus, non hunc grandum deſtruens, ſed alium ſuperaddens, & confirmans atque ſupponens dilectionem amici, quam lex mandabat, aliam ſuperædificauit vlteriorem, quam lex non iubebat, diligere ſcilicet inimicos ideo non legem ſoluit, ſed perfecit, Ita Auguſtinus *a*, non ſemel dicere videtur. Ita etiam Hilarius *b*. Amari, inquit, proximum, lex eligebat: & in inimicum licentiam odij dabat. Chriſtus autem ad perfectam vitam nos inſtituit, &c. Similiter, & ille antiquus Chromatius Aquilegienſis Epiſcopus *c*: Iam dudum, inquit, in lege Præceptum eſt, diliges amicos, & odies inimicos; ſed populo terreno, & carnali ſecundum tempus data iſta præcepta ſunt ſicut, & illud: *Oculum pro oculo, dentem prodente*: Nunc autem euangelico populo traduntur præcepta cœleſtis, & perfectæ iuſtitiæ, vt inimicos diligamus, odientes amemus. Chryſoſtomus perpetuus in hac ſententia videtur, quam docet, & probare contendit multis in locis: ſed ex profeſſo eam tradit, volens ex illa excellentiam Dauidis expendere, qui cum inimicos dilexit, & eis pepercit, opus ſuper erogationis fecit, nolens vti permiſſione legis; ſicuti Paulus, qui cum poſſet ex euangelio viuere, nolebat eo vti, quod ſibi lex concedebat, ſed manibus ſuis victum quærebat. Ita Sanctus Dauid, inquit ille, cum lex ei permitteret vlciſci de inimicis, non ſe continuit intra hunc modum legis, ſed eum longe ſuperauit. Hoc ipſum confirmat ex illis verbis Chriſti Domini: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Voluit enim manifeſtè docere, eos qui ad legem euangelicam pertinent, non debere eſſe contentos, ſi id agant, quod lex vetus antiquis præcipiebat, ſed altiora eſſe illis agenda, quæ lex ipſa Euangelica ſtatuit. Chryſoſtomum ſequuntur eius perpetui ſectatores, Theophylactus, & Euthymius, id quod etiam Rupertus, & alij multi liberè aſſerunt; & illis omnibus antiquior Sanctus Irenæus martyr, id ipſum dixiſſe viſus eſt. Ex his videtur inferri, verè Chriſtum Dominum his verbis propoſitis tantùm intendiſſe, præceptum nouum Euangelicum promulgare, quo extenderet mandatum dilectionis, quod lex antiqua tantum ad amicos pertingere inbebat, vt etiam ad inimicos perueniret. Hæc attendens quidam noſtri temporis diligens author, tanta aſſeueratione hoc contendit, vt dicat, hæreticorum fuiſſe commentum, dicere: Chriſtum Dominum aliquid aliud intendiſſe. Rigida ſanè cenſura, & miror virum alioquin doctum tam acri infamia, multos Sanctos Patres ſubnotare voluiſſe: ſunt enim multi eorum grauiſſimi, ſignanter Sanctus Irenæus, *a*, Auguſtinus *b*, & Diuus Thomas *c*, qui exiſtimant, Chriſtum Dominum, non tam antiquam legem perficere, & extendere, & præceptum nouum promulgare; quam eos errores corrigere voluiſſe, quos circa illam impiæ Phariſæorum traditiones (quas Deuteroſes vocant) inuexerant, de quibus ſæpè Sancti Patres tractant, Clemens Papa *d*, Irenæus *e*, Hierony. *f*, & Epiphanius *g*, de quibus

e Lib. 1. de ſer. dom. in mõte, & li. 1. retract. cap. 22.
f Epiſt. ad Demet.
g Lib. 2. de ſer. dom. in monte c. 9.
h Matt. 5. 17.
¶ 7.
a Loc. ci. & li. cõ. Adiman. c. 8.
b In cap. 5. Matth.
c Ser. 1. de hoc Euan.
Exo. 21. 24 Deu. 19. 21 Leuit. 24. 20. Hõ. 18. in Mat. ho 8. ex diuerſis in Matt. & homil. 8. de pœnit.
In pſal. 7.
Li. de Virg. c. 83. & 84. to. 5. Mat. 5. 20
In cap. 5. Matth.
Lib 4. cõt. hæreſ. c. 26. 27.
¶ 8.
Maldo. in c. 5 Matth. tom 21. 44
a Li. 4. cõt. hæreſ. cit.
b Li. 19. cõ. Fau. c. 24.
c 12. q. 107 a. 2. & qu. 108. a. 3. ad 1. et 2. et in c. 2. ad Epheſ. lect. 5.
d Li. 1. cõt. Apo. ca. 6.
e Lib. 4. ci. cap. 25.
f In cap. 8. Eſai.
g Cõt. hæ

bus

uat alio in loco. Vnde, vt ſcite obſer-
h *In c.2. ad Epheſ. lect.5.* uat D.Thomas *h*, quando Chriſtus Do-
i *Matth.5. 20.* minus hunc ſermonem incœpit, non induxit legem ipſam, ſed Scribas, & Phariſæos dicens *i*: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarum, & Phariſæorum*: quia Phariſæi peruersè legem corrumpentes dicebant ſufficere, non occidere, poſſe autem hominem iraſci, & contumeliæ verba proferre: ſimiliter aſſerebant, ſufficere ad ſeruandam legem, diligere amicos, poſſe autem hominem inimicos ſuos odio habere, &c. In huius quæſtionis explicationem multa varia, ac quæ contraria videntur, Sancti Patres aſſerunt. Ego verò Diuus Thomæ modeſtiam ſequens, indignum viro pio, ac plenè catholico perpetuò iudicaui, ſe inter Sanctos Patres iudicem conſtituere, & eorum ſententias, quas Eccleſia non reijcit, impugnare, aut condemnare, quos tanquam magiſtros à Deo, eademque ſancta illius Eccleſia propoſitos, ſuſcipiendos, & venerandos cenſeo: in quibus ſi aliquid inuenio, quod diſſonum videatur; aut iuxta D.Thomæ conſuetudinem piè explicandum aſſumo, aut humiliter meam profiteor ignorantiam. Gigantes ſunt illi, quibus nos comparati, minores locuſtis inuenimur. Omnium igitur Sanctorum Patrum ſententias circa quæſtionem quam explicandam aſſumpſimus, expendes, & vndequaque conſiderans, certiſſimum eſſe credo, Chriſtum Dominum vtrumque ſimul intendiſſe, perficere ſcilicet antiquam legem, ad maiora, & grauiora nos inducens; & etiam corrigere, ac repurgare errores ex impia Phariſæorum, & Scribarum interpretatione introductos. Ita docuit, ex profeſſoque tradidit Diuus Irenæus *a*, ita, & Origenes *b*, expendens quomodo Sanctus Iſaac typum Chriſti tenuit, qui duo egit, puteos namque antiquos à Palæſtinis humo obturatos, ſuo nitori reſtituit, purgauit, & refodit, ſimul etiam nouum puteum aquarum viuentium effodit. Chriſtus enim Dominus, & ipſius antiqua legis præcepta, Phariſæorum malitia obturata, purgauit, & nouæ legis puteum aperuit, noua præcepta promulgans, & proponens: de quibus ſtatim latius: quam doctrinam ex profeſſo explicat, & probat Diuus Thomas, demonſtrans, Chriſtum duplici ratione antiquam legem adimpleſſe, primò purgando errores; quos impia Phariſæorum malitia circa eam introduxerat: ſecundò, ſuperaddendo quædam Euangelica conſilia, quæ perfectioribus eſſent conuenientia. 1.2.*q.*107. *art.*2. *& q.* 108. *art.*2.

a *Libro 4. con. hæreſ. c.25.26. & 27.*
b *Hom.13. in Geneſ. Geneſ.26.*

§. 2. *Antiqua lex dilectionem præceperat inimici: Scribæ tamen, & Phariſæi ſolius amici ſtatutam ſuaſerant.*

¶ 9.

QVomodo antiquam legem perfecerit Chriſtus, aliquid altius nũc ſtatuens, ſequenti tractatu explicabimus; videamus in præſenti, quomodo illam ab impia Phariſæorum traditione purgandam aſſumpſerit. Ad hoc ſupponendum eſt, quod ex profeſſo Sanctus Irenæus probat, vnius, & eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, quæ ſecundum legem, & quæ ſecundum Euangelium, ex duplici capite: primò, ex authore; quia omnia ab vno eodemque authore, qui Deus eſt, proceſſerunt: quod, & Dominus oſtendere voluit dicens: *Omnis Scriba doctus, ſimilis eſt patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera*. Paterfamilias, inquit Irenæus, Chriſtus eſt, qui vniuerſæ domui paternæ dominatur: ea autem, quæ de theſauro ſuo proferuntur noua, & vetera, ſine contradictione duo teſtamenta dicit, vetus quidem, quod ante fuerat legis datio, nouum autem, quod ſecundum Euangelium eſt, &c. Huic ſimilis eſſe debet omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, quo nomine, diſcipulos ſuos, & doctores Euangelicos intelligit, quos ipſe Chriſtus Scribas vocauit, dicens: *Ecce mitto ad vos ſapientes, & Scribas*, qui ex vtroque teſtamento, quæ docenda ſunt, debent extrahere. Hæc Irenæi interpretatio legitima eſt, quãtumcunque imprudentiſſimus Gallaſius hæreticus propter eam Irænæum irrideat. Eandem enim poſt conſequuti fuerunt Patres Græci, Origenes, *Lib.4.cont. hæreſ.c.23. & 26.* *Matt.13.5* *Matth.23. 24.*

a *In cap. 13. Matth.*
b *20. de ciuit. c 4. & lib. qq. in nouum teſtam.*
c *Tract. 7.*
d *Feuardent. in c. 21. lib 4.*
e *1.2. q. 107. art. 1.*
f *Li. 4. cõtr. hæreſ. c. 26.*
g *Luc. 10. 25.*
h *Mat. 19. 16.*
Mar. 10. 18.
Luc. 18. 18.
1.2. q. 100. a. 2. & ſeq.
1.2. q. 108. ar. 2.
ad Rom. 7. 7.
Li. 4. c. 25.
1.2. q. 100. art. 4. ad 1.
Matth. 22. 37.

nes, *a* Chryſoſtomus *a*, Theophylactus *a*; & Latini, Hilarius *a* Hieronymus *a*, Auguſtinus *b*, & Gaudentius Brixianus *c*, de quibus Scholiaſtes Irenæi *d*. Secundo, ex fine, quia eundem finem vtraque lex habet, ſcilicet, vt homines ſubdantur Deo, & ſaluentur, quod ex profeſſo D. Thomas *e* proſequitur. Ex quibus infert Irenæus *f*, quod vtraque lex ea præcepta cõtinet, quæ neceſſaria ſunt, vt homines ſalutem cõſequantur, & fine quibus ſaluari non poſſunt: id quod de Euangelica lege certum eſt, & de antiqua conſtat, ex eo quod Chriſtus reſpondit interroganti tam tentanti legiſperito *g*, quàm adoleſcenti *h* cupido ſciendi, quid ſibi agendum ad vitam æternam conſequendam: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*: ſignanter autem de adoleſcente, Marcus exprimit, Chriſtum decalogi præcepta antiquitus tradita explicatim propoſuiſſe: *Præcepta*, inquit, *noſti: Non adulterabis. Non occides*, &c. Hæc conformia ſunt doctrinæ Thelogorum, aſſerentium cum Diuo Thoma, in mandatis decalogi omnes virtutum actus neceſſarios, fuiſſe præceptos, & inſuper in lege Euangelica nulla præcepta fuiſſe ſuperaddita, pertinentia ad mores, præter ea quæ ad explicitam fidem, & Sacramenta pertinent: vnde ea, quæ quaſi de nouo Chriſtus in ſermone in monte præcepit, dicens: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem, &c. Audiſtis, quia dictum eſt: Non occides: Ego autem dico, &c.* Iam in antiquis præceptis decalogi erant mãdata, in quibus non tantùm adulterij, furti, & homicidij externa opera prohibebantur, ſed, & interna concupiſcentia, & ira. Rectè enim Apoſtolus dixit: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret nõ concupiſces.* Quoniam autem primò, & maximè neceſſaria eſt dilectio Dei, & proximi (inquit Sanctus Irenæus) hæc in vtraque lege ſtatuta, & præcepta eſt, aut vt inquit D. Thomas ſupponenda eſt omnibus præceptis decalogi, ſicut, & præceptum fidei: qua de cauſa dixit Chriſtus, quod ex illa *pendet vniuerſa lex, & prophetæ.* Idcircò tale præceptũ à Ioanne vocatur, *antiquum, & datum ab initio.* Ideoque Chriſtus aliud maius hoc præcepto non detulit, inquit Irenæus: ſed hoc ipſum renouauit ſuis diſcipulis, iubens Deum diligere ex toto corde, & proximos, quemadmodum ſe. Ex his argumentum fit manifeſtum, ad demonſtrandum in decalogi præceptis antiquitus datis, iam præceptam eſſe dilectionem inimicorum. Primò, quia ibi à Deo omnia fuerunt præcepta, & ſtatuta, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, at præceptum dilectionis inimici tale eſt, vt Diuus Thomas *a* demonſtrat. Imò, & Sanctus Baſilius *b* cenſent, eſſe præceptum pertinens ad legem naturalem. Quod duobus modis explicari poteſt: primò, vt id omne dicatur pertinere ad legem naturalem, quod ſtatuitur in præceptis decalogi, in quibus non tantum præcipiuntur actus virtutum naturalium, ſed & ſupernaturalium: ſub primo enim præcepto de vno Deo colendo, continentur præcepta trium virtutum Theologicarum, vt Auguſtinus explicauit. Secundò, vt loquatur de dilectione, & amore pertinente ad virtutes morales conformes rationi rectę; nam dilectio inimici, quæ viribus naturæ haberi poteſt, ad talem virtutem pertinet, ad quam ipſa naturalis lex obligat. Aut verò, ideò illud vocat præceptum legis naturalis, quia etiam in illo ſtatu, qui legis naturæ communiter dicitur, ante legem ſcilicet antiquam, iam homines iuſti ad illud ſe teneri, Spiritu ſancto ſuggerente interius, quod exterius nõ legebant, confitebantur, vt optimè Beatus Gregorius annotauit: tali enim tempore fuit, B. Iob, qui apertè profeſſus eſt, quod ſi inimicum odiret, eſſet à Deo puniendus maledictione perpetua, qui ita iuxta Chromatium dixit: *Si gauiſus ſum in delicto inimici mei, ſi dixi in corde meo benè factum eſt, adiet auris mea maledictionem.* Quod noſter Vulgatus legit: *Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum*, &c. Circa quæ multa dici poſſent: quibus tamen omiſſis, dico, in ipſamet antiqua lege manifeſtè patere, dilectionem inimici eſſe præceptam, quæ non ſemel, ſed ſæpè illam decernit. *Si occur-*

1. *Ioan. 2. 7. & 2. Ioan. verſ. 5.*

¶ 10.

a *2.2. q. 25. art. 8. & 9.*
b *In regul. breuio. reſponſ. 176.*

Lib. 22. Mor. c. 11.

Iob. 31. 29.

Exod. 23. 4.

ri-

veris, inquit, boui inimici tui, aut aſino
Deu. 22. 4. errãti, reduc eum: ſi videris aſinum odiẽtis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis eum quæ verba expendens Cyrillus infert, hoc ipſo quod
Libro 8. de adorat. pa. 197. Deus præcepit inimicorum iumenta curare, voluiſſe manifeſtè deſignare, maiori cura inimicis opera charitatis impendenda, quod, & ſimiliter expen-
Ser. 168. de temp. dit Auguſtinus, & illo prior Clemens
Lib. 2. ſtromat. p. 424 Alexandrinus, annectens ad idem inſtitutum, quod in eadem lege Dominus
Deut. 32. 7 præceperat: *Non abominaberis Idumæũ, quia frater tuus eſt, nec Aegyptium, quia aduena fuiſti in terra eius.* Nomine Aegyptij, inquit S. Clemens Alexandrinus, gentilem quemlibet, vel quemuis mundi hominem comprehendit.
Li. de charitate. tom. 3. pag. 84. Quod ex Philone mutuaſſe videtur, qui hoc idem docens, obſeruat, inter omnes gentes, quas Iudæi poterant inimicas reputare, & credere quod licebat eas odio proſequi, fuiſſe Aegyptios, à quibus omne iniuriæ genus paſſi fuerant, & inaudita crudelitatis monſtra pertulerant: & nihilominus prohibet Deus, eos odio proſequi. Imò
¶ 11. Leuit. 19. 18. & in Leuitico, in eo loco, quem inducit nunc Chriſtus, dicturus Deus: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, premiſit. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, &c. Et, *non quares vltionem, nec memoreris iniuriæ ciuium tuorum*. Hæc
Epiſt. ad Demetri. verba legis expendiſſe viſus eſt Hieronymus, dicẽs, præceptum fuiſſe à Propheta traditum: *Vnuſquiſque malitiam proximi ſui non reminiſcatur in corde ſuo*. Sanè vocat Propheta ipſum Moyſen, qui legem tradidit: cui poſtea Sapiens alluſiſſe viſus eſt, dicens: *Omnis iniuria proximi ne memineris, & nihil*
Serm. 168. de temp. *agas in operibus iniuriæ*. Hoc apertè vidit Auguſtinus. In ipſo, inquit, veteri teſtamento legimus ſcriptum: *Itinera eorum, qui iniuriam retinent malè facti, in mortem*. Et verè Samuel peccatum eſſe iudicauit, ſi non oraret pro illis, qui ſe ipſum graui iniuria offenderant, dicens: *Abſit à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis.* Et
Pſal. 7. 5. Dauid ipſe inquit Auguſtinus, pœnam grauem ſibi debitam iudicabat, ſi non parceret inimicis: *Si reddidi*, ait, *retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Imo, & ipſe-

met Dauid expreſſè aſſerere videtur, ſe vindictam nequaquam ſumere auſum fuiſſe, quia Deus eam prohibuerat in lege. Ita docet Origenes, intelligenda illa verba, *Propter verba labiorum tuorũ ego cuſtodiui vias duras*. Vocat verba labiorum Dei, eius præceptum, & vias duras appellat patienter ſufferre inimicum. Id ſignificauit illis verbis (vt annotat Gregorius) *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meũ*. Videtur enim reſpondere obiectioni tacitæ: Si te perſequuntur Principes, tu eorum perſecutioni terminum imponito, occidendo eos, qui leones, & vrſos interficere ſolebas. Reſpondit Dauid: Id quidem facerem, niſi timuiſſem à verbis Dei, prohibentis inimicos perſequi, & occidere. Videtur alludere, ad id quod accidit in ſpelunca, quando Saulem perſequentem ſe, potuit occidere, nec tamen auſus eſt, timens facere contra Dei legem, de quibus infra. Et certè manifeſtè Apoſtolus aſſerit, in antiqua lege vetitam fuiſſe vindictam de inimicis. *Non vos defendentes* (in Græco, *vlciſcentes*, quomodo legit interpres Chryſoſtomi, & alij) *ſed date locum iræ*, id eſt, diuino iudicio, in quo Deus iram ſuam offendet: relinquite vltionem, vt Auguſtinus *a*, Chryſoſtomus *b*, Anſelmus *b*, Oecumenius *b*, & alij interpretantur. Ita autem fieri debere, probat Apoſtolus, *quia ſcriptum eſt: Mihi vindictam, & ego retribuam*, id eſt, mihi vindictam reſeruate. Sanctus Anſelmus credit, locum eſſe apud Ezechielem, in quo vbi nos legimus: *Appropinquauerunt viſitationes vrbis*, Septuaginta interpretes tranſtulerunt *Mihi vindictum, & ego retribuam, dicit Dominus*. Communis tamen ſententia eſt, haberi locum in cantico Moyſi, in quo ex perſona Dei dicitur, *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore*. Neque hunc tantummodo locum, ſed, & alium ex libro Prouerb. inducit Apoſtolus, quo admonemur, nos beneficos erga inimicos exhibere. *Sed, & ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*. Ex quo tandem infert Paulus: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

a *In Pſ. 78.* b *In illum locum.* *In cap. 12. ad Rom.* *Ezech. 9. 1.* *Deut. 32. 35.* *Prou. 25. 21.* *Homil. 1. in Pſal. 37.* *Pſal. 16. 4.* *Pſ. 118. 161* *Ad Rom. 12. 19.*

lum, ſupponens, eum qui vindicari vult verè vinci à malo affectu iracundiæ, aut à diabolo, qui abſolutè in ſcriptura malus vocatur, vt dicemus. Hæc omnia tam explorata fuerunt S. Auguſtino, vt Manichæis probare contendentibus, Euangelium eſſe contrarium antiquæ legi, quippe cum iſta ſtatuat odium, & vindictam erga inimicos, illud autem præcipiat eos diligere, reſpondeat, vocans illos blaſphemos, & totius legis ignaros, quam qui vel à limine ſalutauerit, inueniet præcipientem, diligere inimicos, & eiſdem benefacere: cuius occaſione peculiaria quædam loca legis antiquæ Auguſtinus expendit. In antiqua igitur lege verè prohibitum fuit odium, & vindicta circa inimicos; præceptaque fuit eorum dilectio. Vnde ergo ita introductum fuit odium inimicorum, vt tãquam legis verba haberentur: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum?* Certè, inquiunt Irenæus *a*, & Origenes *b*, ex impietate, & malitia Scribarum, & Phariſæorum, qui iuxta concupiſcentias, & carnales affectus ſuos legem explicabant, & proponebant, ſuaſq; impias traditiones tanquam ſi legis eſſent verba, eidem legi adiungebant. Dicebant enim, vt annotat Albertus Magnus, è S. Iohanna, & S. Ioſue, & alijs Deum duplicem legẽ tradidiſſe, vnam ſcriptam in lapidibus, & alteram in cordibus ſapiẽtum, & illam per iſtam eſſe corrigendam, & explicandam. Ex qua doctrina proceſſerunt ad multas traditiones inducẽdas, iuxta cordis ſui affectus paruos, dicentes, illas eſſe ſeruandas tanquam potiorem Dei legem. Illis propterea meritò dixit Chriſtus: *Irritum feciſtis mãdatum Dei propter traditiones veſtras.* Quod, & apertè eiſdem prædixerat Deus per Ieremiam Prophetam, vt annotat B. Irenæus, dicens: *Quomodo dicitis; Sapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt?* Ecce vocem Scribarum, & Phariſæorum, qui dicebant, ſe eſſe ſapientes, quibus lex Domini tradita eſſet, vt eam iuxta ſapientiam ſuam explicarent. Ex quo quid ortum ſit, ſubinfert Deus: *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum*: & iterum: *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus peſſimorum*, &c. Adulterare rem aliquam, nihil aliud eſt quam eius ſinceritatem mixtione alicuius rei extraneæ deprauare. Vnde illa repetita Apoſtoli verba: *Non ſumus adulterantes verbum Dei*, ita quidem transferunt; *Non ſumus cauponantes verbum Dei*. Solent namque qui cauponariam exercent, adulterare pretioſum vinum, admiſcendo ei aquãs & thymiamata pluereſque, ac ſpecies odoriferas, admiſcentes pulueres carbonis, vt ſuæ ſatisfaciant cupiditati. Ita ergo agebant Scribæ, & Phariſæi, qui iuxta affectus ſui concupiſcentiam, legem Dei puram ſuis traditionibus adulterauerant, & eam tradebant populo impuram, immundam, & adulteratam. De illis hac de cauſa Sanctus Irenæus intelligit illud Iſaiæ: *Cauponeſ tui miſcent vinum aqua*. Dei namque præcepto puro, forti, ac lætificanti cor, miſcebant ſeniores aquatam traditionem, per quam legem Dei, ſuis conſcientijs accommodatam, ac congruam redderent. Quod, & ſimiliter Beatus Ambroſius expendit: neque enim, inquit, de ijs cauponibus Sanctus Eſaias loquitur, qui publicis miniſterijs ſeruientes, meram vini ſpeciem fraudulenta aquæ colluuione permiſcens, (nec enim hoc ad beatum virum more iudicis ſeculi pertinere poterat, cum corruptis tabernarum vaſculis, minus ebrioſo potu populus vteretur) ſed de illis vtique cauponibus loquitur, qui præſunt Eccleſijs, non tabernis, qui ſitientibus populis non concupiſcentiæ calicem porrigere debent, ſed virtutis; non ebrietatis miniſtrare poculum, ſed poculum ſaluatoris: legem puram populo tanquam ſalutare poculum miniſtrare tenebantur, ſed hoc in eis increpat Propheta, arguit, & obiurgat, quod vino quam permiſcerent. Hanc interpretationẽ ſequutus eſt Hieronymus, & eam Propheta non tacuit, qui ad Synagogam loquens, ſubdit: *Principes tui infideles*. Infideliter namque referebant, quæ à Deo dicta fuerant. Erant legis doctores illi, per quos Deus ad populum loquebatur, ſed minus fideliter verba Dei tradebant populo:

Lib. 1. cont. aduerſ. leg. & prophet. c. 17. ¶ 12.

a *Libro 4. con. hæreſ. c 25.*

b *Hom. 13. in Geneſ.*

In cap. 5. Matth.

Matth. 15. 6.

Ierem. 8. 8.

Lib. cont. hæreſ. cit.

Ierẽ. 23. 14

2. Cor. 2. 17. & c. 4. 2.

Lib. 4. con. hæreſ. c. 25. Eſai. 1. 22.

Serm. 78.

¶ 13.

In c. 1. Eſa. Eſai. 1. 23.

quæ-

quædam enim, inquit Irenæus, auferebant, alia addebant, & omnia ad ſui appetitus normam interpretabantur. Hoc pacto *iter mendacio* aperuerunt, introducentes tanquã diuinam legem, quod potius ipſi legi erat contrarium, idque ſignanter circa dilectionẽ proximi perfecerunt. Hocque eſt, quod Chriſtus Dominus nunc dicere vult: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quaſi dicat: Sunt Scribæ, & Phariſæi, ac legis doctores, qui legis verba auribus veſtris inferunt, quos audiſtis dicentes, Deum dixiſſe antiquis patribus veſtris, quando legem tulit, diligendos amicos, & odiendos inimicos: verè mendacium operatus eſt ſtylus mẽdax Scribarum. Ego qui legem tuli, nunc eandem quaſi manibus accipio, & eandem ad conflatorium reuocans, purgatam, & integram vobis profero, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, &c.* CHRISTVS ergo, inquit S. Irenæus, aliud maius hoc præcepto non detulit, ſed ipſum renouauit ſuis diſcipulis, idque ipſum, quod verè antiquitus præceperat, quaſi nouum producens, dixit, *Ego autem dico, &c.* Hæc expreſsè tradidit Auguſtinus, ex ijs explicans illud: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Audito, inquit, & non intellecto, quod antiquis dictum erat, *Oderis inimicum tuum*, ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odiſſe, niſi vitium. Hoc corrigit Dominus, dicendo: Diligite inimicos veſtros vt qui iam dixerat: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere: ideoque de odio inimici, quod ſcriptum eſt in lege, non ſoluerat: præcipiendo vtique vt diligamus inimicos, cogeret nos intelligere, quonam modo poſſemus, vnum eundemque hominem, & odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam.

Li. 4. cont. har. ca. 25. & 26.
Ier. 23. 14.
Libr. 4. cit.
Li. 19. cont. Fauſ. c. 24.
Matt. 5. 17.

§. 3. *Scribæ, & Phariſæi dilectionis præceptum corruperant, arctando proximi nomen ad ſolum amicum.*

¶ 14. DVplici ex parte Scribæ, & Phariſæi præceptum dilectionis proximi corruperant, primò, quia carnaliter & terrenè illud explicabant: vocem enim Proximi, aut Amici, vt ait Auguſtinus, tantum extendebant ad eos, quos ſecundum communem terrenamque phraſim, proximos, coniunctos, aut amicos vocamus; cùm tamen verè Deus, omnes mundi homines, etiam inimicos comprehendere voluerit. Hos egregiè explicat D. Thomas, annotans, cùm Deus præcepit, diligere amicum vel proximum, ita propoſuiſſe præceptum, vt ſimul rationem illius indicaret? ideoque non dixit abſolutè, Diliges omnes homines, ſed *diliges amicum tuum, aut proximum tuum*: quia ſufficiens ratio diligendi aliquem, eſt illum eſſe proximum, coniunctum, vel amicum nobis: naturæ ſiquidem conſentaneum eſt, vt vnuſquiſque ea, quæ ſibi ſunt proxima, coiuncta, aut amicabilia diligat. Duplex autem eſt coniunctio, vel proximitas, aut affinitas, vt idem Auguſtinus proſequitur, vna terrena, & carnalis, quæ tantum ſe extendit ad eos, qui coniuncti ſunt ſecundum carnem, aut ſecundum carnalia, & terrena: hæcque non ſe extendit ad omnes homines, ſed ad eos tantum, quos mundus vocat affines, vel amicos: alia eſt affinitas, aut coniunctio ſecundum animam, ſecundum quam illi omnes dicuntur coniuncti, affines vel proximi, qui ab eodem patre ſpirituum, & animarum, Deo videlicet, procedunt ſecundum naturalem eius imaginem, & ſecundum eiuſdem hæreditatis ſupernæ capacitatem hæcque reperitur inter omnes homines, imò, & inter homines, & Angelos; omnes enim ab eodem authore procedunt, tanquam ab vno parente, ad eius imaginem, naturam, ſcilicet intellectualem, liberam, capaces eiuſdem beatitudinis, & gloriæ. Vnde abſolutè

Lib. de catechiz. rud. ca. 26. tom. 4.
2. 2. qu. 44. art. 7.
Li. de catech. rud. cit. & Epiſ. 52. ad Maced.

Deus dicitur, Pater omnium. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit te &c.* Et *vnus est pater omnium*: & Christus dixit: *Vnus est pater vester, vos autem omnes fratres estis.* Si enim fratres, & coniuncti vocantur, qui ab eodem procedunt patre secundum carnem, & ad eandem terrenam hæreditatem habent ius: multò magis proximi & fratres dicuntur, qui ab eodem principio procedunt secundum spiritum, & ad eandem æternam hæreditatem (super eos non stat) sunt admissi. Ex his infert D. Thomas, nihil referre, verum dicatur, Diliges proximum, vel diliges fratrem, vel amicum: quibus modis sæpè scripturæ loquuntur, idipsum exprimere volentes; aliquando enim dicitur: *Diliges proximum tuum*; aliquando *Diliges fratrem*; aliquando, *Diliges amicum tuum*: Idem enim his vocibus significatur; omnes siquidem homines fratres sumus, quatenus ab eodem Patre Deo secundum naturalem eius imaginem procedimus: omnes itidem sumus proximi, & coniuncti secundum eandem naturam intellectualem, quam à tali Patre participamus. Signanter autem de nomine amici, docet Gregorius, expendens illud Iob: *Qui tollit ab amico suo misericordiam*: amici enim nomine, quinis proximus intelligitur. Infert ex eisdem D. Thomas, præceptum dilectionis proximi, aut fratris, nullatenus extendi ad creaturas irrationales, quia non sunt nobis proximæ, aut coniunctæ, secundum Dei naturalem imaginem, nec secundum capacitatem gloriæ. Imò vt ex Aristotele probat idem D. Thomas, nec vera dilectio amicitiæ potest esse inter homines, & creaturas irrationales, quæ tantum communicant cum illis in natura sensibili, & terrena, & in bonis corporalibus, quæ non sunt propria homini, secundum propriam eius naturam. Et ex eodem principio infert, propriè loquendo, omnes homines inter seipsos dicendos esse proximos, & ad omnes homines veram amicitiam extendi debere, etiam ad peccatores, & infideles, quia omnes inter se communicant, & coniuncti sunt in eadem rationali, seu intellectuali natura, & ad eiusdem beatitudinis participationem sunt creati. Infert similiter *a*, ex B. Augustino *b*, Angelos sanctos verè dici, & esse proximos nostros, cum quibus communicamus in natura intellectuali, & ad eandem beatitudinem, quam illi habent, participandam, creati sumus. Infert etiam demones, & homines damnatos in inferno, iam rationem proximorum excessisse, nec tanquam proximos esse diligendos, quia nullatenus iam nobiscum communicare possunt in participatione veri boni, quod est secundum virtutem, & secundum aptitudinem ad gratiam, & gloriam. Proximus ergo, aut amicus secundum Dei, & scripturæ sacræ phrasim, omnis homo est, qui eiusdem est nobiscum naturæ, eiusdem rationis, & mentis, & ad vnum idemq; bonum participandum nobiscum creatus, & aptus. Ita docuerunt S. Patres. Basilius *a*, Augustinus *b*, Irenæus *c*, D. Thomas *d*, & alij. Imò, & S. Augustin. *e*, hoc ex professo pertractans, contendit, etiam apud gentiles, nomine proximi, omnem hominem intelligi: postquam enim explicans præceptum quod dicit; Diliges proximum tuum: Proximus sanè hoc loco, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines: nam si pecuniæ ratio socios facit; quantò magis ratio naturæ, &c. subdidit: Hinc, & ille comicus *f* cùm ab vno sene alteri senì dictum componeret: Tantum ab re tua est tibi ocij, aliena vt cures, ea quæ nihil ad te attinent? responsum ab altero reddidit: Homo sum, humani à me nihil alienum puto: quam sententiam ita ab omnibus intellectam, & approbatam fuisse, dicit Augustinus, vt omnes intelligerent, omnem hominem. quemcunque alium, sibi proximum debere sentire. Cæterum ita intelligendum esse secundum sacræ scripturæ phrasim, ex ipsismet sanctis scripturis fit manifestum, quæ hoc nomine omnem hominem comprehendere voluerunt. In Exodo; *Non concupisces domum proximi tui. nec desiderabis vxorem eius* certè nomine proximi, omnem hominem intelligit, nisi velis dicere, tantum prohibitam vxorem amicorum, concessam

Deu 32. 6. Mal. 2. 10. Mat. 23. 9.

2. 2. q 44. art.

Matt. 22. 39. 1. Ioa. 4. 21. Lev 19. 18.

7. Mor. ca. 10. Iob. 6. 14.

¶ 15.

2. 2. qu. 26. art. 3. & q. 44. art. 7.

5. Ethnico. c 3. & 4.

2. 2. qu. 25. art. 6.

a 2. 2. q. 25. art. 10.

b 1. De doctrin. christ. c. 30.

ar. 11. ibid.

a *In illud Psal. 4. Nec fecit proximo, &c.*

b *Lib. 1. de doctr. Chr. c. 29 & 30.*

c *Li. 4. cōt. hær. ca. 15.*

d 2. 2 q. 44. *art. 7.*

e *Epist. 25. ad Maced. de vera felicitat. ante fin.*

f *Terent in Heaut.*

Exod. 20. 7

ceſſam autem alienigenarum. In Leuitico: *Si mœchatus quis fuerit cum vxore*
Leu. 20. 10. *alterius, & perpetrauerit adulterium cum vxore proximi ſui*, id eſt, cuiuſuis hominis etiam inimici: quem enim primò vocat, *alterum*, poſtea vocat, *proximum*, vt verè quiuis alter, ſit proximus. Expendit ad hoc inſtitutum acutè B. Cyrillus duo loca, quibus eadem
¶ 16. Li. 8. de ad pa. 197. Exod. 23. 4 res præcipitur. In Exodo namque cum primũ lex data eſt, ita dicitur: *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum: ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, &c.* In Deuteronomio autem, quod iterata lex dicitur, quia quod primo fuit traditum in monte Sina, iterum Moyſes
Deut. 22. 1. 4. morti proximus promulgauit: *Si videris*, inquit, *bouem fratris tui, &c. ſi videris aſinum fratris tui, aut bouem cecidiſſe in via.* Quem in Exodo vocat inimicum, in Deuteronomio vocat fratrem, & proximum, vt intelligerent, inimicum verè habere nomen fratris & proximi. Præcipiens ergo Deus proximum, aut fratrem, aut amicum diligi, omnem hominem etiam inimicum, & alienigenam voluit intelligere. Quod, & manifeſtiſſimè Chriſtus Dominus expoſuit *a*, (vt annotarunt Baſilius *b*, & Auguſtinus *c*) cum
a Luc. 10. 27. b in Pſ. 14. c in Pſ. 118. cont. 8. & 1. de doctr. Chriſtian. c. 29. & 30. Phariſæo dicenti in lege ſcriptum eſſe: *Diligies Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum ſicut teipſum*, & interroganti: *Quis eſt meus proximus?* Dominus parabola deſcendentis ab Ieruſalem, compulit, vt ipſemet Phariſæus fateretur, Samaritanum verè dicendum proximum: hoc ipſo offendens omnem hominem etiam Samaritanum reputandum proximum, in quem dilectionis opera exercenda ſunt. Ita Auguſtin. expendens hoc præceptum, *Diligies proximum tuum.* Qui ſano, inquit, intellectu, ſcripturæ diuinæ ſenſum cognoſcere cupit, ſententiam iſtam hoc modo intelligat, vt diligat omnem hominem: proximum enim (inquit ipſemet) non carnaliter, aut terrenè intelligere debemus, ſed omnem illum, qui in ea ſancta ciuitate poteſt eſſe ſiue iam, ſiue nondum appareat. Nec enim (ait alibi) ſic debes intelligere proximum, velut fratrem, vel cognatum, vel affinẽ. Proximus eſt omni homini omnis homo, nihilq; iam proximum, quam homo, & homo. Vnde (ait alibi) cum dicit Apoſtolus: *Loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo*, nemo cogitet, cum Chriſtiano loquendam veritatem, & cum pagano mendacium: proximus eſt enim omnis homo, qui tecum natus eſt ex Adam, & Eua, & ad eamdem beatitudinem creatus. De iſs egregiè D. Thomas varijs in locis iſtam B. Auguſtini doctrinam ſequens, & exponens. Deus ergo, nomine proximi, aut amici, omnem hominem intelligebat, cum præcipiebat. *Diliges proximum tuum, aut amicum tuum.* Idcirco, vt annotauit Ambroſius, dixit Dauid: *Latum mandatum tuum nimis.* Quia Deus non proximitatem, aut coniunctionem terrenam, quæ ſtricta, & arcta eſt, tantum ſe extendens ad eos, quos mundus coniunctos, vel amicos vocat, accipiendam voluit, ſed latam nimis, illam ſcilicet, quæ ad omnes homines etiam inimicos, & infideles ſe extendit, iuxta quam omnes coniuncti, & proximi ſunt, ſecundũ quam eundem habent patrem, à quo eandem naturam intellectualem participant, & ad eandem hæreditatem poſſidendam creati ſunt, & apti, atque capaces. Phariſæi autem, inquit S. Irenæus, proximi nomen male interpretati ſunt. Habebant illi cor conſtrictum, & arctum frigiditate malitiæ, vt dixit Ieremias: erant homines graui corde, diligentes vanitatem, & quærentes mendacium, vt dixit Dauid: rebus ſeculi ita inhærebant, vt tantum ſecularia bona æſtimanda, & temporalia mala fugienda cenſerent, & ideo proximi, & amici nomine, tantum intelligebant eum, qui nobis coniunctus eſt in bonis temporalibus, ſecularibus, & terrenis, quem communiter ſecundum mundi phraſim amicum vocamus: & ita aurib. populi inuexerunt, cum Deus dixit antiquis Patribus: *Diliges amicum aut proximum tuum*, iuxta communem mundi phraſim locutum, vt non omnem hominem intelligeret, ſed eum tantum, quem communiter vocamus amicum. Hunc ergo errorem purgaturus Dominus, legem quaſi ad conflatoriũ reuocat, & idẽ ipſe, qui antiquis legem dedit, nũc eandẽ quaſi nouã, & ſuo

Ser. 168. de temp. Li. de cat. rudib. c. 26 tom. 4. Li. de diſc. Chriſt. c. 3. & 4. to 9. Ser. 221. de temp. Eph. 4. 25. 2. 2 qu. 25. & qu. 44. ar. 7. & in cap. 13. ad Rom. lect. 2. ad fin. Ser. 12. in Pſal. 118. Pſ. 118. 96. Li. 4. cont. har. ca. 25. Ierem. 6. 7. Pſal. 43.

pristino nitori restitutam profert, explicans manifestè, quid nomine proximi intellexerit, sub quo etiam inimicum voluit comprehendere: *Ego autem dico vobis. Diligite, &c.* quasi dicat: Audistis à Pharisæis; Deum dixisse patribus vestris, diligendum tantum proximum, id est, amicum: nihil tale Deus asseruit, sed dixit, quod, & nunc ego dico, etiam diligendum inimicum, quem proximi nomine, comprehendere voluit.

§. 4. *Corruperant etiam legem Pharisæi, addendo, odiendum inimicum, quod Deus non dixit.*

¶ 17. Li. 4. cont. har. ca. 25.

SEcundò, insuper legem corrupe-rant Pharisæi, quia vt annotat S. Irenæus, non solum contrahebant vocem amici, & proximi, vt dictum est, sed nequius multò eandem legem adulterarant, tanquam caupones aquam vino commiscentes; addentes legi Dei, suas impias traditiones, quas tanquam diuinæ legis verba intimabant: taleque est, quod addebant: *Et odio habebis inimicum tuum*: hoc enim nunquam Deus dixit, sed ipsi ex suis traditionibus addiderunt, quo omninò præceptum dilectionis proximi irritum facerent, & euacuarent. Si enim homo tantum diligit eum, qui se diligit, & tantum resalutat eum, qui se salutat; quam, inquit Christus, mercedem habebitis? Certè si CHRISTVS hoc tantum intenderet, præceptum nouum promulgare, quo contraponeret statum nouæ legis statui veteris legis, non dixisset: *Si tantùm diligitis eos, qui vos diligunt, etiam Ethnici, & Publicani hoc faciunt*: sed diceret: Etiam Iudæi antiquæ legis obseruatores id faciunt, quib. vos debetis esse potiores, & perfectiores. Gentes ergo, quæ sine lege viuebãt (vt dixit Paulus) induxit Christus, vt ostenderet, quid agere debeant illi, qui sub lege erant. Patet igitur ex his, in antiqua lege non fuisse permissum odium inimicorum, sicut permittebat Deus *dari libellum repudij, & dimittere vxores, ad duritiam cordis Iudæorũ*, vt Christus Dominus explicauit: neque vnquam in illa absolutè dictum fuisse: *Odio habebis inimicum tuum*, neq; tale in ea scriptum inueniri, sed viuæ vocis oraculo à Pharisæis fuisse huiusmodi dictum introductum. Quod si opponas, sanctorum Patrum sententias supra relatas, qui liberè fatentur, id in lege scriptum fuisse: Respondebo ex D. Thoma, id ab illis dici, non quod formaliter ita Deus statuerit, sed occasionaliter: quia ex quibusdam decretis à Deo in lege traditis, occasionem sumebant Iudæi, vt crederent, Deum odium inimicorum statuisse. Præcepit enim eis, vt aliquas infidelium gentes inimicas ita auersarentur, vt nullas cum eis contraherent amicitias, nec aliquod pacis pactum cum eis inirent. Quod & Iosue eisdem in memoriam postea reuocauit. Mandauit insuper, quod Amalecitas inimicos, qui Iudæorum populum offenderunt, ita persequerentur vt perpetuò bello eos impeterent, & quod Chananeos sibi inimicos, penitus disperderent. Præcepit etiam, inquit D. Hieronymus, vt odio haberent gentes inimicas, Madianitas, Ammonitas, & alias nationes: signanter illas tres, de quibus DEVS ipse dicit: *Duas gentes odiuit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim: qui sedent in monte Seir, & Philisthijm, & stultus populus, qui habitat in Sichimis*, id est, Idumæos, Philistæos, & Samaritanos. Istæ namque tres nationes erant Iudæis vicinæ, & peculiariter infestæ, Idumæi à Meridie, Philisthæi ab Occidente, & Samaritani à Septentrione, à quibus Iudæi innumeris cladibus perpetuò afficiebantur, vt ex sacra Regum historia patet. Has tres nationes peculiariter Deus statuebat Iudæis, vt odio haberent, non tam quod eis erant infensæ circa temporalia bona, quam quod eis erant contrariæ in Dei cultu, fide, & religione, à quibus maximum imminebat Iudæis periculum, si cum illis contraherent amicitias, cuius causa volebat Deus, vt eas tres nationes peculiariter auersarentur. Quibus tribus generibus inimicorum, inquit Rabbanus, tres successerunt præcipui hostes Ecclesiæ, vt & ipsa dicere possit, se tria

Mat. 19. 8.

1. 2. q. 108. art. 3. ad 2.

Exo. 34. 12.

Ios. 23. 12.

Exo. 17. 16

Nu. 33. 52.

In cap. 5. ad Gal. ¶ 18.

Eccl. 50. 33.

Vid. Ianse. in c. 50. Eccl. ver. 33.

Mat 5. 46. Luc. 6. 32.

ad Rom. 2. 14

Deu. 24. 1.

tria potiſſimum odio habere hominum genera: in Idumæis intelliguntur Iudæi tum quia Idumæi idem ſunt ſecundum nomen, ac rubicundi, qui Chriſti ſanguinem fuderunt, & ſuper ſe ac filios ſuos ſuſceperunt; tum quia ſicut Idumæi ex eiſdem Patriarchis cum Iudæis prognati ſunt, ita Iudæi eoſdem cum Eccleſia, habent Patriarchas, eaſdemque Scripturas. In Philiſthæis, qui à populo Iſrael erant omninò alieni, nec aliquid eum illis habebant commune, rectè intelliguntur gentes infideles omnino, vt idololatræ, & nunc Turcæ, nominis Chriſtiani hoſtes. In Samaritanis autē, cùm Iudæis de religione concertātibus, hæretici aptè ſunt deſignati, qui nobiſcum in quibuſdam conuenientes, in alijs omninò diſſident: De quibus omnibus D. Thomas egregiè diſputauit. Nec tamen abſolutè iuſſit Deus, tales inimicos odire, inquit Hieronymus, ſed potius eorum mores, & peccata: ſicuti nunc Chriſtiani, religionis Chriſtianæ inimicos odio habemus. Cæterùm quia populus ille inſipiens erat, rudis ac puerulus, nondum aptus ad hæc diſtinguēda, permittebat Deus, inquit Auguſtinus, tales inimicos abſolutè odire ad vitandum malum, quod ex eorum amicitijs contrahere poterant. Et hinc factum eſt, vt tanquam commune legis mandatum illud haberetur. S. Auguſtinus aliter reſpondet. Dicitur quidem, inquit, in veteri teſtamento: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, ſed qui ſano intellectu, Scripturæ diuinæ ſenſum agnoſcere cupit, ſententiam iſtam hoc modo intelligat, vt diligat omnem hominem proximum ſuum; odio habeat diabolum, inimicum ſuum. Quod etiam in vno homine malo impleri poteſt. In ipſo enim vno, qui malus eſt, & proximum habes, & inimicum: nam quod homo eſt, proximus tuus eſt; nō ſolum non tuus, ſed ſuus etiam inimicus eſt. Diligite ergo in eo carnem, & animā, hoc eſt, proximum tuum, quem Deus fecit, & odio habe malitiam, quam ipſo conſentiente, & diabolus intromiſit. Quod cum ſancto, & pio animo feceris, vices cęleſtis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum. Iuxta hæc dicendum eſt, verè Deum nunquam in antiqua lege ſtatuiſſe odium perſonæ inimici, ſed odium malitiæ illius, cùm dilectione perſonæ. Ex quibus annotat ipſemet, verè Phariſæos corrupiſſe legis præceptum: nam quod Deus præcipiebat de malitia inimicorum, vt eam quiſque odio haberet, intelligendum docebant, de ipſa inimici perſona. His adde, Deum præcepiſſe Iudæis, vt inimicis bellum inferrent, authoritate publica, quomodo, & Chriſtianis idipſum licitum eſt; nec enim iura belli Deus vnquam prohibuit, ſed populum, cui ſciebat omnes nationes opponendas, peculiariter inſtituit, docens, licere omnes gentes inimicas bello petere, & perſequi, iuſti belli ſeruatis legibus. Phariſæi autem inde eliciebant, inimicos omnes odio habendos, quod Deus nullatenus ſtatuit, nec decreuit. Hoc igitur certum ſit, Phariſæos diuinā legem impiè corrupiſſe; & in eā inuexiſſe id, quod Deus nullatenus præceperat, perſonam ſcilicet inimici odio habendam: hanc ſcoriam argento puriſſimo legis induxerant, quam purgari oportuit. Idcircò Chriſtus argentum ſcoria fœdatum, quaſi in manibus accipit, dicens: *Auditis quia dictum eſt antiquis, &c.* & ſedens, & conflans illud, omni inquinamento purgatum extraxit, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.*

2.2.qu.10.

In cap.5. ad Gal.

Lib.1. de ſer. Dom. in monte c.21. & li. eōt. Adim. c.17.

¶ 19. *Ser.168. de temp.*

Lib.19. cōt. Fauſt. c.24.

SECVNDA PARS, DE PVRGATIONE MANDATI DILECTIONIS PER CHRISTVM.

§. 1. *Christus legis immunditiam à Phariſæis inuectam purgat, ſicut Simon aquæductus: & Iſaac puteos, ſimilis Ieremiæ, & exeunti ſeminare ſemen ſuum.*

¶ 20.  *Vdiſtis, quia dictũ eſt antiquis: Diliges, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Progreditur iam Chriſtus, & ſe totum cõuertit ad legem emundandam, & purgandam ab immunditia, quam malitia Phariſæorum inuexerat. Simonem Oniæ filiũ, Sacerdotem ſummum, magnis egregijſque laudibus extollit Spiritus S. cuius inſignia opera recenſens, illud ferè in exordio obſeruat, quod *in diebus ipſius remanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum*. Antiquis temporibus Ezechias Rex, intelligens quam ſit neceſſaria aquarum abundantia ad ciuitatis conſeruationem, curauit varios fontes per aquæductus in Ieruſalem inducere, quos multis expenſis confecit, & aptauit: *Muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem*, ad aquæductus conficiendos, per quos aqua flueret: *& ædificauit ad aquam puteum*: Græci pluraliter legunt, quomodo, & Rabbanus: *Ædificauit puteos ad aquas*, vel propter aquas, id eſt, omnia confecit, quæ neceſſaria erant, vt aquæ abundantes influerent in Ieruſalem: de quibus ſcriptura ſacra in libris Regum, & Paralipomenon. Tempore autem procedente, inter varia diſcrimina, quæ Ieruſalem paſſa eſt, hoc vnum fuit, quod aquæductus cœno, & terra obturati fuerunt, quo ita ſunt diminutæ aquæ, quæ in ciuitatem fluebant, vt nullatenus eſſent ſufficientes: hocque eſt, quod textus græcè indicat, qui legit; *In diebus ipſius diminuti ſunt fontes aquarũ*: quia cum primũ Simon ſacerdos ſummus, Pontificatum aſſumpſit, attẽdens quænã in ciuitate eſſent reficienda, hoc inuenit diminutos fuiſſe fontes aquarum. Vnde ſtatim curauit, conductus cœno purgare, & emũdare, vt aquæ tã plenè effluerent, quod *quaſi mare abundarent ſupra modum*. Hocque eſt, quod dicitur: *In diebus ipſius remanauerũt*, id eſt, iterum emanare cœperunt putei aquarũ. Quis fuerit Simon ille ſummus ſacerdos, non facilè eſt explicare. Certum eſt virum fuiſſe inſignẽ, quique Chriſti Domini typum geſſit admirabilem. Induxerat quidem Deus temporibus antiquis ad populi ſui conſeruationem aquas abundantes diuinæ legis: ſed quoniam per *manus magiſtrorum*, tanquam per aquæductus, ad populum fluebant, illique repleti fuerunt terrenis affectibus, cœpit diminutè aqua effluere. Deus in antiquitus apertè expoſuit, nõ ſolum continendas manus à furto, ſed & voluntatem à cõcupiſcentia rei alienæ: ſimiliterque non ſolum cauendum eſſe adulterium, ſed comprimendam concupiſcentiã vxoris extraneæ: nõ ſolum vitandum homicidium opere, ſed etiam deſiderio. Inſuper parentes honorandos, non tam verbis, quam opere. Huiuſmodi aquæ ita diminutè fluebãt, vt ad populi aures tantum peruenirent, non eſſe furandum, nec adulterandum, nec committendum homicidium opere: licere tamen concupiſcere facultates proximi, eius vxorem, & eius exitium, ſufficere parentes honorare verbo, etiamſi nullatenus illis neceſſaria à filijs ſubminiſtrarentur, &c. Deus ſanè in principio fontem dilectionis, vt abundantiſſima aqua effluere, conſtituit, quæ videlicet ad omnes homines peruenire, dicens: *Diliges proximum tuum*, id eſt, omnem hominem, qui tibi ſecundum rationem mentem geſſit proximus. Propter affectuum tamen immun-

Eccl. 50. 3.

Eccl. 48. 21.

4. Reg. 20. 2. Paral. 32.

Eccl. 52. 11.

¶ 21.

munditiam conducti, per quos huiusmodi lex fluebat ad aures populi, ita obturati sunt, vt pauciſſima aqua effluerent; dicebant enim populo, Deum tantum præcepiſſe, amicos diligere, conceſſiſſe autem, inimicos odire: quæ omnia egregiè explicat D. Thomas. Hic ſummus ſacerdos in ſuæ prædicationis initio, hoc ſibi faciendum aſſumpſit, vt fontes aquarum abundantiſſimè remanarent, cœnum terramque, aut potius affectus terrenos, quibus conducti obturati exiſtebant, remouens, & expellens: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Non occides*: hæc tantum aqua ad aures veſtras peruenit, quod à Deo prohibitum ſit homicidium: Ego autem dico vobis, non tantum cauendum homicidium, ſed, & iracundiam. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis* breuis aqua eſt, quæ fluit. Non tantum adulterij opus vitandum eſt, ſed & concupiſcentia, qui enim viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt, &c. *Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, quia obturati ſunt aquæductus terrenis affectibus, hæc tantum aqua ad aures veſtras per eos peruenit, quod Deus præcepit antiquis, diligere tantum amicos, odire autem inimicos, ſed huiuſmodi cœnum tollens ego, abundantiſſimam aquam profluere inſtituo: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & benefacite, &c.* His iuxta Origenis mentem concinunt, quæ ſcriptura de beato Iſaac enarrat. Foderant antiquitus pueri patris ſui Abrahæ in Palæſtina puteos ad aquandos greges, & irrigandos agros: in Palæſtina enim ob terræ ariditatem puteorum vſus fuit omninò neceſſarius, vt Plinius dixit. Palæſtini autem, quibus terræ illius gubernatio competebat, puteos illos *obſtruxerunt replentes humo*. Qua propter veniens in terram illam Iſaac, legitimus, ac naturalis filius Abrahæ, puteum ibi aquæ viuæ ipſe, eiuſq; pueri foderunt; cuius occaſione paſtores Palæſtinorum ingentè calumniam excitarunt, vt vocatus fuerit puteus ille *Calumniæ* in Hebræo verbum, *Gheſech*, quod ſignificat calumniari, vel violentiam inferre, aut iniuſtitiam, vel iurgari. Antequam tamen hunc puteum aquæ viuæ foderet, primò aggreſſus eſt, purgare eos puteos, quos pueri patris ſui Abrahæ foderant, extrahens humum, quam Palæſtini coniecerant, priſtino nitori eorum aquas reſtituens. Quis hæc legens, ait Ambroſius, terrena magis quam ſpiritualia opera arbitretur; quod, & Abraham fodit puteos vel Iſaac? Intuere, inquit Origenes, noſtrum Iſaac, qui pro nobis oblatus eſt hoſtia. Hic in mundum venit, foditque puteum aquæ viuæ. Hic, ait Ambroſius, eſt profundæ altitudo doctrinæ. Puteus certè, quem Chriſtus fodit, lex Euangelica eſt, profundas, ſalubres, cœleſteſque aquas continens de quibus dictum fuerat: *Effundam ſuper vos aquam mundam, &c.* Lex Euangelica, aptè puteus aquarum viuentium dicitur: continet enim gratiam Spiritus ſancti, de qua dixit Chriſtus: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam*: quod Theologi ex ſcripturis ſanctis cum Diuo Thomæ probant, & explicant. Hic puteus fuit, propter quem Paſtores Palæſtinorum, id eſt, Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi calumnias contra Chriſtum eiuſque Apoſtolos inſtruxerunt, quærentes eum occidere, quia doctrinam Euangelicam prædicabat: aperiebat myſteria gratiæ, & aquas manifeſtabat viuas, dicens: *Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*. Antequam tamen hunc ioueret puteum, antiquos ſerui patris ſui effoderant, quoſque Palæſtini humo repleuerant, refodiendos, & repurgandos aſſumpſit. Puteos dico (inquit Origen.) legis, & Prophetarum. Puer patris ſui fuerat Moyſes, de quod dixit: *Seruus meus Moyſes*, qui foderat puteum legis: Pueri patris ſui, fuerant Dauid, Salomon, & Prophetæ, de quibus dictū eſt: *In manus ſeruorum ſuorū Prophetarū*. Hi puteos effoderunt, qui libros ſcripſerunt veteris teſtamenti, quos terrena, & ſordida repleuerant intelligentia. Scribæ, Phariſæi, & Sacerdotes, gubernatores erant, quibus Iudæorem reſpublica erudiēda tradita fuit; hi terrenam, & carnalem intelli-

1.2.q.107. ar.2. & q. 108.art.3. ad 1. & 2.

Homil. 13. in Geneſ.

Geneſ.26.

Li.31.c.1.

Gen.26. 15

Geneſ.26. 20.

Li. de Iſa. & ani.c.4. ¶ 22.

Lib. de Iſaac.

Eſa.36.25.

Ioan 4. 14.

1.2.q.106.

Ioan.7.38.

Num.12.7

3. Reg. 21. 10.

gentiam, ſuiſq; concupiſcentijs congruentem in lege ponebant. Hos ergo puteos ſtatim in ſuæ prædicationis exordio, antequam profunda legis Euãgeliſtæ myſteria aperiret, repurgandos aſſumit Chriſtus dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis.* Et rectè quidẽ progreditur, dum ad legem Euangelicã promulgãdam procedens, per quam purgati fideles reddantur, & ſint apti *offerre ſacrificia in iuſtitia*, prius argentum legis emundandum, purgandumq; ſuſcepit, impias Phariſæorum traditiones excludens, & eradicans iniqua germina, quæ ex Scribarum, ac Phariſæorũ malitia exorta fuerant. Obſeruauit B. Hieronym. *a* quod, & Orig. *b* ſimiliter annotauit, multos docuiſſe aliqua, quæ à Ierem. dicuntur, non tam de illo in ſeipſo, quam ex perſona Domini Saluatoris accipi debere, in quem, & Ieremię nomen quadrat. Ieremias enim interpretatur (ait Hieron.) Excelſus Domini: & egregiè Chriſto conuenit, de quo dixit Deus: *Ecce puer meus exaltabitur, & eleuabitur, et ſublimis erit valde*: & Paulus: *Talis decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, &c. excelſior cœlis factus.* Videndus eſt Ambroſius, qui id & dicitur: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequã exires de vulua, ſanctificaui te*, de Chriſto accipiendũ credit, ſicut, & Origen. & Hierony. explicant. Signanter autẽ id de Chriſto à multis explicari, ait Hieronymus quod dictum eſt: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Nihil. n. frequentius inſcriptura ſacra, quam quod Pater æternus dedit verba ſua in ore Chriſti. Ita antiquitus in lege *a*: *Ponam verba mea in ore eius.* Et iterũ *b*: *Poſui verba mea in ore tuo*. Quod, & Chriſtus ſæpè profeſſus *c*: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* Et iterũ *d*: *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mũdo.* Et *e*, *Ego ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatũ dedit, quid dicam, & quid loquar*. Conſtituit autem eum ſuper gentes, & regna, quia *f*, *omnia dedit ei Pater in manus*: & *g*, *omne iudicium dedit filio*, qui dicere potuit *h*, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Inter ea, quæ Pater ei agenda commiſit, hoc erat ſingulare: vt diuina verba tãquam diuina quædam ſeminaret, & euãgelica dogmata in hominum cordibus plantaret. Vt autem hoc faceret, primo illi imponit, eradicare iniquas plantationes, & euellere, ac diſſipare impia germina, quæ ex impia Phariſæorum malitia fuerant exorta. Hocq; fuiſſe Chriſti inſtitutum, demõſtrant Hierony. & Orig. ex illo, quod agens contra impias Phariſæorum traditiones, dixit: *Omnis plantatio, quam non plãtauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur*. Hoc igitur nunc aggreditur, qui inueniens illã plantationẽ iniquã, & peruerſum dogma: *Diliges amicum tuũ, & odio habebis inimicum tuũ*, eradicandũ aſſumit, & plantandum diuinam plantationem: *Ego autẽ dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Et rectè dicitur: *& plantes*, quaſi de nouo namque lex ab ipſo cõſtituta fuit. Quamuis n. antiquitus iam datum fuerit præceptũ de dilectione, ſed illud quaſi extinctũ, & eradicatum fuerat, cuius loco iniqua Phariſæorũ traditio erat introducta, & plantata. *Exijt*, inquit Chriſtus, *qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*, & cecidit pars ſeminis *inter ſpinas*, id eſt, in loco, vbi ſpinarũ ſemina erãt, & *ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerũt triticum*. Antiquis temporibus Deus exijſſe dictus eſt, cũ ad montem Sina deſcẽdit ſeminaturus ſemen diuinæ ſuæ legis, ſed cecidit in terram, vbi ſpinarũ erant ſemina. Dixit S. Iacobus, immoderatũ ſui amorẽ, & concupiſcentiam, eſſe ſemen ſpinarum, & contentionum, ac litium. *Vnde*, inquit, *lites, & contentiones? Nõne ex concupiſcentijs?* Erant itaq; repleti affectib. cõcupiſcentiæ carnalis, & terrenæ, ex quib. inuidiæ, odia, & lites oriebãtur, & in tantũ hæ ſpinæ creuerunt, & ſuffocauerunt triticum. Non enim tanquã lex diuina habebatur, quæ præcipit inimicũ diligi, qui in potius oppoſitũ tanquam diuinã legem introduxerant, aſſerentes, dictũ fuiſſe à Deo ferente legẽ antiquis partib. *Diliges amicũ tuũ, & odio habebis inimicum tuũ.* Eradicanda propterea fuit hmõi plantatio, & quaſi de nouo plantandũ diuinũ germẽ: *Ego aũt dico vobis: Diligite ini-*

Mal. 3. 3.

¶ 23.

a In c. 1. *Ier.*
b Hom. 1. *in Iere.*

Eſa. 52. 13. *ad Heb.* 7. 26.
Li. de ben. Pat. c. 11.

Ierem. 1. 5.

in c. 1. *Ier.*

Ier. 1. 9. 10.

a Deu. 13. 18.
b Iſa. 51. 16.
c Ioa. 7. 17.
d Ioa. 8. 26
e Ioa. 12. 29

f Ioa. 13. 3.
g Ioa. 5. 27
h Mat. 28. 18.

in c. 1. *Ier.*

Mat. 15. 13

¶ 24.

Luc. 8. 5.

Iac. 4. 1.

Mat. 3. 12. *& Luc.* 3. 17.

mites. Alio modo hæc expēdere possumus, ex eo q̄ Ioānes de illo dixit, quod purgaturus erat aream suam, congregaturus triticum in horreum, traditurus paleas igne perpetuo comburendas. Agricola siquidem mundū, *nudū quidem granū*, vt dixit Paulus, seminat, omni palea purgatum: terræ tamen mādatum, ex illius humore, herba, ac paleis vestitum profertur in lucem: oportet, vt iterum ab eodem agricola assumatur, excutiatur, mundeturque à palea, qui illud in horreum congregans, palam igni tradat consumendam. Seminauerat Deus tam nudum purumque legis granum, vt Dauid vocet, *legem immaculatam.* Ex terreni cordis humani malitia, cum in lucem erupit, apparuit mixtum, & opertum paleis traditionum Phariſæorum, & Scribarum: oportuit, vt agricola diuinus, triticum purgandum assumeret, à paleaque separaret, quod, & verè fecit, diuinam legem à traditionibus Phariſæorum iniquis purgans, & secernens, has igne damnationis perpetuæ absumendas, triticum in Eccleſiæ suę horreum, aut in cordibus suorum fidelium, tanquam in viuis horreis includendum.

1. Cor. 15. 37.

Psal. 18. 8.

§. 2. *Ostendit Christus, tempus aduentus sui, esse tempus putationis, & se comprobat, quem prædixit Isaias, reparatorē sepium.*

¶ 25. *Epi. 9. quæ est ad Tit.*

OBseruat S. Dionyſius Areopagita, librum Canticorum myſteria continere diuina, reconditę Theologiæ lumine plena, velata tamē varijs metaphoris, & ſimilitudinibus, quibus excellentiſſimē talia myſteria indicat: ſignanter autem tempus, quo Dei filius in mundum venit, elegantibus ſymbolis deſcribit: excitatque propterea Spōſus Sponſam, vt dicit Ambroſ. ad ingentem lætitiam, & alacritatē, dicens: *Surge, propera amica mea, &c. iam enim hyems transijt, imber abijt, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Hæc verba in ipſo cortice difficultatē habent: nec enim agricultūræ regulas noſſe videtur Spōſus, qui vernum tempus cum vites arboreſq; florēt, eſſe tēpus putationis aſſerit. *Omnia*, enim, *tempus habent, & ſuis ſpatijs cuncta tranſeunt ſub ſole*, vt dixit ſapiens: & vt demonſtrauit Columella, nequaquā fieri poteſt, vt vno eodēque tempore vites, & arbores putentur, & floreant, ſed in hyeme putantur, in verè autem florent, & eo ipſo quod effloruit arbor, aut vitis, nullatenus putāda eſt. Erat iā vernū tempus & flores apparuerant in arboribus, & *vineæ florentes dederant odorem ſuum*; quomodo ergo dicit, *Tempus putationis aduenit?* Hebraizantes dicunt, in hebræo haberi vocem *Zamir*, quæ ſignificat putationem, & cantillationē, aut cantilenam: ideoq; dicunt, transferendum eſſe: Tempus cantillationis aduenit, quia propriū ſignū eſt verni tēporis auium cantilena, & garritus: omnia enim tunc auium cantu vbiq; reſonant. Ita R. Selomoh, Auen Ezras, imo, & quidam catholici, Agathius, Genebrardus, & alij: cui ſuffragatur tranſlatio antiqua Hiſpanica. S. Grego. Nyſſen. legens eo modo, quo omnes græci, *Tempus ſectionis aduenit*, intelligit, non de ſectione, quæ fit per putationem, ſed per collectionem florum, quaſi velit dicere: Tempus colligendi, & decerpendi flores aduenit. Ita, & Pſellus apud Theodoretum, & idipſum Ambr. indicauit. Cæterum recondita myſteria hæc verba cōtinent, quæ multi ſancti Patres expendunt. Hebræi quidē ad Synagogam verba referunt, vt eam Sponſus poſt innumeros labores in Ægypto tranſactos, quos hyemis, & imbrium typo deſcripſit, vocet verno tēpore incipiente, vt in terrā repromiſſam profectura ſurgat, properetque. Verè tamē ad Chriſti tempus verba referenda probant, & aſſerunt communiter ſancti Patres, Epiphanius *a*, Cyrillus *b*, Ambroſius *c*, Theodoretus *d*, Pſellus, & trium patrum interpretatio, apud eundem Theodoretū, Hieronymus *e*, Bernard. *f*, Gregorius *g*, D. Thomas *h*, & alij. Et cōuenientiſſimis, aptiſſimiſque metaphoris tempus antiquæ legis, & aduentus Chriſti exprimuntur, dum illud vocatur hyems, hoc autem verni temporis ſymbolo indicatur. Hyeme enim, ſol longè diſtat, calor abeſt, rigent omnia frigore: at tempore verno, ſol appropinquat, fit nobis, luce, lætitia & gaudio omnia etiā prata redrudent.

In Apo. posterior. Dauid. c. 8.

Cant. 2. 10

Eccl. 3. 1.

Li. 4. de re ruſt. c. 9. 10 23. 28. & ſequent.

De quibus Soto maior in c. 2. can. pag. 535.

In orat. 5. in Cant.

Præfat. in Pſal. 41. ante fin.

a *Hær. 59. Catharor.*
b *Li. 10. de ador. p. 241*
c *in Pſ. 118 ſerm. 6. & præf. in Pſ. 41.*
d *in cap. 2. Cant.*
e *Li. 1. cōt. Iouin.*
f *Ser. 58 in Cant.*
g *In cap. 2. Cant.*
h *In cap. 2. Cant.*

Na-

¶ 26.

Natura, inquit Philo *i*, in hyeme quasi intus concluſa quieſcit, & quasi omnes fructus in ſemetipſa tanquam grauida continet, in vere autem, omnia partus tempore adueniente germinat, & parit pampinnos, palmites, clauiculos, racemos. De hyemis aſperitate multa authores dicunt, ſicut de verni temporis ſuauitate frugalitateque, ſignanter Gregorius Nazianzen. *a*, & Ambroſius *b*. A ſcriptura ſacra, vt annotat Hieronymus *c*, vernum tempus per antonomaſiam vocatur, Tempus electum: quod enim dicitur de Iacob, *Venit verno tempore ad terram, qua ducit Ephrata*, melius eſt inquit Hieronymus ſi transferatur *in electo tempore, cum introiret Ephrata*: vernum enim tempus ſignificat, cum in florē cuncta rumpuntur, & anni tempus electū eſt, vel cum tranſeuntes per viam carpūt, & eligūt ex vicinis agris quodcunque ad manus venerit, diuerſis floribus inuitati. Qua de cauſa rectè à tempore verno tanquam ab excellentiori annū incipere, demonſtrat Ambroſ. Hyeme (inquit ipſemet, exponens illud, *Orate, ne fuga veſtra fiat hyeme*, arbores ventus ſuo honore deſpoliat, & aſperitas frigoris, teneras frondes in ſpeciem mortis interficit: verè autem reſurgunt ſemina, & tanquam noua æſtas naturæ viridantis adoleſcit. Vnde meritò tranſacta hyeme vernoq; tempore adueniente ſubiecit: *Flores apparuerunt in terra noſtra. Vere ſinum tellus aperit, floreſque miniſtrat*, inquit Poeta, Agēs Theophraſtus, de cauſis plantarum, optimè diſputat, proſequitur q; quomodo arbores, ac radices omnes in hyeme ſint prægnantes, verno autem tempore pariant, & quæ in viſceribus continebant, eructēt. Ex his ſancti Patres procedunt, vt demonſtrent, aptè hyemis nomine, tempus antiquæ legis, veris autem figura, tempus aduentus Chriſti deſignari. Tempus Moſaicæ vel antiquæ legis, inquit Origenes, inſtar hyemis cuiuſdam, tenebricoſum, triſte, importunū, inamœnum: tempus autem Chriſti, inſtar cuiuſdam veris noui, lucidum, ſerenum, amœnum, iucundum, &c. quæ ſimiliter expendit Epiphanius. In antiqua lege ea quæ erant quaſi prægnantia, intra ſeipſa continebant myſteria, quæ tempore Chriſti erant reuelanda, & lex illa quaſi grauida, intra ſeipſam ſacramenta continebat, quæ aduenīente Chriſto parere viſa eſt. Vnde Apoſtolus; *Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur incluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat*. Adueniente igitur Chriſto, lex germinaſſe, ac produxiſſe dicitur illum, cuius nomen erat *Germen*, aut *Flos*, aut *Fructus*, Tunc *hyems* veteris legis *tranſit*. Symmachus trāſtert: *Terminum accepit*, quia in Chriſto lex illa terminata, finitaque eſt: *Finis enim legis Chriſtus*. In hoc autem verno tempore aduentus Chriſtis *flores apparuerunt in terra noſtra*. In hebræo non habetur pronomen *noſtra*, ſed ſimpliciter, *Flores apparuerunt in terra*, quomodo legit Ambroſius, vniuerſam terram intelligens. Nomine autem florum intelligit gratias, merita, dona, &c. Ante aduentum, inquit, Chriſti hyems erat: venit Chriſtus, fecit æſtatem, tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum; venit Chriſtus, & omnia cęperunt nouæ gratiæ fęcundari germinibus. Alibi autem intelligit Apoſtolos: quos Chriſtus elegit tanquam fragrantiſſimos flores, &c. Sed Theodoretus intelligere videtur, promiſſionem regni cœlorum, & dona quæ Chriſtus præſtitit ad illud aſſequendum. Flores enim præcedunt fructus, & iā in floribus videmus fructus, ſuntq; in illis ſecundū quādam inchoationem. Apparente enim Chriſto, aperti ſunt cœli, & in terra vox Patris intonuit, imò, & Chriſtus aſcendit in montem, & cœpit dicere: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, beati mites, &c. beati qui lugent; quoniā ipſi conſolabuntur, &c. beati mundo corde, &c.* Iā ergo apparuerūt illæ promiſſiones regni cœlorū in terra, quæ eiuſdem regni odorem continebant. Aut verò, his verbis ſignificat, id quod explicaſſe viſus eſt Apoſtolus: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei*. In græco *Philanthropia*, non ſignificat humanitatem, aut naturā humanā à verbo diuino aſſumptā, ſed potius beneuolentiam, affabilitatēq; quomodo Hiſpanice dicimus, aliquē eſſe maximè humanū. Apparē-

i Lib. quod Deus ſit immutabilis.

a Orat. in nouā Dominicam.
b Serm. 36
c Lib. qq. hebraic. in c. 35. Gen.
Gen. 35. 16

Li. de Noē & arca ca. 14. 17. 23. & li. 10. in Luc.
Matth. 24. 20.

Lib. 1. c. 14 & 17.

Lib. duar. ho. in canti ho. 2. & li. quæſt. ho. hom. 4.
Hæreſ. 59. Catar.

Ad Gal. 3. 23.

Li. de Iſaac & anima cap. 4.
In Pſ. 118. ſerm. 6.
¶ 27.

In c. 3. Luc. pag. 1658.
In cap. 2. Cant.

Matt. 5. 3.

ad Tit. 3. 4

Exod.3. & c.19.16. parebat ante, Dei iustitiam, seueritas, maiestas, & se exhibebat inter spinas pungentes, & inter flammas ardentes, fulgura, & tonitrua, vt nimis esset omnibus horribilis, sed nunc apparuit eius benignitas, humanitas, suauitas, beneuolentia erga homines, quibus tanquã suauissimis floribus omnes alliciebat. Vide quales flores benignitatis, & humanitatis apparebant, *dum ascendens in* *Matth.5.1* *montem* iuxta Matthæum, sedit cum di- *Luc.6. 17.* scipulis suis, & *descendens stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, ab omni Iudæa, &c. & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Tunc autem infert apte: *Tempus putationis aduenit.* Quod varijs modis exponi potest, primò iuxta B. *Orat 3. in Cant.* Gregorium Nyssenum, qui legit, & explicat: *Tempus colligendi aduenit*, quia verè tunc *omnis turba quærebat eũ tangere*, quasi flores vnusquisque colligere contendens, *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Philo Carpathius intelligit, ideo dici aduenisse tempus putationis, quia veniente, & apparente Christo in mundo, tollenda præscindẽdaque erant omnia scelera, atque deli- *ad Tit 2.11* cta: quod & visus est indicasse Apostolus: *Apparuit*, inquit, *gratia Dei saluatoris nostri, omnibus, hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Et certè carnales delitias, & voluptates Christo adueniente *Iere.31.22.* resecandas, insinuauit Propheta, clamans: *Vsquequo delitijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* *In c.2. Cã.* Trium Patrum expositio ad Theodore- *Mat.10.34* tum, credit idcirco adueniente Christo ¶ *28.* dici tempus putationis, quia ipsemet di- *Epist. 9. ad Titum.* cit in Euangelio: *Non veni mittere pacem, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam.* Cæterum hæc verba, vt dixit S. Dionys. Areopagita, mysteria cõtinent diuina, ingenti Theologiæ lumine plena. Videturque loqui metaphora sumpta ab eo, quod in agricultura frequentissimum est. Hiemis enim tempore inseruntur arbores, modo omnibus noto. Oleaster verbi gratia, fructum reddit amarum, omnibusque modis ingratum gustui: inserendus est propterea, vt fructum referat suauem, qui Deum hominesque dele- *Iudic.9.* ctat, vt ille dixit. Hoc autem fit, dum ex legitima oliua ramus decerpitur, & in corde oleastri inseritur, hoc quidem in hyeme, sed tamen insitione facta, statim virgulta quædam ex radice oleastri pullulant iuxta ramum insitum, quæ prohibent, ne talis ramus fructificet, crescat, aut extendatur, quin potius eum extenuant, infirmant, & languidũ reddunt. Idcirco tunc sapiens agricola ad ea virgulta, quæ suborta sunt amputanda se conuertit, gladioque acuto discindit, & secat. Probus enim purator, inquit Columella, ferramento, duro, *Li.4. de re* tenuissimo tamen, & acutissimo, vti de- *rustic.c.24.* bet. Erat populus Iudæorum Ægypto *& 25.* tanquam oleaster amarus, qui ingratum Deo fructum reddebat, omnia agens secundum prauum sensus sui affectum. Vt autem fructum redderet suauem, decreuit Deus hunc oleastrum inserere, quod & præstitit educens illum ex Ægypto, & inducens in deserto. Est quidem diuina sapientia *lignum vitæ*, ex hoc ligno decerpsit ramum diuinæ legis, quem in corde populi insereret, tanquam in corde oleastri. Hocque sonant illa frequentissima verba: *Erunt* *Deut.6.6.* *verba, quæ præcipio tibi in corde tuo, &c.* Hæc inuitio facta est in hyeme, id est, tempore antiquæ legis. Virtute tamen caloris male inflammantis, id est, concupiscentiæ, ex radice oleastri cœperũt virgulta pullulare, ex doctorib. enim, qui quasi radices erant populi, ortæ sunt traditiones iniquæ circa legẽ quæ legem ipsam extenuarunt, compresserunt, & infirmarunt. Circa prohibitionem siquidem adulterij, & homicidij, inquit D. Thomas, æstimabant solum *1.2.q.108.* exteriorem actum prohiberi, nõ autem *art 3. ad 1.* interiorem appetitum, & circa periu- *& 2.* rium, habebant falsum intellectũ, credentes periurium quidem esse peccatum, iuramentum autem per se esse appetendum, & frequentandum, quia videtur ad Dei reuerentiã pertinere. Deinde, quædam quæ in lege tantum permittebantur, dicebant esse iusta, vt repudium vxoris, & vsuram, & quæ lex statuebat facienda propter iustitiam, dicebant fieri debere ad vindictam. id-

eoque

eoq; dicebãt licitam eſſe internam irã, & appetitum vindictæ, amoremq; tantum ad amicos extendendum, non verò ad inimicos. Huiuſmodi virgulta, legem extenuabant infirmabant, & impediebant, ne legitimos fructus produ-
¶ 29. ceret Chriſtus ergo Dominus aduenies, hyemem ſuo aduentu pellens, veruumque tempus fructificationi aptũ inducens, ad putanda, & excindenda huiuſmodi virgulta, acutiſſimo diuini verbi gladio manus conuertit. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Non occides*: & quod his verbis homicidium quidem prohibitum eſt; ſed conceſſum iraſci contra alium: *Ego autem dico vobis: Qui iraſcitur fratri ſuo, &c. Auditis, quia dictum eſt, Non mœchaberis*, licere tamen concupiſcere vxorem alienam: *Ego autem dico vobis, Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, &c.* Auditis, quia dictum eſt, amoris præceptum erga amicum exercendum: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, &c.* Ex his egregiè intelligitur locus Iſaiæ, in quo Chriſtus vocatur ædificator ſepium, aut ſtructor rupturarum maceriæ. *Et vocaberis ædi-*
Iſa. 58. 12. *ficator ſepium, auertens ſemitas in quietem*. De Chriſto enim hoc intelligendum docent ſæpiſſimè Hieronymus *a*, & Ambroſius *b*. Hæc Iudæi, & amici tantum occidentis literæ, inquit Hieronymus, ad inſtaurationem referunt vrbium Paleſtinorum, vel factam ſub Zorobabel, & Eſdra, & Nehemia, vel in vltimo tempore futuram contendunt, & ad inſtaurationem Ieruſalem, & in circuitu ciuitatum, altiſſima fundamenta iacienda, & tam excelſos muros ædificandos, vt nullus hoſtium poſſit intrare, & omnium inimicorum prohibeatur ingreſſus: ſed maiora voluit Propheta prædicere, cum Dei nomine magnificis promiſſionibus Eccleſiam conſolatur. In hebræo, vt annotat Hieronymus, ita legitur: *& vocabitur in te*, aut orietur in te, *ædificator ſepium*, de eo loquens, de quo alibi dictum eſt: *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus*. Vulgatus tamen, quaſi ad Chriſtum ſermonem conuertens, dixit: *Et vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem*. In hebræo עורר פרץ *Gouer pheres*, ſtructor maceriæ: quibus verbis Ambroſius allusionem indicat fieri manifeſtam, ad illam duorum filiorum Iudę hiſtoriam, quorum vnus vocatus eſt Phares, quia propter illum diuiſa eſt maceries. Pheres enim, vt annotat noſtri temporis diligens author, eſt dirupta apertio in maceria, aut muro, quam aliquando interpres, confractionem, aliquando maceriam vocat, quam Hiſpanicè, *Portillo*, vocamus, ex quo verbum ducitur, *Aportillar*. Idcirco idem eſt ędificator ſepium hoc in loco, quod inſtaurator confractionis, aut ruptionis muri, vel maceriç. Vnde, & Vatablus tranſfert: *Vocaberis ruptura reparator, Reparador de la cerca, que cierra los portillos*. Et ad eam metaphoram, qua ſępiſſimè Prophetę vtuntur alludit, deſumptam ex oliuetis, aut vineis. Qui enim plantat
¶ 30. vineam, ſepem circundat ei, ne beſtię ingrediantur, & demoliantur: accidit tamen rupturas fieri, per quas, ſemitas faciunt latrones, & animalia, ingredientes ad vineam deſtruendam. *Vinea* *Iſai. 5. 7.* *Domini exercituum*, inquit Iſaias, *domus Iſrael eſt*. Hæc eſt, de qua dixit *Pſal. 79. 9.* Dauid; *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*, & in terra Chanaam, *eieciſti gentes, & plantaſti eam*. Hanc, inquit Ambroſius, circundedit maceria, qui dixit: *maceriam circumdedi*. Neque dubium eſt, hanc maceriam fuiſſe diuinam legẽ. Maceria enim eſt, inquit Ambroſius *a*, *a Li. 3. in il-*
qua ager circundatur fructuoſus, feris remouetur incurſus, quæ culta concludit, & deſerta ſecernit. Hęc, inquit Hieronymus *b*, ſepes eſt, quam qui deſtruxerit, iuxta Eccleſiaſtẽ *c*, *mordebit eum coluber*, &c. Hac maceria voluit Dominus vineam ſuam ſeruare, & prohibere per eam ferarum ingreſſum, id eſt, eorum affectuum, qui ſunt contra rationem. Cæterum huiuſmodi maceria, vel ſepes diſrupa eſt, & confracta, à Scribis, & Phariſæis, & ſemitæ ab eis confectæ ſunt per rupturas, per quas malę beſtię liberè ingrederentur. In ea enim ſepis parte, qua Deus prohibebat homicidium, rupturam fecerunt, per quam iracundia, & contumelia in fratrem, liberè ingredi poſſet, dicentes, hęc licita eſſe, & ſolam occiſionem eſſe prohibitam. In ea ſimiliter parte, qua Deus fornicationem prohibebat, ru-

lud Luc. 3. Qui fuit Phares.

b In ca. 58. Iſaiæ poſt med.

c Eccleſ. 10. 8.

pturam

a In ca. 58. Iſa. & in c. 31. Ierem.

b In cap. 3. Luc. in illud qui fuit Abraha.

pturam fecerunt, per quã liberè omnis concupiscentia vxoris alienæ ingredi posset, hanc enim licitam esse prædicabant. In illa itidem parte, qua præcipiebatur, diligi proximum; maximam rupturam excauarunt, & suffoderunt, per quam tanquam rupto muro, odium omnisque appetitus vindictæ, & iræ conatus, liberè ingrederentur: dicebãt enim, Deum tantum præcepisse, diligere amicos, concessisse verò inimicos odio prosequi. Rupturæ istæ reparandę erant, ab eo certè, qui reparat ruinas, quique propterea vocatur ædificator, aut reparator sepium, aut rupturarum materiæ, qui ita eas reparandas, & reędificandas assumit, vt *ponat semitas in quietem*, id est, auferat semitas, & faciat, quod per eas nullus pareat deinceps ingressus. Hoc enim secundum phrasim hebræam, est, *semitas quiescere*. Hæc omnia egregiè nunc præstat, sedens in mõte, tanquam supremus legis author, reparatorq; *Audistis, quia dictum est antiquis: Nõ occides*, irasci tamen poteris: *Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo sine causa, &c. Audistis quia dictum est; Non mœchaberis*, concupiscere tamen quamcunq; mulierem, tibi licitum dimittitur: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad cõcupiscendum eam iam mœchatus est*, &c. *Audistis quia dictum est: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite, &c.* reparat certè, clauditque rupturas maceriæ diuinæ legis, vt semitæ, quas inuenerant Pharisæi, iam vltra cessent, finem accipiant, & quiescant.

§. 3. *Christus perfectius quam Iosias renouat diuinam legem, quã primo Deus interius in cordibus, deinde exterius in tabulis scripserat.*

¶ 31. Mirifico encomio Spiritus sanctus regem illum iustissimum Iosiam celebrat. *Memoria*, inquit, *Iosiæ in compositionem odoris, facta opus pigmentarij*. Alludit (vt textus græcus indicat) ad thymiama illud, quod Dei ordinatione confici iussum est, ex septem speciebus odoratissimis, quæ in compositionem vnius massæ, aut pastillæ, opere pigmentarij miscebantur; cuius odor erat omnibus excellentissimus. Multa ibi refert Spiritus sanctus, propter quæ tali encomio rex ille erat dignus, signanter autem, quoniam *tulit abominationes impietatis, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem*. Hoc autem ideo dicit, quoniam Iosias non solum abstulit idola, & simulachra, & demolitus est altaria idolorum, & Dei cultum restaurauit, sed etiam propter Dei legem, quam renouauit. Erat hæc obliterata, & liber legis erat in tẽplo puluere totus oppletus, *reliquerunt enim legem altissimi reges Iuda, & cõptemserũt timorem Dei*. Eius autẽ pietate in Deum puluis excussus est, & liber legis suo nitori restitutus, Dei etiam leges, quæ in illo erant, ita promulgatæ, ac si de nouo proponerentur, id quod latè sacra Regũ, & Paralipomenon narrat historia. Iosiam verò expressum Christi typum tenuisse, multis rationibus petere potest: primò, ex eo quod notat B. Augustinus, hunc regẽ tantæ fuisse excellẽtiæ, vt per tres annorum centurias, antequam conciperetur, & nasceretur fuerit per Prophetã regnum eius prædictum, & nomen, expressum, vt sacra Regũ narrat scriptura. Deinde, qa Iosias, vt obseruat Hieronymus, interpretatur, Eleuatio Domini, fuitq; filius Amõ, quod nomẽ interpretatur fides, quasi dicas: filius fidei. Est autem Christus Dominus is, quem multis anteasæculis prædixerunt prophetæ, qui omnes *pranuntiauerunt de aduentu iusti*, in quo natura humana eleuata est ad esse filij Dei, homo ita eleuatus dicitur, vt peruenerit per gratiam vnionis, ad æqualitatem paternæ gloriæ, qua de causa dixit propheta, quod *ad antiquum dierum peruenit*. Estque filius fidei, quia non ex operibus hominum processit in mundũ; sed ex fide, quæ diuinis promissionibus nitebatur. *Ideo ex fide*, inquit Apostolus, *vt secundum gratiam firma sit promissio*. Huius memoria tam odorifera est, vt vel solum *eius nomen, sit vnguentum effusum*, animas ad sui dilectionem trahens. Multa hic diuinus Iosias fecit, summa commendatione digna, signanter tamen quod

Exo. 30. 34

Eccl. 49. cit.

4. Reg. 22. Par. 34.

Lib. 17. de ciuit. c. 14.

3. Reg. 13. in c. 1. Sophon. in pr.

Actor. 7. 52

Dan. 9. 13.

ad Rõ. 4. 16

Cant. 1. 2.

Eccl. 49. 1.

legem

¶ 32. *Eccles. 49. cit.*

legem Dei renouauit, & corroborauit: Erat diuina lex quasi obliterata, & puluere affectus terreni obuoluta, impiæque traditiones Pharisæorum pullulauerant, *reliquerunt enim legem altissimi & contempserunt timorem Dei*: legem de parentum honore, iritam fecerant; præceptum de non concupiscendo, de non irascendo, &c. euacuauerat: signanter autem præceptum dilectionis iacebat puluere proprij affectus oppletum, vt non nisi ad amicum illud pertinere appareret. Librum ergo legis puluere purgat, illum excutit, & *corroborat pietatem*, id est, in pristinum robur renouat, & quasi de nouo illud promulgans, dicit: *Ego autem dico vobis, &c.* Quando Deus in mundi exordio creauit hominem, simul in eius mente, & corde scripsit præcepta legis naturalis, vt egregiè docet Spiritus sanctus: *Deus de terra creauit hominem, &c. creauit ex ipso adiutorium simile sibi, &c. creauit in illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis.* Scientiam spiritus vocat diuinam legem, per quam bona facienda, & mala vitanda cognosceret, de qua Dauids *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De hac lege in cordibus hominum scripta, dixit Paulus: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, &c.* Quia tamen hæc lex, inquit Diuus Thomas, obscurata fuit propter peccatum (calor enim concupiscentiæ vapores excitauit, qui rationis lucem obscurarent) idcirco necessarium fuit, vt Deus apertè, & manifestè externis oculis eandē legem exhiberet, sicut reuera exhibuit scriptam in tabulis lapideis, quā nulla deleret obliuio, nulla consuetudo antiquaret. Et hoc est, vt explicuit Diuus Thomas, quod ibidem subditur: *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit eos, testamentum æternum constituit cum illis.* De lege antiqua loquitur, quam addidit ad legem naturalem, Hanc primò scripsit interius in cordibus, sed quoniam ita fuit in aliquibus obscurata, & corrupta, vt existimarēt esse bona, quę naturaliter sunt mala, et talis corruptio correctione indigebat, addit legē, exterius in tabulis lapideis scriptam, in æternum seruandam. Antiqua .n. lex, quoad decem præcepta, æterna erat. Hanc legē non dedit in occulto, sed publice in mōte Sina, viderūt enim Deum magnificè apparentem in igne, cum tonitru, & fulgure, & voce tubæ, & audierūt eum ex igne sua voce loquentem, & decē præcepta promulgantem. *Magnalia*, inquit, *honoris eius vidit oculus illorum & honorē vocis audierūt aures eorum.* Nō in abdito, aut in abscondito, aut in secreto legē tulit, sed publice præcedēte ignis lucida flāma, & ingentibus tonitruis, & fulminibus, eo modo quo leges promulgantur cū tubis, & tympanis, *contrompetas & y atables.* Et quoniam, vt inquit D. Th. præcipuè lex obscurata erat, quoad præcepta in ordine ad diligendū proximū, ea fuerunt clarissimè exprimenda: *Dixit enim illis: Attendite ab omni iniquo*: quia maior pars præceptorum erat ad prohibendum, & vetandū, quod iniquum est. Signanter autē, *mandauit illis vnicuique de proximo suo*: id est, præcipuum mandatum fuit, de dilectione, qua vnusquisq; proximū suum diligere debet. Hæc quidē lex clara fuit, & tam perspicua, vt diceret Dauid: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: nec enim clarius sol oculos illustrat, quam lex Domini, hominum mētes. Iterum tamen fuit obscurata propter carnalem affectum hominū, signāter Scribarū, & Pharisæorū, qui dicebant, proximi nomine, solummodo esse intelligendū amicū. Vnde, & necessarium fuit iterū clarius sub expressioribus verbis eandem renouari, & corroborari. Hocq; est meo iudicio, quod ibidem ad finem capitis subditur, quasi respondere volens ad obiectionem, quæ fieri poterat: Quomodo possibile fuit, legem tam perspicuam, claram, & manifestam obscurari? quomodo potuit, quod tam clarè dictum fuit reuocari in dubium? *Quid*, inquit, *lucidius sole? & hic deficiet. Quid nequius, quā quod excogitauit caro, & sanguis? & hos arguitur.* Quasi dicat: Lucidissimus quidem est sol, clarissimaq; in se luce fulget, obscuratur tamen propter nebulas, & vapores insurgētes, & eclipsim

Eccl. 17. ci.

1.2.q.100. art. 5. ad 1.

¶ 33.

Psal. 18. 9.

Eccles. 17. 30. cit.

Psal. 4. 6.

ad Rō. 2. 14

1.2.q.100. art. 5. ad 1.

1.2.q.94. art. 5. ad 1.

Eccl. 17.

pſim patitur, propterea quod luna interponitur inter illum, & aſpectũ noſtrum, ita lex Domini lucidiſſima, perſpicuaque eſt: cæterum propter motus rationeſque ſenſualitatis, quas excogitat caro, & ſanguis, & interpoſitionem affectus carnalis, obſcuratur, & obtenebratur. Quamuis enim clariſſimè Deus prohibuerit concupiſcẽtiam rei, & vxoris alienæ, & compreſſerit affectum internum iracundiæ, & odij, tamen propter rationes à carne, & ſanguine procedentes ad hoc fuit deuentum, vt dicerent, tantum prohibita eſſe per legem, opera adulterij, & homicidij, non autem internos affectus concupiſcentiæ, iræ, & odij: & tantummodo diligendos amicos, inimicos vero odio habendos: ideo oportebat hęc argui, & reprobari, *& hoc*, inquit, *arguitur*. Id nunc præſtat Chriſtus, arguens, reprobanſque depranatum ſenſum, ſecundum quem legem promulgatam eſſe dicebant, & legem corroborans, nouumque robur, & firmitatem ei tribuens: *Ego*, inquit, *dico vobis: Diligite inimicos veſtros.*

§. 4. *Legem Dei contraria conſuetudo non abrogat, ideo præceptum dilectionis inimici, perpetuò ſtat, non obſtante, vſu in contrarium, propter quem ſingulariter Hiſpani deſcribuntur damnati, apud Ezechielem.*

¶ 34. Diuina præcepta non poſſunt per contrariam conſuetudinem abrogari, aut per interpretationes hominum ſecundum carnem, & ſanguinem procedentium modificari. Hoc liquidem ab humanis differunt, vt annotauit ex profeſſo Diuus Thomas, quod lex humana per contrariam conſuetudinem poteſt abrogari; præualet enim contra eam conſuetudinis potentia, etiam ſi ab illicitis actibus ſumpſerit initium, vt ibidem ex eodem D. Thoma Caietanus docet: Lex autem diuina non poteſt per quamcunque contrariam inueteratamque hominũ conſuetudinem abrogari: non enim hominum conſuetudo, poteſt eſſe potentior diuina authoritate. Et certè, vt egregiè expendit Chryſoſtomus, nullum iam diuinæ legis præceptum extaret; quoniã nihil magis conſuetum eſt apud homines, quam contra talia præcepta agere. Vnde, & Deus re attentè conſiderata, iudicium rulit apud Oſeã dicens: *Non eſt ſcientia Dei in terra, maledictũ, & mendaciũ, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerũt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Quod, & apud Ieremiam prædixerat; *Circuite per vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quarite in plateis eius, an inueniatis virum facientẽ iudicium*, id eſt, ſeruantem diſpoſitionem diuinæ legis. *Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Domini iudicium Dei ſui*, id eſt, decretum diuinæ legis: *Ibo igitur ad optimates, &c. & ecce magis hi ſimul cõfregerunt iugum, ruperunt vincula*. Expende illa verba: *magis hi ſimul*. Vide quam communis vſitataq; fuerit conſuetudo, vniuerſorum vſu recepta agere contra diuinam legem, contra quam optimates, principes, & potentes, omnes ſimul agunt. Itaq; ſi conſuetudo contraria poſſet diuinam legem abrogare, nullum iam diuinæ legis præceptum ſtaret. Tanta tamen eſt diuinæ authoritatis poteſtas, vt contra eam nulla poſſit conſuetudo præualere. Quod, & Sapiens, loco quẽ paulo ante exponebamus, annotauit. Poſtquam enim dixit, Deum impreſſiſſe legem ſuam cordibus hominum, cui etiam addidit eandem legem exterius ſcriptã in tabulis lapideis, & quod teſtamentum æternum cõſtituit, ſubdit; *Non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatem illorũ*. Vocat teſtamenta, diuinæ legis præcepta. Quantumcunque contra illam multiplicentur iniquitates, vt in conſuetudinem iam illæ tranſierint, non propterea teſtamenta, aut præcepta erunt abſconſa. Loquitur meo iudicio, alluuionem faciens ad aquas diluuij. Omnia ſiquidem nauigia, humana induſtria fabricata, per illam potentiſſimam aquarum eluuionem abſcorpa ſunt ſub aquis, & aquarum impetui ſuccubuerunt. Si enim credimus Baptiſtæ Fulgoſo, nauis reperta in Berna oppido Heluetiorum, ſub terra, ad brachia centum, intra quam erant oſſa quadragẽta hominum, ex illis erat,

1.2.q.94. art 5 & 6. & q 97 a 3

1.2.q 97. art 3.

Li. 1. de cõpunct. cor. in pri. to. 5.

Oſea. 4. 1.

Ierem. 5. 1.

Eccl. 7. 17.

Li. 1. cap. 6.

quæ

quæ tempore diluuij ſubmerſæ fuerũt, & abſcõditæ ſub aquis, imò, & ſub terra, Arca tamẽ illa, diuino ordine, & prę
¶ 35. ſcriptione ex multis lignis compacta, nullatenus potuit per immẽſam aquarum impetum, & curſum, & aquarum multiplicationem abſcondi, ſed ſemper ferebatur ſuper aquas, quia illa, vt
Lib. 15. de ciu. c. vlt. inquit S. Auguſtin. diuina prouidentia, non humana prudentia gubernabatur & dirigebatur. Humanæ leges, tanquã naues humana prudentia fabricatæ, cedunt conſuetudini, impetu fluenti, à qua abſorbentur, & abſconduntur. Mirũ eſt enim, quot, quantaſq; leges antiquas, tã eccleſiaſticas, quam ciuiles, contraria conſuetudo iam abſorptas, & abſconditas contineat. Lex autem diuina ſimilis eſt arcæ Noe, ex varijs præceptis tanquam ex varijs lignis, diuina ſapientia exciſis, leuigatis, & compactis conſtructa, cuius omnis ſtructura, & machina, ac lignorum contignatio, *terminatur ad cubitum*, quia omnia mandata, vt Apoſtolus dixit, ad vnicum dilectionis præceptum terminantur. Et benè vocatur lex Dei arca, intra quam incluſi homines tenentur eo
Rom. 13. 9. Ad Gal. 3. 23. modo, quo dixit Apoſtolus: *Sub lege cuſtodiebamur concluſi*, id eſt, conſtricti, vt Anſelmus, aut ſeruati, vt D. Thomas interpretantur, ne ad malum prorumpamus. Hæc nullis aquarum viribus cedit, omnibus aquis ſupereminet, quantumcunq; .n. adulterium, homicidium, furtum, cæteraque peccata, vt
Oſea 4. 2. a 2. Confeſ. cap. 4. b 1. 2. q. 94. art. 6. c in ſchol. in Pſal. 10. Pſ. 110. 11. dixit Propheta, inundent, *non ſunt abſconſa teſtamenta ſuper iniquitates illorum*. Lex tua, inquit Auguſtinus *a*, quem D. Thomas *b*, refert) quam nulla vnquam poteſt delere iniquitas. De illa propterea S. Baſilius *c*, illud rectum à Dauide demonſtrat: *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculi ſeculi, facta in veritate, & æquitate.* Et quidem ſi aliquod diuinum præceptũ poſſe per contrariã conſuetudinem abrogari, hoc præcipuè eſſet, de inimicorũ
Lib. 1. de compunct. in pri. 10. 5. dilectione. Vt enim proſequitur Beatus Chryſoſtomus nihil communius, aut vſitatum magis apud omnes hominum ſtatus, quàm inimico odio maledictiſque proſequi; & tam firma conſuetudine ſtatutum eſt, vt qui aliqua in iuria affectus fuerit, aliam rependat gra-

uiorẽ, vt ſapientes mundi in cõſilium ſoleãt vocari, qui tanquã per leges ſtatutas, quas duelli vocant, iudicium ferunt, ſecundum quas, non ſolum vindictam eſſe ſumendam diffiniunt, ſed, & modum, quaſi lege præſcriptũ proferunt, vt ſcilicet dicenti tibi: Mentiris, colaphũ impingas: colaphizantem autem te, baculo percutias, in impetẽtem te baculo, arundinem mittas, & arundine te proſequenti, mortem inferas. Inter omnes autem nationes magis hæc præualuit conſuetudo apud Hiſpanos, adeo vt ſi legem diuinam poſſet conſuetudo, aut vſus contrarius abrogare, iam penitus apud eos præceptum dilectionis eſſet extinctũ: hoc enim ſingulariter ei Deus tribuere vi- ¶ 36.
ſus eſt. Ad Ezechielem namq; loquens, *Ezech. 32.* præcipit, vt lugubrem cantilenam ſumat ſuper aliquas nationes, quas deſcribit, quaſi iam in inferno receptas, & ſepultas. Poſtquam autem de Aegyptijs, Aſſyrijs, Aelamitis, & alijs quibuſdam nationibus loquutus fuit, cauſam exprimens, ob quam ad infernum deducantur, de Hiſpanis ſermonem inſtituit, eos etiam oſtendens ad infernum deduci, ibique ſepeliri, & cauſam ſuæ *Li. 5. ſtrom.* damnationis egregiè quaſi ſub quodã hieroglyphico (quomodo ſæpè ſcriptura loquitur, vt S. Clemens Alexandrinus annotauit) depingit, & cauſam damnationis illorum exprimit. *Ibi*, inquit, *Moſoch, & Thubal, & omnis multitudo eius in circuitu eius, ſepulchra eius, qui deſcenderunt ad infernum, cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis, & fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum, quia terror fortium facti ſunt in terra viuentium*. Moſoch, & Thubal fuerunt fratres, nepotes *Gen. 10. 2.* Noe, ex filio Iaphet, cui Noe prædixerat, quod erat dilatandus, quia eius poſteri maximam orbis patrem obtinuerunt. Totam enim Europam cum maiori parte Aſiæ, & maris Mediterranei Inſulas incoluerunt. Quod, & Moyſes expreſſit dicens: *Ab his diuiſa ſunt Inſulæ gentium in regionibus ſuis*, &c. Inſulas vocat, terras, aut regiones, quomodo in Eccleſiaſtico: *Gen. 10. 5.* *Plantauit Dominus in illa inſulas*. Et *Eccl. 43. 23.* quidem Moſoch, prouinciam Cappadociæ fundauit, vt perpetuò S. Hie-

rony-

a *Lib.qq. in Gen. & in c.27. & 58. Ezech. & alibi sæpè.*
b *Lib.5.de Antioch. c.10.*
c *1.Antiq. cap.6.*
d *Lib.9. demonst. Euāg. c.3.*
e *In qq. Hebraic. in Gen. & in c.27.& 38 Ezechi*
f *Li.5.Antiq.c.12.*
g *In ca.32 Ezech.*

ronymus *a* contendit, quamuis alij Moschouiam potius ab eo fundatam credant; de quibus egregiè Maluenda *b* noster. Thubal autem cum filijs suis ad Hispaniam incolendam, & habitandam se contulit: qua de causa nomine Thubal, Hispanos communiter intelligũt authores, Iosephus *c*, Eusebius *d*, Hieronymus *e*, alijq; innumeri, quos idem noster Maluenda *f* refert. Thubal itaque Hispaniam primus incoluit, & condidit anno centesimo quadragesimo post diluuium, ante Troiam conditam anno sexcentesimo trigesimo septimo; & ante Christi aduentum, anno bis millesimo centesimo septuagesimoquarto, vt ex Hieronymo, & Eusebio, Pintus *g* refert. Ideoque Hispaniam sæpè Scriptura sacra conditoris sui nomine vocat Thubal, sicuti & Cappadociam, aut Moscouiam vocat Mosoch. Et ideò coniungit Deus apud Ezechielem Hispanos cum Cappadocibus aut Moschouitis, quia hæ prouinciæ ab illis duobus fratribus Mosoch, & Tubal conditæ fuerunt, quæ & similes mores habere videntur. De Hispanis ergo peculiariter hoc loco Deum loqui, multi senserũt authores, imò & id tanquam certum supponunt Theodoretus, Lyranus, Burgensis, & alij. Hi itaque describuntur in inferno sepulti, *& sepulchra eorum in circuitu eius*, quoniam etsi quamplurimi ex Hispanis egregia sanctitate fulgeant, & eorum ingens ac innumera multitudo in cœlo sit recepta, vt innumerabiles, fortissimique Martyres, Pontifices excellentissimi, fulgentissimi Doctores, Virgines splendidissimæ, quas colimus, testantur; sed eorum multi in inferno sepeliuntur. Quamuis autem id propter varia peccata accidat, sed quasi propriam iniquitatem eorum voluit Deus describere. Multos ibi depingit ad infernum ductos, & ibi sepultos propter ignominiosa peccata, auaritiæ videlicet aut ebrietatis, de quibus ait: *Et portauerunt ignominiam suam*: alios propterea quòd fuerunt timidi, & effœminati, de quibus ait: *Et portauerunt confusionem suam*, &c. Sed Iberes, inquit Theodoretus, id est, Hispanos cur deducantur, declarat subdens: *Iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viuentium*. Hæc iniquitas Hispanorum, superbia in eorum ossibus, & medullis inclusa, qui volunt ab omnibus nationibus timeri, & quod illis reuerentiam exhibeant vniuersi, qui honoris causam omnibus alijs anteponunt; & eo ipso quo quis eos offendit, ad arma manus conuertunt, tantaque temeritate tenentur: vt omnibus terrorem incutere velint, non solùm tenuibus, inquit Theodoretus, sed ijs quoque qui potentia, & robore gloriantur. Idcircò dicuntur descendere ad infernum cum armis suis, & quod *posuerunt gladios sub capitibus suis*. Depingitur à Deo vnusquisque in inferno sepultus sub peculiari figura, vt quasi quodam hieroglyphico damnationis cuiusque causam exprimat. Quidam ibi habebant ignominiam sub capitibus suis, qui videlicet cedentes passionibus ignominiæ, ignominiosis vitijs se ipsos tradiderunt: alij exprimuntur, timentes & trementes: quia eorum peccata fuerunt ex infirmitate, & mollitie procedentia. Hispani tamen depinguntur in sepulchris inferni iacentes, habentes gladios sub capitibus suis, id est, vt ait Hieronymus, requiescentes in animo perduelli: quia hoc eorum est peculiare peccatum, gladio contra offendentes, & iniuriam inferentes vti, duelli leges habentes in mente. Quantumcunque ergo in vsum Hispani aut aliæ nationes duxerint, odio & vltione prosequi inimicos; intelligant diuinam legem nulla posse contraria consuetudine abrogari; quam propterea quasi de nouo Christus promulgat, & renouat, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos*, &c. Accensam lucem, cursu temporis fauillæ ex terreno lychno procedentes, vehementer obscurant, & deficiente oleo, lampas quæ fulgentissima erat, extingui iam penitus videtur. Is cuius interest, lucem conseruare, fauillam excutit, lucemque exhibet purgatam, & oleum lampadi subminiſtrat, quam quasi de nouo splendenti fulgore reddit illustrem. Ita se habet Christus Dominus. Erat siquidem lucerna diuinæ legis accensa à Deo, à quo talis lex

In cap.32. Ezech.

¶ 37.

Ezech.32. 24.
Ezech.32. 30.
Sect.12. in Ezech. cir. finem.

In cap.38. Ezechiel.

tanquam diuina lux, in corda hominũ profecta est, dicente Dauid: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hanc, vt rectè incederet idem Dauid, *Psal. 118. 105.* secum ferebat dicens: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lux semitis meis:* sed successu temporis grandem fauillam ex terrea lychni materia, id est, ex corrupta humana natura lex ista contraxerat, & obscurata fuerat. Tradidit similiter Deus lampadem diuini præcepti, fulgidam quidem, sed quæ deficiente charitatis oleo, extincta penitus videbatur. Christus Dominus, cuius interest *illuminare omnem hominem, qui venit in hunc mundum,* huius lucis fauillam purgat & excutit, oleumq; lampadi infundit, quo lucem fulgentissimam oculis nostris exhibeat, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.*

TERTIA PARS,

DE SVBSTANTIA PRÆCEPTI DILECTIONIS INIMICI.

§. 1. *Charitas ita necessaria est, vt qui illa caret, etiam si cæteris abundet virtutum actibus, nihil sit apud Paulum, & ædificet absque temperamento apud Ezechielem.*

¶ 38. EGO *autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro persequẽtibus, & calumnijantibus vos.* Tertiũ, quod proposuimus, Christus exequitur. Proposuit ille vas argẽteum diuinæ legis, propter Scribarum & Pharisæorum impuram malitiam ingenti scoria, & immunditia fœdatum, imò & quasi confractum, illud propterea cœlestis argentarius, quasi ad conflatorium sui diuini cordis reuocans, inde tanquam nouiter igne ardentissimæ suæ charitatis conflarum, omniq; sorde purgatum, profert, declarans; præceptum dilectionis proximi, non tantùm ad amicos, sed ad inimicos debere extẽdi; & quod eos tenemur diligere, eis benefacere, & pro illis orare. Proponit ergo præceptum clarũ, lucidum, & quod nulla falsa interpretatione possit vltra quis adulterare, exprimens tria, quæ agere tenemur: diligere inimicum; benefacere illi, & orare pro illo. *Luæ 6.* Apud Lucam alia addit, de quibus infra dicemus; sed de his tribus omnia voluit comprehendere, & statuere, quod rectè nos habeamus erga inimicum, corde, ore, & opere: corde per dilectionem, ore per orationem, opere per beneficentiam. Quia aut amor, seu dilectio radix est eorũ, quæ agimus (est enim, vt dicebat Augustinus, amor meus pondus meum, ab illo feror quocumque feror) primò vult eam in corde radicari, & illam primo loco decernit, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros,* Hoc igitur primò vult docere, omnem hominem teneri diligere inimicos suos. Hoc enim est præceptum diuinũ, quod obligat de necessitate salutis, vt D. Thomas ex his verbis Christi demonstrat. Et quantum existimo, hoc assumpsit probandum summus ille Theologus in tertij cæli schola edoctus, & laurea magisterij insignitus, & hoc credo fuisse illius institutum, ad Corinthios scribentis, vbi vt D. Thom. expendit, illud tanquam certissimum firmissimumque statuit fundamentum, charitatem ita esse necessariam, & in

Lib. 11. de ciuit. c. 28.

2. 2. q. 25. art. 8.

1. Cor. 13. Lect. 1. & 2. in illud caput.

præ-

præcepto, vt ſine illa nulli poſſit patere ſalus, ſine qua nec ipſa diuina dona poſſunt ad ſalutem proficere. Hoc vt demonſtret, illam ſupponit celebrem propoſitionem, qua tanquam cœleſtis tuba reſonat, dicens; *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Hæc verba expendens B. Gregorius *a*, & S. Bernardus *b* indicant, alluſionem fieri ab Apoſtolo, ad illum ignem ſanctum, è cœlo delapſum, ſine cuius ardore nullum quantumcunque excellens ſacrificium aut holocauſtum, Deo erat acceptum aut gratum. Hoc enim ſolum Deus ſacrificium accipit, inquit Gregorius, quod ante eius oculos in altari boni operis, flamma charitatis incendit, ſine qua, inquit Bernardus, nec martyrium quidem aliquid eſſe putat Apoſtolus. Magna profectò res eſt (inquit Auguſtinus hæc Apoſtoli verba expendens) fides montes transferens, magna itidem diſtributio omnium facultatum in pauperes, cui Chriſtus tantum tribuit, vt dixerit; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*, &c. Suprema autem videtur eſſe martyrium, nihil enim amplius fieri poteſt pro aliquo, quam vitam pro eo dare, vt ipſemet Chriſtus dixit. Hæc quidem, inquit Auguſtinus, in ſe magna ſunt, ſed ſi ego illa ſine charitate habeam, nihil mihi proſunt; adde charitatem, proſunt oia; detrahe charitatem, nihil proſunt cætera, *Nihil* inquit, *ſum*: nihil (inquit D. Thomas) ſecundum eſſe gratiæ, & meriti, de quo dicitur; *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*; quomodo, & cõtra quendam dicitur: *nihil factus es, & non eris in perpetuum*. Quantitas ergo cuiuſuis animæ (infert D. Bernard.) æſtimatur de menſura charitatis, quam habet; vt v. g. quæ multum habet charitatis, magna ſit, quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil, dicente Apoſtolo: *Si charitatem non habeam, nihil ſum.* Magna igitur, & mirabilis eſt charitas (infert Anſelmus) ſine qua nec locutio diuerſarum linguarum aliquid prodeſt nec prophetia, nec myſteriorum, & ſcientiarum notitia, nec fides, nec facultatum diſtributio, nec martyrij paſſio: & cum hæc quæ maiora ſunt, nihil ſine charitate profint, manifeſtum eſt, quia nec cætera bona prodeſſe valent ſine charitate. Rectè huic inſtituto quadrant illa diuina verba, quæ Deus dixit: *Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit paries: erit enim imber inundãs, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes*, &c. Quantuncunque quis lapides prægrandes, expoliteſque congerat, & ex eis parietem extruat, ſi illi aridi ſint, neque adhibeatur temperatura, qua inter ſe vniãtur, & ad inuicem conglutinentur, & copulẽtur, adueniente imbre, aut tempeſtate, vel terræmotu, cadent lapides, nec aliquid proderunt ei, qui ex eis parietẽ conſtruxerat. Opera bona in Scriptura ſacra vocantur lapides, ex quibus ſpiritualis vitæ paries extruendus eſt. Quantumcunque hi magni ſint, & prægrandes, ſi non vniuntur, & colligentur temperatura charitatis (quæ nectit, & colligat nos cum Deo, facitque vnum cum eo, & cũ proximo, omneſq; virtutũ actus nectit, & copulat, in ordine ad vnũ finem, Deum ſcilicet qua de cauſa ab Apoſtolo vocatur, *vinculum perfectionis*) caſurus certè eſt paries, adueniente morte tanquam terræmotu, & tempeſtate: tunc enim tales actus inuenientur ſine fructu, & omnia bona, inquit Anſelmus, quæ ſi adfuiſſet charitas, extitiſſent clara, & vtilia, inuenientur deficiente charitate, vilia, ac inutilia. Vnde quantumcunque quis angelorum lingua prædicet, & euangelizet, & tam valida fide polleat, vt per eam montes transferat, & omnes facultates ſuas pauperibus diſtribuat, imò, & ſeipſum acri martyrio tradat; ſi deſit charitas, nihil proderunt ad æternæ vitæ præmium recipiendum. Hoc egregiè demonſtrat B. Auguſtinus,

¶ 39.

in 1. Cor. 15.

Ezech. 13. 11.

Ad Coloſ. 3. 14.

in 1. Cor. 13.

a Hom. 35 in Euãg.
b Epiſt. 7. ad Adam monachũ.
Serm. 50. de verbis Dom. c. 2. & 3.
Matth. 19 21.
in 1. Cor. 13.
Eph. 2. 10.
Ezech. 27. 19.
Ser. 27. in Cant. ante finem.

Ser. 50. de ver. Dom. Mat. 7. 22

nus ex verbis Christi Domini, quæ in hoc sermone in monte dixit: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus.* Verè enim sunt multi, inquit Augustinus, qui quasi linguis Angelorum loquuntur, sacramenta, & mysteria diuina explicantes, fidemque habuerunt validam ad miracula facienda, expellendos dæmones, virtutes admirandas agendas (hoc enim nomine, *Virtutes multas fecimus*, innumera admiranda que clauduntur) nec ille respondebit, inquit Augustinus, Non feciſtis: siquidem in conspectu tanti iudicis non audebunt mentiri, aut iactare quæ non fecerunt: quia tamen charitatem non habuerunt, respondebit illis: *Nescio vos*, sicut, & virginibus fatuis, quibus oleum defuit charitatis; quibus propterea nec virginitas ipsa aliquid profuit. *Tunc*, inquit, *confitebor illis, quia non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis.* Quomodo eos vocat operarios iniquitatis, quos audit dicentes: *In nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus*: hæc siquidem non sunt opera iniquitatis. Quia tam arctum, necessariumque est charitatis opus, vt qui ab eo deficit, quantumcunq; alia multa bona operetur, dicitur operarius iniquitatis: cui alia bona opera non proficiunt ad meritum aut iustitiam, & violatio charitatis sufficit, vt absolutè, & pleno ore operarius iniquitatis vocetur. *Non noui vos*, inquit. Non ait: Non noui opera vestra, quæ proponitis, quia fides montes transferens, prophetia, interpretatio sermonum, operatio virtutũ, &c. non possunt non esse non nota, & probata ei, qui talium operum est author: vnde nec Apostolus dixit, vt obseruauit Augustinus; fidem, prophetiam, scientiam, &c. nihil esse, sed quod si ego sine charitate hæc operer, non illa, sed ego nihil sum, nihil mihi prosunt, quem talia opera sine charitate non faciunt iustum, & charitatis violatio sola sufficit facere operarium iniquitatis. Hinc S. Augustinus expendit tria. Primũ est, rectè Ioannẽ, qui eximius doctor in schola charitatis fuit, ex sola charitate discreuisse filios Dei à filijs diaboli. *In hoc*, inquit, *manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Dilectio sola, inquit Augustin. discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis; respondeant omnes, Amen, baptizentur omnes; intrent omnes Ecclesiam, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei à filij Diaboli nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo, qui non habent charitatem, non nati sunt ex Deo. Magnum indicium, magna discretio. Quicquid vis habe: hoc solum non habens, nihil tibi prodest. Alia si non habes, charitatẽ habe, & implesti legem: *Qui enim diligit proximum, legem implet* ait Apostolus, & *plenitudo legis est dilectio.* Puto, istam margaritam esse illam, pro qua homo negotiator describitur in Euangelio, qui inuenit vnam margaritã, & vendidit omnia quæ habebat, & emit eam. Hæc est margarita pretiosa, charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi, &c. Explicat secundò, cur idem Apostolus Ioannes vnicum tantùm cognoscere videatur peccatum, propter quod homo absolutè vocari possit iniustus, violatio scilicet charitatis. *Omnis*, inquit, *qui non est iustus, non est à Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Coniunctio. *Et*, idem valet, ac, id est, vt secunda pars sententiæ, fit explicatio primæ: quasi velit dicere: *Qui non est iustus, non est à Deo*, id est, non est filius à Deo natus. Et si quæras: Quis est iste? subdit *Qui non diligit fratrem suum.* Quibus verbis indicat Ioannes, ex solius charitatis defectu aliquem iniustum absolutè dici, quia quantumcunque quis alia virtutum opera faciat, si solam violet charitatem, non propter illa dicetur iustus, sed propter huius violationem absolutè iniustus vocabitur. Qui nihilominus, inquit Augustinus, propter nullam rem dicetur iniustus, si veram charitatem teneat, & seruet. Ex eodem insuper principio ostendit, cur idem Ioannes vnicum tantùm præceptum agnoscere videatur, scilicet charitatis, quod vocat, *omnia mandata.* Loquens enim de illis, qui hoc præceptum seruant, subdit: *Omnia eius mãdata seruamus.* Quid est omnia mandata? inquit Augustinus certè

1. Ioã. 3. 10

Rom. 13. 8.

Matth. 13 46.

In 1. cano. Ioã. trac. 5.

1. Ioan. 3. 11.

Serm. 32. de verbis Dom. c. 2.

In 1. cano. Ioã. trac. 5

q. 40. In 1. cano. Ioã. tract. 5.

1. Ioan. 3. 24.

certè præceptum charitatis, quia verè omnia mandata seruat ille, qui præceptum dilectionis adimplet. Alia si non habeas, inquit Augustinus, charitatem habe, & implesti legem. Quod non obscurè dixerat Paulus: *Qui diligit proximum, legem implenit; Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Ex his omnibus manifestum est, summum præceptum diuinæ legis, esse de charitate. Quæ omnia egregiè complexus est idem Augustinus. Oportet vos scire, fratres, quia in omnibus præceptis Dei, charitas obtinet principatum, sine cuius perfectione, Deo nihil placere posse, Paulus Apostolus testatur: qui nec martyrium, nec seculi contemptum, nec eleemosynarum largitionem, sine charitatis officio quicquam proficere posse, ostendit. Vnde, & ipse Dominus à quodam scriba interrogatus: quod esset mandatum maximum, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Addidit quoque: *Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Hæc ergo totius ædificij basis est, ac fundamentum, quodque necessariò supponendum est, vt cætera stare possint. Ex his explicat Diuus Thomas, cur præceptum charitatis aut dilectionis, non ponatur inter præcepta decalogi, quæ indicantur suprema; vtpote ipsiusmet Dei digito scripta. Quamuis enim vulgariter dici soleat, primum mandatum inter decem esse, Diligere Deum super omnia; verè tamen, primum mandatum illud est: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos*, vt Diuus Thomas demonstrat. Ratio autem hæc est, quam ipse tradidit, quia præceptum dilectionis supponendum est ad omnia decalogi præcepta, tanquam fundamentum, & radix, à quo cætera pendent, & tanquam finis, ad quem cætera ordinantur: & in quo cætera includuntur. Sicuti nec præceptum fidei ponitur explicitè in decalogo, quia fides præambula debet esse ad omnia decalogi præcepta, vt idem Diuus Thomas *a*, ostendit; quod similiter de spe etiam demonstrat *b*. Præcepta ergo trium virtutum theologicarum supponenda sunt tanquam fundamenta præceptorum decalogi. Inter has autem virtutes theologicas, præstat charitas, vt dixit Apostolus. Rectè igitur Christus Dominus dixit, supremum omnium mandatorum, à quo lex omnis pendet, esse præceptum dilectionis. Hæc quidem verissima sunt, sed (vt Bannes noster eruditissimus, prudenter aduertit) quia tempora sunt periculosa, attendat Doctor Theologus, non esse decens coram rudi vulgarique populo, ea quæ supra diximus, nuda proponere: audiens enim quod sola charitas sufficit, & quod solum est ille iniustus, qui charitatem violat; credet non esse necessaria exercitia, aliarum virtutum, & pœnitentiæ, & ieiunij, &c. & opera contra alia præcepta, non esse peccata. Poterit propterea rem totam explicare ex Doctrina Diui Thomæ, quam sequuntur Theologi; secundum quam dicendum est, rectè Apostolum dixisse, nulla virtutum opera, nec fidei transferentis montes, nec eleemosynæ largientis cunctam substantiam, imò nec martyrij, prodesse ad æternæ vitæ meritum, sine charitate. Nulla siquidem opera sunt meritoria coram Deo, nisi quæ propter Deum ipsum fiunt. Imò nec coram quouis homine, aliquis aliquid meretur, nisi in eo, quod propter ipsum operatur. Nec enim aliquis meretur apud te aliquid, nisi in eo, quod facit propter te. Charitas autem est, quæ respicit Deum tanquam vltimum finem, cuius propterea opus proprium est, omnia ad Deum tanquam ad vltimum finem referre: illa siquidem est, quæ efficit, vt ieiunium, oratio, eleemosyna, martyrium, & cætera, propter Dei amorem fiant. Hac de causa vocatur à Beato Ambrosio *c*, (vt refert, & explicat Diuus Thomas *d*,) forma virtutum omnium: tunc enim dicuntur actus virtutum formati, cùm sunt rectè in ordine ad vltimum finem

In 1. cano. Ioan. tra. 5 — *Rom. 13. 8.*

¶ 41. — *Ser. 53. de temp.* — *1. Cor. 13.* — *Mat. 12. 37*

1. 2. q. 100 art. 4. ad 1. — *2. 2. q. 44. art. 1. ad 3* — *1. 2 q. 100. art. 4. & 5.*

a 1. 2. q. 100 art. 4. ad 1. et 2. 2. q. 16 art. 1. — *b* 2. 2. q. 22 art. 1. — 1. Cor. 13. — 2. 2. qu. 23. art. vlt. — 2. 2. q. 23. art. 7. 8. — ¶ 42.

c Lib. 2. in Lucam. — *d* 2. 2. q. 23. art. 8.

disposiți, & directi. Propter eandem rationem, vt Diuus Thomas expendit, vocatur eadem charitas ab Apostolo: radix, & fundamentum. *In charitate*, ait, *radicati, & fundati*: quia ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes virtutes, & ab ea diriguntur, vimque, & valorem recipiunt. Hæc ergo sit ratio perspicua, & clara. Nulla opera quantumcumq; secundum suam speciem excellentia, sunt meritoria vitæ æternæ apud Deum, nisi quæ verè propter ipsum fiunt; qui autem charitatem non habet, quantumcunque excellentia opera faciat, illa non operatur propter Deum ipsum, quoniam deest charitas, cuius proprium est, ea quæ fiunt, in Deum, propter Deum ipsum referre. Quod si dicas, fidem potius esse, cui conuenit esse fundamentum, & radicem, sine qua, vt dixit Apostolus, *Impossibile est placere Deo*, quam, & propterea fundamentum vocat, dicens: *Fides est substantia*, id est, fundamentum *sperandarum rerum*. Vnde, & in sacro Concilio Tridentino dicitur fides, radix, & fundamentum humanæ salutis, & iustificationis Respondebo vtrumq; verum esse. Duo siquidem sunt absolutè necessaria, vt quis aliquem finem consequatur; primum, vt illum cognoscat, & in mente habeat; nemo enim appetere potest rem aliquam, quam penitus ignorat, quia vt commune ex philosophia ait axioma, Omne volitum, est præcognitum. Secundum vt ad illum moueatur, & eius amore, ea omnia agat, & exequatur, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria. Hocque est, quod dicunt Philosophi, ex amore finis omnia fieri. Est quidem Deus vltimus finis noster, in cuius consecutione sita est nostra beatitudo: ideo duo sunt absolutè necessaria; primum est cognitio illius: hanc præstat fides, de qua propterea dixit Apostolus: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quia remunerator est*. Et ex hac parte vocat fidem fundamentum rerum sperandarum: non enim sperare possemus, quæ non cognoscimus, aut credimus. Secundum est, motus in illum finem, & tendentia ad illum, & directio omnium operum in illum. Hæc omnia sunt à charitate, cuius est illum finem amare, & omnia ad illius consecutionem ordinare. Ex hac parte vocatur charitas, totius meriti radix, & fundamentum. Sed de ijs videndi sunt Theologi cum D. Thoma, qui multa ad hoc institutum tradunt.

Ibid. ad 2. *Ad Eph. 3. 17.* *Ad Heb. 11. 6.* *Ad Heb. 11. 1.* *Sess. 6. c. 8.* *Ad Hebr. 11. 6.* *2. 2. q. 23. art. 7. & 8.*

§. 2. *Vera charitas inimicum diligit, est enim ignis in aqua, & gelu ardens, instar lampadum Sponsæ, ignis Eliæ, & eius, quem pluere consueuit Dominus.*

¶ 43. RECtè igitur Apostolus charitatis necessitatem, & vtilitatem explicauit, sine qua suprema, & eximia dona, inutilia ad vitæ æternæ meritum sunt, cum qua ét exigua bona redduntur immensi, ac infiniti pretij: vt meritò hæc expendens Augustinus exclamauerit: Quale bonum est charitas ista fratres? Quid preciosius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quid securius? Postquam autem Apostolus, hanc quam diximus, charitatis necessitatem, & vtilitatẽ, statuit, quasi cõsiderans nos solicitos, qui ad hanc pretiosam margaritam comparandam sumus excitati, & quasi audiret nos interrogantes, & quærentes, vt tantum bonum nobis describeret, quo vel leuiter coniectare possemus, an illud adepti fuerimus: depingere cœpit, inquit Chrysostomus, immensam eius pulchritudinem, tanquam quibusdam coloribus, virtutis partibus, eius exornans imaginem, & omnia eius membra exactissimè componens. Et ne leuiter, inquit, percurras ea, quæ dicuntur ô dilecte, sed vnumquodque eorum examina diligentissimè, vt & rei videas thesaurum, & artem pictoris. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Considera, inquit Chrysostomus, vndenam inceperit, & quidnam primum posuerit. Quid hoc est? *Charitas patiens est*. Facit hominem lenem, & patientem. Lenis, inquit, & patiens græcè dicitur, macrothymos, id est, longanimis, quod longã, & magnam quandam habeat

Ser. 50. de verb. dom. cap 3. *Hom. 33. in 1. ad Cor.* *1. Cor. 13. 4.*

habeat animam: nam quod longum est, dicitur etiam magnum. Hoc primò operatur charitas, cor facere magnum, & animum extendere. Habet homo ex natura sua cor angustum, in quo tantùm capit, quæ sibi iudicat vtilia, disrumpitur autem, inquit Chrysostomus, si aduenient aduersa, & statim odium, maledicta, iram vindictamque eructat. Charitas autem illud facit magnum tanquam mare, in quod etiam si innumera grandiaque flumina influant, non redundat, sed ea omnia capiens, non per effluit. Amplum, inquit Bernardus, facit charitas sinum cordis, vt mala ab alijs illata, æquanimiter toleret, & quod tam magnum facit, vt Deum ipsum capiat, dilatat etiam, vt, & proximum quantumcunque contra nos agentem, recipiat. *Patiens est*, id est, longanimis, inquit Chrysostomus, quia facit hominem longanimem. Apud Hebræos dicitur longanimis quasi longus naribus, quod epitheton est illius, qui inuictam tenet patientiam, metaphora sumpta ab eo, quod hominem impatientem, & ad iracundiam pronum, solemus dicere, quod strictis est naribus. Ira enim maximè ostenditur in respiratione per nares, quando tanta est; vt nares eam capere non posse videantur. Idcirco hoc proprium est epitheton Dei, qui in Scriptura sacra frequentissimè vocatur longanimis, id est, longus naribus. Quando Moyses eum vidit, clamare cepit: *Dominator Domine Deus, misericors clemens, patiens*: In Hebræo, vt annotat Lippomanus, quod nos dicimus *patiens* est, *Erech appaim*, id est, longus naribus, seu tardus ad iram, vel leni animo, quod nihil aliud est, quam patiens, qui Græcè dicitur macrothymos. *Longanimis*, inquit Dauid, *& multum misericors*. Ingentes siquidem, quas contra eum offensas agimus, ita æquanimiter tolerat; *vt solem suum oriri faciat super inimicos suos, & super eosdem mittat* pluuiam, qui de seipso dicit; *Tacui, semper silui patiens fui*: & iterum: *Ego tanquam, & quasi non videns*. Tam patiens est Deus, & ita æquanimiter offensas tolerat; vt occasionem inde acceperint impij, credendi, & dicendi, quod non videret, aut sciret, aut saltem non attenderet, quæ contra ipsum fiunt. Ita affirmabant illi septuaginta viri de senioribus Israel, qui reptilibus, & animalibus sacrificabant: *Non videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram*. Qua de causa Dauid excitabat eum, vt non tanta patientia se contineret: *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? &c. populum tuum humiliauerunt, &c. viduas, & aduenas interfecerunt, &c. & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Dicitur igitur Deus patiens, & longanimis, quia dissimulat peccata hominum, nolens aliquos perire, sed ad pœnitentiam adducere: multoque melius id agit, quod Saul, quãdo filij Belial eum despexerunt, & nolentes munera tanquam Regi legitimo afferre, multa opprobria contra eum sparserunt: *ille verò dissimulabat se audire*. Quoniam ergo charitas est quædam diuina qualitas, hanc diuinam tribuit proprietatem illi, qui eam habet: facit enim, vt patiens sit, & longanimis, æquanimiter ferens, quæ contra se fieri videt. Talis ille erat, qui dicebat *Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, &c. ego verò orationem meam ad te Domine*. Et iterum: *Factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, &c. Et ego tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum*. Integrum egregiumque librum de patientia ediderunt sancti Patres, Cyprianus, & Augustinus, imitantes eum, quem magistrum vocabant, Tertullianum, qui elegantem de patientia librum scripserat: hocque egregiè probant, charitatem facere hominem longanimem, æquanimiter tolerantem propter Dei amorem offensas contra se factas. Si enim amor terrenus, qui concupiscentia dicitur, sufficiens est, vt homo pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum dolorumque aduersitates patienter, ferat, quantò magis id efficiet charitas, & amor Dei, quæ quasi infinitè potentior, ac validior est? Nec tantum hunc effectum charitas facit, sed alium insignem, quem exprimit egregiè Apostolus, sub-

Ibid paulo. inferius.

Ser. 35. in Cantica.

Exod. 34. 6.

In cap. 34. Exod.

Psal. 102. 8.

Esa. 24. 14
Esa. 57. 11

Ezech. 3. 10.

Psal. 93.

¶ 44.

1. Reg. 20. 27.

Psal. 68. 13.

Psal. 37. 15.

2. Cor. 12. 4.

dens: *Benigna eſt*. Conuenienter, inquit B.Gregorius *b*, cum Paulus dixiſſet; *charitas patiens eſt*, illico adiunxit, *Benigna eſt*, oſtendens, quia quos ex patientia tolerat, amare etiã ex benignitate non ceſſat: quia videlicet (inquit ipſemet) non ſufficit aduerſarios tolerare, ſed neceſſarium eſt, eos diligere: ideoque dicitur, charitas patiens, quia mala, & aduerſa æquanimiter tolerat; ſed & dicitur benigna, vt ipſos etiam, quos tolerat, amet. Patiens ergo (inquit alibi) eſt charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat; benigna verò, quia pro malis bona largiter miniſtrat. Benignitatem diſtinguit Hieronymus à bonitate, docens, benignitatem iuxta Stoicos eſſe, quæ non rugoſa, ſed ſuaui facie alijs benefacit. Eleganter Sanctus Baſilius dicit, benignitatem eam eſſe, qua quis alijs benefacit, nullam rationem meriti conſideraus in illis, ſed ſolam bonitatem benefacientis: qua de cauſa, Deus parcens peccatoribus, dicitur benignus, quia ſolum propter ſuam bonitatem, abſque aliquo illorum merito, peccata condonat, & gratiam largitur. Qua de cauſa dixit Gregorius *c*, Samuelem *d*, iure benignum appellandum, qui offenſus à Iudæis, non deſtitit orare pro illis. Egregiè tamen Diuus Thomas *e*, vim nominis ſæpe expendens, mentem Apoſtoli attigiſſe viſus eſt. Benignitas enim dicitur, quaſi bona igneitas, & benignus dicitur, quem bonus ignis amoris feruere facit, aut vt inquit S. Anſelmus *f*, qui bonum ignem piæ dulcedinis habet: ideoque charitas dicitur benigna, id eſt, benè igniens: quia bono valídoque igne amoris, cor ſuccendit, & illud liquefacit, & emollit, vt per bona opera, in eos, quos patienter tolerat, fluat, ſicut fluit cera à facie ignis. Videturque verè Apoſtolus ad illud alludere voluiſſe: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum: aqua multa non poterunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam*. Quo in loco Salomon non amore carnali, vt impij hæretici garriunt, neque de amore naturali, vt aliqui Catholici arbitrantur: ſed de amore charitatis, qui eſt ſupernaturalis, & diuinus, loquitur. Ita Diuus Ambroſius *g*, ex profeſſo, de illo amore locum interpretatur, de quo loquebatur Apoſtolus, dicens *h*: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei?* & Auguſtinus *i*, Gregorius k, & Theodoretus *l*. Nulli certè dubium eſt, apud omnes authores tam ſacros, quam prophanos, ignem, ſymbolum fuiſſe amoris. Sacerdotes Ægyptij, Amorem per ignem exprimi voluerunt, ad eius ſupremam vim, & efficacitatem exprimendam, & oſtendendam: nihil enim eſt magis actiuum, aut efficax, quam ignis, de quibus Aulus Gellius *m*, vt alios Poetas prophanoſque authores dimittamus. Apud authores autem ſacros, ſuprema Angelorum agmina, quæ potentiora ſunt, ab igne nomen acceperunt: vocantur namque Seraphim, quod ſignificat, flagrantes, accenſos, accendentes, & inflammantes, vt ex B.Dionyſio *n*, & Chryſoſtomo *o*, docent Theologi cum D.Thoma *p*. Imò, & in ſacris literis, Deus ipſe, ignis vocabulo appellatur *q*: *Deus noſter ignis conſumens eſt*, ad ipſius vim, & efficaciam demonſtrandam; & Chriſtus Dominus expreſsè, ardentem Dei amorem, ignis vocabulo expreſſit, dicens *r*: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Sub typo ergo ignis, diuinum amorem voluit Salomon exprimere, eiuſque efficacitatem declarare. Variæ autem ſunt huius loci lectiones. Quidam legunt: Carbones eius, alij Sagittæ eius, alij, Alæ eius, alij, Aues eius, alij, Scintillæ eius. In Hebræo enim habetur, vox *Reſeph*, quæ aliquando ſignificat *ſ*, prunas copioſo igne lucentes, & candentes, aliquando *t*, auem, aliquando potentias arcuum, id eſt, ſagittas *u*, &c. Vnum tamen ſenſum omnes hæ lectiones intendunt, & eandem rem magis magiſque declarant. Cùm enim audis, inquit noſter Almonazirius, lampades, carbones, flammas, ſcintillas, alas, ſagittas, vim quandam diuini amoris, intellige, quæ cor ſuccendit, in opera prorumpit, diligentiam tenet, cor vulnerat, &c. Vnde, & antiqui ſuum Cupidinem, alatũ, & cum ſagittis pingebãt: ſed de ijs alibi. Lectio quæ

b In Paſto. p.3 c.10. *Hom.35.in Euang.* *10. Moral. cap.8.* *In ca.5. ad Galat.* *De regul. breuis reſpon.* *c Hõ.5. in Ezech. 27. Mor.c.5.* *d 1.Reg 8.* *e In ca 13. 1. ad Cor. lect.2. & 1 2.q.70 ar. 3. in Cor. & in Pſal. 51.* *f In cap.4. ad Eph. ad finem.* *¶ 45. Cant.8.6.*

g Lib. de Iſaac, & ani.c.8. & in Pſ.118. ſer.16.19. *h Ro.8.35* *i In Pſ.47. & in Pſal. 121.* *k 10.Mor. cap.12.* *l In cap.8. Cant.* *m Lib.19. cap.9.* *n Lib. de cœleſti hier. ca.7.* *o Ho.3. de incõprehẽ. Dei nat.* *p p q 63. art 7. & q. 108 art 5.* *q Deut.4. 24.* *r Luc.12. 49.* *ſ Pſ 77.48* *t Iob.5.7.* *u Pſ.75.4.*

quæ optimè noſtram vulgatam declarat, eſt, quàm multi ſequuntur, iuxta Hebræum: *Carbones eius, aut pruna eius, carbones ignis flamma Domini.* Flamma Dei ſeu domini, hebraiſmus eſt, pro, flamma vehementiſſima, ſeu ardentiſſima, vt annotat Aben Ezras, ſicuti dicuntur *a Montes Dei*, id eſt, montes altiſſimi, & *b Cedri Dei*, id eſt, celſiſſimę ¶ 46. Vult ergo dicere: Eſt amor Dei, ignis, cuius flammæ vehementiſſimæ ſunt, ac ſupra modum potentiſſimæ. Sed aliquid amplius vult cœleſtis Sponſus meo iudicio declarare, dicens: flammas aut lampades charitatis, eſſe flammas ignis Domini, aut ardores ignis Domini, vel diuini. In ſcriptura ſiquidem ſacra, valdè differunt quoad efficaciam, ignis Dei, aut diuinus, aut ignis terrenus: hic enim tantùm inflammat ligna diſpoſita, nec flammam excitat, niſi ligna ſint prius arida, & præparata, qui aquæ frigiditatem non ſuſtinet, quem aqua extinguit, & conſumit, vt experientia compertum eſt: at ignis Dei, tam validus eſt, itaque inflammat, vt non ſolùm ardeat in ligno diſpoſito, ſed, & in aqua ipſa, quem aquæ nullatenus extinguere valent; quin potius eum nutriunt, & vehementius accendunt. Hoc patet in primis 3. Reg. 18. 31 in illo, celebri ſacrificio Eliæ. Conſtruxit enim ſanctus Propheta altare ex duodecim lapidibus ſaxeis, *iuxta numerum tribuum filiorum Iſrael*, ſupra quod compoſuit ligna, quibus ſuperpoſuit bouem, membratim conſciſſum, fecitque circum altare aquæ ductum; ſuper quæ omnia, iuſſit ter aquam tam abundantem effundi, quod *currebant aqua circum altare, & foſſa aqua ductus repleta eſt*: Ad preces autem Eliæ, *cecidit ignis domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Vide efficacitatem ignis Domini. *Vorauit*, inquit, *holocauſtum*, 3. Reg. 18. 38. *& ligna, & lapides.* Vorauit, inquit Abulenſis, quia non ſolùm combuſſit carnes, & ligna, redigendo in cineres, ſicut facit ignis noſter: ſed vorauit, id eſt, omnino conſumpſit, ſicut homo, qui vorat cibum, nihil illius relinquit: ita ignis iſte, ita vorauit omnia, vt nec cinerem relinqueret. Tanta fuit illius ignis efficacia, vt non ſolùm ligna, & carnes, ſed lapides illos grandes, & ſaxeos vorauerit. Neque id ſolùm, ſed, & puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu, lamberet. In Hebræo verbum *Lahechach*, quod eſt, להכח lambendo carpere, aut lingua aſſumere ad ſui nutrimentum, quomodo eodem verbo dicitur *a*: *Bos ſolet lingua herbas carpere.* Et quod *b*, *canis lambit aquas*, ad ſui refectionem. Ignis itaque ille, aquas quaſi ad ſui refectionem trahebat, ſicuti canis aquas carpit lingua. Id ipſum videre licet in igne deſcendente in Pętapolim, id eſt, in quinque Sodomorũ ciuitates, qui ignis Domini dicitur à Moyſe *c. Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham, ignem, & ſulphur, à Domino de cœlo.* Quæ verba duplicem habent ſenſum. Primus eſt, quod Dominus filius, pluit à Domino patre, à quo ſicut habet ſubſtantiam, & eſſentiam, ita, & poteſtatem faciendi aliquid, & operandi, iuxta illud *d*. *Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem, &c.* Ita antiqui patres communi ſenſu intellexerunt, ex hoc loco ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium aliquatenus expendentes, Iuſtinus martyr *e*, Tertullianus *f*, Cyprianus *g*, Irenæus, Gregorius Nyſſen. *h*, Euſebius *i*, Hilarius *k*, Cyrillus *l*, & Hieronymus *m*. Imò, & Concilium Syrmienſe *n*, tempore Liberij Papæ congregatum, pronunciat anathema contra eum, qui hunc ſenſum negare præſumpſerit; quod Concilium, Catholicum ac ſincerum probat Hilarius. Secundus ſenſus eſt, vt velit Moyſes dicere, ignem illum, non fuiſſe terrenum, à terra ortum, aut naturalibus à cauſis productum; ſed fuiſſe ignem Domini, ab ipſo Domino procedentem, & immiſſum. Ita multi docti authores, Abulenſis *o*. Vatablus *p*, Oleaſter *p*, Lippomanus *p*, & ſignanter Caietanus *p*, qui annotat in Hebræo haberi, *Pluit Iehoua à Iehoua*. Vox Iehoua, ſignificat fontem eſſendi, quaſi dicat: Ab illo fonte proceſſit ignis ille, ad differentiam ignis procedẽtis à cauſis naturalibus, &

com-

Sot maior. in cap. 8. Cant.

a *Pſ. 35. 7.*
b *Pſ. 79. 11*

a *Nu. 22. 4*
b *Iud. 7. 5.*

c *Gẽ. 19 24*
d *Ioa. 5. 19*
e *Dialo. cũ Tripho.*
f *Cõt. Prax. c. 13 & 16. & l. de Trin. cont. Nouat. ca. 21. & 26.*
g *Li. 3. teſt. ad Quiri. c. 33.*
h *3. Cont. hær. cap. 6.*
i *Lib. teſti. cont. Iud.*
k *Lib. 5. de demonſtr. Euang.*
l *Lib. 2. de Trin. & li. de Syno.*
m *Li. 1. cõt. Iulia.*
n *in Ca. 45 Iſaiæ.*
o *Li. 50. de Synod. ad Hilar.*
p *Tract. de myſt. Trin.*
p *In ca. 19. Geneſ.*

communiter apud nos ardentis. Idque amplius exprimere volens, subdidit, *de cœlis*, ad differentiam conflagrationis naturalis. ¶ 47. Erat ergo ille, ignis Domini idcircò tantæ efficaciæ, vt omnia in momento consumpserit, quem non solum aquæ non extinguebant, sed potius nutriebant, roborabant, & conseruabant; adeò vt vsque in hodiernam diem aquæ illum conseruare videantur. *Lib. 14.* Vt enim Strabo annotat, in ea regione, petræ cernuntur adustæ, saxa quasi guttas picis stillantia, & demum ingens feruentium, ac ardentium aquarum copia: & Brochardus se testem exhibet oculatum, *b. p. c. 7. n. 88.* quod aquæ fumantem, ardentemque vaporem emittunt, vt adhuc ignis in illis viuere appareat, de quo propterea igne S. Bonauentura *a*, accipit illud *b*, *In aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique*: quamuis alij aliter intelligant, de quo statim. Tandem vt alia innumera, quæ ex sanctis Scripturis ad hoc institutum possent adduci, omittamus, hoc ipsum videre licet, in illo igne à Deo in Ægyptios misso, cuius vim, & efficaciam tanquam admirabilem expendit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ. *Sap. 16. 19.* *Quod enim*, inquit, *mirabile erat, in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, &c. & in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique*. Vide admirandam illius ignis vim, & efficaciam. Aqua illa potens erat extinguere quemcunque ignem terrenum, erat enim abundantissima, quæ per pluuiam defluebat, atque frigidissima, quippe cùm maior eius pars esset gelu, & grando, vt patet in Exodo, & nihilominus vbi quiuis ignis terrenus extinguendus erat, ibi ignis Domini, aut à domino *Plus valebat*, potentius agebat, & supra virtutem cuiusuis ignis naturalis, & terreni, ignis ille existens, in aqua frigidissima, & quasi congelata exardescebat. Non tantùm ardebat, sed *exardescebat*. Exardescere est, summè ardere, & quasi duplicato calore, & ardore incêdere, & inflammare, nec in superficie tantùm, aut vna ex parte, sed *vndique*. Et his ergo iam patere potest, vis, & efficacia charitatis, aut amoris à Deo procedentis, quam cœlestis Sponsus describendam assumpsit. Lampades, aut ardores, aut flammæ, aut carbones eius, sunt flammæ ignis Dei, & eam habent efficaciam, quàm ignis à Deo procedens. Amor terrenus, aut naturalis, est quidam ignis terrenus, & naturalis, infirmæ virtutis, & efficaciæ, qui tantum ardet circa ligna dispositа, id est, circa eos, qui rectè erga nos sunt affecti, & promerentur, vt eos diligamus, quem extinguunt aquæ, id est, offensæ, iniuriæ, persecutiones, & tribulationes: Sed charitas est ignis quidam diuinus, à Deo procedens. *Charitas*, enim, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Ideoque subdit Sponsa, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Nullis imbribus aut fluminibus obrui potest, vel vinci: fouetur illi potius, & in aquis congelatis exardescit vndique. Aquarum nomine, intelligit Ambrosius *a*, pericula, pœnas, duros, & acerbos successus: Theodoret. *b*, verò, & Commentarius trium Patrum, intelligit ea, quæ nobis videntur dura, acerba, difficilia, & intolerabilia: ita Dauid *c*, *in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*. Id est, in maximis arumnis, & calamitatibus, homo pius seruabitur à Deo, ne ab illis lædatur. Et iterum: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, id est, ita afflictionibus, & laboribus premor, vt iam suffocari videar. Communissimè tamen, in Scriptura sacra, aquarum, & fluuiorum nomine, inimici persequentes exprimuntur, vt annotarunt Cyprianus *d*, & Gregor *e*, Ita Dauid *f*: *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum*: & Ieremias *g*, *Ecce aquæ*, id est, inimici, *ascendãt ab aquilone, & erunt in torrentem, & inundabunt terram*: & apud Esaiam *h*, *tumultus populorum sicut sonitus aquarum sonabunt*: & apud Ezech. *i*, *Cùm ascendere fecero super te voraginem, & operuerint te aquæ multæ, &c.* Huiusmodi igitur aquæ, ignem terrenum, ac naturalem solent, & possunt extinguere; extinguitur enim facilimè amor, quo quis alterum prosequebatur, eo ipso quo videt illum, aliquid contra se agêtem. Fraternus amor, quo ¶ 48. Esau diligebat Iacob, extinctus est, eo

Exo. 9. 24.

Exo. 9. 24.

a Li. de Iacob, & vita beata c. 7.

b In c. 8.

Cant.

c Psal. 31. 6.

Psal. 68. 2.

d Ep. 63. ad Cæciliũ

Psa. 146.

e 19. Mor. c. 4.

f Psal. 45. 4.

g Ier. 47. 2.

h Esa. 17. 12. 13.

i Ezec. 26. 19.

Gen. 28.

ipso

ipſo quo iudicauit, ſe ab illo offenſum, propter paternam benedictionem præ acceptam. Amor naturalis, quo fratres Ioſeph ipſum amabant, abſumptus, ac ſuffocatus eſt, hoc ipſo quod crediderunt ſe ab illo fuiſſe offenſos, quando ille ipſos apud Patrem accuſauit crimine peſſimo. Nec oportet ad huius confirmationem Scripturas ſacras, aut prophanas euoluere, cùm id quotidie apud nos cotingat. Videmus ſiquidem multos, qui ſummo amore alios proſequi ſolebant, omni amoris igne deſtitutos: quoniam ab illis aliqua iniuria ſe affectos viderunt. Et certè breuis aqua, hunc terrenum ignem amoris terreni, aut naturalis, tam facilè ſolet extinguere, vt propter res parui momenti videamus, homines ab amore, quo alios proſequebantur, defeciſſe. Cæterùm tanta eſt vis, & efficacia amoris, aut ignis à Deo diffuſi in cordibus noſtris, quod aquæ multæ, id eſt, aduerſitates, aut perſecutiones innumeræ, quantumcunque rapidæ, ac potentes videantur, fluentes ad modum fluminum, abundantiſſimis aquis fluentium, non poterunt illam extinguere, quin potius tunc magis accenditur, & roboratur. Idque teſtimonio confirmant ſuo (inquit Theodoret.) cuncti, tam in veteri, quam in nouo teſtamento, ſanctitate præſtantes viri. Nam Abrahæ charitatem erga Deum, nec vitæ traductio in terra aliena, neque in inopia, & fame neceſſitas, neque vxoris ereptio, nec filij ablatio, neque de pueris contentio, potuit extinguere: neque Iſaac charitatem, moleſtiæ, quibus afflictus fuit: neque charitatem Iacob aſſidui labores, & dolores vitæ. Quid Ioſeph tentationibus acrius? qui a fratribus venditus eſt, & parentibus, a quibus diligebatur, & maiorum ſuorum priuatus eſt domo, & libertate, & fortunis, & indignè ſeruiuit, & pudicitiæ præmium, calumniam retulit, & in carcerem coniectus eſt, & incommoda ſuſtinuit innumerabilia: quibus tamen omnibus charitas eius erga Deum ſplenduit illuſtrior. Atque vt magnum Moyſen, & Ioſue Imperatorem, & eximios Prophetas, Samuelem, Dauidem, Eliam, & Eliſæum ſilentio præteream, quid Babylonijs immanius, aut truculentius vnquam fuit? Quid camino ignis ab illis incenſo formidabilius? Attamen nec illi quidem trium puerorum extinxit charitatem, ſed eam magis incendit, atque excitauit. Quid leonibus illis, quibus B. Daniel obiectus eſt, ſæuius, aut terribilius? at illum quoque charitas erga Deum reddidit fortiorem. Denique vt ſanctos alios in præſentia prætermittam, ſolus Beatus Paulus ſatis erit, ad indicandam nobis vim charitatis, quippe qui maximè omnium illam expertus eſt. *Quis*, inquit, *nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Propter te mortificamur tota die, reputati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed in ijs omnibus ſuperamus, propter Chriſtum, qui dilexit nos.* Hæc quidem idonea ſunt ad charitatis victoriam demõſtrandam: verum illa, quæ ſequuntur, celebrant, atque extollunt illam clarius multò. Subijcit enim: *Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Vt oſtendat eam eſſe rerum omnium potentiſſimam; effingit creaturam, quæ non eſt: cum illa comparat charitatem Dei, demonſtratque hanc eſſe fortiorem, &c. Vide ergo vim huius diuini ignis, qui quantumcunque inimici conſurgant perſequentes, ſpoliantes, mortem intentantes, non ſolum non extinguitur: ſed potiùs his aquis accenditur, & roboratur. Hoc demonſtrat idem Theodoretus in Paulo, dicente, tam nomine ſuo, quam eorum, qui charitate præſtare videntur: *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* Benè ergo Paulus dixit, charitatem eſſe patientem, id eſt, ſufferentem omnia, & eſſe benignam, id eſt, bono igne à Deo procedente, ſuccendentem cor, quia non extinguitur inimicorum perſecutione, ſed potius tunc flammas amoris erga illos excitat. Ex ijs procedere poſſumus, vt egregiè conſuluit Beatus Gregorius, ad noſtræ ſaluationis iudicia, argumentaque ſumenda. Nulli enim ſalus

Gen. 37.

In cap. 8. Cant.

Rom. 8. 35.

Pſ. 43. 23.

¶ 49.

In cap. 8. Cant.

1. Cor. 4. 12.

Homil. 30. in Euang.

salus patere poteſt, niſi ardeat charitatis amore: hoc autem amore, non arder, niſi qui patientiam tenet, per quam ſuſfert inimici perſecutiones, & offenſas, & per benignitatem benè ignitum, & accenſum habet cor, vt in flammas dilectionis erumpat. Interroget ergo ſe vnuſquiſque, an in via ſalutis incedat. Vide ſi æquanimiter iniurias illatas toleras, & ſi inferentes eas, amore proſequeris, &c. Patet ex ijs, verè eſſe præceptum, diligere inimicos; certum eſt enim charitatem eſſe in præcepto: at vera charitas inimicos diligit. Deinde, quia vt dictum eſt, ſine charitate nemini patet regnum cœlorum, qui autem non diligit inimicum, non habet charitatem. Charitas enim benigna eſt vt explicauimus, nemini ergo ſine dilectione inimicorum, patere poteſt regnum cœlorum. Hoc ſyllogiſmo vtitur Concilium quartum Carthaginenſe, quod & præcipit clericis, ne oblationes recipiant eorum, qui inimicitias cum aliquibus gerunt: & Concilium Agathenſe, illos tanquam excõmunicatos damnat; quod & ſimiliter multi ſancti Patres aſſerere viſi ſunt; quorum ſententias Gratianus in decretis retulit. Eſtque peculiare decretum Fabiani Papæ præcipientis, eum qui fratri ſe offendenti, & petenti veniam non pepercit, puniendum aſperis ieiunijs, quouſque ei ſe reconciliet, de quo videndi ſunt, Auguſtinus *a*, & Chryſoſtomus *b*, & alij, quos citant authores Scholaſtici *c*, de hac re agentes.

Cap 93.

d 90. ca. ſi quis.

a Tra. 7. in 1. can. Ioan. & in pſ. 7.

b Hom. 18. in Matth.

c 2. 2. q. 25 art. 8.

§. 3. *Quia diligere, eſt velle bonum, ſicut tenemur diligere inimicum, ita & velle illi bonum, & triſtari de eius malo.*

¶ 10.

PRimum quod præcipit Chriſtus, eſt: *Diligite inimicos veſtros.* Tria vt diximus, præcipit Deus exhibere inimicis, dilectionem in corde, orationem in ore, beneficentiam in opere: inter quæ primum locum obtinet dilectio, quæ eſt tanquam primum mouens in anima, ideoque ex illa procedunt verba, & opera externa, vt D. Thom. *a*, ex D. Dionyſij *b*, doctrina demonſtrat. Hanc propterea Chriſtus primo loco tanquã baſim, & fundamentum ſtatuit, & tanquam radicem plantat, quæ germinet verba benigna, & opera benefica. Vt autem explicemus, quid nobis his verbis imponat, obſeruandum eſt, actum charitatis duo includere, ipſam ſcilicet dilectionem, & rationem eius. Charitas enim eſt, quæ diligit proximum, non ſub quacunque ratione; ſed amicum in Deo, & proximum propter Deum, vt B. Gregorius *c*, ſæpè explicauit, annotauitque ad hoc inſtitutum D. Thom. *d*. Videamus ergo primò, quid ſit diligere, vt intelligamus, quem actũ impendere inimico teneamur. Diligere, vt demonſtrat ex Ariſtotele *e*, D. Thomas *f*, eſt velle bonum, ideoque diligere aliquem, eſt velle ei bonum, quod Hiſpana phraſi eleganter explicamus, dicentes: *Quiero le bien*, id eſt, bonum ei volo. Ex his explicat S. Auguſtinus, cur Scripturæ ſacræ clament, peccatores non ſe diligere, ſed potius odio habere. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, inquit Dauid; iniquitas enim, malum ſupremum eſt animæ, ideoque qui iniquitatem diligit: non bonum, ſed ſupremum malum vult animæ ſuæ, & id quod ſufficit, inquit Balſil. *g*, vt eam conſumat, & diſperdat *h*. *Qui faciunt peccatum, & iniquitatem*, inquit Angelus, *hoſtes ſunt animæ ſuæ*. De ijs ex profeſſo D. Thom. *i*, pertractat. Ex qui-

21. 2. q. 28. art. 6.

b Cap. 4. de diui. nom.

c 22. Mor. c. 10. ho 27 in Euang.

d 2. 2. q. 25 art. 8.

e Lib. 2. rhetori.

f 1. 2. q 26. art. 4. Lib. de amici. to. 4. Pſal. 10. 6.

g Schol. in Pſalm. 10.

h Tob. 12. 10.

i 2 2. q 25 art. 7.

k 1.2 q.26 art.4. quibus explicat k, quomodo qui mulierem diligit propter ſuam delectationem, non diligit illam, ſed ſeipſum, non enim vult bonum illi, ſed ſibi, ſicut qui diligit ſeruum, propterea quod ad nutum obedit, ſe potius, quam illum diligit ſibi enim vult bonum, non alteri. Qui ergo præcipimur diligere inimicum, tenemur primò illi velle, & optare, quod bonum eſt illi, ſimpliciter, & abſolutè loquendo: in primis bonum ſpirituale, quod ad animæ ſalutem ſpectat, gloriam, gratiam, ſpiritualia dona. Necid ſolum, inquit Baſilius, ſed & ea temporalia bona, quæ illi neceſſaria ſunt, ad vitam ſpiritualē, & corporalem, conſtat enim homo ex anima, & corpore, & cùm vtrumque diligendum ſit, vtrique debemus velle bona commenſurata. Deinde tenemur lætari de bonis, quæ illi eueniunt, & triſtari de malis, quæ eidem accidūt: vt enim demonſtrat Beatus Auguſtinus a, cuius doctrinam ſequitur, explicat, & confirmat D. Thom. b amor quando eſt in corde, excitat lætitiam de bono, quod aduenit amato, & triſtitiam de malo, quod illi accidit: quæ omnia complexus eſt S. Baſil. c, interrogans, quomodo deprehendatur aliquis, quod fratrem diligat ex mandato Domini, & quomodo item conuincitur, quod iuxta hoc mandatum non diligat: & reſpondet: Charitatis præcipua ſunt hæc duo, dolere, & angi in his rebus, in quibus læditur is, erga quem charitas habetur; ſimiliterque ipſius vtilitate lætari, & pro eo laborare. Beatus igitur quicunque mœret, propter illum qui peccat, cùm eius periculum adeò ſit metuendum, & lætitia afficitur propter illum, qui rectè facit, cùm eius lucrum incomparabile, ſit, ſicut ſcriptum eſt, Quin, & hoc etiam Paulus Apoſtol. teſtatur, cùm ait: *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, & ſi glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Qui autem hoc modo variè non afficitur, de hoc prorſus dubitari non poteſt, quod fratrem ex mandato non diligat. Ita Baſilius. Sicut ergo ex eo intelligimus, membrum participare ſpiritum vitalem corporis, ſi compatitur, & quaſi triſtatur ad dolorem alterius membri, & ſi congaudet, ad gaudium alterius membri; ita ex eo quod quis triſtatur ad alterius læſionem, & lætatur ad ipſius gaudium, indicat ſe vitificari ſpiritu illo, à quo profluit charitas, de quo dixit Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum ſanctum.* Ex his infertur primò, quod homo non poteſt odire inimicum ſuum; hoc enim expreſsè Chriſtus prohibet, & euidenti ratione comprobatur ex eo quod impoſſibile eſt, vnam & eandem rem diligere, & odio habere. Infertur ſecundò, homini non licere deſiderare malum inimico ſuo: ſi enim tenetur eum diligere, & diligere eſt velle, & optare bonum, non poterit ei deſiderare malum. Sequitur tertiò, hominem non poſſe lætari de malo, quod accidit inimico: ex amore enim erga dilectum, non ſequitur niſi triſtitia de eius malo. Ita B. Anſelmus a expendit illud, quod Apoſtolus poſtquam dixit de charitate b: *Non irritatur, non cogitat malum*, ſubdit: *Non gaudet ſuper iniquitate*, id eſt, non de perditione aduerſantium exultat. Sunt enim, inquit, nonnulli, qui nec faciunt malum, nec facere cogitant eis, à quibus aduerſa perferunt, ſed ſi factum illis ab alijs fuerit, lætantur: & ideò nunc, poſtquam dictum eſt, quia *charitas non irritatur*, id eſt, non prouocatur ad iram, & iniurijs laceſſita, ad nullos ſe vltionis motus excitat, & quod *non cogitat malum*, id eſt, non cogitat, quomodo ei, qui ſibi facit iniuriam, vicem reddat, additur, quia *non gaudet ſuper iniquitate*, id eſt, non ei placet, ſi quid iniquè paſſus fuerit, vel ipſe qui ei aduerſatur. Vnde egregiè expendit S. Gregor. a, illa verba S. Iob b: *Si gauiſus ſū ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum.* Sciendum eſt, inquit, quia inimici dilectio, tunc veraciter cuſtoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lętamur: nā ſępe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeque hunc diligere exiſtimat, ſi eius vitę cōtrarius non exiſtat. Sed dilectionis vim occultè, & veraciter, aut profectus inimici aut caſus interrogat: etenim de re, ad plenum ſemetipſum mens hominis neſcit, niſi cum quem ſibi aduerſarium

a 14. de ciu. c. 7. & 9.
b 1.2. q. 15 ar. 2. & q. 28. art. 6.
c de regul. breui. interrog. 175
¶ 11.
1. Cor. 12. 26.
De regul. breuior. interrog. 176
a in 1. Cor. 13.
b 1. Cor. 13 5.
a 22. Mor. c. 10.
b Iob. 31. 29.

farium credit, in defectu vel profectu, mutaſſe modum ſui ſtatus inuenerit. Si enim de proſperitate addicitur, & de calamitate ſe odientis lætatur, conſtat quod non amat, quem non vult eſſe meliorem, eumq; etiam ſtantem voto perſequitur, quê cecidiſſe gratulatur. Huc uſque Gregorius. ¶ 52. Quæ verè executus fuit ille inſignis inimicorum amator Dauid, qui cum audiuit mortuum fuiſſe eius crudelem, acremque inimicum Saul, quamuis inde ſperare poſſet, quod iam ad regni ſedem ſibi pateret ingreſſus, qua de cauſa cucurrit Amalecites ille ad renuntiandum ei, fingens etiam ſe illum interfeciſſe, ſperans ſibi pro opere, & nuntio donum magnum exhibendum, illum occidi iuſſit; & planxit Dauid, & filias Iſrael ad planctum excitauit, carmen lugubre componens, quod omnes ad lacrymas prouocaret. Quando item audiuit rebellem filium ſuum, aut potius hoſtem crudelem Abſalon, qui cum exulare coegerat, mortuum fuiſſe, irremediabilibus lacrymis flebat, ſæpè illa verba amoris, & doloris plena repetens: *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon, quis mihi det, vt ego moriar pro te*, quæ egregiè expendit Ambroſius *a*, per quæ, vt annotat Gregor. Nazianzenus *b*, cum mortuo in gratiam redit, & quem audierat receſſiſſe in odio, renouato amore proſequitur, eius infœlicem mortê ita deplorans, vt cuperet ipſe mori, ſi hoſtis poſſet propterea in vitam reuocari. Et vt tandem rem concludamus, ſi vis ſcire, quomodo tenearis diligere inimicos, audi Dominum dicentem: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: nomine autem proximi, intelligendum inimicum, Chriſtus hoc in loco expreſsè docere voluit, vt ſupra dictum eſt. Itaque dilectio hominis ad ſe ipſum, inquit D. Thomas, eſt exemplar dilectionis ad proximum, & ex conſequenti ad inimicum. Vnde Chriſtus Dominus apud Lucam, poſtquam propoſuit præceptum de diligendo, & benefaciendo inimico; quaſi reſpondens tacitæ interrogationi, quam poteramus facere: Quid debeo facere erga inimicum, vt hoc præceptum adimpleam? ſubdit: *Et prout vultis, vt faciãt vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*. Quamuis enim videatur ſermo communis ad omnes homines, ſed illum protulit, docere volens, quomodo inimicus diligendus ſit. Et quidem hęc propoſitio vna eſt ex illis duabus legis naturalis: Quod tibi vis, alteri facias, ſub qua, inquit Tertullianus, continetur altera: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Cæterùm quando dicitur diligendum inimicum ſicut ſe ipſum, dictio, ſicut, non ſignificat æqualitatem; nec enim æqualiter nobiſcum diligendus eſt inimicus. Certum eſt charitatem habere ordinem, vt demonſtrauit D. Thomas, ſecundum quem meliora, & nobis propinquiora magis diligere debemus. Ita quam plurimi ex ſanctis Patribus intelligunt illud: *Ordinauit in me charitatem*: quod melius explicauit Origenes in ſecunda *a* expoſitione Canticorum, quam explicauerat in prima *b*. In hac enim tradens ordinem charitatis, dixit amicos eſſe diligendos, inimicos autem non odio habendos; Saluator enim noſter, inquit, aſtruens hunc ordinem in Euangelio dixit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Proximum autem non dixit diligendum ex toto corde, ſed ſubiunxit, ſicut teipſum: inimicos verò diligere ſicut nos ipſos non præcepit, ſed ſimpliciter dixit: Diligite inimicos veſtros, ne odiatis illos, &c. Cæterum correxit aut explicauit hoc ipſe Origen. *a* quod tanquam Euangelio contrarium reijcit S. Hieronymus *b*, & in ſecunda expoſitione ita dixit: Ordinata charitas conſiſtit in hoc, vt Deum abſque modo, & menſura diligas, eum amans ex toto corde tuo, anima ac mente; totum quod in te eſt, illi tanquam Domino creatori ac patri tribuens. Vnde ſi Deum non diligis, quantum vires ſuppetunt tuæ, ordinem in amando non ſeruas. Proximum verò dilige ſicut te ipſum, æqualitatem inter te, & ipſum ſeruans talem, vt eum diligens tanquam eum, qui eſt membrum eiuſdem capitis, cuius, & tu es, attendens principalioribus membris, ampliorem dilectionem deberi quam alijs, & ſecundùm ordinem dignitatis, ordinem futurum in amãdo. Inter inimicos verò illum

2. Reg. 1. 27.

2. Reg. 19. 4

a In Apol. Dauid.

b Orat. de pace.

Leu. 19. 18. & Matt. 22. 39.

2. 2. q. 26. art. 4.

Luc. 6. 31.

Li. 4. cont. Marcio.

2. 2. q. 26. art. 1.

a Cãt. l. 4.

b Hom. 2. expoſit. 1. in Cant.

¶ 53.

a Hom. 3. expoſ. 2. in Cant.

b In ca. 5. Matth.

illum diligere plus debemus, qui minus malus est, quam eum, qui omni ex parte perditissimus est, & sceleribus plenus. In quo sequeris ordinem, quem Deus seruat: qui melioribus exhibet maiora amoris signa, & officia. Ita ille: sed & adhuc ad huius expositionem obseruanda est Theologorum doctrina, quam tradit D. Thomas, & probat: cum dicitur, nos teneri diligere inimicos, non ita esse intelligendum, vt teneamur semper, aut sæpè producere actum positiuum voluntatis, quo illis velimus, & optemus bonum: Istud enim, inquit D. Thomas, non est de necessitate charitatis absolutè, quia nec etiam erga alios homines tenemur tales actus positiuos producere; quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis, in animi præparatione, vt scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurret ei: sed absque articulo necessitatis huiusmodi actus habere, non pertinet ad necessitatem charitatis, sed ad perfectionem. Ita D. Thomas: ex quibus explicat doctrinam B. Augustini, dicentis, diligere inimicos, non ad omnes, sed ad perfectos pertinere. Et vt vno verbo dicam; hoc præceptum est affirmatiuum, ideoque quamuis obliget semper, non tamè pro semper, vt Theologi scholastici loquuntur; sed quando occasio, & necessitas se obtulerit. Itaque quamuis homo non teneatur hic, & nunc producere actum dilectionis positiuum erga inimicum, aut aliquod dilectionis opus impendere: si tamen necessitas se offerret corporalis, aut spiritualis, quæ ex natura sua obligaret producere actum, aut opus dilectionis; illum erga inimicum actum producere teneretur, quem erga amicum in simili necessitate constitutum.

2.2 q.35. art.8.

In Enchir. c.73. & 74

§. 4. *Quia ratio diligendi inimicum, est Deus ipse, licèt velle ei malum, & lætari, quando ad Dei gloriam fuerit expediens.*

¶ 16

Diximus, quam dilectionem debeat homo habere ad inimicum: nunc ratio dilectionis expendenda est, ad varia dubia soluenda, & intelligenda. Ratio & formalis causa diligendi inimicũ, Deus ipse est, vt ex professo D. Thomas demonstrat: est enim actus charitatis, cuius proprium, & adæquatum obiectum, Deus est, ideoque nihil diligit, nisi Deum ipsum, aut propter Deum. Hoc adeò verum est, vt cũ amicus, aut parens, aut filius, non propter Deum aut in Deo diligitur, non sit amor charitatis, præmio & mercede æterna dignus, vt mirè exposuit B. Gregorius, & dicemus infra. Et quidem in dilectione inimici tam manifestum est hoc, vt nulla alia ratio ad eum diligendum, nisi Deus ipse incitet: si enim ipse ratione sui cõsideretur, potius per ea quæ contra nos egit, odium sibi & vindictam promeruit, & conciliauit. Hanc rationem latè in sequenti tractatu expendemus: sufficiat nunc eam supponere, ex qua poterimus grauem difficultatem explicare. Dubium est enim, quomodo Deus præcipiat nos diligere inimicos, ita quod non liceat eos odio habere, nec desiderare eis mala, aut lætari in malis, quæ illis aduenient. Nihil communius est in Scriptura sacra, quam quod Deus odio habet peccatores, & lætatur cùm eos punit: ita enim sæpè scripturæ clamant. *Similiter*, (in Græco, *enisos*, id est, in æquali: ex æquo, pariter, ad eundem modum) *odio sunt Deo, impius & impietas eius*: quem locum expendens. B. Hieron. a rationem reddit: quia qui mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem b. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & c. odisti omnes qui fornicantur abte, & semel ac iterum: d Altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam, &, e Esau odio habui, &, f exosos habui eos propter malitiam adim-*

2.2 q.25. ar.1. & 8.

Hom.27. in Euang. & 22. moral. c.10.

Sap. 14. 9.

a Ep. 6. ad amicum ægrotum, tom.9.

b Ps.5.7.

c Ps.72.27

d Eccl.12. 3.7.

e Mal.1.2 & Ro.6.13

f Ose.6.15

adinuentionem eorum, de domo mea eijciam eos, non addam, vt diligam eos. Et huiusmodi sæpè. Iusuper vide quid dicat Moyses ijs qui Deum offenderint:

Deut. 18. c 3. *Sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos, vosque subuertens, vt auferamini de terra*: & Da-

Ps. 57. 11. uid dixit, quod *lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Certùm est tamen, Deum, qui præcipit diligere inimicos, id ipsum perfectius agere, nec enim est ex illis legislatoribus, qui subditis

Mat. 23. 4 *imponunt onera grauia, & importabilia, & nolunt ea vel digito mouere*: ipse est enim, de quo dicitur, quod cum non di-

a 1. Ioan. 4 10. ligeremus eum *a, ipse prior dilexit nos*; & quod *b non delectaris in perditionibus*

b Tob. 3. 22. *nostris*; & quod *c diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; & quod

c Sap. 11. 25. *d non vult aliquos perire, sed omnes ad*

d 2. Pet. 3. 9. *pœnitentiam reuerti*, & quod *e non vult animam perire, sed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est*: qui,

e 2. Reg. 14 14. & ipse clamat, ac sub iureiurando affirmat *f, Viuo ego, dicit Dominus, quia*

f Ezech. 18. 32. *nolo mortem peccatoris*, qui quando vindictam de illis sumit, quasi coactum, & gementem se exhibet, clamans: *Heu,*

Esa. 1. 24. ¶ 55. *vindicabor de hostibus meis*. Imò, & Christus Dominus, illum tanquam perfectum exemplar ponit, ad obligandum, ad huius præcepti obseruationem, de quo subdit: *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos*, & tandem infert: *Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est*. Quod autem in oppositum adductum est, communi sensu S. Patres exponunt, dicentes: Deum odire peccatores, quatenus peccatores sunt; diligere autem eos quatenus opera sunt ipsorum.

In Ps. 102. & lib. 50. ho. hom. 35 Quod vnico verbo solet Augus. explicare, dicens: Deum diligere bonum, quod ipse fecit, odire autem malum, quod homo fecit, de quo infra. Quod autem dicitur, iustos lætari, cum viderint vindictam, mihi videtur (inquit

In Ps. 118. serm. 7. Ambrosius) quia lætantur, quòd ipsi euaserint, non quia impij puniantur: quomodo lætatur, qui alios in captiuitatem ductos videt, se ipso integræ

22. Moral. c. 11. libertati tradito? S. tamen Gregorius egregiè rem hanc explicauit, docens, licere aliquando gaudere in perditione, & ruina inimici, & ei desiderare malum. Si enim, inquit, de inimici morte gaudendum omnino non esset, Ps. 57. 11. Psalmista non diceret: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam impiorum*. Sed quando, & quomodo id fieri possit, explicandum est, ex ratione dilectionis inimici, quam supposuimus, Ratio diligendi inimicum est Deus ipse, eius gloria, & obedientia, qua tenemur illius mandata seruare. Quando ergo expediens erit ad Dei gloriam, desiderare malum inimico, aut gaudere de illo, aut Deus illi inferre malum præceperit: tunc hæc agere licebit. Ex quo infert Gregorius, primò licere desiderare malum temporale inimico, quod expediens est ad eiusdem bonum spirituale, vt scilicet à peccato desistat, aut humilietur, & ad seipsum redeat, & cognoscat quid egit. Ita S. Da- Ps. 85. 17. uid: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, cuius sententia explicari potest ex illa B. Augustini consideratione ad hoc institutum agentis. Sicut enim stercus in loco suo non positum, immunditia est, & immundam facit domum; loco autem suo positum, fertilem facit agrũ ita ignominia, calamitas, opprobrium, quod iusto est indecens, applicatum peccatori, illum fertilẽ reddit. Hinc Paulus, fornicarium illum tradidit *Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret in* 1. Cor. 5. 5. *diem Christi*. Ita, & corripiendos aliquos admonet, vt per malum, quod experiuntur, liberentur, *à laqueis diaboli, à quo tenantur captiui ad ipsius vo-* 2. ad Tim. 2. 26. *luntatem*. Infert secundò, licere desiderare inimico mortem, & lætari cùm ei aduenit, quando id necessarium est, ad maiorem Dei gloriam, & conforme iustis legibus diuinis aut humanis, vt cum impius publico supplicio punitur, eum infideles pestilentia feriuntur, aut in bello cadunt. Ita desiderabant sancti, impios Reges, & Imperatores è medio tolli, qui etiam iam defuncti clamabant: *Vindica sanguinem nostrum De-* Apo. 6. 10. *us noster, de ijs qui sunt in terra*, &c. Ita & sancti exultabant, & gaudebant, vi- Psal. 149. dentes impios damnatos iuxta illud: 5. *Exultabunt sancti in gloria, &c. gladij* Esa. 66. 24. *ancipites*, &c. & *egredientur, & videbunt*

cada

cadauera mortuorum, &c. De quibus
22.2.q.76. art.1. optimè more ſuo D. Thomas *a*. Annotat tamen Gregorius *b* duo: primum
b 22. Mor. eſt, non eſſe hæc deſideranda, aut in eis
cit. lætandum, quatenus ſunt mala inimici, ſed ratione boni, quod inde ſequitur, vel in ordine ad Dei gloriam, vel ad bonum reipublicæ, vel ipſius inimici. Ita expreſſit Apoſtolus ipſe ad Co-
1.Cor.7.8. ¶ 56. rinthios: *Et ſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet, ſed gaudeo, nõ quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Sic inducuntur ſancti ad lætitiam pro damnatione dæmonum, quem ſancti vicerunt propter ſangui-
Apoc.12. 12. nẽ agni: *Propterea*, inquit, *lætamini cœli, & qui habitatis in eis*, quatenus id cedebat in gloriam agni. Similiter refert Ioannes, ſanctos lætantes, & applaudẽtes propter damnationem meretricis illius magnæ, quatenus eius condemnatio cedebat in laudem, & gloriam di-
Apoc.19.1 uinæ iuſtitiæ. *Audiui*, inquit, *quaſi vocem tubarum multarum in cœlo, dicentium, Alleluya, ſalus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram, &c. & iterum dixerunt; Alleluya*, &c. Oportet, inquit Gregorius, vt pereũte aduerſario, ſubtiliter penſare debeamus, & quid debemus ruinæ peccatoris, & quid iuſtitiæ ferienti. Nam cùm peruerſum quemque omnipotens percutit, & condolendum eſt miſeriæ pereuntis, & congaudendum eſt iuſtitiæ iudicis; vt nobis, & in luctu ſit pœna morientis proximi, & rurſus in gaudium veniat exhibita æquitas iudicantis Dei; quatenus nec pereunti homini exiſtamus aduerſarij, nec iudicanti Deo inueniamur ingrati. Licet itaque gaudere de malo inimici, ſecundum quod eſt iuſtum, & decens, & expediens ad aliquod bonum commune, vel particulare. Vnde S. Anſelmus egregiè annotat, Paulum quando voluit explicare, charitatẽ non gaudere de malo inimici, non id abſolutè dixiſſe, *ſed non gaudet ſuper iniquitate*. Vocat iniquitatem, inquit Anſelmus, malum quod iniuſtè, & iniquè, & contra rationem, & legem inimico illatum eſt; de hoc enim charitas nullatenus gaudet. Secundò annotat Gregorius, ad deſiderandum malum inimico, aut lætãdum in eo, quod ei accidit, ſubtiliſſimæ diſcretionis examen neceſſarium eſſe: ne cùm noſtra odia exequimur, fallamur ſub ſpecie vtilitatis alienæ. Multi enim ſunt qui dicunt, ſe inimici velle ſuſpendium, quia id expediens eſt reipublicæ bono, cui vtile eſt, peccatores puniri, & fortè non tam illos reipublicæ vtilitas, quam interius odium excitat, ſed de ijs alio in loco latius.

§. 5. *Quoniam amor otioſus non eſt: ſicut tenemur inimicos diligere; ita & eiſdem benefacere.*

¶ 57. SEcundo addit Chriſtus: *Benefacite ijs, qui oderunt vos.* Non nudam radicẽ expoſcit dilectionis, ſed quæ germina producat operum beneficorum ad inimicos. Altiorem gradum, inquit
Hom.18. in Matth. Chryſoſtomus, conſcendere iubet, qui non in ſola dilectione ſiſtendum, ſed & ad opera progrediendum ſtatuit, qui poſtquam dixit: *Diligite inimicos*, addidit: *Benefacite ijs*, &c. Vt autem hæc explicemus, obſeruandum eſt, ex Diuo
Tract.5.in 1.can.loã. Auguſtino, non quamcunque beneficẽtiam ad inimicum nobis præcipi; ſed iallm, quæ ex charitate procedit, quæ ipſa dilectione altior eſt. Abſolutè quidem loquendo, facilius eſt benefacere inimico, quàm illũ diligere, vt S. Greg.
Hom.17.in Ezech. probat, ex eo quod per beneficentiam exteriora tantùm inimico largimur; per dilectionem verò cor ipſum interius: & experientia compertum eſt, facilius eſſe cuique dare aliquid exterius bonum inimico, quàm illum interno corde diligere. Imò & ſæpè, inquit Auguſtinus, qui immani odio aliquos proſequuntur, eis exterius benefaciunt, aut propter iactantiam, aut propter commodum tẽporale, aut vt eos decipiant. Propterea Chriſtus non quamcunque beneficentiam erga inimicos expoſcit, ſed illã, quæ procedit ex charitate, qua eos corde diligimus hæc altius quid eſt ipſa dilectione, eſtque neceſſaria, quam qui non habet non implet præceptum dilectionis proximi, nec charitatis, de qua propterea ſcriptum eſt: *Chari-*

1.Co.13.4. 10.Moral. c.8. & 22. cap.12. *tas patiens est, benigna est.* Quod ita intelligit Gregorius, vt dicatur patiens, quia offensas tolerat, & suffert: benigna autem, quia beneficentiæ opera misericorditer impendit. Nota est amoris natura, qui si in corde residet, in opere seipsum manifestum facit. Vnde Sponsus ad Sponsam loquens: *Pone me* Cant.8.6. inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Eo ipso quod in corde residet amor, in brachio statim opera conspiciuntur. Vnde Hom.30. in Euang. est illa celebris S. Gregorij sententia: Non sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione respõderit; de dilectione conditoris, lingua, mens, & vita requirantur: nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est, si verò operari renuit amor Actor.2.2. non est. Hinc Spiritus sanctus qui est, amor, in figura ignis, & vehementis venti aduenit: si enim rerum aspicias naturas, nullas inuenies, quæ minus patiantur teneri inclusas, absque eo quod exterius se manifestent, quam ignis, & ventus validus: de igne siquidem cer- Prou.16. tum est id quod dixit Sapiens: *Quis potest continere ignem in sinu suo, & quod vestimenta eius calida non sint*: Eget ignis spiraculo, qui nullatenus patitur se inclusum teneri, vt patet in eo, quod montes ipsos concutit, quando sulphureo puluere caueis impositò, admouetur ignis. Ventus autem similiter clausus teneri non potest, qui si intima terræ ingrediatur, terræmotu horrendo rupes ipsas concutit, vt exterius prodire possit. Talis igitur est amoris natura, iuxta quam Christus, qui amorem præcipit erga inimicos, simul etiam statuit, vt ad exteriora prorumpat per beneficentiæ opera. Vt autem intelligamus huius præcepti vim, obseruandũ est, benefacere eo modo, quo Christus præcipit, non significare facere bonum quomodocunque, sed facere quod quis iudicat bonum, aut vtile, animo benefaciendi. Contingit enim quẽpiam alteri bonum facere, dum malum putabat inferre, & ideò facit: sicut fratres Ioseph vendentes illum vt perpetuò à suis conspectibus remouerent, Genes.50. 20. quibus postea ille dixit: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Hoc modo tyranni benetecerunt martyribus, qui existimantes illis extrema mala inferre, eis fuerunt occasio ingentis gloriæ. Quo etiam modo dixit Apostolus de Iudæis crucifigentibus Christum, quod *delictum eorum diuitiæ sunt mundi*. Hoc modo, vt Basilius annotat, potius inimicus tibi benefacit, quia per offensam, quam infert, materiam maximi boni offert. Non ergo Christus benefacere hoc modo præcipit, sed vt id facias inimico, quod ei vtile, & bonum iudicas: & id quidem animo benefaciendi, sunt enim quidam qui benefaciunt inimico, animo decipiendi, aut siniſtra alia intentione, quos egregiè S. Augustinus redarguit. Et vt rem totam certis regulis concludamus, dico primò, hominem ex vi huius præcepti teneri ad non malefaciendum opere aut voluntate inimico: cui enim præcipitur aliquid facere, hoc ipso illi prohibetur eius contrarium, vt D. Th. *a* ex Augustino *b* annotauit. Secundò, tenetur homo auertere mala ab inimico, in quantum commodè potest. Qui enim iubetur inducere bona, hoc ipso tenetur prohibere mala contraria. Ita præcepit Deus antiquitus, *Si videris asinum odientis iacere sub onere, non præteribis, sed subleuabis*, &c. Tertio dico, hoc præceptum non ad omnia opera beneficentiæ, & omni tempore exhibenda obligare: quod egregiè D. Thomas ex eo explicat, quod beneficentiæ opera, quæ iubemur exhibere inimico, sunt effectus charitatis, & ei debent proportionari. Sicut autem dilectio interior ad inimicum in cõmuni quidem, est de necessitate præcepti absolutè; in speciali autem non absolutè, sed secundum animi præparationem, vt dictum est: ita de operibus beneficentiæ est dicendum. Sunt enim quædam beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, vt cum aliquis orat pro omnibus fidelibus in communi, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia inimicis exhibere, est de necessitate præcepti; si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad liuorem vindictæ, contra id quod dicitur: *Non quæres vltionem, nec* Luc.19.18 *memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Alia vero sunt beneficia, quæ quis exhibet par-

Rom.11.12. De regul. breuior. respõs 176. ¶58.

Serm.168. de temp.

a 1.2. q.71. art.6.ad 1.

b Lib.5. de Trinit.

Exod.23.5

2.2.q.25. art.9.

particulariter aliquibus perſonis: & talia inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi, vt ſcilicet ſubueniatur eis in articulo neceſſitatis, ſecundum
Prou.25.21 illud: *Si eſurierit inimicus, ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi*, &c. Extra articulum autem neceſſitatis, huiuſmodi beneficia exhibere inimico, non eſt de neceſſitate, ſed de perfectione charitatis, per quam aliquis non ſolum cauet vinci à malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malũ, quod eſt perfectionis. Ita D. Thomas, Quod ſi ijs opponas illud, quod Spiritus S. iu-
Eccl.12.1. bet, non omnibus benefaciendum: *Si benefeceris*, inquit, *ſcito cui feceris: benefac humili, & non dederis impio, prohibe panes illi dare*, &c. Reſpondebo cum D.
In Pſ.102. in illud: faciens miſericordias Dominus. Auguſtino, ad intelligendum de impio, qua parte impius eſt, de qua re infra latior erit ſermo. His ſuppoſitis dico quod ex B. Gregorio præmiſimus: ſi vis intelligere an inimicum diligas, manus tuas interroga, & beneficia erga illum exhibita attende. Operatur enim amor ſi eſt: ſi operari renuit, amor non eſt.
In eiuſdem Pſal.102. Obijcit tamen S. Auguſtin. Si ita cum inimico agendum eſt, dormietne igitur omnis diſciplina? ceſſabit omnis correctio? Reſpondet: Nequaquam: nam corrigere, & caſtigare, ſeruantes iuſtitiæ modum, non eſt malefacere: ideoque id agit homo cum illo, cui vult benefacere. Quid enim, inquit, de luxurioſo filio facturus es? non caſtigabis, non verberabis? ſeruum, & ipſum tuum, ſi male viuentem videris, non pœna aliqua, non verberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat, admittit Deus: imò reprehendit, ſi non fiat: ſed animo dilectionis fac, non animo vltionis. Ita ille quæ clarius intelligemus, ſi quæ paulo ante circa præceptum dilectionis annotauimus ſimiliter huic præcepto beneficentiæ applicemus. Quoniam namque hoc præceptũ benefaciendi inimicis, ſicut & præceptum diligendi, pertinet ad præceptum charitatis, & ex conſequenti, ratio quæ ad illud inducit, eſt bonum diuinum, aut Deus ipſe; tantum tenemur benefacere inimicis propter Deũ, quatenus ſcilicet, & quando Deus id præcipit, & eſt conforme bono diuino, vel reipublicæ, vel proximi, vel ipſius inimici. Quando autem expedit ad Dei gloriam, vel cõmune bonum, vel proximi, vel ipſius inimici: ſi ſit conforme iuſtis legibus, poſſumus illi malefacere, non intendentes malum quod ei infligitur, ſed bonum quod inde ſequitur. Vnde licitè poteſt iudex malefacere malefacienti, & poſſumus inimicos fidei in bello occidere: quia hoc eſt expediens, & conforme ad bonum, quod Deus ſtatuit procurandum. Ita poſtquam Leuitæ occiderunt innumeram multitudinem illorum, qui idolum adorauerant, dixit illis Moyſes: *conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vt detur vobis benedictio*. Non polluit manus, qui iuxta ordinem à Deo, vel eius Eccleſia ſtatutũ, ſanguinem impiorum effundit, ſed potius conſecrat; & non maledictionem ſibi, ſed benedictionem Dei conſequitur: ſimiliter, & Phinees interficiendo impudicos, quos vno pugione confodit, Deum non offendit: ſed illũ potius à populo offenſum, placauit. *Stetit n. Phinees, & ceſſauit quaſſatio.* Ex quibus B. Auguſtinus reſpondet Adimanto Manichæo, qui contendebat, Euangelium contrarium eſſe legi antiquæ: in hac enim præcipit de Chananæis loquens, *Euerſione euertite illos*, in Euangelio autem iubet inimicis benefacere. Hæc tamen contraria non ſunt: nam qui ex Dei præcepto tenentur inimicis beneficia exhibere, poterunt eiſdem inferre mortem, & mala, quando Deus ipſe id præceperit. Qui enim iubente rege, tenetur ciui ſeruitium præſtare, poterit eidem inferre mortem, ſi idem Rex, iuſta ſententia prolata, decreuit.

Exo.32.29

Lib. cont. Adim. c. 17.

Exo.23.24

¶ 59.

§. 6. Orandum eſt pro inimicis, quorum damnatio, certa, reuelatione præcognita non eſt: ſi enim certò fuerit cognita, Ioannes pro illis non dicit orandum.

¶ 60. TErtio ſubdit Chriſtus: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Grauem hoc præceptum continet difficultatem, quam propoſuit Macedonius ad Auguſtinum ſcribens. Erat Macedonius iudex Cæſareus, Auguſtino familiaris, qui occaſione earum, quas ſacerdotes, & Antiſtites preces interponebant pro reis, cœpit dubitare, an pro illis orare, & intercedere liceret, quos iuſtum erat punire: & vehementer ſe angi profitetur, dubitans, an ſecundùm religionem id fieri poſſit: ſi n. Deus vult peccata puniri, & id iuſtum eſt; qui orat ea remitti, hoc ipſo vult illa manere impunita, & non fieri quod iuſtum eſt. Deinde, quia qui pro huiuſmodi orant, eorum facta eo ipſo quod illa impunita volunt, approbare videntur, & quod impunè malefici viuant. Hęc & alia Macedonius propoſuit, quæ illum in ambiguo tenebant, quæ ſibi ab Auguſtino explicari poſtulat. Sed & idem Auguſtinus; hoc Chriſti præceptum difficile reddi fatetur ex ijs, quæ in ſcripturis legimus, in quibus videmus, ſanctos non tam orare pro inimicis, quàm contra eos. *Confundantur*, inquit Ieremias, *qui me perſequuntur, & non confundar ego, paueant illi, & non paueam ego, induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Dauid frequenter illud habet in ore: *Confundantur, & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam*, &, *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. ſicut ignis, qui cõburit &c. Erubeſcant, & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur, & pereãt.* Et inter alia huiuſmodi innumera peculiarem illum pſalmum edidit, contra calumniatorẽ ſuum, aduerſus quem coram Deo poſitus ita cœpit: *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt, &c. conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius cùm iudicatur, exeat condemnatus*, &c. Triginta maledictionibus eum proſequitur, vt annotat Rupertus, talibus vt cum Eccleſia contra aliquem ſupremam pœnam inducere vult, inde maledicendi modum trahat. Illud inſuper obijcit Auguſtinus, quod Ioannes in Apocalypſi refert, ſe vidiſſe *animas inperfectorum propter verbum Dei &c. Et clamabant voce magna, dicẽtes: Vſquequo Domine ſanctus & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra?* Grauem inſuper fatetur Auguſtinus difficultatem, inducere locum illum Ioannis: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem: eſt autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Quibus verbis intelligendum eſt, eſſe aliquos peccatores, pro quibus non orare nobis præcipitur. Et tale videtur peccatum odij, & perſecutionis, præſertim apud S. Ioannem, qui dixit, eum qui non diligit manere in morte. Et hoc confirmare videtur Paulus; de quo notat Auguſtin. quod loquens de Alexandro æ rario, nullo modo ſe exhibet orantem pro illo, de quo dixit: *Alexander æra rius multa mala mihi oſtendit reddet illi Dominus ſecundum opera illius, quem, & tu deuita.* Hæc & his ſimilia difficilem reddunt hanc legem, *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Hanc tamen quæſtionem egregiè ipſemet Auguſtinus expendit; eidem Macedonio reſpondens, & docens, non malè nos facere, orando, & intercedendo pro malefactoribus apud homines, qui iubemur pro calumniantibus, & perſequentibus nos, orare, & intercedere coram Deo, dicente Chriſto: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Id autem Diuus Auguſtinus explicat, ſupponens id quod ſæpè in hac tractatione dictum eſt, in inimico, & malefactore, calumniante, & perſequente, eſſe duo, perſonam, aut naturam, & culpam, quorum ſicut culpam aboleri, & abſumi, ita perſonam ſeruari bonum, & expediens eſt. Vnde ita pro illis coram Deo, & homi-

Eſt epiſt. 53. inter epiſt. Auguſt.

Apoc. 6. 9.

1. Ioã. 5. 13

2. ad Timot. 4. 14.

¶ 61. *Epiſt. 54. ad Macedonium.*

Lib. 1. de ſerm. dom. in monte. & ſer. 59. de temp.

Ieremi. 17. 18

Pſal. 34. 4. & 36. 15.

Pſ. 82. 14.

Pſ. 108. 1.

hominibus intercedere debemus, vt abſumatur quidem, & finiatur culpa, & ſeruetur, ac remaneat perſona. Ex
21. de Ciu. cap. 24. & ſer. 59. de temp. ijs Auguſtinus infert, & explicat, quid orandum, petendum vè ſit, pro inimicis. Quid enim maximè, inquit, pro inimicis orandum eſt, niſi hoc quod
1. ad Tim. 2. 25. ait Apoſtolus: *Vt det illis Deus pœnitentiam, & reſipiſcant à diaboli laqueis,*
34. Moral. cap. 16. *à quo captiui tenentur ſecundum ipſius voluntatem?* Cuius verba mutuaſſe viſus eſt Gregorius, id ipſum docens: ſi enim diligũtur ſecundum charitatem, propter Deum diligendi ſunt, & ideo hoc illis optandum, quod eſt neceſſarium, vt ad Dei gratiam reducantur, & ad eius gloriam perueniant. Et ſcitè Sanctus Auguſtinus dixit, hoc maximè pro illis orandum: quod ſi quidam recentiores annotarent, non Auguſtinum carpere intenderent, qui ſciens, pro inimicis bona etiam temporalia neceſſaria ad vitam agendam eſſe petenda (& vere etiam pro eis petimus
1. 2. qu. 25. art. 9. quando oramus dicentes: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vt Diuus Thomas annotauit) non dixit, hoc ſolummodo, ſed hoc maximè pro eis orandum. Infert ex eadem doctri-
Lib. 21. de ciu. cit. na Auguſtinus, præceptum hoc tãtùm obligare, reſpectu eorum inimicorum qui in eo ſunt ſtatu, in quo ad pœnitentiam fructuoſam reduci poſſunt. Si enim iam in malitia confirmati ſunt, non niſi otioſa eſſet oratio, quam Deus non præcipit, qui de omni verbo otioſo rationem reddendam dixit. Hæc igitur cauſa eſt, inquit; qua fit, vt nunc Eccleſia non oret pro malis angelis, quos ſuos eſſe nouit inimicos. Eadem ipſa cauſa eſt, qua fiet, vt in illo tunc iudicio, etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamuis perfecta ſit
Matth. 25. ſanctitate, non oret. Nullus orauit
Matth. 22. pro fatuis virginibus, quibus iam clauſa erat ianua; nullus pro illo, qui non
Matth. 18. habẽs veſtem nuptialem, expulſus eſt, & damnatus ad tenebras; nullus pro illo, qui quoniam conſeruo noluit compati, iuſſus eſt mitti in carcerem perpetuum. Eadem cauſa eſt, inquit, cur quamuis nunc pro viuis extremè malis oretur, nullatenus tamen pro defunctis infidelibus, impijſque, quorum certa eſt damnatio. Ex eodem principio infert Auguſtinus, quod ſi de aliquibus viuentibus ita Eccleſia certa eſſet; vt qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſunt conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo, ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus dumtaxat inimicis ſuis, in hoc corpore conſtitutis, &c. Ita Auguſtinus: ex cuius verbis illa cõmunis propoſitio deducitur: Si ſcirem aliquem eſſe abſolutè reprobatum, non magis orarem pro ipſo, quam pro diabolo. Cuius doctrinam reprobare contendunt aliqui recentiores, dicentes: quod etſi conſtaret alicui, calumniatorem, & perſecutorem ſuum, de reproborum numero eſſe, & propterea æterno igni deputandum, tamen adhuc dum viuit, orandum pro illo. Nam verè dum vita ſupereſt, pœnitere poteſt, & abſolutè loquendo ad diuinam gratiam poteſt redire, cui propterea ſacramenta non ſubtrahuntur; nec igitur oratio ſubtrahenda eſt. Veriſſima tamen eſt Beati Auguſtini ſententia, cuius authoritas minus quam par eſt à multis æſtimatur, ſicut, & aliorum ſanctorum Patrum, quibus tam liberè contradicunt, ſicut poſſent mihi, aut alteri ſibi ſimili, & æquali. Magnifacienda eſt ſanctorum Patrum doctrina, ſignanter Beati Auguſtini, quam ſemper magno in pretio habuit Eccleſia, vt dixit Ioannes Papa ſecundus in epiſtola ad Auiennum ſenatorem. Dico igitur veriſſimam eſſe Beati Auguſtini ſententiam, quam dum in ſtudijs ſcholaſticis verſaremur, euidenter meo iudicio demonſtrauimus, illam pertractantes quæſtionem in materia de ſpe, an ſi fieret abſoluta reuelatio damnationis alicuius, poſſet vita æterna ſperari. Nec enim talem reuelationem fieri poſſe vnquam dubitaui, ſicut facta eſt in Scriptura Sacra de Antichriſto, & de Iuda traditore. Probauimus enim illum, cui de ſeipſo facta eſſet talis reuelatio abſoluta, & certa, teneri adhuc ſperare, & habere actum virtutis ſpei, illũ verò, cui de altero facta eſſet talis reue-

¶ 62.

Tom. 4. Biblio. SS Patrũ. p. 553.

reuelatio, non teneri ſperare, aut actum ſpei erga illius ſaluationem proferre: nam vt Diuus Thomas docet, non tantum per virtutem ſpei nobis vitam æternam ſperamus, ſed etiam alijs. Itaque Antichriſtus etiam ſi ſciret ſe eſſe Antichriſtum, & quod eius condemnatio abſolutè eſſet reuelata, adhuc ipſe teneretur ſperare pro ſe, nos autem nullatenus pro illo. Multæ enim intercedunt differentiæ, tam ex parte virtutis ſpei, quæ præcipuè datur cuique pro ſeipſo, quam ex parte ſubiecti. Vnuſquiſque enim erga ſe ipſum habet libertatem, quam non habet erga alterum, quæ profundam Theologiam includunt ibidem à nobis explicatam, quam explicare nunc non vacat. Eodem igitur pacto cenſeo, quod ſi alicui fieret abſoluta reuelatio ſuæ condemnationis, culpa ſua incurrendæ, adhuc teneretur orare pro ſe ipſo. Si tamen alteri eadem reuelatio abſoluta, & determinata de illo fieret, nequaquam obligatus eſſet pro illo orare, quam ſententiam etſi multis probare poſſem, illa ſufficiat hiſtoria, quam Sanctus Lucas refert de Simone Mago: qui cum ſacrilegam illam ſymoniam apud Apoſtolos intentaſſet, Petrus quaſi eorum princeps loquitur primus (inquit gloſſa) dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c.* quæ verba expendens Beatus Gregorius, imprecatio, inquit, & maledictio eſt, præuidentis diuinam de Simone ſententiam, & huius reprobationem, atque æternam perditionem: quod ſimiliter, & Beda, & Gloſſa ordinaria obſeruarunt: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Duo iniunxit ei, cuius æternam damnationem nouerat: primùm, vt agat pœnitentiam, & ex conſequenti, quod ſperet veniam, nam pœnitentia eſt dolor de peccatis cum ſpe veniæ, ſecundum quod oret pro peccati ſui remiſſione. Reſpondit autem Simon: *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Ita quidem ille poſtulauit; ſed nec Petrus, nec cæteri Apoſtoli pro illo oraſſe perhibentur, cuius æternam damnationem domino reuelante cognouerant. Et certè nullus concederet, nunc aliquem teneri ad rogandum pro Antichriſto, vt Deus illum ſaluet, nec Sancti illi, qui ſuo tempore eum, Deo inſpirante, cognoſcent, à quo innumeras patientur perſecutiones, & calumnias, pro illo orabunt. Rogabunt quidem Deum, vt tempore eius malitiam in ordine ad iuſtos, ne quantum volet, noceat, ſicuti nunc de diabolo inimico noſtro orat Eccleſia, non tamen in ordine ad illum. Ideo nec Apoſtolus rogabat pro Nerone, cuius perſecutiones patienter ferebat, & tolerandas prædicabat, *donec de medio fieret.* Et hanc crede rationem fuiſſe, propter quam non orabat pro ſuo acerbo perſecutore Alexandro Æratio, quem nouerat æternis ignibus tradendum. Orauit Samuel pro Saul, quamuis Deus ſibi reuelauerit eius reprobationem, in ordine ad regnum, & quia dubitabat, an illa reuelatio abſoluta eſſet, an verò tantum ſecundum præſentem iuſtitiam, ſemper perſiſtebat orando: cùm vero Deus abſolutam reuelationem fecit, & dixit; *Vſque quo tu luges Saul, cùm ego proteceri m eum?* nunquam amplius pro illo orare deprehenſus eſt. His multa addi poſſent, ſed nunc dicta ſufficiant. Ex his explicat Sanctus Auguſtinus, quodnam ſit peccatum, pro quo Ioannes non dixit eſſe orandum. Et quidem aliquibus in locis indicat, illud eſſe, quo aliquis, poſtquam per Dei gratiam ad Euangelium, & fidem vocatus, & conuerſus, atque Euangelica gratia per Chriſtum iuſtificatus retrocedit, & odio, ac inuidia commotus, fideles, & ipſum Euangelium impugnat. Peccatum ergo fratris ad mortem, inquit Auguſtinus, puto eſſe, cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti quiſque oppugnat fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam, qua reconciliatus Deo, inuidentiæ facibus agitur. Peccatum autem non ad mortem eſt, ſi quiſquam non amorem à fratre alienauerit, ſed officia fraternitati debita, per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter, & Dominus in cruce orauit pro crucifixoribus, qui

2.2. qu. 17. art. 3.

¶ 63.

Acto. 8. 20.

2. p. paſtor. cap. 26.

Ibidem.

1. Reg. 16. 1

Libr. 1. de ſer. dom. in monte, & ſerm. 59. de tempor.

nondum gratiæ Spiritus ſancti participes facti, ſocietatem ſanctæ fraternitatis inierant: & Beatus Stephanus in Actibus Apoſtolorum, orat pro eis, à quibus lapidabatur, quia nõdum Chriſto crediderant, neque aduerſus illam communem gratiam dimicabant: & Apoſtolus Paulus, propterea credo, non orat pro Alexandro Ærario, quia iam frater erat, & ad mortem, id eſt, inuidētiæ facibus fraternitatem oppugnado, peccauerat. Ita Diuus Auguſtinus: cuius ſententiam quidam recentiores impugnant ex eo, quod etiam qui talis eſt; adduc iterum poteſt ad gratiam, à qua ſe auerterat, per Dei miſericordiam reuocari: & poteſt fieri, quod ſit prædeſtinatus, quales in ſanctorum hiſtorijs aliquos inuenimus. ¶ 64.

Cæterum exiſtimo, Beatum Auguſtinum eſſe interpretandum, ex ipſiuſmet doctrina, qui apertè docuit, ſemper orandum pro inimicis, quorum damnatio non certò cognita eſt. Propterea enim, inquit, Eccleſia ipſa, quia de nullo dum viuit certa eſt, orat pro omnibus inimicis ſuis: duntaxat hoc corpore conſtitutis. Apertè itidem docuit, hoc tam certum eſſe, vt etiam pro inimicis iam vita functis, orandum ſit, quorum, & quamdiu nobis non eſt certa damnatio: vbi egregiam tradit doctrinam, quæ hæreticos noſtri temporis negantes purgatorium, manifeſtè reuincit. Sicut ergo pro defunctis orandum eſt, dum nobis damnatio eorum non eſt cognita pro viuis orandum non eſt, quando certa, & cognita nobis eſſet. Ita Beatus Auguſtinus ſenſit. Non igitur abſolutè potuit ſentire, non eſſe orandum pro ijs, qui recepta euangelica gratia, odio exagitati contra fratres, ab ea recedentes, illam, & fratres impugnant, niſi tales fuerint, quorum damnatio certo ſit prænota, qualis fuit Alexander Ærarius, vt dictum eſt. Et iuxta hanc doctrinam optimè Theologi communi ſenſu, peccatum, quod Sanctus Ioannes dixit ad mortem, finalem impœnitentiam intelligunt, per quam aliquis peccatum vſque ad mortem trahit, ſicut ille, de quo dixit Iob: *Vſque ad inferos peccatum illius*, ſine tale peccatum ſit prænotum per reuelationem, ſiue euidentia facti conſpicuum, cum quis manifeſtè in peccato exiſtens è vita decedit. Et propterea S. Ioannes vtitur verbo ſciendi, dicere volens: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem*, id eſt, peccatum, quod nondum vſque ad mortem protraxit, *oret, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. Dicitur, dari alicui vitam alicuius, quando propter illius preces conceditur, quomodo dictum eſt à Paulo: *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*. Oret igitur, & dabitur ei, id eſt, propter eius preces, vita peccanti non ad mortem. Cum autem ſubdit; *Eſt peccatum ad mortem*, idem verbum ſciendi, intelligendum eſt, quaſi dicat; Quando quis ſcit, fratrem peccare peccatum ad mortem, id eſt, quod vſque ad mortem ipſam trahit, aut antea Deo reuelãte, aut poſtea per euidentiam facti, *non pro illo dico, vt roget quis*, id eſt, nulli impono quod oret. Cur Beatus Auguſtinus peculiariter hoc illis applicauit, qui retrocedentes ab euangelica gratia recepta, ex inuidia, eandem, & fraternitatem impugnant, Reſpondebo; quia hi ſunt, quorum vitam Ioannes ipſe ponit tanquam deſperatam, qui manifeſtè de eis in præcedentibus locutus fuerat, dicēs: *Audiſtis, quia Antichriſtus venit & nũc Antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. Loquitur Ioannes de aliquibus, qui recepta Euangelica gratia, ab illa retrocedentes, impugnatores eiuſdem gratiæ, & fidelium facti ſunt, de quibus Ioannes reuelationem habebat, quod non erant ex prædeſtinatis: hocque dicit: *Non erant ex nobis*, ideoque illorum ſibi certa erat damnatio, ſicuti, & Antichriſti. Ita igitur pars ſecunda ſententiæ B. Ioannis intelligenda eſt, quæ huiuſmodi eget expoſitione, ſicut, & prima. Cum enim dicit, quod orante iuſto pro peccatore illo; qui nondum peccatum vſque ad mortem traxit, dabitur vita peccanti, non ita intelligendum eſt, vt id ſemper fiat. Vt enim annotat Auguſtinus, orante

21. de ciuit. cap. 24.

Iob. 24. 19.

1. Ioan. 2. 18

¶ 65.

Act. 27. 24.

Eod. lib. 21. de ciuit.

Ecclesia pro multis, qui nõdum in peccato vitam finierunt, non omnibus datur vita propter illius orationes, sicuti nec Stephano orante, data est vita omnibus lapidantibus, imò nec orante Christo, omnibus crucifixoribus, non ex impotentia orationis; sed alijs de causis alibi explicandis. Confidentiam ergo, quam habere debemus ad Dominum, per Iesum Christum, voluit Ioānes explicare, docens, talem eam esse debere, vt petentes pro his, qui illum offendunt, & vita animæ sunt priuati, cõfidamus, nostris orationibus eam esse concedendam. Ex his explicat Beatus Augustinus, cur Sancti Prophetæ, & Apostoli, non solùm non se exhibeant orantes pro aliquibus inimicis suis; sed potius videantur mala eis imprecari, vt Dauid *a*: *Confundantur, & pereant*, & Ieremias *b*: *Confundantur qui me persequuntur, &c.* & Paulus *c*: *Reddet illi Dominus*: & iterum *d*: *Percutiet te Deus paries dealbate*, & alia, huiusmodi, quæ supra retulimus: quia illorum damnatio ipsis per diuinam reuelationem nota erat: ideoque pro illis nõ orabant, sed futuram eorum perditionem prædicebant. Nec tales sententiæ accipiendæ sunt tanquam imprecationes, factæ maledicentis affectu; sed præuidentis spiritu, vt idem sit: confundantur, & pereant, quod, confundentur, & peribunt. Quomodo sancti Patres illas Prophetarum, & sãctorum voces, quæ imprecationes videntur, interpretantur. Illud autem, quod Ioannes retulit, de sanctis martyribus petentibus vindictam contra eos, qui illorum sanguinem effuderunt, dicentibus: *Vindica Domine sanguinem nostrum*, non mouere nos debet, inquit Augustinus: non enim contra ipsos homines, sed contra regnum peccati, vindictam petebant, vt scilicet seruatis hominibus, regnum peccati aboleretur. Nam ipsa est syncera, & plena misericordiæ vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt, cuius euersionem intendit Apostolus, dicens: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Ita Diuus Augustinus, cuius sententiam communiter sequuntur sancti Patres, quam egregia similitudine Beatus Gregorius Nyssenus illustrauit. Quemadmodum ille, qui orat (inquit) ne sint ægritudines, non hominum interitum, sed morbi abolitionem fieri cupit; ita etiam dum quisque sanctorum orat vt id quod naturæ aduersum, & inimicum est, ad interitum redigatur, suspicionem quidem imperitioribus præbet, quasi aduersus homines sæuiat, sed verè illud tantumodo rat, vt peccatum, & iniquitas euertantur. Ex quibus illæ sanctorum sententiæ, quibus videntur mala peccatoribus imprecari, etiam exponi possunt, de quibus infra iterum redibit sermo.

Lib. 1. de ser. domin. in monte.

a *Ps.* 82. 14
b *Ier.* 17. 18
c *ad Tim.* 4
d *Act.* 23. 3

Apo. 6. 10.

Ser. 59. de tempor.

Rom. 6. 12.

Li. de orat.

§. 7. *Diligere calumniantes, & pro eis orare tenemur: iustum est tamen ab impositis calumnijs se purgare.*

¶ 66.

ANtequam tamen finem his imponamus, aliqua circa hoc præceptum orandi obseruanda sunt, sicut, & circa præceptum diligendi, & benefaciendi obseruauimus: eadem enim de oratione dicenda sunt, quę de dilectione, & beneficentia dicta fuerunt. In primis namq; per hoc quod Christus præcipit orandum pro inimicis, & persecutoribus, statuit vt contra eos nec maledicta, nec imprecationes malorũ assumantur. Deinde, indicitur omnibus ex necessitate præcepti, oratio in communi pro inimicis, ita videlicet, vt orantes pro omnibus alijs, illos nõ excipiamus. Non autem tenetur aliquis ad orationem in particulari pro inimico, nisi in animi præparatione, cum necessitas ad illam nos ex lege charitatis obligauerit. Ita Diuus Thomas egregiè more suo tradidit. Insuper, quoniam ratio orationis pro inimico, quæ ex charitate procedit, est Deus ipse, aut diuinum bonum; quando Deus ad sui, vel sanctorum suorum gloriam vel impiorum correptionem voluerit inimicis nostris malum imprecari, id licitè fieri poterit: non quidem intendendo illorum malum, sed bonum, quod inde

2. 2. *qu.* 25. *art.* 9.

Deus

4. Mor. c. 5. & 6. Deus eliciendum ſtatuit. Ita D. Gregorius eleganter docuit. Cum ſancti viri (inquit) maledictionis ſententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, ſed ex iuſtitia examinis prorumpunt. Intus enim ſubtile Dei iudicium aſpiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debent ferire, cognoſcunt, & in eo maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non diſcordant. Hoc confirmat, ex eo quod Petrus hoc modo maledixit Simoni mago, vt antea dictum eſt: quo etiam pacto iuſſit Elias ignem iterum atque iterum de cœlo deſcendere, qui omnes illos comburet quinquagenarios. Similiter, & Eliſeus, qui videns pueros ſibi inſultantes, *Maledixit eis in nomine, Domini, & egreſſi de ſaltu duo vrſi laceranerunt ex ipſis quadraginta duos*: quomodo, & Ioſue maledixit ei, qui reædificaret ciuitatem Iericho, &c. Præterea obſeruandum eſt, Deum, qui iubet orare pro calumniatoribus, præcipere quidem ne maledicta contra eos iaciamus, aut mala eis imprecemur, non tamen quod non contendamus à calumnia ab illis illata nos purgare, & innocentiam propriam defendere, quibus dictum eſt: *Curam habe de bono nomine*. A calumnijs, inquit D. Baſilius, conticeſcere nõ oportet, non vt contradicendo nos ipſos defendamus, ſed ne mendacio progreſſum permittamus, circumuentoſque damno affici patiamur. Scire enim vos velim, quod contumelias imponere, & detrahere aliquibus petulanti lingua, ac mente minimè candida, improborum, & eorũ, qui hominibus odium conciliant, opus eſſe: at omni ſtudio conari mendacium refellere virorum eſt frugi, ac eorum qui ſibi ipſis benè conſulunt, & multorum ſecuritati ſtudent. Id quod repetit ſcribẽs ad clericos Neocæſarienſes. Et hac de cauſa, eũ qui calumnia eſt affectus, debere pro ſeipſo reſpõdere: D etiam Gregorius demonſtrat, qui egregio diſcurſu, duo ex ſacris ſcripturis oſtendit: primum eſt, ne quaquam nos debere moueri hominũ calumnijs, ſi conſcientia noſtra nos non accuſat: ſecundum eſt, debere pro nobis ſatisfacere, quando talis rei nobis imponitur calumnia, quæ poteſt in audientium cordibus ſcandalum generare. Quod latius proſequitur ſcribens ad Theoctiſtam *a*, fœminam illuſtriſſimã. Hoc pacto Paulus pro ſe reſpondit, coram Agrippa *b*: *De omnibus*, inquit, *in quibus accuſor à Iudæis, Rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cùm ſim defenſurus me hodie, &c. propter quod obſecro patienter me audias*. Similiter, & B. Hieronymus ad hoc inſtitutum apologias aduerſus Ruffinum edidit, ſe ab ijs, quæ illi imponebantur, liberum comprobans. Et S. Gregorius Nazianzenus reſpondit ijs, qui eius fugam calumniati fuerant. Itidem Baſilius, longioribus tractatibus reſpõdere aggreſſus eſt calumnijs ſibi impoſitis, vt ex eius epiſtolis patet, &c. Ita ſancti Apoſtoli Simon, & Iudas, calumniam quam diaconoſuo quidam impoſuerunt, ſtuprum ei imputantes, excellẽti miraculo purgarunt: & ipſe Chriſtus Dominus totius ſanctitatis exemplar, pro ſe reſpõdit miniſtro colaphizanti, & calumniãti, quod irreuerenter reſpondiſſet Põtifici, dicens: *Si malè locutus ſum, &c.* Et fortè hoc dicere voluit Spiritus ſanctus: *Reſponde*, inquit *ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, &c.* Ex his igitur omnibus manifeſtum relinquitur præceptum dilectionis proximi, & quod illud Chriſtus, clarè, perſpicuè, & manifeſtè, omni immunditia Phariſæorum purgata exhibuerit.

4. Reg. 1. 10 *4. Reg. 2. 24.* *Ioſue 6. 26.* ¶ 67. *Ora. 10. de inuid. & odio ad finem.* *Epiſt. 73.* *Lib. 8. epiſ. 45. ad Patlad. preſby.* *a Li 9. epi. 39. ad Theoctiſtam.* *b Act. 26.* *In Apolog.* *Epi 79. 81. 86.* *Ioa. 18. 23.*

QVAE

QVARTA PARS,
DE RATIONIBVS HVIVS PRAECEPTI IN EIVSDEM VERBIS IMPLICATIS.

§. 1. *Deus præceptum hoc tradens, eiusdem rationes simul indicat, qui propterea inducitur à Moyse legem ferens in dextera, & ab Habacuc ferens cornua, aut flammas ignis lucidas.*

¶ 68. EGO autem dico vobis: *Diligite inimicos vestros, &c.* Præceptum dilectionis inimici, quibusdã visum est impossibile, quia videtur contra naturalem cuiusque inclinationem, quam nemo potest tollere: alijs, contrarium propriæ conseruationi, & saluti; nulla enim res conseruari potest, si contrarijs non resistat, & repugnet, vt docuit Aristoteles: alijs, oppositum rationi, & æquitati, secundum quam, sicut iustum est diligere diligentem, & benefacere benefacienti, videtur iustum, odire odientem, & malefacere malefacienti, id namque est æqualitatem seruare. Ita multi gentiles antiquitus sentiebant, imò & quamplurimi, qui se fideles prædicabant, vt ex Marcellino *a*, Augustino *b*, Iustino martyre *c*, Hieronymo *d*, & alijs alibi latè retulimus. Cæterum Deus noster, *cui* vt dixit Eliu *e*, *nullus similis in legislatoribus*, tam sapienter procedit, vt legem istam promulgans, & statuens, simul rationes efficacissimas tradat, quibus demonstrat, illam non impossibilem, nec iniustam, nec rationi, aut propriæ vtilitati contrariam; quin potius possibilem, iustam, secundum rationem, propriæque vtilitati maximè conuenientem. Hæ rationes sunt in duplici differentia, quædam implicitæ, & inclusæ in eisdem verbis ipsius præcepti; aliæ explicitæ, quas statim post ipsum præceptum Christus adiecit: illæ priores in hac quarta parte, posteriores, in sequẽti erunt expendendæ. Vt autem rationes in verbis diuinis latentes eruamus, duo agenda sunt: primum, diuinum auxilium supernamque lucem implorare ab ipsomet, qui legem dedit, quique pater luminum est: secundum erit, singula quæque verba omni ex parte cõsiderare, vt quæ in quouis eorum cõtinentur rationes, eruamus. In primus igitur diuina lux necessaria nobis est. Duo petebat S. Dauid à Deo, legẽ scilicet, qua recta viam teneret, & intellectũ ad talem legem intelligendam. *Legẽ pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquirã eam semper. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto cordẽ meo.* Primò petit legem, quæ sit via ad veram iustitiã, & æquitatem tenendam: vt enim annotauit S. Ambros. hæc debet esse præcipua hominis cura, quærere legem, secundum quam sine errore viã vitæ teneat, per quam iuste viuat, & ad vitam veram tendat. Ad quod institutum expendit illam diuinam admonitionem: *Hæc dicit Dominus; State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Stare super aliquid, est diligenter considerare illud, qua phrasi Hispani com-

Libr. 2. de cœlo.

a Epi. 4. apud Aug.
b Epist. 5.
c Apol. con. gen.
d In cap. 5. Matth.
e Iob 36. 22

Psal. 118. 33.

In Psal. 118. octon. 5. vers. 2.

Ier. 6. 16.

communiter dicimus: *Eſt ad in eſto*: ideo ſtare ſuper vias eſt, attentiſſimè conſiderare, quænam via tenenda ſit. Et certè nullum negotium grauius ſe poteſt homini offerre, quam quod ad rectam viam tenendam pertinet: ſi enim ab ea aberrauerit, irremediabile malũ incurret. Propterea huic negotio ſumma eſt adhibenda cura, magis quam pecunijs, & quibuſuis rebus ſeculi. Rectè ergo Deus clamat: *State ſuper vias.* Et quoniã non poteſt homo à ſe ipſo veram viam inuenire, hortatur Deus, vt interroget, & quærat ab eo, qui illam poteſt docere. *Interrogate de ſemitis antiquis*, id eſt, ſecuris, & certis, quas antiqui patres tenuerunt. Dauid itaque deſiderãs rectam viam tenere, à Deo poſtulat, vt eam ſibi deſignet, & ſtatuat, dicens: *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum* Et rectè quidem ad Deum ipſum recurrit, primò quia leges imponere, proprium eſt Regum, & dominorum: qua de cauſa, qui regnant, dicũtur: *Legum conditores qui iuſta decernũt.* Dominus eſt, qui legem imponit ſeruo: Rex, qui legẽ in Republica ſtatuit. Intelligens Dauid, ſupremam Dei poteſtatem, & abſolutum dominium, ſeqs illius ſeruum profitens, legem ſibi ab eo imponi poſtulat. Secundò, quoniam intelligebat, ſe à Deo creatum ad æternam Beatitudinem, cuius viam ſolus ille nouerat, qui illam tãquam finem inſtituerat, qui ſolus ſufficiẽter poteſt ad eam ordinare. Obſeruant Ambroſius, *a* & Hilarius *b*, Dauidem, cum hanc petitionem fecit, memoria tenuiſſe id, quod Deus cum antiquis Patribus egit, quibus quando eos ex Ægypto eduxit, vt in terram promiſſam introduceret, quoniam per deſertum erat iter agendum, facilèque poterant à recto itinere deuiare, columnam illam celebrem nubis, & ignis, quæ per diem æſtum ſolis temperaret, & noctu viam oſtenderet ambulãtibus, & tenebras fug- ,præſtiret. Hocque, inquit Ambroſius, eſt, quod Dauid dixit: *In columna nubis loquebatur ad eos*, per illam enim, nõ minus clarè, quam ſi verbis ageret, & loqueretur, docebat, & inſtruebat, quando, quomodo, & per quam partem interesſet agendũ. Lex ergo viæ, inquiũt Ambroſius, & Hilarius, columna illa

¶ 69.

Prou 8.15.

a *In pſal.* 118. octon. 5. verſ. 1.

b *In pſal.* 118. lit. Hebr.

Exod. 13.

Pſal 98.7.

dici poterat, quam diuina prouidentia, non humanum arbitrium conſtituit. Et rectè quidem ad Deum pertinebat hãc viæ regulam dare populo, quẽ ad terram illam, quam nunquam viderat, & cuius viam ignorabat, ueſtinarat. Similiter intelligens Dauid, ſibi ad æternam patriam proficiſcendum, & quod facile poteſt homo ab ſcopo aberrare, ſi ſuæ rationis ductum ſolummodo ſequatur; petit à Deo ſibi legẽ ſtatui, quæ ſit tanquam via, qua rectum iter teneat, per quam ſine errore procedat. Cæterum non tantum petit à Deo, vt legem ſibi imponat, ſed, & poſtulabat ab eodem intellectum ad eam intelligendam. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuã:* vt enim demonſtrat Diuus Thomas, lex eſt actus intellectus, & rationis illius, qui eam imponit; & lex diuina, eſt actus quidam intellectus diuini, ea autẽ quæ ad intellectum diuinum pertinent, nemo nouit, niſi Deus ipſe reuelet. Lycurgus, Solõ aliique legislatores, quos antiquitas commẽdauit, cum leges ferebant, earũdem legitimam intelligẽtiam tradebant, quoniam erant actus intellectus eorũ, quos nemo rectè poterat capere, niſi ipſimet eoſdem explicarent. Multò magis hoc ipſum dicendum eſt de illo, de quo ſcriptum eſt, quod *a nõ eſt ei ſimilis in legislatoribus*, cuius cogitationes tam altæ excelſæq; ſunt, vt dicat Dauid *b*: *Cogitationibus tuis, non eſt qui ſimilis ſit tibi*, & ſi *c, quæ ſunt hominis*, vt inquit Apoſtolus, *nemo ſcit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt*, multò minus ea, quæ Dei ſunt, cognoſcet, niſi ſpiritus Dei, qui in ipſo eſt, nobis reuelet. Id quod Deus ipſe demonſtrare voluit, quando in monte Sina apparuit Moyſi, deferens in manu ſua legem igneam, ſplendentem, ac fulgidam. *Dominus*, inquit, *de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, in dextera eius ignea lex*: quem iuxta aliquorum ſententiam, vt infra dicemus, ſimiliter deſcripſit Habacuc: *Deus ab auſtro venit, & ſanctus de monte Pharan, &c ſplendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius &c.* In Hebræo, *Cornua à manibus eius*. Deſcribit Dñ ferentem legem in manu ſua, & eximios ſplendoris radios ab eadem manu emittentem, quos cornua vocat, id eſt,

1. 2. qu. 90. art. 1.

¶ 70.

a *Iob 36.* 22.

b *Pſ. 39. 6.*

c *1. Cor. 2.*

Deut. 33. 2.

Habac. 3. 3.

fiam.

flammas ignis, aut radios ſplendoris: eo modo, quo facies ſplendida Moyſi dicitur *cornuta*, quia radij ſplendoris tanquam pyramides, & cornua ab ea procedebant, vt non poſſent in eam intendere filij Iſrael. In manu ergo Dei erat lux, & claritas: quia ſicut lex diuina ab eius manu procedit; ita, & lux ad eam intelligendam: & ſicut lex diuina non poteſt ad nos niſi ipſo operante, & agẽte peruenire; ita neque poſſumus legitimam eius intelligentiam conſequi, niſi ab eius manu, & potentia, lucis radij ad nos procedant. Propterea Dauid non ſolum legem ſibi ſtatui poſtulat; ſed, & legitimum eius intellectum, ab ipſo Deo expoſcit, & qui alibi, beatum iudicat eum, quæ hæc duo aſſequutus fuit: *Beatus*, inquit, *homo quem tu erudieris Domine*: id eſt, quem per leges tuas inſtruxeris: *& de lege tua docueris eum*: id eſt, cui eiuſdem legis tribueris legitimum intellectum. Antiquitus legem Deus poſuit, & ſtatuit, quam totã vnico dilectionis mandato perſtrinxit: homines tamen, qui legem acceperant, nequaquam illius legitimam perceperunt intelligentiam. Propterea idem Deus, cuius ſicut intereſt, legem dare, legitimum eius intellectum tradere, nunc genuinum ſenſum exprimit, tradiditque dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos, &c.* Cum Dauid ergo à Deo legem, & eius intellectum petamus, dicentes: *Reuela oculos meos, & cõſiderabo mirabilia de lege tua*. Si enim lucis ſuæ radio, oculos noſtros illuſtrare dignatus fuerit, mirabilia quæ hæc lex continet, conſiderare poterimus. Eius igitur fauore, & illuſtratione muniti, ad eam conſiderandam nos conuertamus.

Exod. 34. 29. 30.

Pſ. 93. 12.

Iſ. 118. 18.

§. 2. *Singula verba huius præcepti, cum Dauid requirenda, & obſeruanda ſunt, & cum Tobia exenterandus hic piſcis immanis, vt totus ſalubris reddatur.*

¶ 71.

VT rationes huius præcepti, in eiuſdem verbis incluſas eruamus, verba diuina, quibus illud nobis proponitur, ſingillatim ſunt expendenda, & omni ex parte conſideranda. Duo ſiquidem Dauid de diuinis præceptis dixit; vnum, quod ſunt lucida, clara, & perſpicua, quantum ad rem, quam ſtatuunt; Deus enim id quod præcipit, apertè, clarèque præcipit: *Præceptum Domini*, inquit Dauid, *lucidum, illuminans oculos*: alterum eſt, quod *in ſemetipſis ſunt iuſtificata*, quia ſecum ferũt rationem, propter quam iuſta, & recta iudicari, cenſerique debeant: *Viuus*, inquit Apoſtolus, *eſt ſermo Dei, & efficax*, ideoque lex, quam diuinus ſermo proponit, viua eſt, & in ſe ipſa habet vitam, & animam. Anima ſiquidem, & vita legis, eſt ratio: ſecum diuina lex, ex Dei ore procedens, fert ſui rationem, & quot verba continet, tot rationes ſecum trahit: immo quoduis ſingulare verbum, multas rationes includit; ideo diligenter omnia verba ſunt conſideranda, & expendenda. Edidit Dauid pſalmum egregium, docere volens, cur Deus, homini mandata quæ ſeruaret, impoſuerit, demonſtrans id eſſe congruum hominum neceſſitati, & diuinæ bonitati. Incipit propterea in perſona humani generis feruenti oratione petere, vt id Deus illi præſtet, per quod poſſit euadere, ne tandem à ſuis inimicis irrideatur. *Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei.* Nihil amarius poteſt homini euenire, quàm ſe videre in tali miſeria, quem pleno ore inimici ſui irrideant. Et quaſi Dauid audiret interrogantem Deum: Quid igitur vis, vt inimicorum irriſionem euadas? ſubdit: *Vias tuas Domine demonſtra mihi,*

Pſ. 18. 10.

Pſal. 24. 1.

mihi & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me. Tunc ſingulariter homo ab inimicis ſuis irrideri poſſet, cùm viam teneret, per quam tandem ipſemet ad eorum manus ita deueniret, vt facere de eo poſſet, quicquid vellent. Quam læti contemplarentur eum inimici illam viam ambulantem? quo riſu eum tandem in eorum manus incidentem proſequerentur? & quàm vehementer ille erubeſceret? Videbat Dauid gentes ambulates in *vanitate ſenſus ſui, tenebris habentes obſcuratum intellectum*. *Quas Deus dimiſit ingredi vias ſuas*, tales, per quas directè tendebant, vt in manus dæmonum, humani generis inimicorum, inciderent, qui eos omnibus pœnis cruciarent, & irriderent illos, qui exiſtimantes ſe peruenturos ad beatitudinem, tandem æternæ damnationis chaos incidebant. *Vias ergo tuas Domine demonſtra mihi*: vias tuas, id eſt, ad te ducentes, ſicut *via ciuitatis habitaculi* dicitur, quæ rectè ad ciuitatem, in qua habitarent ducit. Tu *lucem habitas inacceſſibilem, quam nemo hominum vidit ſed nec videre poteſt*, niſi te ductore. *Iuuenes viderunt lumen, & habitauerũt ſuper terram*, inquit Baruch, loquens de philoſophis, qui exiſtimabant ſe ſupremam lucem attigiſſe, qui quidem habitauerunt ſuper terram, id eſt, ad terrena tantum agnoſcẽda peruenerunt: *Viam autem diſciplinæ ignorauerunt, neque intellexerunt ſemitas eius, neque filij eorum ſuſceperunt eam: à facie ipſorum longè facta eſt; non eſt audita in terra Chanaam, neque viſa eſt in Thema.* A Deo ergo ipſo talis via tradenda eſt: *Quis enim hominum*, inquit Sapiens *poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ*, in Græco *legiſmi*, id eſt, ratiocinationes, diſcurſus, pleni ſunt timore, an rectè inferamus concluſionem, & ſine errore. *Vias ergo tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*. Vias vocat præcepta omnibus congruentia, ſemitas autem vocat conſilia, quæ non niſi paucis conueniunt. Sunt multi qui viam communem tenebunt, alij qui per ſemitas, vt breuius ad terminum perueniant, ire nitentur. Oſtende ergo vias, & doce ſemitas tuas. Hoc tam vehementi affectu petijt Dauid, vt demonſtraret, quàm eſſet neceſſarium homini, quod Deus ipſe legem ei traderet. Id autem Deum præſtitiſſe deinde explicat, illius bonitatem commendans, quod legem homini tradiderit: *Dulcis*, inquit, *& rectus Dominus, propter hoc legẽ dabit delinquẽtibus in via.* Dulcis, in Græco *Chriſtos*, id eſt, ſuauis, benignus, bonus: *& rectus*, id eſt, iuſtus, rectitudinem ſeruans, Vide ex parte Dei duo principia, propter quæ legem homini dedit, quia ſcilicet dulcis, & rectus. Quia enim dulcis eſt, aut bonus, ab æterno decreuit homini regnum beatitudinis ſuæ conferre: eſt enim de ratione boni, ſe communicare. Hæc prima radix creationis mundi, & conditionis hominis, quia Deus ex eo quod dulcis, aut bonus eſt, voluit ſe illi communicare, & ſe ipſum, ac omnia ſua bona illi conferre: ſed qui id voluit, quia dulcis, aut bonus eſt; voluit etiam quia rectus eſt, vt homo tale bonum non conſequeretur, nec regnum obtineret, niſi mundus ſit, & rectè diſpoſitus. Eſſet enim contra rationem, vt inordinatus, immundus, & abominatione plenus, ad regnum illud peruenire, in quo omnia ſunt recta, ordinata, & munda: meritoque Ioannes cum illud contemplabatur, audiuit vocem dicentem: *Foris canes foris venefici, & & omne faciens abominationem*, &c. Prin ò ergo Deus dulcis, aut bonus dicitur, quia hoc eſt, quod primas in illo tenet, velle ſcilicet ex mera ſua bonitate ſe nobis cõmunicare, & nobis regnum ſuum conferre: ſed quoniam rectus eſt, & iuſtus, voluit, vt homo talem ſe exhiberet, cui tale regnum poſſet quadrare; quique poſſet in illud induci. Propterea legem dedit delinquentibus in via, id eſt, ijs, qui in via, quam tenent, ſi ſibi relinquantur, innumeris modis errabunt. Legem dedit, vt in via qua ambulant, ab erroribus liberentur. Et quaſi Dauid audiret nos interrogantes. Quales ſunt viæ, leges, aut mandata, quæ dedit? ſubdit: *Vniuerſa via Domini, miſericordia, & veritas, requirentibus teſtamenta eius, & teſtimonia eius.*

Ad Epheſ. 4.17. *Act.14.15* *Pſ.106.4.* *1.ad Tim. 6.16.* *Baruch.3. 20.* *Sap.9.13.* *¶ 72.* *Titelman.* *Apoc. 22. 15.*

Omnia

Omnia verba expende. Est Deus dulcis, aut bonus, & misericors; est itidem rectus, & veritatem, aut iustitiam tenens: tales ergo esse debent eius leges, *misericordia*, vtpote quæ à dulci, & misericorde, *& veritas*; quia à vero, & recto procedũt: tales qualitates in mãdatis aspice, quales ipse habet in se, *Misericordia, & veritas*, id est, in misericordia, & veritate disposita, & ordinata, quomodo alibi dixit: *Facta in veritate, & æquitate*. Misericordia respicit miseriam, cui subuenit; veritas res ipsas, quæ est adæquatio intellectus ad ipsas res. Lex Dei in misericordia est disposita, quia ad nostras miserias reprimendas, auferendas, & delendas est apta, & est in veritate statuta, quia integram conformitatem ad ipsum rectum, & iustum tenet. Sunt itaque Dei mandata, in se quidem recta, æquo, & iusto conformia, & ideo vera: sunt idem nobis congruentissima, ideò in misericordia ad nostram miseriam absumendam ordinata. Hoc autem intelligere non omnibus datur: sed *Requirentibus testamentum eius, & testimonia eius*, id est, illi intelligunt, nihil nobis à Deo præceptum, nisi quod nobis sit salutiferum, & in se rectissimũ, & æquum, qui ea requirunt, & amant: alijs enim videntur præcepta dura, & iniusta. In Hebræo verbum *Natsar*, quod communiter significat custodire, vnde Pagninus, & alijs transferunt: *Custodientibus testamentum eius*; qui enim legem custodiunt, verè experiuntur, illam esse ipsis salutarem, & in se ipsa rectè institutam: aliquando tamen significat, non vtcumque custodire; sed ad modum speculatoris, custodientis arcem, aut munitionem, qui attentis oculis, rem quam custodit lustrat, & percurrit; vt idem sit custodire, quod attentissimè omni ex parte cõsiderare, & circumspicere. Ita apud Ieremiam dicuntur: *Custodes in monte Ephraim*: ita, & apud Nahum Nabuchodonosor procedens ad deuastandam ciuitatem Ninive dicitur: *Custos obsidionis*, id est, apertis, attentis, ac vt ita dicam, mille oculis, considerans murum illum famigeratissimum ciuitatis Ninive, vt qua ex parte obsideret, decerneret. Ita ergo diuinæ legis præcepta apparebũt verè in misericordia, ac suauitate, & in veritate, ac rectitudine dispositа, si oculos mentis ad ea omni ex parte lustranda conuertamus, & omnia eius verba attentissima circumspectione vndique cõsideremus. Quod & Salomon indicauit dicens: *Non recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui*: oculos tuos ita ad legem contemplandam conuerte, & suprema attentione percurre, omnia illius verba ponderans: sicque fiet, vt cordi tuo sit placita. Id quidem de omnibus præceptis diuinis verum est, singulariter autem de hoc, quod inimicorum dilectionem decernit: graue, asperum, incongruum, imò contrarium naturæ, & rectæ rationi videtur: sed si rectè singula verba expendas, videbis in misericordia, & rectitudine illud verè statutum. Profecturo Tobiæ ad recuperandam substantiam, quam mutuo pater eius tradiderat, & arrepturo iter longum, Dei munere datus est comes itineris sui Raphael Angelus, in specie hominis. Statim autem post breuem viam confectam, accedere volens ad aquas, vt pedes lauaret; *Ecce piscis immanis exiuit*, quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, dicens: *Domine inuadit me*. Et dixit ei Angelus: *Apprehende branchiam eius, & extrahe ad te in siccum, & exenterа piscem hunc, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter*: id est, sunt omnia quæ in hoc pisce continentur necessaria ad vtilissima medicamẽta: caro vtilis est ad comedendum, iecur ad dæmones effugandos, fel ipsum ad acuendum, & restituendum visum: exenterа piscem, quo nihil vtilius, ac suauius. Tempore Quadragesimæ homo iter arripit ad ea, quæ quasi mutuò dederat, recuperanda, gratiam, Dei amicitiam, spiritualia charismata, quæ quare dicatur homo cum peccat quasi mutuò donasse, supra expositum. Datur ei comes, qui eum dirigat, prædicator scilicet, & doctor, qui eum instruat: ipso enim tempore, cuique parœciæ suus prædicator de more statuitur, qui angelus moribus, munditia, & scientia esse debet, de quo dicitur: *Legem de ore eius requi-*

Psal. 110. 8.

¶ 73.

נצר

Brixia. tom. 1. fol. 472. p. 2.

Ierem. 31. 6.

Nahũ. 2. 1.

Prou. 4. 21

Tob. 6. 3.

¶ 74.

Mala. 2. 7.

rint, quia angelus Domini eſt. Statim itinere arrepto, ad lauandum pedes, id eſt, affectus ſuos, ſe confert homo: propterea properat ad aquas diuini verbi, quæ celeri curſu toto Quadrageſimæ tempore fluunt, de quibus dictum fuerat: *Effundam ſuper vos aquã mundam, & mũdabimini ab omnibus inquinamentis veſtris:* ſtatim tamen poſt breues paſſus confectos, *ecce piſcis immanis*, ex aquis iſtis prodit, hoc videlicet præceptum: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros. Ecce*, attentionem inducit piſcis immanis: videtur enim immane, & crudele, me obligare, vt manus contineam erga illum, qui ſuas contra me mouit, & diligam eum qui me odit: & quod percutienti vnam maxillam, præbeam, & alteram; & quod volenti tollere pallium, tradam, & tunicam; quæ omnia Chriſtus eodem capite quinto Matthæi tradit. Verè apparet, quod poſſis clamare: *Inuadit me.* Vt enim alibi diximus, multitudo hominum fuit, cui viſum eſt hoc præceptum potius ad deſtruendam Rempublicam, quàm ad conſeruandam eſſe aptum. Cæterum duo dico tibi: primum eſt; Extrahe in ſiccum: iudica, & expende hoc præceptum, ſemotis humanæ carnis affectibus, & paſſionibus, quas ſancti Patres aquis vehementi celeritate currẽtibus comparant: rem ipſam ſecundùm rectam rationem conſideremus, omni ſemota paſſione. Aut extrahe à flumine vehementer currente, ſola impetus vi, non ratione, id eſt, ab hominum carnalium, & ſuperborum cenſura, vt exponere videtur Auguſtinus, qui de rebus tam malè iudicant, vt dicant, malum bonum, & bonum malum; qui tantum iudicant ſecundum viſionem oculorum. Et ſtatue in ſicco, aut firmo, id eſt, in eo, quod eſt ſecundum veram virtutem, & rationem. Deinde, *exentera piſcem hunc.* Magnam emphaſim illud verbum habet, quo tantum hoc in loco ſcriptura diuina diuina vtitur. Exenterare, eſt vſque ad intima exta, & recondita viſcera penetrare. Non in ſuperficie præceptum conſiderandum eſt, hoc enim pacto terrorem incutiet; ſed exentera illud, & videbis totum illud eſſe bonum, dulce, ſuaue, vtile, ex quo medicamenta vtiliora noſtris infirmitatibus curandis conficiantur, & fel ipſum amariſſimum, quod continent, eſt vnicum remedium ad illuſtrandos oculos animæ, & integram ſalutem reſtituendam. Hoc igitur agamus ſingula verba expendentes, & quæ in vnoquoque eorum latent, ad noſtram extrahamus ſalutem.

In Pſal. 57 in illud: Tanquam aqua decurrens.

§. 3. *Primam rationem ex legiſlatore, indicat pronomen illud, Ego, ſupremam illius poteſtatem exprimens, qui Rex eſt, cuius os Salomon obſeruabat.*

¶ 75. *Hom. 71. ad popul.*

Ego autem dico vobis. Annotauit Beatus Ioannes Chryſoſtomus præceptum hoc de inimicorum dilectione, eſſe difficile ad ſeruandum nobis, qui maximè proni ſumus ad iram, & vindictam: eſt, vt ipſe ait: *Valde magnum præceptum*, ideoque oportere, illud non nudè à nobis conſiderari; ſed eas rationes expendi, qua illud oſtendunt iuſtum, & rationabile, nobiſque facile reddunt. Inter eas primum locum illa tenet, quæ deſumitur ex authoritate, & poteſtate legislatoris, quem verbis, quibus legem ipſam promulgat, exprimit, dicens: *Ego autem dico vobis.* Volens S. Cyrillus Alexandrinus, mandata, quæ antiquitus Deus Iudæis in monte Sinai tradiderat, explicare, cenſet non tantum illa eſſe obſeruanda, ſed in primis expendendum modum, quem promulgando tenuit: nec enim nuda propoſuit præcepta, ſed exordium ſuis legibus fecit, breuiſſimum quidem ſecũdum verba, ampliſſimum tamen ſecundum ſentẽtiam, quæ ſuam poteſtatem ſupremam expreſſit. Opus enim erit, vt ij, qui diuinorum præceptorum iugum erant ſubituri, non ignorarent, quanta eſſet legislatoris poteſtas; & hoc ipſo ſcirent, iuſtum eſſe, imò, & neceſſarium, obedire ei, & ſeruare quas imponebat leges. Idcirco ante primum fun-

L. 7. de ador. p. 166

fundamentaleque præceptum illud
Exod. 20. 2 præmisit exordium, dicens: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis: Non erunt tibi dij alij præter me.* Verba quidem breuissima exordij loco suppositi, sed quę supremam illius potestatē in mentem reuocarent. Dicens enim: Ego Dominus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis voluit dicere, se esse eum, qui illorum Ægypto prodigiorum author fuit, qui aduersus iniquorum dominorum insaniam vniuersam excitauit creaturā, qui imbres, & grandinem armauit, & elementorum commutationes ostēdit, qui mortem miserabilem primogenitis immisit, qui triduanas illis tenebras effudit, qui per medios fluctus, quibus voluit, ire concessit, qui Pharaonem obduratum, qui illius dominium nescire sē dixerat, totumque exercitum eius, & populi sui aduersarios nullo negotio contriuit, &c. Quoniam autem ipsemet, qui tunc legem illam antiquam tulit, nunc eandem, quæ obliterata erat nouiter promulgat, quique dicere
Isa. 52. 6. potest: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum*: legem laturus, simile exordium præmittit, quo suam diuinam personam declarat, supremamque authoritatem exprimit. Hac enim loquendi formula, vt obseruat Tertullianus, se verum Deum, supremum legislatorem exhibet. Non dixit, inquit Ter-
Li. de carne Christi, cap. 4. tullianus, quemadmodum Zacharias Propheta: *Dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me:* sed nec quotidianum
Zach. 1. 9. 13. illud Prophetarum: *Hæc dicit Dominus*: Ipse enim erat Dominus, qui supremam sui authoritatem pronuntiat, dicens: *Ego autem dico vobis*; vt hoc ipso intelligamus, absque aliqua contradictione, vel replica, seruandum esse præceptum, quod promulgat. Hæc igitur prima ratio sit, quæ huius præcepti vim, nostramque ad illud seruandum, obligationem demonstrat, Deum ipsum esse, qui hanc legem statuit, &
¶ 76. promulgauit. Quam rationem excellenter hominum sapientissimus Salomon expendit, & in illa sua celebri cōcione, quam ad omnes homines habuit, considerandam expressit: *Ego*, inquit, *os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei, &c. quia omne quod voluerit, faciet & sermo illius potestate plenus est nec ei dicere quisquam potest: Quare ita facis?* Os sumitur pro eo, quod ore profertur, quomodo Christus pollicetur fidelibus suis, *os, & sapientiam*, tempore persecutionis. Obseruare autem os alicuius, est, attentissimè intendere, quid ille vel minimo verbo præcipiat: quomodo fideles serui os dominorum obseruare dicuntur, & ex eo pendere. Quis igitur Rex iste est, cuius os Salomon obseruat? In principio libri (inquit Caietanus) concionator iste dixit, se Regem esse: *Verba Ecclesiastes filij Dauid, Regis Ierusalem*: & nunc suam vult proponere authoritatem, dicendo: *Ego*, insinuans se, qui loquebatur, regiam habere authoritatem, & potestatem. Et quidem talis Rex erat, de quo dicitur: *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ, diuitijs, & sapientia; & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapiētiam eius, quam dederat Deus in corde eius*. Vnde, & Reges ipsi desiderabant eum audire loquentem, adeò vt Regina Saba ad eum audiendum profecta fuerit, quæ ex ore eius pendens, ipsum audiens, *non habebat vltra spiritum, &c.* Quis igitur rex esse poterat, cuius os tam attentè Salomon obseruabat? *Ego*, inquit, *os Regis obseruo*. Non alium certè videtur intelligere (inquit doctus huius loci interpres *a*) quam Deum magnum Dominum, qui est, *b Rex magnus super omnes Deos*. Et est, *c Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram*, qui est *d Dominus Dominorum, & Rex Regum*, qui *e habet in vestimento, & in femore scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium, f per quem Reges regnant, g cuius regnum in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, h cuius potestas, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. i Regni enim eius non erit finis*. Et quod iste sit Rex, de quo loquitur Salomon, patet ex eo quod subdit: *Et præcepta iuramenti Dei*. Diuinas enim leges, quas primò vocat, os Reges, qa

Eccl. 8. 2.

In cap. 8. Eccl.

Eccles. 1. 1.

3. Reg. 10. 23.

a Lorinus in cap. 8. Eccl.
b Ps. 94. 3.
c Ps 46. 1.
d Apoc. 17. 14.
e Apoc. 19. 16.
f Prou. 8. 15.
g Dan. 7. 44.
h Dan. 7. 14.
i Luc. 1. 33

ab ore

ab ore ſupremi Regis procedunt, poſtea vocat: *Præcepta iuramenta Dei*, quia quaſi ſub iuramento ea Deus ſtatuebat, quando ſub diuini nominis authoritate illa firmabat, ſubdés: *ego Dominus, ego Deus*, aut verò, qa homines quaſi ſub iuramento ad eorum obſeruantiam ſe obſtrinxerunt, quando inito fœdere, & aſperſi ſanguine, promiſerunt ſe illa obſeruaturos. Summa ergo attentione Salomon diuinis præceptis intendebat, vt ſtatim ea exequeretur. Et meritò: hoc namque omnibus Regibus eſt commune, velle vt eorum ſubditi, abſque replica, verbis mandatiſque ſuis obediant, vtique pendeant ex eorum ore, vt cum ſumma attentione auſcultent, quæ præcipiunt, & abſque aliqua hæſitatione, aut contradictione exequantur. Ita in diſputatione, de re fortiori inuenis, qui Regem omnibus fortiorem contendebat, expoſuit: *Rex ſuper omnia præcellit, & dominatur eorum, & omne quodcunque dixerit illis faciunt, &c. & Regis verbum non pertranſeunt &c & ipſe vnus ſolus, ſi dixerit: Occidito, occidunt dixerit, Remittite, remittunt, dixerit, Percutite percutiunt, dixerit, Exterminate exterminant dixerit Ædificate ædificant, dixerit, Excidite, excidunt, dixerit, Plantate, plantant, & omnis plebs, & virtutes eorum obaudiunt &c.* Præcepit Rex Saul militibus, & toti populo, cùm bellum parabat Philiſthæis inferre, & iam tempus pugnæ imminebat, ne aliquis quicquam cibi per totam diem, vſque ad veſperam deguſtaret, mãdatum quidem ſtultiſſimum, & omni inſipientia plenum, vt demõſtrant B. Chryſoſtom. *a*, & Theodoretus *b*. Potius enim milites multo labore fatigatos, refocillare debebat, vt ad pugnam eſſent validiores, vt ipſiuſmet Regis filius dixit *c*. Nihilominus tanta obſeruantia omnis exercitus fuit hæc verba proſecutus, vt nullus vel minimum cibi auſus fuerit deguſtare, etiamſi ad manum haberent abundantiam mellis. *Et non manducauit vniuerſus populus panem, omneq; terra vulgus venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri.* Erant illi milites, quibus conſuetum eſt, quæcunque ad manum veniunt deuorare: ingenti inſuper erant fame, & inedia conſumpti, ita, vt ſacer textus dicat, quod *defecerat iam populus*: mel ſe illis offerebat abundantiſſimum, quod vel ſolummodo extendendo manum, poterant accipere: nullus tamen aliquid mellis fuit auſus, vel leuiter deguſtare: & quoniam princeps Ionathas, ipſius Regis primogenitus filius, qui iam penitus deficiebat, nec præceptum Regis audierat, *extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius*, morti fuit per ſententiam patris addictus, quam verè paſſus fuiſſet, niſi totus populus pro eius vita ſupplex oraſſet. Tanta certè obſeruantia, regum præcepta ſeruantur. Præcepit Rex Nabuchodonoſor ſapientibus Babylonis, vt quæ ipſe ſomniauerat, & iam obliuioni tradiderat, ſibi referrẽt, & ſignificationem aperirent, & quoniam tandem reſponderunt ei ſapientes: *Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum, ò Rex, poſſit implere, &c. Rex in furore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes ſapientes Babylonis, & egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur, & quærebantur Daniel, & ſocij eius, vt perirent.* Obſerua in primis, quam iniuſta, & inhumana fuerit hæc ſententia, lata enim fuit contra omnem iuſtitiam, ex irrationabili beſtialique furore, quia erat ſapientibus Babylonis penitus impoſſibile, præſtare, quod rex petierat. Quam ob cauſam, Daniel quando id reſciuit, admiratus interrogauit: *Quam ob cauſam, tam crudelis ſententia, à facie Regis eſſet egreſſa.* Et nihilominus, eo ipſo, quod illa ab ore Regis prodijt, *ſapientes Babylonis interficiebantur*, ideſt, ducebãtur iam ad mortem. Nullus reclamauit, nec fuit aliquis, qui ſe Regi opponeret, iniuſtitiã legis exponeret, & vitam ſapientum defenderet, oſtendens illos in hac cauſa innocentes, aut exponens ſapientes neceſſario Reipublicæ, & conſeruandos, non occidendos eſſe. Obſerua deinde, Regem tantum præcepiſſe occidi ſapiẽtes Babylonis, cum quibus de ſuo ſomnio per tractaueratiat miniſtri, & ſerui eius, nõ tã tum illos occidere aggreſſi ſunt, ſed, & alios

Exod. 24.

1. Reg. 14. 26.

1. Reg. 14. 27.

Dan. 2.

3. Eſdr. 3.

3. Eſd. 4. 3.

¶ 77.

1. Reg. 14. 24.

Hom. 14. ad pop.

a qu. 31. in 1. Reg.

b 1. Reg. 14 50.

alios omnes ſapientes, etiam qui abfuerant, & idcircò quærebant Danielem, & eius ſocios, vt eos perimerent: vt videas quam completè mandata Regum etiam iniuſta, executioni mandẽtur, & quam ſuperabundanter compleantur. Præcepit Salomon, vt infantulum innocentem occiderent: ſtatim adfuit lictor tenens gladium, eum in duas partes diſſecturus, & rem perfeciſſet, niſi Salomon ipſe prohibuiſſet. Quando miles ille vidit Abſalonem pendentem ex quercu, idque renunciauit duci Ioab, dicenti Ioab, *Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & vnum balteum*. Balteus apud Romanos, vt docet Quintilianus, cingulum erat ex corio bullis diſtinctum, ex quo pendebat enſis, quem Hiſpane dicere poſſumus, *cinto, o tahali tachonado*, qui obliquè ducebatur ab humero dextro ad ſiniſtrum: eratque ornatus, equeſtris ordinis, aut clariſſimi alicuius magiſtratus, publicivè honorifici muneris, vt in iure ciuili patet *a*. Hinc apud Poetam *b*, vocantur quidam cinctuti, id eſt, cincti balteo. Hic baltei vſus præceſſerat in ludæis multis annis ante Romam cõditam, quo tempore Dauidis vtebantur duces. Ita inducitur Ioab, primus Dauidis dux, ornatus balteo, & multo ante erat ornatus regalis, vt indicat Iob, dicens: Deum aliquando *balteum regum diſſoluere*. Itaque tempore Dauidis, dare balteum, credo fuiſſe, quendam nobilitatis honorem impendere, voluitque dicere Ioab: Dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & nobilitatis quoddam inſigne, aut ducem te conſtituiſſem. Cæterùm reſpondit miles. *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex, dicens: Cuſtodite puerum Abſalom*. Expende vim illius rationis: *Præcepit rex*. Quaſi dicens: Qui præcepit, rex eſt, cui hoc ipſo ita obedire tenemur, vt etiam ſi dediſſes mihi mille argenteos, non feciſſem: quæ enim præcipit Rex, nulla ratione, nec propter quodcunque commodum, ſunt tranſgredienda. Si ergo ita Regibus terrenis ſubditi obediunt, vt pendentes ſint ex eorum ore, vt abſque replica exequantur, quæ illi præcipiũt, qui ſæpè iubent iniuſta, & iniqua, ſæpiſſimè aſpera, & difficillima, qui tamen nihil aliud ſunt, quam puluis, & cinis, & eiuſdem naturæ, cum ſubditis, eiſdemque infirmitatibus, & miſerijs obnoxij: quanto magis debemus obſeruare os illius Regis, à quo nihil procedit non iuſtum, non rectum, & æquum, cuius *præcepta ſunt iuſtificata in ſemetipſa*, qui *manet inuictus Rex in æternum*, ad cuius pedes debent omnes Reges coronas ſubmitterc? *Sermo*, inquit, *illius poteſtate ita plenus eſt*, vt vel nudum eius verbum omnes creaturæ obſeruent. Præcepit initio mundi cœlis, vt mouerentur ſuper terram, & illius verbo ita *firmati ſunt*, vt nec per momentum à motu ceſſauerunt, præcepit terræ, vt fructus ferret, & mari, vt produceret piſces, & huius ſolius præcepti virtute, id ita compleuerunt, vt nunquam defecerint. Sol, & Luna, Stellæ, & lumen, cœli cœlorum, & aquæ omnes, ita obediunt eius verbo, vt hoc ipſo, quod aliquid dixerit, ſtatim factum exhibeant: *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi præceptum poſuit, & nõ præteribunt*. Præcepit mari turbato, vt quieſceret, & ventis, vt ſilerent, & ſtatim ceſſauit tempeſtas. Præcepit febri, vt ſocrum Petri dimitteret, & ſubito illa receſſit. Præcepit Lazaro, vt ſepulchro egrederetur, & ſtatim exijt qui erat mortuus, &c. Tanta eſt eius imperij poteſtas, vt ea, quæ non ſunt, ſtatim ad verbum ſuum obediant. *Vocat enim ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. Præcepit ipſiſmet dæmonibus, vt eos, quos obſidebant relinquerent, & ſubito id executi ſũt, nullateus vel minimum quid, eius repugnantes imperio. Si ergo eius nudus ſermo, ſimplexque verbum, ſufficit, vt abſque replica omnis creatura id quod ipſe fieri vult, faciat, non ſufficiet hoc, quod ex profeſſo hominibus antiquitus præcepit, & ad id de nouo præcipiendum venit de cœlo, & tanta emphaſi promulgat, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*.

¶ 78.

2. *Reg.* 18. 11.

Lib. 11.

a *l. C. de Metatis & Epidemic. libr.* 12.

b *Horat. de art. poet.*

3. *Reg.* 2. 5. *Iob* 12. 18.

3. *Reg.* 3.

Pſ. 18. 10. *Eccl.* 18. 1.

Ap. 4. 10.

Pſal. 32. 6.

Pſ. 148. 5.

Marc. 6. 51.

Luc. 4 39.

Ioa. 11. 43.

Rom. 4. 7. *Luc.* 4. 23.

§. 4. *Abyſſus, ac venti obediunt Deo ſpontaneè, vt ait Sapiens, & hominis effrænem iram condemnat mare, & piſciculus Remora.*

¶ 79. RAtionabilis eſt valde querimonia, qua Deus de hominibus conqueritur. *Iere. 5. 20.* *Annuntiate*, inquit, *hæc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes: Audi populeſtulte, qui non habes cor: me non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? qui poſui arenam terminum mari: præceptum ſempiternũ, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud: populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans, receſſerunt, & abierunt.* Inter omnia, quæ apertius diuini præcepti vim nobis manifeſtant, eſt obedientia, quam mare ei exhibet. Nulla fera magis effrænis, quam mare, quod nullius ſubiacet imperio, nullius maieſtatem, vel leuiter reueretur, & nihilominus ſummam ad Dei præceptum exhibet obedientiam, quam Deus ipſe ad ſuæ poteſtatis manifeſtationem expreſſit, agens cum B. Iob: *Iob 38. 8.* *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantis obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumẽtes fluctus tuos.* Eſt quidem mare, iuxta multorum ſententiam, altius ac ſuperius multo terra ipſa. Quis igitur eius ingens pondus continet, & immẽſam comprimit molem, ne in terram deſluat? Certè diuinum præceptum, & verbum, cuius virtute, quaſi infantulus faſcijs ligatus intra cunas continetur, & in morem criminoſi, facinoroſique hominis, vectibus, & portis incluſum tenetur. Non autem muris lateritijs, aut lapideis propugnaculis, aut vectibus, & portis æreis, aut vitigis ferreis, illud cõtinet Deus, ſed leuiculo arenæ puluere, quod perpetuo miraculo, S. Patres Chryſoſtomus *a*, Baſilius *b*, Ambroſius *c*, Theodoretus *d*, D. Thom. *e*, alijque tribuunt, ſi tamen miraculum dici poteſt, quod in communem legem verbo Dei ſtatutam tranſiuit. Clarius autem hæc maris obedientia ad diuinũ præceptum oſtenditur, cum agitatur ventis, & intumeſcunt fluctus eius. Aliquando enim ita erigit ſuos fluctus, vt cœlum pertingere videantur, & tãta vi ac impetu in terram irruit, vt eam penitus obruturum appareat. Hoc tamen ipſo, quod arenæ pulueres infirmos, & leues pertingit, ita ſe continet, vt nullatenus illos tranſgrediatur. Et quidem arena non eſt, quæ illius impetum detiner, vt oſtendit D. Thomas, tũ quia mare altius eſt terra, tum quia illa infirma eſt, quam vel leuis aura propellit, ſed ipſummet mare, ſeipſum cõtinet, obediens præcepto Dei dicentis: *Huecuſque venies, & nõ procedes amplius* Nec enim mare obedire diceretur, ſi coactè, & violenter diuini verbi virtute contineretur, vt indicauit D. Thom. *a*, & docuit expreſſe B. Auguſtinus *b*, quem ipſemet D. Thom. *c*, egregiè explicat. Hancque ipſam obedientiam optimè exprimere voluit Sapiens *d*, eam tanquam vltimum quid ſubinferens, ad diuini verbi, aut præcepti poteſtatem demonſtrandam. Incœpit hãc commendare à creatione cœli, & firmamenti, ex productione ſtellarum, ſolis, & lunæ, iridis, pluuiæ, fulminũ, &c. Tandemque tanquam rem ſupremam ſubiecit: *In ſermone eius ſiluit ventus, & in cogitatione ſua placauit abyſſum.* Ventus per ſeipſum res eſt indomita, qui nulli cedit, qui eum perflat validè, ac horriſonè, ita *vbi vult ſpirat*, vt qui inter homines omnes potentior eſt, non ſolum non poſſit compeſcere, *ſed neſcit vnde veniat, aut quo vadat*, & agitans mare, tam effræne illud reddit, vt nulla omnium hominum poteſtate poſſit, vel leuiter compeſci. Tanta eſt autem diuini imperij potentia, vt horriſonum impetuoſiſſimumque ventum, ſolius vocis ſuæ leui ſono ſilere faciat, & ſola ipſius cogitatio placat abyſſum, & eius impetum quietat. *In ſermone enim eius ſiluit ventus, & in cogitatione ſua placauit abyſſum.* Vbi in primis expende, quam egregiè venti, & maris ſpontaneam, vt ita dicam, obedientiam ad Dei præceptum exprimat:

1. p. cit. loc. & 1. 2 p. q. 104. art. 5. ad 2.
a 2. 2. qu. 104. art. 2. ad 1. & 3. p. q. 44. art. 2. ad 1.
b 26. cont. Fauſt c. 3. tom 6.
c 1 p. q. 106 art. 6.
d Eccl. 43. 15.
¶ 80. *Ioan 3. 8.*

a In caten. Iob.
b Hom. 4. in Hexa.
c Lib. 3. Hexame. c. 2. & 3.
d in Pſ 103
e 1. p. q. 69. art. 1. ad 2. & 4 in c. 6. Iob.

loquitur enim metaphora ſumpta à ſeruo, cui validè vociferāti vel clamoroſè perſonanti iubet Dominus ſilere: tunc enim ad Domini ſui ſermonem, omni clamore depoſito, ipſemet ſilentium tenet. Similiter tunc homo iratus dicitur placari, quando ad alterius ſermonem, & exhortationem, deponit iram, qua feruebat. Non ergo violenter ventus à Dei præcepto continetur, ſed ſponte, vt ita dicam, ad eius imperium omnē clamoroſum ſonum, & velociſſimum curſum continet. Nec mare violentiam paſſum, ad Dei præceptum, continetur; ſed potius ipſummet quaſi in corde recipiens Dei præceptum, iram ſuam deponit, ipſius Dei ordinatione placatum. Obſerua inſuper mirè ſupremam obedientiam maris exprimi, in eo quod dixit, ipſum in Dei cogitatione placari. Vt enim obſeruat Diuus Thomas, cogitatio eſt primum principium cuiuſque operis noſtri. Ante enim quam aliquid diſſinias, aut ſtatuas, primò illud in cogitationem venit: vnde volentes dicere, nos nihil penitus circa rem aliquam egiſſe, dicimus, quod necdum de ea cogitaueramus. Ideoque (vt expendit D. Thomas) volens Apoſtolus docere, ſalutem noſtram non eſſe à nobis, dixit, *quod nec ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*; vt nec primum principium noſtræ iuſtificationis, à nobis eſſe intelligamus. Ita ergo more noſtro Sapiens loquitur, quaſi etiam in Deo aliquid præcipiente, primum præceſſerit cogitatio, quaſi velit dicere, tam ſubditum eſſe mare diuino imperio, vt non expectet, quādo ſupremis ventis agitatur, ad hoc vt omnes fluctus ſuos contineat, & deponat, quod Deus præceptum ei imponat; ſed hoc ipſo, quod Deus cogitare incipit, imponere præceptum, ſubito ſeipſum exhibet placatum, & obediens: metaphora ſumpta à fideliſſimo ſeruo, de quo dicere ſolemus, quod non expectat, vt dominus rem quàm vult recipiat; ſed hoc ipſo, quod agnoſcit dominum ſuum cogitare de re præcipienda, illam ſubitò exequitur, quod Hiſpanè dicimus; *Obedece, no ſolo à ſus mandamientos; pero à ſus penſamientos.* Idipſum Sapiens ipſe ſimiliter prædicere voluit illis verbis, quibus eximiam diuini verbi potentiam, ex obedientia maris voluit demonſtrare: *In verbo eius ſtetit aqua, ſicut congeries, & in ſermone oris illius ſicut exceptorio aquarum, quoniam in præcepto ipſius placor ſic.* Singulæ voces expendendæ ſunt. Stetit aqua firmiter ſe continens tanquam in exceptorio vaſe, aut vt dixit Dauid, tanquam in vtre, hocque nō ad multa Dei opera, aut ad multa, & multiplicata verba, ſed *in verbo eius*, ad vnicum, minimumque verbum, & ratio eſt, *quoniam in præcepto eius ſic placor*: in græco, beneplacitum, id eſt, quia beneplacitum eſt aquæ, ſe continere ad eius minimam vocem. Hoc ſuppoſito, efficaciſſima conuincitur querela, quam Deus de hominibus proponit, ideoque, & eam vult ad omnium aures peruenire, quaſi omnes conſtituens huius negocij iudices: *Annuntiate*, inquit, *hac domui Iacob, & auditam facite in Iuda, dicentes: Audi populeſtulte qui non habes cor.* Perpetuò Deus de hominibus conqueritur, quod ita erga ipſum ſe gerant, ac ſi nō haberent cor. Cor enim eſt principium obedientiæ timoris, amoris, &c. Homo autem ita viuit ſine obedientia, timore, & amore, & cogitatione erga Deum, ac ſi corde præditus non eſſet. Qua etiam de cauſa dicitur: *Ephraim columba ſeducta non habens cor.* Et quaſi admirans Deus hanc hominis vecordiam: *Me ergo*, inquit, *non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis?* Chaldæus, *à facie verbi mei, vel præcepti mei non contremiſcetis?* Pagninus: Non paucebitis? *Qui poſui arenam terminum mari præceptum ſempiternum, quod non præteribit.* Quādo in mundi exordio tota terra erat aquis operta, volens Deus, vt appareret arida, ſolius verbi ſui virtute, aquas in vnū locum adegit, quas omnes appellauit mare, cui terminū poſuit ita debilem, qualis eſt puluis, vel arena, & nihilominus, quia præceptum ſuū impoſuit, dicens: *Hucuſque venies, & nō procedes amplius*, nullatenus limites illos prætergreditur. Præterea ventis vndequaque flantibus excitantur fluctus, & intumeſcunt, tantoque impetu feruntur, vt ſi ſibi relinquerentur, vniuerſā terram obruerent: ſolius tamen Dei præce-

1. *par. q. 23 ar. 3. in cor.*

2. *Cor. 3. 5.*

Eccl. 39. 22

Pſ. 32. 7. & 77. 13.

Oſee 7. 11.

¶ 81.

præcepto, ita continentur, vt nullatenus ſtatutos terminos pertranſeant. *Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans.* Chaldæus: *Cor declinans, & rebelle*, id eſt, tam rebelle, vt declinans in rem, quã vult, nullatenus ſe contineat, quantumcunque diuinũ adſit præceptum. Vatablus: Populo huic fuit cor rebelle, & contumax. *Receſſerunt, & abierunt*: non ſe continuerunt audientes diuinum præceptum, ſed quò ſua eos ferebat voluntas, receſſerunt, & abierunt. Sufficit ad continendum mare, quantumcunq; ventis validiſſimis agitetur, minimum Dei præceptum, imò, & præcepti ſignum, vel indicium, & non ſufficiet homini præceptũ tanta emphaſi propoſitum, & promulgatum: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros* Sufficit ad cor maris componendum, & comprimendum (cor in quã maris, eo modo, quo in ſcriptura dicitur, *cor maris*, illius profundum) minimum Dei verbum, & non ſufficiet ad comprimendam cordis tui iram, & vindictæ appetitum, tã expreſſum præceptũ, *Ego autem dico vobis?* &c. Meritò contra homines nũc illæ Eſaiæ *a*, voces aſſumi poſſent, ſicut, & B. Ambroſ. *b*, aſſumpſit: *Erubeſce Sidon, ait mare, fortitudo maris*. Quaſi per vocem maris, inquit Gregor. *c*, ad verecundiam Sidõ adducitur. Sidon ciuitas erat in Phœnice, inquit Hierony. *d*, quam Sidon primus Chanaã filius extruxit *e*, quæ mercatorib. & negociatoribus fuit abundantiſſima, vnde, & paulò ante, Iſaias *f*, meminit negotiatorum Sidonis. Arguunt negotiatores perpetuò mare, eiuſq; fluctus, ait Ambroſius, perpetuas querelas, & querimonias contra illud mouẽtes, dicẽtes, mare effræne eſſe elemẽtum, beſtiam omninò indomitam, cui nullatenus fidendum ſit, leuis enim aura ita illud agitat, vt in ſupremum diſcrimen validiores naues ducat. Hæc beſtia, quã tu indomitiſſimam iudicas, te ad verecundiam prouocat. Verecundiores enim venti, ait Ambroſius quam veſtræ cupiditates, & maris fluctus magis domiti, quã veſtri affectus: illi enim ad vnicum, vel leuiſſimũ diuini imperij ſignum placantur, & lege à Deo impoſita ita continentur, vt quãtumcunque implacabiles venti erigãt fluctus vſq; ad cœlum, ita ad minimũ Dei verbum eos continet mare, vt nullatenus limites, & terminos ab eo ſtatutos prætergrediantur, imò, & ſubitò placentur, & non ſolum mare quomodocũq; ſed, & ſumma *fortitudo maris*, ſuprema vis, & potentia, quando ſcilicet vehementiſſimis ventorum flatibus agitatum, ita intumeſcit, vt eius impetum totus orbis continere non ſufficeret. At tu talis es, in quo ita inſurgunt motus, & affectus iracundiæ, vindictæ, & odij, vt quantumcunq; audias non vnicum verbum ſolummodo, ſed illam excellentem ſententiam, ſuprema emphaſi à Deo prolatam: *Ego autem dico vobis, &c.* nullatenus eos comprimas, ſed potius effrænes relinquas, eructantes verba contumeliæ, minas, & maledicta. Sufficiens fuit vnius virgulæ applicatio, & extenſio, manu Moyſi facta, vt mare totum ſuarum aquarum pondus continens, in partes ſeipſum diuideret: *Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris, erat enim aqua quaſi murus à dextra ipſorum, & læua*, & quidem non Deus per ſeipſum tetigit mare, aut ad illud loquutus eſt, ſed per manus Moyſi, cui dixit: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud.* Sufficiens ſimiliter fuit arca illa, in qua tantum erat Deus in typo, & figura; & eius lex in lapideis tabulis ſcripta, vt quæ ſummo impetu fluentes ad mare, eo tempore, quo illæ tam vehementi fluebant abundantia, quod *Iordanis ripas aluei ſui, meſſis tempore repleuerat*, ſe continerent: *ſteterunt enim aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes, apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom*: & tibi non erit ſufficiens Deus ipſe, ſuamet voce perſonans, & clamorosè reſonans, & dicens: *Ego autem dico vobis, &c. Ego*, inquit, non per Moyſen, aliquem Prophetam loquor, ſed ego ipſe dico: non virgulam extendi iubeo, ſed euangelicam legem, quam Dauid vocauit: *Virgam virtutis*, egomet applico, *Ego autem dico vobis.* Certiſſima ſunt, quæ de piſciculo, quẽ Græci Echeneida vocant, omnes authores fatentur, qui nauem ingentem,

Pſ.45.3. & Ezech.27. ſepiſſimè.

Exo.14.22.

Ioſ.3.15. 16.

Pſ.109.2. ¶83.

¶82.
a *Iſa.23.4.*
b *Li. de Elia, & ieiun. c.19.*
c *In paſtor. p.3. admonit.29.*
b *Lib. de tradi. heb.*
e *Gen.10. 16.*
f *Iſa. 23. 2.*

quantumcunque valido, impetuoſo, imò, & furioſo vento deductam, continet immobilem, nō multo agens labore, ſed ſolummodo ei ſe coniungens, & carinis adhærens, quem propterea latini Remoram à remorando, & detinendo appellant. Tanta facilitate, inquit D. Ambroſius, nauem ingentem in medio Pelagi ſtatuit, vt quaſi radicatam mari hærere videas, quam immobilem ſeruat, & tenet. Maximas naues, inquit D. Baſilius, extentis velis, ſecundo per equora flatu labentes, adeo facilè ſiſtit, vt immobiles haud paruo tempore detineat, moreturq; , quaſi in ipſo mari radices altas fixas egiſſet. Hæc multorum experientia comprobata, exhibet Plinius. Sic de illo piſciculo ſcribens: Ruant venti licet, & ſeuiant procellæ, imperat furori vnus ac paruus admodum piſciculus, Echeneis appellatus, viresque tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrenat impetus, & domat maris rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quam adhærendo. Hæc tantilla res, cōtra tot impetus, ſatis eſt, vt vetet ire nauigia, &c. Ita narrat accidiſſe Antonio, in magna naue properanti, quam ita detinuit piſciculus, vt neceſſe fuerit Antonio ad aliam nauem ſe transferre. Ita, & ſua ætate accidiſſe aſſerit Imperatori Caio, ab Aſtura Antium ſua claſſe remiganti, cùm enim ſola eius triremis, quam quadringenti remiges agebant, immobilis perſtitiſſet, intelligenteſq; qui aderant cauſam, exilientes protinus, qui quærerent, circa nauim inuenerunt remoram adhærentem gubernaculo, quam oſtenderunt Caio, ſimilem limaci magnæ. Hæc, & alia Plinius. Quæ optimè poterit expendere, is, qui ſcit, qua celeritate, impetu, ac vehementia triremis multorum remigum impulſu agitata fertur, cuius impetus maior vehemētiorque eſt, quam explicari verbis poſſit. Poteſt igitur piſciculus, limaci ſimilis, continere nauem, ſummo vētorum impetu agitatam, & actam, & nō poterit te homuncionem continere Deus magnus Dominus, cuius pondus immenſum eſt, cuius *menſura longior terra, & latior mari?* Sufficiens eſt ſæpenumero ad continendam iram tuam, quantumcunque efferueſcentem, alterius homuncionis exhortatio, aut reſpectus mundanus, aut leue aliquod commodum, & non erit ſufficiens Deus ipſe continere te, ne in odio prorumpas, & ad vindictam procedas?

s Hexaē c. 10 ad fi.

Hom 7. hexaem. ante fin.

Li. 32. c. 1.

Li. 32. c. 1. & l 9. c. 25

Iob 11. 9.

§. 5. *Seipſum ſupponit Deus huic præcepto, cui, qui eum profitetur Dominum, etiam iuxta Pharaonis iudicium, tenetur obtemperare.*

¶ 84.

EGo autem, &c. Clariſſimè Chriſtus Dominus præceptum dilectionis inimicorum proponit, nec tantum quid agendum ſit, apertis perſpicuiſque verbis exprimit, ſed ſicut ſupra cœpimus annotare, ſimul eiſdem verbis rationes indicat, quibus ad illud perficiendum inducamur. Et verè de hoc præcepto intelligi poteſt, quod dixit Dauid: *Prudentem me feciſti mandato tuo*, Præceptum namque dilectionis eſt, quod abſolutè vocatur mandatum Domini, vt ſæpè B. Auguſtinus admonuit. In Hebræo, ſapientem me feciſti mandato tuo, aut ſapientiam mihi præbuiſti per mandatum tuum, Eſt quidem ſapientia habitus quidam, aut lux animæ, quo altiſſimas rerum cauſas cognoſcimus, per quas de rebus iudicamus, ſic ex Ariſtotel. *a*, docuit D. Thomas *b*. Mādatum hoc ſapiētes facit, quia ita proponitur à Chriſto Domino, vt per ſingula verba altiſſimas eiuſdem præcepti cauſas nobis exponat, per quas poſſimus de huius præcepti rectitudine iudicare. Obſerua pronomen illud *Ego*, quod Chriſtus Dominus, tanquā ſapiens architectus, extruendæ machinæ ſupponit. Qui excelſam turrim extruere parat, primum omniū, validum ſubmittit fundamentum, quod ingentem, proceramque altitudinis molem poſſit ſuſtentare. Ita qui voluerunt turrim illam celebrem Babylonis ædificare, *cuius culmen pertingeret vſque ad cœlum*, prius de eo, q̄ tanquam firmum fundamētum ſupponerent, cogitauerunt, ad quod præparauerunt *lateres pro ſaxis, & bitumen*

Pſ. 118 98.

a 6. ethic. c. 3. 6. 7.

b 1. 2 q. 57 art. 2.

Gen. 11. 3.

pro

procamento, id eſt, ad cæmẽtum iaciendum. Et Chriſtus Dominus eum dixit virum ſapientem, qui ædificaturus domum ſuam, ſupponit firmam petrã tãquam fundamẽtum. Cum enim ita fit, quantumcunq; venti perflent, irruant flumina, & tempeſtates inſurgant, firma manet domus, *fundata enim erat ſuper petram*, ſicuti quæ ſuper arenam extruitur, ſtatim adueniente vento valido, vel irruente flumine, cadit. Voluit Deus ædificium charitatis extruere in tantam altitudinem, vt vſque ad inimicos peruenire t, & quod per huiuſmodi actum homo in eam aſcenderet altitudinem, vt filius æterni Patris nominari, & eſſe poſſet. Ad ipſum virtutis cacumen (inquit Chryſoſtomus) nos eleuare contendit. Ad verticem virtutum, quo nihil maius inducit, inquit Theophylactus, Ad extremam perducit virtutem, inquit Euthymius, omnis enim virtutis corona, ac vertex eſt, inimicos amare, &c. Sciebat, quod validi affectuum carnalium impetus, & mundi turbines, in hoc ædificium toto agmine erant irrupturi, idcirco firmum fundamentum ſtatuit, & ſupponit illam firmiſſimam petram, de qua Dauid: *Dominus petra mea, & robur meum*, illam de qua Paulus, *Petra autem erat Chriſtus. Ego*, inquit, *dico vobis*. Qui eſt is, qui loquitur? Ille, qui quærenti Moyſi, quis eſſet, reſpondit: *Ego ſum, qui ſum*. Videhuius fundamenti firmitatem: Ego ſum ſupremum, ſummumque ens, cui ita eſſe conuenit per eſſentiam, quod nullum tempus conſumit, nulla aduerſitas minuit, nulla infirmitas debilitat, in cuius conſpectu cætera etiam quæ firmiſſima videntur, verius non eſſe dicuntur. Multa ad hoc inſtitutum docent S. Patres, quæ Diuus Thomas breuiter perſtringit, ſed egregiè Bear. Gregorius, expendens illud: *Ipſe ſolus eſt*. Nunquid, inquit Gregorius, non ſunt Angeli, & homines, & cœlum, & terra, & cuncta animantia? certè ſcriptum eſt: *Creauit, vt eſſent omnia*. Veruntamen aliud eſt eſſe, aliud principaliter eſſe, & aliud eſſe mutabiliter, atque aliud immutabiliter eſſe. Sunt quidem hæc omnia, ſed principaliter non ſunt, quia in ſemetipſis non ſunt, niſi gubernantis manu teneãtur, &c. Et iterũ: Solus Deus veraciter eſt, cuius eſſentiæ cõparatum eſſe noſtrum eſt non eſſe. Huic ſi coniungimur, ſumus, viuimus, ſapimus, &c. Voluit Deus hoc ædificium tãta firmitate extruere, q̃ nulla deleret obliuio, nullus affectus, aut appetitus ſubuerteret, idcircò tale ſuppoſuit fundamentũ q̃, & cęlis ipſis firmius eſt: Nam *cœli ſicut veſtimentũ veteraſcent, tu autem idem ipſe es*. Quod ſtatim prima fronte Dauid, de diuinis præceptis aduertit, eſt id, quod dixit ipſe: *Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea*, neque enim diuina lex, vt ſupra diximus, talis eſt, quã poſſit aliqua contraria conſuetudo abrogare, vel cõtrarius vſus antiquare. In æternum permãſuram dedit legem, idcircò firmum poſuit fundamentum, quod nullatenus poteſt deficere, *Ego*, inquit. Et quidem commune, vſitatumque eſt regibus, ac principibus, cũ rem aliquam grauem præcipere volunt, nomen ſuum, ac potentiæ magnitudinem ſupponere. Ita Artaxerxes, volens rem grauiſſimã præcipere; *Rex*, inquit, *magnus Artaxerxes, ab India vſque Aethiopiam, centum viginti ſeptẽ prouinciarum, Principibus, & ducibus, qui eius imperio ſubiecti ſunt, ſalutem*. Et alibi, cũ voluit Rabſaces omnes ciues Ieroſolymæ ad obedientiam regis Aſſyriorũ conuerrere, ita cœpit edictum ponere: *Hæc dicit Rex magnus, Rex Aſſyriorũ*, & Nabuchodonoſor, volens rem grauiſſimã præcipere, ſeipſum ſuo ſuppoſuit præcepto: *Nabuchodonoſor Rex, omnibus populis, gentibus & linguis, qui habitant in vniuerſa terra pax vobis*. Ita et apud nos, dum Rex aliquam vult legem promulgare, ſuam ſupponit maieſtatem: Philippus Dei gratia, Rex Caſtellæ, Leonis, Aragon. &c. Maieſtatem, & potentiam regiam tanquam fundamentum legis, quam Rex promulgat ſupponit, vt lex tam firma ſit, quam firma eſt illius potentia, qui præcipit, vtiq; hoc ipſo, ſubditos ad legis obſeruantiam regiæ maieſtatis, & potentiæ repræſentatione inducat, per quam punire inobedientes poteſt. & obſequentes, præmio afficere. Hoc ipſum Deus facere conſueuit: quando

Hom. 18. in Matt.

in cap 5. Matth.

2. Re. 22. 2. 1. Cor. 10. 4.

Exo. 3. 14.

¶ 85.

1. p qu. 13. art. 11.

16. Moral. c. 18.

Iob 23.

Sap. 1. 14.

18. Moral. c. 34.

Pſ. 10. 27. 28.

Pſ. 118. 152

1. Eſth. 13. & 16.

4. Reg. 18. 19.

Dan 3. 98.

enim aliquid graue præcipere vult, ſeipſum, ſuamq; potentiam, tãquam fundamentum ſupponit, quo præceptum tali nixum fundamento, firmiſſimum ſtatuatur. Ita volens Abrahæ præceptum perfectionis imponere: *Ego* inquit, *ſum Deus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus.* Quaſi dicens: Etſi graue videatur, quod præcipio, primum omnium conſidera, quiſnam ſit, qui præcipit: *Ego ſum Deus omnipotens*, qui ſuprema poteſtate polleo, qui æterna beatitudine præmiare poſſum, & ſempiterna damnatione punire, Similiter (vt ſupra ex D. Cyrillo annotabamus) quando Deus voluit legem dare in monte Sina, totius dandæ legis hoc fundamentum ſuppoſuit: *Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos, &c. Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui, &c.* Seipſum, ſuamque maieſtatem, ac potentiam, tanquam fundamentum totius præcipiendæ legis ſupponit, hoc ipſo legis firmitatem indicans, quæ tam valido nitebatur fundamento, quod euacuari nullatenus poteſt, & ad eiuſdem obſeruantiam ſuæ maieſtatis, & potentiæ repræſentatione inducens; Hoc igitur in huius mandati propoſitione obſeruat: ſeipſum enim, ſuamque eſſentiam, potentiam, & maieſtatem ſupponens: *Ego*, inquit, *dico vobis*, vt hoc ipſo intelligamus huius præcepti firmitatem, & quod verè perſtare oportet ædificium, tam valido fundamento ſubnixum. Mirè, pfectò ſcriptura ſacra enarrat crudele factum, quod ſerui Abſalom perpetrarunt. Mandauerat eis Abſalom rem impiam, crudeleque fratricidium, vt ſcilicet occiderent fratrem ſuum Amnon, filium patris ſui Regis Dauid. Quoniam autem res hæc grauis erat, & horrenda, quæ multis modis poterat in eorum cedere detrimentum, occidere videlicet principem filium Regis; vt Abſalom omnem metum, ac trepidationem tolleret, & ad tale facinus roboraret, ſeipſum ſuppoſuit, ſuper quem tale mandatum niteretur: *Percutite*, inquit, *eum & interficite, nolite timere: Ego enim ſum, qui præcipio roboramini, & eſtote viri fortes.* Erat Abſalom princeps à rege vehemẽter dilectus, ideoque magna præditus potentia. Quid autem factum ſit, exprimit ſcriptura dicens: *Fecerunt ergo pueri Abſalom aduerſus Amnon ſicut præceperat eis Abſalom.* Expende vim illius vocis, Ergo, quæ, vt dialectici obſeruant, eſt nota illationis, & conſecutionis, ex antecedentibus, ex eo ſiquidem quod ſuppoſuit Abſalom: *Ego ſum qui præcipio*, conſecutum eſt, quod ad tam difficile facinus perpetrandum abſque timore ſe conuerterint. Attenderunt præcipientis perſonã, quæ magnæ erat authoritatis, & potentiæ coram rege, de qua confidebant, quod non ſolum poterat illos ſeruare indẽnes, ſed, & magno præmio afficere. Obſerua itidem vocem illam; *Pueri Abſalom.* Erant illi ſerui Abſalom, & gloriabantur de tali domino, & gloriоſum ducebant, illi inſeruire. Vnde hoc ipſo, quod ille præcepit dicens: *Ego ſum, qui præcipio*, conſecutum fuit, quod ſtatim rem præceptam opere compleuerunt: id enim indicat nota illationis, *Ergo*. Si ergo vnius principis terreni, & impij authoritas, tã valida fuit apud eius ſeruos, vt ad rẽ grauiſſimam agendam, ſufficiens fuerit eiuſdem principis ſuppoſita perſona, & authoritas, per pronomen illud *Ego*, quid nos facere oportet, quando auditmus ſupremi regis perſonam, dicentem: *Ego autem dico vobis*: ego ſum, qui præcipio? Sed ibi ſtatim conſecutum eſt opus præceptum, quia illi gloriabãtur ſe illius principis eſſe ſeruos, nos autem hoc ipſo, quod facere recuſamus, & contemnimus, quæ præcipit Deus, fatemur, parum, aut nihil eius ſeruitutem curare. Impia fuit Pharaonis rebellio, quam extremo ſupplicio puniuit Deus. Voluit Dominus rem appetitui Pharaonis contrariam præcipere, vt ſcilicet dimitteret populum, qui ſibi tanquam captiuus inſeruiebat: miſi propterea Moyſen, & Aaron, qui ex Dei præſcripto ingreſſi ad Regem dixerunt: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum, &c.* Suppoſuit Deus præcepto nomen ſuum ineffabile, quo ſummam ſuam potẽtiam, & maieſtatem expreſſit. Reſpondit autem Pharao: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittã Iſrael? Neſcio Dñm, et Iſrael nõ dimittã.*

quæ-

Gen. 17. 1.

Lib. 7. de ador p. 166 ¶ 86.

Exod. 20. 2

2. Reg. 13. 28.

¶ 87.

Exod. 5. 1.

quærunt authores, quid ſibi velit hæc raonis reſponſio. Quidnam cẽſent, illum fuiſſe atheum. ſimilem *ei, qui dixit in corde ſuo. Non eſt Deus.* Burgẽſis credit, à Moyſe prolatũ fuiſſe nomen Tetragrãmaton, aut ineffabile, quod Pharaoni erat ignotum. Obſeruandum tamen eſt id, quod notat Procopius *a*, indicauerantq; Origenes *b*, & Cyrillus, *c* & nos alibi expoſuimus, dæmonem in Ægypto ſub diuerſis animaliũ figuris fuiſſe tanquam Deum adoratum: hunc colebat Pharao, qui ei ſuadebat, vt populum in illa captiuitate detineret, & nullatenus dimitteret, quem nolebat, vt Ægypto egrederetur, ſicuti ſæpè Rupertus annotauit. Voluit ergo Pharao dicere: Vndequiſq; Deo ſuo obſequi debet, & ei tenetur quiuis obtẽperare, quem Dominũ ſuum profitetur. Vos qui Deum Iſrael colitis, & Dominum veſtrum confitemini, ei obtẽperate: Ego eum neſcio Deũ, nec Dominum agnoſco, idcirco nolo, quod ipſe præcipit exequi. Hocq; voluit illis verbis exprimere: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius?* id eſt, vt ei obediã. Hoc ipſo, quod aliquem tanquã Dominum agnoſco, ſequitur quod teneor illi obedire, iſtum quẽ proponitis, quoniam tanquã Dominum non agnoſco, nolo quod ille imperat perficere. Vide igitur nunc egregiam rationem, quã Deus, mandatum ſuum proponens, iudicat, vt nos ad eius obſeruantiam deuinciat. Venit ille in Ægyptũ tenebroſam, & obſcuram huius mundi, in qua tanquam princeps, & Deus colitur diabolus, qui ab Apoſtolo vocatur *a*, *Deus huius ſeculi*; & alibi *b*, *Princeps*, *& Rector tenebrarum harum*, & à Chriſto *c*, *Princeps mundi huius*. Nõ mittit ad nos Moyſen, & Aaron, qui nomine ſuo loquãtur, ſed ipſemet, qui ad Moyſen loquebatur, vt per Iſaiam, *d* prædixit: *Ecce adeſt*, clamans: *Ego autem dico vobis, Diligite, &c.* Examina teipſum, & vide, quem audias. Eſt Deus Ægypti, id eſt, diabolus, qui odium erga inimicum ſuadet, qui ad vindictam excitat: Eſt Deus verus, qui ad te loquitur, præcipiens, vt inimicum diligas: vide cui obtemperare decernis, da tẽpus cogitationibus opportunum, (inquit Baſilius) ad optimam eligendi partem, nam vni ex his duobus obtemperãdum eſt, & attende, te ei obedire oportere, quẽ Dominum confiteris: adeo enim coniuncta ſunt hæc duo, confiteri aliquem Dominum, & illi obtemperare, vt Rex ille inſipientiſſimus, ac barbarus Pharao iudicarit, ſatius eſſe Deum negare Dominum, cui obtemperare nolebat, quam confitendo Dominum, eius præcepta contemnere, & mandata non auſcultare. Expendunt Sancti Patres verba quædam Chriſti Domini, quæ difficilia videntur, quæ ad Phariſæos dixit: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum.* Quæ Beatus Auguſtinus perpetuò explicat, annotans, voluiſſe reprehẽdere illos ſuos inimicos, qui ore eum vocabant magiſtrum, & opere calumniabãtur eius doctrinam, exterius cum illo agentes, eum laudabant tanquam veracem, & iuſtum, qui nullius perſonam accipiebat, ex alia parte illum omni qua poterant diligẽtia vituperabãt; ideo eis voluit dicere, congruum eſſe ſecundum naturæ ordinem, vt qualis arbor eſt in ſe, talẽ fructum exterius exhibeat; *nec enim poteſt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere*. Voluit aludere ad illa verba Eliæ, quæ dixit ad populum: *Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus ſequimini eũ ſi autem Baal ſequimini illum.* Rectè, & ſecundum naturæ ordinem ambulatio fit, quando vterque pes in eundem terminũ dirigitur, & dexter congruit, cõuenit, ac correſpondet ſiniſtro. Si enim vellet vno pede progredi in Orientem, & altero in Occidentem, ex vtroque claudicaret; & ad neutrum terminum integrè, vnquam perueniret. Erga Deum duplici pede tenetur homo ambulare, animo ſcilicet, & corpore, & opere, & ore, interno corde, & exteriori actione. Quando his duobus pedibus ſimul homo in Deum tendit, rectè progreditur, ad eumque certò perueniet, ſi autem vno pede tendat in Deum, altero contra illum proficiſci contendat, ex vtraque parte claudicabit, & nullã integrè pertinget. Populus ille ita ſe habebat, quod ſimul in Dominum, & Baal volebat tendere, vno pede in Dominum ferebatur, exterius

Pſal. 52. 1.

a *In c. 30. Iſai.*
b *Hom. 16. in Leu.*
c *Li. 16. in Leui.*

In li. de victoria verbi Dei.

a *2. Cor. 4.*
b *Ad Eph. 6. 12.*
c *Io. 14. 30.*
d *Eſa. 52. 7.*

Homil. 10. quæ eſt de ira p. 168. ¶ 88.

Matth. 12. 33.

2. De ſerm. Dom. c. 2. & de actis cum Felice c. 4.

3. Reg. 18. 21.

terius eum vocans Dominum, & ore se illius populum appellans, altero in Baal tendebat, ei inseruiens, & sacrificia honorifica eidem offerens: vtraq; ex parte claudicabat, nec integrè ferebatur ad Dominum, à quo operibus erat separatus, nec integre erga Baal, cui non integram confessionem externam tribuebat. Ne, inquit Elias, ex vtraque claudicetis, sed vtroque pede vnam viam tenere, & quem ore profitemini Dominum, congruis huic nomini operibus prosequimini. Hoc multis Christianis dicere possum: *Vsquequo claudicatis in duas partes?* duo sunt pedes, quibus tendere teneris, & progredi, vera scilicet fides, & opera illi congrua, vnum sine altero non proficit, vt plene ad terminum perueniat. ¶ 89. Necessaria est fides, *sine fide enim impossibile est placere Deo*: requiruntur opera huic fidei congrua, nam *fides sine operibus mortua est*. Et si dicas, te fidem habere, & quod credis, oportet, vt *fidem tuam ex operibus ostendas*, quo illa proficua sit, & non maneat sine fructu, sicut fides coacta, & omninò infructuosa *damonum, qui credunt* quidem *& contremiscunt*, sed tamen nihil agere in Dei obsequium volunt. In duas tamen partes claudicas, fide in Deum tendis, & opere proficisceris erga mundum, & diabolum: fide credis Christum Dominum, cui obtemperandum profiteris, opere diabolum, & mundum tanquam Dominum habes. Vide Christianum, qui iniuriam accipit ab aliquo, quærentem, & consilia congregantem, vt videat quomodo iuxta leges duelli mundo satisfaciat, & quomodo, & iuxta quem ordinem, & ad quam mensuram, sit vindicta sumenda. Certè in vtramque partem claudicas: pede fidei, in Deum progrederis, pede autem operis, in mundum tendis. *Vsquequo claudicas in duas partes? si Dominus est Deus, sequere eum*. Quid sibi vult, vnum confiteri Dominum, & alterius te ad obediendum exhibere seruum? Similis aliqua ex parte impijs ministris, qui Christum ore, regem, vocabant, & manu atque actione, eum percutiebant, arundine, & spinis, quibus caput eius configebant. Quid nemque hic affectus, quo intendis vehementissimè vindicari, nisi arundo vana, & inanis, quam ventus superbiæ, & vanitatis huc illucque trahit? Quid actus odij, & persecutionis erga inimicum, nisi spinæ pungentes, lacerantes, & torquentes animum, & mentem? Hæc contra Christum verè opere ipso conuertis, cum non solum vis, quod ille præcipit agere, sed directè contra eius voluntatem insurgens, grauem illi irrogas iniuriam, eum vocas, & confiteris Dominum, & non solum non vis, quod ille præcipit agere, sed toto corde, vt contra illum agas attendis. *Quid* inquit, *vocatis me, Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?* Innumeris Christianis hoc dicere possemus, qui Deum multiplicatis vocibus vocant Dominum, sed multò pluribus operibus, ei se opponunt, & liberè dicunt, se nolle facere quod præcipit, circa inimicum.

Ad Hebr. 11.6.

Iac. 2.20.

Luc. 6.46.

§. 6. *Christus sicut Iob, primò præcipit per seruum, nunc ore proprio deprecatur: & si sermo quinis per Angelos fuit firmus, multo magis, quem Deus ipse firma profert sententia.*

¶ 90. ALiam huius præcepti rationem expende in emphasi, quam illa verba: *Ego dico vobis*, secum ferunt. Expendit Sanctus Gregorius, beatum Iob aliquo modo inter cæteros Prophetas excellentius Christi personam expressisse, qui non tantum verbis, sed, & actionibus, ac passionibus, eum retulit: signanter autem expendit *a*, illud, quod Beato illi viro cum seruo suo accidit *a Seruum*, inquit, *meum vocaui, & non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum*. Quamuis ille *b* multos habuisset seruos. & hoc in loco singulare pro plurali accipi possit, fortè tamen in singulari locutus est, vt mysterium, quod prophetice designabat, manifestius exprimeret. Valido, potenti, ac efficaci medio vtebatur vir ille,

Præfat. in Iob c. 10.

a 14 Mor. c. 21. & 22.

b Iob 19. 16.

ille, vt eius ſeruus rem à ſe præceptam exequeretur. Fieri poteſt, vt ſeruus alicuius Regis adeo ſit contumax, vt dum Rex aliquid præcipit, medio aliquo alio ſeruo, aut per internuntium, vel literas, diſſimulet, & non faciat: nullus tamen ita rebellis eſt, ad quem ſi rex ipſe è maieſtatis faſtigio, & regali curia deſcendens, aliquid ore proprio, blandè, ſuauiterque præcipiat, non ſtatim illud opere compleat. Erat quidem Iob Rex, quem Iſidorus *a*, Regem Idumæorum, Gaudentius Brixianus *b*, Regem Arabiæ; Cæſarius *c* S. Gregorij Nazianzeni germanus, Regem Huſſitanum appellitant, & Ioannes Pineda *d*, Regem Regum fuiſſe, dicique poſſe probat. Nihilominus aliquid præcepit peculiari ſeruo, per alium ſeruum, aut internuntium, vel literas, qui diſſimulans, nequaquam fuit illi obſecutus. Idcirco ipſemet acceſſit ad eum, ore proprio idipſum blande ſuauiterque præcipiēs. Hoc quidem in B. Iob tanquam in figura præceſſit, quod in Dei filio completum eſt, qui verè dicere poteſt: *Seruum meum vocaui, & non reſpondit mihi: ore proprio deprecabar illum*. Quid enim (inquit Gregorius) Iudaicus populus niſi ſeruus fuit, qui non amore filij obſequebatur Domino, ſed timore ſeruili? qua de cauſa Apoſtolus eum deſcribit, habentem *ſpiritum ſeruitutis in timore*. Hunc ſeruum vocauit Dominus, dum quæ agenda erant per alterum ſeruum, Moyſen ſcilicet, ei intimauit, de quo ipſe dixit: *Seruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fidelissimus eſt, ore ad os loquor ei*, qua de cauſa fidelem ſeruum domus Dei, vocauit illum Apoſtolus, quia quæ Dominus ei dicebat, vt nomine ſuo præciperet populo fideliter referebat. Signanter autē præcepit Deus per Moyſen, vt vnuſquiſque ſuos diligeret inimicos, vt dictum eſt: ſeruus tamen ille non reſpondit Domino. Tunc enim ſeruus, cui aliquid præcipitur, bene reſpondet, quando opere complet, quod præceptum eſt, & Iudaicus populus non ſolum non fuit Domino obſecutus, ſed potius illud ore repetebat, *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Qua de cauſa ipſemet Rex regum, quod antea per ſeruum impetrauit, è regalibus ſedibus veniens, ad ſeruumq; accedens, ore proprio clarius, & expreſſius præcipit: *Apertens namque os ſuum*, manifeſtè dixit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Quaſi dicens: Ego ipſe, qui ante incarnationem meā per Moyſen vobis præcepi, vt inimicos diligeretis, quia id facere recuſaſtis, ecce ad vos de cœlis venio, & dico: Diligite inimicos. Et benè (inquit Gregorius) dicitur: *Ore proprio deprecabatur illum* quia in carnem monſtratus, mandata vitæ humiliter dixit, blandè, benignè, quaſi rogans, & deprecans, & magno adhibito præmio agenda præſcripſit, poteſtque dicere quod Ioſeph: *En oculi veſtri vident, quod os meum loquatur ad vos*. Ex his rationem efficaciſſimā poſſumus elicere ad diligendū inimicum. Quæro enim ego abs te: Si inimicum haberes, quem toto corde odires, & perſequereris, & Rex noſter Philippus mitteret ad te aliquē ex ſupremis curiæ ſuæ principibus, petens, vt inimico parceres, & ab odio, & perſecutione ceſſares, nunquid non ei obſequi curares? Quod ſi durus perſiſteres, & ipſemet Rex è ſuæ maieſtatis curia veniret ad te, & ore proprio idipſum poſtularet, & propoſito præmio, quod te in magnum erigeret Ducem, & Principem, nunquid poſſes non ei obedire? Vide igitur, &c. Ex his forte D. Paulus ad Hebræos ſcribens, illam efficacem contexuit rationem, vt ſuadeat Chriſtum eſſe audiendum, & obtemperandum eius præceptis. Supponit tanquam huius rationis fundamentum, quis eſt, qui loquitur. *Multifarie*, inquit, *multiſque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*. Aduerbium illud, *Nouiſſimè*, videtur eſſe nota temporis extremi, & vltimi, vt idem ſit, quod in fine temporum, vt multi ſancti Patres intelligunt, Anſelmus, Chryſoſtomus, & Greci, qui legunt: In nouiſſimis hiſce diebus. Sed credo Apoſtolum rem ſupremam exprimere voluiſſe, & quaſi vltimum potentiæ. Quandò enim quis varia media applicauit ad rem aliquam

a *Li. de vi. & morte Sanctor.*
b *Præfat. tractat. in Scripturā.*
c *Dialog. 3*
d *Pined. in c. 3. Iob. to. 1. nu. 18.*
14. Moral. cap. 21.
Rom. 8. 15. & 2. ad Ti mot. 1. 7. Nu. 12. 7. Hebr. 3. 2.
14. *Moral. cap. 22.* ¶ 91.
Gen. 45. 12
Hebr. 1. 1.
In illū locū

quam perficiendam, vltimo loco, ſupremum quod poteſt medium adiungens, dicitur nouiſſimum medium applicare. Id quod egregiè Chriſtus Dominus in parabola vineæ explicuit. Poſtquam namq; paterfamilias varios miſit ſeruos, qui ad agricolas loquerentur, & fructum expoſcerent, *nouiſſime*, inquit, *miſit filium ſuum*, id eſt, vltimũ quod facere potuit, fecit, ſupremum mediũ appoſuit mittere ſcilicet filium ſuum naturalem, & omnium bonorum ſuorum hæredem. *Multifarie* ait Apoſtolus, id eſt (inquit Anſelmus) multis locutionum generibus, aliquando manifeſtè, aliquando obſcurè, aliquando propriè, aliquando figuratè, aliquando per Angelum, aliquando per occultam inſpirationem, aliquando hebraicè, aliquando chaldaicè, aliquando blandiens, aliquando terrens: *& multis modis*, id eſt, diuerſis & varijs actionũ generibus: quia non ſolum dicta Prophetarum, ſed & omnia facta eorum prænuntiauere, ea quæ noſtris temporibus erant futura. *Nouiſſimè tamen locutus eſt nobis in filio*: ſupremum quod fieri poterat, fecit, nullum enim habuit meliorem, quẽ mitteret, quippe qui eiuſdem eſt eſſentiæ, & ſubſtantiæ cum illo: *eſt enim ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*. Splendor gloriæ, inquit Anſelmus, quaſi lumen de lumine: Pater namque eſt gloria, ſicut idem filius ei canit in pſalmo: *Gloria mea, & exaltans caput meum*, & huius gloriæ, id eſt, patris, ſplendor, eſt filius, quia à Patre procedit, ſicut ſplendor à ſole, & coæternus eſt patri, ſicut ſplendor coæuus ſoli. Vt autem Apoſtolus idipſum clarius demonſtret, incipit probare Chriſtum eſſe ſuperiorẽ omninò omnibus angelis, etiam ſupremis, qui ſuperiorem locum inter res creatas tenent: *Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu?* Ex quo tandem quod propoſuerat, concludit, ſupremum, & vltimum potentiæ actum fuiſſe, quando Deus nobis locutus eſt in filio. Hoc ſuppoſito incipit expendere magnam obligationem, quæ inde procedit, vt eum audiamus, & ei obſequamur. *Propterea*, inquit, *abundantius oportet obſeruare nos, ea quæ audiuimus, ne fortè pereſſluamus. Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Non vacat quæſtionem illam grauem proſequi, an ipſemet filius Dei, per ſuammet perſonam aliquãdo hominibus olim fuerit locutus, circa quam variè ſancti Patres ſenſerunt. Verè tamen videtur Apoſtolus ſupponere partem negantem, dũ apertè aſſerit, tunc Deum locutum fuiſſe per Prophetas, & per filium ſolummodo nouiſſimè fuiſſe locutum. Quod & apertè aſſeruit S. Dionyſius docens eas apparitiones, quas legimus in ſcriptura antiquis Patribus factas, ita eſſe accipiẽdas, vt intelligamus angelos fuiſſe, qui apparebant, aut loquebantur, qui tamẽ quoniam Dei nomine loquebãtur dicebant: *Ego Dominus, ego Deus.* Quod egregiè proſecutus eſt Beatus Auguſtinus, annotans, quod angelus, qui apparuit Moyſi, modò angelus, modò Dominus, & Deus nominatur, angelus videlicet propter propriam perſonam, Dominus autem, aut Deus, propterea, quod eius vices gerebat, & & verba iudicis (inquit ipſemet) cum præco pronunciat, iudicis nomine vtitur, &c. Quod & Gregorius etiam tradit eleganter. Signanter autem obſeruat Dionyſius, quando lex data eſt, nequaquam ab ipſomet Deo datam, ſed ab Angelo, qui vices Dei gerebat. Et hoc, inquit, certum eſſe ex ſcriptura, ita enim dixit B. Stephanus, quod Moyſes fuit *cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, qui accepit verba vitæ, &c.* iterum: *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*: quod & Hieronymus *a*, probat ex illo Apoſtoli *b*, aſſerentis, legem *ordinatam fuiſſe per angelos, in manu mediatoris*, quæ duo loca etiam Chryſoſtomus *c*, annotauit. Lex itaque antiqua per angelos data eſt, & angelus erat, qui loquebatur tunc, non Deus per ſeipſum. Et de hac antiqua lege Apoſtolum loqui, multi contendunt, quamuis enim vnus eſſet angelus, qui Dei nomine legem tradebat (quem multi Theologi credunt fuiſſe Michaelem) non poſſumus

Mat.21.37

Pſal.3.4.

Heb.2.1.

¶ 92.

Li. de cœleſt. Hierar. cap.4.

Lib. cont. Adim. c.9.

3. De Trinit. cap.11.

In præf. in Iob cap.2.

Actо.7.38.

a *In c.3. ad Gal.*

b *Ad Gal. 3.19.*

c *Hom.3. in Epiſt. ad Hebr.*

ſumus tamen negare, inquit Chryſoſtomus, plures angelos ibidem extitiſſe, qui tubis, & buccinis perſonabant, & cætera faciebant, hoc eſt, ignem, fumũ, & nebulas, vt verè dicatur in plurali, legem datam vel ordinatam per angelos. Qui ergo per *Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus*, id eſt, ratus, ſtabilis in minis, & promiſſis, vt exponit Anſelmus, & qui contra legem agebat, ſtatim duram experiebatur vltionem. Hoc enim ipſo, quod quidam blaſphemauit nomen Domini, aut, vt Oleaſter expendit, leue duxit nomen Domini, ex ipſius Dei præſcripto ab omni populo lapidatus fuit, & quoniam quidam inuentus eſt, ſabbato colligens ligna, ex Dei ordinatione, à populo lapidibus obrutus expirauit, & quando populus ab illius legis obedientia deficiebat, ſtatim varijs vltionibus affligebatur. Hocque tam commune certumque erat, vt ipſis gentilibus, & exteris nationibus id eſſet exploratum, & compertum, vt longa oratione Achior coram Holoferne fuit proſecutus. Chryſoſtomus, *Sermonis* nomine, non legem, quæ grauiſſimam rem continere videbatur, ſed quicquid angeli locuti ſunt, intelligit. Inuenimus enim angelos ſimplici ſermone multa dixiſſe, quæ magna cum veneratione excipiebantur, & qui à ſimplici verbo angeli deficiebat, ſtatim vltionis pœnas acres experiebatur, vt in ijs quæ Lot contigerunt, videre licet, cui ſimplici verbo angelus præcepit, ne aliquis eorum, qui in ſuo erant comitatu, oculos retro conuerteret, & quia illius vxor, leui ducta curioſitate, præceptum angeli neglexit, in ſtatuam ſalis eſt conuerſa. Mater Sampſonis, qua diligentia, omnia quæ angelus ei propoſuit, obſeruauit? Nec enim auſa fuit bibere vinum, aut comedere aliquid immundum, quia id angelus præceperat, Verbum ergo ſimplex cuiuſuis angeli, ſumma obſeruantia excipiebatur. *Propterea*, inquit Apoſtolus, *abundantius oportet obſeruare nos, ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus*. Abundantius, id eſt, ſtudioſius, firmius, diligentius. *Nos*, quibus locutus eſt Deus, in ſuo naturali conſubſtantialique filio, oportet obſeruare ea, quæ ab eo audiuimus, ne fortè pereffluamus, i.e. (inquit Chryſoſt.) ne fortè pereamus, metaphora ſũpta à liquore, qui dũ ex vaſe defluit, deperditur, ſumpſitq; hoc verbum, inquit Chryſoſt. ex prouerbijs: *Fili, inquit, mi, ne perfluas*, Aduerbium autem *Fortè*, etſi rem dubiam communiter ſignificet, ſæpè tamen tam in Scriptura ſacra, quam apud authores prophanos, certiſſimum euentum declarat, vt ex profeſſo B. Ambroſius demonſtrat. Certiſſima ergo imminet perditio, ſi non obſeruauerimus, quæ à Chriſto audiuimus, ſi enim quiuis ſermo quantumcunque leuis, factus per angelos, qui ſerui erant, tanta obſeruatione fuit exceptus, & tãto rigore puniebantur, qui illum tranſgrediebantur, *quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Teipſum facit iudicem Apoſtolus, inquit Chryſoſt. vt tu ipſe ſententiam feras, id .n. in rebus manifeſtis conſueuimus, eum, cũ quo agimus iudicem conſtituere. Fecit hoc in veteri teſtamento Nathan, fecit, & in Euangelio Chriſtus Dominus, in parabola vineæ, quando Phariſeos ipſos, quos arguere inſtituebat, iudices conſtituit, à quibus poſtulauit vt ſententiam ferrent, dicens: *Quid faciet agricolis illis?* Tam euidens ergo eſt, acri duraque dignus pœna, is qui negligens eſt in obſeruatione eorum, quæ Chriſtus præcepit, vt idipſum illi ipſi Paulus cõmiſerit iudicãdũ. Et intuere, inquit Chryſoſt. qualiter faciat comparationem. *Si enim*, inquit, *qui per angelos dictus eſt ſermo*. Illic per angelos, hic autem per Dominum, illic quidem ſermo quiuis etiam leuis, hic autem ſalus. Et expende emphaſim, qua Apoſtolus loquitur, qui nõ ſalutem ſimpliciter, ſed cum illa peculiari nota propoſuit: *Tantum neglexerimus ſalutem*. Nõ enim nunc, inquit Chryſoſt. de prælijs nos liberauit, non corruptibilem ſalutem, quam vel leuis aura corrumpit, nobis affert, non nobis terram, aut terrena bona largitur, ſi eius verba obſeruauerimus, ſed ſalutem æternam, vitam ſempiternam, liberationemq; à diaboli poteſtate, &c. Si Deus ita puniebat eos, q nudum verbũ per angelos propoſitũ non ſeruabãt, quid faciet illis, qui talẽ ſalutẽ

per

Ibidem. *Leu.24.14* *In cap.24. Leut.* *Nũ.15.36* *Iudith.5.* ¶ 39. *Gen.19.* *Iudic.13.* *Hom.3. ad hebr.* *Lib.2. de pœnit.c.5.* *Ibidem.* *2.Reg.12.* *Matt.25.* 40. *Ibidem.*

per eius legitimum filium oblatam, & propositam negligunt? Si in statuam salis conuertit mulierem, quæ angeli verbum simplex non seruauit, quid ei faciet, qui Christum loquentem, & dicentem: *Ego autem dico vobis*, contemnit, & erecto collo ad vindictam sumẽdam se cõuertit? Hanc rationem Christus Dominus præceptum dilectionis proponens, exprimere voluit dicens: Ego autem dico.

§. 7. *Secunda ratio est, quia hoc præceptum est bonum, vtpote conforme voluntati diuinæ, quam sine replica complendam ostendunt, quæ in Scriptura recensentur.*

¶ 94. EGo autem dico vobis: Diligite. Illam secundam rationem efficaciſſimam ad legem istam complendam, hæc verba ex eo indicant, quia eam exprimunt conformem diuinæ voluntati. Id siquidem agendum est, & sequendum, quod est bonum, bonum namque omnia appetunt, hanc autem legem continere bonum, ostenditur manifestè: quia exprimit id, quod præcipit, esse voluntati diuinæ consonum, & conueniens. Id siquidem bonum, rectumque est, quod est conforme regulæ rectitudinis, & bonitatis, à qua cum aliquid deuiat, obliquum, & obtortum est. Regula recti, iusti, boni, & æqui, est voluntas diuina, quæ est bona, & recta per essentiam, nec pôt esse obliqua, aut mala. Ita explicant sancti Patres illam grauẽ Christi sententiam, quam tres Euangelistæ expresserunt: *a Nemo bonus, nisi solus Deus*. Nunquid cætera non sunt bona? inquit B. Augustinus *b*, certè *c*, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Bona quidem sunt, sed solus Deus bonus est per essentiam, cætera bona sunt, quia eius bonitatẽ participant, & in tantum sunt bona, in quantum illam participant. ita idipsum explicauit D. Epiphanius *d*, contra Arrianos, annotans similem esse sententiam, quam dixit Paulus de Deo: *Qui solus habet immortalitatem*, quia quamuis aliqua dẽtur præter Deum immortalia, vt Angeli, anima rationalis, &c. Ipse tamen solus est immortalis per essentiam, & ita radix, & principium totius immortalitatis, vt in tantum cætera immortalia sint, in quantum ab eo immortalitatem participant. Possumus, & consueuimus dicere, in Hispania solum regem habere dominium, & potestatem, quia quamuis multi dentur, qui potestatem habent iudicandi, & regendi, ille tamen solus habet potestatem supremam, independentem in terra, cæteri autem eam habent ab illo participatam, & tantũ illam habent, in quantum ille communicare voluit. De qua re omnes sancti Patres, Basilius *a*, Cyrillus Alexandrinus *b*, Ambrosius *c*, Augustinus *d*, Epiphanius *e*, omnes Theologi, cum D. Thoma *f*, id ex vera Theologia comprobantes, & explicantes. In Deo siquidem est intellectus circa verum, & voluntas, circa bonum: & sicut est impossibile aliquid esse conforme intellectui diuino, quod non sit verum, quia illa est regula totius veri, & impossibile est illum falli, aut à vero deficere, ita impossibile est aliquid esse secundum eius voluntatem, & non esse bonum, quia illa est regula totius boni, & impossibile est illam esse obliquam aut deuiam. Ex his infert Chrysostomus, hanc esse euidentem consequentiam: Hoc est conforme voluntati diuinæ, ergo rectum, bonũ, appetendum, & sequẽdum, nec. n. potest à bono deuiare, quod est conforme regulæ ipsius boni. Infert secundò, postquam Deus declarauit aliquid esse suæ volũtati cõforme, hoc ipso declarasse, illud esse rectum ac bonum, ita vt nihil vlterius, quantũ ad hoc, inquirendum sit. Quod ¶ 95. & probat expendendo eloquentissimè historiam illam celebrem, quæ habetur in libris Regum. Volens Propheta quidam iuxta Dei præceptum accedere ad reprehendendam Regem Achab, 3. *Reg.* 20. quod Regem Syriæ, quem bello ceperat liberum contra Dei decretum dimisisset, vt propriam faciem, & vultum suum Propheta posset dissimulare, accessit ad quendam proximum suum, & dixit ei, *In sermone Domini*, id est, exponendo, & declarando, quod dicebat,

a *Matt.* 19. 16. & *Mar.* 10. 17. & *Luc.* 18. 16.
b *Epist.* 54. *ad Maced. circa medium.*
c *Gen.* 1. 31
d *Hæres.* 69. 1. *ad Tim.* 1. 16.

a *Ad Amphilochiũ.*
b *Libr.* 2. *Thesau.* c. 1.
c *In cap.* 12 *Luc.*
d *Li.* 3. *cõt. Maxim. Arria.* c. 25
e *Hæres.* 69.
f 1. *p.* q. 6. *art.* 2.

Ora. 1. *cõt. Iud. tom.* 5.

cebat, decretum Domini: *Percute me*, ille noluit, iniuſtum reputans percutere Prophetam, & ecce ſtatim aduenit leo, qui eum deuorauit. Acceſſit ad alium ſimiliter ei dicens: *In nomine Domini percute me*, quod illa ita executus eſt, vt caput eius graui vulnere feriret, quod cum feciſſet, incolumis remanſit. Quid hoc mirabilius? inquit Chryſoſtomus, qui percuſſit Prophetam, euaſit incolumis, & qui ſe continuit, ne percuteret, graues ſupremaſque pœnas luit? Rectè quidem, vt intelligas, eo ipſo quo agnoſcis aliquid eſſe diuinæ voluntati conforme, iudicandum eſſe rectum, & bonum, & agendum. Propterea ille non ſimpliciter dixit: Percute me, ſed addidit: *In verbo Domini*: hoc eſt, Deus præcipit, hoc ipſo rectum, bonumque erat, illum percutere, & malum, illi parcere: ideoque qui percuſſit, incolumis euaſit, quia rectum, & bonum operatus fuit; qui percutere noluit, pœnas luit, quia culpam commiſit, & malum fecit, non agendo, quod Deus fieri volebat. Quo intelliges, inquit Chryſoſtomus, non oportere te eſſe curioſum examinatorem præceptorum Dei, ſed ſufficere tibi, ſcire aliquid, quicquid ſit illud, eſſe, conforme eius voluntati, vt illud bonum eſſe intelligas. Hinc Propheta Samuel reuicit Saulem, probans eum malum feciſſe. Nota eſt hiſtoria, quando iuſſit Deus Sauli, vt percuteret cunctum populum Amalecitarum, à rege ad infimum vſque ſeruum, & omnia ſimiliter, quæ illius erant, abſumeret. Vidit quoſdam optimos greges ouium, & armentorum, quos reſeruare voluit, ſicut ipſe dixit, vt ex eis ſacrificium Deo offerret, & hac de cauſa Deus illum punire, & priuare regno definiuit, & decreuit. Cum autem Samuel hoc ei intimaret, miratus eſt, dicens ſe nihil feciſſe, qui ſi aliquid reſeruauit, fecit, vt Deo obſequeretur, eique ex animalibus electis, ac pinguibus offerret ſacrificium, reſpondit Samuel: *Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini?* Holocauſta, & victimæ, & omne quod bonum videtur, in tantum eſt bonum, in quantum eſt cõforme diuinæ voluntati, quæ totius boni regula eſt. Hoc ipſo quod tibi dictum fuit. Dei voluntatem eſſe, quod nulli rei parceres, hoc fuit iuſtum, rectum, & bonum, & huius oppoſitum tam malum, quantum pœna; quam Deus infligere decreuit, demonſtrat. Ex eodem principio eloquenter idem Chryſoſtomus *a*, diſcurrit circa factũ Oziæ *b*, qui religioſum ſeruitiũ præſtare Deo volens, thymiama ei obtulit, & certè videbatur actio maxime pia, & religioſa, vt Rex ſeipſum exhiberet obſequentem Deo, nihilominus grauiſſimè punitus eſt, quia verè non bonum, ſed impium opus aggrediebatur, nec enim bonum, aut religioſum opus eſt, quod quiuis ſecundum volũtatis ſuæ regulas tale iudicat, ſed quod eſt ſecundum regulas voluntatis diuinæ. Ex hac eadem doctrina multa alia poſſumus explicare, quomodo ſcilicet Abraham voluit filium ſuum occidere, cum contra legem naturæ ſit, eum qui dat vitam filio, illam auferre, certe quia Deus hoc illi præcipit. Hinc & illud Oſeæ poterit explicari, cui primo iuſſit Deus ducere mulierem fornicariam, & quod filios ex ea ſuſciperet, circa quod Theologi multas proponunt difficultates, ſed aliam grauiorem poſſumus conſiderare, ex eo, quod poſtea eidem mandauit, vt diligeret mulierem nuptam, & habentem virum. *Vade*, inquit, *& dilige mulierem dilectam amico, & adulteram*. Quidam contendunt hanc eandem eſſe cum illa, quam primo Propheta viſus fuit ducere, quam vocauit fornicariam, quæ erat Gomor filia Debelaim. Ita Theodorus Antiochenus, & Ruffinus, ſed Dionyſius Cartuſianus cenſet, iſtam aliam eſſe ab illa, illa enim prior non erat vxorata, quam ideo Deus abſolutè fornicariã vocauit, hæc autem vxorata erat, & nupta, quod patet ex eo, quod vocat eam adulteram. Si adultera erat, certè maritum habebat, cui fidem per adulterium fregit, ſed de ijs alibi. Dices, ſi mulier nupta erat, & habebat virum, quamuis adultera, quomodo poterat Oſeas eam diligere, & ducere? Reſpondebo, Quia Deus hoc illi præcepit; cuius voluntas tam recta, vt hoc ipſo

1. *Reg.* 15.

a In print. hom. in Vidi Dominũ tom. 1. ad finem.

b 2. *Par.* 26.

¶ 96. *Geneſ.* 22.

Oſeæ 1. 2.

Oſeæ 3. 1.

ipſo quod aliquid eſt illi conforme, rectum debeat iudicari. Scio alijs rationibus hæc à Theologis explicari, quas non vacat proſequi. Non ergo id bonum eſt, quod mihi, vel tibi bonum videtur, non quod Ariſtoteles diffiniuit, nec quod Plato præſcripſit, aut Lycurgus ordinauit, ſed quod diuinæ voluntati fuerit conforme: & omnis lex eatenus bona eſt, quatenus hanc conformitatem ſeruat. Expẽde ad hoc inſtitutum ſentẽtiam Beati Hieronymi, qui demonſtrare volens ignorantiam aliquando eſſe peccatũ, & aliquos per ignorantiam peccare, explicat quæſtionem illam, cur Habacuc Propheta canticum ſuum, hoc inſcribat titulo: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorationibus*, quam varijs rationibus alij authores explicant. Credit tamen Hieronymus, Prophetã peccaſſe per ignorantiam, videns enim oſtendente ſibi Deo, quæ Deus ipſe permittere parabat, quæ facturus erat Nabuchodonoſor contra populum Dei, quæ iam tãquã præſentia ſpiritu prophetico cernebat, audacter locutus fuerat ad Dominum, dicens: *Vſquequo Domine clamabo, & nõ audies, vorifera or vim patiens, & nõ ſaluabis? Quare oſtẽdiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniuſtitiã?* His verbis audacter nimis locutus eſt, pro quo ſeipſum reprehendens, quod fuerit per ignorantiam locutus, ſcribit canticũ pœnitentiæ. Ita Hieronymus. Et quidem certũ eſt ſecũdum rectam Theologiam, Deũ alio modo ſe habere circa mala culpæ, quam circa bona: illa enim non ſunt conformia voluntati ſuæ, ideoque illa ipſe non vult, ſed tãtummodo permittit: hæc autem directè vult, & agit ac ordinat, & tanta eſt diuinæ voluntatis bonitas, vt non permitteret mala agi, niſi aliquod bonum inde elicere intẽderet. Hocque adeo certum eſt, vt peccatum ſit, curioſè nimis examinare velle, cur Deus hoc vel illud fieri permittat, quia hoc ipſo, quod ille vult permittere, intelligere debemus, talem permiſſionem eſſe rectam, iuſtam, & bonam, cui propterea, *nemo dicere poteſt; Cur ita facies?* Et ideo iuxta Diui Hieronymi ſententiam, Habacuc peccauit, quia culpabilis ignorantia, & reprehenſione digna eſt, velle quærere à Deo rationem eius, quod ſua voluntate permittit, etſi cõtra rationem illud fieri videatur. Melius propterea Dauid egit (vt ipſe Hieronymus annotat) qui cum ei malediceret Semei, velletque propterea Ioab illum interficere, Dauid eum cõpreſſit dicens: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? maledicat Semei, Dominus præcepit ei, vt maledicat Dauid. Et quis reſpondebit ei, Quare hoc feciſti?* Hoc ſecundum voluntatem Dei eſt, etſi nõ agentis, recto tamen conſilio permittentis, voluntas autẽ Dei, inquit Hieronymus, non eſt diſcutienda, ſed cũ gratiarum actione patienda eſt, hoc enim ipſo, quod illa vult aliquid fieri, certum eſt rationem boni ibi interuenire. Ad quod idem inſtitutum, expendit verba illa, quæ Nabuchodonoſor pœnitentia peracta dixit: *Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, et glorificaui, quia poteſtas eius, poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generatione, & generationem iuxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei: Quare feciſti, &c. cuius ſunt opera in veritate, & via illius iuſtitia, &c.* Eo ipſo quod ab illo iuxta voluntatem ſuam aliquid diſponitur, tam circa virtutes cœli, quam circa habitatores terræ, eius diſpoſitio iudicanda eſt recta, ac iuſta, & ſubdit: *In ipſo tempore, ſenſus meus reuerſus, eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremq; peruenit, & figura mea reuerſa eſt ad me.* Superbierat antea, & cum Deo contendere voluerat, ſeq; illi æquare fuerat auſus: Propterea sẽſu, & figura hominis priuatus fuit, & ab hominibus inter feras proiectus: cum ante ſe humiliter Deo ſubiecit, cõfitens, & profitens, Deum omnibus ſuperiorem, & quod quicquid ille diſponit, hoc ipſo rectũ eſt, quod à ſua voluntate diſponitur, ſenſus, inquit, meus redditus eſt mihi, quia verè ſenſu hominis priuatus videtur, qui ea, quæ ſua voluntate Deus diſponit, examinare cõtendit, & hominis figura priuãdus venit. Ille hominis legitimũ habet ſenſum, & figurã rectè gerit humanam, qui hoc ipſo q agno-

Li. 1. dialo. cont. Pelag. ad fin. tom. 2.

Habac. 3. 1.

Lib. 2. dial. cont. Pel. p. 219. tom. 2. 2. Reg. 16. 10.

Ad fi. eiuſdem lib. 2. cont. Pela.

Dan. 4. 13.

Iob 6. 12. ¶ 97.

agnoſcit aliquid à Deo diſponi, intelligit eſſe iuſtum, & rectum, *cuius ſunt opera in veritate*, id eſt, rectitudine, & bonitate, *& via illius iuſtitia*. Hinc expende, qua cenſura digna ſit hominis illius mens, qui iudicat bonum eſſe iniuriam vindicare, & in cõcilio eorum; quos mundus Homines vocat, proponit diffiniendum, quomodo cum inimico agendum ſit, quomodo vindicta ſumenda, vt bene, & ordinatè procedat. Quomodo poteſt bonum eſſe, quod eſt contra expreſſam Dei voluntatem, & tantum conforme iniquæ dæmonis voluntati, & legibus ſtultis, & impijs mundi; Quis ita poteſt deſipere, vt credat bonum eſſe, quod eſt cõforme diaboli menti, & voluntati; & contrarium voluntati, & menti diuinæ? Certè, & ratione, imo, & hominis figura priuandus eſſet, qui in tantam deuenit ſtultitiam.

§. 8. *Quæ Deus ſtatuit, approbanda non examinanda, docent Seraphim, nec homo, ait Iacobus, eſt iudex legis, ſed executor: vnde qui concilia pro lege duelli congregant, verbis Ieremiæ, & obedientia Roboam condemnantur.*

¶ 98. *Eſai. 6. 1.* VT quod antea cepimus, proſequamur, conſidera quomodo ſe habuerunt cœleſtes illi ſpiritus, quos Eſaias vidit: Apparuit Dominus ſuper ſolium excelſum, & eleuatum more ſupremi regis, volentis aliquid diſponere, & verè ita erat: voluit namque Prophetæ oſtendere, quid tandem circa populum illum rebellem agere ſtatueret, & tanquam ſupremus iudex cerneret, vt Ioannes manifeſtè annotauit, Hoc autem ipſo apparuerunt Seraphim, qui ſtabant ſuper illud ſolium, id eſt, iuxta illud; ſecundum phraſim ſcripturæ, quomodo dicitur Chriſtus ſanaturus ſocrum Simonis, ſtetiſſe ſuper illam, id eſt, iuxta illam: vnde, & Septuaginta legunt: Seraphim ſtabant in circuitu eius. Stabant autem, hoc ipſo ſe illius ſeruos profitentes, vt obſeruat Chryſoſtomus *a*: Sicut enim ſedere eſt domini, ita ſtare eſt ſerui, quomodo dicun ur ſteriſſe serui Salomonis coram ipſo, de quibus dixit Regina Saba: *b Beati ſerui tui qui ſtant coram, te ſemper*. Habebat autem quilibet illorum ſex alas, duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius. Quis eſt eius? Non Dei ſedentis in throno, ſed ipſiuſmet ſeraphim. Itaipſemet Chryſoſtomus ibidem oſtendit. Cur facies ſuas velabant? quaſi oculos ſuos operientes, profitentes hoc ipſo, inquit Chryſoſtomus, ſe nullatenus tantæ claritatis ſplendorem ferre poſſe: eo modo, quo homo ad ſolem conuerſus, oculos operit, & obuelat; quoniam tanti luminis claritatem non ſuſtinet. Oculos ergo ſuos operiunt, & pedes. Aptè quidem ſedebat Deus tanquam rex, volens multa, grauiſſimaque circa populum ſuum diſponere: ſeraphim hoc ipſo oculos aperiunt, quaſi indicare volentes, ſe nullatenus habere intellectum ad ea examinanda, quæ Deus facere diſponebat. Similiter operiunt pedes ſuos, & velant ipſos, ideſt, voluntatem, per quam tanquam per pedes diſcurrunt, & ſe mouent, indicantes ſe nullam habere voluntatem, cum Deus ſuam declarare aggreditur. Tantum reſtabant *duæ alæ, quibus volabant, & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena eſt omnis terra gloria eius*. Alter ad alterum clamant. Adſtabant ſupremo Regi, ordinaturo quæ volebat circa ſuum antiquum regnum, Iudæos ſcilicet reliquere, & excæcare, ac ſupremæ miſeriæ tradere, eo modo quo Theologi explicant: Et alter ad alterum clamabat, quaſi dicere volens: Deus noſter aliqua circa ſuum populum diſponere aggreditur, quem vult permittere, vt excæcetur, & pereat: id quod facit, an tectum ſit, & bonum, non eſt examinandum, per ordinem ad noſtrum intellectum, & voluntatem, quæ non ſunt ſupremæ regulæ recti, & boni: ſed intelligendum, eſſe verum, & rectum, quod eſt iuxta intellectũ illius, & bonum, quod eſt ſecundum ipſius voluntatẽ. Ad nos

Ioan. 12. 41

Luc. 4. 39.

a Hom. 3. de incomprehen. Dei natura, & homil. 8. in Geneſ.

b 3 Reg. 10

tantum attinet intelligere, quod est, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* Egregius clamor, quo Trinitatis mysterium exprimere voluerunt iuxta
a *Lib. 3. de Spiritu S.* sanctorum mentem, Basilij *a*, Epiphanij *b*, imò, & Dionysij *c*, & aliorum.
b *In Anchorat.* Vnde celebre illud trisagium eductum
c *Libro de cœlest. hierar. c 7. & 13.* est, de quo in quinta Synodo Constantinopolitana, & alibi sæpè. Sed, & terna confessione, qua clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* supremam Dei sanctitatem, bonitatem, & rectitudinem expressérunt, qui est sanctus in
¶ 99. seipso, sanctus in ijs quæ agit, & disponit, sanctus in ijs quæ permittit. Et
Isa. 12. 14. hoc est quod voluit Ioannes, vt nos intelligeremus, subdens; hæc dicta fuisse à Esaia, *quando vidit gloriam eius.* Hæc est enim Dei gloria, quod illo disponente aliquid, nemo possit dicere: Cur ita facis? sed intelligat omnis spiritus, quod quicquid ipse
Homi 3. de incomprehen. Dei nat. disponit, rectum est. Ex his argumentum construit Chrysostomus. Spiritus illi sunt Deo propinquiores; id enim, inquit, significat illud, quod Seraphin stabant super illud, quo non tam loci propinquitatem significare voluit Spiritus sanctus, quam indicare, illos inter res creatas diuinæ naturæ esse magis propinquos: illi sunt, qui è propinquo, & proximo videre, aspicere, & contemplari possunt quæ Deus disponit; & nihilominus nullatenus audent vel leuiter examinare velle, quod Deus decernit, sit rectum, & bonum, nec ne. Quid igitur homines agere debent? Quantum tenentur intellectum, & voluntatem suam submittere, cum vident multa fieri, quæ grauissima videntur, & cum aspiciunt, quod ille celebris concionator, *in loco*
Eccl. 3. 16. iudicij impietatem, & in loco iniustitiæ
Eccle. 4. 1. iniquitatem; & lacrymas innocentum, & neminem consolatorem, cũctorum auxilio destitutos: & seruos in equis, & dominos ambulãtes super terram quasi seruos? Hoc enim ipso quod Deus hæc permittere decreuit, intelligendum est rectè, iustè, & bene ab alio esse permissa, & talem permissionem esse bonam, vtpote à Dei voluntate, quæ mala esse nequit, procedentem. Si ergo quando Deus disponit permittere id, quod verè malum, & iniustum est, nullus relinquitur locus examinandi, rectumne, & iustum fuerit illud permittere, nec ne: intelligere enim debemus, hoc ipso quod à Dei voluntate processit talis permissio, illam esse rectam, iustam, & bonam: quanto magis id tenemur intelligere in ijs, circa quæ Deus non se habet permittendo, sed agendo, decernendo, & ordinando? Certè euidens est, eo ipso, quod ab illo aliquid decernitur, nullum nobis relictum esse locum examinandi, rectumne illud, aut iustum sit. Optimè Chrysostomus peculiarem
Hom. 16. ad populũ. hanc legem de inimicorum dilectione proponens: Cum Deus, inquit, denuntiauerit, noli causas à me requirere: lex enim est regia, qui tulit ipsam, & ipsius rationem nouit; nisi fuisset vtile, non prohibuisset vindictam. Expendit Beatus Hieronymus *a*, ad hoc institutum illam Iacobi Apostoli sententiam. *Si iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.* Vult tibi sanctus Apostolus docere, quod nobis tantum incumbit, leges à Deo, eiusque Ecclesia traditas custodire. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Venerunt illi in mentem quidam qui iudicant legem. Ille iudicat legem, inquit Hieronymus, qui dicit, aliquid iniustè esse præceptum, & qui examinare contendit per suæ rationis discursum, legis bonitatem, æquitatem, & iustitiam. Ex his euidenter possumus demonstrare, blasphemiam, & iniuriosam Deo esse valdè mundi consuetudinem. Quando enim aliquis ab aliquo iniuriam accepit, cogit, & congregat concilium amicorum, & eorum, qui censentur valere iudicio, & authoritate, vt pertractent, an offensa sit paruipendenda, an potius curanda, & vindicanda, & quomodo iuxta leges
Eccl. 10. 7. duelli agere oporteat. Hoc certè est ¶ 100. quasi in dubium reuocare, an lex statuta à Deo de diligendo, & parcendo inimico, recta sit, & bene decreta, & re ipsa monstrare velle, non congrue, & aptè à Deo diffinitum esse, quid agere oporteat erga inimicos, & afficientes iniuria: si enim bene intelligerent, & sentirent, aptè, & conuenienter rem esse diffinitã, & decretã à

a *Lib. 2. dial. cont. Pelag. to. 2. p. 212.*
b *Iac. 4 11 ad Rom. 2. 13.*

Deo,

Deo, non concilium congregarent, vt quid agendum ſit, cum iniuria quis ſe videt offenſum, & ſciat, & intelligat. Et verè qui in tali concilio ſedentes ſuffragia ſua ferunt, videntur dici poſſe iudices legis, qui aſſumunt iudicare de rectitudine, & bonitate legis. Cum enim Deus ſtatuerit, parcendum eſſe inimico, & offendenti, illi pertractandum aſſumunt, an rectum ſit, & bonum, parcere, an potius expediat vindicari. Vnde miror, cum video homines, quos mundus graues, illuſtres, & cordatos vocat, concilio iunctos, examinantes, quid erga inimicum agendum ſit. Et plenè intelligas inuerecundam huius concilij audaciam, & temerariam talium conſiliariorum præſumptionem, conſidera Chriſtum ſedentem in monte, inter diſcipulos ſuos, quaſi in concilio quod celebrat, cum ſupremis ducibus exercitus Chriſtiani, & cum magiſtris excellentioribus ſuæ academiæ Catholicæ, eo modo quo ſacer Euangeliſta eum refert, & deſcribit; & vide illum in hoc concilio, determinatam ſententiam proferentem in cauſa, qua quæritur quid agendum ſit, cum homo offenditur ab inimico: & reattentatè conſidera, & expenſis eorum hominum iudicijs, qui ſapientes iudicabantur, quales erant Scribæ, & Phariſæi; tandem iuxta diuinam ſapientiam reſoluentem: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Hoc ſuppoſito, poſſibile ne eſt, quod tanta ſit hominum ſuperba audacia, & temeraria præſumptio, vt contra hoc concilium, in quo Chriſtus Princeps pacis præſidet, & rem inter illos ſupremos conſiliarios decernit, aliud inter Chriſtianos congregetur concilium, in quo verè præſideat ſatanas princeps diſcordiæ, & quod reperiantur homines, qui ſe Chriſtianos gloriantur, qui ſcientes, & intelligentes Chriſtum in concilio ſuo diffiniſſe, & determinaſſe, quid agendum ſit, & dixiſſe; *Ego autem dico vobis*, ſuam audeant interponere determinationem contrariam, & dicere: Ego autem dico, obediendum, imo & occidendum inimicum? Non ineptè ad hoc inſtitutum poſſumus illam Sancti Prophetæ Ieremiæ admirationem, & horrendum ſtuporem expendere. *Contritum eſt*, inquit, *cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius: quia adulteris repleta eſt terra*. Deus quaſi habito conſilio cum ſuis ſanctis Angelis & Prophetis, ſuper iniquitatibus populi; ſententiam determinatam protulit, decernens illum puniendum, & tradendum manibus Chaldæorum, eo modo quo poſtea ad Nabuchodonoſor dictum fuit, quod eius punitio, & vindicta, *In ſententia vigilum decreta fuit*, & diffinita. Iuſſitque Deus Ieremiæ, vt hoc concilij ſui decretum nouum faceret populo. Quod cum Propheta compleret: ecce aliud concilium congregatum fuit, quorundam falſorum Prophetarum, qui loquebantur de corde ſuo, & ſecundum mentis ſuæ iudicium, qui definierunt, contrarium dici, & ſentiri debere ab eo, quod Deus definierat, & ſuadendum populo, quod nullatenus commouerentur propter decretum concilij, quod Dei nomine Ieremias publicabat; quia id potius ſequendum, & credendum erat, quod illi in concilio ſuo definierunt: ideoque nullum malum, aut captiuitatem timendam: & huius concilij decretum ſecutus fuit populus. Hoc videns Sanctus Propheta Ieremias, *Contritum eſt*, inquit, *cor meum in medio mei, & contremuerunt omnia oſſa mea*. Conſilium hominum contra conſilium Dei? Et quod poſtquam Deus determinato concilio cum angelis, & prophetis ſuis rem diffiniuit, & diffinitionem promulgandam mandauit, homines congregent concilium, & oppoſitum definiant, & determinent, & hoc omnes ſequantur? Quod verbis ſanctis Dei ſe opponant verba iniquorum hominum, & præualeant apud populum? *Contritum eſt cor meum in medio mei à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius*. Conferto verba Dei cum verbis hominum, & ſanctitatem illorum cum nequitia iſtorum; contritum eſt cor meum,

Ier. 23. 9.

Dan. 4. 14.

¶ 101.

videns prævalere verba iniqua hominum verbis ſancti Dei. In eo autem, quod ſubdit: *Quia adulteris repleta eſt terra*, quod dicere volebat, elegantiſſimè explicauit, vſus optima metaphora, qua Scripturæ ſacræ frequenter vtuntur, in qua lex vocatur maritus; & anima, quæ ei ſubijcitur illius vxor, quæ de illa concipit, & parit opera, ipſi legi ſimilia, atque conformia: quam metaphoram aptiſſimè proſecutus eſt Apoſtolus Paulus loquens de lege veteri, & ſynagoga: *Mulier*, inquit, *alligata eſt legi, quanto tempore vixerit vir eius: & tunc ſi fuerit cum alio viro, vocabitur adultera; cum autem fuerit mortuus vir eius ſoluta eſt à lege viri.* Habebat ſynagoga antiquam legem tanquam virum, de quo concipere, & parere debebat opera ipſi legi tanquam patri conformia, atque ſimilia: ea lege ſtante, ſi alteri legi populi gentilis adhærebat, vocabatur adultera. Ita eam appellare Deus ſæpè ſolitus fuit, quando ad gentilium mores, & leges ſeruandas ſe conuertebat ſynagoga, vt patet ad Oſeam, & alios Prophetas. Mortuo tamen viro, id eſt, antiqua lege mortua, iam ad alterum virum, legem ſcilicet Euangelicam, potuit & debuit ſe transferre. Legitimæ ergo vir ſynagogæ, erat diuina lex, & diuinum decretum, & verbum Dei ſanctum, & iuſtum, de quo debebat concipere timorem, metum, & reuerentiam. Hoc tamen viro relicto, alteri viro ſe tradebat: nam relictis diuinis decretis, & verbis, quæ ſancti Prophetæ promulgabant, legibus, & verbis falſorum Prophetarum adhærebat. Ideo dicit Propheta: *Repleta eſt terra adulteris.* Aut verò alludit ad aliam metaphoram, in Scriptura ſæpiſſimè vſitatam, qua Deus dicitur vir animæ, de quo illa concipit, non *per ſemen corruptibile ſed incorruptibile, quod eſt verbum Dei*, vt dixit S. Petrus Apoſtolus. Quando hoc viro concepto, & ſpreto, tradit ſe alteri viro, dæmoni videlicet, mundo, vel carni, quorum verba auſcultat, & recipit, & ex eis tanquam ex ſemine concipit opera, illis conformia, dicitur adultera. *Terra ergo plena erat adulteris*, quoniam relicto Deo eiuſque ſacris verbis contemptis, ex quibus timorem debebant concipere, adhærebant falſis Prophetis, ex quorum verbis concipiebant ſpem, & ſecuritatem. Hocque eſt quod Propheta dum videt, horret, cõturbatur cor eius, & contremiſcunt omnia illius oſſa: quia videbat homines neglecto Deo, eiuſq; ſanctis verbis ſpretis, adhærentes falſis prophetis, eorumque verba, & decreta ſumma æſtimatione acceptantes, & proſequentes. Et rem totam concludere volens: *In nouiſſimis*, inquit, *diebus intelligetis conſilium eius.* Vos qui in concilio congregamini contra concilium Dei, & vos qui neglecto eo quod Deus ſuo definiuit concilio, id ſequimini, quod in concilio falſorum Prophetarum decretum eſt, in nouiſſimo intelligetis eius conſiliũ, & quantæ fuerit rectitudinis, & quam expediens fuiſſet vobis illud ſequi, quando venient inimici, & circundabunt ciuitatem, & captiuos vos ducent in Babylonem: tunc intelligetis conſilium eius, & vanitatem conſiliorum veſtrorum, & ſtulticiam impiorum veſtrorum pſeudoprophetarum. Quæ hominibus illius temporis, iure dixit Ieremias; potiori ratione dicere poſſum, propter ea, quæ inter Chriſtianos fiũt. *Contritum eſt cor meum, & contremuerunt oſſa mea.* Video enim Deum definito, determinatoque conſilio, quid agendum ſit circa inimicos, & offendentes, decreuiſſe, & lege inuiolabili ſanxiſſe, nobiſq; promulgandum commiſiſſe: & nihilominus conſpicio concilia congregari contra conſilium Dei, & in illis definiri, quod diuino decreto, & definitioni contrarium eſt, & contemni verba ſancta Dei, & quod Deo dicenti: *Ego dico: Diligite inimicos*, audaci temeritate dicit vilis homuncio: Ego dico, vindictam ſumendam de inimicis. *Contremuerunt oſſa mea à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius.* Video enim Deum contemni, eius verba ſancta ſperni, *& quod repleta eſt terra adulteris.* Non enim homines adhærent legitimo animæ ſuæ Sponſo, vt ex eius verbis, & doctrina concipiant, quod agere debeant, ſed dæmoni, & mundo, cuius

ad Rom. 7. 2 & 1 Corinth. 7. 39.

Oſea 3.

§ 102.

1. Pet. 1. 23

cuius ſententias recipiunt, iudicia æſtimant, & magnificiunt. Hoc tantum dico, *quod in nouiſſimis diebus intelligetis conſilium eius*, quando adueniente hora mortis, in extremis conſtitutus, ea te anguſtabit cogitatio, quod coram eo iudice debes comparere, quem ſpreuiſti, cuius faciem, & vultum, & verba ſancta reueritus non fuiſti, cuius decreto, tuum decretum auſus fuiſti opponere. Sufficiat ergo ei, qui hominis habet ſenſum, & mentem audire, *Ego autem dico vobis*, vt inde inferat, quod barbarus ille Nabuchodonoſor hoc eſſe in veritate, & iuſtitia diſpoſitum. Non mirandum refert Scriptura ſacra, de illo impio crudelique Roboam Rege, qui nolebat ſequi conſilia ſenum ſapientum, ſed iuuenum imprudentium. Surrexit Ieroboam ſeruus eius, & ex duodecim tribubus ſuper quas Roboã regnabat, decem tulit, ſuper quas conſtitutus eſt Rex, duabus tantum relictis ipſi Roboam, ſuper quas regnaret. Venit propterea Roboam in Ieruſalem, & conuocauit vniuerſam domum Iuda, & Beniamin (quæ erant duæ tribus, quæ ſub eius obedientia remanſerant) centum, & octoginta millia electorum, atque bellantium, vt dimicaret contra Ieroboam, à quo recuperaret decem tribus, quas ille ſibi acceperat. Factuſque eſt ſermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens. Loquere ab Roboam filium Salomonis, regem Iuda, & ad vniuerſum Iſrael, qui eſt in Iuda, & Beniamin: *Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis neque pugnabitis contra fratres veſtros, reuertatur vnuſquiſque in domum ſuã, quia mea geſtum eſt hoc voluntate.* Qui cum audiſſent ſermonem Domini, reuerſi ſunt, nec perrexerunt contra Ieroboam. Et quidem multa ſunt circa hanc hiſtoriam expendenda. Primum, Roboam hominem fuiſſe ineptum, & ſui capitis. Secundum, quod diro vulnere fuit lanciatus, dum vidit ex duodecim regni ſui partibus, decem ſibi eſſe ſublatas, duabus tantummodo remanentibus: & quod, vt egregiè ait Chryſoſtomus, illa ira in regibus inextinguibilis eſt, quam regni zelu accendit. Tertium eſt, quod iam maior pars belli confecta videbatur, in eo quod congregauerat tam grandem, numeroſum, potentemque exercitum, cum quo proficiſcebatur iam contra Ieroboam; cuius vires non tanti æſtimabantur, quippe qui modernus erat Rex, nec regni ſui res adhuc ſuo modo compoſuerat. Quartum eſt, quod non Deus illi apparuit, vt ei ſuam voluntatem declararet, eum terrens, ſicut apparuit Laban proficiſcenti contra Iacob, neque verò angelum de cœlis miſit, qui eum contineret diſtricto gladio ſibi oppoſito, ſicut miſit ad continendum Balaam, ſed Prophetam, quẽdam hominem, quem ipſe reputabat communem: & nihilominus hoc ipſo quod eũ audiuit Dei nomine dicẽtem: *Hoc mea geſtum* diſpoſitum, & ordinatum *eſt voluntate*; non ſolum rex, ſed, & milites, qui ira ſuccenſi proficiſcebantur, omnes reuerſi ſunt, & iudicauerunt, id rectum, bonum, & vtile, quod dicebat Propheta, Dei voluntate geſtum. Quid igitur agere debet homo, à quo inimicus non abſtulit decem partes regni, quique non tam graue diſpendium, ſicut Roboam paſſus eſt, cui nõ Propheta, nec Angelus, ſed Deus ipſe, *Ego*, inquit, *dico vobis*, quaſi dicens; *Mea voluntate hoc geſtum eſt*, & ordinatum.

Dan. 4. 31.

¶ 103. 3. Reg. 12. 21. & 2. Par. 11.

Gen. 31. 24.

§. 9. *Tertia ratio eſt, quia hoc præceptum eſt iuſtum, & iuſtè, iuxta Auguſtinum, & Gregorium, cuius eſt interdicta vindicta, etſi dictum fuerit, Oculum pro oculo.*

¶ 104.

EX eiſdem Chriſti verbis, demonſtrare item poſſumus hoc præceptum non ſolùm eſſe bonum; ſed etiam iuſtum, æquum. Quis eſt, qui præceptum ponit? Deus ipſe, qui dicit: *Ego autem dico*. Inferto igitur, quod inde manifeſtè ſequitur; ergo præceptum iuſtum eſt. Quis enim eſt Deus? *Iuſtus Dominus in omnibus vijs* Pſal. 114.

In imperf. hom. 2. poſt med.

vijs ſuis, inquit Dauid, quia omnis via, ad quam declinat, & quã aggreditur, iuſta eſt. Hocque inquit Auguſtinus, eſt, quod in omni euentu ſancti viri ſupponunt, ſignanter cum patiuntur aliqua ſuæ voluntati contraria, Deum quidem iuſtum, ſe autem peccatores, qui iuſtè talia patiuntur. Ita Azarias, & ſocij eius in fornace, ita, & Daniel ipſe in ſua captiuitate, ita, & Tobias in ſua cæcitate: quod, & ſimiliter ſupponere omnes debemus, cum aliquid patimur, dicentes: Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis. Talis eſt enim Deus, vt de illo dicat Dauid: *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Vide quam iuſtus ſit, quod iuſtitias diligit. Nihil Deo gratius, quàm mors filij ſui, vt multis rationibus Scripturæ docent. Et quomodo Patri poteſt eſſe grata mors filij vnigeniti ſummè dilecti, quam illi inferunt eius inimici? Pro re ſummè deteſtabili ponit Sapiens: *Qui victimat filium in conſpectu patris*. Ratio eſt, quoniam per illam ſatisfiebat iuſtitiæ, ſecundum omnem eius rigorem. Erat enim homo debitor, & non poterat ſatisfacere ad æqualitatem de rigore iuſtitiæ: nec id poterat præſtare, qui Deus non eſſet. Poterat quidem Deus gratis debitum omne dimittere, & alijs modis, hominis lapſum reparare, vt ex Beato Auguſtino *a*, demonſtrat Diuus Thomas *b*: ſed hic neceſſarius erat vt de toto rigore eſſet ſuæ iuſtitiæ ſatisfactum. Ita ergo iuſtitias diligit, vt gratiſſimam haberet filij ſui dilectiſſimi mortem, per quã integrè, & perfectè iuſtitiæ eſſet factum ſatis. Quod benè annotauit Paulus, tradens cauſam mortis Chriſti, *ad oſtenſionem*, inquit, *iuſtitiæ ſuæ*, & vt iuſtitia ſua plenariam omninò reciperet ſatisfactionem, filium ſuum pro ſeruo expoſuit: *Iuſtus namque Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*, ideſt, ad rem nullam conuertit vultum, nulla res de vultu eius prodit; niſi recta, iuſta, & æqua, de quo dixit Propheta: *Habac.* 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui Domine, nec valeſ ad iniquitatem reſpicere*. Iniquitas eſt contraria æquitati, & iuſtitiæ, nihil ergo iniuſtum, aut iniquum ab eo procedere põt. Hocque eſt, quod tanquam fundamentum qualibet die ſupponebat Dauid, dicens: *Mane aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Hoc quidem Deus habuit à principio, vel potius à ſua æternitate, tanquam connaturale ſibi, ideoque veniens in mundum id ipſum retinuit: vnde non potuit præcipere, nec decernere, niſi quod iuſtum eſt. Inuehebatur frequenter Deus contra principes, & præſules populi ſui, quòd ſuis commodis tantùm attendentes, iuſtitiam quaſi terra expulerãt, in qua multa iniuſta inuexerant, ad cuius remedium promittebat, ſe miſſurum talem principem, qui iuſtitiæ eſſet reparator, & eius partes ita ageret, vt nihil non iuſtum ſtatueret. Ita apud Ieremiam: *Væ paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem meum*. Illa interiectio *Væ* non tam comminantis, quam lamentantis eſt, quaſi dicere volentis: Lamentor gregem meum propter paſtores eius, &c. Quid igitur fiet? *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra, &c. & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*. Expende illud, *Germen iuſtum*, ideſt, germen ad producendam iuſtitiam, qui ſit radix, & origo totius iuſtitiæ, & ſanctitatis, qui faciat iudicium, & iuſtitiam in terra. Iuſtitia deſtructa eſt, & iudicium rectum defecit: veniet ille, qui ita iuſtitiam faciat, ſtatuat, & roboret: vt inde nomen tracturus, ſit, quem vocabunt, *Dominus iuſtus noſter*. Ita, & apud Sophoniam: *Principes eius in medio quaſi leones rugientes, iudices eius lupi*. Leo præualet fortitudine, & lupus voracitate, quia illi principes, & iudices id omne tanquam iuſtum decernebant, quod de facto per violentiam exequi poterant, ſicut leones, qui quod violenter ore ſuo capiant, ad ſe iure pertinere reputant, quales illi, qui dicebant: *Sit fortitudo noſtra lex iuſtitia*, itemque illud, quod erat ſecundum voracitatem, aut cupiditatem appetitus ſui, iudicabant iuſtum. Leo agit ſecundum motum irascibilis, lupus ſecundum motum concupiſcibilis. Illa iudices illi ſtatuebant, quæ ſuæ irascibili, & concupiſcibili erant

Pſa. inſtã — *Pſal.* 5. 5.

Dan. 3. 27. *Dan.* 9. 7. *Tob.* 3. 2.

Pſal. 108.

Ier. 23. 1. 2

Eccl. 34. 24

¶ 105.

a 13. *de Trinit. c.* 10. *b* 3. *p. q.* 1. *art.* 2.

ad Rom. 3. 25. 26.

Sopho. 3. 3.

Sap. 2. 11.

erant congrua: ideoque *iniuſtè egerunt contra legem*, id quod præcipiebant iniuſtum erat, & contra diuinam legem, quam ſeruare tenebantur. Quid igitur fiet? *Dominus iuſtus, in medio eius non faciet iniquitatem*: id eſt, qui verè eſt Dominus, totius iuſtitiæ author, in medio eius ſtabit, omnibus ſe exhibebit videndum, & agnoſcendum (id enim eſt eſſe in medio) & quoniã iuſtus eſt, non faciet iniquitatem, id eſt, nihil iniuſtum, aut iniquum, aut contra æquitatem ſtatuet. Ecce Chriſtum in medio conſtitutum, in monte ſedentem, omnium oculis expoſitum. Quis ille eſt? Dominus iuſtus: non ergo faciet, aut proponet rem iniuſtam. Hæc adde quod eius Reſpublica, quæ eſt Eccleſia, tam iuſtis legibus erat gubernanda, vt eius nomen futurum eſſet, *Ciuitas iuſtitiæ*, ſicut prædixit Eſaias. Rex iuſtus dans leges ciuitati iuſtitiæ, non ſolùm legem iuſtam, ſed quæ iuſtiſſima ſit, erat prolaturus. Et ipſe, de quo Dauid prædixerat: *Virga æquitatis virga regni tui: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Si æternus pater, vt oſtenderet, quantum diligit iuſtitiam, filium ſuum tradidit in mortẽ, vt iuſtitiæ omninò fieret ſatis; filius itidem non minus oſtendit, quantum eam dilexerit, qui ad eius ſatisfactionem, ſemetipſum tradidit, & vt iniuſtitiam expelleret, & iuſtitiam introduceret, crudelem mortem pati voluit: rectè igitur infertur, id quod præcipit, non eſſe iniuſtum, aut iuſtitiæ, vel æquitati contrarium. Sed dices: Quomodo iuſtum eſt, quod præcipit, *Diligite inimicos veſtros?* Iuſtum eſt, vt id quod debeo ſoluam, & iuſtum præcipit lex, quæ id ſtatuit: iniuſtum autem, vt iubeat perſoluere, quod nullatenus debeo. Ego amico quidem amorem debeo, quia amor amore iuſtè, & æqualiter cõpenſantur; ſed inimico nihil debeo, niſi odium, & offenſam; non ergo iuſtum eſt præcipere, vt ei, cui nullatenus debeo, perſoluam amorem, & beneficentiam Sanctus Auguſtinus facilè ſe expedit dicens: ſi exenteres piſcem hunc, rem eſſe claram, non enim Chriſtus præcipit, vt diligas inimicitiam, ſed inimicum. Duo ſiquidem ſunt in inimico: eſt perſona, quam Deus creauit, & ex conſequenti, bona: quia omne quod facit Deus, bonum eſt. eſt etiam offenſa, quã tibi intulit, quam non Deus, ſed malitia diaboli ſuggeſſit, ideoque mala. Deus non iubet diligere offenſam, ſed perſonam; hoc autem iuſtiſſimum eſt: idem eſt enim, ac ſi præcipiat; Dilige bonum, quod eſt in inimico, & odio habeto malum, quod eſt in illo. Quod & conforme eſt naturæ rerum: bonum enim debet diligi, quia eſt, quod omnia appetunt; malũ debet odio haberi, quia eſt quod omnia refugiunt, & auerſantur. Primum medicinæ præceptum, & quaſi fundamentalis regula eſt, quod medicus ex corde diligat infirmum, & ſe ei oſtendat benè affectum, beneficum, & benignum, & illum ſufferat: quia in infirmo duo ſunt, perſona & infirmitas. Cùm iubetur medicus diligere infirmum, de perſona accipimus, quam digit, & amat; quam ideò ſummo affectu deſiderat ſanitati reſtituere, & in vitam ſeruare; ex quo oritur, quod totum eius odium ſit contra infirmitatem, quam vellet penitus abſumere, & delere: ſed de ijs latior infra erit ſermo. Magis tamen in particulari oſtendamus, iuſſè DEVM interdixiſſe nobis, odire, & perſequi inimicos noſtros, & præcepiſſe, vt eos diligamus: idque duplici ex capite, quod exprimere voluit in eo, quod dixit: *Inimicos veſtros*. Primum eſt, quod indicat Beatus Auguſtinus, quia noſtram naturam agnoſcit, & comprehendit, quæ talis eſt, vt perturbata, neſciat diſtinguere, quæ diſtingui oporteret. Homo quidem iniuria affectus, ſimilis eſt ei, qui ictum recepit in capite, ex cuius commotione viſus ita perturbatur, vt neſciat diſcernere inter hominem, & lapidem: hoc enim facit offenſa, qua homo percutitur, nam ex commotione iræ, intellectus, & mens conturbatur, ita vt neſciat diſtinguere inter hominem, & eius peccatum, inter perſonam, & offenſam, quam intulit, ſed vnico actu contra vtrumque ſe conuertit; & ſic offenſam reſpicit, & odit, vt & perſonam etiam odio proſequatur. Hoc autem iniuſtum eſt: non enim tunc tantum odis malum, ſed

Eſa. 1. 16.

Pſ. 44. 7.

¶ 106.

Fauſt Li. 19. cõt. c. 24 & epi. 54. ad Maced. in Pſ. 102. faciens mi-

ſericordias Dominus. & ſer. 108. de temp. & alibi ſæpè.

Epi. 54. ad Maced. in princ.

ſed & bonum, nec tantùm te conuertis in id, quod tibi contrarium eſt, in offenſam ſcilicet; ſed etiam in perſonam, & naturam, quæ non ſolùm tibi non eſt contraria, ſed potius valde proxima. Idcirco rectè CHRISTVS tibi prohibet, ne inimicum odio habeas. Iuſtum fuit decretum illud Patrisfamilias, quando intra triticum, quod ipſe ſeminauerat, exorta ſunt zizania, quæ ſuperſeminauit inimicus: tunc enim apparentibus zizanijs, dixerunt ſerui Patrisfamilias ad eum: *Vis? Imus, & colligimus ea.*

¶ 107. Reſpondit autem ipſe: *Non, ne forte*
Mat. 13 29 *eradicantes zizania, eradicetis ſimul, & triticum.* Certè ſerui non intendebant triticum vel leuiter lædere, ſed ſolùm contra zizania commoti erant, quæ ſolum eradicare contendebant; nihilominus tamen id eis prohibuit, *ne forte* inquit, *eradicantes zizania, &c.* Sunt illa valdè implicata tritico, & quamuis tantùm intendatis zizania eradicare; fortè triticum eradicabitis; exponitis vos periculo eradicandi triticum, nam impoſſibile videtur, tam ſubtiliter ingredi, & manum monere contra zizania, quin triticum aliqua ex parte lædatis: idcirco relinquite id agendum meſſoribus, qui ſuo tempore ſeparabunt à tritico zizania. Deus quidem ſeminauit bonum ſemen, animam ſcilicet in corpore proximi tui, fidem, ſpem, & cætera chariſmata, in agro Eccleſiæ.
Serm 168. *de temp.* Venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania, nam vt exponit Auguſtinus, dæmonis inſtigatione factum eſt, vt ille contra te zizania produceret, verba ſcilicet contumeliæ, vel offenſam circa tuas facultates, aut honorem. Tu ſtatim conſurgis, non tantùm contra zizania, ſed & contra triticum: nec enim iraſceris tantùm contra eius malitiam, & offenſam, quam diabolus in eo ſeminauit; ſed & contra triticum, corpus ſcilicet, & animam, filios, vxorem, facultates, & honorem illius, omnia eradicare contendis. Si illis, qui tantùm contra zizania erant commoti, prohibuit iuſtè Paterfamilias, vt finerent, ne fortè intendentes eradicare zizinia, contra triticum agerent; quàm iuſtius tibi, qui non ſolum contra zizania te commoues, ſed & contra triticum, dicet; *Sine?* Rem enim iniuſtam agis, cùm propter zizania velis, & triticum eradicare. Et certè, id quod ſæpè de iracundis repetunt ſancti Patres, Chryſoſtomus *a*, & Baſilius *b*, iracundum ſimilem eſſe feræ, aut animali irrationali, ideò dictum credo, quia hoc eſt animalium carentium ratione, non diſcernere nec ſeparare vnum ab alio, & quaſi alludere viſi ſunt ad illud, quod Dominus de quibuſdam hoſtibus iracundis dixit: *Deuorabunt Iſrael toto ore*, *Eſai.* 9.12. metaphora ſumpta à piſcibus, qui videntes cibum, dicuntur toto ore procedere ad illum deuorandum; quia non diſcernunt, quidnam ibi contineatur incluſum: quo fit, vt deuorantes cibum ſibi congruum, etiam deuorant id, quod ſibi extremam necem infert, ſcilicet hamum. Ita iracundis accidit, qui toto ore procedunt contra inimicos, non diſcernentes inter naturam, & culpam; ſed deglutire volentes, quicquid in inimico reperitur, corpus, animam, facultates, filios: inde eorum perditio procedit, quoniam iniuſtitiam deuorant. Quid enim mali offenſæ, ad bonum naturæ, & perſonæ? quid filijs, ad offenſam, quam eorum pater intulit? Quia cetus toto ore Ionam deglutiuit, animam, corpus, & quicquid habebat, paſſus eſt viſcerum torſionem, qui coactus fuit Ionam euomere. Iuſtè ergo iracundo prohibetur contra inimicum procedere, ne iniuſtus exiſtat, id odiens, & perſequens, quod diligi, & amari debebat. Secundum caput, ex quo lex iſta comprobatur iuſtiſſima, eſt, quod expendunt Sanctus Auguſtinus *a*, varijs in locis, & Diuus Gregorius *b*, Sunt namque homines, iniqui rerum æſtimatores, & quæ ſua ſunt, ponderant ſtatera auri, aliena autem ſtatera ligni. Ita namque vnuſquiſque ſeipſum, ac ſua æſtimat, vt quantumcumque leuiſſima ſit injuria contra ſemet commiſſa, grauiſſimam reputet: offendentis enim culpas, apud cogita-

a Hom. 29. *& 30. ad popul.*
b Hom. 10. *de ira.*
Ionæ 1.
¶ 108.
a Li. 19. *cõ. Fauſt.* c. 25 *li. cõt. Adimantũ.* 8.
b 28. *Mor. cap.* 17.

gitationem offenſi, liuor accuſator exaggerat, inquit Beatus Gregorius. Imò ſæpè id quod verè iniuria non eſt, nec ab alio fit animo lædendi, tanquam ſupremum dedecus æſtimatur. Saul, quia mulieres Iſrael, ducentes choros, Dauidis triumphum celebrabant, tanto eſt ſuccenſus furore contra Dauid, vt parum ſibi videretur eum occidere. Aman, quia Mardochæus quando ille fores palatij egrediebatur, non flectebat genua, nec ſe adorabat, *iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus, audierat enim, quod eſſet gentis Iudææ, magisque voluit omnem Iudæorum perdere nationem*, quod, & verè procurauit. Conſidera Ionam Prophetam, & ſanctum, qui poſtquam prædicauit, & prædixit ciuitatem Niniue poſt quadraginta dies ſubuertendam, quaſi illius ſubuerſionem optabat, quam vt oculis ſuis videret, egreſſus ciuitate, *fecit ſibimet vmbraculum, donec videret, quid accideret ciuitati*. Et ratio huius erat, quoniam cùm ipſe prædixiſſet, ciuitatem ſubuertendam, iudicabat contra honorem, & veritatem ſuam futurum, ſi id non fieret. Tanti ergo honorem ſuum faciebat, & verbum ſuum tanti æſtimabat. vt iudicaret iuſtum, quod ciuitas illa funditus periret, in qua innumeræ erant animæ, vt honor ſuus integer remaneret. Vide quantum æſtimat homo Propheta honorem ſuum, quod iudicat, præponderare debere vitæ tam ingentis hominum multitudinis. Et nonne videmus, inquit Auguſtinus, homines leuiter læſos, moliri cædem, ſitire ſanguinem, vix inuenire in malis inimici vnde ſatientur? Quis pugno percuſſus, non tantum hominem contundere cupit? &c. Plus ſemper ira in vindicta exigit, inquit Gregorius, quam iniuria accepit. Hinc tam Auguſtinus, quam Gregorius, inferunt iuſtificationem illius legis, quam antiquitus Deus tulit: *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Non iuſſit Dominus, vt homo eruenti ſibi oculum, oculum erueret, & excutienti dentem, dentem excuteret, ſed populo infirmo, imperfecto, ad vindictã vehementiſſimè propenſo, cui inquit Gregorius, tanquam debili, & infirmo multa permittebat, modum impoſuit, ne vltra damnum, & offenſam, vindicta procederet, &c. Quia ergo iniuſti ſumus æſtimatores offenſarum contra nos commiſſarum, & iudicamus ſæpe, magno odio habendum, eum etiam, qui non ſolùm nos læſit, ſed, & beneficus fuit (ſicut iudicauit Saul de Dauide, & peccator de eo, qui corripit ipſum) iure Deus hanc cauſam quaſi è manibus noſtris extrahens, prohibet inimicos odire, & perſequi, vtque eos diligamus. Secundum ius commune, omnium gentium approbatione firmatum, quo prohibetur vnuſquiſque in cauſa propria ius dicere, aut iudicem eſſe: quia præſumitur de vnoquoque quod decipi poſſit circa res ſuas, quas naturali inclinatione amat, & proponit alienis: quantò magis in hac cauſa, interdicendum eſt homini iudicium ferre, & exequi, ac decernere iuſtitiam, cùm certum ſit, propter paſſionem iræ, quæ eum conturbat, minus rectè ab illo rem eſſe iudicandam? Quis relinqueret gladium in manibus furioſi, qui ſine ordine illo vteretur, in damnum, & exitium, tantummodo intendens mactare, vulnerare, & ferire?

22. *Moral. cap. 19.*

1. *Reg. 18. 8*

Eſth. 3. 6.

Ionæ 3. 5.

§. 10. *Conſiderandum eſt, ad patienter ſuſtinendas iniurias, quod nullatenus Deus vult inultas relinqui.*

¶ 109.

SEd dices: Num igitur impunè euaſurus eſt, qui me offendit? Hoc enim videtur iniuſtũ. Reſpondet Auguſtinus primò, Nequaquam Deum id velle: qui enim tibi præcipit, vt ei parcas, præcepit iudici, vt illum puniat. Iudex qui ſine paſſione eſt, quique ſecundum leges iudicat, & non ſecundum affectũ tuæ iracundiæ, iuſtam vindictam retribuet. Ita quidam explicant illud Apoſtoli; *Non vos defendentes chariſſimi*, id eſt, vlciſcentes, *ſed date locum iræ*. Ibidem enim paulò inferius, *iram*, vocat poteſtatem coactiuam, & punitiuam iudicis, dicens: *Subditi eſtote, non ſolum propter iram*, id eſt, quia pote-

Libr. cont. Adimant. cap. 17.

Rom. 12. 19.

Rom. 13. 5.

poteſtatem habet puniendi; *ſed etiam propter conſcientiam*, nec enim tantum principibus, ac iudicibus obtemperare debemus, quia poteſtatem habent puniendi, ſed quia ſecundum conſcientiam id agere debemus. Hinc fit, quod iudex non poteſt abſoluere pro ſua libertate eum, qui te offendit, niſi tu præſtes tuæ voluntatis conſenſum: ſed debet vindictam exercere, ſecundum qualitatem offenſæ.

Ibid. Reſpondet ſecundò idem Auguſtinus, quod Deus nunc tibi præcipit inimicos diligere, & beneficentiæ opera exercere, ſi fortè hoc pacto reducantur ad hoc, vt ipſi ſeipſos tibi ſubmittant, plenèque ſatisfaciant. Si enim ita fieri contingat, tu iam tuæ læſionis ſatisfactionem recepiſti, & illi ſalutem, & veniam conſequuti erunt; ſi autem non faciant, tradet tibi eos puniendos, vt tu ipſe vindictam ſumas, eo tempore, quo ita rectificata erit voluntas tua, vt non odio proſequaris, niſi quæ odium promerentur, neque ampliorem vindictam appetas, quàm quæ ad perfectiſſimè tibi ſatisfaciendum erit opportuna. Iubet itaque Deus, vt tu id cum inimicis tuis facias, quod ille cum ſuis. Ille quid agit cum inimicis ſuis? Eos ſuſtinet, expectat, opera beneficentiæ in eos exercet, ſi fortè reuertantur, & veniam petant, & ſatisfaciant pro offenſis contra ipſum commiſſis: ſi enim ita fit, Dei offenſa eſt ſatisfactum, illaque purgata manet, & præterea ſaluatus eſt homo, & ereptus de perditione; ſi autem id non fiat, expectat, vt congruo tempore eam vindictam in eos ferat, quam eorum offenſæ merentur. Tuncque tantò acrius eos puniet, quantò maioribus beneficentiæ donis, quibus vti noluerunt, eos fuerat proſecutus. Ita explicat Sanctus Chryſoſtomus, illam ſenientiam famigeratiſſimam, quam ex Salomone refert Apoſtol. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignes congeres ſuper caput eius.* In Scriptura ſacra, carbonum ignis nomine, intelliguntur pœnæ grauiſſimæ, atroces, & ineuitabiles. Ita agens Dauid de pœnis, quibus Deus inimicos quoſdam fuit proſecutus, eas vocat: *Carbones ignis*: & ad exprimendas ſagittas irreparabiles, eas deſcribit, *cum carbonibus deſolatorijs*, id eſt, ignitis. Vult ergo dicere Paulus: Beneficia præſta inimico tuo, ciba illum eſurientem, refice ſitientem, veſti nudum: ſi enim hæc non proſunt, vt ſeipſum tibi ſubdat, pleneque ſatisfaciat, hæc ipſa bona opera erunt carbones ignis, quos congeres ſuper caput eius, id eſt, conuertes ad acriorem pœnam infligendam, ſicuti de Deo ipſo dictum eſt. Si iuxta hûc modum explicetur ſententia Apoſtoli, non videtur ſenſus reijciendus: nec iſte eſt, quem reijciunt Auguſtinus *a*, Hieronymus *b*, & alij Sancti Patres, ſi exactè eorum dicta expendamus; quamuis ſi ſecundum corticem legantur, videantur reijcere. Non ergo prohibet Deus te vindictam de inimico ſumere, ſed vult, vt id in cõgruũ tempus differatur, quando rectè omnia fiant abſque læſione iuſtitiæ: imò quando ei perfectiſſimè ſatisfieri poſſit: quomodo Paterfamilias iuſſit differri eradicationem zizaniorum, vſque ad tempus meſſis, quando illa ſine periculo diſpendij tritici, fieri poſſet. Tunc ergo, inquit Auguſtinus, illud fiet, quod dictum eſt: *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos, qui ſe anguſtia. uerunt, & abſtulerunt labores*: quando totus mundus cadet, & nihil huius mortalitatis remanebit, ſtabunt iuſti in magna conſtantia: & ideo, inquit Auguſtinus, in magna conſtantia, qnia in bona conſcientia: prædicens enim Chriſtus diſcipulis, quæ tunc euentura ſunt, dicit: *Tunc leuate capita veſtra*: eſtote ſine timore, aut tremore. *Stabunt autem aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt*. Videtur alluſio fieri, ad illud, quod dixit Eliphaz: *Videbunt iuſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos*: aut verius ad illud Dauidis: *Exultabunt Sancti in gloria, &c. gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, &c. gloria hæc, eſt omnibus Sanctis eius.* Nullus Sanctus eſt, qui non patiatur inimicos viſibiles, aut inuiſibiles: hæc erit gloria omnibus Sanctis, quod tunc tradet Deus inimicos in eorũ manibus, vt vnuſquiſque

Pſ. 17. 24. *Pſ. 19. 4.*

Homil. 22. in Epiſt. ad Rom. *Prou. 25. 21.* *Ro. 12. 20.*

Matth. 13 *Ep. 50. ad Bonif. non longe ante fin.* *Sap. 1.* *Luc. 21. 28* *Iob 22. 19.* *Pſ 149. 5.*

a *Ser. 168. ae temp.*
b *Li. 1. cõt. Pelag.*

¶ 110.

què de inimico ſuo vltionem plenam perfectamque ſumat. Tunc, inquit Auguſtinus, ſtabit Naboth iuſtus, contra Achab regem impium, qui vineã, & vitam ei abſtulit: tunc ſtabit Ioannes, contra Herodem, qui eum decollauit: Petrus, & Paulus, contra impium Neronem, à quo tot modis anguſtiati fuerunt: tunc iuſti contra peccatores; Chriſtiani contra Paganos, &c. Tunc illud erit, quod dixit Eſaias: *Erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient exactores ſuos.* Et ex ijs explicari poteſt illud, quod Ioannes vidit, animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna, dicentes: *Vſquequo Dominus ſanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, de ijs, qui habitant in terra? Et dictum eſt illis, vt requieſcant adhuc modicum tempus, donec compleantur conſerui eorum.* Quaſi dicat: Qui fieri poteſt, vt cum tu Sanctus ſis, & iuſtus, non facias vindictam ſumi de ijs, qui nos occiderunt? Expectate, inquit, modicum tempus, eo modo, quo dixit Paterfamilias de zizanijs, quando ſerui clambant, petentes, vt eradicarentur, Sinite vſque ad meſſem. Propterea diem iudicij vocat ille excellens concionator: *Tempus omnis rei.* Supponit primò, quod *omnia tempus habent*, & quod tunc res bene fit, quando opportuno tempore fit: qui enim ſeminare vult in æſtate, & metere in hyeme, omnia peruerteret. Supponit ſecundò, ſe vidiſſe in mundo magnam inordinationem, & quod non ſunt res relinquendæ inordinatæ, ſed ad ordinem aliquando reducendæ. Et quando? In die iudicij. *Et tunc erit tempus omnis rei.* Sanctus Bonauentura *a*, nomine omnis rei intelligit hominem, ſequutus Beati Gregorij, *b* dictum, id probantis. Cæterum *c*, in Hebræo habetur nomen *Chephets* quod ſignificat voluntatem, deſiderium, & affectum: quaſi dicat: Tunc erit tempus, quo omnis voluntas, deſiderium, & appetitus iuſti, erga inimicum expleatur: tunc libera dimittetur voluntas, vt cum odio habeat; tunc libera erit facultas, vt vindictam de illo ſumat, quando voluntas ita erit rectificata, vt non ſit periculum, quod odio habeat aliquid, quod amandum potius erat, aut quod excedet maiori odio, quàm iuſtum eſt, inimicum proſequendo, aut puniendo id, quod iuſtè puniendum non eſt. Poteſne amplius deſiderare? certè egregiè ſatisfecit Abraham Saræ, cum Agar Ancilla eius offenderat eam. *Ecce*, inquit Abraham, *in manu tua eſt, vtere ea, vt libet.* Hoc dicet tibi Deus de inimicis, qui te offenderunt, qui plenè non tibi fecerint ſatis.

Eſai. 14. 2.

Apo. 6. 10.

Matth. 13.

Eccl. 3. 17.

a *In cap. 3. Eccl.*
b *Ho. 29. in Euang.*
c *Brix. to. 1. fol. 253.*

§. 11. *Deus non intendit impunes dimittere, offendentes te, quos potius ſibi puniendos aſſumit: cuius conſideratio ſedare poteſt animum iratum.*

¶ 111. TAndem, non iniuſtum eſſe vindictam interdicere ei, qui iniuriam patitur, oſtendit Apoſtolus verbis citatis: *Quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Si illi tibi offenſas inferant, & bellum; tu habeto pacem. Et quomodo fiet? *Nos vos defendentes*, id eſt, vindictam ſumentes, *ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Quaſi dicat: Non remanebit inimicus tuus ſine vindicta, nam qui iubet quod tu eam nõ ſumas, non ideò iubet, vt velit illam omninò dimittere, & inimicus liber euadat, remaneaſque tu cum offenſa tibi illata, ſed ſibi eam reſeruat. Vult itaque Apoſtolus, vt tota offenſionis, & iniuriæ cauſa, relinquatur, remittatur, ac committatur Deo: quaſi alludere volens ad id quod circa animalium ſacrificia Deus ſtatuit, & Beatus Cyrillus expoſuit. Nolebat Deus, vt bos, aut vitulus, ſibi præſentaretur, aut offerretur viuus, ſed mortuus: ſic tamen quod eius ſanguis, in quo præcipuè vita eius conſiſtit, effunderetur ad altare. Conſidera, inquit Cyrillus, quèadmodum vmbra nobis formam virtutis exprimat. Immolabatur quippe

Roman. 13. 18.

Lib. 16. de adoration. Leuit. 1.

bos coram Domino, effundebatur autem ſanguis ad altare. Namque mors illa, qua morimur mundo, illaque carnalium motuum extinctio, res eſt Deo iucundiſſima, ſupernaque inſpectione digna. Ac fortaſſe, eiuſmodi quidpiam
Pſ.115.15. pſallit Beatus Dauid his verbis: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Donum enim quoddam ſacrum erit Deo, mors ſanctorum: neque enim mortem ſecundum carnem intelligo; ſed potius eam nobis hæc verba ſignificant, quam illi ſubire ſoliti ſunt, qui mundo quidem moriuntur,
ad Roman. Deo autem in pietate, & ſanctificatione viuunt, qui id agunt, quod ait Apoſtolus: *Non vos deſcendentes chariſſimi:* ſicut mortuus, qui contra offendentē, non ſe mouet, aut agit. Sed dices: Nunquid, qui offendit; inultus relinquendus eſt? Nunquid cauſa deferenda? Nequaquam, ſed proijcienda in Dei curam: hoc enim ſignificat illud, quod iuſſit ſanguinem effundendum ad altare; ſanguinis quippe nomine, vindicta intelligi poteſt, quæ ex ira oritur, cum accenditur ſanguis circa cor. Hic ſanguis proijciendus eſt ad altare diuinæ potentiæ, idque faciendum, quod ipſe dicit: *Mihi vindictam,* ſubde, reſeruate, *& ego retribuam.* Non itaque ideò tibi prohibet vindicari, vt velit ſine vindicta remanere inimicum, ſed vt acriori pœna à ſe puniatur, quàm tu poſſes eum punire. Viderunt que loqui metaphora ſumpta à Rege. Si Rex ita aliquem diligeret equitem, vt videns eum recepiſſe offenſam ab alio, vocaret, & diceret: Vidi offenſam tibi illatam, quam verius contra me factam accipio: tu exiguis viribus præſtas, ideoque non ſufficientem vltionem poteris adhibere; ideò mando, vt tu circa vindictam, nullatenus te intromittas: Ego enim omnes regni mei vires adhibere intendo, vt debitam reddam contra offendentem pœnam: certè non ſolùm non eſſet iniuſtum mandatum, ſed plenum ſummo fauore. Ita intellige, eum qui te offendit, ita deliquiſſe; vt non habeas tu vires ſufficientes ad plenè puniendum. Si enim ille peccauit mortaliter te iniuriando, aut tibi malum inferendo, non eſt pœna condigna, quam tu potes infligere. Deus te diligit, & tuum honorem quaſi ſuum ducit: idcirco tibi mandat, vt tu non te intromittas circa vindictam, ſed quod eam ipſi relinquas quam ſolus plenè, & ad iuſtum poteſt inferre: tu exiguis viribus præſtas tātum potes corpus contingere, quod cū occideris, potētia tua finitur: Deus autem poteſt non ſolùm corpus occidere, ſed, & poſtea animam in gehennam mittere, & in perpetuum torquere. Et expende verba Apoſtoli: *Date,* inquit, ¶ 112.
locum iræ: id eſt, Deo irato, vel Deo acturo in die iræ. Reſpondere enim videtur tacitæ obiectioni, qua poſſes tu dicere: Ego bene relinquerem vindictam Deo, ſed eſt adeò pius, vel ad minimū verbum, quo inimicus meus petet veniam, illam ei concedat. Propterea non dixit, Date locum Deo; nā hoc nomen præ ſe fert miſericordiam: neque verò date locum ſupremo iudici, nam etiam hoc nomen admittit miſericordiam, *& ſuperexaltat miſericordia iudicium*: nec tādem dixit: Date locum Deo irato, quod ſufficere videbatur, *horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis*: Sed *date locum iræ*: ponit nomē abſtractum, quod, inquit, Diuus Thomas, nihil admittit de forma contraria, quaſi iræ puræ Dei eū relinquire, & vt ei fiat iudicium ſine miſericordia. Et ipſemet Deus id cōfirmat, in eo, quod dixerat: *Mihi vindictam* relinquite, & quid fiet? Parceſne inimico meo? & eum qui me offendit, nec mihi ſatifecit, liberum relinques? Nequaquam. *Ego retribuam*. Quid retribues? quam vltionem dabis? quam pœnam inferes? Non id explicat, ſed ecclyptica oratione vſus, indicat, tam grauem fore retributionem; vt nullo poſſit verbo explicari. Et vt omnē dubitationem auferat, nomine ſuo promiſſionem ſubſcribere viſus eſt, ſubdens: *Dicit Dominus*. Expende verba illa Dauidis: *Faciens miſericordias Dominus, & iudicium, omnibus iniuriam patientibus*. Iniuriam patientibus, duo præſtabit Deus, primò miſericordias. Eſt enim patientia tam grata Deo, vt abundantiſſimas miſericordias effundat in eos, quos tali viderit virtute affe-
Iac.2.13.
ad Hebr. 10.
Pſ.102.6.

ctos;

ctos, qui facit non miſericordiam in ſingulari, ſed in plurali, *miſericordias* immenſas, & innumeras, iniurias patienter ferentibus. Ita exponere viſus eſt Cyprianus illud, *Per patientiam expectamus*: quaſi illa medium ſit, per quod diuina dona nobis aduentura cõfidimus, & oſtium, per quod Dei miſericordiæ ad nos ingrediuntur, intrant, & perueniunt. Nec ſolum hoc præſtat, ſed, & *facit eis iudicium*. Tunc alicui fit iudicium, cùm eius offenſæ plena vindicta plectuntur: faciens enim eis miſericordias, non reliquit illorum inimicos impunes. Et verè ijs alluſiſſe viſus eſt Chriſtus Dominus, eos conſolari volens, qui iniurias patiebantur, & offenſas, inducens eos, vt rem totam Deo committerent, qui verè vindicaturus eſſet eos: idque non ſimplici verbo, ſed propoſita egregia parabola, quam expendit Sanctus Auguſtinus, de vidua quadam, quæ inimicum acrem patiebatur, & adibat iudicem quendam iniquiſſimum, qui nullo timore Dei, nec hominum pudore tenebatur, & clamabat: *Vindica me aduerſario meo*, & nolebat per multum tempus. Tandem quia moleſta fuit, vindicauit eam plenè. Ita fecit iudex iniquitatis. *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Opponit Deum iudici iniquitatis, & electos ſuos viduæ, & clamorem eorum precibus illius dies, ac noctes breuibus momentis, quibus vidua precabatur. Quaſi dicat; Iudex iniquus fecit vindictam viduæ, quam non curabat, nec nouerat, imò odio habebat, quia ſibi moleſtiam inferebat: & Deus vindictam non faciet dilectis filijs ſuis, quos genuit, quos habet tanquam pupillam oculi, clamantibus ad ſe, id eſt, vehementi affectu, & maxima afflictione orantibus? Duobus modis poſſunt hæc Chriſti verba intelligi; Primò, vt velit dicere; Vtique faciet vindictam, & circa illos patientiam, id eſt, benignum animum habebit: vt idem ſit quod dixit Dauid, eis faciet miſericordiam, & iudicium, puniens illorum aduerſarios. Ita placet Ianſenio, & alijs. Sed Theophylactus, & Euthymius omnia ad inimicos referunt, vt voluerit dicere: *Deus nonne faciet vindictam electorum ſuorum? & patientiam ne habebit in illis*, qui eos offenderunt? Quaſi dicat: Deus patienter fert offenſas, quas impij ſibi inferunt, ſed ita diligit iuſtos electos ſuos, patienter iniurias ferentes, & ſibi eas puniendis relinquentes, vt ſine dubio vindictam ſit illaturus in eos, qui ipſos offendunt; nullamque patientiam habiturus erga illos. Quo etiam pacto dixit Spiritus Sanctus *Oratio humiliantis ſe*, illius ſcilicet qui humiliter iniuriam fert, *nubes penetrabit, & Dominus non elongabis, ſed iudicabit iuſtos, & faciet iudicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam, vt contribulet dorſum eorum*. Deum exprimit nomine *fortiſſimi*, vt videas quod non leuiter agere decernit punire do hoſtes iuſtorum: & non percutiet pedem, aut manum, ſed *dorſum*, quo intelligas eos omninò conterendos, & non leuem vindictam inferet; ſed tam grauem, vt erga illos patientiam, & miſericordiam non ſit habiturus, ſed illud iudicium faciet eis, quod Apoſtolus Iacobus vocauit; *Iudicium ſine miſericordia*. Aut verò illa interrogatione, *& patientiam illorum habebit?* vult dicere Chriſtus, quod non differet, patienter expectans. Contra eos qui ſe offendunt, ita ſe habet, quod *patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Patientiam habet, vt benignitas, & longanimitas ſua ad pœnitentiam eos adducat. Contra eos tamen qui offendunt iuſtos, non eſt habiturus patientiam, id eſt, non ſe continebit. Et hunc ſenſum iudicat Chriſtus, ſubdens: *Dico vobis*, id eſt, certiſſimè affirmo, & meam fidem polliceor, *quia citò faciet vindictam illorum*. Non ita promittit ſe vindictam ſumpturum, ſicut communiter ſolent parentes promittere. Quantumcunque infantulus excandeſcat, & ira ſit commotus contra offendentem ſe, & excutientem lacrymas ab eo, omnem iram deponit ad promiſſionem patris, dicentis, & pollicentis, ſe puniturum eum, qui ipſum plorantem fecit: *Callad mi hijo, que con eſte eſpada lo matare el beſtiaco: ol me lo pagara*; quamuis pater id ſolo ore, non

corde

Lib. de bon. patient.

Ep. 121. ad Proban. de orando Deum, c. 8.

Luc. 18. 4.

¶ 113.

Cap. 124. concordi. in cap. 18. Luc.

Eccl. 35. 21

Iac. 2. 13.

2. Pet. 3. 9.

corde dicat, qui nihil minus cogitat, quam manum contra alterum mouere. Quantò magis electi, qui sunt Dei filij
Zach. 2. 8. (tam dilecti, vt eis dicat: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*) debēt omnem iram, & appetitum vindictæ deponere ad hanc Dei promissionē, quod puniturus est offendentes illos, cùm id nō solùm dicat ore, sed verius corde, &
¶ 114. mente? *Dico*, inquit, *vobis quia citò faciet vindictam illorum. En buenas manos está la causa.* Annotabamus alibi, Deum sæpissimè grauius punire offensas factas contra electos suos, quàm contra
Exod. 31. se ipsum. Peccatum illud infidelitatis
21. 30. 31. Israelitarum grauissimum, conflantium & adorātium idolum, quod Moyses sæpè vocauit, *Peccatum maximum*, citò
Nu. 14. 20. remisit, & ad breuem Moysi deprecationem patienter dimisit: simi iter peccatum illud desperationis de diuina potentia, quo Deum vehementer exasperarunt, credētes, quod non poterat eos introducere in terram repromissam, ideoque voluerunt in Ægyptū regredi, ad vnicum Moysi verbum remisit: id quod ipse indicauit, dicens: *Dimisi iuxta verbum tuum*: non multa verba, non multiplicatas orationes, sed verbū
Exod. 17. tuum. Peccatum tamen Amalecitarum, quod cōtra populum fuit commissum, voluit, vt perpetuæ memoriæ traderetur, & scriberetur in monimētum perpetuum, & quod iuramēto firmaretur, nequaquam illud dimittendum: quod & si ad tempus dissimulasset, post quadringentos annos ad memoriam renocauit, & puniuit: & quia Saul Rex ab eo electus pepercit quibusdam, illum regno priuauit, & vita. Murmuratio qua Maria soror Moysi, fratrem suum Moysen offendit, seuerè punita est acri obiurgatione, & ingenti lepra, & quamuis Moyses se totum conuertit ad rogādum pro illa, feruentissimè petens, vt illi parceret, & à lepra mundaret; noluit eum audire, & quem tam facilè exaudiebat orantem, pro ijs qui Deum ipsum grauissimè offenderant, noluit exaudire rogantem pro sorore sua, quę contra Moysen ipsum iniuriam murmurationis protulerat. Similiter superbiæ peccatum, quod Dauid contra Deum commisit, breui peste mulctauit, quæ Dauidem non tetigit, aut homicidium contra Vriam commissum, acerrimè puniuit morte quatuor filiorum, tot peruis persecutionibus, & bellis, toto vitæ suæ tempore durantibus. Id ipsum probat Origenes, expendens in parabola serui, qui debebat decem mille talenta, dominum, quando illum inuenit tam immenso debito sibi obnoxium, non acri indignatione vsum fuisse, & facilè omne debitum dimisisse: quādo autem ille in conseruum sæuijt, dura obiurgatione eum reprehendit, dicens: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi*, & nullatenus ei pepercit; sed iussit in carcerem mitti, &c. Ratio autē cur Deus maiorem patientiam tenere videatur erga offendentes se, quàm erga offendentes seruos suos, qui patienter ferunt offensas est, quia ipse longanimis est, & cor eius infinitè latum, ideoque longissimè suffert. Nouit autē corda hominum, quod stricta sunt, & sæpissimè deficiunt, si in longum persecutio pertrahatur, & differatur vindicta; idcircò citius illam infert, vt verè dicat Christus: *Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum*. Quæ sententia duobus modis potest verificari, primò, quia omne tempus, quamuis hominum iudicio prolixum, comparatione æternitatis, Deique æstimatione breuissimum est: ideò, & Paulus totam præsentis vitæ tribulationē *momentaneam* appellat: & martyribus Sanctis petentibus vindictam dixit: *Expectate modicum*; cùm vsque ad diem iudicij expectatio esset differenda. Secundò, quia id dicitur fieri citò, quod fit bene, vt idem sit, *citò faciet*, quod completè, cumulate, & ad votum faciet: voluitq; significare Dominus, non Deum propterea minus curare electos suos, quod differat vindictam illorum, quam dilatat, vt congruo tempore plenè, & cumulatè sumat. Quæ de causa cùm sibi vindictam reseruauit, dixit: *Reddam illis in tempore*: tunc enim erit tempus omnibus modis aptum ad iustorū honorem, vt vindictam de inimicis illorum sumat.

2. Reg. 24. & 1. Par. 21.
2. Reg. 12.
Hom. 7. in c. 18. Matt.
Matth. 18.
1. Cor. 4. 17
Apoc. 6. 11.
Deut. 32. 35.

§. 12. *Quæ*

§. 12. *Quæ dicta sunt, variis confirmantur exemplis.*

¶ 115. IN huius confirmatione annota, nullum hominem in Scriptura sacra dimisisse vindictã inimici sui Deo ipsi, de quo Deus illam non sumpserit. Dimisit Dauid iniuriam Deo, quam contra illum commisit Nabal, ad preces vxoris suæ Abigail, cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est, & dixit Dauid; *Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius.* 1. Reg. 25. 38. 39. De Saule vindictam noluit accipere, cùm iure posset; sed rem totam Deo commisit: & tandem Saul ipse manibus suis sibi mortem intulit, quem nihilominus dicitur, *interfeciſſe Dominus.* 1. Par. 1. 14. Absalonis iniuriam noluit Dauid vindicare, quin potius omnibus exercitus ducibus clara voce iussit: *Seruate puerum Absalom.* 2. Reg 28. Hunc Deus suspẽsum è quercu tenuit, vbi miserrima fuit morte punitus. A Semei acerrimam iniuriam ferẽs, Deo dimisit, qui tandem gladio percussus occubuit: & rem totam concluſit Dauid, dicens: *Ego dormiui, &c. & tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa.* 2. Reg. 16. 11. 3. Reg. 2. 41. Psal. 3. 8. Mardochæus patienter tulit iniurias Aman, & tandem Deus in patibulo illum suspendit. Ioseph neque de fratribus, neque de impia domina sua, vel per leue verbum vindictam voluit accipere: Deus tandem *mendaces ostendit, qui maculauerunt illum.* Iezabelis impiam persecutionem non vindicauit Elias, quam canibus Deus tandem tradidit deuorandam: & huiusmodi sunt innumera in Scriptura sacra. Si ergo ipse ita de vindicta te securum reddit, bene poteris illam ipsi dimittere. Hoc institutum sequutus Beatus Cyprianus, eos qui varijs rationibus ab inimicis vexabantur, inducebat ad patientiam, hortans, vt grauamina sua Deo relinquerent, qui per Propheram ad tales loquitur, dicens: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ*, id est, cùm resurgã redditurus retributionem superbis, *quoniam iudicium meum ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam super eos iram meam.* Id ipsum enim respõdere videtur iustis clamantibus ad se in hac vita, quod respondit martyribus vita functis, petentibus vindictam: *Expectate modicum*, &c. Et verè hæc fuit Apostoli consolatio, cuius dictum expendit Hieronymus: *Alexander Ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dñs in illa die iustus iudex: quem & tu deuita.* Ærarius dicitur, aut quia faber æris erat, aut quia erat custos ærarij, vt Diuus Thomas, & S. Anselmus intelligunt; & ponit Apostolus personæ qualitatem, inquit Chrysostomus, qui enim à magno aliquo premitur, nonnihil solatij videtur admittere, quod persona sit eminens, à qua patitur, qui autem à vili, atque abiecto, maiori afficitur mœstitia: & verè contristari poterat Apostolus talis, qui in cœlo ipso doctor creatus, pateretur contradictionem à fabro, & ab officiali æris, circa Euangelij prædicationem: *Multa*, inquit, *mala ostendit mihi*, id est, vt Chrysostomus intelligit, afflixit me varijs modis. Consolatur tamen discipulum, inquit Chrysostomus, quia ille recipiet vicem: nõ quod Sancti de pœnis delinquentium gaudeant; sed quia prædicationi opus erat, vt infirmiores quoque etiam ex hac parte solatium caperẽt. Nec ait, inquit Anselmus: Reddat ei Dominus secundum opera eius, sed *Reddet*, quod verbum prænuntiantis est, non imprecãtis, quod, & Diuus Thomas annotauit. Neque verò ait, inquit Chrysostomus Puni, crucia, affligе, exagita, cum posset licitè per gratiam facere, id est, ratione muneris Apostolici; sed ijs omnibus omissis, cedere eum humiliter iubet, Deoque permittere cruciatum: & ad infirmorum cõsolationem illud valet, quod prophetia est, dum dicit, *Reddet ei Dominus secundum opera sua.* Ita ille. Hæc itidem consolatio est, quæ cõsolatur iustos, de quibus dixit Deus: *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vsq; ad inspectionẽ illius.* Dies inspectionis in Scriptura dicitur dies iudicij. Et iterum: *Impijs & peccatoribus reddet vindictam,*

¶ 116.

Sap. 10. 14.

4. Reg. 9. 33.

Li. de bono patient.

Soph. 3. 8.

Apoc. 6. 11.

Lib. 3. cont. Pel. tom. 2. pag. 226.

2. ad Tim. 4.

Hom. 10 in epist. 2. ad Tim.

Eccl. 2. 21.

Eccl. 12. 4.

dictam, custodiens eos in diem vindictæ, &c. In Græco: Seruat autem eos in diē vindictæ fortem. Quasi dicat: Non te affligas, si vides Deum nunc non vindictam sumentem, &c. Possumus tandem respondere, iustè Deum prohibere tibi vindictam eius, qui te offendit: quia magis eius interest, quàm tui. Diximus iuxta Diui Thomas doctrinam, inimicum offendentem te, non tam te, quam Deum offendere, & multò maius debitum contrahere erga Deum, quam erga te. Opus enim illius in tantum est malum, in quantum est contra voluntatem, & legem diuinam: ideoque si factus est debitor tibi decem denariorū, Deo factus est debitor decem millium talentorum, vt Christus Dominus explicauit. Et vt clarius dicam, ille qui te offendit, ideo debitor factus est, quia peccauit, peccati autem causa ad Deum pertinet. Et hinc intelliges, cur Deus sibi vindictam tam strictè reseruauerit, dicens: *Mea est vltio & ego retribuam eis in tempore*, quia vindictam, quę plenè peccato cōueniat, solus ipse potest inducere. Si quis offendens te, simul regem tā graniter offenderet, vt ille solus per suam magnam potentiam posset completè vindictam sumere, congruè tibi Rex imponeret, vt sibi remitteres illius offensę vindictam: tum quia illa magis ad eum, quàm ad te spectat: tum quia tu nō habes vires sufficientes, ad plenam vindictam sumendam. Aptè rem istam concludit Tertullianus ad finem libri de patientia, postquam hortatus fuerat, Deo remittendam vindictam. Satis, inquit, idoneus patientiæ sequester Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est.

d. 33. qu. 2. art. 2.

Matth. 18.

Lib. de pat. in fin.

§. 13. *Quarta ratio est, quia hoc præceptum est vtile: nam vindicator magis sibi, quàm inimico nocet.*

¶ 117. SI vlterius verba Christi expendamus, manifestè ostēditur, hoc præceptum non tantùm in se esse bonum, & iustum, vt ante expositum est: sed etiam quod nobis sit bonum, & vtile. Statue enim illā maiorem propositionem, celebremque præmissam, quam Deus per Propheram statuit: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia*: vt alij transferunt: *quæ ad profectum tuum*. Qua propositione duo exprimit, quibus inducit, & obligat ad sibi obtemperandum: primum quod ipse *est Dominus Deus tuus*, secundum quod omnia quæ docet, ac præcipit, sunt nobis vtilia, & profectibus nostris congruētia. Huic suppone loco minoris, hanc quam Christus promulgat: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*. ex quibus manifestè conclusionem infer es: Hoc igitur præceptum vtile proficuumque nobis est. Quomodo autem hoc manifestè nobis constet, egregiè explicari potest, primò ex doctrina B. Chrysostomi demonstrantis, eum qui odit inimicum, & vindictā de illo sumit, grauius sibi nocumentum, quā ipsi inimico inferre: illi enim non infert nisi malū temporale in bonis, vel honore, vel corpore, sibi autem infert damnum spirituale, interficiendo animam suam. Quod exēplo apis, Chrysostomus illustrat, quæ læsa, & irata, dum contra offensorem suum se conuertit, quasi in infinitum maius damnum sibimet, quam illi infert: nā illum pungere potuit, seipsam autem interfecit; & tantò certius, & citius mortē incurrit, quāto vehementius in offendentem agere voluit. Ita S. Augustinus explicauit illud Ioannis: *Qui odit fratrem suum homicida est*: non vtique illius, quem odit, qui viuus permanet, sed sui ipsius: nam se ipsum secundum animam occidit: & illud, *Qui non diligit, manet in morte*. Itaque contra se ipsū agit, qui odit, & persequitur inimicum,

Isa. 48. 17.

Homil. 30. & 68. ad popul.

1. Ioan. 3. 15.

1. Ioann. 3. 14.

eum, & qui per iram in alterum excandeſcit, ſeipſum perimit. Ita Eliphaz Themanites dixit ad Iob: *Vere, ſtultum interficit iracundia*. Expende aduerbium *Vere*. In aliquibus codicibus legitur, *Virum*; ſed in Hebræo habetur aduerbium *Chi*, quod ſignificat, certè, equidem, ſine dubio, quod habetur in illis verbis Iob: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*, In Hebræo *Chi*, certè, verè, equidem. Obſerua itidem, quam aptè iracundum, ore pleno ſtultum appellet, iracundus enim, vt ait Gregorius, quando furore agitur, nihil ab arreptitio, & eo, qui mentis cõpos non eſt, differt. Vnde, quod noſter Vulgatus legit: *Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia; qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam*, legunt Septuaginta: Patiens vir multus in prudẽtia, at *impatiens, fortis ſtultus*: non ſtultus quomodocunque dicitur impatiens, & iracundus; ſed fortis ſtultus, *vnfuerte loco*. Qui talis eſt, quoniam quando furore tenetur, videtur ad alterum occidendum procedere; vere tamen non tam alterum occidit, cõtra quem gladium immittit, quã ſeipſum, per iram, quam habet. Ita, & Sapiens conſiderat, eum qui timore Dei depoſito, ad vindictam proficiſcitur, ſpirans cædem, & minans: *Iracundia*, inquit, *animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt*. Tigurina, Ruinam ei creat: prius enim ſe ipſum quam alterum ſubuertit. Hæc egregiè proſequitur Gregorius, qui poſtquam multa ad hoc inſtitutum dixit, concludit, cuiuſdam ſapientis ſententiam celebrem inducens. Bene enim, inquit, ante nos quidam ſapiens dixit: Cogitationes iracundi viperæ ſunt generationes, mentem comedunt matrem ſuam. Et hoc fortè eſt quod Deus dicere voluit illi primo diaboli diſcipulo (ita Diuus Baſilius vocat Cain) qui odiuit, & perſecutus eſt fratrẽ ſuum, & quærebat illi mortem inferre, cui dixit: *Nonne ſi bene egeris*, &c. apud Septuaginta habetur illa communis lectio, quam omnes ſancti Patres græci ſequuntur, & plurimi ex latinis: *Peccaſti? Quieſce, ad te conuerſio illius*. Cuius? inquit Auguſtinus; nunquid fratris? Abſit, ſed peccati. Voluit enim eum ab odio, & vindicta reuocare, dicens: Si peccaſti odiendo fratrem, & intendendo eum occidere: quieſce ab hoc peccato, ceſſa, & te contine ab illo: nam ad te conuerſio illius, id eſt, totum malum, quod inferres fratri, in damnum tuum conuertetur, & mors temporalis, quam illi inferre deſideras, in te conuertetur, inducendo tibimetipſi mortem animæ, vt idem ſit, ac illud, quod poſtea dixit Propheta Dauid: *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum vt trucident, &c. Gladius eorum intret in corda ipſorum*. Huiuſmodi verba, vt ſæpè admonuit Beatus Auguſtinus *a*, & D. Thomas *b*, quæ à Prophetis modo imprecatiuo dici videntur, intelligenda ſunt modo enuntiatiuo, quo quid fiat exprimunt: vt dicere velit Dauid: Gladium euaginauerunt peccatores (ideſt, iracundi, odientes fratres, hoc enim peccatum eſt, quod apud Ioannem facit hominem ore pleno peccatorem) vt illum contra proximum ſuum mittant: ſed gladius hic conuertetur contra eos, & eorum corda tranſfiget; qui ſi fortè eò peruenerit, vt alterius corpus occidat, verius tamen illorum corda, & animas tranſfigit, quas mortuas coram Deo derelinquet. Ita, & illa verba Lamech interpretatus eſt Chryſoſtomus, ſequutus eorum ſententiam, qui credunt, Lamech oculorum lumine orbatum, ductum à iuuene, occidiſſe Cain, quem putauit feram, & deinde dolore affectum, & ira, aut furore occidiſſe iuuenem, qui ſe ducebat: qui veniens ad vxores ſuas dixit: *Audite me vxores Lamech &c. quia occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuore meo*. Intellexerat ille, quod Adam, quia peccatum ſuum excuſauerat, ſeuere punitus fuit à Deo: intellexerat vlterius quod Cain ipſe, quia peccatum ſuum negare voluerat, maledictus ab eodem extiterat; idcirco ipſe nec negat peccatum ſuum, ſicut Cain, nec illud excuſat, ſicut Adam: quin potius damnum illatum libero clamore profitetur, dicens: Occidi virum in vulnus meum, id eſt, in mei damnum: nam illius corpus occidi, me autem in anima lethaliter vulneraui:

Iob 5.2. *Iob 14.16.* *Prou. 14. 29.* ¶ 118. *Eccl. 2.28.* *S. Mor. c. 31 cit.* *Hom. 11. de inuidia.* *15. de ciui. cap 7.* *Pſal. 36. 14.15.* *Homil 20. in Geneſ.* *Gen. 4. 13.*

a *In Pſ 34. conſ. 1. & li. 2. de ſer. Domi.*

b *2. 2. q. 76. art. 1.*

neraui: & adoleſcentulum in liuore meo, id eſt, interfeci adoleſcentem baculo, quem manu portabam; ſed ſi corpus eius liuidum reddidi, & occidi, verius animam meam peccato percuſſi, & liuore affeci, & interemi. Optimè hæc intellexit Beatus ille Pater Stephanus, quem miris laudibus effert
4 Dialog. cap. 9. Sanctus Gregorius. Is cum die quadam meſſem ſuam, quam manu ſua ſecuerat, deciſam ad aream deduxiſſet, nihilque aliud cum diſcipulis ſuis ad totius anni ſtipendium haberet, quidam peruerſæ voluntatis vir eandem meſſem incendit. Quod factum dum alter conſpiceret, currens eidem Dei famulo nuntiauit, & poſtquam rem indicauit, adiunxit dicens: Væ, væ Pater Stephane, quid tibi contigit? Cui ſtatim vultu, & mente placida ille reſpondit: Væ, quid illi contigit, qui malum hoc mihi fecit? magis illi condolens, qui peccatum commiſerat, quam ſibi, qui peccati illius damna tolerabat. Hinc illa Beati Ioānis phraſis aſſerentis, quod *qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat.* Sicut enim, qui eſt in tenebris, ictum iaciens, quo credit percutere inimicum, ſæpè percutit amicum, aut verò ſe ipſum lacerat, impingens in lapide, aut pariete: ita, qui odit fratrem ſuum, dum credit contra ipſum mittere linguam, aut gladium, verius ſe ipſum vulnerat, & percutit. Et verè videtur Ioannes alludere ad hiſtoriam Balaam, qui aſinæ
Num. 22. inſidens, illam à cœpto itinere ſe continentem, calcaribus, & verberibus acuebat: non mirum, quia quaſi in tenebris ambulabat; nec enim videbat Angelum coram ſe euaginato gladio ſtantem, ideoque quo celerius cupiditate ductus, iter agere nitebatur, eo certius gladium cõtra ſe prouocabat. Cum autem *Dominus aperuit oculos eius, & vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio*, à cœpto itinere deſiſtens, *pronus in terram, cum adorauit.* Qui odit fratrem, vindictæque viam arripit, quaſi calcaribus iræ, & furoris ſpiritum ſuum acuit, conſiderans offenſas ſibi illatas, progreditur que non videns, aut attendens gladium diuinæ vltionis, aut gladium, de quo dixit Salomon: *Romphæa bis acuta peccatum*, qui ſibi ſupremam mortem in- Eccl. 21. 4.
fert, & quod quanto velocius contra inimicum progreditur, tanto efficacius contra cor ſuum acuit gladium. In tenebris ambulas, aperi oculos tuos, & vt dixit Eliu: *Non te ſuperet* Iob. 36. 8.
ira. In Hebræo, verbum quod ſignificat acuere, aut excitare, metaphora ſumpta ab animalibus, quæ calcaribus excitantur ad ambulandum, vt Caietanus obſeruauit, Et hoc quantum exiſtimo, voluit Salomon dicere, illa difficili ſententia: *Qui impatiens eſt* In cap. 36. Iob.
ſuſtinebit damnum, & cum rapuerit, aliud apponet. Sermo eſt enim de iracundo. In Hebræo: *Qui magnus ira*, Prou. 19. 19.
id eſt, qui iram ad vltimum vſque perducit, hic ſuſtinebit damnum. In Hebræo, *portat pœnam*, quia vt dictum eſt ſupra, interno dolore torquetur. *Et cum rapuerit*, id eſt, cum inimico fecerit malum, quod optat, aliud damnum ſibi apponet, multo maius illo, quod inimico intulit: etſi enim illi intulerit damnum in corporeis bonis, ſibi ſupremum damnum intulit in animo. Quando Balaam, vt diximus, aſinam percutiebat, vt in itinere progrederetur, quanto magis eam vrgebat, tanto certius contra ſe acuebat gladium. Hinc illa Sapientis ſententia, *Eſt qui promittit, & quaſi gladio* Prou. 12.
pungitur conſcientia. In Hebræo pro 18.
verbo, *Promittit*, eſt, *Botah*, quod ſignificat effutire, aut inconſideratè, & ſine ratione impetu furoris loqui. Qui ira percitus, & excitatus, contra inimicum loquitur, ventum contra illum emittit; ſed conſcientiam ſuam gladio acutiſſimo pungit, & transfigit. Quaſi ergo malum infinitum ſibimet infert oſor, & vindicator, aut vltor, à quo non ſolum manet liber, qui diuinum ſeruat mandatum; ſed nouo titulo, & modo vitam animæ ſuæ comparat, quæ eſt per charitatem, & illam pacem Dei, de qua Paulus dicit, quod *exuperat omnem ſenſum*, cuius nomine omnia bona ſolet ſcriptura intelli- ad Phil. 4. 7.
gere: ſignanter autem illam quietem animæ, quæ liberat ipſam à crudeli conſcientiæ remorſu; propter quam etiam ſi aliud non intereſſet, poſſet hoc præceptum vtiliſſimum dici (vt inquit

¶ 119. 1. Ioan. 2. 9. 11.

Orat. funeb. de obitu Valentinia. iunior.

quit Ambroſius) propter purioris conſcientiæ ſuauitatem, & quietem. Qui inimicum odit, & proſequitur conuitijs, cõtumelijs, & operibus duris, peccatum incurrit, vt dictum eſt, propter quod perpetua anxietate poſtea torquetur, & malum quod intulit, ſemper ſe eius oculis repræſentat, timorem animæ incutiens. Hinc Chryſoſtomus: Lacrymis digni ſunt, non qui afficiuntur; ſed qui inferunt iniuriam: nam ſe ipſos maximè lædunt, nobis verò maximè proficiunt. Rapuit ille abs te aliquid, vel calumniatus eſt, pro iniuria gratias feciſti: multum illa gratiarum actione lucratus es, quemadmodũ ille immenſum ſibi ignem præparauit. Hoc tandem confirmat exemplo Ioſeph, in quo Deus clarè ad oculum demonſtrare voluit, iniuriam à fratribus illatam fuiſſe beato viro excellentis claritatis occaſionem; inferentibus autem illam, magnas anxietates peperiſſe, timorem inducens, ſatisfecerintne pro illa, nec ne.

Hom 70. in Ioan.

§. 14. *Grandes vtilitates ex remiſſione iniuriæ, expendit prudenter prudens Abigail.*

¶ 120. 1. *Reg.* 25. 35.

EGregiè hæc quæ diximus, prudentiſſima Abigail ad Dauidem dixit, multas eloquenter proponens coram eo cauſas, quibus eum cõtineret à vindicta in virum ſuum Nabal, ad quam inferendam properabat. Prima, *Ne ponat, oro, dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo.* Expende verba illa: Rex cor ſuum, ſuper virum iſtum. Communiter quanto homo, qui offenditur, nobilior eſt, & offendens vilior, maiori ira offenſus excandeſcit; ſed verè hoc ipſo minus debet commoueri. Vidi annis præteritis leonem quendam cicurem, aut manſuefactum, contra quem incedentem canes (quamuis è lõginquo) toto conatu latrabant, qui non ſolum nihil contra eos agere tentabat; ſed nec oculos ad eos conſpiciendos conuertebat, hoc ipſo nobilitatem ſuam exprimens, quam latratus canum nullatenus poterat, vel leuiter offendere. Hoc ipſum homo nobilis agere debet, & in huiuſmodi occaſionibus vellem, vt vnuſquiſque ſuam nobilitatem, & excellentiam ita iactaret, vt crederet eam nullum detrimentum pati poſſe, propter dictum huius, vel illius. Iraſcitur aliquis contra alium, quoniam contra honorem ſuum loquutus eſt. Nunquid honor tuus tam debiles habet radices, quod timeas, tam leui vento, qualem vnum verbum ſecum fert, eradicandas? Melius decori tuo conſuleres, ſi alterius dictum contemneres. Egregiè Sanctus Auguſtinus eos qui nimis commouentur propter dicta aliorum, credit eſſe illos, qui oſſa habere videntur contrita, ideoque nulla firmitate ſubſiſtunt, de quibus dixit Dauid: *Dens contriuit oſſa eorum, qui hominibus placent.* Quid enim lãguidius? quid tam ſine ſtabilitate ac fortitudine, quam oſſa ſignificant, quam homo, quem male loquentium lingua debilitat, cum ſciat falſa eſſe, quæ dicuntur? Optimè Sanctus Baſilius docet, virum egregium debere reputare ſe ipſum inuulnerabilem contumelijs, & conuitijs, id eſt, tam validum, quem non poſſint cõuitia vulnerare: tanta enim præſtare debet animi generoſitate, & fortitudine, vt credat, nullum vulnus ſibi poſſe inferre aerem alterius lingua verberatum. Rex, inquit Abigail, cor ſuum, cor regium, cor illuſtriſſimum, ponere debet, & conuertere ſuper hominem vilem? Stultus, inquit, eſt, & ſtultitia cum eo eſt. Si aliquis ex ſtultis, quos hoſpitale amentium cõtinet verbum contumeliæ cõtra te dixiſſet; quid ageres? poneretne cor ſuper illũ? certe eum tanquam ſtultum relinqueres, nec crederes illum tibi nocere poſſe, quem ſtultitia loquentem facit. Hoc, inquit Abigail, intellige, tu Rex de Nabal: & hoc quinis Chriſtianus intelligat, de eo, qui ſibi offenſam infert: nam ex eo quod peccat, in ſtultorum albo, Scripturæ ſacræ deſcribunt. Vnde illa vox frequens Sancti Auguſtini: Conſi-

Epiſt. 64. ad Aurel. ante fin.

Pſal. 52. 6.

Hom. 10. de ira ante medium.

dera quod phreneticus est, & illi potius comparere. Quod argumentum egregiè Diuus Petrus Chrysologus prosequitur. Secunda ratio, quam subdidit Abigail: *Faciès faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem*, id est, perpetuam in æternum mansuram. Egregiam tradidit mulier doctrinam, quam sæpè Scriptura docet, quod scilicet sicut nihil est, quod magis Deum prouocet ad extirpandum hominem, & radicitus cum domo sua de terra tollendum, quam odium, & perpetuæ inimicitiæ: ita nihil est, quod magis domum, & posteritatem alicuius firmet, quam pax, & dilectio erga inimicos. Quod, & postea Dauid ipse experimento didicit, qui, vt annotat Diuus Basilius huius causa integrum edidit Psalmum, in quo hoc ipsum sæpè repetit. *Desine ab ira, & derelinque furorem, & qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.* Vocantur *sustinentes Dominum*, qui patientiam seruant propter verbum illius, remque totam illi committunt: subditque exemplum de Saul dicens: *Vidi impium superexaltatum & elevatum, &c. & transiui, & ecce non erat.* Nec enim sedes regni, aut regnum eius, aut domus, aut posteritas eius mansit. *Mansueti autem hæreditabunt terram*, &c. Loquitur præcipuè de se ipso, qui in sua misericordia, & mansuetudine dicitur consecutus sedè regni. Et infra post huiusmodi multa: *Custodi*, inquit, *innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Quamuis Hieronymus, & alij reliquiarum nomine intelligunt pacem, vt statim dicemus, sed non incongruè intelliguntur filij, & posteritas, secundum scripturæ phrasim, vt cum dicit: *Benedicta reliquiæ tua.* & iterum: *Maledicta reliquiæ tua.* Et id insinuat Augustinus, qui filios reliquiarum nomine intelligere videtur, quoniam sunt reliquiæ parentis, iuxta illud: *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, quia similem sibi reliquit post se.* Et vere dixit Dominus: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Hoc adeo verum est, vt Saul ipse, ex quo videbat Dauidem sibi parcere inferret, quod certissimè esset habiturus in perpetuum sedem regni, ipse, & filij eius; signanter cum vidit, Dauidem sibi parcentem in spelunca, dixit ad eum: *Nunc scio, quia certissimè regnaturus sis* Et cum ei dormienti pepercit, similiter dixit: *Et quidem faciens facies, & potens poteris.* Addit, & aliam rationem prudentissima Abigail: *Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium aut ipse te vltus fueris, & cum benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Multa continet hæc ratio, quæ etiam si à Salomone dicta fuissent, admirationem inducerent. Singultus, est commotio, quædam totius corporis, procedès ex eo, quod comedisti rem aliquam guttui suauem; sed quam naturalis calor non potest plene digerere, nec stomachus quietè tenere. Scrupulus autem est lapillus, aut calculus, quem in via ambulans, intra calceum admisisti, vel inclusus est, qui hoc ipso quod alicubi figis pedem, te torquet. Vnde apta metaphora ad omne peccatum trahi potest, vt dicamus, illud esse in singultum, & scrupulum cordis. Comedisti enim dentibus, & palato animæ, voluntate scilicet, & sensibus, id quod iniquum erat, quod tam difficilis est digestionis, vt nullus naturalis calor sufficiat digerere. Oritur hinc quædam totius hominis commotio, & timor, quod cum aliquid sibi accidit infaustum, indicat, hoc propter illud sibi aduenisse: & dum pedes affectus sui monere vult in aliquam rem, ad quam fertur, malè torquetur, timens infœliciter successuram, propter illud peccatum, quod commisit. Hoc quidem in omnibus peccatis euenit, quæ quamuis dum comeduntur, dulcia apparent, postea tamen sui memoria torquent, & timorem inducunt, ne fortè hoc, vel illud mali accidat, in illorum pœnam, & supplicium ordinatum à Deo. Quod, & Moyses accommodatissima etiam metaphora, rudi populo voluit significare, dum morti proximus, vt eum à peccato contineret, dixit: *Ne forte sit inter nos,* (aut intra vos) *radix germi-*

Serm. 168. de temp. *Serm. 38.* ¶ 121. *Scholi. in psal 36 in augu.* *Esa. 6.8.9.* *Ibidem fol. 10.35.* *Ibi. ver. 11.* *Deut. 28.3* *In Ps. 36.* *Eccl 30.1.* 1. *Reg.* 12. 23. 4 *Reg.* 22. 25. ¶ 122. *Deut. 29. 18.*

germinans fel & amaritudinem. Intelligere enim potes, eo ipso, ac peccatum admittis, quantumcunque tunc dulce, & suaue tibi videatur, quod in anima radicem plantas germinantem fel, & amaritudinem, lacrymas, timorem, tremorem, anxietatem, pauorem, & metum, circa omnes successus; vt semper possis mente illud reuoluere circa Deum, quem offendisti, quod fratres Ioseph, etiam post quam in illius gratiam admissi fuerant, anxios tenebat, dicentes: *Ne forte recordetur iniuria, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus*. Hocque est, quod Deus dixit ad Cain, similiter eũ à malè cœptis reuocare contendens: *Nonne si bene egeris recipies?* alij legunt, erit eleuatio: *si non autem malè, statim in foribus aderit peccatum*, id est, peccatum à te admissum, ita circa te se habebit, sicut qui in foribus est alicuius domus, qui continuis ictibus totam domum personare facit; sicut enim ex bono opere sequitur securitas cõscientiæ, per quam homo potest ambulare eleuato capite, id est, sine timore, & cum fiducia; ita ex peccato sequitur timor, quem ipsamet iniquitas generat, fores animæ perpetuis ictibus percutiens, vt alibi latius dicemus. Hoc ergo omnibus peccatis commune est, esse in singultum, & scrupulum: peculiariter autem peccatis vindictæ, & effusionis sanguinis, conuenit, vt sanctus Basilius annotauit. Odium enim, quo Cain contra fratrem surrexit, & eius sanguinem fudit, illum tremebundum toto vitæ suæ tẽpore tenuit, omnia quæ erant timentem, ne fortè in vltionem sceleris commissi illa pateretur. Homicidium, quod Dauid perpetua anxietate torsit; vt quicquid accidebat aduersi, putaret meritò sibi in vltionem, & pœnam peccati inflictum. Hocque illud est, quod dicere voluit: *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo semper*: id est, cum aliquid infaustum passus fuero, iniquitatem meam tanquam illius causam in memoriâ reuocabo, & cogitabo semper, illud iure pro peccato meo inflictum. Grauissima peccata habuerunt fratres Ioseph, quos ipse *accusauerat apud patrem crimine pessimo*, & Iacob ipse latis indicauit, dum eorum quosdam, morti propinquus, non tam benedixit, quam maledixit, vt primogenitum Ruben, *qui cubile patris sui maculauerat*: nihilominus quando in illa grandi angustia constitutos se viderunt, quod ligabantur, & in vincula conijci iubebantur tanquam exploratores: illud solummodo peccatum fuit in singultum, & fores animorum suorum percussit, quod multis ante annis commiserant contra Ioseph; & ita dixerunt ad inuicem: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, &c & dixit Ruben*: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum? en sanguis eius exquiritur*. Contra populum descendentem ab Esau iracundo, & vindicatore tenentem eius mores, dixit Deus, & comminatus fuit, quod *sanguis persequetur te*: Non dixit: Ego persequar te, neque, inimici persequentur te; sed sanguis, quem effundere voluisti; hic erit viscerum tuorum crudelis tortor, & hostis acerrimus, qui te perpetuò affliget, & turbabit: Nescio enim quid habet hoc peccatum iracundiæ, & vindictæ, quod inter omnia peccata, postquam admissum est, grauissimè torquet animam, timidamque, & pauidam tenet. Et miror eius, quod fecit Dauid, cum oram chlamydis Saul abscidit in spelunca; nolens enim eum occidere, cùm posset, quia ius ad illum occidendum habebat (vt Diuus Augustinus, demonstrat) tantum *præcidit oram chlamydis Saul silenter: post hæc percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul*. Subitò, ac oram chlamydis abscidit, percussit cor suum, quasi illud reprehendens pro re malefacta, sicut Publicanus, qui percutiebat pectus suum. Quid fecit? solius chlamydis oram abscidit. Quid si honorem? quid si carnem? quid si vitam? nihil enim est, quod magis reddere possit pauidum, & tremens, quàm contra inimicum aliquid agere. Magnum ergo damnum incurrit, qui inimicum odit, & persequitur: nam quasi intra viscera sua condit serpentem, & vermem perpetuò,

Gen. 50. 15

Gen. 4. 7.

Rom. 10. de ira.

Psal. 37. 19

¶ 2 3.

Gen 37. 2.

Gen. 50. 4.

Gen. 42. 22

Exod. 32. 6

1. Reg. 24. 5

In Psal. 131.

corrodentem, & torquentem, & radicem plantat, germinaturam fel, & amaritudinem. Qui autem diligit inimicum, & ei parcit, ineffabili quadam pace fruitur. Hocque est, quod dixit Abigail, si peperceris inimico: *Non erit tibi in singultum, & scrupulum cordis, quod ipse vltus fueris*, quod te ipsum iudicem constitueris, cum esses pars læsa, ideoque timere potuisses multis nominibus, sententiam iniustam protulisse. *Et cùm benefecerit Dominus Domino meo, tunc recordaberis ancillæ tuæ.* Locutione communi vtitur sapiens mulier. Quando consilium das alicui iuueni, optimum successum prædicens, subdis: Tunc recordaberis mei, quasi gratias mihi referens, quod tale consilium tibi dederim. Et verè hoc dicere potest Christus: Ego dico tibi: Dilige inimicum, &c. dimitte ei, &c. hoc enim vtilissimum est, vt singultum cordis effugias, & quando videris te hora mortis quieto, & pacifico esse animo, tunc recordaberis eius, qui tale dedit consilium, gratias eidem referens. Hanc rationem egregiè Basilius prosequitur, & eam Sapiens tradidit prius, qui inducens ad obseruantiam huius diuinæ legis, inquit: *In nouissimis inuenies requiem in eo, & conuertetur tibi in oblectationem*, quasi alludens ad hæc verba Abigail.

Hom. 10. de ira. Eccl. 6.

§. 15. *Huius præcepti obseruantia, singulariter inducit securitatem conscientiæ ad orandum, quã expertus fuit Dauid.*

¶ 124. AMplius fiet manifesta huius præcepti vtilitas, si latius explicauerimus pacem, quam eius obseruantia inducit, qua nihil vtilius esse potest. Pacem inquam, & quietem conscientiæ, quæ fiduciam illam generat, de qua dixit Ioannes: *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & quæ sunt coram te placita*, id est, quæ illi iubet, *facimus.*

1. Ioã. 3. 25

Norum est enim, ibi de præcepto dilectionis loqui, quod tot tamque varijs modis commendandum suscepit. Nihil nobis vtilius oratione, quam propterea Dauid respirationi comparauit, sine qua viuere non possumus. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ad hoc autem, quod hæc oratio sit cum fiducia, nihil magis iuuat, quam ita tenere quietem cõscientiæ, vt cor nostrum non reprehendat nos. Hanc singulariter præstat huius præcepti obseruatio, quam propterea, vt annot Beatus Ambrosius, tanquam singulare præmium proposuit Ieremias, ferenti iugum graue Domini, *Sedebit*, inquit, *singulariter, & silebit, quia tulit iugum graue.* Ecce quid sequetur, quod singulariter sedebit, & silebit. Sedere in scriptura is dicitur aliquando, qui cum Deo agens, orationem longam, & ex professo, nõ transcursim, & raptim, agere parat, sed cum magna familiaritate: metaphora sumpta ab eo, qui tecum ex professo familiariter agere volens, sedet. Ita explicat Sanctus Augustinus illud, quod de Dauide dicitur, quod *sedit coram Domino.* Ita, & Deus illos repulit, qui cùm eius essent inimici, volebant *coram eo sedere*, id est, ex professo, & familiariter agere. Silentij autem nomine, vt alibi diximus, scriptura supremam pacem solet exprimere: vbi enim est vel minima contentio, silentium rumpere necesse est, & nunquam maius silentium est, quàm cùm omnes summam dormiendo tenent quietem. Iugum autem graue est, dilectionis præceptum, quo iubemur amare odientem, benedicere maledicentem, benefacere malefacienti: iugum quidem graue videtur, sed quod reddit leue vtilitas, quam capit, qui illud fert. Sedebit enim singulariter, id est, dispositus erit ad orãdum ex professo, & familiariter tractandum cum Deo; & silebit, id est, summa pace conscientiæ fruetur, cuius nullum clamorem, vel singultum, aut scrupulum, sentiet. Sicut enim, vt paulo ante annotabamus, quamuis omnia peccata possint singultum cordis inducere, nullum tamen sicut odium, & vindicta; ita quamuis omnia opera bona quietem animo inferant, nul-

Oratio fit. neb. in obi. Vale. Iuni.

Li. 2 qq ad Simpl q 4. 2. Re. 7. 18. Ezec. 20. 1.

nullum tamen ita plenè, ac opus dilectionis: hoc ita cor quietat, vt eo exiſtente, cor noſtrum non reprehendat nos, ex quo ſequitur fiducia, vt quicquid petierimus, accipiamus. Et ſi iuxta dictum Beati Chryſoſtomi, iuſtitiæ nomine, intelligamus dilectionem inimicorum, & beneficentiam erga illos, quomodo intellexit Dauid, dicens: *Exaudi Domine iuſtitiam meam*, rectè etiam intelligemus, effectum qui ad huiuſmodi opus conſequitur, quem Eſaias exprimit; *Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum*. Vide qualem effectum, quamque vtilem, hæc iuſtitia producat, pacem, ſilentium, & ſecuritatem æternam. Quam primò vocat pacem, deinde vocat ſilentium, & tandem ſecuritatem immenſam, & fiduciam, per quam quicquid petierimus, obtinebimus. Ex quibus mihi videor explicare poſſe, illud Dauid: *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*. Dubium eſt enim, qua occaſione Dauid illum ediderit Pſalmum: nam eius titulus eſt, *Pſalmus cantici indedicatione domus Dauid*. Huiuſmodi autem dedicatio, nuſquam in ſacris literis inuenitur. Certum tamen omnes iudicant, Pſalmum editum, cùm Dei munere, ex magna inimicorum oppoſſione ſe liberatum vidit, fortè à perſecutione filij ſui Abſalom, per quam ad extremum periculum venit: poſt quã, quia ad domum ſuam, quam fugiens dereliquerat, cum pace, & gaudio reuerſus fuit, proponens in ea Domino deſeruire, tanquam in loco quodam ſancto, dicitur dedicaſſe domum. Deingentibus ergo periculis liberatus, incipit canere lætus, immenſas gratias Deo referens, dicens: *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me*, alia multa in gratiarum actionem, vſque ad verſum ſeptimum, ad hoc inſtitutum ſubijciens. Quoniam autem quaſi ſuſpenſos nos videt, conſiderantes ipſius lætitiam, & auſcultantes gratias, quas Deo refert, rem totam indicat, & aperit, exponens, Deum in vindictam adulterij, & homicidij commiſſi, parumper auertiſſe faciem à ſe, eum tradens filio Abſalom, tam grauiter impugnãdum, & conturbandum, vt iam ſe morti proximum reputaret, & deſcendentem in corruptionem. Quam perſecutionem patienter tulit: nam operto capite incedens, & veſtitus ſacco, & lugubri indumento, plorans, quaſi pœnitentiam pro peccatis ſuis acceptans, nunquam ad agendum contra inimicum ſuum ſe vel leuiter conuertit: quin potius replicatis eleuatiſque vocibus, ducibus ſuis præcepit, vt eum ſeruarent. Quo factum eſt, vt tandem Dominus miſertus illius, deuictis, & ſuperatis hoſtibus, conuerteret luctum illius in gaudium, conſcindens ſaccum, ac veſtem lugubrem. Et quid tandem factum eſt? *Circumdediſti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*. Gloria mea, id eſt, anima mea, quæ decus eſt, & gloria mea. Ita Ianſenius. Ecce quid acquiſiuit ex eo quod inimicos dilexit, & eis parcere voluit? quod circundatus manſit lætitia, id eſt, vndique ea plenus omni ex parte illam tenens, in corpore, in animo, in intellectu, in voluntate, &c. per quam ſe poterat Deo orans repræſentare, abſque eo quod ſentiret in corde punctũram, ſecura, & quieta mente. Nouit Dauid illud, quod poſtea dixit Propheta, quod ſæpè *peccata noſtra* cum oramus coram Deo, *reſpondent nobis*, & illa ſunt, quæ petitiones noſtras expediunt. Cum crudelis diues petit miſericordiam, ſuamet crudelitas reſpondet, illum indignum miſericordia, qui non fecit miſericordiam. Qui ſurdam ad Deum clamantem habet aurem, cum ipſe tempore neceſſitatis clamat, ſuam ſurditatem reſpondentem habet dicentem, indignum eſſe exaudiri à Deo illum, qui Deum nec audire voluit. Similiter cum quis petit peccati remiſſionem, ipſamet vindicta, quam dilexerat, reſpondet, non eſſe dignum remiſſione, qui non remiſit. Hoc ergo obtinuit Dauid, dilectionis præceptum ſeruando, quod cor in oratione quietum teneret, & ab eo ſe pungi non ſentiret, & quaſi ſerena facie diceret: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos*, &c. Nihil enim coram Deo conſtitutos acrius pungit, quam charitas læſa, & dilectio violata per odium, & vindictam.

In Pſal. 7.

Pſal. 16. 1.

Eſa. 32. 17.

¶ 125.

Pſal. 29. 15

Eſai. 59. 12.

¶ 126.

ctam. Vnde Apostolus inducens viros ad perpetuam orationem, hanc solum modo tanquam maximè necessariam
1. ad Tim. 2. dispositionem expressit: *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* Iræ nomine, ait
Ad Ephes. 1. ad Tim. Chrysostomus, iniuriarum memoriam significare voluit. Nullus adeò audax sit, vt inimicitias exercens, ad Deum pergat orandum: Nemo enim cum angore animi, ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Qui enim dixit: *Quæcunque petieritis, credite quia accipietis,*
Marc. 11. 24. rursum dixit, *Cum statis ad orandum, dimittite, & dimittetur vobis.* Hoc nempe est, absque ira, & disceptatione orare. Sic & Anselmus: manus, inquit puras leuare iubemur, vt cum leuas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia enim manus istæ leuantur, vt impetres quod vis, ipsas manus cogita in bonis operibus exercere, ne erubescant ad Deum leuari. Et leuentur sine ira, vt ne retineas iram in corde tuo aduersus proximum, sed libera conscientia dicas: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: & sine disceptatione, id est, sine litigio causarum, ne adhuc retineas in corde voluntatem contendendi iudicio aduersus fratrem tuum; sed remitte quicquid illud est, vt tibi oranti remittuntur peccata tua diuinitus. Si autem Dauid timebat, quod si vltionem de Absalon sumeret, posset aliquando propter eam, in compunctionem cordis venire, cum iustè, & iustè posset illum occidere, & perdere, quia rex erat, quem iustitiam facere decebat; quid accidet ei, qui contra rationem, tantùm suo satisfaciens appetitui, vindictam sumit? Certè aliquando cor eius compungetur, & quod nunc agit, in grauem eritis. singultum.

(?)

§. 16. *Vtile est hoc præceptum quærentibus remissionē peccatorum. Ideo in principio Quadragesimæ illud proponitur, etsi difficile, & perfectum.*

EXcellentius multo, quam Chrysostomus, Abigail, & Dauid, huius præcepti vtilitatem Christus Dominus demonstrat, adijciens pronomen illud, *Vobis*; quo in memoriam reuocare vult, quinam simus nos. Et certè, si quæsieris; Quinam omnes simus? nullo modo conuenientius respondes, quam dicendo: Peccatores. Omnes enim sumus peccatores, egentes Dei misericordia, & largitate, dicente Apostolo: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*: omnes infirmi sumus, & necessarium nobis est, à Deo salutis authore salutem quærere. Ad eam autem ab ipso obtinendam, vtilissima est huius præcepti obseruatio. Hæc vt explicemus, annotandum est, dubium esse, cur Ecclesia, statim initio quadragesimæ hoc præceptum fidelibus intimet. Satis est notum, vulgatum axioma principis Philosophorum: A facilioribus, & imperfectioribus, ad difficiliora, & perfectiora procedendum esse. Cum enim pueruum instruimus, quæ faciliora sunt ei demonstramus, prius docendo elementa, deinde syllabas, postea dictiones: & pictor prius imperfectas ducit in tabula lineas, & vlterius gypso vel carbone figuram imperfectam adumbrat, ad vltimum viuos perfectosque colores superaddit. Quod & natura ipsa fecerit, quæ ab imperfectis perpetuò initium sumit, vt tandem ad id quod perfectum est, perueniat: prius enim dat in generatione formam embryonis, deinde animalis, & tandem hominis: & arbor prius in gemmas, deinde in flores, vlterius ad immaturos fructus, tandem ad fructus maturos proceedit. Et certè inter omnia præcepta diuinæ legis, hoc quod nunc nobis proponitur, difficilius ac perfectius.

¶ 127. Ad Rom. 3. 23. 1. Phy. c. 8.

fectius eſt. Difficilius quidem: quia nihil in natura videtur magis difficile, quam rem aliquam, eam quæ ſibi contraria eſt, amare. Eſt enim ab ipſa natura indita inclinatio, vt vnaquæque res odio proſequatur illam, quæ ſibi eſt inimica, quoniam aliter nulla poſſet natura conſeruari. Si quis non oditet lupum, & aqua non ageret contra ignem, eumque auerſaretur; non poſſent in rerum natura perſeuerare: de quibus alibi. Recole, inquit Auguſtinus, in omnibus iuſtificationibus Domini, nihil mirabilius, & difficilius eſt, quam vt ſuos quiſque diligat inimicos. Grandis labor eſt (inquit alibi) inimicos diligere, pro perſecutoribus ſupplicare. Tam difficilis viſus eſt inimicorum amor aliquibus vt quidam crediderint, illum eſſe impoſſibilem, & propterea plus præcipi nobis, quam humana natura patiatur, vt Beatus Hieronymus refert: qui quamuis id tanquam falſum conuincat, aſſerit tamen, rem eſſe tam difficilem, vt pro ſua difficultate, aliquando communi loeutione impoſſibilis dicatur. Eſt inſuper amor inimicorum ad ſummam perfectionem pertinens. Vnde Chryſoſtomus expendens hoc Chriſti præceptum, illud vocat vltimam coronam bonorum, & ipſum virtutis cacumen: Theophylactus, verticem, quo nihil maius: Euthymius, Extremam virtutem, quæ virtutis corona, ac vertex eſt. Id quod, & vera docet Theologia. Perfectio namque Chriſtiana, in charitatis obſeruatione poſita eſt, vt verè dixerit Apoſtolus: *Plenitudo legis eſt dilectio: & Charitas, quæ eſt vinculum perfectionis.* Inter opera autem charitatis, ſupremum locum tenere videtur amor inimicorum. Vnde, & Paulus, in hoc ait, Deum excellentiſſimam oſtendiſſe charitatem, quoniam cum inimici eſſemus, dilexit nos. Perfectio miſericordiæ, inquit Auguſtinus, vltra dilectionem inimici porrigi non poteſt: & verè ipſemet Auguſtinus, cuius ſententiam refert Diuus Thomas, manifeſtè docet, diligere amicos, eſſe incipientium, & proficientium, diligere verò inimicos, eſſe perfectorum, ad quem gradum homines non poſſunt peruenire, niſi poſt multas orationes. Hæcque cauſa eſt, quod in paucis huiuſmodi actus reperitur, quos ideò cum magna commendatione, Scripturæ ſacræ referunt: ſicuti Ioſeph, qui fratres ſuos, à quibus venditus fuerat, dilexit, Moyſes, Samuel, Dauid, &c. vt obſeruarunt Hieronymus *a*, Auguſtinus *b*, & Gregorius *c*, expendens illud *d*, *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me*: annotans, viros à Deo in medium adduci, qui ex inimicorum dilectione ſe perfectos comprobarunt. Et verè Chriſtus Dominus hoc præceptū proponens, nos iam quaſi perfectos ad eius inducit obſeruationem, dicens: *e Eſtote perfecti, ſicut pater veſter, &c.* vt Beatus Auguſtinus *f*, annotauit. Si ergo amor inimicorum, inter opera, quæ Chriſtianus agere debet, difficilius perfectiuſque eſt, cur Eccleſia ſancta illud initio Quadrageſimæ, qua ad bona opera incipienda, nos vocat, proponit, & ab eo initium ſumit? Relinquendum apparet ad finem quadrageſimæ, quando iam per alia pœnitentiæ opera, quæ faciliora ſunt, homo magis erit diſpoſitus, & quando per opus eximiæ dilectionis Chriſti, quo animam pro inimicis poſuit, tunc celebrandum, & commemorandum, ad inimicorum dilectionem induci poterit. Accidit aliquando, vt Beatus Chryſoſtomus populum Antiochenum docens, inciperet concionem, ſuadens huius præcepti obſeruantiam, & hortans auditores ad inimicorum dilectionem, rationeſque ad hoc inſtitutū adducens, quaſi ad ſe ipſum reuerſus, & ſemetipſū corrigens: Quid, inquit, facio? Quid ſuadeo? Non aduertebam hæc dicens, cum ijs, qui neque parem ſe diligentibus exhibent charitatem, mihi ſermonem eſſe. Et verè ita eſt. Pauciſſimi namque ſunt, qui & ipſos amicos vero amicitiæ amore proſequantur. Amare enim aliquē, eſt velle, & deſiderare illi bonū propter ipſum. Quis autem eſt, qui ita alterum diligat, vt bonū illi deſideret? omnes ſiquidem, quæ ſua ſunt quærunt, & ſi alicui bonum deſideramus,

In Pſ. 118. ſer. 7. ad finem & 8. 9 Serm. 5. de Sanctis.

In capit. 5. Matt. lib. 2. cōt. Pelag. to. 2 p. 214

Hom. 18. in Matth.

In cap. 5. Matth.

Ad Ro. 13. 10.

Col. 3. 14.

ad Ro. 5. 8.

¶ 128

Lib. 1. de ſer. dom. in mōt. & in exhir. c. 73. & 74. 2. 2. q. 27. ar. 7.

a In cap. 5. Matth.
b Ser. 59. de temp.
c Li. 9. moral. c. 9.
d Ier. 15. 1
e Mat 5. 48
f Ser. 59. de temp.

Hom 71. ad pop.

mus, non id propter ipsum agimus, sed propter nos ipsos, quatenus aliquid in eo se nobis ad vtilitatem nostram repræsentat. Vnde non illos, sed potius nos ipsos amamus. Quomodo ergo trahendi sunt ad inimicos diligendos, qui tam procul sunt ab isto mandato, inquit Chrysostomus, vt nec ea, quæ publicani agunt, efficiant? Ait enim Dominus: *Si diligitis diligentes vos, quid magnum facitis? Nonne, & publicani idem faciunt?* Quæ spes esse potest, diligendum inimicum ab eo, qui necdum amicum vero prosequitur amore? Hoc peius est, inquit Diuus Augustinus, quod non solum inimicos non diligimus; sed nec amicis quidem fidem integram custodimus: tam longe sumus ab inimicorum dilectione, vt nec vera dilectio nostra sæpe ad amicos perueniat. Cur ergo Ecclesia ab hoc præcepto ducit initiũ, quod tam difficile est, tantæque perfectionis? Sed verè rectissimè Ecclesia Sancta procedit, vtpote quæ à Spiritu sancto regitur, & gubernatur. Huius autem instituti non incongrua est ratio, quam Sanctus Bernardus indicat: vt videlicet intelligamus, non sufficere ad salutem, ieiunium, quod prima die quadragesimæ indixit, nisi illi opera charitatis adiungantur. Quod ex Sancti Ioel verbis, quæ eadem die Ecclesia induxit, probat Bernardus. Ita enim loquutus fuit Propheta: *canite tuba in Sion sanctificate ieiunium vocate cœtum*. Petit primò sanctificari ieiunium, id est, agi ieiunium sanctum, aut se disponere ad sanctificationem per ieiunium, vt supra exposuimus. Hoc tamen coniunxit, *vocate cœtum*. Cœtus erat festum, quo fideles in vnum conueniebant. Id ergo Propheta expescit, inquit Bernardus, vt ieiunantes, vno simus corde, & vnitatem cordis teneamus per amorem. Quod clare ex eo etiam demonstrat, quia quibusdam inquirentibus, cur Deus ieiunia sua non acceptasset, & grata habuisset, respondit Deus ipse: quoniam ieiunijs nõ adiungebant charitatis, & amoris opera, qui cum ieiunabant, debita non dimittebant, sed in debitores erant crudeles. *Nunquid* (inquit Deus) *tale est ieiunium quod elegi?* &c. Videndus est ad hoc institutum Sanctus Gregorius, expendens illud, *Laudate eum in tympano, & choro*, vt charitatis concordiam, quam chori nomine exprimit, intelligas adiungendam ieiunio, quod nomine tympani expendit, de quo alibi. Meritò ergo Ecclesia postquam prima die ieiunium omnibus indixit, statim docere voluit opera charitatis esse adiungẽda. Ideo die secunda quadragesimæ exposuit Centurionem, amãtem amicum, & seruum, & amoris opera illi impendentem: & tertia die intimat, addenda amoris opera erga inimicos, quos eiligere tenemur, eisque benefacere. In huius explicationem satis probatũ est supra, tam necessaeium esse huiusmodi amorẽ, vt nec sacrificia, nec orationes, nec ieiunia Deus habeat accepta, vbi ille defecerit. Ipse etiam beatus Chrysostomus eandem videtur reddere rationem. Statuit Ecclesia ieiunij tempus, & illud nobis indicit ad peccatorũ remissionem: sed non debemus existimare, solam inediam, aut ieiunium sufficere nobis ad salutem, apertè enim Deus contra eos agit, qui ita cenlebant, vt dictum est. Oportet igitur ieiunio superaddere opera virtutum, signanter autem charitatis, quæ primas tenet inter virtutes, sine qua ieiunium mortuum est magis, quam fides. Suppositi propterea Ecclesia, charitatis primum, ac præcipuum actum erga Deum, quem die prima quadragesimæ nobis commendauit, proponens Christi doctrinam, quod omnia agamus propter Deum, cui soli placere intendamus: superaddit statim duo eiusdẽ charitatis opera, quædam erga amicos, & quædam erga inimicos: his namque tanquam duabus alis, ieiunium redditur simile aquilæ, quod in cœlum vsque peruolet. Nec enim ieiunium nudum ad Deum pertinget: quomodo non pertingebant ieiunia illorum, qui dicebant: *ieiunauimus, & non aspexisti*, sicut nec aquila sine alis à terra eleuari poterit. Primam ergo alam addit ieiunio, amorem scilicet erga amicos, & familiares, qualem exhibuit Centurio seruo suo dile-

Serm. 5. de Sanctis.

Ser. 4. in t. ieiun.

Ioel. 2.

Esaiæ 58.

Hom. 8. in Ezech.

Hom. 4. in Gen.

Esai. 38. & Zach 7.

Esai. 58. 3.

cto, nunc aliam superaddit, amorem scilicet erga inimicos, eo modo, quo Christus illum statuit in hoc Euangelio. Aliam tamen rationem ad nostrum institutũ tradere possemus, cur ab hoc tam difficili præcepto Ecclesia sumat quadragesimæ initia. Ipsemet enim Philosophiæ princeps, qui docuit à facilioribus, & imperfectioribus esse sumẽdum initium, explicuit, ita quidem agẽdum, nisi necessitas aliud requirat. Certum est enim cor in homine perfectius esse cæteris partibus corporis, & tamen in hominis formatione, natura à corde initium sumit, illudque est quod primò efformat, quoniam ad hoc necessitas ipsa compellit. Est nam-
Prou. 4. 23. que cor principiũ vitæ *à quo vita procedit*, nec possunt cætera membra vitam habere, nisi supponatur cor, idcirco ab illo initium ducit natura ipsa. Tempus sanè quadragesimæ, tempus est recuperandæ salutis, cui propterea aptè illud Apostoli accommodant Am-
a Serm. 27. & libro de Elia cap. 1. brosius *a*, & Leo Papa *b*, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Est enim animæ salus posita in remis-
b Ser. 2. 4. quadrag. Cap. 1. Cor 6. 2. ¶ 130. sione peccatorum, & participatione diuinæ misericordiæ, & gratiæ, ad quã peculiariter hoc tempus institutum est. Ad hanc autem obtinendam, supponenda est inimicorum dilectio, & remissio offensæ in nos commissæ: quæ ita est necessaria, vt qui obtinere vult remissionem peccatorum, quæ contra Deum commisit, debeat prius, & ipse remittere offensas contra seipsum cõ-
Homil. 26. in acta. missas. Nullumque est opus aliud, vt annotat Chrysostom. quod ita Deum prouocet, & (vt ita dicam) obliget, ad misericordiam nobis impendendam. Quod ita explicari potest. In tantum Deus æstimat aliquod opus, in quantũ illud pro ipso agimus, iam enim dixit
Matt. 6. Christus, non sperandum præmium à Deo pro ijs, quæ quis pro mundi gloria, aut propter alium finem operatur: sicuti nec à te speranda est merces ab operario, cum non propter te, sed propter vicinum tuum laborat. Memoria recole insigne opus Abrahę, cum filiũ suum sacrificare decreuit, illudque egit, quod minutatim Spiritus sanctus refert. Quanti autem Deus opus illud fecerit, expressit dicens: *Per memetipsum iurauí, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti, vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo te, &c.* Expende vim illius *Genes. 22. 16.* verbi: *Propter me*, quasi dicens; Nullam aliam habens causam, nullum motiuum, nisi tantum mihi placere, & præceptum meum seruare; *Propter me*, absq; alio respectu. Hoc in causa fuit, vt Deus tanti faceret illud opus. Multa sunt opera bona, quę etsi homo agat propter Deum, alia tamen habet motiua, vt cum pater curat, quæ ad filios pertinent, cum homo curam habet de bono nomine, cum ea agit, quæ homines communiter agere solent, vt audire sacrum, reuerentiam exhibere diuino nomini, cum eleemosynã pauperi petenti tribuit. Nec enim ita purè propter Deum communiter hæc operatur homo, quin etiam ad ea agenda inducatur, propter naturalem inclinationem, & propter proprium affectũ, & gustum, propter honoris respectũ, aut propter communem Christiani populi consuetudinem. Quodnam opus est, quod pure, & tãtummodo propter Deum fit? Diligere inimicos, remittereque offensas, ad id enim neque inducit naturalis inclinatio, aut proprius affectus, aut peculiaris delectatio, aut honor mundanus, sed solummodo Deus ipse. Hicque amor est pure, & solummodo propter Deum, aut amor Dei purus sincerus, & non mixtus. Hic igitur est, quem Deus maximi æstimat, propter quem peccata condonat, & cœlestia bona largitur. Ideoque supponendus quærentibus remissionem peccatorum.

§. 17.

§. 17. *Amor erga inimicos maximi est meriti, & quasi oleum Eliſei in vaſa vacua, aptus ad ſatisfaciendum pro debitis.*

¶ 131. *Orat. de B. Stephano. tom. 1 par. 699.*

QVod dictum eſt oſtendere, & declarare poſſumus, ex admirabili diſcurſu B. Gregor. Nyſſeni ingenio ſuo digno: qui de B. Stephano agens, hæreticos Pneumatomachos, id eſt, Spiritusſancti hoſtes, refellendos aſſumit. Hi perſonam Spiritus Sancti negabant, & ad ſuum errorem verba B. Stephani expendebant, qui dum Cœlos vidit apertos, vidit etiam gloriam Dei, & ait: *Actor. 7. 55.* *Ecce video Cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Ad euerſionē Catholicæ doctrinę, in hunc modum illi dicebant: Si cum patre, & filio, ſpiritū omninò numerari oportet, qui fit, vt Stephanus in apparitione vnà cum Filio, Spiritum non viderit? Tantum perhibetur videre in Cœlo Patrē, & Filium. Vbi igitur eſt Spiritus ſanctus? Reſpondet Gregor. ſtultos illos fuiſſe, qui nec à limine hiſtoriam B. Stephani expenderant. Si enim eam attendiſſent, vidiſſent paulo ante præmiſiſſe Euangeliſtam: *Actor. 7. 55.* *Cum autē eſſet Stephanus plenus Spirituſancto.* Sane inquit Gregor. Nyſſenus, ex eodem loco exiſtit auxilium quod euertat aduerſarij incredulitatem. Quæris ò Pneumatomache, ſi gloria patris apparuit, & Filius a dextris ſtationem obtinens, vbi Spiritusſanctus? In Stephano. Cū enim eſſet Stephanus plenus Spirituſancto, &c. Quomodo autem Spiritus ſanctus in Stephano fuerit demōſtratus, egregie ibi proſequitur Gregor. Poſſumuſque breuiter illud explicare, ex Gregorij Magni doctrina. Spiritusſanctus eſt *Homil. 30. in Euang.* amor purus, ſinceruſq; Dei, à quo procedit charitas, per quā Deus ſolus, aut aliquid aliud pure, & ſolummodo propter Deū amatur. In pectore propterea Stephani Spiritusſanctus reſidens oſtenditur, quia in eius pectore amor inimicorū demonſtratur talis, qui omnes remittit offenſas, & pro ſe lapidantibus ſupplicat, & intercedit. Hic eſt amor, qui Spiritum ſanctum demōſtrat: pure enim, & ſolūmodo propter Deū, ad hoc agendum inducebatur. Ex his ergo infertur, hoc opus eſſe, quod magis Deum mouet, & vt ita dicam, obligat ad miſericordiam impendendam, & quod magis congruum eſt ad peccatorum remiſſionem obtinendā, quippe quod magis eſt propter Deum, immo quod pure, & ſolūmodo propter Deū fit. Hincque probat, & demonſtrat Apoſtolus valorem, & efficaciam ſacrificij Chriſti Domini, ad emundāda peccata, & obtinēdam peccatorum veniā: quia inquit, *per Spiritumſanctum ſe ipſum obtulit.* *Hebr. 9. 14* Quid eſt per Spiritum ſanctum? Chryſoſtomus intelligit, id eſt, non per materialem ignem, ſicut antiqua ſacrificia, aut non per aliquid alienum à ſe; ſed per Spiritum ſanctum in ſemetipſo exiſtentem. Antiqua ſacrificia offerebantur per ignem extrinſecum, extrinſecuſque exiſtentem, at Chriſtus per Spiritumſanctum in ſemetipſo commorantem. Anſelmus tamen ideo credit dici, ſeipſum obtuliſſe per Spiritumſanctum: quia Spirituſancto inſtigante, impellente, & agente, mortuus eſt. Eſt Spiritus ſanctus amor Dei purus, & Chriſtus propter Dei amorem purè, & ſolummodo mortem ſubijt. Erat namque illa oblatio exhibita pro peccatoribus, & inimicis (*Cū enim inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*) *Rom. 5. 10.* & vt tale opus pro inimicis ageret, nudus, & purus amor Dei impulit, ideo dicitur, quod ſe obtulit per Spiritumſanctum. Hocque forte ¶ 132. illud eſt, quod æterna ſapientia, quæ Chriſtus eſt, de ſeipſa dixit: *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Alludit *Eccleſ. 24. 21.* ad id, quod Deus antiquitus ſuauiſſimis odoribus delectabatur, qui propterea pretioſiſſima thymiamata facere iuſſit & altare ſtatuit, in quo odoriferæ ſpecies comburerentur. Ita enim videbatur delectari ſuauibus odoribus, vt eos ſuſcipiens, cor ipſius quaſi dilatari videretur. Id quod in ſacrificio, quod Noe obtulit, videre licet: tunc enim, *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait Nequaquam vltra maledicam terræ, &c.* *Gen. 8.* id eſt, maxime delectatus eſt Deus odore illius ſacrificij

crificij, odorem illum gratiſſimum duxit, qui ab alijs vocatur, Odor quietis, & transferunt: *Odoratus eſt Dominus odorem quietis*: per illud enim quaſi quies reddita eſt cordi eius, quod vehementiſſimè contra homines extiterat concitatum. In Chriſti ergo ſacrificio verius dicere poſſumus: Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, aut quietis: quia odor illius ſacrificij gratiſſimus Deo extitit, qui cor illius ſummè delectauit, & omnem ab eo iram depulit, quia *ſicut balſamum non mixtum odor meus*: ita ſi quidem in Deum illud fuit relatum, vt ex puro, & ſolo, ac nudo Dei amore, abſque admixtione alterius motiui, vel cauſæ illud fuerit Deo oblatum. Erat namque pro inimicis, qui nullatenus merebantur tale beneficium. Ideoque etiam ex hac parte potentius fuit, quàm ſacrificium Abrahæ, cui verius dicere poterat æternus pater: Quia non pepercisti animæ tuæ, aut vitæ tuæ propter me. Idcircò ergo tam potens fuit ad emundandas conſcientias noſtras, ad totius mundi delenda peccata, & omnium iniquitatum remiſſionem conſequendam. Potentius itaque opus, quod homo præſtare poteſt, ad peccatorum ſuorum remiſſionem conſequēdam, & vt pro eis ſatisfaciat, eſt inimicos amare, eis benefacere, & offenſas ab illis commiſſas, propter Deum remittere. Obſeruat Beatus Auguſtinus Eliſei factum circa viduam illam, quæ maximis debitis à viro ſuo contractis, erat oppreſſa. Et verè obſeruanda eſt hiſtoria, circa quam multa Auguſtinus expendit. Quærebat anxiè vidua aliquid, quo pro debitis ſatisfacere poſſet. Iuſſit Eliſeus, vt vaſa vacua requireret, & ex oleo, quod in lecytho ſeruabat, infunderet in illa vaſa vacua. Fecit hoc vidua, oleumque ita fuit auctum, vt ſufficientiſſimũ, & ſuperabundans eſſet ad omnia debita perſoluenda. Expende myſterij ſacramentum. Vt habeat vidua, vnde omnia debita poſſit abolere, iuſſa eſt oleum in vaſa vacua infundere. Omnes ſanè debitores ſumus: *In multis quippe offendimus omnes*, totque debita contraximus, quot peccata commiſimus. Oleum autem, quod requiritur ad huiuſmodi debita perſoluenda, charitas eſt de qua dixit Sapiens: *Vniuerſa delicta operit charitas*: & princeps Apoſtolorum Petrus: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Tunc tamen potenter id efficit, quando in vaſa vacua effunditur. Multi ſunt, qui in vaſa plena amoris oleum infundunt. In eos enim amorem ſuum conuertunt, qui multis abundant rationibus, propter quas diligi debent. Hoc quidem oleum exigæ æſtimationis eſt apud Deum, ideoque minus aptum, vt quæ ei debemus, perſoluamus. Hocque eſt quod dicit Chriſtus Dominus: *Si tantum diligitis eos qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Etſi tantùm ſalutaueritis amicos veſtros; quid amplius facitis? Nonne, & publicani hoc faciunt?* Conſiderat Sanctus Baſilius, cur Deus parentibus noſtris in paradiſo interdixit eſum arboris pulcherrimæ, & ſuauiſſimę, quę clarè conſpectantibus offerebat *fructum pulchrum viſu, & ſuauem ad veſcendum*, in quem appetitus ipſe maxime poterat affectu inclinari. Nonne melius eſſet, iam quod volebat eſum alicuius arboris prohibere, vt illa eſſet ex ijs quæ fructum ferunt aſperum aut durum, & figura deformem, qui non ſolum non excitaret appetitum ſedatum, & pacatum, ſed excitatum potius, & accẽſum, ſolo viſu compeſceret; vt quercus, caſtaneus, iuniperus? Ita enim ſecurior fuiſſet præcepti obſeruantia. Reſpondet Baſilius, nequaquam ita agi oportuiſſe, ſed optimo conſilio Deum illam arborem prohibere voluiſſe, quæ fructum ferret, ad cuius conſpectum appetitus maximè propenderet, & inclinaretur: vt hoc ipſo, quod homo abſtineret ab eo, quod maximè erat ſuo guſtui, & appetitui conforme, oſtenderet ſe illud facere ex mera Dei obedientia, & amore. Oportebat enim, vt hoc modo, tot tantaque beneficia ſuſcepta, & quæ ſuſcipienda ſperabat, perſolueret, purè propter Deum, & eius obedientiam abſtinendo: nam ſi abſtineat ab ijs, quæ guſtui ſuo erant contraria, non tam illa abſtinẽtia propter Deum, quàm propter ipſummet ſui appetitum eſſet, cuius

Prou 10 12
1. *Pet.* 4. 8.

Homil. 9. *quod Deus malorum cauſa non ſit.*
Gen. 3. 6.

Serm. 206. *de tempor.*
4. *Reg.* 4.

1. *Iacob.* 3. 2.

¶ 133. inclu-

clinationem sequeretur. Hic Diuus Basilius respondet multis dicentibus: Nonne poterat Deus mihi imponere, vt abstinerem ab ijs, quæ gustui meo sunt contraria, & concedere, quæ meo sunt appetitui conformia? sic enim semper illi secure obtemperarem. Cur præcepit, quæ meæ sunt contraria voluntati, abnegare me ipsum, voluptates contemnere, labores sequi? Nequaquam tamen ita agendum fuit, si enim tunc quæ Deus præcepit, seruares, non tam propter illum ageres, quàm vt tuum sequereris appetitum, & illius inclinationem, vt ei à quo tam grandia recepisti beneficia, & recipere speras, satisfacias, oportet te aliquid agere, quod plenè propter illum fit, & purè. Deus ergo, vt obtineas remissionis beneficium, & eius cœlestia dona, noluit tibi iniungere, quæ secundùm appetitus tui inclinationem, & propensionem sunt; quâ enim gratiam, si hæc tantum ageres, mereberis? sed id à te agi vult, quod tuo appetitui, & voluntati est contrarium: vt hoc pacto opus pro illo præcisè agens, magnam apud illum mercedem possis obtinere: Oleum ergo in vasa vacua conuerte. Vasa vacua sunt inimici, qui ratione, & motiuo dilectionis carent: amor qui in eos funditur, mirum in modum meritum auget, & ad satisfaciendum pro peccatis, & debitis est aptissimus. Hoc (vt idem annotauit Augustinus) non obscurè Christus nos docuit, qui modũ petendi remissionem peccatorum præscripsit nobis, vt diceremus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si vis, vt tibi debita relaxentur, debitoribus debita relaxa. Omnia delentur, inquit Augustinus, cùm ex vero corde, & plena fiducia dicimus ei, qui videt: *Dimitte nobis, sicut, & nos dimittimus.* Dic toto corde, dic tota fiducia, dic securus; Dimitte nobis, sicut, & nos dimittimus. Ex quibus hoc sit salubre homini Christiano consilium: cùm se ipsum disponere vult ad peccatorum remissionem obtinendam, curet erga inimicos amoris actus producere, offensas ab eis illatas propter Deum remittere, pro eis orare. Non est possibile, inquit Chrysostomus, quod homo, qui dimiserit proximo, non plenam remissionem assequatur. Incomparabiliter magis misericors est Deus, quàm nos. Si dixeris, iniuria affectus fui, irã domui, furoris vim pertuli propter tuum præceptum, non dimittet etiam ille? Omninò vtique dimittet, & ita si purificauerimus animã ab vltionis cupiditate: sufficiet nobis ad hoc, vt audiamur, & cum sedulitate multa oremus: vt obtenta ab eo copiosa misericordia, bona promissa consequamur. Hæc ille.

¶ 134.

In Ps. 142. in illud, misericordia mea.

Matt. 6. 12. Ibidem.

Hom 28. in actu ad finem.

§. 18. *Tempus Quadragesimæ opportunum est ad orandum pro remissione peccatorum, quem sine dilectione inimicorum non obtineri, docuerunt Sapiens, Ezechiel, & Christus per admirabilem parabolam.*

¶ 135.

QVod cœpimus, libet amplius prosequi. Tempus Quadragesimæ est peculiariter institutum ad orandũ pro peccatorum remissione. Quamuis enim semper orandum sit, dicêre Christo: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*: & hortante Apostolo, *sine intermissione orate*, cæterum vt efficacior sit oratio, tempus aptum, peculiariterque electum aliquando eligẽdum est, quo pro peccatorum remissione oremus. Expendenda sunt verba Sancti Dauidis (qui vt Chrysostomus sæpè dixit, orationis materiam probè nouerat) in eo Psalmo, quo de peccatorum remissione agit, beatos eos prædicans, *quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Pro hac, inquit, *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Pro qua, hac, inquit Augustinus? Pro impietate, pro peccatorum venia; quod, & communi sensu Sancti Patres interpretantur. Pro hac orat omnis Sanctus: hæc enim maxima Sanctorum cura est, orare pro peccatorum suorum remissione, pro culparum venia; Christo enim

Luc. 18. 1. 1. Thessal. 5. 17.

Psal. 31. 1. In Psa. 31.

nim excepto, inquit Gregorius a (addit Augustinus b Beatam Virginem) nullus sine crimine viuit: scriptum est enim, *quia nemo sine peccato, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram*. Quis enim Sanctior Paulo, qui delectatur lege Dei secundum interiorem hominem, qui nihil sibi conscius fuerat; sed nequaquam in hoc se iustificatum credebat. Quis sanctior illis duobus filijs tonitrui? quorum vnus clamat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Sanctus etiam qui dixit: *In multis offendimus omnes*. Certum est autem, eorum peccata non fuisse mortifera. Neque enim Sancti essent: & nihilominus hæc maxima illorum cura, orare pro peccatis suis. Quanto enim electus quisque (inquit Sanctus Gregorius, maiori sanctitate præeminet, tanto magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur venialibus peccatis, dolet. Ad idque Sancti eligunt tempus opportunum, sæpè enim, vt pius doctusq; Titelamanus expêdit, serui Dei, qui se sanctificare studeant, tempus eligunt, quo à cæteris occupationibus abstinentes, ad examen omnia, facta, dicta, & cogitata reuocant, & pro peccatis, quæ se admisisse cognoscunt, aut timent, plorant; Deumque precantur pro eorum remissione, ne si peccatum commissum statim non deleatur, suo pondere, iuxta Gregorij sententiam, mox ad aliud pertrahat. Si igitur Sancti viri ad orandum pro leuium peccatorum remissione, tempus eligunt peculiare, aptum, & opportunũ; quid agere decet peccatores, qui grauissimis sunt inuoluti peccatis, & maximis impietatibus, Dei maiestatem offenderunt? Oportuit tempus opportunum, congruumque statuere, quo aptè possint pro eorum remissione orare. Hoc autem tempus est Quadragesimæ, quo Ecclesia sacrum, validumque inducit ieiunium, quod ad orationem congruentissimum est: corporali enim ieiunio comprimuntur vitia, eleuaturque mens. Quo enim tempore Ecclesia ministros suos inducit pro peccatoribus orantes, vt ferè nulla sit oratio, quæ peccatorum remissionem non postulet. Et verè hoc tempore tanquam opportuno, omnis Sanctus pro peccatorum remissione instantissimè orat. Hoc igitur peculiariter tibi tempore isto agendum est, orare instâter pro peccatorum remissione. Vt autem oratio, quam fundis, sit efficax, egregium medium est, vt præmittas dilectionem inimicorum, remittens offensas, quas tibi intulerunt, id agens quod Christus iubet: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*. Hoc ex professo Spiritus sanctus in libro Ecclesiastici demonstrandum assumpsit. Supponit primò tanquam certum axioma, illud principium: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccatum eius seruans seruabit*. Seruans seruabit phrasis est scripturæ, sicut illa, *Eunes ibant*, id est, maxima celeritate, nullatenus parcentes labori itineris: ita seruans seruabit; id est, maxima cura custodiet, vt nullatenus, vel minimum eius peccatum pertranseat: non delebitur vllatenus de eius memoria, sed recentem illius recordationẽ conseruabit; vt videatur alludere ad illud Dauidis: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* In Hebræo verbum *Samar*, quod significat, maxima cura solertique diligentia custodire aliquid, ne aliqua ratione deperdatur: quomodo cuidam impositum fuit, vt virum quendam summa cura seruaret, ne elaberetur, cui dictum est: *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. Quomodo etiam seruare dicitur vestes is, cui ad custodiam illæ sub determinata ratione, & numero traditæ sunt, qui vocatur *custos*, aut seruator *vestium* Iniquitates dicitur Deus obseruare, quando eas in memoria, & conspectu suo seruat, quorum veniam nullatenus concedit, vt Beatus Gregorius annotat. Hoc igitur supponendum est ei, qui non vult iniurias remittere, quique vindictam de inimico quærit, & exoptat, quod à Domino peccatorum suorum veniam non obtinebit; quippe qui eius peccata in conspectu suo præsentia conseruat, vt vindictam pro eis referat: *Peccatum eius seruans*

a *In Ps.31. qui est 2. pœn.*
b *Libro de natur. & grat. cont. Pelag. cap. 35.*
Iob 25. iuxta LXX.
Rom.7.
1. Cor.4.4
1. Ioann.1. 8.
Iacob.3.2.
Ibidem.
In Ps.31.
25. Moral. cap.12.
¶ 136.
Eccl.28 b.
Ps.129.3.
Brixia. in area to.2. fol.239.
2. Reg.20. 39.
4. Reg.22. 14.
In Ps.129. qui est 5. pœnit.

ſeruans ſeruabit. Verè videtur alludere ad illud, quod ad filios Eſau, iuſſus eſt Sanctus Ezechiel Prophetare:

Ezech. 35. Factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam aduerſum montem Seir, & Prophetabis de eo, & dices illi: Hæc dicit Dominus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam ſuper te, & dabo te deſolatum, atque deſertum eo quod fueris inimicus ſempiternus. Mons Seir eſt, in quo habitauit Eſau, quem eius poſteri incoluerunt, hæredes poſteritatis paternæ: ita enim illi ſe habuerũt cum filijs Iacob, aut populo Iſraelitico, ſicut habuit ſe Eſau cum fratre ſuo Iacob, vt videre licet apud Sanctos Prophetas. Ieremiam, & Abdiam. Ita autem ſe habuit Eſau cum Iacob, quod nunquam odium contra eum voluit deponere, propter offenſam, quam exiſtimauit ſibi ab eo fuiſſe illatam. Surripuit Iacob benedictionem, & primogenituram, & quamuis iuſtè, quippe qui ius ad eam habuit ex Dei ordinatione: Eſau tamen ſibi grauem iniuriam fuiſſe irrogatam credidit, propter quam immane odium contra fratrem ſuum concepit, quod nunquam deponere voluit, cuius illa vox erat: *Ve-*

Gen. 27. Gen 27 41 nient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum, vt verè de eo dici poſſit, quod fuit *inimicus ſempiternus:* quia toto vitæ tempore, iniuriam, quã ſuſpicabatur, memoria retinuit, & vindictæ appetitum conſeruauit. Vnde Deus iubet, ad filios eius ipſi ſimiles, dici, quod nec Deus obliuiſcetur iniquitates eorum, quas graui vltione eſſet proſequuturus. *Propterea viuo ego, dicit Dominus, quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur, & cùm ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* Propterea quia inimicus es ſempiternus, quia perpetuum odium retines, quia nunquam appetitum vindictæ deponis, *extendam manum ſuper te, & ſanguis*, id eſt, peccatum tuum, memoria mea conſeruatum, *perſequetur te*, & graue tibi ingeret

¶ 137. bellum. Hoc ergo dicere vult Deus. Inuenies hominem, cui hoc Epitheton minè quadrat: *Inimicus ſempiternus*, qui nunquam parcit, perpetnò iniuriam mente ſeruat, & offenſam iugi memoriam retinet recentem. Hic intelligat, quod Deus ſimiliter eius peccatum perpetua memoria conſeruabit, nullatenus excidet, *peccatum eius* *Eccl. 28. 2.* *ſeruans ſeruabit.* Quid igitur agẽdum? ſubdit: *Relinque proximo tuo, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Expende vim illius verbi; *Relinque*, eſt enim in Græco idem verbum quod in Oratione Dominica, quando dicimus, *Dimitte nobis*, vt intelligas, Deum *Matth. 6.* idem verbum dicere ad te, quod tu dicis ad Deum. Tu Deum alloquens, dicis: Dimitte mihi: Deus dicit ad te: Dimitte proximo tuo: Quaſi dicere volens, id quod ad hoc inſtitutum egregiè Auguſtinus expendit: Aliquid, & contra te teneo, aliquid, & tu contra alterum tenes. Dimitte, & dimit- *In Pſ. 143.* to: Aliquid petis à me, aliquid peto à *non longè* te; da, & do: relinque, aut dimitte *à princ.* proximo tuo, & tunc deprecanti *peccata ſoluentur.* Verbo vtitur, quo vſus eſt Chriſtus ad deſignandam omnimodam peccatorum remiſſionem, primò ad Petrum: *Quacumque ſolueris ſuper terram*, &c. & iterum ad Apoſtolos: *Quacumque ſolueritis ſuper terram.* Neque id ſimplici aſſeueratione Spiritus ſanctus dixit: ſed, & validas euidenteſque rationes ſubdidit. *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam?* Æqualis ad æqualem, vermis ad vermem ſeruat offenſam; quid Deus ad hominem? *In hominem ſibi ſimilem non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* ſimile ſibi, id eſt, eiuſdem naturæ, fragilis, & defectibilis, quæ circundata eſt infirmitate, quæque propterea eget miſericordia, quomodo dixit Sanctus Iacobus: *Elias homo erat* *Iacob 5. 17* *ſimilis nobis, paſſibilis*, id eſt, eiſdem paſſionibus obnoxius, qui deficere poterat, &c. Qui ergo multis miſerijs circundatus eſt, & eget miſericordia, non agit miſericordiam in eum, qui indiget, & à Deo, qui nullius egere poteſt, miſericordiam obtinebit? *Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro peccatis illius?* expende vim illius vocis: *Ipſe cum caro ſit.* Solent communiter

muniter homines vindictam expetere, dicentes se esse viros honoratos, & magnæ æstimationis, quorum honor res est maximi ponderis, signanter cum is qui offendit, est vilior. Quid tu nisi caro? & ex consequenti fœnum, & vermis? tu qui talis es, erga alterum seruas offensam, & eius quam in Deum commisisti, quæris veniam? *Quis exorabit pro peccatis tuis?* Quod tu profers, vt contendas, te non debere parcere offendenti, multò verius potest Deus proferre, vt tibi offendenti ipsum, parcere ille non debeat. Si tu cum sis caro, vilisque vermiculus, credis reseruandam iram, & impendendam vindictam in eum, qui ausus fuit te offendere: quomodo credes, non seruandam contra te iram Dei, & ab eo tibi inferendam vindictam? Harum omnium rationum vim, & efficaciam visus est Christus Dominus expendendam assumpsisse, in illa insigni parabola de Domino, qui seruo debitori decem millium talentorum, omne debitum liberalissimè ad vnam simplicem illius petitionem dimisit: qui tamen seruus in conseruum, qui sibi debebat centum denarios, noluit vllam seruare patientiam, *sed tenens suffocabat eum, dicens. Redde quod debes.* Circa quam parabolam expendenda sunt multa: primum est, distantia inter personam, & personam: ex vna enim erant Dominus, & seruus, ex altera seruus, & conseruus. Secundum, distantia inter debitum, & debitum: nam seruus debebat Domino decem millia talenta, quæ ingentem, & immensam summam efficiunt (quamuis enim talentorum varia essent genera, tamen apud Iudæos cõmuniter talentum sexcentos nummos aureos valebat; vnde decem millia talenta, efficiebant numerum sexaginta sex millionum aureorum: & verè Christus Dominus, sub numero tam ingenti, quamuis finito, immensum, & infinitum debitum voluit exprimere, quod seruus nullatenus potuisset persoluere quantumcumque venundarentur eius filij, vxor, & omnia bona) at conseruus tantum debebat seruo centum denarios, qui valorem habebant centum argenteorum. Tertium est, diuersus modus agendi domini cum seruo, ab eo quem tenuit seruus cum suo conseruo. Dominus enim etsi iusserit eum venundari, & vxorem eius, & filios; id egit ad offendendum: quidnam secundum iustitiæ rigorem agere poterat? nullatenus tamen manus in illum misit, nec verberibus affecit: seruus tamen agens cum conseruo, tenens eum, suffocabat eum dicens: Redde quod debes, vt cæteri conserui ob tantam crudelitatem fuerint admirati, & maxima miseratione in conseruum commoti. Deinde Dominus ad vnam simplicem vocem serui, dicentis: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, non solum id ei concessit quod petebat, sed omne debitum dimisit: at seruus ad humilem supplicationem conserui, petentis, vt patientiam haberet, non solum non dimisit debitum, sed nec vllam patientiam in eum voluit tenere: vnde tantam crudelitatem cæteri conserui non sufferre valentes, rem totam ad Dominum detulerunt. Qui tandem breuissimis verbis, quidnam mereretur talis seruus, expressit, dicens: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo, & te misereri oportuit conserui tui, sicut, & ego tui misertus sum?* Tantæ efficaciæ fuit ratio ista, vt nullus pro eo intercederet, sed iussus est mitti in carcerem, quousque omne debitum solueret. Quod cum ei esset impossibile, verè ad carcerem perpetuum fuit damnatus. Iustè sanè ita cũ eo actum est, & iustum erat, vt qui noluit dimittere, non dimitteretur: & qui noluit patientiam erga cõseruum tenere, non inueniret patientiam erga se in Domino suo. Infert ex his Christus: *Sic faciet Pater meus Cœlestis si nõ dimiseritis vnusquisque fratri sui de cordibus vestris.* Rectè quidem: eadem enim, immo, & potior ratio militat. Considera siquidem in primis, Deum esse omnium Dominum, omnes autem homines esse huius Domini seruos. *ipse*, inquit Dauid. *est Dominus Deus noster, nos aũt populus eius &c.* Vnde inter

Matth. 18.

¶ 138.

Psal. 94.

te, & Deum est distantia infinita; inter te autem, & proximum ea est, quæ inter seruum, & conseruum. Consi-
¶ 139. dera deinde, inquit Hieronymus, quan-
In cap 18. Matth. tum sit debitum, quod tu huic domino debes. Tot enim debita contraxisti, quot peccata commisisti, & quidem vnius peccati mortiferi tantum est debitum, vt iure infinitum à Theologis censeatur: quod propterea nequaquã ad æqualitatem posses soluere, etiam si tuus esset orbis terrarum, & omnia creata, & pro eo offerres omne aurũ, & argentum, omnia quæ sunt in mundo, imo, & cœlos, & ipsosmet angelos. Si autem expendas, quidnam tibi conseruus, aut proximus debeat, inuenies debitum esse leuissimum. Si verbum protulit contra te, quidnam illud, nisi verberatus aer? & verè quidquid contra te sit, aut contra tuum honorem, & vitam, non maiorem habet æstimationem, quam tu ipse, qui quantumcumq; Rex fis dicere poteris cum
Psal 38.6. Dauid: *Substantia mea tanquam nihilum ante te*, & cum Iob, *Contra folium,*
Iob 13.25. *quod vento rapitur*, &c. Parum est, quod ventus agit, etiam si folium rapiat: folij enim valor paruus est. Considera insuper diuersum modũ, quem Deus tenet erga te, ab eo quem tenes cum proximo, & conseruo. Quantumcumque enim sis tam immenſi debiti erga Deum reus, non asperè contra te agit, quin potius te sustentat, & alit, *& solem suum super te oriri facit*, & pluuiam suam super agros tuos mittit, & ad vnam vocem ex vero corde proueniuntem, qua misericordiam petis, omne debitũ dimittit. Eo enim ipso, quod dixit Dauid: *Peccaui Domino*, au-
2 Reg 12. 13. diuit; *Dominus transtulit peccatum*
Psal. 31.5. *tuum*: & ipse dixit; *Delictum meum cognitum tibi feci, &c. & tu remisisti impietatem peccati mei*. Tu verò asperrimè, & implacabiliter in conseruum ex candescis verbis, & factis, & nullatenus vis patientiam habere. Tu homo ad hominem, seruus ad conseruum, caro ad carnem. Quid igitur acturus est Deus? *peccata tua seruans seruabit*, id est, nullum peccatum dimittet, sed omne debitum à te exiget. Si enim tu tanti æstimas tuum honorem, & te ipsum vt censeas nequaquam iustum esse dimittere, quod contra te actum est: quomodo iustum erit, vt Deus, quod contra, illum eiusque honorem egesti, dimittat? Tu homo offensam ab altero homine in te admissam, tanto pondere æstimas; tu caro, fœnum, & vermis, quæ contra te alius egit, ita ponderas, vt nequaquam iudices, hæc esse dimittenda; quomodo vis, & oras, vt Deus tam graue debitum contra ipsummet commissum, dimittat, & tam graues offensas, quas contra illum commisisti, indulgeat? Hoc ergo est, quod dixit Spiritus sanctus; *Homo homini reseruat iram*, (non solum seruat vno die, aut altero, sed reseruat per longissima tempora) & caro in carnem, durissimam crudelitatẽ tenet, *& pro peccatis suis deprecatur? Quis exorabit pro peccatis illius?* Nullus conseruus orauit pro seruo, qui tam crudelem se erga conseruum exhibuit: si enim in tua duritia permanere contendis; non est cur cæteri tui conserui orent, vt Deus tibi nolenti dimittere debita, remittat. *Sic*, inquit Christus, *faciet pater vester cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestri*. Formidolosa sententia, inquit Hieronymus, ex
Iac. 2. 13. qua illam visus est, Beatus Iacobus protulisse formidandam, quam ad hoc institutum annotat Sanctus Augustinus,

Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.

in Ps. 143. & 21. ad ciu. c. vlt.

Sine misericordia namque iudicabitur (inquit Augustinus, eam expendens) qui misericordiam non fecit, antequam iudicaretur.

(*)

§. 17. *Qui*

§. 17. *Qui non dimittit, non dimittetur, etiamsi cum lacrymis oret, vt Saul, Esau, & Antiochus ostendunt, explicatque mors Ioab, & sententiæ Ionæ, excellenterque factum Dauidis.*

¶ 140. DVo ad hoc institutum annota stupenda. Primum est, tres homines in Scriptura sacra describi, qui circa mortis tempus remissionem petierunt cum lacrymis, & eam apud Deum non inuenerunt. Vnus fuit Esau, de quo Apostolus: *Non inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lacrymis inquisisset illam*. Secundus Saul, qui Philisthæorum exercitu pressus, ad orandum Deum se conuertit, qui non respondit ei, *neque per sacerdotem, neque per sacrificium*, nec vlla alia ratione, nisi tandem per Samuelem excitatum, prænuntiantem illi suam damnationem, & perditionem. Tertius fuit Antiochus, de quo dicitur, quod magna oppressus infirmitate, *Orabat ille sceleſtus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Miranda res, quod hi cum lacrymis petentes veniam, non eam fuerint consecuti, & pulsantes misericordiæ Dei fores, misericordiam nequaquam inuenerint. Ne mireris: fuerunt hi ex illis, qui misericordiam non fecerunt, nec inimicis parcere voluerunt. Esau perpetuis inimicitijs persecutus est Iacob fratrem suum, qui propterea vocatur, *Inimicus sempiternus*. Saul odio immani excitatus contra Dauid, nequaquā illi placari aliquando voluit. Antiochus durus fuit erga offendentes se, qui propterea multorum viscera torserat: his iudicium sine misericordia meritò factum est. Secundum, quod in magnam rapit admirationem, est sententia, quā Dauid protulit contra Ioab, quādo morti proximus, quæ iustissima erant, decernere volens, sicut hora illa exigebat, vocans filium suum Salomonem, quem regni sui relinquebat hæredem, ei imposuit, vt Ioab ducem illum fa nigeratissimum, morte puniret irremissib li. Iuxta huius mandati executionem, mortuo Dauide, statim iussit Salomon vt Ioab quæreretur, & interficeretur. *Ioab tunc ad tabernaculum Domini confugit, & apprehendit cornu altaris*, credens quod ibi saluus posset seruari *Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare*: misitque Banaiam, vt illum interficeret. Qui videns eum iuxta altare, requisiuit abeo, vt egrederetur inde: noluit Ioab altare dimittere. Vnde Sanctum reuersus Banaias, ad Salomonem regressus, rē totā nuntiauit. Salomon nihilominus eum remisit, iubens, vt Ioab in tabernaculo existentem, & altare tenentem, occideret. Quod, & factum est. Mirandū sanè factum. Quæ etenim potuit esse culpa Ioab, cui nec profuit tabernaculi refugium, nec extendere manus ad altare Domini? Disputat multis rationibus contra gentiles Sanctus Augustinus, quoniam tales habebant deos, ad quorum templa, & aras, qui confugerent, nullam sospitatem, aut securitatem inde traherent; ideoque malefactores etiam ad deorum templa se recipientes, & eorum aras tenētes, puniebant, quo iudicabant, tales illos deos extitisse, qui nulli poterant esse auxilio, aut adiutorium alicui præstare. Hoc, inquit Augustinus, reseruabatur templis, & aris veri Dei, quæ eos, qui ad illa confugiūt protegunt, & defendunt, & securos conseruant. Expendendaque sunt illorum duorum prissimorum Imperatorum Theodosij, & Valentiniani verba, in illo celebri edicto de Ecclesiarum immunitate, quo iubent securos dimitti eos, qui ad sacra templa confugiunt: Sufficiat, inquiunt, profugis istis Dei auxilium, cui, & arma, & leges, & ipsa etiam regia maiestas subiecta est, &c. Miraremur sine dubio, si aliquis iudex ita reum persequeretur, vt confugientem ad aulam regiam, & regis pedes tenentem, pugione confoderet, quem nec regiæ maiestatis autoritas contineret. Quomodo ergo hoc fecit Salomon, Rex sapientissimus, eo præsertim tempore,

ad Heb. 12. 12.
1 Reg. 28. 25.
2. Mach. 9. 13.
Exec. 35. 5.
3 Reg. 2. 5.
3 Reg. 2. 21.
1. de ciuit. c. 4. vsque ad 7.
Habetur 10. concil. in act. 10. Eph. par. 3. ad fin. vlt. edit. vlt Romanæ p. 717.

quo ingenti ſapientia, & maxima in Deum pietate, religione, ac reuerentia pollebat? Quodnam tam immane potuit Ioab facinus commiſiſſe, quod efficeret, vt nec tabernaculum Domini, nec illius ſacrum altare, vel ad breue tempus vindictã retardaret?

3 Reg c.2. 9.7. & 9. & 36. & 37. Abulenſis ex profeſſo rem pertractat, & contra Lyranum contendit, & probat culpam præcipuam, propter quam tam acri ſententia Ioab fuit mulctatus, fuiſſe occiſionem Abſalom filij Dauid, fratris Salomonis. Etſi enim Dauid mentionem fecerit iniquæ proditionis, quia Ioab interfecit Abner, & Amaſa, & primo tamen loco, dum rem agendam commiſit Salomoni, homicidium ipſius Abſalõ exprimere voluit, in eo quod dixit: *Tu noſti quæ feciſti mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner, & Amaſæ.* In eo quod primò dicit: *Quæ fecit mihi Ioab*; illud Abſalonis homicidium intelligit, quod contra ſe factum fuiſſe vehementer doluit. Iuſſerat Dauid ipſimet Ioab in particulari, cæteriſque ducibus, & militibus, vt patienter agerent cum Abſa-

3 Reg. 18. 5. lom, & eum ſeruarent: *Præcepit enim rex Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens: Seruate mihi puerum Abſalom, & omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom.* Expende vim illius vocis: *Præcepit Rex*: non ait præcepit Dauid: ſed *Rex*, is qui ius habebat præcipiendi, contra quem præcipuè Abſalom deliquit, qui iuſtitiæ tenebat gubernacula. Nihilominus Ioab tanto odio, tamque crudeli contra illum fuit excitatus, quod videns illum in quercu pendentem, tulit tres lanceas, quas infixit in cor-

3. Reg. 18. 14. de Abſalom; nullam erga illum habuit miſericordiam, nullam patientiam: quem enim tunc, ſi patienter ageret, poſſet comprehendere, & ad Dauidem patrem ſuum ducere, & ita eius vitam ſeruare noluit; ſed tribus lanceis eum confodit: nullam propterea ille inueniat miſericordiam, nullam patientiam experiatur, ſed ſubitò, etiam altare tenens, mulctam recipiat, abſque eo quod tabernaculum vel altare, quæ loca erant miſericordiæ, ei vel minimum proſint. Hæc quiuis homo vindictam inſequens attendat. Inimicus, qui contra te agit, filius Dei dici poteſt, ſaltem ratione naturæ, licet rebellis, ſicut Abſalom filius Dauidis. Et quidem Abſalom contra Ioab videbatur pugnare, cuius exercitus contra exercitum Ioab agebat, præcipue tamen, & verius tale bellum erat contra Dauid patrem ſuum. Ita qui te offendit, inquit Diuus Thomas, contra te quidem agere videtur, & mouere manum, ſed verius, & principalius contra Deum, quam contra hominem. Vnde, & Dauid ipſe, etſi grauem iniuriam intuliſſet fideliſſimo Vriæ, tamen grauiorem in infinitum fuiſſe offenſam, quam contra Deum in illomet opere commiſit, confeſſus eſt, dicens: *Tibi ſoli peccaui*. Quid dicis Dauid? nonne peccaſti in Vriam, cuius vxorem tuliſti, & vitam, & Bethſabee, quam prouocaſti, & polluiſti, & in populum, quem ſcandaliſaſti? Ita quidem, ſed tantò maior fuit offenſa in eo opere contra Deum commiſſa, vt illa ſit, quæ abſolutè nomen peccati meretur, propter quam dico: Tibi ſoli peccaui, Grauius ergo inimicus tuus, etiam in eo quod contra te agit, Deum offendit, quàm te. Et nihilominus cœleſtis iſte pater clara voce clamat, præcipiens, vt eum ſerues, illum diligas, illi parcas: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & benefacite, &c.* Tu nihil eius præceptum tacis, ſed crudelis in inimicum exiſtis, tribus illum lanceis confodere procuras, bona enim illius perdere, & honorem eius deſtruere, & vitam auferre conaris, & deſideras. Vide quid agas: etſi enim Deus diſſimulat nunc ad tempus, ſicut tunc diſſimulauit Dauid, tamen veniet dies, qua Deus vindictam ſumet, fietque, vt nec tabernaculum Domini, nec eius altare tibi proſit. Tabernaculum Domini, eiuſque altare, ſunt loca orationis, & miſericordiæ: *domus enim mea, domus orationis eſt, dicit Dominus*. Fiet vt tu, qui inimico nõ parcis, confugiẽs ad deprecandum, & orandum, & vt miſericordiam obtineas, quod nihil tibi proſit oratio: fiet, vt te recipiens ad

2 Sec. d.23 q.2. art.2.

Pſal. 50.6.

¶ 14.

Deut 14.25. & Iſai. 56. 7. & Ier. 7. 11. et Matt. 21.13.

altare

altare diuinæ misericordiæ, nihil tibi
Iac. 2. 13. profit: *Iudicium enim sine misericordia*
Eccl. 28. 1. *fiet ei, qui non fecerit misericordiam: & qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.* Ex his illam possimus explicare sententiam, quam Ionas in ventre
Ion. 2. 9. ceti positus orans protulit: *Qui custodiunt vanitates, fruſtra misericordiam*
Libro 2. in Ion. 10. 5. *suam derelinquent.* Deus (inquit Beatus Hieronymus hæc verba explicans) natura sua misericors est, nos autem vitio nostro paratam misericordiam, & vltrò se offerentem perdimus. Quinam eam perdunt? Qui custodiunt vanitates fruſtra. Non dixit (ait Diuus Hieronymus) qui faciunt vanitates, ne damnare videretur vniuersos, & cuncto generi humano misericordiam
Eccl. 1. 1. denegare: *Vanitas quippe vanitatum, & omnia vanitas*: sed *qui custodiunt*, id est, qui toto corde attendunt, & quærunt, & conseruant *vanitates fruſtra*. In Hebræo: *Qui custodiunt vanitates nihili*, id est, vanitates sine profectu, aut fine vtilitate, & quæ nullius sunt subsistentiæ, aut existentiæ, qui has custodiunt, tanquam ditissimum thesaurum. Hoc illis verè conuenire videtur, qui in hoc toti positi sunt, vt obseruêt dicta ac iudicia mundi: hæc enim verè sunt vanitates fruſtra, id est, fine profectu, aut vtilitate, aut vanitates nihili, minorem enim habent subsistentiam, quam fumus, qui à minimo vento dissoluitur. Vanitates, aut vana vocantur, quę aliqualem exterius apparentiam præ se ferunt: sed introrsus si ea consideres, nihil continent vtilitatis, quod tibi prodesse possit. Verè talia sunt mundi iudicia, & dicta. Hæc aliquando Ionas ipse custodisse visus est, dum ad illa attendens, noluit facere, quod Deus sibi præcepit, vt scilicet iret, & prædicaret in Niniue, vt supra
¶ 143. dicebamus. Nullus tamen verius, huiusmodi vanitates fruſtra, aut nihili, custodit, quam qui vindicandis iniurijs vacat, obseruans, & custodiens duelli, & mundi leges. Hæ exterius honoris, & gloriæ apparentiam habent, sed verè si introrsus examines, vaniores ipso fumo immo, & ipsa vanitate comprobabis. Multi sunt, qui has vanitates custodiunt, quas Esaias deplorare visus est dicens: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*. Videbis hominem odio prosequentem inimicum, & vindictam de illo quærentem, & optantem. Hoc quidem iniquum est, quippe cum sit contra Dei præceptum. Si tamen ab illo quæras, cur id faciat; quod iniquum est, dicet, se aliter facere non posse, qui in mundo viuens, mundi legibus constringitur: trahit ille iniquitatem in funiculis vanitatis. Et benè funiculos vocat, huiusmodi mundi dicta, & leges, quia non sunt funes, quæ veram virtutem habeant ligandi, sed funiculi, qui parum in se habent fortitudinis, & eos tantum capiunt, qui obseruant vanitates nihili. Qui tales sunt, *misericordiam suam* (in Hebræo misericordiam eius, id est Dei) *derelinquent*. In Hebræo, verbum *Ghazab*, quod vt annotat Brixianus, aliquando de eo dicitur, qui simul duas res retinere non potest, tenens vnam, necessarium est, vt alteram relinquat. Ita in Genesi: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrē, & adhærebit vxori suæ*. Quando hoc eueniet, quod homo simul non possit retinere societatem cū parentibus, & vxore, adhærebit vxori, & necessarium erit ei propterea parētes relinquere. Considerat Propheta Ionas, hominem non posse simul hæc duo retinere, custodire scilicet vana mundi iudicia, per quæ inducitur ad odium, & vindictam erga inimicum, & Dei misericordiam: hæc enim duo, simul coincidere non possunt; & *qui inimicus est Dei, inimicus huius mundi cōstituitur*. Qui ergo vnū tenet, hoc ipso necessum est, vt alterum relinquat. Tu itaque qui vanitates has obseruas, quæ verè sunt sine fructu, iam misericordiæ Dei vale dixisti, & eum reliquisti, & deseruisti, ideoque non prætendas misericordiam Dei, qui in proximum odium tenes, & vindictam cogitas: *Iudicium enim sine misericordia fit ei qui non fecerit misericordiam: & qui vindicari vult*, non expectet à Deo misericordiam: *sed à Domino inueniet vindictam*. Nec putet aliquis, inquit Augustinus, ad hoc institutum, futuram in se misericordiā Dei, si ipse est immisericors. Audi quæ sit mensura misericordiæ: *Diligite inimicos vestros*.

Esa. 5. 18.

Tom. 2. Epist. fol. 30. p. 2.

Gen. 2. 24.

Iac. 2. cit. Eccles. 28. cit. Psal. 102. in illud Faciens misericordias Dominus.

Quid igitur primò agendum ei, qui vult orare dominum pro peccatorum ſuorum remiſſione? Remittere offenſas, quas proximus illius contra eum
Eccl 28 2. commiſit. Vnde ſubdit Sapiens: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata.* Dicturus, *dimitte nobis debita noſtra*, prius oportet te id egiſſe, quod ſubinferre poſſis, *ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Edidit Sanctus Gregorius Nyſſenus duos tractatus in Pſalmos, in quibus id præcipuè expendere
¶ 144. 1 & 2 trac. 2 circa fi. nititur, quo tempore vnumquemque pſalmum Dauid compoſuerit, conſiderans cuiuſque pſalmi inſcriptionem: idque ſignanter, & ex profeſſo præſtat erga pſalmum quinquageſimum ſextum, annotans illius titulum hunc eſſe:
1 Reg 24. *In finem, ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptionem, cum fugeret à facie Saul in ſpeluncam.* Nota eſt hiſtoria, quam ſcriptura ſacra refert, quando exiſtente Dauid in ſpelũca, ad quam cum ſuis militibus fugiens Saulem ſe perſequẽtem, ſe receperat, ingreſſus fuit eandem Saul, vt quid rerum neceſſariarum ageret, nullatenus ſuſpicans, ibi periculum aliquod ſibi imminere poſſe: Dauid autem tam egregiam nactus occaſionem, vt de illo, qui tantas tamque graues iniurias intulerat, actuque inferebat, vindictam ſumeret (ad quod magnis etiam ſuorum ſuaſionibus inducebatur) nullatenus voluit manum in eum extendere; ſed ſtricto gladio clanculum à tergo Saulis ſe conſtituẽs oram chlamydis ſecurè, nulloque impediente abſcidit. Egreſſo autem inde Saule, Dauid eundem inſequens, & ei ex aduerſo ſe conſtituens, cœpit clamare, & oſtendere oram chlamydis, hoc ipſo demonſtrans, quod eodem gladio, quo illam abſciderat, potuiſſet vitam abſcidiſſe. In hac occaſione, inquit Sanctus Gregorius Nyſſenus, Dauid illum pſalmum quinquageſimum ſextum compoſuit, & ſe totum ad orandum conuertens, cœpit clamare:
Pſal 56. *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Iterum, atque iterum miſericordiam Dei poſtulat, & magna confidentia ſe præcium, ad eius conſecutionem profitetur. Opportuno ſanè tempore, & congruo ordine miſericordiam petit à Deo, eo videlicet tempore, quo ipſe in inimicum miſericors extiterat, & hoc ipſo quod ille eam exhibet hoſti, confidentiam magnam concipit, quod Deus ſeipſum miſericordem erga illum ſit exhibendus. Nunc, inquit, in te confidit anima, nunc magna ſum confidentia præditus: de miſericordia tua obtinenda. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna* (dicebat S. Tobias) *omnibus facientibus eam.* Tob. 4. 12. Eſt eleemoſyna opus miſericordiæ, & qui eam præſtat, ſeipſum diſponit ad miſericordiam conſequendam; at excellentius opus eſt, miſericordia erga inimicos, cum eis compateris, eis propter Deum parcis, quos poſſes perdere. Idcirco tale opus inſignem confidentiam præſtat, meritoque qui inimico remittit offenſam, clamare poteſt ad Deum: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Tu dixiſti; *Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis, in* Matth. 7. Luc. 6. *qua menſura menſi fueritis, remetietur, & vobis.* Fecimus quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti.

§. 18. *Quintò, hoc præceptum ab honorem conducit, quamuis poſſet Chriſtus iuſtè iubere illum contemnere, quem Dauid vanitatem iudicauit.*

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Ex his eiſdem verbis, quibus Chriſtus hoc mandatum proponit, manifeſtè explicari poteſt, & demonſtrari, præceptum iſtud etiam eſſe honorificum. Hocque eſt maximè expendẽdum: nam maior difficultas, quæ homines ab eius obſeruatione diuertit, eſt credere ei, qui hoc præceptum ſeruaturus eſt, oportet deponere, & exuere honorem: quia eum, qui non viadicat iniuriam; omnes reputant ſine honore, qui nec hominis nomen, ſed potius gallinæ, aut leporis mereatur. Antequam tamẽ hoc, quod propoſui, demonſtrem, dico primòs honorẽ non tãti eſſe ponderis, ¶ 145.

vt propter illum debeat homo vel minimum Dei præceptum tranſgredi: quanto magis præceptum dilectionis, quod eſt ſupremum, & fundamentale. Quod enim honorem mundus reputat, nihil eſt aliud, quam leuiſſima quædam vanitas. Hucuſque rei conſideratio, vt S. Baſilius expendit, magnum ſolatium attulit Dauidi, in illa famigeratiſſima occaſione, qua Semei contra illum ſterit. Quænam enim tunc mente verſarit, & intra ſe paſſus fuerit, & quomodo patienter tam graues pertulerit contumelias; expreſſit ipſe pſalmo trigeſimo octauo, quem propter hoc inſtitutum edidiſſe docet Baſilius, eius argumentum exponens, cui titulum præfixit Dauid: *Pro Idithun*, nec immeritò, quamuis enim Idithun fuerit homo quidam (inquit Auguſtinus) ſed hoc nomen ſignificat idem, ac tranſiēs eos, vt hic pſalmus editus intelligatur, pro ijs, qui terrena, & caduca huius vitæ, mente tranſiliunt, & tranſcendunt, & ad cœleſtia rapiuntur. Inſurrexit ergo contra Dauid Abſalon filius eius, & in tantum diſcrimen illum adduxit, vt coactus fuerit à facie eius fugiens egredi Ieruſalem. Arripiens autem iter, intelligens ſe meritò hæc pati pro peccatis ſuis, ſtatuit in corde ſuo patienter omnia ſufferre, cuſtodiens ſe ipſum, ne per impatientiam opere, vel verbo delinqueret. *Dixi*, inquit, *cuſtodiam vias meas*, adeò, vt non ſolum opere, ſed nec *delinquam in lingua mea*. Et verè neceſſarium fuit renouare hoc propoſitum in itinere, nam dura ſe obtulit occaſio, quod peccator contra me conſtitit: *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me*. De Semei loquitur: nec dicit, inquit Auguſtinus, ſiſtit ad me, ſed conſiſtit aduerſum me: nec enim leuiter, aut tranſcurſim egit contra Dauid, ſed firmum ſe conſtituit, horrendis conuitijs, & contumelijs, imò, & lapidibus impetens, quem egregiè deſcripſit Spiritus S. nos inducens, vt oculos ad eum contemplandū conuertamus. Venit, inquit, Rex Dauid vſque Bahurim, & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis, & ita loquebatur: *Egredere, egredere, vir ſanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem Domus Saul, quoniam inuaſiſti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Abſalon filij tui, & ecce premunt te mala tua quoniam vir ſanguinum es.* Omnia verba ſingularem continent malitiam, & eorum pondus expendens Dauid, in graui ſe vidit occaſione poſitum, & ne à propoſito deficeret, non ignorans faciles linguæ lapſus, tunc *poſui*, inquit, *ori meo cuſtodiam*, metaphora ſumpta ab eo, qui timet ne aliquis, qui clauſus tenetur, egrediatur: nouit enim oſtium firmat, nouit vectibus roborat, ne qui intus vim agit, præualeat, & impetu egrediatur. *Obmutui*, ergo, *& ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis*, aut exarſit ignis. Quid agebat Dauid, conſiſtente peccatore illo contra eum? Obmutui, inquit, & humiliatus ſum coram Deo, intelligens iuſtè me pro peccatis affligi; & ita continui me ipſum, vt non ſolum non proferrem contra eum verba mala, ſimilia ijs, quæ dicebat ille: ſed, & ſilui à bonis, quibus iuſtè poteram eum reprehendere, & increpare (eram enim rex, qui iure contra eum me poteram conuertere) ne ab his incipiens, ad illa venirem. Duo tamen intra me ſenſi: Primò namque dolor meus, quem contra me inſurgens intulit, renouatus eſt, videns etiam à vili mancipio me eſſe deſpectum. Secundò, multa intra me ipſum, magnaque ſurrexit conturbatio. Cœpit enim cor incaleſcere, & accendi; ab innata humanæ carni impatientia, & ſenſu, & in anxia, ſolicitaq; meditatione poſitus ſpiritus meus, quaſi ardenti igne æſtuabat; & tanto magis accēdebatur, quāto magis ora occludebam, per quæ ille poſſet ſpirare. In magna propterea conflictatione, & conturbatione poſitus eram: ignis enim clauſus egredi nitebatur, ego illum comprimere procurabam. Quid agerem, quo me verterem, ignorans? tandem ad commune tribulationum refugium Deum ip-

Hom. 10. de ira.

2. *Reg* 16.

Schol. in Pſal. 38.

in Pſal. 38.

¶ 146.

ſum me conuerti, linguam quæ meam ſolu, non vt contra Semei aliquid proferrem, ſed vt à Deo peterem, vt finem diebus meis imponeret, dicens ad eum: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi: ecce menſurabiles poſuiſti dies meos.* Loquitur, metaphora ſumpta ab eo, qui dura ſeruitute preſſus affligitur, & magno dolore ¶ 147. commotus incipit inquirere: Quanto tempore hoc perdurare debet? ſi enim citò finis non imponitur, non ſubſunt vires, ad tantum onus portandum: nec enim mihi ferreæ ſunt, aut æreæ vires, nam *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te*: id eſt, tu qui me noſti, ſcis, totum meum robur, & firmitatem eſſe tanquam nihilum. Hæc quidem dum pateretur Dauid, factus eſt Idithun, nam moralia tranſilit, inquit Auguſtinus, dicens: *Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens: Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed, & fruſtra conturbatur.* Non ineptè quidam hæc Dauidis verba accipiunt, quaſi velit probare omnia, quæ ſunt in mundo eſſe vana, ex vanitate hominis. Homo enim quicunque ſit, vanitas eſt, & vmbra quædam, nullam tenens firmitatem, ſimilis nuci vanæ, quæ exterius viſa, videtur dulcem nucleum cõtinere, cum tamen ad eius interiora peruenitur, inuenitur reuera nihil includere, & ideò dicitur vana: ſic eſt omnis homo viuens, cuius vita potius eſt picta, quam vera, cuius diuitiæ potius ſunt ſecundum tem. Si autem homo ipſe vanitas eſt, neceſſariò dicendum eſt, vanitatem eſſe omnia alia, quę ei accidunt, & circa illum eueniunt, nec enim maiorem firmitatem habent accidentia, quam ſubſtantia, qua ſuſtentantur: ſicut nec paries firmior eſſe poteſt fundamento, cui innixus ſubſiſtit: ſi homo ipſe vanitas eſt, quid erunt diuitiæ? quid delitiæ? quid honores? quæ omnia multo ſunt ipſo homine inferiora: & ſi vana ſunt omnia, fruſtra igitur homo propter illa conturbatur; quæ potius tanquam vana contemnere debet. Hæc communis explicatio; ſed aliquid altius, quantum exiſtimo volnit Dauid indicare. In Hebræo in medio verſus habetur dictio illa *Selah*, quam alibi diximus, ſecundum literam indicare eleuandam vocem à cantoribus, quãdo ad illud punctum perueniebant: ſecundum autem ſpiritum ſignificare eleuationem animæ, & mentis. *Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens, Selah. Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed, & fruſtra conturbatur.* Expende illud: *Omnis homo viuens*, nec enim abſolutè omnis homo dixit; quia oculos conuertit ad hominem non quomodocumque, ſed bonis omnibus huius vitæ cumulatum, ſalute, diuitijs, honore, &c. & ideò Pagninus vertit, *Omnis homo ſtans*: ſtare enim dicitur homo, qui ijs omnibus bonis fruitur. Hic talis homo, & omnia talia bona, ſunt vana; propterea quod homo illis repletus, pertranſit in imagine. Imago fit, & depingitur ad aliquid repræſentandum, quod reuera illa in ſeipſa non habet: ideoque vana dici poteſt: ſicut nux vana dicitur, quæ exterius videtur continere nucleum, quem reuera non continet. Imagno canis verbi gratia, videtur continere canem currentem, & leporem fugientem, & hominem buccina ſonantem: & tamen reuera interius nihil horum continet, ſed in ſola apparentia. Deus dedit homini bona iſta, per quæ ille viuere, & ſtare dicitur: vt eſſent tanquam imagines futurorum bonorum, per quæ ille tanquam per quãdam imaginem futura bona contemplaretur. Ad hoc dedit vitam hanc mortalem, vt ad immortalem erigat animum: ad hoc dedit diuitias tranſitorias, vt cœleſtes diuitias nunquam tranſeuntes, cõtempletur: ad hoc honorem iſtum caducum, vt illum quo ſanctos in cœlo coronabit Deus, conſideret. Hæc itaque tantum ſunt quædam imagines vanę, nihil continentes niſi externam apparentiã, quę propterea citò corruẽt, tantùm ſunt quædam vmbræ, quæ ſubitò tranſibunt. Sicuti ergo dixit Paulus, quod omnia illa antiquitus à Deo in lege ordinata, tranſierunt, & *facta ſunt in figura*: quia in ſe nihil vere cõtinebãt gratiæ, aut boni, ſed ſolummodo diſpoſita erãt, vt verũ bonũ repræ- ¶ 148. 1. Cor. 10. 6.

ſenta-

ſentarent, ſimiliter etiam, quod antiqua lex, *vmbram habebat futurorum bonorum*, non ipſa bona, quia in ſe nihil erat, ſed totum ſuum eſſe in eo erat, quod futura bona Euangelicæ legis ſignificaret: ita bona iſta omnia terrena, quæ omnia ſub nomine, hominis ſtantis, Dauid voluit intelligere, facta ſunt in figuram, & imaginem illorum bonorum, quæ ſperamus. Egregiè ergo Dauid verum ſe exhibuit Idithun, id eſt, tranſilientem, & tranſcendentem, & bene poſuit *Selah*, ſignum eleuationis, eleuans mentem ex terrenis ad cœleſtia, ex vmbra ad corpus, ex figura, & imagine ad rem figuratam, & ſignificatam, ſicut antiqui Patres videntes quæ fiebant in antiqua lege, tranſiliebant, & tranſcendebant ad ea, quæ futura erant in noua, & illa parum æſtimabant, ad hæc autem toto ferebantur ſpiritu, & corde. Indeque tandem intulit: *Sed, & frustra conturbatur?* quaſi dicens, ſi diuitiæ, delitiæ honoreſque mundi, tantum ſunt imagines, & figuræ futurorum bonorum, non ipſa bona, vane ergo, & inſipienter homo propter hæc conturbatur, commouetur, inflammatur. Vane conturbarentur duces, ſi contenderent propter quandam figurã ciuitatis illius, ad quam comparandam toto agmine procedunt. Ridiculi eſſent accipitres, ſi contenderent inter ſe propter perdicem depictam, aut propter perdicis figuram. Irriſorie commouerentur canes, ſi ſe inuicem morderent: propter leporem depictum, aut propter figuram leporis. Vane pueri inter ſe corrixarentur, ſi propter vmbram pomi, aut pyri commouerentur. Quaſi ergo ſeipſum cõturbatum propter contumelias, & conuitia Semei corrigens Dauid, vanam ipſemet intelligit ſuam conturbationem, cõtemptoque, & ſpreto honore terreno, totum ſe contulit ad honorem firmum, verum, & ſtabilem, deſiderandum, & contemptis terrenis bonis tanquam vanis, & vmbraticis, ad cœleſtia bona animum eleuauit, dicens: *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus, & ſubſtantia mea apud te eſt?* Id eſt: Quid mea refert, quid Semei loquatur, & honorem meum deturpet, imò, & laceret? qui ſ intereſt, quod quis vmbram pomi diſcindat, & vmbram arboris hac illacque agens, dilacerare contendat? vmbram honoris tangit, nam honorem verum nullatenus poteſt contingere, quia hic apud Deum eſt *ſubſtantia mea*, id eſt, bonum omne meum, verus honor meus, *apud te eſt*. Egregiè Dauid diſcurrit, non mirum quia erat diuina luce illuſtratus. Refert Origenes, illos philoſophos Anaxarchum, & Epictetum, perpetuò in ore habuiſſe, nequaquam hominem conturbandum propter ea, quæ egit inimicus, qui tantum corporis bona lædere poterat, non animæ: & idem eſſe propter ea conturbari, ac ſi turbaretur aliquis in magno palatio exiſtens, quod quis parietes illius contingeret, qui nihil illorum, quæ intra continentur, vel leuiter attingere valeret. Quam rationem ſæpe expẽdunt Chryſoſtomus & Baſilius, & alij Sancti Patres, qua de cauſa dixit Deus ad Iob, quod diabolus contra illum agens, paleas tantũmodo abſumit, de quibus alibi. Obſeruat Diuus Thomas, rectè Paulum agentem de Alexandro illo æratio, de quo ſupra, quem non minus contra ſe agentem ſentiebat, quàm Dauid ipſũ Semei, dixiſſe: *Alexander aratius multa mala oſtendit mihi*; non dicit, fecit, ſed oſtendit, nam impij non poſſunt, ea quæ abſolutè mala ſunt, inferre iuſtis, nam malum eſt, quod priuat bono, impius non poteſt bona ſpiritualia auferre, quæ abſolutè bona ſunt. Oſtendit ergo mala, quia tota eius perſecutio ad hoc peruenit, quod oſtendit animũ ſuum, quo volebat multa mala mihi inferre, ſed non potuit, niſi vmbram malorum. Hæc Dauid altiori ſpiritu quam philoſophi, & eodem quo Paulus, tranſiliens terrena dicere potuit, qui beatum vocat alibi illum, qui ſeipſum ſimiliter exhibet Idithun, & tranſilientem, aut tranſcendentem terrena: *Beatus*, inquit, *cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, id eſt, qui ita reſpexit hæc bona, vt intelligeret illa non eſſe vera, ſed vmbratica, nõ plena, ſed inania, & vana, non rata, & firma, ſed tantum figurata. Vtinam tales eſſes,

Ad Hebr. 10. 1.

¶ 149. *Lib. 7. cont. Celſum.*

In cap. 4. 2. Epiſtol. ad Tim lect. 3.

esses, qui ita ad superna eleuatus, solum Deum, spem tuam reponeres, aut si nondum cum Dauide transcendere didicisti, saltem cum Poeta rebus seculi perpensis diceres: O curas hominum, quantum est in rebus inane: Attende, bona ista esse transitoria ad modũ vmbræ, quæ deficiente sole deficiunt, & euanescunt. Caue ne honorem terrenum diligens, finito die huius vitæ euanescentem, deplores sicuti illi, qui
Sap. 5. 8. in inferno positi plorantes dicunt: *Quid nobis profuit superbia?* In græco, periphania, id est, fastus, audacia, insolentia, ostentatio: *transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Ita accidit imperatoribus illis famigeratissimis, ita antiquis illis Monarchis, qui nihil magis,
Baruch. 3. 16 quam honorem curarunt. *Vbi sunt principes gentium, & qui cum auibus cœli ludunt, & exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Non igitur mirum esset, si Christus præciperet, vt honorem terrenum contemneres, qui paruæ, debilis, imò, & nullius est subsistentiæ, vt honorem æternum comparares: sicut præcipit vitam istam tot ærumnis plenam contemnere, vt cœlestem adipiscamur.

§. 21. *Causam honoris tantum profert, homo, ne Deo obsequatur, cum ad vocem dæmonis, mundi, & carnis illum profundat, vt dixit Ieremias.*

¶ 150. DIco secundò, mirum esse, quod tãtummodo cures honorem, quando se tibi offert aliquid in Dei obsequium agendum. Honorem tuum opponis, ne id facias, quod Deus præcepit? Vtinam illum opponeres, quando diabolus te ad aliquid agendum incitat, quod facere non potes, nisi totum tuum honorẽ pessundes. Tu, qui vt tuæ auaritiæ satisfacias, non soluis quod debes, qua de causa in ore omnium tanquam miser, & iniustus versaris: honoremne curas? tu, qui vt tuam expleas concupiscentiam mulierculæ vili te subijcis, quæ te tua quæ omnia perdit: honorem niteris cõseruare? Mirum est, quam vilia, & contra honorem tuum opera homines etiã in summo loco constituti faciãt, vt suis cupiditatibus obtemperent. *Magnus est* 3. Esd. 4. 28. *Rex in potestate sua,* inquit Esdras, quoniam omnes regiones verentur tangere eum: Videbam tamen Apemen filia Bezacis mirifici, concubinam regis, sedentem iuxta regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit ei ridet; nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam. Quotnam vt ipsemet Esdras dicit, propter mulieres amentes fiunt, & ferui facti sunt propter illas? Quotnã principes, suæ concupiscentiæ obtemperantes, deposito virili habitu, & armis, muliebri induti arrepto fuso, & colu, nentes inter mulieres sederunt? Facile ergo homo pro quacumque re, ad quã diabolus excitans appetitum, inducit, honorem totum profundit: & in multis id exequi videmus, quod dixit Propheta: *Oliuam vberem pulchram, fructi-* Ier. 11. 16 *feram, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt frutecta eius, & Dominus exercituum, qui plantauit, locutus est super te malum.* Id namque in primis in omnium communi parente videre licet, quem Deus in honore constituit, & plantauit tanquam oliuam pulchram, fructiferam, speciosam, ad vocem tamen simplicem diaboli excitantis eius concupiscentiam grandis ignis exarsit, ac succensus est. Grandem ignem vocat, peccatum contra Deum, per quod diabolo se subiecit. Tam grandis est iste ignis, vt totus ignis inferni non ei sit æqualis, quippe cum per illum solum, non ad plenam æqualitatem puniretur. Hic ignis ardens, consumpsit Ps. 48. 13. 21. fruteta eius, id est, honorem, & pulchritudinem: *cum enim homo esset in honore, non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis:* eo ipso quod loquelæ vocem audiuit, nec honorem opposuit, nec honoris seruandi cura illum continuit; sed totum profudit. Idipsum quotidie videre possumus: concupisces enim ho-

mi-

minem nobilem, diuitem, honore fulgentem, in quo ad vocem mulierculæ aut diaboli excitantis eius appetitum, accenditur ignis, quo ſuccenſus amittit diuitias, ſalutem, honorem, & venit in omnium contemptum. Hocque eſt, quod Dei iram contra nos irritat. *Et Dominus exercituum*, inquit, *qui plantauit te, locutus eſt ſuper te malum*: conqueri enim iuſtiſſimè poteſt, quod quę ille tibi conceſſit, profundas, & honoré, quem tibi dedit, peſſundes, ad vocem dæmonis tibi loquentis: & tamen ad illius præceptum, & clamorem, ſtatim te opponis, tuum honorem proferens, & cauſans. Loquitur Deus ad hoc inſtitutum clamans: *Ne des alienis honorem tuum*, id eſt, honorem tuum æſtima, & magni facito; ne illum expẽdas in obſequium alienorum, quẽ tibi Deus dedit, vt cum honore illi ſeruias; & tamen illum toto pectore profundis, cum aliquid præcipit *alienus*, id eſt, diabolus, aut carnalis appetitus, quem *peregrinum*, vocauit Nathan, & Deo ipſi totius honoris authori aliquid præcipienti, te opponis, dicens: te illud ſeruare non poſſe, ne honorem tuum amittas aut perdas.

Prou. 5. 9.

Reg. 12. 4.

§. 22. *Parcere inimico verum inducit honorem. Quis iſte ſit, & vnde procedat, Deus explicare voluit contra homines, veri honoris iniquos æſtimatores.*

¶ 151. Dico tandem, hoc præceptum non eſſe contra hominis honorem, potius ad illius promotionem, & augmentum. Id quod ex ipſis Chriſti Domini verbis infero. Statuo enim tanquam præmiſſam primam, quod ideo Deus leges ferat, & præcepta mandat, vt per illorum obſeruantiam homines reddantur illuſtres, ſplendidi, ſummoque honore habiti. Quod egregiè Moyſes proteſtatus eſt, quando morti proximus, voluit inducere populum ad legis obſeruationem: *Scitis,*

Deut. 1. 5. *quod docuerim vos præcepta atque iuſtitias ſicut mãdauit mihi Dominus Deus, ſic facietis ea, & obſeruabitis, & implebitis opere, vt dicant* populi, qui viderint vos illa ſeruantes: *En populus ſapiens, & intelligens gens magna*, id eſt, magnifacienda, & ſummè æſtimanda? Pagninus tranſtulit: *Tantum populus ſapiens, & intelligens gens magna iſta.* Non poteſt aliquis populus ad maiorẽ honorem peruenire, quam vt de illo dicatur, vere illum ſolũmodo dici poſſe ſapientem, & intelligẽtem, & quod eximia, & maxima æſtimatione dignus ſit. Leges igitur fert Deus, quarum obſeruantia, ſupremum inducit honorem. Huic principio ſuppone Chriſti verba, quibus fatetur ſe qui Deus eſt, legem de diligendis inimicis ferre. Ex ijs euidenter inferes, illam nõ poſſe eſſe contra honorem, ſed potius, vt qui videant populum illam obſeruantem, dicant: Iſte ſolummodo eſt populus ſapiens, intelligens, & ſuprema æſtimatione dignus. Et verè, inquit Chryſoſtomus, ad hoc inſtitutum, *Homil. 29.* Deus id mandat quod facit homines *ad popul.* glorioſos: diabolus verò, ea quæ confundunt, pudoremque inducunt. Hoc autem ita eſſe variis rationibus poſſumus demonſtrare. Prima, ex ipſamet natura, & ratione honoris. Quid eſt honor, eſt clara notitia cum laude. Ita illum diffiniuit Diuus Thomas ex Ariſtotele. Quæ diffinitio quadrat com muni loquẽdi phraſi, qua dicimus, honorem eſſe, bonum quendam odorem, aut fragrantem fumum apud gentes: metaphora ſumpta ab area, floribus odoriferis plena, quos dum ventus hac illacque trahit, & mouet, eorum odorem ad nares circumſtantium defert: qui propterea illam laudant; & etiam à thymiamate, aut maſſula odorifera, quæ ex varijs aromatibus compoſita, fumum emittit, quo allecti qui adſunt, eam commendant. Ita cum homo tanquam quidam hortus multarum virtutum flores continet, quas dum humanæ linguæ aura, aut concitatus ventus per locutionem commouet; gratus odor audientes recreat, qui in laudem illius prorumpunt. Hæc laus, quæ ex cognitione, & notitia, aut perceptione virtutum procedit, honor eſt. Similiter,

1. 2. qu. 2. art. 2 & 3. cont. gent. cap. 28.

ter, cum vita alicuius tanquam massa thymiamatis ex varijs virtutum actibus composita, locutionis, aut conuersationis igne accenditur, spirat fragrantem fumum, quem percipientes illum laudibus efferunt. Est igitur honor, quidam bonus odor, aut fragrans fumus, ex suaue olentibus floribus, & aromatibus virtutum procedens, & cõsurgens, cum laude. Ex his infero primò, nullum posse verum honorem tenere, nisi qui virtutibus præstat, & propter actus virtutum: hi namque solùmodo sunt, qui suauem odorem spirãt, & fragrantem fumum emittunt. Qui enim vitijs traditus est, potius fœtidũ odorem, & putorem emittit, qualis ex fœtidis, & putidis herbis, aut rebus
¶ 152. corruptis, solet consurgere. Hoc adeo
Libro 5 de Ciu à cap. 13. & de incip. certum est, vt ex eo Romani, (sicut egregiè prosequitur Augustinus) tam diligenti cura procurarint virtutibus moralibus excellere, fide ad homines, religione (quam veram credebant) ad omnes Deos, clementia ad subditos, iu-
Cap 8. stitia ad nocentes, circa quæ ipse Augustinus latè discurrit, quia cupidissimi erant honoris, & gloriæ, & naturali lumine intelligebant, se nullatenus per aliud medium, nisi per actus virtutum, posse honorem in toto orbe terrarum consequi. Qua etiam de causa,
Cap. 13. vt ipsemet Augustinus tradit, Cicero in libris, quos de Republica scripsit, loquens de Principe Ciuitatis instituendo, docuit, illum alendum esse gloria, id est, appetitu honoris, huncque inserendum pectori eius, hoc enim ipso ad virtutes omnes erit inductus, sine quibus neminem posse, verum honorem consequi, est omnibus notum. Infero secũdò, eos solummodo verum honorem tenere, & sequi, qui diuinam legem seruant: nam ij solummodo sunt, qui virtutibus præstant, similes horto diuinæ Spõsæ, cuius flores volebat austri, & aquilonis flatibus agitari, vt eorum aromata fluerent. Hinc Apostolus postquam dixit, quidnam ex vitiosis actibus sequatur, tribulatio scilicet, an
Roman. 2. angustia, subdit: *Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum*: id consequitur ad operationem boni. Quod, & Spiritus sanctus prædixerat: *Si sequaris, inquit, iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi poderem honoris*. Poderis, est vestimentum, totum corpus operiens, à collo vsque ad talos, aut talaris quædam tunica: iustitia autem, vt dixit Ambrosius, vniuersalis est virtus, qui vndique virtutem facit, vndique honore circundatus, & vestitus euadet. Ex his inferes tertiò, quomodo debeas, verum honorem examinare: hæc enim est impiorum stultitia, *qui nec iudicauerunt honorem animarum Sanctarum*, & facti sunt honoris iniqui, & praui æstimatores, qui quod in dedecus cedit, honorem reputauerũt, & verum honorem, quem tenent animæ Sanctæ, tanquam areæ odoriferis floribus plenæ, æstimarunt dedecus. Illi potius sunt, qui omni honore carent, & ita *erunt decedentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum*. Hinc procedamus, vt videamus, quomodo præceptum dilectionis inimicorum, sit in honorem, & nullo modo in dedecus. Considera, & statue duos, vnum, qui hoc præceptum seruans, inimicum diligit, ei propter Deum parcit, & benefacit, alterum, qui vindicandis iniurijs totum se tradidit: vide, vbi sint virtutes, & vbi vitia. Ille siquidem se exhibet, quasi hortum varijs odoriferis floribus, & aromatibus plenum, in quo reperitur obedientia ad Deum, humilitas, patientia, mansuetudo, fides, qua credit Deo præcipienti; spes qua sperat in Deo promittente; charitas in Deum, & proximum, nam inimicum diligit propter Deũ. Vide, qualis erat Beatus
¶ 153. Stephanus pro inimicis orans, in quo omnes virtutes fragrãtissimum spirabant odorem. Vide Paulum qualis erat, qui cupiens anathema fieri pro ijs, qui eius sitiebant cruorem, seipsum exhibuit pratum omnibus floribus ornatissimũ. At qui vindictam sequitur, seipsum præstat sterquilinium quoddam, vbi putentes herbę, & fœtidũ cœnũ locantur, qui redundat inobedientia ad Deum, iracundia, maledicentia, furore, & odio in proximum est in eo contemptus Dei, & eius diuinę legis, & iniqua rerum æstimatio. Considera Saulem insequentem Dauidem, qui

Ecclesiast. 27. 6.

Libro 2. in Lu.

Sap. 2. 22.

Sap. 4. 19.

omni

omni vitio repletus, ſeipſum exhibuit diaboli habitaculum. Sicut ergo ex iſto non poteſt niſi fœtor procedere intolerabilis, ita ex illo non poteſt niſi bonus fragrantiſſimuſque odor ſpirare. Iuxta hanc regulam debet vir fidelis, & catholicus de honore, & dedecore, de honorificis, & inhonorificis rebus, iudicare. Quod, & Spiritus Sanctus longo ſermone proſecutus eſt, qui non ſolum non nos obligat, vt verum honorem profundamus, ſed potius iubet, vt illum diligentiſſima cura
Eccl.41.15 procuremus, & ſeruemus. *Curam*, inquit, *habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretioſi, & magni.* Etenim hi cum vita finiuntur, honor autem verus in perpetuum durat; ideo ſubdit: *Bonæ vitæ numerus dierum*, id eſt, quæ iuxta communem locutionem, vitam faciunt bonam, lætam, ſplendidam, ſub breui numero dierum continentur: *bonum autem permanebit in æuum*. Hoc videre licet in ſeculi diuitibus, quorum diuitiæ cum vita fuerunt terminatæ: at viri excellentes, qui egregio fulſerunt honore, perpetuò illum in omnium notitia retinent. Quoniam autem ſtatim inquirere poſſumus, quid nobis agendum ſit, vt bonum nomen aut verum honorem poſſideamus, id, inquit, age, quod tibi verecundiam non inferat, ſunt enim quædam, quæ dum aguntur, verecundiam inducunt, & pudorem, alia autem honorem. Quoniam verò multa ſunt, quæ aliquibus verecundiam inferunt, quæ verè eam inducere non debent, aggreditur ex profeſſo nos docere, quænam ſunt, à quibus verecundiam debemus concipere, quænam etiam, à quibus non ſolum verecundia non ſit concipienda, ſed honorifica, & glorioſa ſunt reputanda. *Veruntamen*, inquit, *reuertimini ab ijs, quæ procedunt de ore meo, non eſt enim bonum omnem reuerentiam obſeruare, & non omnia omnibus bene placent in fide.* Diuerſa ſunt hominum iudicia, quidam confunduntur ab ijs, ex quibus honorari deberent, vt illi, qui Chriſtum confiteri verecũdabantur, propter homines. Quidam honorantur in ijs, ex quibus confundendi eſſent, ſicuti qui gloriantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Vult ergo Deus dicere: Ad bonum nomen retinendum, & conſeruãdum, oportet ea facere, quæ non verecundiam ingenerent, non quamcunque, ſed iuſtam, ſunt enim quidam, iniqui rerum æſtimatores, qui de quibus verecundari oporteret, gloriãtur, nec quæ ſecundum rectam fidem placere illis deberent, placent. Hac occaſione primò enumerat, quænam ſint, quæ verecundiam verè inducere poſſunt, & decem, & ſeptem res tales iudicat. *Erubeſcite*, inquit primò, *à patre, & matre de fornicatione*, ita erubeſce de carnalibus vitijs, vt etiam coram patre, & matre, qui tibi ſunt magis familiares, propter illa confundaris. Secundò, *à præſidente, & à potente de mendacio*. Erubeſce mendacium coram iudice, & potente. Tertiò, *à principe, & iudice de delicto*. Erubeſce te negligentẽ exhibere in ijs, quæ tibi à principe, vel iudice ſunt cõmendata. Quartò, *à ſynagoga, & plebe de iniquitate*: Erubeſce à peccato, & iniquitate, quæ ciuitati iam eſt nota. Quintò, *à ſocio, & inimico de iniuſtitia*: Erubeſce facere aliquid iniuſtum, etiam pro amico. Sextò, *de furto, de virtute Dei, & teſtamento*: Erubeſce de furto, quod eſt contra Dei præceptum, & ordinationem. Septimo, *de diſcubitu in panibus*: Erubeſce eſſe voracem, & guſæ deditum. Octauò, *ab offuſcatione dati, & accepti*: Erubeſce ingratum te exhibere ei, qui tibi aliquid dedit, quod ab illo accepiſti, & illius liberalitatem procurans offuſcare, aut erubeſce ſecreto accipere munera, quę te corrumpant. Nonò, *à ſalutantibus de ſilentio*: Erubeſce non reſalutare, qui te ſalutauit, aut verius non referre gratiam ei, qui in te fuit beneficus. Decimò, *à reſpectu mulieris fornicariæ*; Erubeſce oculos ſublimes, quos in mulierem vilem conijcis. Vndecimò, *ab auerſione vultus cognati*: Erubeſce, nolle reſpicere: aut auerſari cognatum tuum, quem vides pauperem. Duodecimò, *ab auferendo partem, & non reſtituendo*: Erubeſce, qui iudex factus, tu iſti partem ab eo, cui illam dare debebas, & non reſtituis illi damnum illarum. Tertiodecimò, *ne reſpicias mul-*

¶ 154.

ierem

rem alieni viri: Erubesce oculos figere in mulierem alienam; hoc enim inutilium est. Decimo quarto, *ne seruteris ancillam eius*: Erubesce solicitare ancillam mulieris alicuius, aut illam tanquam medium velle constituere ad dominam peruertendam. Decimoquinto, *ab amicis de fermonibus improperij*: Erubesce improperare amico, id quod ei dedisti. Decimosexto, *ne duplices sermonem auditus*: Erubesce, referre quod audisti de proximo tuo, addēs tu aliquid de tuo. Decimoseptimo, *de reuelatione sermonis absconditi*: Erubesce, reuelare secretū, quod tibi commissum est. Hæc omnia erubesce, quæ veram inducunt verecūdiam, & pudorem, quæ si vitaueris *eris verè sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum*. Ecce quæ dedecus inducunt, honorem verò auferunt. Quænam sunt, propter quæ non debet homo confundi, aut verecūdari, sed potius tanquam honorificabere? Illa statim Spiritus subinfert: *Ne pro his confundaris, & ne accipias personam, vt deliquas.* ¶ 155. Quæ subijciam talia sunt, pro quibus confundi, aut verecundari non debes, nec curare, quid ille, aut ille in contrarium dicat, aut sentiat. Primò, *de lege altissimi, & testamento*. Hoc primùm fundamentum est. Non erubescere debes, seruans legem altissimi, & eius testamentum. Secūdò, *de iudicio iustificare impium*. Non erubescas condemnare impium, & peccatorem, & dicere esse malum, quod re uera bonum est. *Isai. 5. 20.* *Væ enim qui dicūt malum bonum, & bonum malum*. Hæc ergo, & alia ibi Spiritus Sanctus prosequitur, sed quæ diximus, nostro sufficiunt instituto. Non dico tibi, vt honorem pessumdes, sed potius *curam habe de bono nomine*, ait Dominus. Quomodo (inquies) id agere debeo? Respondet Deus: Non faciendo aliquid, quod erubescere possis: facere autem, quod Deus præcipit, non debes erubescere. Erubesce tot ac tanta faciēs, quæ tibi diabolus suggessit, quod carnalibus sis deditus, mendacia loquaris, quod quæ agere debuisti, neglexisti, quod publicus peccator haberis, quod iniustitias mille cōmittis, vt amicis subuenias, &c. non tamen erubescere debes de obseruantia mandatorū Dei, neque de condemnando malum tanquam malum. Quæro enim ego à te: Diligere inimicum, & ei parcere, bonumne est, an malum? si hoc dicas, te infidelem cōprobabis, si illud affirmes, ne confundaris dicere bonum, quod bonum est, & profiteri honorificum, quod verè honorificum est. Confunditur ne gentilis aliquis de obseruantia eorum, quæ dij sui suæ fidei hominibus præcipiebant, quamuis illa essent summo pudore, & verecundia digna, vt Sanctus Augustinus annotauit? Verecundatur ne Mahumetanus, præcepta impia Alchorani seruare, quamuis illa multa contineant immunda, obscœna, & quæ sunt contra rationem? Deplorandam Beatus Chrysostomus, Christianorum infœlicem sortem demonstrat, qui non solum non obseruant Dei legem, & testamentum, sed honorificum ducūt eā transgredi, & inhonorificum, & contemptibile, eam seruare. Lugendum enim est, inquit, & verè lugendū, præsentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tantaque videmus quotidie flagitia cumulari, quæ si velis considerare per singula, nunquam poterit à lacrymis temperare. Etenim si quis extrinsecus vndecumque adesset, & præceptorum Christi ac nostræ conuersationis confusionem, ac perturbationem videret, nescio si alios magis vllos quam nos, inimicos esse, & cōtrarios præceptorum Christi iudicaret, & quasi qui studium quoddam habuerimus, contraria in omnibus gerere, quę ille mandauit. Id quod etiam alibi prosequitur, de quibus alio in loco dicemus. Ne igitur confundaris de lege altissimi, & testamento. Non potest homo, ad miseriorem statum peruenire, quam ad eum, quo seruare legem Dei, & testamentum, reputet rem verecundiæ, & pudore dignam.

Libr. 1 de compunct. cordis ad Demetriū.

Lib. 3. cont. vituperat. vitæ mon.

§. 23. *Qui parcit inimico suprema fortitudine præstat, & Deus potentiam suam parcendo demonstrat, vt annotant Moyses, Dauid, Sapiens, Paulus, &c.*

¶ 156. DEinde hoc ipsum ex alia ratione demonstro. Tota, ratio, propter quam homines iudicant inhonorificũ, vindictam inimico non inferre, est, quia qui ab illa se continet, hoc ipso se exhibet infirmum, vilem, debilem ac timidum, similem gallinæ, aut lepori, aut alijs infirmis animantibus, quæ nõ se conuertunt in lædentem, quia non audent. Eo enim modo de homine secundum rationem agere debente iudicatur, atque de animalibus, quæ passionis impetu feruntur, in quibus si læsum fuerit lędente potentius, cõtra illud in sui vindictam se conuertit, sin minus, seipsum contrahit, suam debilitatem, & alterius fortitudinem hoc falsum esse, euidenter conuincunt Sancti Patres, demonstrantes eum, qui patienter offensas fert, fortiorem esse illo, qui eis vindicandis se totum tradit: idque conuincunt ex illo: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore, vrbium.* In supremo honoris culmine constituit eum, qui patienter iniurias tolerat, pręponẽs illum viro forti: ex omnibus enim virtutibus corporis, fortitudo maximam habet laudem, & supremum honorem apud omnes; nulli enim magis celebrãtur, quam in bello prędari duces, qui hostes vicerunt, vrbes, & prouincias subiugarunt: quo tamen præstantior, & honoratior est patiens, qui iram vincit, & impetum spiritus sui moderatur. Quæ sententia multis modis potest fieri manifesta. Primò, ex doctrina Augustini *a*, Chrysostomi *b*, & Gregorij *c*, qui considerant, cum homo, qui iniuriã accepit ab inimico, ira feruente contra illum commouetur, non esse inimicum, qui præcipuè illũ vexat, aut contra eum agit; se passionem iracundiæ in semetipso excitãs.

Prou. 16. 23.

Vide Iansen. a 1. De Ciu. Dei, c. 1. & epist. 5. ad Marcel.

b Homil. 1. de Saule & Dauide.

c Hom. 18. Ezec. ante med & homil. 35. in Euang.

Et certè quam fortis sit passio aliquando contra hominem, satis experientia docente intelligimus, videntes multos, qui validas quidem hostium externas prostrauerunt acies, non tamen potuerunt vincere passionem interius contra ipsos agentem. Sampson, qui tot Philisthæorum cumeos facile vicit, ad genua mulieris victus remansit, non quidem superatus ab illa, quæ infirma erat mulier, sed à propria concupiscentia, quæ validos forteſque dejectos tenere solet. Dauid qui tot inimicorum exercitus prostrauit, cecidit deuictus à suæ cupiditatis affectu, de quo querebatur, quod *Conculcabat eũ*: & hoc satis commune dixit Esdras, vt supra in dicabamus, egregièque annotauit Sanctus Augustinus de Romanis agens, docens multos esse, qui populos sibi subiecerunt, qui eorum dominium acquisierunt, quibus etsi populi seruiant, ipsa dominandi libido dominatur. Vbi eius Scholiastes annotat, esse vetus prouerbium: tyranno seruire subiectos, ipsum verò tyrãnum suis libidinibus, & affectibus. Sic de Persarum Rege dicebat Diogenes Cynicus: sic Cicero in paradoxis de Cęsare: Inter passiones autem, validior est iracundia, quæ ita in hominem prævalet, vt eum quasi iudicio, mente, & ratione priuet. Quod & Spiritus sanctus egregiè explicuit: *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam*, id est, manifestam eam facit; quod enim in sublime tollitur omnibus fit cõspicuum. Aut dicitur exaltare stultitiã, quia magnam stultitiã ostendit. Quod, vt diximus supra, egregiè Septuaginta transtulerunt: Patiens vir, multus in prudentia; at impatiens, fortis stultus: *est vn fuerte furioso terrible loco.* Vnde hæc passio est fortissima, à qua fortissimi viri superantur. Ciuitates plurimas subiugauit, pene totam Asiam vicit, & Africam, Alexander ille magnus; & tamen iræ, & furoris belluam, non solum non superauit, sed ab iracundia victus charissimos amicos, Parmenonem, Philotum, Clytum, & Calisthenem, trucidauit, vt alios eius similes relinquamus. Vnde infert Augustinus eum, qui vindictam sequitur, ita esse

2. Reg. 11.

Psal. 55. 1. 3. Esdr. 3. 18.

1. De ciuit. cap. 1.

Vinet.

¶ 157.

Prou. 14. 29.

Vide Iansen.

con-

considerandum, quod etsi ipse contra inimicum agere videatur, est tamen passio interior, quæ fortius contra illũ
2. Reg. 15. 16. agit, quam ipse contra inimicum, & si ille inimicum externũ vincit, vincitur
2. Reg 16. 24. ipse ab interno passionis affectu: non dissimilis est, quod accidit Dauidi, qui domo sua egressus, contra, aut propter eos, qui in se rebellauerunt, filium à se genitum patiebatur intra domum suã, fortius contra seipsum insurgentẽ, domum ipsam, & ipsius Dauidis honorẽ fœdissimè polluentem, suprema pericula honoris, & vitæ inducentem, dũ enim quis ad vindicandum iniuriã extra se procedit, habet intra se iram, & furorem, filium à seipso genitum, qui in illũ sæuit, illum circumagit, polluit,
Li 3 de ira cap. 12. & in suprema conijcit discrimina. Cõsiderauit Seneca factum Platonis, qui cum aliquando contra rebellem seruũ magno furore excitatus esset, quẽ nudum flagellandum volens assumere, ad iram intra se positam, & contra se excitatam, considerandam, mentem conuertit, attendens, quod sic ipse in seruum agebat ira ipsum cõturbabit: sicque perstitit eleuato brachio, & manu, qua flagellum tenebat. Cumq; tunc amicus fortè fuisset ingressus, & admirans, quod ita subsistebat, nulla percussione seruum lædens, respondit ipse: ne mireris, in meam enim iram, & furorẽ nunc ago, oblitus siquidem iam serui, inquit Seneca, quem potius castigaret,
Epist. 5. ad Marcell. inuenit, seipsum. Ex his Sanctus Augustinus irridet gentiles, qui credebant, esse maximæ fortitudinis opus, vindictam in offendẽtem exercere cum potius sit opus infirmitatis, & debilitatis succumbere enim passionibus, infirmi-
In Ethicis. tatis est, vt Aristoteles ipse sæpè docuit. Vnde si vis scire, cur tanto impetu ad sumendam vindictam procedas, intellige, id non ex animi fortitudine, sed potius ex infirmitate eius procedere, qui à passione, & affectu iræ vincitur, & superatur. Optimè Sapiens ex eo dicit, Deum misericordẽ, omnibusque parcentem; quia suprema potẽtia
Sap. 11. 24. præstat. *Misereris*, inquit, *omnium, quia omnia potes.* Non tu similis es homini, qui passionem suam plenè reuincere non potest, ideoque ei succumbens, infimum se comprobat, tu qui nulli passioni cedis, sed omnia potes, misereris omnium. Et iterum: *Ob hoc, quod omnium Dominus es omnibus te parcere facis, vir tutem enim ostendis tu.* Non tibi passio aliqua dominatur, nulli affectui succũbis, & omnibus parcens, non infirmitatem, sed *virtutem ostendis tu*. Emphasim habet pronomẽ, *Tu*, Homo miser, infirmus, ac debilis, virtutem, fortitudinem, & magnitudinem fortitudinis suæ ostendere credit, vindicando, occidendo, fugando, discindendo, sed *tu* in hoc patiẽtiæ tuæ virtutem, & tuæ fortitudinis inuictam potentiam ostẽdis, & quod omnibus plenè dominaris, omniaque tuæ voluntati subiecta tenes, quod parcis, dimittis, suffers, & potenter sustines, ex omni potentia enim, & ¶ 158.
infinita potentiæ virtute prouenit, se contra offendentes cõtinere, non irritari, aut subita excãdescere ita, sed parcere eis, dimittere, & sustinere. Hinc Ecclesia illud de Deo magnificum canit: *Qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Expendendum aduerbium superlatiuum, *Maximè*, Deus namque non dubium, quod in omnibus suis operibus, & actibus potentiam suam demonstrat, creãdo Angelos, producendo mundum, orbem gubernando, regendo, vindictam de peccatoribus sumendo, mittẽdo diluuium inundans orbem, ignem comburentem ciuitates, &c. Sed maximè ostendit parcendo, quo actu se ostendit tam potentem, vt nullus affectus ei dominetur. Hinc etiam Dauid illa duo optimè coniunxit: *Deus iudex fortis, & patiens*, prius posuit *fortem*, id est, potentem, à quo prouenit, quod sit patiens. Dictio, *Et*, vt sæ è annotauimus, non tam vim coniunctionis, quã causalis aliquando habet, ideoque hoc in loco idem erit, *Deus fortis, & patiens*, ac si dicat: Deus ostenditur fortis, quia patiens, ex eo enim quod patienter sustinet, suæ fortitudinis ostendit inuictam virtutem, nulli passioni obnoxiam, aut subiectam. Quo-
Psal. 7. 12. *Exo. 34. 6.* modo etiam Moyses, quando Deum in transitu vidit, clamauit: *Misericors clemens.* In Hebræo, *Fortis misericors*, quia fortis, & potens, ideo misericors, & parcẽs. Qua simili ratione dixit Dauid, hoc se in Deo audisse, & attẽtè con-

cõſideraſſe, *Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*: ideo eſt tibi miſericordia, quia poteſtate, & fortitudine præſtas. Et rem totam concludere viſus eſt is, qui in raptu clare viderat illius eſſentiam, & naturam, Paulus, qui explicare volens, ex qua re clarius oſtenderetur ſuprema Dei virtus, &
Rom. 9. 22. potentia: *Volens*, inquit, *Deus notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa apta in interitum.* Expende illud, *Volens notam facere potentiam ſuam*. Deus ſiquidem varia diuinitatis ſuæ attributa, variis operibus demonſtrare conſueuit, vt ab omnibus cognoſcantur. Voluit ſemel omnibus notam facere potentiam ſuam, id eſt, virturem, fortitudinẽ, omnipotentiam. Et quomodo eam oſtendit? Num rumpendo fontes abyſſi magnæ, & cataractas cœli, & breui tempore mittendo diluuium, quo totus orbis inundatus periret? Num plueudo ignem, & ſulphur, quo ſubito illa Sodomorum regio, quæ erat tanquam Dei Paradiſus, redigeretur in fauillam? Num mittendo angelum validũ, qui ſub vnius noctis ſpatio, innumerum exercitum Senacherib iugulatum relinqueret? aut mittendo vrſos, qui pueros deuorarent irridentes Eliſæum? Nequaquam, ſed *ſuſtinendo in multa patientia vaſa ira apta in interitum.* Omnia verba, maxima conſideratione ſunt digna. Vaſa ab hebræis vocantur inſtrumenta quæuis, vt vaſa belli, vaſa cãtici, &c. Vaſa iræ vocantur inſtrumẽta prouo-
¶ 159. cantia Dei iram, ideoque hoc nomine intelligit quoſdam homines obſtinatos, qui tanquam quædam bombardæ, peccata grauiſſima iram Dei excitantia emittebant, quibus ſeipſos aptos reddebant ad interitũ, id eſt, vt ira Dei interitum effunderet, & mortem, qualis erat Pharao, ſuntque multi illi ſimiles, qui peccatis ſuis iram Dei, grauiſſimis peccatis, quaſi quibuſdam arietibus impetũt, & commouent, per quæ dignos ſe exhibent, vt ſubito interitu, & æterna morte plectantur; & tamen Deus ſuſtinet patienter, *In multa*, inquit, *patientia*; expectat vna die, & multis beneficia noua impẽdit, quibus alliciat, &c. Hoc modo Deus ſuæ fortitudinis omnipotentiam manifeſtat. Suſtinere igitur patienter, & parcere, nõ impotentiæ, ſed potentiæ magnæ, & ſummæ virtutis, ac fortitudinis opus eſt. Sicut autem de Deo dicitur, quod cum parcit, omnipotentiæ virtutem & fortitudinem oſtendit: ita de homine vere aſſeremus, quod ex eo quod nõ parcit, & ad vindictã procedit, manifeſtat, quia infirmus eſt, cui paſſio iracundiæ dominatur, quem affectus cordis ſubijcit, & proſternit. Ex quib. aptè B. Gregorius [a] explicat illud [b]: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quid enim eſt aliquid poſſidere, niſi habere dominium illius? habebitis dominium animæ veſtræ per patientiam: non enim eſt dominus animæ ſuæ impatiens, qui etſi toti orbi extra ſe exiſtẽti dominetur; ipſi tamẽ dominatur ira, & furor, quibus obſequitur. Quod (vt Chryſoſt. annotauit) nos ipſi fatemur, quando excuſare volentes, quæ irati fecimus, aut locuti ſumus, dicere ſolemus: Neſciebam, quid dicerem, iræ fuerunt verba, & motus. Per patiẽtiam ergo homo dominatur animæ ſuæ, ſubijciens eius appetitum, & iram, faciens quod dixit Dominus ad Cain: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Dominiũ quod propriè homini congruit, vt Gregor. annotare videtur, non eſt quod acquiritur per vires corporis, ſed per vires rationis, & mentis, ſecundũ quã dicitur ad imaginẽ Dei factus, cuius cauſa dictũ eſt ei: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram*: & iterum: *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, & piſces maris.* Si hominẽ conueniret Dominiũ per vires corporis, certè fortior creandus erat Elephãte, Rhinocerote, Leone, &c. fortitudo tamẽ propria eius, eſt per rationem, & mentẽ, dirigentem, ordinantem, comprimentem. Voluitque propterea dicere Dominus ad Cain: Fortitudo, & excellentia tua, non ex eo eſt expendenda, quod fratrẽ tuum perſequaris, & occidas, qui tibi ingratus, & inuiſus eſt: dum enim contra illũ agis, potius tu alterius dominio te ſubijcis, ſ. appetitus tui: vnde ſi occidẽs fratrẽ, illo ſuperior euaſeris; inferior remanebis ap-

a 3. p. Paſt. admon. 10.
b Luc. 21. 19.
Homil. 30. ad populũ.
Geneſ. 4. 7.
3. p. Paſtor. cit.
Gen. 1. 28.
2. Gen. 9. 2.

petitu tuo, q̃ tui dominatus fuit. In hoc tua fortitudo ostendi debet, quod appetitum tuum contineas, & tibi subijcias; sic enim dominaberis illius, & animæ tuæ. Bene ergo, inquit Gregorius, dixit Salomon, *quod melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*. Minor enim victoria est, vrbes expugnare, quia extra se sunt, quæ vincuntur; maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur; & semetipsum sibimet subijcit. Videndus est Diuus Thomas, qui ex professo demonstrat actum præcipuum fortitudinis esse patientiam, ideoque amicus ille Iob, aptè eam fortitudini copulauit, dicens: *Vbi est fortitudo tua, patientia tua?* Hæc doctrina est etiam ipsorum gentilium, & philosophorum ore decantata. Fortior est, qui se (inquit ille) quam qui fortissima vincit Oppida, nec virtus altior ire pôt. Et idem; Ardua res vicisse alios, victoria, Est animi fluctus, compositisse sui. Quibus concinunt, quæ vt Beatus Augustinus *a*, refert, carmine lyrico cecinit Horatius *b Latius regnes auidum domando—Spiritum, quam si Lybiam remotis Gadibus iunges, & vterque Pœnus—Seruiat vni.*

Hom. 18. in Exe. & hō. 35. in Euā. & 3. p. Pastō. cit.

2. 2. q. 123. art. 6.

Iob. 4 6.

Mantuan. Vide Iāse. in cap. 16. Eccle.

25. de Ciu. cap. 13.

b Libro 2. Carmin.

§. 24. *Dauidis historia, confirmat quæ diximus, quam excellenter expendit Chrysostomus.*

¶ 160. *Hom. 2. de Dauid. & Saule. 1. Reg. 24. a Hō. 2. cit. b In Ps 131 c Prolog. in Psa. 4. pœnit.*

PLurima his similia possemus subijcere, sed omnia explicantur argumento Beati Chrysostomi, expendentis factum Dauidis, sæpius repetitum. Erat Dauid in spelunca, quâ ingressus Saul, ad manus illius nesciens venit, quem iure Dauid occidere poterat, vt Chrysostomus *a*, Augustinus *b*, & Gregorius, *c*, demonstrant. Eo autem viso, interius ira quasi validus hostis insurgens, cor eius cœpit pulsare, & pungere, vt ad inimicum, quem coram videbat, perdendum, procederet, & illum perderet, & occideret: qui ipsius cruorem toto pectore sitiebat, & quærebat. Huicque interno hosti, fortissimè Dauidis cor impugnanti, additi sunt multi, quos in sua societate habebat milites, qui hanc è cœlo sibi oblatam occasionem cœperunt proponere, quos probabile est, ait Chrysostomus dixisse: Errones, exulesque facti sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, & omnium difficultatum tuarum consortes sumus; & tu horum authorem in manus traditum, cogitas dimittere, ne nobis liceat vnquam respirare? Si tuam salutem negligis, nostræ vitæ parcas; Non tibi dolent anteacta, neque memor es eorum, quæ ab illo perpessus es mala? Certè ob ea, quæ futura sunt, tolle hostem, ne maiora, & acerbiora perpetiamur. Dauid autem magis hunc hostem, qui cõtra cor suum agebat, quam Saulem reformidans, totam suæ mentis aciem contra eum direxit, hoc sibi proponens, dimittere Saulem liberum & vincere internum furorem, militum exhortatione feruentem: hocque vnum, inquit Chrysostomus, spectabat, quomodo posset redimiri tolerantiæ corona. Idcirco subtitit: contra affectum suum vere agens, & iræ suæ dominans. Quod videntes milites, allegant, inquit Chrysost. diuinam authoritatem dicentes: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis*. Non tuam vicem vlciscens, Deo subseruis, eius minister es, illius sententiam comprobas: sed quo magis illi dicebant, eo magis ille internum hostem, quem commotum contra se sentiebat, comprimere curabat. Vt autem omnino illum vinceret, ad Saulem accessit, & abscidit oram chlamydis illius. Hoc enim non tantum fecit, vt ea postea ageret, quæ egit; sed vt abscindens oram chlamydis, internam iram abscinderet, & omninò mortificaret, similem se exhibens ei, qui suprema siti ardens, aquâ labijs appropinquat, quam dum ibi tenet, nec bibit; sitim ipsam acerbius castigat. Imo iram suam illo supplicio castigare voluit, quo fabulosum sitibundum Tantalum, castigatum Poetæ referunt à dijs, inferẽtibus aquam vsque ad os eius, non autem eam vel leuiter gustare permittentibus. Saulem igitur liberũ dimisit, iram suam internumq; hostem iugulauit. Hæc suprema

1. Reg. 24. 5.

¶ 161.

Dauid-

Dauidis victoria fuit, inquit Chryſoſtomus multoq; maior, quam illa quã de Goliath reportauit, magnificentior erat Victoria hæc, præda illuſtrior, gloriofiuſque tropheum. Enimuero nunc fortiorem, multoque validiorem ſe cõprobat. Quando namque Leonem, & Vrſum occidit, Leonibus, & Vrſis ſe validiorem oſtendit. Quando deiecit Gigantem, Gigante ſe demonſtrauit fortiorem: nunc autem vincens ſeipſum, fortiorem ſeipſo euidenter comprobat. Hucuſque Dauid fortiorem ſe alijs declarauit, qui alios vicerat, hoc ad ſupremam Victoriam deſiderabatur quod vinceret omnium fortiſſimum, ſcilicet ſeipſum. Hoc nunc præſtitit, vnde maiori nunc exultatione, & gloria fuit plenus, quam cum Gigantem vicit: Egreſſus enim, inquit Chryſoſtomus è ſpelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egreſſi ſunt à camino ardente: nam quemadmodum illos non exuſſit ignis; ita hic non flagrauit iræ incendio: & illis quidem foris nihil ignis, in quo verſabantur, nocuit; hic verò cum intus haberet carbones accenſos, cum foris videret diabolum, caminum incendentem, idque varijs modis ab inimici conſpectu, ab exhortatione militum, à facilitate perficiendi cædem, à ſolitudine eorum, qui Sauli poſſent auxiliari, à præteritorũ memoria, à futurorum periculorum metu (ſiquidem hæc ſarmentis, & ſtipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonis incendebatur, lucidiorem excitabant flammam) tunc non exarſit Dauid, nec aliquid contra Saulem egit; quemadmodum conſentaneum erat agere hominem, tot modis irritatum. Si ergo ſuprema fortitudo eſt vincere affectum iræ inſurgentem, cui, qui ſe ſubijcit, infirmus debiliſque eſt; fortiſſimus iudicandus eſt, qui inimico parcit; & debilis, ac infirmus, qui à ſua paſſione ducitur, & quaſi raptatur. Hicque ſit primus modus exponendi: quomodo præſtantior ſit patiens viro forti, &c.

§. 25. *Qui inimico viſibili parcit, prudentem, & fortem ſe comprobat, quia ad inimicum inuiſibilem vincendum ſe conuertit, ſicut Iob, & Chriſtus: hoc eſt carbones congerere ſuper caput eius.*

¶ 162. SEcundus modus, quo explicatur, fortiorem, validioremque eſſe eum, qui iniurias patienter fert, vltore, & vindicatore eſt, quem indicãt Chryſoſtomus *a*, Auguſtinus *b*, & ex profeſſo Baſilius *c*, tradit, qui annotat, cum inimicum pateris, non tam illum viſibilem oculis corporis, quam alium inuiſibilem acie mentis conſpiciendum eſſe, qui illo eſt potior, ac fortior, quique illum contra te agitat, & mouet. Quod ſub manifeſto exemplo declarat. Si aliquis inimicus tuus te perdere volens, lapidem contra te mitteret (ſicut mittebat Semei contra Dauid) quo de acriter percuteret, tuque tunc dolore ictus recepti, totũ te conuerteres contra lapidem, contra quem ora, & manus moueres, & toto corde intenderes illum conterere: certè irridendus eſſes, & rationis expers, qui canum more agens, contra lapidem ora, & dentes conuerteres, & nouam lætitiæ materiam inimico ſubminiſtrares, qui non ſolum gauderet, quod te acriter percuſſit: ſed quod teipſum de nouo defatigantem, & dentes excutientem ad petram, qua te percuſſit, contemplaretur. Qui verè ſapiens, fortiſque eſt, tunc dimiſſo lapide, immo, & oculis ab eo auerſis, omnes vires contra inimicum, qui lapidem iecit, conuertit. Hoc conſidera, inquit Baſilius, quando vides hominem, te offendentem: intelligeillum eſſe lapidem, à diabolo contra te proiectum tanto fortius, quanto maiori impetu agentem experiris. Quid agis? Si enim te totum conuertis contra hominem acturus, contra lapidem te conuertis, nouoque gaudio diabolũ perfundis, dum quem prius ipſe per lapidis ictum percuſſit, nunc conſide-

a *Hom. 50. ad pop.*
b *Ser. 168. de temp.*
c *Hom. 10. de ira p.* 170.
2. *Reg.* 15.

rat nouo dolore contra lapidem excitatum. Qui ferè fortis est, homine offendente relicto, se totum cõuertit, vt de præcipuo inimico vlciscatur: hoc autem facit opere dilectionis, quo diabolum magis percutit, quam percuteret hominem, si in illum baculum mitteret. Ita exponit Basilius, quod Christus dixit: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio*, id est, pœna graui, vt Euthymius *a*, intelligit. Hieronymus *b*, credit particulam illam *Sine causa*, in probatioribus codicibus non haberi, quam aliquis minus doctus textui inseruit. Quis enim, inquit, nesciat, sine causa irasci esse peccatum, pœna dignum? Ireneus *c*, Iustinus *d*, Chrysostomus *e*, Augustinus *f*, Theophylactus *g*, Euthymius *g*, & alij, credunt, consultò Christum illam particulam addidisse; vt hoc ipso indicaret, non omnem iram esse peccatum, quin potius iustam esse posse, si causam habet. Sed Basilius de ira contra inimicum intelligendum credit, quæ ira sine causa dicitur. Quomodo enim non sine causa ira in fratrem, cum sit alius, qui illum instigat, nempè dæmon: ille fratrem contra te commouet, quasi lapidem mittens: sine causa irascitur percussus lapide ab alio iniecto contra lapidem, dimisso illo, qui lapidem misit. Hanc cœlestem philosophiam excellèter intellexit is, qui in huiusmodi inflictibus insigné reportauit victoriæ palmã. Sanctũ Iob, inquit Chrysostomus, in medium producamus, magnum patientiæ pugilem, adamantem, inquam illũ, petram illam, quæ in Ausitide regione extitit, & vere virtutis suæ magnitudine vniuersum terrarũ orbem collustrauit. Irruerunt Sabæi, & tulerunt boues, & asinas, & pueros percusserunt gladio, & ignis de cœlo descendit, oues, pueros que consumpsit: & Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, & pueros percusserunt gladio, & repente irruit ventus è regione deserti, & concussit angulos domus, quæ corruẽs oppressit liberos. Quid ille egit? *Surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite, corruens in terram adorauit.* Surgẽdi actus proprius est eius, qui animo commoto, se exponit contra hostem pugnaturus. Similiter actus ille scindendi vestes, & radẽdi caput, proprius erat ijs, qui ad luctam descendebant, qui deponebant vestes, & capillos radebant: ne inimicus haberet, vnde posset firmiter arripere, & tenere. Ita dixit Paulus: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Iob ergo seipsum exhibet, quasi in acie pugnam suscepturus. Et contra quem? Forsitanne contra Sabæos, aut contra Chaldæos, aut contra turbinem vel ignem, à quibus læsus videbatur? Minime gẽtium; sed contra præcipuum inimicũ, dæmonem scilicet, quem aduertit, hæc omnia contra se, tanquam lapides mittentem: idcirco ad congrediendum cum dæmone, se disponit, & omnes animæ suæ vires in eum retorquet: & quia sciebat, dæmonem hæc iacula contra ipsum iecisse, vt eius patientiã læderet, patientiam ipsam arripit, qua contra dæmonem agat, & eam tenens inuictam, cadens in terram adorat Deum. Addit diabolus sagittas acutiores, vermes famelicos, qui illius ederent carnes, & corroderent ossa, quorum famem vehementissimam excitabat; vt vel sic contra illos, quos tam propinquos patiebatur, iram conuerteret: non tamen vel leuiter id egit, quin potius, vt late Origenes prosequitur, in singulis vermibus dæmonem videns agentem, & principalius se impetentem, ad dæmonis vires eneruandas, omnes suæ mentis cogitationes ordinabat. Et quia sciebat, dæmonem reuincendum per patientiam, quam ille infringere nitebatur; tenacius patientiam arripiens, per eam ita illum deuicit, vt idipsum dæmon ipse, cum maximo sui pudore, & verecundia confessus fuerit. Quod Chrysostomus eloquentissimè prosequi intendens, ita incipit celebrem epistolam ad Olympiadem: Iob diaboli os contundit, & totam illius pharetram exinaniuit, &c. Hocque ipsemet non tacuit. *Suscitatur*, inquit, *falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi.* Qui contra me falsum dixit testimonium ad Deum, toto pectore suscepit aduersum me bellum: *posuit me sibi quasi in lignum.* Chaldæi, Sabæi, ignis, & ven-

Matth. 5. 22.
a In illum locum.
b Li. 2. cõt. Pelag. 10. 2. pag. 212.
c Li. 4. cõt. hæres. c. 27.
d In epi. ad Zenon. & Serenum.
e Homil. 7. in Mat.
f Lib. 1. de serm. Domini in monte.
g In cap. 5. Matth.

¶ 163.

Epist. 3. ad Olym. to. 5.

Iob 1. 15.

1. Cor. 9. 25.

Epist. 2. ad Olymp.
Iob 6. 16. 9.

Iob 16. 13.

ventus, sagittæ fuerunt, quas contra me hic inimicus coniecit. Non contra sagittas erant vires conuertendæ, sed cõ
¶ 164. tra illum, qui iecerat. Hinc egregiè explicari potest, quod, & alibi sæpè explicauimus, quod Apostolus *a*, referens
a *Rom. 12. 20.* Salomonis *b*, sentẽtiam, dixit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potũ da illi: hoc enim faciens carbones ignis cõgeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. B. Augustinus
b *Prou. 25. 21.* *Mali* nomine, internum iræ, & furoris
Epist. 5. ad Marcellin. affectum intellexit, qui malum absolutè vocatur; quia multorum malorum est radix, & causa. Vultque dicere Apostolus: Noli vinci à malo, id est, ab affectu, & passione iracundiæ; sed illud vince, bonum faciens inimico tuo. Si enim tu inimicum vincere nitaris, vinceris à tuo malo affectu, qui peior inimicus est: si inimico parcas, hunc malũ affectum, sæuioremque inimicum hoc ipso reuinces, vt paulò ante prosecuti sumus. Cæterum ipsemet Augustinus alijque multi Patres, nomine mali absolutè prolati, dæmonem intelligunt, à quo liberari petimus dicentes: *Sed libera nos à malo*. Ita Tertullian. *a* Chry-
a *Li. de oratione.* sostomus *b*, & alij, de quibus alibi. Vult itaque Apostolus dicere: Noli vindi-
b *Hom. 20. in Matth.* ctam agens, hanc enim ille prohibendam assumpsit) vinci à malo, id est, dæmone, qui contra te inimicum excitauit: potius animæ patientiam, & charitatem, in qua vita spiritualis consistit, lædere intendens, quã corpus; sed vince malum illum, in bono benefaciens, scilicet inimico tuo: cum enim id feceris, carbones ignis congeres, super caput eius. Caput inimici lædentis te, diabolus est, qui illũ mouet, regit, guber-
Habac. 3. 13. nat, quique dicitur, *caput de domo impij*, est enim caput omnium impiorum. Hoc ergo caput est, quod præcipuè tibi bellum ingerit, vinces illud, benefaciens inimico, carbones ignis cõgeres. Rem supremæ actiuitatis exprimere voluit Spiritus sanctus, quasi dicens: Nihil contra eum agere validius poteris, nullam rem adhibere, quæ validius illum torqueat, quam opera beneficẽtiæ in inimicum, qui etsi patiatur ab igne inferni, quẽ perpetuo secum defert, potentiori tamen, ac validiori igne illum torquebis, per talia dilectionis opera erga inimicum, quæ erunt carbones ignis illum acerrimè torquẽtes. Hæc ergo summa fortitudo est, quam, & egregiè supremus omnium virtutũ magister demonstrauit, qui bellum assumpsit cum dæmone, & venit vt hũc fortem armatum vinceret, atque ligaret, immo vt mundo expelleret. Quid fecit hic inimicus cõtra Christũ? Multos cõmouit, qui contra illum agerent, idque tam validè, vt per illos fuerit in Cruce positus. Contra illum mouit Iudam; qui eum vẽderet, Petrum qui negaret, Iudæos, qui persequerẽtur, Principes, qui condemnarent, milites, qui comprehenderent, ministros, qui illuderent, Pilatum, qui sententiam ferret, &c. Nunquid Christus contra hos cõmotus est? Iudam vocat amicum, eo tempore, quo traditionem perficiebat? Petrum misericorditer respexit, cum in eius negatione perstabat; eum qui alapam dedit, instruxit, & pie correxit; Principes suam diuinitatem docuit, ad Pilatum blandè respondit. Quid tandem? In Cruce exaltatus, primam vocem emisit, supremam circa inimicos dilectionem ostendens, pro eis orans, & dicens: *Pater dimitte illis*. Quid hoc? Agnouit inimicum fuisse, qui hos omnes contra se tanquam acutas sagittas iaciebat, ideoque eos excusat dicens: *Nescsunt quid faciunt*. Sciebat, quod modus vincẽdi illum inimicum, erat patientiam tenere, patienter ferre; & offendentibus benefacere; idcirco totas suas vires eò direxit. Hoc
¶ 165. que est, quod dixit Apostolus: *Expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Manifestè, inquit, triumphum obtinuit de illis. Quomodo? Emittẽsne fulgura, aut fulmina, aut mouens contra eos brachia? nequaquam, sed *in semetipso*, id est, vt exponit Anselmus, in passione proprij corporis, in illa seruans intra se patientiam, patiẽter recipiens, & ferens, quę sibi ab inimicis inferebantur, eos potestate quã in humanum genus habebant, spoliauit, & *traduxit*, id est, in publicum ad verecundiam eduxit, malo pudore publicè eos affecit. Ita Chrysostomus, & omnes græci Patres intelligũt, quod eorum interpretes transtulerunt, *exemplauit*,

ad Col. 2. 15.

In ca. 2. ad Colossi.

Hom. 6. in epist. ad Ephes.

plauit, vel *ostentauit*, *face à la verguenca*, metaphora sumpta ab eo, quod cum iudices, aliquos puniunt, in publicum proferunt, & ostentant, quasi in exemplum illos ponentes. Ita Deus iussit quosdam impios Principes contra Solem, id est, in meridiana luce crucifigi: *Suspende*, inquit, *eos contra Solem*: Septuaginta, *Exempla*, seu in exemplum pone omnium conspectui. E: bene hoc verbo vsus est Apostolus, inquit Chrysostomus nunquam enim diabolus tantam turpitudinem, & verecundiã passus est. Non dissimili discursu hæc eadem Sanctus Augustinus prosequitur expendens illa Dauidis verba: *Contristatus sum in exercitatione mea*. Cum aliquis tibi irrogat iniuriam, aut damnum infert, duos, inquit, inimicos constitue tibi ante oculos, vnum apertum, & alterum occultum; apertum hominem, occultũ diabolum. Cum ergo sint duo, vnum vide, alterum intellige; vnum dilige, alterum caue. Namque, & inimicus ille, quem vides, hoc in te vult humiliare, vnde vincitur, verbi gratia, si diuitijs tuis vincitur, pauperẽ te vult facere; si genere tuo vincitur, humilem te vult facere; si viribus tuis vincitur, debilem te vult reddere. Ea ergo attendit in te, vel deijcere, vel auferre, quibus vincitur. Et ille occultus inimicus, illud tibi vult tollere, vnde vincitur. Homo enim hominem vincis humana fœlicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, & detruncare, aut auertere fœlicitatẽ, qua vincitur; sic, & diabolus hominẽ vult vincere, auferendo vnde vincitur. Sed cura in corde seruare inimici dilectionem, qua diabolũ vincis: sæuiat homo, quantum potest, auferat quicquid potest: si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sęuiens. Ita Augustinus circa quæ lõgiore possemus discursu procedere, sed hæc sufficiant ad rationem, quam tradere cœpimus confirmandã. Si namque parcendo inimico visibili, debilitate carnis infirmo, fortiorem inimicum inuisibilem expugnandum assumis, & vincis, inimico parcere, & ei benefacere, non infirmitatis, sed potius egregiæ supremæque fortitudinis erit opus.

Num. 25. 4.

Psal. 56.

§. 26. *Vera fortitudo in patientia præcipuè posita est, quæ sola fortes Israel comprobat, & beatum Iob, manifestè fortem dæmoni ostendit.*

TErtia huius rei demonstratio desumitur ex recondita Theologia, secundum quam, vera fortitudo non consistit in eo, quod est occidere, percutere, ferire, vulnerare, prosternere; sed in firma, constanti, inuictaque patientia. Longo sermone rem hanc aggressus est explicare Beatus Ambrosius, qui multa suo ingenio digna prosequitur, sed quę ille tradit, & dici possunt, docuit Cęlestis Sponsus, explicare volens fortitudinem veram illorũ, qui ore pleno fortes dici possunt. *Collum tuum*, inquit, *sicut turris Dauid, quæ ædificata est cũ propugnaculis, mille clypei pẽdent ex ea, omnis armatura fortium*. Priorem partem horum verborũ alibi expoſuimus, nunc expende posteriorẽ. *Mille clypei*, id est, innumeri. Est enim, inquit Beatus Gregorius Nyssenus, sacris literis familiare, per hũc numerum, magnam multitudinem significare. Ponitur, inquit Theodoretus, millenarius numerus pro quasi infinito. Ad quidnã tot tantique clypei? Cõsueuerunt, inquit R. Selemoh, Reges, & Principes seu Imperatores, illis priscis temporibus, ad ostentationem, & vt terrorem inimicis imponerent, suspendere ex aliqua eminenti turri, scuta, pharetras, iacula, gladios, malleos, & alia diuersa bellica instrumenta, quibus facile posset munire milites ad pugnam. Vo'uit Cœlestis Sponsus similiter ostendere, in fortalitio suo arma esse innumera, ad muniendum, & armandum omnes suos fortes. Et quænã illa? Innumeri clypei. Mirum est, hoc tantummodo genus armorum expositum fuisse: nam viri fortes diuersis armis se muniunt, sagittis quibus transfigant, gladijs quibus iugulent, lanceis quibus confodiant, malleis quibus cõtundant. Verè omnis armatura fortium ibi erat, quamuis solummodo essent cly-

¶ 166.

Li 1 offic. à c. 35. vsque ad 41.

Cant. 4. 4.

Homil 7 in cant post medium. In hunc locum.

In hunc locum vide Sotomaiorem.

clypei, quia hoc vera, & propria ac ſufficientia arma eorum, qui pleno ore
Cant. 3.7. vocãtur fortes *mille clypei*: hi ſunt om-
Lib. qq. in nis armatura fortium. Sunt iſti fortes,
Gen. c. 32. quos paulò ante Sponſus vocauerat;
Geneſ. 32. *Fortiſſimos Iſrael*. Iſrael enim, vt San-
28. ctus Hieronymus contendit, ſignificat fortem Dei, aut fortem in Deum, id eſt, ſuprema fortitudine præſtãtem: talem enim ſe exhibuit Iacob, quãdo vocatus eſt Iſrael. Hi fortes non armantur ſagittis, gladijs, aut lanceis, quibus feriant, lacerent, iugulent, configant, confodiãt: ſed clypeis quibus ſagittas, & ictus contra ſe miſſos ſuſtentent, & recipiant. Vnde patientiam ſignificãt, qua quis fortiter ſuſtinet ictus ab alijs illatos: non vnus clypeus, ſed multi, vt deſignet, verum fortem debere omni
3. Reg. 23. ex parte patientia muniri. Hoc armo-
& 1. Par. rum genere munitus incedebat Dauid,
11. & Eccleſ. quem Spiritus ſanctus deſcribit Principem fortium, cùm à Saule acrem, & à filio duram, & impiam perſecutionẽ fuiſſet paſſus. Hoc itidem ille fortis athleta Iob, cui cum omnium dæmonum agmine bellum fuit indictum. Hoc munitos veros fortes docet Spiri-
Eccl. 2.21. tus ſanctus, de quibus dicit: *Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius*. Hoc armorum genere, illos fortes Iſrael, & validos duces, quos exercitui ſuo præpoſuit Chriſtus, muni-
Matt. 10. uit: *Ecce*, inquit, *ego mitto vos; nolite*
10. & Luc. *portare ſacculum, neque peram, neque*
10.3. *virgam*: quid igitur? *ſicut oues inter lupos*, arma ouis, eſt patientia. Multa
¶ 167. arma ſunt neceſſaria viro forti Iſrael: ſed quænam illa ſunt? primum armorum genus, clypeus; ſecundũ clypeus; tertium clypeus; & clypeus eſt omnis armatura fortium. Recolenda ſunt, quæ
Epiſt. 56. ex Demoſthene retulit Sanctus Augu-
Dioſcor. ſtinus, qui rogatus: Quidnam neceſſarium primo eſt oratori? Reſpondit. Pronuntiatio. Quid ſecundò? Pronuntiatio. Quid tertiò? pronuntiatio: de quo ſupra. Idipſum Cœleſtis Sponſus dicere videtur. Fortis vir, armis eget plurimis, eſt enim congrediendum cum varijs inimicorum generibus. Quodnam primum armorum genus deſumendum? clypeus. Secundum clypeus. Tertium? clypeus, & ſi millies quæras, millies idipſum reſpondebit: qui propterea mille clypeos dixit poſitos, ad omnem armaturam viri fortis. His ergo armis Chriſtus ſuos Apoſtolos muniuit, quibus, & clarius dixit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Hoc ſimiliter armorum genere, illum ſtrenuum militẽ armauit Paulum, qui cum toto terrarum orbe, immo cum principibus tenebrarum dimicaret; *Vas*, inquit, *e-* *Luc. 21.19*
lectionis eſt mihi iſte, portet nomen meum *Act. 9.15.*
coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael, & ego oſtendam ei, quanta oportet eum pro nomine meo pati. Vide arma, ego oſtendam innumera pati, non arcum tendere, non haſtam vibrare, non ſagittas mittere, ſed pati. Quibus armis ſe vndique munitum ille exhibebat dicens: *Signa Apoſtolatus mei in* *2. Cor. 12.*
omni patientia. Hæc ſunt arma vero- *12.*
rum Apoſtolorum, quibus Chriſtus fortes ſuos muniuit. His eiſdem muniuit martyres, qui ſupremum fortitudinis gradum tenuerunt: quos nulla Imperatorum potentia, nulla carnificum crudelitas, nullum pœnarũ genus potuit, vel leuiter à ſuo mouere inſtituto. Quam fortis eſſet turris illa, quam nulla vẽtorum procella, aut fluminum rapidi incurſus, immo, & totius maris irruptio, poſſet vel leuiter mouere? Tales erant martyres, contra quos totus egit mundus, omnis principum potentia, & potuerunt in eis carnes ab oſſibus ſeparare, & corpora membratim diſcindere, & omnia comminuere oſſa; nec tamen potuerunt ab eo, in quo firmi perſtabant, vel latum vnguẽ ſeparare. Et quæ erant eorum arma? mille clypei. Si comprehendebantur, patientia; ſi carceribus includebantur, patientia, ſi verberibus afficiebantur, patientia, ſi exules mittebantur, patientia: ſi ad mortem ducebantur, patientia. Hæc primo loco tenebatur, ſecundo itidem, ac tertiò, & quæ victoriam parabat: *referebant enim fru-* *Luc. 18. 15*
ctum, non arcus tendendo, non ſagittas mittendo, non lanceas vibrando ſed *in patientia*. Hi ſunt fortes Iſrael. O quam mira eſt hæc Sophia (cantat *In proſa*
Eccleſia) O quam noua cœli via, Vin- *Apoſtolorũ*
cit qui occiditur. Annotat Chryſoſto- *In ſerm. de*
mus diuerſam eſſe rationem fortitudi- *beneuca*

mus, male dicẽtibus, qui incipit Ingemiſcẽ di mihi to. 5.

nis inter fortes Dei, aut fortes Iſrael, & ibi res mundi: hi namque, tanto fotiores reputantur, quanto minus ſuſtinent, maiora vulnera infligunt, maiorem hoſtium numerum occidunt, & in olympicis ludis ille fortior cenſebatur, qui alterum deijciebat, & in terram proſternebat, qui autem percutiebatur, aut cadebat, infirmus iudicabatur. At in ſtadio fortium Dei, ille fortior eſt, qui validiores ictus ſuſtinet. Non fortis eſt Nero, qui occidit Petrum, & Paulum, ſed ſunt Petrus, & Paulus mortem ſuſtinentes. ¶ 168. Non fortis Decianus, qui Vincentium mactauit; ſed Vincentius, qui patienter iacuit occiſus, quod nec Decianus ipſe negauit, qui admiratus eius conſtantiam cœpit clamare; *Victi ſumus*: quod egregiè expendit Auguſtinus: Quomodo victus tu, qui ſtas, qui vulneras, qui percutis? Potius victus videtur Vincentius, qui cadit, vulneratur, percutitur, & occiditur. Sed verè Vincentius eſt fortis Iſrael, qui vincit, munitus clypeis, patienter tot tantaque tormentorum genera ſuſtinens, cuius vim, & fortitudinem, ipſimet tortores confeſſi ſunt. Hi ergo fortes ore pleno, non qui iniurianti colaphum impingunt; ſed qui percuſſi in vna maxilla aliam præbent. Hi fortes, non qui auferenti pallium, vitam auferunt, ſed qui auferenti pallium, etiam, & tunicam tradunt. Hi fortes, qui nullis commouentur aduerſis, non gladijs, non lanceis, non ipſa denique morte: apud Chriſtianos namque qui fortes ſunt Iſrael, inquit Hieronymus, non qui patitur, ſed qui facit contumeliam, miſer, & victus eſt. Ex quibus videbis apertè, illum qui iniuriam illatam ferre non poteſt, ideoque vindicandam aſſumit, infirmum debilemque eſſe, tanquam domum tam infirmiter ædificatam, quam leuis aura conturbat, & titubantem facit, immo, & ſubuertit: quem propterea ſimilem poſſumus dicere viro ſtulto ædificanti domum ſuam ſuper arenam, quam vel flatus ventorum diruunt. Egregie Sapiens huiuſmodi homines deſcripſit: *A facie verbi parturit ſtultus, tanquam gemitus partus infantis*. Dictum eſt ſupra, parturire, in Scriptura ſacra eſſe, doloribus premi, & angi: quomodo mulier dum infantem parturit, gemitus clamoroſos emittit. Dictum eſt itidem, apte in ſcriptura eum qui vindictæ ſe tradit, dici parturire, qui anxietatibus, doloribus, timoribus, & ſolicitudinibus plenus eſt. Mirum eſt, quod à facie verbi, id eſt, propter vnum verbum, quod alius locutus eſt, homo conturbetur, & reddatur anxius, plenus ſolicitudine, & cura, & cor eius pungatur *à facie verbi*. Si eſſet à facie Domini, à qua ſe abſcondit Adam, fugit mare, mouetur terræ ſi eſſet à facie Angeli percutientis, à qua conterritus Dauid, tremuit: ſi eſſet à facie ardentis ignis, quem videntes Iſraelitæ non auſi ſunt ad montem accedere: ſi eſſet à facie turbinis, qui domum Iob bene fundatam ſubuertit: ſi eſſet à facie alicuius exercitus, qualis erat ille, quem ferebat Holofernes, à cuius conſpectu omnes tremebant; aut à facie alicuius draconis, qualis erat ille apud Babylonios, aut à facie alicuius regis ſupremi, qualis erat Aſſuerus, ante cuius conſpectum cecidit Eſther, &c. ſed à facie verbi, quod nihil aliud eſt, quam verberatus aer? Quod tam leuis aura te ſubuertat, & proſternat, & conturbet, & doloribus quaſi parturiens te cruciet; Vide quam debilis imbecilliſque ſis. Hæc ergo ſumma fortitudo, patienter ferre, quam qui catholicus eſt, confiteri debet: nec enim negare poteſt, ſanctos quorum vitas imitatur, eo fortiores extitiſſe, quo maiorem tenuerunt patientiam. Legis vitas martyrum, quomodo Beatus Stephanus pro lapidantibus interceſſit. Beatus Cyprianus carnifici dedit omne, quod habebat Beatus Ignatius à decem militibus paſſus, quanto illi maiores inferebant iniurias, tanto ipſe maiora præſtabat beneficia, quibus crudeliores reddebantur: vitas item Sanctorum, qui varias inimicorum offenſas patientiſſimè ſuſtinuerunt. Quæro abs te, an iudices, illos infirmos, & debiles, an fortes? certum eſt, quod dices, fortiſſimos extitiſſe. Hæc igitur vera fortitudo, quâ tu, non

Ser. 12. & 13. de Sanctis.

Epi. 77. ad Marcum presbyt.

Mat. 7. 26. & Luc. 6. 49.

Eccleſ. 19. 11.

Iud. 2. & 3.

Dan. 14.

¶ 169.

quia

quia fortis, ſed quia infirmus, tenere non vales. Et vt rem concludam, conſidera Chriſtum, qui eſt fortitudo Patris, cuius nomen eſt ore pleno *a*:

a *Iſai. 9. 6.* *Fortis*, & *b*, *Dominus fortis, & po-*
b *Pſ. 23. 8.* *tens*, hic eſt qui *c*, *venit in fortitudine.*
c *Eſai. 40.* Quid egit? occidit? vulnerauit ini-
10. micos? percuſſit? proſtrauit? quibus
Eſai. 53. 7. ſe armis muniuit? *Ipſe tanquam ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente erit ſine voce.* Quid hoc? Mille clypeis erat armatus, patientia cum comprehenſus fuit, patientia cum fuit conſputus, colaphizatus, flagellatus, mortuus, &c. Sic egit. Vi-
Ser. de mã- ctus ne remanſit, an vicit? Infirmus
ſuet. to. 5. ne fuit, an fortis? Vides eius fortitudinem, inquit Chryſoſtomus? Pen-
1. *Pet. 2. 23* dens in cruce obſcurabat Solem, contremiſcere faciebat terram, & lapi-
Iſa. 53. 12. des concuti; & nihilominus, *cum maledicerentur, non maledicebat, cum paterentur, non comminabatur*, cum interficeretur, *pro tranſgreſſoribus rogauit, vt non perirent.* His adde quæſtionem illam, quam ſæpe Chryſoſtomus pertractat, quodnam ſit maioris fortitudinis ac roboris, bona facere, an mala ſuſtinere: & perpetuò diffinit, hoc præſtantius, validiuſque eſ-
Epiſt. 2. ad ſe: quod exemplo Beati Iob ſæpe de-
Olym. to. 5. monſtrat. Quærendum inquit, & ex-
Iob 31. plicandum erit, quanam ex parte Iob magis effulſerit, virtutum opera agendo, an calamitates ſufferendo? Quænam eius virtutes erant? *Oſtium meum viatori patuit, oculus fui cæco, conterebam molas iniqui. Pater eram pauperum*, &c. Vides eum, egeſtatem ſubleuantem, viduitati medentem, læſis opitulantem, lædentibus timorem incutientem, &c. Qui membra truncatis, reſtituere non poterat, membrorum inſtar ipſis exiſtebat: *nam oculus*
Epiſt. 3. ad *fuit*, &c. Inſignia ergo egit. Multa
Olymp. itidem paſſus eſt. Illic (inquit) virtutis opera agebat, hic patiebatur, & tamen maiorem ſplendorem quam illa, hæc attulerunt; hæc enim acerbiſſima prælij pars erat, maioremque fortitudinem ac animi firmitatem, mentis ſapientiam, & charitatem, requirebat. Eaque de cauſa, cum illa fierent, oblectabatur diabolus, non credēs eius ſanctitatem, & fortitudinem, imò de illa dubitans: at cum hæc accidiſſent, pudore ſuffuſus, tergа dedit, ac ſeceſſit, vt qui nec impudentis quidem vllius obiectionis vmbram aliquam haberet, quam prætenderet: hoc enim coronarum colophon eſt, hoc ſummus totius virtutis apex, hoc perſpicuum virtutis argumentum, hoc certiſſimum philoſophiæ altiſſimæ ſignum. Ita Chryſoſtomus diſcurrit. Et verè, vt infra dicemus, Chriſtus viuens mira fecit, quibus non tantum virtutem demonſtrauit, quantum mortem acerbam patienter ſuſtinens: vnde diabolus, qui non cognouerat illum eſſe Dei virtutem, dum virtutes operabatur, cognouit illum, quando infractam eius patientiam attendit. Non igitur patienter iniurias ferre, & remittere, infirmitatis eſt, ſed excellentiſſimè fortitudinis. Ex his patet, hanc legem de diligendo inimico, potius fortitudinem, & honorem promouere, quam proſternere: in dilectione enim, & beneficentia erga inimicum, vera fortitudo abſcondita eſt, & idcirco quo quis cor nobilius, fortiuſq; habet, magis pronus eſt ad parcendum inimico, vt in ſequentibus oſtendemus.

§. 27. *Verum honorem, in patientiæ dilectione, beneficentia ad inimicos conſiſtere, demonſtrat primò Deus ipſe, qui ſui honoris eſt Zelator inſignis.*

HOc ipſum, quod ſcilicet inimicum diligere, ei parcere, in eum beneficum ſe exhibere, non ſit inhonorificum, ſed potius clariſſimum honorem inducens, ex alio capite apertè poſſumus demonſtrare, quod indicat Sanctus Baſilius, ſalutare conſilium præbens; videlicet, quod ad compeſcendam iram, præpares, & diſponas mentem. Ita enim faciebat Dauid, qui, & dicebat: *Paratus ſum & non ſum turbatus.* Ideo non eſt turbatus ita aut furore, quia præparauerat ſe. Præparari autem debet ¶ 170. *Hom. 10. de ira poſt medium.* *Pſ. 118. 60.*

bet mens, attendens Dei ipsius, & Sanctorum illius facta, & exempla: similes enim præparationes, & animi dispositiones (inquit Basilius) morsus cordis, & impulsus facilè delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent. Ad Ieremiam puteo extrahendum, funes adhibuerunt, quibus teneretur: sed ne eius lacerarent, pannos veteres addidit ille, qui ei dixit: *Pone veteres pannos sub cubito manuum tuarum, & super funes, &c.* Quid funibus, inquit Gregorius, nisi præcepta dominica figurantur? quæ quia nos in mala operatione positos, & conuincunt, & eripiunt, quasi ligant, & trahunt, coarctant; & leuant. Sed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres reponuntur: quia ne præcepta diuina nos terreant, antiquorum Patrum nos exempla confortant, & ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Vt ergo de profundo leuemur, ligemur funibus, vt tamen funes sine dolore teneant, & constringant, panni veteres adducantur, id est, præcedentium Patrum exempla, ne nos infirmos, ac timidos præcepta subtilia vulnerent, dum leuant. Quasi quosdam pâpos veteres Apostolus subiungebat, cum leuâdis discipulis suis, præceptis spiritualibus, exempla veterum commodabat, dicens: *Iusti iudibria, & verbera experti, &c. lapidati sunt, secti sunt, &c.* & paulo post: *Tantam ergo habentes impositam nubem testium, per patientiam curramus, &c.* & iterum: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Superius præcepta spiritualia loquens quasi funes miserat, postmodum memorans exempla maiorum, quasi veteres pannos adhibebat, &c. Vt ergo videas, an res hæc sit inhonorifica, vel potius clarissimum splendoris decus inducens; huic præcepto, Sanctorum exempla subijcito, & primum omnium Sanctum Sanctorum, Deum ipsum, coram oculis mentis tuæ pone. Nullus sane est, qui ita honorem suum curet, sicuti Deus, qui tanti illum facit, vt perpetua voce clamet: *Honorem meum alteri non dabo*: cuius conditionē Moyses agnoscens, hoc ei solebat opponere, quando res difficillimas obtinere nitebatur, quod illud con'uce' ad suum honorem, ne aliquis contra illum vel leuiter loqui posset. Quando propter vituli adorationem voluit Deus populum delere, tam indignatum se exhibuit, vt dixerit Moyses: *Timui indignationem, & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit.* Nihilominus suum honorem opponens, eum continuit dicens: *Ne quæso dicant Ægyptij callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus.* Id ipsum quando voluit Deus populum pestilentia ferire, & consumere, propter rebellionem, contra ipsum excitatam, se opposuit Moyses dicens: *Vt audiant Ægyptij, & habitatores terræ huius, quod occideris tantam multitudinem, &c.* Simili medio vsus est eius discipulus Iosuè, quando ad placandum Dominum, hoc repræsentauit: *Mi Domine Deus audient Chananæi, & omnes habitatores terræ: & quid facies magno nomini tuo?* Ita curat Deus honorem suum, vt vel minimum verbum eius contemni non patiatur, adeo vt Saulem regno priuarit, & vita, quia aliqua ex parte verbum eius cõtempsit. Quid ergo si ipsummet Deum plenè contempsisset? *Qui me contemnunt*, inquit, *erunt ignobiles.* Summè ergo Deus honorem curat, ideoque nec aliquid facit, quod suo detrahat honori. Vide ergo quid faciat, cum offendentibus se: num subito contra eos exardescit, & summo commouetur furore; Minimè quidem, *sed patienter agit*, inquit Petrus, & expectat *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Visus est alludere voluisse, ad illud, quod prudentissima mulier Thecuites dixit ad Dauid, inducens illum ad parcendum filio suo Absalom: *Non vult Deus animam perire, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abiectus est.* De Deo loquitur, humano more, sicut sæpe scriptura sacra facere solet, ad nostrā eruditionē, vt annotauit Chrysostomus. Quasi dicat: Meretur quidem peccator, vt Deus vltionem de illo sumat, quàm Dei

ipsius

Iere. 38. 12 — *25. Moral. cap. 7.* — *ad Heb. 11 36.* — *ad Heb. 12. 1.* — *ad Heb. 13 7.* — *Esa. 42. 8.* — *Deu. 9. 19.* — *Exo. 32. 12* — *Nu. 14. 13.* — *Iosue. 7. 9.* — *1. Reg. 15.* — *1 Reg. 2. 30 ¶ 171.* — *2. Pet. 3. 9.* — *2. Reg. 14. 14.* — *Orat 3 cõt. Iuda. to. 5.*

ipſius iuſtitia inferre cogitat: hanc tamen eius bonitas retractat cogitationem, & patienter agit, non tantum nõ inferens pœnam, ſed beneficia exhibens, quibus procurat, vt peccator, qui per peccatum cœpit morti ſe tradere, non penitus pereat, ſed potius ſe conuertat, & conſequatur ſalutem. Non itaque ſubitò, ac pecator eum offendit, ad illum ſubuertendum ſe conuertit; ſed potius de beneficijs eidem inferendis cogitat, hoc magis honorificum ducens benefacere inimico, vt ſaluari poſſit, quam eum punire, vt penitus pereat. Hocque eſt, quod Chriſtus de illo dicit: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Qui ſolem oriri facit ſuper iuſtos, vt eos confortet in bono, facit oriri eundem ſuper peccatores, vt eos à malo conuertat; & qui pluit ſuper iuſtos, eos ſuſtentare volens, vt proſequantur bonum; pluit ſuper peccatores, vt deſiſtant à malo. Egregiè hæc Chriſti verba Cyprianus expendit, neque enim alio loquendi genere poterat magis Chriſtus explicare, qualiter ſe habeat cum inimicis ſuis, quàm eos æquando amicis ſuis, iuſtis videlicet, & bonis, in huiuſmodi beneficijs temporalibus, quæ oculis cernuntur, quæ ita præſtat ſuis offenſoribus iniuſtis, quando eum offendunt, ſicut iuſtis ſibi obſequentibus, quos diligit tanquam pupillam oculi ſui, quando ei grata exhibent ſeruitia. Qualis, inquit Cyprianus, & quanta patientia eſt in Deo quod in contumeliam ſuæ maieſtatis, & honoris inſtituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patienter ſuſtinens, ſuper bonos, & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis ſuboriri; & cum imbribus terra rigat, nemo à beneficijs eius excluditur? Videmus inſuperabili a qualitate patientiæ, nocentibus, & innoxijs, religioſis, & impijs, gratias agentibus, & ingratis, Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, exuperare pomis arbuſta, &c. & cum crebris, imò continuis exacerbetur offenſis, indignationem ſuam temperat; & cum habeat in poteſtate vindictam, mauult diu tenere patientiam, ſuſtinens ſcilicet clementer, & differens, vt ſi fieri poteſt, multum malitia protracta, aliquando mutetur: & tandem clamat: *Nolo mortem peccatoris, &c.* Nec ſolum æqualia huiuſmodi beneficia impijs, ac pijs præſtat; ſed, & aliquando maiora in illis, quam in iſtis, dilectionis ſigna profundit, vt Chryſoſtomus docet, & demonſtrat, ex parabola duorum illorum filiorum, ex quibus maior, qui nec minimum præceptum patris fuerat tranſgreſſus, conqueſtus fuit, quod nunquam cum illo, non ſolum æqualia minori facta fuerint, ſed nec minori facta fuerint, ſed nec minora. *Ecce,* inquit, *tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer; ſed poſtquam filius tuus hic qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum, &c.* Hæc ſunt, quæ Dauid animæ ſuæ repræſentabat, vt ad Deum laudandum, & toto corde diligendum excitaret. *Noli,* inquit, *obliuiſci omnes retributiones eius.* Non tributiones, dixit, inquit Auguſtinus, ſed retributiones. Viſus eſt Dauid memoria tenuiſſe verba illa, quæ ſibi dixerat Saul, quando expendens, qualiter Dauid iniquè eius perſecutioni retribuebat, dixit: *Iuſtior es tu quam ego: tu enim mihi tribuiſti bona, ego autem reddi tibi mala.* Dauid in primis cœperat benefacere Sauli, occidens gigantem, vitam ſuam pro illius ſalute exponens, & regnum illius in ſecuritate cõſtituens: Saul autem pro huiuſmodi bonis retribuit ei mala: nam cum pro eo quod Dauid fecerat, videret à mulieribus laudari, lanceam contra eum tulit, volens illum configere, &c. & ita ad eum perſequendum ſe conuertit, vt nihil aliud curaret, pro nulla alia re ſolicitus eſſet. Et quamuis Dauid de facto, & de iure poſſet illi pro huiuſmodi malis mala retribuere, & vim vi repellere, & in eum conuertere manus ſuas contra ſe perpetuò iniuſtè mouere videbat, noluit, ſed retribuit bona, illum ſeruans, & vitam illius pro-

Lib. de bono patientiæ.

Hom 5. de pœn. & ho de duobus filijs.

Luc. 15. 29.

¶ 172.

Pſ 102. 2.

In pſa. 102.

1. Reg. 24. 18.

protegens. Hæc consideratio tantæ fuit efficaciæ, vt & saxeum illius reprobi, ac impij hominis cor, posset ad tempus emollire, & lacrymas ab oculis excutere. Hanc inducit Dauid animæ suæ erga Deum, vt eam emolliat, & singulari amore erga eum afficiat: Dedit tibi Deus bona, & tu retribuisti ei mala, qui propterea meritò dixit; *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Pro quibus bonis? interrogat Augustinus. Primo, quia cum non esses, dedit tibi esse: sed est, & lapis: dedit tibi, & viuere; sed viuit, & pecus: dedit tibi, quod est super omnia pecora, & super omnia volatilia, fecit te ad imaginem, & similitudinem suam. Tu autem pro gratijs agendis, pro humilitate, pro obsequio pro cultu religioso, id est, pro ijs omnibus quæ accepisti, quid retribuisti? Mala, quod scilicet fuisti blasphemus, persecutor, iniuriosus, &c. Pro his malis quæ retribuisti tu, quid ille retribuit? quas retributiones facit? Quid pro offensis, pro quibus iuste eras puniendus? quid pro malis, pro quibus mala merebaris, tibi retribuit? Quæ eius retributiones? Remissio, salus, redemptio, vita, &c. *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuã qui coronat te in misericordia, & miserationibus*: coronat, id est, circundat omni ex parte: tu circundatus es infirmitate, & peccatis contra eum commissis, & *induis maledictionem sicut vestimentum*, quæ te totum operit, ille retribuit tibi misericordiam vndique te circundantem: *Non enim secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Deo gratias, inquit Augustinus, quia hoc voluit, non quod merebamur accepimus, non secundum peccata nostra retribuit nobis. *Quomodo enim miseretur pater filiorum misertus est Dominus*, &c. Videbis infantulum, pugno matrem percutientem, & contra eam contumelias balbutientem, & faciem ab illa diuerrentem; ita enim quæ bona ab illa accepit, compensare solet: sed huiusmodi malis, mater bona retribuit, quem tunc summo complectitur amore; brachijs stringit, osculatur ora, vbera admouet, & tunc maioris dilectionis signa edit erga illum, quam cum ipse nihil eorum contra eam egisset. Ita se Deus habet, ita enim peccatoribus retribuit, *vt vbi abundat delictum, superabundet, & gratia*, & ibi sæpè maiora, ac superiora beneficiētiæ, & amoris signa exhibet, vbi maiores suos offensæ, grauioraq; peccata: tunc vbera misericordiæ, & bonitatis, maioribus dilectionis signis exhibet, quando infantulus peccator, maiori rabie contra eum excitatus videtur, Quod non obscurè Deus ipse in sacris scripturis manifestat. Communis est locus ille apud Esaiam, quando Rex Achaz, & tota ciuitas Ierusalem, in magno discrimine versabantur, propter obsidionem illorum duorum potentium Regum Syriæ, & Israel. Accessit tunc propheta. Esaias ad Regem Achaz Dei nomine diuinũ fauorem contra acerrimos illos hostes promittens, cui impius rex credere noluit, imo nec aliquem honorẽ Deo præbere, quin potius sua perfidia ita illum prouocauit, vt clamaret Propheta: *Molesti estis, & Deo meo*. In Hebræo habetur verbum, quod multa significat, & quidam transferunt; *Afflixistis Deum meum*, alij, *defatigastis Deum meum*, alij *angorem præbuistis Deo meo*: quæ omnia egregiè explicat, quantum impius ille Rex Deum offenderit. Tunc voce eleuata, clamare cepit propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Concors est sanctorum Patrum sententia, ibi promissum esse supremum omnium beneficium, Messiam scilicet nasciturum de Virgine, per quem liberandum esset humanum genus à maiori oppressione, quam illa, qua tunc Achaz, eiusque populus tenebantur. Et voluit dicere, quod non solum Deus missurus erat auxilium, quo liberaturus esset regem, & ciuitatem, ab illis duobus regibus, sed & etiam missurus erat Messiam de Virgine, per quẽ à principibus tenebrarũ totum humanũ genus eriperet. Iudæi volentes legitimũ sensum peruertere, probare conantur, ibi non

¶ 173. *Rom. 5. 20.*

Ps. 34. 12. *In Ps. 102.* *tis.*

Esai. 7. & 4. Reg. 4.

Ps. 108. 18.

fieri

fieri ſermonem de Meſſia, nam ſupremum Dei beneficium erat Meſſias: quomodo ergo credendum eſt, Deum tunc tam expreſſis verbis illum promiſiſſe, quando impius Rex tam grauiter Deum offendit? Nunquid pro ſuprema offenſa, ſupremum beneficium impendendum eſt? Ita illi obijciunt, vel latè Hugo de Sancto Victore refert. Quam obiectionem Theodoretus euacuare contendit, dicens: promiſſionem illam non fuiſſe factam regi impio, ſed populo: auertens enim ſe Propheta ab impio rege propter blaſphemum reſponſum, ad domum Dauidis verba faciens dixit: *Audite ergo domus Dauid, &c.* Sed verè non legitima ſolutio videtur, tum quia Rex Achaz erat legitima proles Dauidis, & caput domus, & regni Dauidis, tum præcipuè quia non tantum Rex ſe impium exhibuit, verum etiam totus populus ſimili impietate Deum offendens. Ideoque Propheta non ad Regem ſolùm dixit, quod moleſtus fuerit Deo, ſed ad Regem, & populum verba dirigens: Audite, inquit, domus Dauid: Nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis, & Deo meo? Sicut ergo Rex impius ſua impietate Deum offendit, etiam totus populus idipſum præſtitit, vt verè Rex, & populus grauiſſimam Deo iniuriam irrogarint. Quid igitur tunc Deus cum eis egit? *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ſignum, &c.* In Hebræo habetur aduerbium *Lecheu*, quod ſignificat, idcircò, ideò, propterea, propter hoc, & egregiè Vulgatus noſter, per notam illationis, *Ergo*, vel igitur, illud tranſtulit. Ita dixit Cain ad Deum: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar: omnis igitur, qui inuenierit me, occidet me.* Ita etiam Gedeon ad viros Soccoth, qui noluerunt cibum dare ſibi, & exercitui ſuo, properanti contra reges Zebee, & Salmana: *Cùm ergo tradiderit Deus Zebee, & Salmana in manus meas, conteram carnes veſtras, &c.* Aliquando autem tranfert per aduerbium *Pro*: quaſi dicens, in commutationem, & retributionem, vt cum dixit Rachel ad Lyam: *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.* quaſi dicens; Hoc tibi retribuo pro illo. Vnde Eſaiæ verba ita poſſumus transferre: Dabit ergo Dominus vobis ſignum, aut pro hoc dabit, &c. & noſter Vulgatus, Propter hoc. Res miranda. Quodnam antecedens ſuppoſitum fuit? Summa impietas regis, & populi contra Deum. Quod ponitur conſequens? Summum Dei beneficium, & ſupremum dilectionis opus. Nunquid hoc ad illud conſequitur? Benè Cain intulit, ſe occidendum ab omnibus, quia proiectus erat à Deo: benè etiam Gedeon intulit, vindictam comminans ijs, qui iniuriosè eum exacerbarunt, ſed ſummum beneficium doni tanquam conſequens ad ſummam impietatem, & ex iſta dari illud in commutationem, res eſt ſtupenda. Attende tamen quid dicat Propheta: *Propter hoc Dominus ipſe dabit, &c.* Quaſi dicat: Hoc ipſius Dei opus, hæc eius bonitas, dum maioribus offenditur impietatibus, maiora ſæpè gratiæ ſuæ dona concedere, & maiores offenſas maioribus beneficijs compenſare. Id ipſum oſtendit Deus de Synagoga agens, vt Diuus Hieronymus, & Lyranus interpretantur, poſſumuſque ad aliquam particularem animam, vel perſonam, quæ in ea viuebat, arctare, iuxta regulam Ticonij apud Auguſtinum, quod ſæpe dictum eſt ad totam congregationem, poteſt etiam accipi, quaſi ad vnum quemque illius dictum: Vidit igitur Deus animam ingratiſſimam, quæ ſe viro legitimo relicto, abijt poſt varios amatores, idola ſcilicet grauiſſimis offenſis ſe proſequens, quibus commotus ipſe: *Viſitabo*, inquit, *ſuper eum dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo & ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur.* Expendit Deus offenſas, quas illa contra ſe commiſit, metaphora ſumpta à muliere, quæ relicto legitimo viro, à quo innumera acceperat dona, ad ſequendos amatores ſe conuertit, quibus vt placeat, ornat ſe monilibus, ſibi à legitimo marito traditis. Qualiter enim maritus, qui hæc videret, ſe offenſum iudicaret? Hoc illa agebat, dies

In Eſaiam.

In cap. 2. Oſeæ.

¶ 174. *Brixian. to. 1 f. 324. col. 4.*

Gen. 4. 14.

Iudic. 8. 7.

Gen. 30. 15

3. De doct. Chriſtian. cap. 30. & ſequent.

ac noctes insumebat sequēdo Baalim, id est, idola, quibus vt placeret, se ornabat inaure, & monili suo, thuraque offerebat. Hoc Theodoretus, Lyranusque intelligunt, quod sicuti nunc, vt maiori affectu Deum Sanctosque colamus, ad eorum sacra agenda, vestimētis, & ornamentis peculiaribus nos ornamus, ita illa agebat. Alij intelligunt, ¶ 171. Deum voluisse exprimere affectum, quo post idola tendebat, quæ solemnibus processiouibus per ciuitatem deferebat, quæ sequebatur illa, ornata monilibus suis; sicut enim nunc ad ostendendum affectum erga Christum vel Sanctos, eius sacrum corpus, vel illorū imagines solēni processione deferimus, ad quas solemnius celebrandas, qui maiori affectu præstat, magis curat se ornare, & componere: ita apud idolorū cultores consuetum fuit, solemnibus processionibus per ciuitates idola circumducere, & qui maiori affectu erga illa tenebatur, magis se ornabat, illa insecuturus. Nec enim processionum vsus à Beato Mamerto initium habuit, *Libr. de inuētione rerū.* vt Polydorus censuit, qui etiā antiquis temporibus receptus fuit. Azorij enim *1. Reg. 5. 8. 9.* *circumduxerunt arcam Domini* è ciuitate in ciuitatem, id est, solemni processione, & Dauid arcam Domini celebri processione duxit de domo Abinadab in domum Obededom; *Abio enim præ-* *2. Reg. 6. 5.* *cedebat arcam, Dauid autem, & omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*: nec minus solemni, eandem de domo Obededom in tabernaculum, quod ipse construxerat, transtulit. *Erant enim* *2. Reg. 6. 12.* *septem chori, &c. & Dauid saltabat totis viribus ante Dominum, &c.* Multoque solemniori processione ab eius filio Sa- *3. Reg. 8. & 2. Paral. 5.* lomone translata est eadem arca in tēplum ab ipso constructum, quam latè Scriptura sacra describit. Tanto ergo affectu erga amatores illa exardescebat, quod post eorum imagines ornatissima procederet. Hocque est, quod dicit: *Et ibat post amatores suos.* Ita quidā recens autor. Tanti sceleris immanitate commotus erat Deus, & comminabatur, quod hæc visitaturus esset, id est, graui supplicio puniturus. Sed qui ita se offensum, & exasperatum perhibet, quam punitionem pro tam grauibus sceleribus intulit? *Propter hoc*, inquit, *ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Vult Deus, vt attentos oculos conuertamus ad videndum, quid huic, quæ tam acriter se offenderat, faciat, & nos vt inspiciamus prouocat, dicens: *Ecce.* Et quid facturus est? *Lactabo eam.* Quid facit mater erga filium, qui pugnam cōtra eam conuertit. Tunc, vt dicebamus, maiori affectu verba admonet, & ad lac præbendum se conuertit. *Et loquar ad cor eius*, id est, blandis verbis eam consolabor. Et hoc, propter quæ opera? *Propter hoc*, inquit: Nōne dixerat, quod pro illis grauissimis offensis erat eam visitaturus, & puniturus? quomodo nunc addit, quod propter hoc lactaturus erat eam, & locuturus ad cor eius, aut mirifica dona largiturus? Voluit grandem illius iniquitatem, & infinitā sui bonitatem demonstrare. Illius quidem iniquitatem supremam ostendit, dicens, quidnam promereretur, merebatur siquidem summa vltione puniri, & ideo dicit, quod visitaturus erat iniquitates eius, id est, summum supplicīū inducturus: suam autem bonitatem ex hoc facit manifestam, quod tunc maioribus beneficijs eam prosequitur, quātò maioribus ab illa offensis excitabatur, qui maiores offensas sæpe maioribus beneficijs compensat, & quando magis offensus, magis misericordiæ recordatur, vt Propheta dixit. Hic est Dei mos, hæc illius consuetudo.

Paulus de Palatio in c. 2. Osee.

Habac. 3.

§. 28. Quo-

§. 28. *Quomodo Sponſus maiores offenſas ſæpe magnis compenſet beneficijs, docuit Sponſa, inducens illum ſimilem botro Cypri.*

¶ 176. QVamuis autem ex ijs, quæ diximus, Dei mores cognoſcere poſſimus, eius tamen legitima Sponſa, quæ frequenti experimento eos comprobauit, apertius nobis faciet manifeſtos. Philiſthæi meritò crediderunt neminem eſſe, qui magis poſſet Sanſonis ſecreta reſerare, quam Dalilā, quæ quamuis verè Sponſa non eſſet, tamen cum ea, tamquam cum Spōſa quieſcebat. Potiori iure credere poſſumus Sponſam Dei eſſe, quæ magis, & apertius Sponſi ſui mores, & ſecreta reſerare valet, quæ legitimo quodam matrimonio eſt illi copulata. Si ergo ab ea quæramus, qualis ſit ſponſus? Reſpondet: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Mirum eſt, quanta varietate locum iſtum authores explicēr, quæ tota naſcitur ex ambiguitate vocis כפר *Kapher*, quæ hoc loco in hebræo habetur: *Botrus kopher dilectus meus*, ex eo enim, quod botri nomen ad vuas videtur pertinere, multi per botrū kopher, intelligunt vuam florentem, vt Origenes *b*, Gregorius Nyſſenus *c*, & cæteri Græci patres, quibus ſuffragatur paraphraſis Chaldaica. Alij intelligunt vuam maturam, & dulcem, vt Auguſtinus *d*, Gregorius *e*, & Bernardus *f*, quæ fortè intelligentia occaſionem præbuit Gregorio, & Bernardo, vt Cypri nomē intelligerent, inſulam illam celebrem, Iudææ ſatis proximam, quæ vuis ſelectiſſimis abundat, vinoque pretioſo: qua de cauſa antiquitus Veneri, deæ amoris fuit conſecrata, & dicata, quoniā vinum eſt commune amoris hieroglyphicum. Alij intelligunt nomine Cypri, plantam quandam aromaticam *g*, quam authores Cyperum vocant, de qua Plinius *g*, Cornelius Celſus *h*, Dioſcorides, & alij, quos noſter Sotomaior *i* refert, de qua aſſerunt, eſſe valde odoriferam, ad modum nardi, ex qua cū alijs aromatibus confici pretioſum vnguentum, quo Reges Parthorum vtebantur, idem Plinius *k* tradit: & huiuſmodi plantam inueniri in vineis Engaddi, intelligere poſſumus, quia Ioſephus *l* deſcribens fertilitatem agri Hiericho, qui proximus eſt Engaddi, dixit, illum eſſe feracem Cypri, & myrabolanorum. Agathius *m* antiquus, perdoctus, & trium linguarum peritiſſimus author, intelligit eam, quam Arabes vocant Caphuram, & corrupto vocabulo Camphoram, & apud nos *Alchanphor*: non quidem, qui eſt ſuccus quidam frigidus, ad reddendas mulieres ſteriles aptus, de quo Sanctus Iſidorus, & alij, quos Bellouacenſis *n* refert, ſed quæ eſt planta aromatica, vt Hebræorū doctores volunt (inquit Agathius) producens racemos cum granis, ad modum botri, aut racemi vuarum: & certè lingua Arabica, proxima eſt hebrææ, vtpote eius proles, & quod hebraicè dicitur *kophe*, Arabicè dictum videtur Caphura. Quoniam tamen Sponſa ipſa ſemetipſam explicat, de botris vinearum Engaddi, ex botris, quibus ager ille, aut locus abundat, rem credo commodè explicādam. Eſt ſanè Engaddi oppidum, aut ager, vel campus, vel mons, iuxta Diuum Gregorius Nyſſenum *o*, in ſorte Gad, vnde forte nomen traxit, vel potius (iuxta alios) in ſorte Iuda, iuxta mare mortuum, non longè à Iericho, cuius ſæpe ſcriptura ſacra meminit *p*, vbi, & aliquando fugiens Dauid Regem Saulem *q*, tanquam in locis tutiſſimis verſatus eſt. Montes enim Engaddi (dixit Brochardus *r* in deſcriptione terræ Sāctæ) ſublimes ſunt valde, præruptis rupibus eminentes, qui videntibus incutiunt horrorem, & ſimiles illis (inquit) non vidi. Hic locus famigeratiſſimus quidem erat, propter palmas pulcherrimas, quas ferebat, cuius propterea meminit Plinius *ſ*, quem vocat Engadda. Palmetorum fertilitate celebrem: Idemque eſt, qui vocatur *t* Cades, ſeu Gades, aut in Græco, Caddi, cùm dicitur, *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Cæterum, quod præcipuè hunc locum celeberrimum reddebat, vt dixit Origenes *u*, non tam erat quòd vineis abundaret, quàm quòd balſamis floreret, quod ſæpe docuit

Iudic. 16. 15.

Cant. 1. 13

בכר

b *Lib. hom. in Cantic. hom. 2.*
c *Hom. 3. in Cantic.*
d *in Pſal. 8*
e *In cap. 1. Cantic.*
f *Serm. 44. in Cantic.*
g *Multis locis præcipuè lib. 21. nat. hiſt. c. 17. & 18.*
h *Lib. 31. cap. 21.*
i *In cap. 1. Cantic.*
k *Lib. 13. nat. hiſt. cap. 2.*
l *Lib. 3. de bello Iud.*
m *In cap. 1. Cantic.*
n *Lib. 17. ſpecu. maior. c. 117. & libr. 18. c. 88.*
¶ 177.
o *Hom. 3. in Cantic.*
p *Ioſue 15. & Ezech. 47.*
q *1. Reg. 24*
r *1. p. c. 7. §. 19.*
ſ *Li. 5. nat. hiſt c. 17.*
t *Eccl. 24. 18.*
u *Libr. homil. in Cāt. hom. 2.*

a *In cap. 27 Ezech. & lib. qq. hebrai. in c. 24. Geneſ.* cuit Hieronymus *a*: id quod omnes authores tradunt, Ambroſius *b*, Gregorius *c*, Bernardus *d*, Ioſephus *e*, id ſexpe teſtatus eſt, imò, & aſſerit *f*, ſolam illam terram ſuo tempore feracem

b *In Pſal.* 118. *conc.* 3 balſami fuiſſe, quam *g* plantam allatam tanquam pretioſiſſimam, inter a-

c *In cap.* 1. *Cant.* lia dona Salomoni à Regina Saba, qui cum tanta rerum naturalium cognitio-

d *Serm.* 44. *in Cant.* ne præſtaret, intelligens regionem illam Iericho *h* eſſe fertiliſſimam, præci-

e *Li.* 9. *antiqu cap.* 1. puè autem agrum Engaddi, ibi illam plantam conſeruit. Vnde Engaddi, in-

lib. 4 *c.* 7. quit Ioſephus *i*, balſamum generat,

f *Li* 15. *antiq. cap.* 4. quod pretioſiſſimum eſt, & nuſquam alibi naſcitur. Ioſepho conſentiunt

g *Li.* 8. *antiq. cap.* 6. multi prophani authores, id ipſum aſſerentes, Theophraſtus, Plutarchus,

h *Lib.* 5. *de bello Iudaico.* Strabo, Cornelius Tacitus, quos noſter Sotomaior *k* refert, ſignanter autem Plinius *l* de natura balſami agēs:

i *Li.* 15. *antiq. cap.* 4. omnibus, inquit, odoribus præfertur balſamum, vni terræ Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum

k *In cap.* 1. *Cant.* hortis, vtroque regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum, &c. Quoniam autem, vt an-

l *Libr.* 12. *nat. hiſtor. cap.* 25. notat Beatus Bernardus *m*, arbuſculæ balſami, in modum vinearum excoluntur, inde vineæ vocantur illæ, quæ in Engaddi balſamum ferunt. Cenſet noſter Brocardus *n* in circuitu montis cuiuſdam, vineam balſami conſitam fuiſſe, quæ tempore Herodis magni, à Cleopatra Regina Ægypti, in odium ipſius Herodis in Babylonem fuit translata. Cæterum Plinius *o* apertè aſſerit, Iudæos voluiſſe quidem huiuſmodi vineas perdere, quando à Romanis fuerunt oppreſſi, quod tamen Romani diligentiſſimè prohibuerunt:

p *Epiſt.* 27. *ad Euſtochi.* & Sanctus Hieronymus *p* agens de peregrinatione Sanctæ Paulæ, aſſerit ad eam regionem peruenisſe, ibique contemplatam fuiſſe vineas Engaddi, de huiuſmodi vineis balſami loquens.

¶ 178. Quoniam igitur ager Engaddi, huiuſmodi arbuſculis balſami celeberrimus erat, quæ in modum vinearum ſuccreſcunt, aptè de illis eſt locus intelligendus, Arbuſcula hæc ramuſculos e-

Lib. 14. *antiq. capit.* 7. mittit floribus plenos, vt Ioſephus indicat, quos modum formamque botri, tenere poſſumus exiſtimare, ſicut apud nos in ramuſculis, floribus turgentibus mali arancei videmus, quibus aptè Sponſa, ſimilem Sponſum ſuum dicit: *Botrus*, inquit, *cypri*, id eſt, ramuſculus floribus balſami, *dilectus meus mihi*. Intelligendum namque eſt ex eodem Ioſepho, quod quamuis omnis liquor, qui ex huiuſmodi arbuſculis diſtillat, balſamum ſit pretioſum, illud tamen pretioſiſſimum, inquit, eſt, & vnguentum optimum, quod flos acuto lapide inciſus diſtillat. Acuto, inquit, lapide, nam vt annotauit Plinius, ferrum arborem perdit, & exiccat, acutus tamen gladiolus ex vitro, lapide, aut oſſibus confectus, arborem ſcindens, balſamum extrahit, flores autem incidens, vnguentum pretioſiſſimum extrahit. Ecce naturam, & conditionem botri balſami, qui pretioſius vnguentum tunc emittit, effundit, atque eructat, quando gladio inciditur, & feritur: vnguentum, inquam, ſanandis omnibus vulneribus aptiſſimum, ſumma ſuauitate fragrantiſſimum. Et quidem hæc dixit Sponſa in principio libri, cum ſcilicet (ſicut annotant, qui ex profeſſo librum expendunt) animam refert in ſuæ conuerſionis initio recenter à peccatis auerſam, & ad ſuum legitimum Sponſum conuerſam: tuncque hoc ſe in Sponſo inueniſſe conſiderauit, quod ſibi ſimilis fuerit botro balſami, aut ramuſculo florido balſami. Cùm enim ipſa varijs peccatorum generibus, quaſi acutiſſimis gladijs contra Deum egiſſet, ille non indignationem perimentem, aut abſumentem flammam ignis eructauit, aut contra illam emiſit, ſed pretioſum balſamum, miſericordiam ſcilicet ingentem, ſanantem eius peccata, mundantem illius malitiam, & nequitiam. Quod verè Synagoga, quam Sponſa (vt multi Sancti Patres cenſent) referebat, dicere potuit. Quid enim egit circa Sponſum ſuum, illum Nazarenum floridum, illum botrum, aut ramuſculum balſami, floribus ſuauiſſimis redundantem? Illum totum incidit, caput ſpinis, manus, & pedes clauis, corpus flagellis, latus lancea? Quid ille emiſit? Balſamum pretioſiſſimum ſanguinis ſui, quo Sponſam ſanaret, & mundaret, omnique macula nitidam exhiberet.

Ibidem.

Li. 12. *nat. hiſt. c.* 25.

Quid

Quid percussus, & incisus emisit botrus iste in cruce leuatus? Orationis balsamum suauissimi odoris, quo iram diuinam continuit, dicens, *Pater ignosce illis.* Sed Paulus id ipsum dicere potuit: *Botrus balsami dilectus meus mihi:* quasi dicens: Si scire vultis, quid mihi cum dilecto meo euenerit, intelligite similem mihi fuisse botro balsami: nihil aliud efficacius contendebam, quam lapideo corde, & viribus rabidis illum incidere. Quid enim cupiebat Paulus, nisi Christum exscindere? & quia illum in se ipso inuenire non poterat, in discipulis incidere contendebat: & cum acrius id ageret, dum spirans minarū, & cædis, epistolas quæreret, & Damascum ad Christum totaliter exscindendum proficisceretur, non ignem sicut super Sodomam, nec vrsos, sicut super pueros irridentes Eliseum, nec leones, sicuti super Samaritanos ex se emisit, sed vnguentum pretiosum misericordiæ suæ. *Qui prius* inquit *fui blasphemus, contumeliosus, &c. misericordiam consequutus sum.* Id ipsum prodigus ille dicere potuit, qui postquam patris honorem quasi excidit, suauissimum balsamum spirantem, illum inuenit: hocque quotidie peccatoribus accidit, qui Deum quātū est ex se exscindentes, inueniunt effundentem super eos pluuiam, solem, & innumera beneficia. Imò, & Iudas ipse exscindens Christum ore peruerso, statim balsamum prodeuntem, potuit si voluisset, præsentire in illis verbis: *Amice ad quid venisti?* Quid potest patientius (inquit Beatus Cyprianus) quid benignius dici? Viuificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est, ac tanta patientia, quæ nisi talis, ac tanta existeret, Paulum Apostolum Ecclesia non haberet. Vis discere, inquit Chrysostomus qualia passus est Deus? Ipsius altaria suffoderunt, Prophetas occiderunt, & omnia ferebat: num supernè fulmen emittere poterat, sed postquam quosdam Prophetas misit, & cum hos etiam peremerint, supremum intulit beneficium: *nouissimè enim misit filium*: tunc, inquit Chrysostomus, misit filium suum; quando maiorem eggressi sunt impietatem, maioribus eos prosecutus est beneficijs. Idipsum Beatus Hieronymus latè probandum assumit, expendens Dei clementiam, quæ tanta est, quod cum maioribus offensionibus videt se prouocari, sæpè maiora dilectionis signa exhibet: ad quod iustitutum expendit illud, *Si vxor dimiserit virum suum, &c. Veruntamen ad me reuertere.* Illam item vocem: *Conuertimini, qui profundum consilium cogitatis: reuertere ad me, redimam te:* & alia similia. Hoc igitur Deus agere consueuit, ita cum offendentibus se gerere solet. Et quidem hoc, non sibi inhonorificum vllatenus reputat, qui suum honorē nullatenus pessumdat; sed potius pro summa gloria supremoque honore æstimat, vt statim ostendemus.

Luc. 23. 34.

¶ 179.

1. ad Tim. 1. 13.

Matt. 26. 50.

Lib. de bono patientiæ.

Homil. 31. ad pop.

Matt. 14. 37.

Epist. 46. ad Rusticū

Ierem. 3. 1.

Esa. 31. 6.

§. 29. *Deus ita sibi reputat honorificum parcere inimicis, vt id vocet laudem, & gloriam suam, quam Apostolis enarrandam commisit.*

QVomodo inimicis parcere, & benefacere non inhonorificum reputet Deus, sed potius pro summa habeat gloria, & honore, si sacras literas expendamus, erit manifestum; signanter apud Esaiam. Supponit Deus populi sui rebellem contumacemq; ceruicem, per quam semper ei restitit, & illum offendit. *Sciui*, inquit, non tanquam rem nouam eam comperio, quam ab initio expertus sum, *quia durus es tu* pertinax, nec blanditijs emolliris, nec terroribus commoueris, similis adamāti, in quo nec grani ictus, vel leue percussionis signum relinquunt. *Et nervus ferreus cervix tua*: nullatenus iugum legis meæ sustentare, aut ferre volens. In scriptura sacra communi locutione, superbia, qua homo non vult Deo obedire, exprimitur per indomitam ceruicem, metaphora sumpta à bobus, qui super ceruicem iugum portant: qua ratione dicere Deus solet, *populū duræ ceruicis.* Imò, & apud gentiles inobedienti hæc

¶ 180.

Esai. 48. 4.

Exod. 32. Ierem. 7. Act. 7.

pœna erat constituta, quod in collo
a *In Verrem. & oratio pro Cluent.* percuteretur: cuius meminit Cicero *a*, & Plinius *b* loquens de M. Liuio Druso, & Titus Liuius *c*. *Et frons tua ærea*, quam nulla verecũdia peccatorum afficit. Vide quales depingit inimicos
b *De viris illustrib.* suos, quales etiam eos descripserat di-
c *Lib. 4.* cens: *Quadraginta annis offensus fui*
Ps. 94.10. *generationi huic, & dixi semper, hi er-*
Act. 7.15. *rant corde. Quibus alluſit* B. Stephanus, dicens: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*. Tales ergo illos exhibet Deus. Quid igitur Domine, cum illis qui tam impudenter te offen-
Esai. 48.6. cit. dunt, agis? *Audita fecit tibi noua ex tũc & conseruata sunt, quæ nescis*. Qui dam censent, sermonem facere de liberatione à captiuitate Babylonica, quam ante eandem captiuitatem prædicit. Alij tamẽ de beneficijs per Christum exhibendis locum intelligũt, quæ
Iere. 31.22 noua vocantur in scriptura. (*Nouum*, inquit, *faciet Dominus super terram*) hæc à principio cœpit Deus populo manifesta facere ea promittens; quasi dicat: Pari passu procedimus, tu offendendo me, & ego misericordias tibi impendendo. A principio cœpisti contra me mala facere, & à principio cœpi ego tibi bona mea promittere. Septuaginta legunt: *Audita fecit ibi noua, ex nunc quæ debent fieri*: Tu peccata contra me noua quotidie committis, ego nouas misericordias, quas in te effundere dispono, annuntio. Et si multa autem à me prædicta sunt, *conseruata sunt quæ nescis*. Id est, bona tibi habeo reseruata, talia quæ nescire nunc non potes. Loquitur de supremis donis per Christum exhibendis. Hisque visus est Apostolus alludere,
Colo. 1.26. dicens: *Mysterium quod absconditum fuerat à seculo, & à generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius*. Quod dixit Esaias: *Conseruata sunt quæ nescis*, dixit Paulus *manifestatum*, &c. Et
ad Ephes. 3.5. alibi: *Alijs generationibus non est agnitum filijs hominum vt nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius*. Talia ergo erant quæ inimicis Deus promittebat, vt ipsi non possent capere tanti
¶ 171. beneficij magnitudinem, ideoq; cõseruabat illud explicandũ, quando beneficium ipsum exhibitum esset, adesset-que Spiritus sancti abundãs gratia, per quam illud possent intelligere: talib. enim beneficijs inimicos suos prosequitur; & quo maiores ab illis offensas recipit, maiorib. sæpè donis ac misericordijs cumulat. Quia autem posset quis à Deo inquirere; Quomodo talem te exhibes erga inimicos? si nosti eorum obduratam rebellionẽ, & quod nullis beneficijs emolliuntur, quare tã beneficum erga illos exhibes? respondet: *Propter nomen meum longe faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te, ne intereas*. Variè authores hæc verba explicant. Quidã censent Deũ prædicere pœnam inferendam, quem sensum alibi prosequemur: sed nõ ineptè explicari potest, vt dicamus longe facere aliquid esse idem, quod totaliter expellere illud, vt nusquam compareat. Ita apud Ioel: *Eum qui ab aquilone est procul faciam à vobis, & expellam eum in terram inuiam, & desertam*. Et apud eundem Esaiam: *Longe fugabuntur, qui absorbebant te*: & Ieremias: *Longe factus est à me consolator*. Loquitur ergo quasi metaphora sumpta à patre, qui iratus, & commotus contra filium propter eius rebellionem, gladium arripit; sed nolens illum perdere, gladium longè proijcit, ne si manu teneat, compellat ferire illum, ipsius filij per fida nequitia. Ita dicit Deus: Talia sunt quæ commisisti, vt iuste furor, & ira grauissima excitata sit; sed ne te perdam, quasi tua ipsa rebellione compulsus, lõge mittã, & faciam furorem meum. Id autem faciam *propter nomen meum*, idest, vt nomen meum sit honorificum, & celebre, ac glorioſum. In hebræo dictio *Sem*, quæ significat famam honorem, gloriam, & à nobis dicitur *nombradia*. Ita dicuntur *a facere sibi nomen*, id est, celebres se reddere, & *b nomẽ alicuius egredi* ad exteras nationes: & *c perdere nomen alicuius de sub cœlo*, & *d nomen alicuius perire*, de quibus Brixianus. *e* Signanter autem habetur vox eadem, quando dixit Iosue *f*: *Et quid facies nomini tuo magno*. Et verè dicẽs Deus, *propter nomen meum longe faciam furorẽ meum* allusisse visus est ad eas historias, quas

Esai. 48. cit.
Ioel. 2. 20.
Esai. 49. 19
Thre. 1. 16

a *Gen. 11.4*
b *1. Paral. 14.17. & 2. Paral. 26. 15.*
c *Deut. 7. 24.*
d *Ps. 40.6.*
e *Ios 2 fol. 2.9.*
f *Ios 7 9.*

pra cępimus expendere. Iratus enim Deus semel, & iterum cõtra populum propter illius peccata, Moyses illum placauit, & quasi compulit furorem deponere, nominis sui gloriam inducens *g*. Quod clarius exprimit subdès: *Et laude mea infrenabo te, ne intereas.* Septuaginta legunt: *Gloriosa mea inducam super te, vt non destruam te.* In hebræo habetur vox *Hehilal*, quæ significat laudem, qua vtitur Habacuc, dicens: *Laudis eius plena est terra* id est, famæ, honoris, gloriæ eius. Quasi dicat: Non propter peccata tua, quibus me offendisti, inducam ignem ardentem, qui te consumat; neque leonem frementem, qui te deuoret, neque gladium acutum, qui te discindat; sed misericordiam meam, beneficia mea, ne intereas. Rectè autem hanc misericordiam, & beneficentiam, vocat laudem vel gloriosa sua; quia nunquam maiorem suæ laudis, & gloriæ materiam Deus videtur exhibere, quam cum misericordem erga peccatores se exhibet, cum eis parcit, & ingentia illis conferit beneficia. Tunc mundani duces honoris sui materiam copiosam historiographis, & futuris seculis se præbuisse existimarunt, quando inimicorum innumeras acies prostrauerũt, & in campo mortuos reliquerunt: illique Cæsares tãquam sui triumphi materiam, inimicos victos; alligatos, & prostratos deferebant. Cæterum Deus hanc sui triumphi gloriæ, & honoris materiam iudicat, inimicos liberare, & liberos ab omni malo dimittere, donis cœlestibus, ac supremis ornare: hæc sunt *gloriosa Dei*. Ideoque sicut historiographi, & Poetæ illorum victorias resonant, dicentes; Arma virumque cano, proferentes scilicet illorum inimicos victos, & alligatos, aut occisos: ita diuini Poetæ, & Dei historiographi canunt, & proferunt misericordiam, qua Deus benefacit inimicis suis, & dicunt; *Misericordias Domini in æternum cantabo*: & iterum: *Laudate Dominum omnes gentes, &c. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, &c.* Et nobis exhibent Dauidẽ peccatorem dimissum, Paulum inimicum suprema dignitate ornatum, & ad tertium cœlum euectũ, Petrum anathematizantem, constitutum eius vicariũ summum, &c. nihil enim glorioſius, aut honorificẽtius, quam inimicis parcere, benefacere, honoremque exhibere, adeo vt hoc reputet ipsam gloriam suam. Hinc intelligemus mysterium, quod verba illa continẽt, quæ in celebri hymno Angelorũ canit Ecclesia; *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Videtur certè hæc impropria locutio. Magnitudini enim, aut excellentiæ alicuius non debetur gratiarum actio, sed admiratio, congratulatio, aut commendatio, vel laus; gratiarum actio tantummodo debita est beneficijs receptis. Regi enim gratias agimus, cum beneficiũ aliquod ab eo recipimus, eius tamen gloriam, & maiestatem non gratiarum actione, sed congratulatione, aut admiratione vel laude prosequimur. Videbaturque dicendum: Gratias agimus tibi propter gloriam tuam, & dona nobis collata. Aptè tamen Ecclesia sancta loquitur; agens Deo gratias propter magnã illius gloriam, quia hæc est gloria, quã ore pleno Deus vocat, & reputat magnam, ac supremam, nobis peccatoribus, inimicis suis remittere offensas, dare gratiam, & cœlestia sua dona abundanter conferre. Quam loquendi phrasim Ecclesia mutuata est ab Apostolo dicente: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiã ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*. Impropria videtur locutio, *Peccatores egent gloria Dei*: videtur.n. propriè dicendum, egent gratia Dei. Et vere Chrysost. quasi hac difficultate motus, legit: *Omnes peccauerunt, & distituuntur gloria Dei*. Quia qui peccauerunt, iuste gloria Dei destitui meruerunt. Sed tamen egregia est nostra vulgata translatio: gloriam enim Dei, vocat eius gratiam, & beneficia gratis in peccatores collata, quam clarius expresso nomine postea exprimit, subdens: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Hæc est illius gloria magna, iustificare gratis, remittere gratis offensas: & cum peccator merebatur ab eo puniri, excellentia dona in illum effundere, vt S. Anselmus, Diuus Th. cæterique patres interpretantur. Et alludere visus est Paulus ad alia ver-

g Exod. 32. 12. nu. 14. 13.

יהלל *Habac. 3. 3*

¶ 182.

¶ 183. *Rom. 3. 23.*

Hom. 7. in ep. ad Rom.

In hunc locum.

Dauidis, quibus, vt ipſemet expendit,
Rom. 10. 18. prænuidebat Apoſtolos per vniuerſum orbem prædicantes. *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei, &c. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quam Dei gloriam tam vocali ſono enarrant, vt in omnem terram exeat ſonus illorũ? Certè Euangelium Chriſti, qui eis dixit:
Marc. vlt. 15. *Euntes, in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et quid
Luc. 24.44 continet hoc Euãgelium? *Hæc ſunt verba* (inquit ipſe) *quæ locutus ſum ad vos, &c. oportebat Chriſtũ reſurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma.* Ecce quid in omnes gentes intonant, *Remiſſionem peccatorum.* Hæc eſt gloria Dei, quam cœli id eſt, Apoſtoli enarrant: quia hanc Deus magnam ducit gloriam, remittere inimicis ſuis offenſas, & maioribus inimicis maiores offenſas. Vnde expende illud: *Incipientibus ab Ieroſolyma.* Erat Ieroſolyma ciuitas illa, quæ occidit prophetas, & tandem ipſummet Deum infamoſiſſima morte trucidauit. Quid reſurgens acturus videbatur? clamabat Dauid: *Exurge Domine, iudica cauſam tuam, &c. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, Exurge*, & tanquam alter Noe filium impium, populum inquam Iudæorum, maledicito: *Exaltare, & redde retributionem ſuperbis.* Sed verè hoc agit, quod mittit diſcipulos, vt ſuo nomine omnibus inimicis ſuis offerant remiſſionem offenſarum, & primò ijs, qui proximius ſupremam intulerant iniuriam: Incipientibus, inquit, à Ieruſalem. Hoc eſt, quod prædicant, & hęc eſt gloria Dei, quam
2. *Cor.* 4. 4. enarrant: ideoque Apoſtolus vocauit *Euangelium gloriæ Chriſti*: quia hæc eſt ſuprema Chriſti gloria, remittere crucifixioribus, & offenſoribus ſuis: & hoc ipſo quod paſſus eſt acerbiſſimam mortem, mittere legatos, qui gratiam, ac dona ſua, imò, & regnum ſuum offerant ijs, qui ſibi paſſionem intulerãt. Hoc ipſemet Apoſtolus verbis ſubſequentibus explicat, cum enim dixiſſet: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, reſpondere volens quærenti: Quænam eſt hæc gloria Dei, qua omnes egent? addit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Hæc eſt gloria Dei, redemptio per Chriſtum exhibita, per q̃ iuſtificamur, & grati Deo reddimur.

§. 30. *Moyſes hãc Dei gloriam, & honorem videre, & exhiberi petijt, Chriſtum moriẽtem pro inimicis: hæcque fuit gloria, quam ad ſui ſatietatem Dauid optabat.*

¶ 184. SI verba autem iſta Apoſtoli attendamus, intelligemus eum alludere voluiſſe ad illam celebrem petitionem Moyſi. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo ad amicum ſuum.* Et tantis fauoribus à Deo ſe vidit proſecutum, vt eum audiret dicentem ſibi, ſemel, & iterum: *Inueniſti gratiam coram me, & te ipſum noui ex nomine*: quæ verba maximæ familiaritatis, & amoris fuiſſe ſigna, expendit egregiè D. Cyrillus, quibus indicauit Deus, ſe illum maiori fauore proſequi, quam cæteros omnes alios. Hoc igitur fauore animatus, ſtatim in illam inſignem prorupit petitionem: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Cui reſpondit Dominus: *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Varias hæc petitio, & reſponſio continet difficultates. Prima eſt, quam B. Gregorius proponit. Præmiſit Spiritus ſanctus, quod Moyſes loquebatur facie ad faciem cum Deo: ſi hoc iam habebat, quã gloriam ſibi oſtendi petebat? tunc enim Deus gloriam ſuam oſtendit, cum facie ad faciem ſe exhibet videndum. Deinde, ſi Moyſes petit ſibi oſtendi gloriã; quare Deus reſpondet: Oſtendam tibi omne bonum, & non dixit, oſtendam tibi gloriam meam? Tertiò, ſi Deus promiſit Moyſi, ſe oſtenſurum omne bonum, quando hanc promiſſionem adimpleuit? Hæc egregia continent ſacramenta. Et quidem in Hebræo, vt annotat Lippomanus, habetur dictio *Chabod*, quæ ſignificat honorem, & gloriã: vnde, & Caietanus tranſtulit, *Fac me videre honorem tuum*, id eſt,

Exo. 33. 12. 17.

Exo. 33. 18.

Lib. 1. *in Ioan.* 6. 21.

In lib. 1. *Reg.* 6. 19.

In cap. 33. *Exod.*

Exod. 33.

Item,

rem, in qua ſupremum honorem, & gloriam conſtitutam habes. Quod autem reſpondit Dominus: Ego oſtendam tibi omne bonum, ita iuxta alia exemplaria (inquit Auguſtinus) legitur: Ego tranſibo ante te in gloria mea. Ita enim Chaldæus transfert: ego tranſire faciam omnem gloriam meam ſuper faciem tuam, id eſt, coram oculis tuis. Hæc (inquit Auguſtinus) magna prophetia eſt. Deſiderat videre Moyſes id, in quo Deus conſiturum habet ſupremum ſuum honorem, & gloriam, quod abſolutè vocauit gloriam ſuam, & reſpondit Dominus: Ego coram te tranſibo in gloria mea, id eſt, iſtum honorem meum, ſupremamque gloriam tibi demonſtrabo, & coram oculis tuis exponam, in tranſitu meo. Moyſes enim populi Iudaici tenebat vices, cui in tranſitu ſuo Dominus ſuum honorem, & gloriam coram oculis erat expoſiturus. Quis trãſitus? Ille (inquit Auguſt.) de quo Euãgeliſta dicit: *Ante diem feſtum Paſchæ, cum veniret hora, vt tranſiret Ieſus, &c.* Et forſan ad tranſitum promiſſum Moyſi alludere voluit ſacer Euangeliſta, quia paſcha (inquit Auguſtinus) tranſitus interpretatur, quaſi iam illum tranſitum promiſſum deſcribens, inſtantem, & præſentem. In hoc tranſitu ſupremum ſuum honorem, & gloriam declarauit. Dices, Quomodo id? Potius enim tunc, eum abiectum videmus, quem Propheta ſic tranſeuntem conſiderans dixit: *Non eſt ſpecies ei, neque decor, nos putauimus eum quaſi leprosum, &c. nouiſſimum virorum, &c. quaſi abſconditus eſt vultus eius, & deſpectus.* Verè tamen ſupremam ſuam gloriam, & honorem patefecit: tunc enim inimicis pepercit, pro quibus ſanguinem fudit, & vt eos à morte liberaret, morti ſe tradidit; vt illos ſolueret, ille ligari voluit, & cruci affigi, etiam pro his, qui eum crucifigebant, & vt eos æternis pœnis eriperet, ſeipſum offerebat, & clamabat: *Pater dimitte illis.* Hanc magnam Dei gloriam cupiebat Moyſes videre, & viſus eſt ſibi optimam nactus occaſionem ad eam poſtulandam. Viderat enim tunc Moyſes Deum, vt honori ſuo conſuleret, & eum conſeruaret, veniam conceſſiſſe grandis ingentiſque peccati, adorationis vituli, quod ſtatim dimiſit, ex eo quod Moyſes, volenti populum perdere repræſentauit, quod ſi id faceret, cederet in ſui nominis dedecus. His, duo Moyſes apud ſe de Deo concepit: primum, quod Deus facilè eſſet conceſſurus, quod ad ſui gloriam, & honorem conducere repræſentaret, qui rem tam difficilem, qualis erat venia pro peccato idololatriæ, hoc ipſo conceperat, quod repræſentauit, eam conducentem honori ſuo; ſecundum eſt, quod Deus verè glorioſum, & honorificum ducebat, remittere offendentibus ſe. Hinc viſus eſt hanc collegiſſe propoſitionem: Illam omnem remiſſionem peccatorum mihi concedet Deus, quam ſibi ſummè glorioſam repræſentabo. Hinc audaciam ſumpſit, vt peteret Chriſti mortem, & paſſionem, per quam plena omnium peccatorum erat nobis exhibenda remiſſio: ideoque eam petijt, ſub nomine gloriæ, & honoris: *Oſtende*, inquit, *mihi gloriam tuam.* Non ait, oſtende mihi, aut exhibe filium tuum morientem, aut eum trade in mortem: ſed exſtende mihi gloriam tuam, id eſt, Chriſti myſterium, & paſſionem: ſi enim glorioſum ducit remittere offenſas, per illam plena peccatoribus, omnium peccatorum concedetur venia: & ſi concedis, quod ad gloriam ſuam conducit, per illam plenè es glorificandus: ſi namque glorioſum ducis, remittere offendentibus, illud plenè per tale myſterium facturus es: Oſtende iam mihi hanc gloriam. Non itaque petijt Chriſti paſſionem, & myſterium, ex eo quod hominibus eſſet neceſſarium; ſed quod Deo furtum eſſet glorioſum: cui nihil glorioſius, quam remittere, & parcere. Quod, & ipſemet Deus per Eſaiam explicaſſe viſus eſt qui inimicis ſuis eximia dona prius offert, dicens: *Audite me duro corde, qui longe eſtis à iuſtitia: prope feci iuſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur.* Duro corde, in Hebræo, robuſti corde, qui cor habetis indomitum, neque eſt, qui à peccatis, quibus me offenditis retrahat. Iuſtitiã ſuam vocat Deus Filium ſuum, mittendum in mundum; ad

Lib. qq. in Exod. 9. 154.

Ioan. 13. 1.

¶ 185.

Eſa. 53. 2.

Eſa. 46. 12.

Forerius.

mortis passionem, totius iustitiæ, & sanctitatis originem: de quo dixit Paulus,
1 Cor. 1. 30 quod *factus est nobis iustitia* quem pau-
Isa. 45. 8. lò ante idem Propheta iustitiam vocauerat, dicens: & *iustitia oriatur, &c.* Longè, inquit, estis à iustitia, id est, si merita vestra considerauda essent, potius istam iustitiam, idest, Christi mortem, à vobis elongare deberem, & non illum tradere ad mortem, vt vos viuatis; sed potius vos perdere, qui tot nominibus mortem promeremini. Ego tamen propter me illam prope faciam, per quam salutem consequamini. Deinde exprimere volens, quo in loco eam exhibiturus esset, subdit: *Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam.* Loquitur, vt communi sensu sancti patres intelligunt, de Christo, cuius mortem prædicit, per quam salus humano generi, & Deo gloria erat in-
¶ 186. ducenda. Dabo, inquit, in Ierusalem gloriam meam: ibi eam coram omnium oculis faciam manifestam. Quomodo hoc? si enim attendamus quæ in Ierusalem futura erant non videbitur ibi manifestam fieri eius gloriam, sed potius contumeliam, quam Christus Dominus eo tendens prædixit. Nec enim erat sicut Paulus, qui ascendens Ieroso-
Act 20 22. lymam dicebat: *Vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans,* sed Ec-
Matth. 21. ce, inquit, *ascendimus Ierosolymam, &*
18. *filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum.* Benè nihilominus dicit, dabo in Ierusalem gloriam meam, illam quam populo Iudæorum in persona Moysi, me offensurum in transitu promisi. Quasi dicere volens: Propter honorem meum, & gloriam, vobis offendentibus sæpè peperci, & mala contra me agentibus, contuli bona. Id tamen in summo gradu acturus sum in Ierusalem: ibi dabo salutem, hominibus, quia ibi totum humanum genus ad vitam est reparandum, ibi manifestam dabo gloriam meam, quam in hoc præcipuè reposita duco, summas offensas remittere, & suprema mala contra me commissa, supremis donis compensare. Ex quibus etiam illud Dauidis desiderium explicari potest: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quamuis enim communi sensu, Psal. 15. 16
de beatitudinis gloria, hæc verba accipiantur, sicut, & illa, quibus Moyses petebat sibi gloriam ostendi, nihilominus sicuti exposuimus, gloriam quam desiderabat Moyses videre, fuisse Christi passionem, & mortem: ita, & eandem possumus intelligere à Dauide præoptatam, vltra quam, quia nihil amplius restabat, quod Deus pro inimicis facere posset, dixit: *Satia-* Hebr. 5. 9.
bor, cum apparuerit gloria tua. Quod summè Dauid optabat erat, à peccato mundari, & in Dei gratiam accipi. Hoc sciebat, fieri non posse per illa sacrificia, sacramenta, cæremonias, quæ tunc habebat, quæ vt Paulus demonstrat, *non poterant perfectum facere seruientem.* Intelligebat, omnia illa esse figuras, & vmbram: corpus autem, & veritatem esse Christum in cruce morientem, & sanguinem suum in pretium, & lauacrum effundentem, vt idem Paulus explicauit: nemo autem, qui rem desiderat, satiatur per illius figuram, aut vmbram: quantumcunque illa sit exacta, quousq; rem ipsam contingat: idcirco clamat Dauid: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Hebr. 10.
Vmbram hucusque dedisti, figuras exhibuisti, imagines præstitisti nostræ salutis, & redemptionis per mortem Christi præstandam, sed non hæc satiant: tunc satiabor, quando rem ipsam exhibueris. Hancque eius gloriam vocat, quia hoc Deus pro gloria habet, inimicis parcere, & benefacere, quod in gradu supremo præstiturus erat in morte Christi, quando pro ijs, qui eum actu interficiebant, vitam suam offerebat, & sanguinem suum in lauacrum eiusdem iniquitatis, quam committebant illius effusores. Rem hanc concludamus, expendentes cum Beato Cypriano ordinem, quem Christus statuit in oratione, quam edidit, docens nos orare: sic enim orandum
¶ 187. dicit. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra.* Panis nomine, omnia quæ ad vitam sunt necessaria, solet sermo diuinus intelligere, & voluit, vt quolibet die illum peteremus, idcirco non petēdum nisi pro hodie. Voluit Christus,
Lib. de oratio Domi. Matt. 6. 11

vt pe-

vt petens à Deo ſibi neceſſaria dari, ſimul adiungeret confeſſionem offenſarum contra illum commiſſarum, ſubdens, *& dimitte nobis debita noſtra.* Videtur certè incongruum ei, qui beneficium ab alio obtinere cupit, quem offendit; petendo beneficium, in memoriam reuocare offenſam. Pro conſtanti habebant fratres Ioſeph, quod ſi *Gen. 50. 15* memoria illa retineret offenſam, quam contra ipſum commiſerant, non eſſet futurus eis beneficus; idcirco eam omninò obliuiſci optabant. Qui enim petens beneficium offenſam quam commemorat, potius videtur illum obligare, vt à conferendo beneficio ſe contineat. Egregiè tamen Chriſtus petitiones ordinat; hoc enim Deus pro gloria habet, benefacere offendentibus ſe, & eis non ſolum remittere offenſas, quas confitentur, ſed, & ingentia bona largiri. Idcirco aptè ſtatuit, vt petiturus beneficia confiteatur offenſas, quo oſtendatur ſumma Dei bonitas, qui quotidiè dat panem, & omnia neceſſaria ei, qui quotidie eum offendit. Et hoc eſt, quod etiam nunc Chriſtus exprimere voluit, Dei referens conſuetudinem, qui ſolem dat ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Hæc omnia adeò erant Apoſtolo comperta, & eius prædicationi conformia, vt ipſemet illam *Ad Rom. 6. 1.* illam poneret obiectionem; *Nunquid manebimus in peccato, vt gratia abundet,* & Dei gloria? ſi enim ex eo, Deus gloriam ſuam oſtendit, quod maioribus peccatoribus ſæpè maiores miſericordias confert; videtur conueniens, graues culpas committere, vt maior Dei gloria fiat manifeſta, & Deus noſtro loquendi modo reddatur glorioſior. Reſpondet Apoſtolus: *Abſit*: peccata enim per ſe, potius ſunt ad Dei dedecus, & contemptum: ex eius bonitate fit, vt illa remittat ad ſui gloriam oſtendendam, de quibus alibi. Ex ijs efficaciſſimum argumentum cõ- *Lib. de bono patientiæ.* ſtituit Beatus Cyprianus ad noſtrum inſtitutum. Nullus eſt, qui magis honorem ſuum curet, quam Deus: quique minus permittat honori ſuo detrahi: Deus autem, non tantum non cenſet eſſe contra ſuum honorem, inimicis parcere, & benefacere: ſed potius hoc tanquam ſupremum honorem, & gloriam eſt inimicis parcere, & benefacere. Nihil certè ſublimius eſſe poteſt, quam vilem vermiculum, id ſibi reputare inhonorificum, quod Deus ipſe ſibi glorioſum cenſet, prædicat, æſtimat, & clamat. Si ijs adiungamus Beati Dionyſij doctrinam, quod tunc creatura perfectior eſt, quando magis ſe diuinis moribus conformat, huius argumenti vim, & efficaciam clariſſimè intelligemus.

§. 31. *Rem eſſe honorificam parcere, & patienter ferre inimicos, etiam ſancti viri demonſtrãt: quorum vita tanquam ſpeculum conſpicienda eſt, vt noſtram componamus.*

¶ 188. HOc ipſum manifeſtè vlterius oſtendemus, ſi ad viros illos, oculos conuertamus, quos honorificos, & glorioſos, omnes iudicamus, ſanctos ſcilicet viros, quorum ſi laudamus facta, imitari debemus exempla. Horum opera ſi expendamus, videbimus, parcere inimicis, & offenſoribus, ac eis benefacere, non ſolum non eſſe rem inhonorificam; ſed quæ ſummam gloriam, & honorem infert B. Chryſoſto- *Homil. 61. ad popul.* mus homiliã, aut tractarũ egregiũ edidit, cuius titulus eſt: Quod vtiles ſint moderatæ tentationes ad omnes, vbi egregiè, bona quæ ex tentationibus, & tribulationibus proueniunt, proſequitur. Quoniam autem non leuis tribulatio, & tentatio eſt, quæ oritur ex iniurijs contra nos illatis, ſermonem totum cõuertit ad oſtendendũ, multa, & innumera bona ex patientia, & remiſſione iniuriarum oriri, conficitque multa argumenta ad eam tenendam. Obſeruatque in primis, debere mouere nos exemplum Dei, qui inimicis ſuis quotidie parcit, & benefacit: & exemplum Chriſti, qui tot tantaque ab inimicis pertulit. Expenditque dictum

Matt.26. 52. illud ad Petrum: *Mitte gladiũ tuũ in vaginam⌣: calicem quem dedit mihi pa-*
Ioan.18.11 *ter, non vis vt bibam illum⌣*: Paſſionem ſuam, calicem vocat, quaſi potionem amaram, quam ſumens, *purgationem peccatorum⌣*, quam dixit
ad Heb.1.3 Paulus, erat facturus, vt intelligas, ea quæ ab inimicis pateris, eſſe quandam amaram potionem, quam ſi patienter feras, purgare peccata poteris. Et Chriſtus, inquit Chryſoſtomus, non vult pro ſe iraſci, nec vt Petrus pro illo gladium euaginaret, quem ad vaginam conuerti iuſſit: vt intelligas, multo minus pro temporalibus corruptibilibuſque bonis, vanioribus vento, iram excitandam, ſoluendas manus, & euaginandum gladium. Sed dices, inquit Chryſoſtomus: ille Deus eſt omni ira, & paſſione ſuperior, ego verò homo ſum, quem paſſio violenta impellit atque perturbat. Eia ergo, inquit, tibi homines producamus, ſimiles tibi, in quibus conſpicere poſſis bonũ, quod ex patientia poſſis reportare, & honorem, quem iniurias remittens, conſequeris. Id vt nos faciamus, obſeruanda eſt ex Gregorio Nyſſeno vti-
Oratio de dor. uient. litas, quam ex ſpeculis habemus. Nihil decentius homini, quam faciem ſuam tenere, & exhibere mundam, ſed qui aliorum facies facilè videt, ſuam videre non poteſt, propterea prouidè à natura data ſunt ſpecula, in quibus homo propriam faciem poſſit intueri. Acutos habent homines oculos, vt alios cõſpiciant, & circumſpiciant, qui ſeipſos nõ contemplantur, cum tamẽ hoc magnũ ſit cuiuſque bonum, noſſe ſeipſum. Vt ergo homo animæ ſuæ faciem poſſit componere, ſpecula lucidiſſima ei data ſunt. In primis ante oculos noſtros ponitur ſpeculum mũdiſſimum, ac puriſſimum. Deus ipſe, ad cuius conſpectum, ſi animæ noſtræ faciem componamus, pulcherrimã reddemus. Quod, & Chriſtus Dominus ſuadere voluit, dicens: *Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Quoniam autem dicere homo poteſt, ſpeculum hoc eſſe longè poſitum, & Deum habitare lucẽ inacceſſibilem, quam nemo hominum vidit, datum eſt *ſpeculum* illud *ſine macula*, Chriſtus Dominus, qui nos hortatur, vt ad eius imitationem, noſtras componamus actiones, & quod ſequamur ipſum. Sed quoniam ſimiliter ¶ 189.
homines clamare ſolent, inquit Chryſoſtomus, illum fuiſſe Deum, & impoſſibile eſſe, vt homo vilis vermiculus, &
infirma caro, *ſuum ſequatur factorem⌣*, *Eccl.2.14.*
alia ſpecula nobis propinqua data ſunt, ad quorum conſpectum, animas noſtras componere poſſimus: hæc ſunt Sanctorum virorum exempla⌣. Hæc *Lib. de Catechiz and. rudib. c.7.*
Auguſtinus, cum fœditatem animæ voluit deponere, ſibi conſpicienda propoſuit, qui exempla ſeruorum Dei conſiderabat, quos de mortuis per conſiderationem, & contemplationem quaſi viuos ſibi proponebat contemplandos. Huiuſmodi exempla à nobis tanquam lucidiſsima ſpecula ſunt conſpicienda⌣. Non ſine magno myſterio Moyſes labrum illud æneum, aut æreum fecit, id eſt, concham, quam
Deus fieri iuſſerat, *fecit, & labrum⌣* *Exod.38.8*
æneum cum baſi ſua⌣, de ſpeculis mulierum⌣, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. Grande certè vas illud erat, vtpote quod tantam aquæ quantitatem caperet, quæ ſufficeret ad abluendas manus, & pedes miniſtrorum, ſicut Deus ſtatuerat, quod propterea ingentis ponderis eſſe videbatur; tum propter grauitatem æris, ex quo confectum erat? tum propter aquarum magnam quantitatem, quam continebat. Et nihilominus fecit Moyſes baſim eius, à qua ſuſtentaretur, *de* *Exod.30.*
ſpeculis mulierum⌣, quæ excubabant 18.
ad oſtium tabernaculi. Multa tibi circa hoc vas obſeruata ſunt; nunc rem annoto admiratione dignam. Nihil enim fragilius eſſe poteſt, quam ſpecula mulierum, quæ ex vitro confici ſolent, quod non ſolùm ad tactum æris, ſed, & cuiuſuis lapidis confringitur. Quomodo tam fragilis materia, tam ponderoſam machinam ſuſtentabat? Egregium tamen ibi præfigurabatur myſterium: labrum enim illud, legem Dei ſignificabat, continentem aquam diuinæ doctrinæ: hæc grauis videtur, tanquam vas ponderoſum: ſed verè non eſt, quam res tam fragilis, qualis eſt ſpeculum vitreum mulierum, poteſt ſuſtentare. Vide legem

Dei,

Dei, quam fingis tanto pondere prementem, vt importabilem iudices; eam ferunt mulieres infirmæ, puellæ, virgines debilioris ſexus, quæ quaſi coram Auguſtino expoſitæ, quando in ſuæ conuerſionis initio grauem iudicabat legem, clamabant: Nunquid non poteris tu quod nos? Deinde confecta erat baſis ex ſpeculis mulierum, quæ excubabant ad oſtium tabernaculi. Mu-
In cap. 38. Exod. lieres illæ erant, (inquit Lippomanus ex multorum ſententia) quæ à ſe vanitatem ſeculi reiecerant, & ſoli Deo placere ſtudebant, & ſpecula, quibus vſæ fuerant, in vſum tabernaculi obtulerant, & ſeipſas continuis orationibus tradiderant. Quæ propterea animarum ſanctarum iuſtè typum tenebant. Hoc ipſo inſinuare volens Moyſes, quod ſi videre vis quomodo lex Dei ſit à te ſeruanda, ſanctorum vitas, & exempla, qui eam ſuper ſe tulerunt, conſideres; eorum acta, & opera tanquam ſpeculum clariſſimum contempleris, & præ oculis habeas, ſecundum quod te ipſum componas. Mulier ad faciem mundandam, & componendam eget aqua, qua illam lauet, & ſpeculo ad cuius conſpectum ornet. Aquam ad faciem conſcientiæ lauandam, continet vas diuinæ legis: ſpeculum autem, ſecundum quod eam componas, præſtat ſanctorum vita, & exempla. Si ergo noſſe vis, an aliquid tibi in honorem, vel ignominiam cedat, non rem in te ipſo conſpicias: nam ex nimia propinquitate impedieris, rectum ferre iudicium: ad ſpecula oculos conuerte, aut rem ipſam in alio, videndam repone. Hoc enim facere conſueuerunt homines, qui cum dubitãt an illis quadret veſtimentum aliquod, melius iudicant, ſi illud alter; ſuperpoſitum conſiderent, & aliquantulum à ſeipſis
¶ 190. procul ponant. Vide quid ſancti egerunt, certè non tantum inimicis pepercerunt, & in eos ſe exhibuerũt beneficos, ſed id pro ſummo duxerunt honore. Oculos conuerte ad ſpeculum illud clariſſimum, quod in lege
Serm. 168. de tempor. naturæ fulſit, Ioſeph, quod expendendum Auguſtinus proponit. Noſti quã grauem à fratribus ſuis tulerit offenſam? noſti etiam, quam læto animo, non ſolùm eis pepercerit, ſed innumera contulerit beneficia. Quæro à te: An id Ioſeph fecit, iudicans honorificum, an contra honorem? Certè tam glorioſum fuit, quod illum reddidit apud omnes gentes, & omnia ſecula illuſtrem. Oculos conuerte ad Dauidem, & in eo contemplare illud factum, quod omnibus ſuis facinorib. anteponit Chryſoſtomus, cùm inimicum impium ſæuiſſimè perſequentem ſe, tam liberum dimiſit, & tam egregia erga eum dilectionis ſigna demonſtrauit, & interrogabo te, an illud contra eius honorem factum iudices. Legis Chriſtophorum alapa percuſſum, patienter tuliſſe, dicendo: Chriſtianus ſum, qui patientiam teneor ſeruare: num propterea aliquid fecit indecorum, aut inhonorificum? Audiſti Apoſtolum dicentem: *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* Nunquid honorem ſuum amiſit, aut perdidit, an verò æternam ſibi gloriam cõparauit, & illuſtriſſimum ſibi nomen fecit? Conſiderandum exponit B. Cyprianus ſanctum Iob à Chaldæis, Sabbæis, famulis, vxore, amiciſq; perſecutione dura impetitum; qui tamen ad ſummum faſtigium laudis, patientiæ virtute prouectus eſt. Quãdo eum vides, inuictam patientiam tenentem ad impetum Chaldæorum, & Sabbæorum & adorantem Deũ, eiſque ſe ſubijcientem, & dicentem: *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c. Sit nomen Domini benedictum.* Nunquid videtur tibi contra honorem ſuum egiſſe? Acutè certè P. Gregorius Nyſſenus obſeruat inſcriptionem trium pſalmorum Dauid, ſ. quinquageſimi ſexti, quinquageſimi ſeptimi, & quinquageſimi octaui, quibus omnibus hic præfixus eſt titulus: *In finem, ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem.* Edidit Dauid hos pſalmos, canens quod ſibi accidit, cum Saulis pateretur crudelem, & ſæuam perſecutionem, cui ſemper pepercit, vt ſacra narrat hiſtoria. Particula illa. *In finem*, inquit Gregorius Nyſſen. victoriam exprimit, eiuſque teſtimonium eſt. Vnde, & alij vertunt *victori*, quaſi diças: Hæc eſt victoria Dauidis.

Hom. 2. de Dauide & Saule.

1. Reg. 24.

Lib. de bono perſeu.

Iob 1.

To. 2. tra. 2. in pſa. c. 14. 15. 16.

Pſa. 56. 57. 58.

Cap. 15.

Quod

Quod verò subdit: *Ne disperdas in tituli inscriptionem*, annota dictum fuisse, metaphora sumpta à magnis ducibus, & principibus, qui ex insignioribus victorijs, quas reportarunt, arma, & stemata sibi faciunt, quasi honoris sui trophæa: quæ posteris suis relinquunt, vt illis perpetuò conseruentur ipsorum triumphi. Has propterea sculpi curant in lapidibus duris, aut in æneis laminis, nec in superficie tantum, sed quod in profundum incidantur, procurãt; quatenus perpetuæ sint, nec abradi, aut dissrumpi possint, & in circuitu literis profundè excauatis, quæ deleri non possint, breui scriptura totam victoriam indicant, quæ illos celebres in perpetuum conseruet. Ita quidem Dauid, vidit se euectum ad regiam dignitatem, & quod stemata nobilitatis suæ formãda erant: quoniam autem nobilitatem non à parentibus, sed à proprijs operibus habebat: stemata voluit sculpi, non ex antiquorum parentum factis, sed ex suis victorijs desumpta. Sed dices. Quænam stemata elegit? quænam trophæi sui arma sculpi voluit? ¶ 145. *In finem*, inquit, ideſt, victoriam celebrem, eximiam, & famigeratissimam. Sed quam? num illam, quam de leonibus reportauit, quos quasi agnos reputabat, *& cum leonibus luſit, ſicuti cum agnis?* num leones in stematibus suis ponendos eliget? Nequaquam. Num vrsos, quos manibus comprimebat, *& ſuffocabat & de eorum dentibus præda liberabat?* minime, Num Goliath illum superbum, vnico ictu lapidis deiectum, & proprio illius gladio decollatum? certè enim hæc celebris fuit victoria eius, propter quam mulieres Israel canentes, choroſque ducentes, dicebant, *eum percuſſiſſe decem millia*: quia maior victoria fuit, cum vnicum Gigantem vicit, quam si exercitum decem millium militum vicisset. Sed neque hanc victoriam suo honori reputat dignam, ex qua stemata, & arma sculpat. Quã igitur victoriam? Eam, quam reportauit cũ Sauli inimico suo semel, & iterum, atque iterum pepercit. Hæc suprema victoria illius, quod, & supra ex Chrysostomo demonstratum est, hancque eligit, ex qua arma suæ relinqueret posteritati. Hæc sculpi ita voluit, vt nulla obliuione delerẽtur, neq; dissrumperentur, sed perpetuò seruarentur illæsa. Idcirco illis psalmis, quos ad hanc victoriam celebrandam composuit, hunc præfixit titulum: In finem, ne disperdas in tituli inscriptionem, &c. Alij legunt, *In fine disperdas insigne aureolum Dauidis*, quasi hanc victoriam tãquam aureolam insignem sibi eligeret, ad triumphum perpetuis futuris temporibus celebrandum. Notum est enim, aureolas triumphatoribus, & victoribus dari solitas, quibus tempora redimerent, & summo honore afficerentur: erantque quasi coronæ honoris, & gloriæ. Hinc sibi aureolam petit Dauid, quod inimicum crudelem dilexit, persequentem sustinuit, & cupientem occidere, à morte seruauit, illudque vult perpetuò conseruari. Et verè ita est, res enim, quam magis Dauid honorificam duxit, hæc fuit. Imò, & credo, hoc ipsum, quod Dauid fecit, feciſſe sanctos viros, qui trophæi sui arma, & stemata honorifica eligerunt ex patientia, quam tenuerunt, cum persecutionem paterentur ab inimicis. Petrus Apostolorum princeps crucem fert tanquam trophæi sui arma, non in qua crucifixit inimicum, sed quam patienter tulit ab inimico, in qua vitam finiuit, orans pro ijs, qui ei mortem inferebant. Paulus vas electionis, primo quidem, vt annotat Chrysostomus, catenas, & persecutiones tanquam nobilissima stemata ferebat, non quibus alligauerit inimicos, sed quibus ligatus pro Christo tenebatur, & persecutiones, quas patiebatur, tanquam nobilitatis arma præferebat dicens: *Nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*; Gladius deinde datus est in eius manibus, non quo alterum iugularet, sed quo iugulatus cum esset, patienter, & gloriosè pro Christo fuit occisus. Matthæus lancem defert, non qua aliquem transfigeret, sed qua transfixus est. Stephanus lapides secum fert, tanquam trophæi, & victoriæ arma, non quos contra alios iecit; sed quos ab alijs contra se proiectos patienter tulit, orans pro se lapidantibus. Ita, & Laurentius craticulam, & Lucia oculos, & Apollonia dentes

Eccl. 7. 3.

1. Reg. 17. 34. 35.

1. Reg. 18. 6.

Vatabl.

Ad Gal. 6. 17.

dentes &c. Hæc illorum ſtemata: nec mirum, nam ſi Chriſtum Dominum conſideres, videbis ſimiliter ſui triumphi arma eſſe Crucem, quam ſuper Regum coronas, & Imperatorum diademata, & Pontificum tyaras voluit eleuari. Hæc eſt ſignum victoriæ ſuæ. *Matth. 24.* Vnde dicitur; *Signum filij hominis.* Nõ quidem erat crux, in qua crucifixit eos qui ſe perſequebantur, ſed in qua ab eis mortem patienter ita ſuſtinebat: vt pro eis oraret, pro eis ſe offerret, pro eorum vita mortem ſuſtineret. Glorioſiſſimam ergo rem iudicas in illis, inimicis peperciſſe, quæ Sanctos illos reddit ipſis aſtris ſplendidiores: non igitur tu rem tibi inhonorificam facies, id ipſum agens.

§. 32. *Factum S. Stephani ſingulariter expendendum eſt, & cur eius oratio peculiariter Paulo profuerit, & quorum iudicium ſequendum ſit in cauſa honoris.*

¶ 192. QVoniam ſingulariter ſpeculum quoddam lucidiſſimum nobis cõtemplandum, eſt Beatus Stephanus, vt Cyprianus *a*, annotauit, obſeruare licet, circa illius orationẽ, quam pro lapidantibus fudit, per quam, vt frequenter annotat Auguſtinus Paulus conuerſus eſt. Si Stephanus, inquit *b*, non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Cui concinit illa B. Fulgentij *c*, ſententia: Quò proceſſit Stephanus in cœlũ trucidatus lapidibus Pauli, illic ſequutus eſt Paulus adiutus orationibus Stephani. Quæri enim poteſt, cur ſingulariter in Paulo, Stephani oratio effectum habuerit. Oecumenius probabile reputat, non tantùm Saulo profuiſſe orationem Stephani, ſed alijs multis lapidatoribus eius, quibus propter illius orationem, cenſet demiſſum fuiſſe peccatum. Sed quamuis ita ſit, dubium eſt, cur tam peculiariter profuit Saulo. Duplexque ratio reddi poteſt, prima, quoniam quamuis multi eſſent, qui Stephanum lapidabant, illorum tamen omnium rabies, & malitia in vnico Saulo claudebatur, quem propterea egregiè Sãctus Euangeliſta deſcribit dicens: quod *teſtes depoſuerũt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis qui vocabatur Saulus*: & quod *Saulus erat conſentiens neci eius*. Vocatur Saulus adoleſcens, in Græco *Neaniu*, quæ vox non tantùm ſignificat illum, qui minorem ætatem nondum exceſſit, ſed etiam qui nondum ad prouectam ætatẽ peruenit, nam apud Græcos ex ſententia Pythagoræ, adoleſcentia vſque ad 40. annum procedebat, aut ſaltem vſque ad trigeſimum, apud Varronem *a*, quem Cælius citat. Et verè credo ſignificare iuuentutem, aut iuuenilem ætatem. Id quod Beatus Gregorius *a*, docet, & probat ex illo *b*, *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua*, id eſt, iuuenili, robuſta, firmaque ætate: itemque ex illo, quod ipſe Paulus. Timotheum iam Epiſcopum vocat adoleſcentem: *Nemo* inquit, *adoleſcentiam tuam contemnat*, id eſt, iuuentutem, quæ omnia ſimiliter in hunc locum annotauit Anſelmus. Et certè iam tunc Saulum minorem ætatẽ exceſſiſſe, & iuuenilem tenuiſſe ac virilem, patet primò, quia Ananias illum abſolutè virũ vocauit: *Audiui*, inquit, *de viro hoc &c.* Et ipſemet Paulus fatetur, ſe ante ſui conuerſionem, iam ad iuuenilem ætatem perueniſſe. *Et quidem*, inquit, *vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis, nouerunt omnes*. Et qui chronologias, aut annales conſtruunt, expenſa eius ætate, qua mortuus eſt, & qua vixit poſt conuerſionem, colligunt, cùm lapidaretur Stephanus, iam ad annum trigeſimum, vel circa peruenìſſe. Illum enim mortuum fuiſſe ſenem, patet ex eo, quod ipſe ad Philemonem ſcribens, ſe iam ſenem profitetur, qui iam ad minus ſexageſimum quintum annum agebat: qui poſt ſuam conuerſionem vixit triginta quinque annis, aut circa. Cõuerſus eſt enim, anno Chriſti trigeſimo quarto, mortuus anno Chriſti, ſexageſimo nono. Saulus ergo ipſe poterat Stephanum validè ac potenter lapidare, non tamen id fecit, ſed veſtes lapidantium ſeruare voluit, inquit Auguſtinus *c*, vt omnium lapidantium manibus lapidaret ille. Omnium manibus lapidaſſe conſendus eſt, inquit Grego

Act. 7. 57. *Act. 7. 59*

Apud Calepi. dictio. Adoleſcentia.

Li. 19. c. 21

a Ho. 2. in Ezec. & 3. p. Paſto. ad mo. 26.

b Eccl. 11. 9. 1. ad Ti. 5.

In c. 4. 1. ad Tim.

Act 9. 13.

Act. 26. 4.

Epiſt. ad Philem. 6.

Vide Baro niũ tom. 1. ¶ 193.

a Li. de bono patientiæ.

b Ser. 1. 4. de Sanctis & ſer. 94. & 99. diu.

c Serm. de Sanct. Stephan.

c Ser. 93 & 94 diu & Serm. 1. de Sanct.

d Ho. 19 in Euãg. & l. 4. in 1 Reg. c. 10.

rius e, qui ad lapidandum, omnes expeditos reddebat. Quidam credunt Stephanum olim, condiscipulum Sauli fuisse. Oecumenius a, credit etiam eius fuisse consanguineum, aut affinem, qui seruare voluit vestes lapidantium, vt omni deposita cura, eò validius, & potentius, quò liberius lapidarent. Id quod ipse postea, confitens peccatum suum, dicebat: *Et cùm funderetur sanguis, Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum*. Expende vim omnium verborum. *Ego astabam*, quasi illos animans, hortans, inducens, & ideò noluit ille lapidare, vt liberius videret Stephanum in suo sanguine voluntatem, eo modo, quo quis, astat spectaculo, qui vt liberius gratiusque delectari possit, illud videndo, nulli alteri rei vacare vult. *Et consentiebam* illis omnibus, ita quod vna eius voluntas, omnium aliarum iniquarum voluntatum capiebat actus, & qui consentiebat cum omnibus, peccabat cum omnibus. *Et custodiebam vestimenta*, robur illis tribuebam, dum eos ab alia quacunque cura liberans, validiores reddebam ad lapidandum. Vnus ergo Sauli animus, totam aliorum malitiam, rabiem, ac iniquitatem complectebatur. Orans igitur Stephanus, pro quonam singulariter erat orandum, quem peculiariter conuertet? Certè pro illo, qui omnium personam agebat. Hæc victoria Stephani, similis illi, quam Dauid de gigante reportauit. Erat Goliath præcipuus Philisthæorum, qui illorum omnium personam agebat. Contra quem Dauid lapidem mittet? Certè contra istum: illo enim deuicto, omnes Philisthæi victi succumbent. Ita Stephanus, vult inimicos se lapidantes vincere, victoriam celebrem de eis reportare, non eo modo, quo mundi milites eam referunt, occidentes inimicos, sed diuino more, benè faciens eis. Orationis ergo lapidem fundens, quem erat inimicum à perfidia, & peccato defecturus? Certè illum, qui omnium gerebat, & tenebat personam, maiorem inimicum, & qui omnium rabie feruebat. His adde secundam rationem, Censeo enim Stephanum cùm esset plenus Spiritu Sancto, & ex consequenti charitate, & amore Dei, excellentissimum actum charitatis profetre voluisse: ille autem fuit, orationem quam pro omnibus fecit peculiariter fundisse pro eo, quem maiori rabie, crudeliori inimicitia, ac sæuiori odio contra se videbat succensum, quique acrius ipsum lapidabat, & totum orationis suæ pondus in crudelioris inimici bonum (quantum existimo) conuertit, & quoniam ille erat Saulus, Saulum vicit, deiecit, de eo triumphauit, quem Christo ita subiecit, vt crudelissimam postea pro illo mortem subiret. Hæc victoria Stephani. Interrogo igitur, num Stephanus inhonorificum aliquid egit? num honori suo dedecus induxit? Certè talem honorem consecutus est, quod inter martyres palmã ferat, Prothomartyr meritò vocatur. Stephanus Græcè, inquit Augustinus, latinè corona appellatur, per hanc charitatem non solùm non honorem amisit, sed sui nominis coronam sibi iure promeruit: quod, & communiter Sancti Patres obseruarunt, Sanctus Petrus Chrysologus, & Beatus Maximus, & alij: sed, & alterum Stephanum monachum profert Beatus Gregorius, qui hoc singulariter curauit, gratias referre offendentibus se, qui propterea in tanto honore fuit habitus, vt cùm mors eum vrgeret, omnes qui eum nouerunt, ad eum confluxerunt, tam Sancto viro suas animas commendantes, de quo alibi. Hæc egregiè prosequitur Beatus Basilius, qui postquam multos Sanctos protulit, qui erga inimicos eximiam dilectionem, & beneficentiam exercuerunt, qua de causa celebres apud omnes, & ad omnia secula facti sunt, subdit: Quorum ergo tu dic mihi, cupis esse discipulus? beatorumne hominum, & Deo gratorum, an eorum, qui spiritu referti sunt maligno? Approbas illorum facta, confiterisque illa ipsis fuisse honorifica, & tibi credis in dedecus cedere, inimico parcere? Quòd si dicas, illos extitisse excellentissimos viros, quorum exempla suprema sunt, quæ tu attingere non vales: non

a *In cap. 7. actor.*

Act. 22. 20.

¶ 194.

Serm. 2. de Sanct.

4. Dialog. cap. 19.

Ho. 10. de ira, p. 168.

solùm

ſolùm Petrum, & Paulum, & Stephanum, & ſed, & minores, ac longè inferiores, inquit Chryſoſtomus, oculis tuis videndos exponam. Heli Annam deriſit, dicens: *Digere vinum tuum quo mades.* Quid hoc contumelioſius? Quid igitur hæc dixit mulier? *In aſpera die ego ſum.* Eadem autem hæc, & ſuam habens æmulam, non eſt eam contumelijs perſecuta, ſed quid? ad Deum confugit, & orans, nec eius meminit, neque dixit: Quoniam illa mihi improperat, defende me: tam ſapiens erat mulier, erubeſcamus viri. Publicanus à Phariſæo contumeliam paſſus, contumeliam non reddidit, licet ſi voluiſſet, vtique potuiſſet: ſed æquè tulit, dicens: *Propitius eſto mihi peccatori.* Miphiboſeth à ſeruo accuſatus, & paſſus calumniam, nihil dixit, aut fecit in eum mali, neque coram rege ſuo. Vis, & meretricis audire ſapientiam? Audi Chriſtum dicentem, cum pedes ipſius capillis extersit: *Publicani, & meretrices præcedunt vos in regno.* Vidiſti eam ſtatem, & confidentem, & propria abluentem peccata. Vide quomodo Phariſæo non eſt irata cum improperaretur: ait enim, *ſi ſciret quia peccatrix eſt hæc mulier, non eam dimiſiſſet*: nec ad eum dixit; Quid enim quæſo, tu mundus es à peccatis? ſed plus patiebatur, plus gemebat, feruidiores effundebat lacrymas. Si verò mulieres, & meretrices, & publicani philoſophantur, & hoc ante gratiam; qua ſumus digni venia, qui poſt tantam gratiam, beſtijs efficimur feriores, mordentes, & calcitrantes, &c. Ita Chryſoſtomus. Iure ergo illa Pauli verba poſſumus inducere, *Habentes ergo tam impoſitam nubem teſtium, per patientiã curramus.* Quot ſanctos tibi conſpiciendos profert, tot tibi exhibet teſtes, quibus conuincit honorificum eſſe, & glorioſum, inimicis parcere, & remittere eorum offenſas. Communi ſenſu in caſu honoris eos conſulendos cenſemus, qui de honore aptum congruumque iudicium ferre poſſunt: & bene dicimus: nam Spiritum ſanctus ex profeſſo demonſtrauit, de quacunque re ab ijs conſilium ſumendum, qui illius ſapientes ſunt. Vnde tanquam indecentiſſimam rem, & irriſoriam, ponit, *ſi cum viro irreligioſo tractes de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia, & cum timido de bello, & cum muliere de æmulatione: & cum agricola de operationibus regalis curiæ,* &c. de rebus igitur honorificis, cum quibus tractandum eſt? Quorum dicto erat ſtandum? Annotat Sapiens excellentiam diuinæ ſapientiæ: quia autẽ hæc à multis reputatur ſtultitia, docet, quinam de illa conſulendi ſint, & quorum iudicium ſequendum. *Generoſitatem,* inquit, *illius glorificat, conſubernium habens Dei.* Procedit vera ſapientia à Deo: in illius tantum domo reperitur eius origo, inde illa genus ſuum ducit: ille ergo tantum poterit optimè de eius generoſitate, excellentia, & veritate iudicare, qui cum Deo habet contubernium, aut conuictum, qui familiaris eſt domus ipſius: ille namque ſolus poterit de nobilitate alicuius equitis iudicare, qui familiaris eſt domui patris ſui, à qua ille procedit. Ita Latini interpretes exponunt. Simili modo de vero honore dicendum eſt. Verus honor à Deo ipſo procedit, in *cuius domo*, dicitur *eſſe gloria*, id eſt, honor, & decus, cuius populus dicitur *honorificatus*. Quis de honore poterit aptè iudicare? qui Deo, veri honoris fonti, & origini familiaris eſt, eius leges, conſuetudines, & ſtatuta nouit. Num poſſent de honore nobilium iudicare agricolæ, & campeſtres homines, qui nunquam regis curiam viderunt, nec eius leges vel leuiter legerunt; hi de terra apta ad fructus, de melopeponum, & ceparum ſatione, de arborum inſitione, iudiciũ ferre poſſunt. Qui Deũ non norunt, nec cũ eo habent familiaritatem, nec quæ in eius domo aguntur, conſiderant, de rebus terrenis, quibus dediti ſunt, iudicare poſſunt. Sancti qui illi ſunt familiares quos Dauid, *nimis honorificatos* vidit, hi de vero honore iudices ſunt, & teſtes. Qui ergo de vero honore iudicare apti ſunt, ita ſentiunt, ſicut diximus; imò verò, & tu ipſe eos conſiderans, verè rem honorificatiſſimã iudicas, illos ita agentes:

Hom.62. ad pop. cit. *1.Reg 1.14* *Luc.18.* *2.Reg.19.* *Matth.21. 31.* *Luc.7.* *ad Hebr. 12.1.* ¶ 195. *Eccl.37.12* *Sap.8.3.* *Eccl.24.16* *Pſ.138.17.*

tes: quomodo igitur in te iudicas inde eorum, quod illos tam glorioſos, illuſtres, clariſſimoſque reddidit. Si his addas, quid iudicandum cenſeas de ijs, qui nullatenus iniurias remittere voluerunt, id quod intendimus clarius cognoſces. Eundem vide Chryſoſtomum, comparantem Saulem, & Dauidem, & coram oculis tuis exponentem, vt iudices, quis eorum magis honori ſuo proſpexerit, Saulne, qui Dauid, quem inimicum reputabat, mille modis iniurioſus fuit, an Dauid, qui totidem modis ei pepercit? Quis factus eſt clarior? Nonne ille à dolore ſuffocabatur, & malo dæmone, hic autem ſuper Solem, triumphis, & Dei beneuolentia coruſcabat?

Hom. 45. ad populũ.

§. 35. *Philoſophi, & Sapientes ſola naturalis rationis luce iudicarunt, rem honorificam, inimicis parcere, & benefacere.*

¶ 196. TAndem oſtendere libet, quod propoſuimus, ex ijs, qui de rebus ſecundum rationem naturalem iudicarunt: vt hoc non tantùm diuinæ legi, ſed, & naturæ ipſi eſſe conforme comprobemus. In primis Pythagoras ille, à quo originem habuit genus philoſophiæ Italicum, ita diſcipulos ſuos inſtructos habebat, vt quaſi magnum dedecus reputarent, ſi ante diſceſſum ſolis non reciperet homo ad ſui gratiam illum qui ſe offenderat: quibus illud erat commune prouerbiũ; Sol non occidat ſuper iracundiam, vt infra dicemus. Hoc demonſtrat etiam Origenes ex ſententia illorum duorum, qui celebres inter philoſophos habiti ſunt, Anaxarchus, & Epictetus, qui varijs iniurijs affecti, nullatenus contra offendentes commoti ſunt, exiſtimantes indignum viro ſapienti, de vlciſcenda iniuria curare, diffinientes ſolummodo ab inſipientibus, & ſtultis vindicari offenſas, quas qui verè ſapiunt, facilè remittunt. Plato, qui inter philoſophos diuini nomen obtinuit, introducit Socratem cum Critone diſputantem, an vindicandæ ſint iniuriæ, inimicique odiendi, & probat id omninò ſapienti humanoque viro eſſe indecens. Refertque Origenes ipſe ad idem inſtitutum, Lycurgũ Lacedæmonum legislatorem, qui cùm in poteſtate ſua accepiſſet virum, qui ipſius eruerat oculum, non ſolum tam graue damnum, & iniuriam non vindicauit, ſed ingentia in eum contulit beneficia: & aliud quid ſimile de Zenone Stoicorum principe refert. Cicero item, Iulij Cæſaris virtutes commendandas ſuſcipiens, clementiam cæteris anteponendam diffinit; qua facilè offenſas contra ſe commiſſas remittebat: quia in cæteris, inquit, magnificè ac fortiter factis, cæteros mortales vicit, in ſuarum autem iniuriarum obliuione, ſe ipſum. Quam non minus elegantem, quàm veram Ciceronis ſententiam, retulit laudauitque Beatus Auguſtinus, afferens, Cæſarem aduerſarijs vitam dignitatemque donaſſe. Imò, & ex ea argumentum ſumit, quo Romanos conuincat, qui dicebant, præceptum de inimicorum dilectione, & offenſarum remiſſione, contrarium eſſe naturæ, boniſque Reipublicæ moribus. Argumentaturque primò ex ipſis Romanis, qui nihil honorificentius æſtimaueruot, quàm parcere ſubiectis, ſicque Rempublicam ſuam ex parua, & inope, magnam opulentamque fecerunt, quia accepta iniuria, ignoſcere quàm perſequi malebant. Inſuper Cæſaris, illius Reipublicæ adminiſtratoris mores extollens Cicero, dicebat: Quod nihil obliuiſci ſoleret: niſi iniurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: ſi laudator, talem Cæſarem nouerat: ſi adulator, talem eſſe debere oſtendebat, principem ciuitatis, qualem iſtum fallaciter prædicabat. Ecce, inquit Auguſtinus, in ſuis principibus, Romani laudandum iudicant, quod in Euangelio reprehendunt. Quid eſt enim non reddere malum pro malo, niſi abhorrere ab vlciſcendi libidine? Quid eſt accepta iniuria ignoſcere malle, quàm perſequi, nihil niſi iniurias obliuiſci? Suo igitur

Lib. 8. cont. Celſ.

Orat. pro Q. Ligur. & orat. pro Marco Marcell.

Lib. 3. de ciuit. c. 30.

Epiſt. 5. ad Marcell.

Lib. 7. cont. Celſ. to. 4.

igitur ore, quando rem ſine affectuum perturbatione conſiderant, proferunt, nihil honorificentius, & vtilius, quàm offenſas remittere, & relaxare, qui hoc condemnabilius in Cæſare iudicarunt. Hinc illa celebris apud Philoſophos propoſitio, quam ſæpè referũt Chryſoſtomus, & Auguſtinus, quod nihil magis regium eſt, quàm iniurias beneficijs compenſare, nihil honorificentius, quàm clementer inimicis parcere. Ad hoc oſtendendum, edidit Seneca opus illud inſigne, de clemẽtia, in quo illam ſtatuit propoſitionem; Nihil eſſe regibus, aut principibus magis decens, quàm clementiam. In huius confirmationem Chryſoſtomus illam narrat hiſtoriam, quæ tempore Theodoſij fuit celebris, quam ipſe Chryſoſtomus refert. Cùm Antiochiæ imagines Imperatorum progenitorũ, ac prædeceſſorum Theodoſij eſſent conſtitutæ, popoluſque quadam altercatione commotus, illas confregerit, Theodoſius magno furore ſuccenſus, exercitum miſit Antiochiam, quo facilius rebelles puniret. Tunc à ciuibus Antiochenis electus fuit præſul quidã, qui ad Imperatorem procederet, veniam petiturus. Qui coram Theodoſio poſitus, & regias ingreſſus aulas, procul à rege conſtitit mutus, lacrymans, deorſum inclinatus, latitans, quaſi ipſe eſſet, qui omnia illa patraſſet. Hoc autem faciebat habitu, aſpectu, & luctibus prius mouere illum volens ad miſericordiam, & tunc defenſionem pro populo incipere. Cùm autem loquendi tempus incidit, inſignem ad Imperatorem habuit orationem, quam Chryſoſtomus eloquentiſſimus eloquentiſſimam iudicat; demõſtrans viris magnis, nullam maiorem occaſionem ad oſtendendam animi ſui magnitudinem, quàm offenſam grauem remittere. Sæpius namque in priuatis hominibus hoc factum eſt, quod magnæ, & intolerabiles offenſiones, magnæ charitatis materia factæ ſunt, &c. Quoniam autem videbat Imperatorem commotum, quòd per offenſionem illam honori ſuo detractum iudicaret, ſapiens antiſtes totum ſe conuertit, vt oſtenderet, nihil ab illo fieri poſſe, quod clariorem illum redderet, quàm offenſam illam liberaliter dimittere. Nunc, inquit, te contumelia affectum dicis, & pertuliſſe, quæ nullus vnquam Regum ſuperiorum. Sed ſi velis, ò humaniſſimè, & ſapientiſſimè, diademate iſto clariorem, & maiorem tibi coronam, hæc afferret contumelia. Hoc nempe, diadema quidem eſt, & tuæ virtutis inſigne eſt, & Dei liberalitatis indicium, ſed corona ex hac humanitate contexta, tuum ſolius erit, & ſapientiæ tuæ meritum, nec te tantum omnes admirabuntur propter iſtos lapides pretioſos, quantum propter victoriam, de indignatione ſuperata reportatam, laudabunt. Deſtruxerũt ſtatuas tuas, ſed illis clariores reſtituere tibi licet; ſi enim iniuriæ authoribus crimina remittas, & nullam ipſis inferas pœnam, non æreas iſtas in foro erigent, nec aureas, nec lapillis coagmentatas, ſed omni materia pretioſiorem ſtolam indueris, humanitatem ſcilicet, & miſericordiam. Talem in mente quiſque ſua te ædificabunt, & tot habebis ſtatuas, quot orbem habitant homines, & habitabunt. Non enim nos tantum, verum, & poſt nos futuri, & poſt illos omnes hæc audient, &c. Et vt diſcas, quod non tantum exercitus, & arma, & pecuniæ, & ſubditorum multitudo, & alia quidem huiuſmodi ſplendidos facere Reges conſueuere, quantum animi diſciplina, & manſuetudo, antiquum tibi referam ſermonem. Beatus dicitur Conſtantinus, imagine ſua quandoque lapidata, multis ipſum inſtigantibus, & dicentibus, quod omnem ipſius faciem percuſſerunt ſaxa iaculantes, manu faciem palpans, & leuiter ridens, dixiſſe: Nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana verò, & facies tota. Illi verò reuerti, & confuſi, ab hoc iniquo deſtitere conſilio. Hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis tabeſcit, aut huius ſapientiæ memoriam extinxit? Quot non ſit hoc trophæis ſplendidius? Multas vrbes ille condidit, & multos barbaros ſuperauit, ſed

Libr. 1. de Clemen. cap. 3.

¶ 197.

Hom. 17. 18. & 20. ad populũ.

Hom. 20. ad populũ.

memi-

meminimus illorum nihil: hoc autem verbum vſque in præſentem diem canitur, & poſteri noſtri, & poſteri illorum, omnes idipſum audient. Nec hoc ſolum eſt admirandum, quod audient, verum etiam quod laudibus, & benedictione proſequentur, dicéteſque laudabunt, & audiétes gratè ſuſcipiét. Si verò propter illud verbum apud homines tanta potitus eſt gloria, quot apud benignum Deum coronas aſſequetur? Hæc, & alia mirè Chryſoſtomus refert, quæ ſufficientiſſima fuerunt ad placandum Imperatorem, & compellendum ad remittendam offenſam: hoc enim honorificum ſibi intellexit. B. item Baſilius (docens adoleſcentes, quomodo ex gentilium libris proficiant) multa Philoſophorũ ad hoc inſtitutum exempla commemorat. Conuitia, inquit, iactabat quidam plebeius homo in Periclem: hic autem non animaduertebat, & per totam diẽ perſeuerabat, ille quidem opprobrijs immodicè diuexans ipſum, hic verò non curans illum: deinde veſpere iam facto, & tenebris obortis, cùm diſcederet conuitiator, cùm lumine ipſum Pericles deduxit, ne quid in philoſophiæ ſtudio emitteret. Rurſus quidam Euclidi Megarenſi iratus, mortem minatus eſt, ac iurauit, hic verò contrà iurauit, ſe placaturum ipſum, ac ſedaturum, vt ne quicquam illi moleſtus eſſet. Percutiebat quidam Socratem, in ipſam faciem impetu facto: hic verò nihil reniſus eſt, ſed exhibebat ſe, vt ebrioſus ille ſe ira exſatiaret. Intumit facies eius, & præ plagis ſanioſa facta eſt. Vbi autem à verberibus ille ceſſaſſet, Socrates quidem nihil aliud feciſſe dicitur, ſed fronti velut ſtatuæ inſcripſiſſe opificem; Ille faciebat, & in tantum ſanè de illo vindicaſſe. Hæc proſequitur Baſilius, expendens, Socratis factum conforme fuiſſe illi præcepto, quod percutienti vnam maxillam, alteram præbere conuenit. Periclis autem, & Euclidis factum ſimile eſſe illi, quod percutientis iram leuiter tolerare oportet, & illi, quod inimicis bona optare, & non mala imprecari oportet. Sanctus Ambroſius refert, & laudat Architæ Tarentini dictum, quod ad villicum ſuum, contrà quem iratus erat, dixit: O te infœlicem, quam te afflictarem, niſi iratus eſſem. Diuus Auguſtinus: Egregius, inquit, Romani nominis Marcus Marcellus, qui Syracuſas vrbem ornatiſſimam cepit, refertur eam prius fleuiſſe ruituram, & ante eius ſanguinem ſuas illi lacrymas effudiſſe. Innumera ſunt apud omnis generis authores ſimilia exempla, & verò nos cùm huiuſmodi facta audimus, & legimus, illos qui inimicorum offenſas contempſerunt, & in offenſores extiterunt benefici, laudamus, & iudicamus, non ſolùm propterea dedecus non incurriſſe, ſed honorem ſplendidiſſimum ſibi feciſſe. Quare mirari poſſum, ſicuti Auguſtinus de Romanis mirabatur, quoniam quæ in alijs laudanda cenſebant, & honorifica, quorum fama ad eos peruenerat, in ſeipſis iudicabant vituperatione digna. Et qui legentes apud Ciceronem, hanc eſſe ſummam Principis gloriam, clementer offenſas obliuiſci, & Rempublicam tunc augẽdam, quando clementiſſimè indulgeret inimicis, cum audiebant Euangelicam vocem reſonantem, *Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos* reputabant rem honori, ac bonis moribus contrariam. Satis ergo ſuperque probatum eſt, nullatenus eſſe contra honorem, imò potius pro ipſo eſſe homine, inimicis parcere, & benefacere.

¶ 198.

Hom. 24. & oratio. 11. de patient. & tolerant.

Epiſt. 5. cit.

Lib. 1. de ciuit. c. 6.

Lib. 1. offic. cap. 21.

§. 34. *Sexta ratio est, quia hoc præceptum possibile est nobis, qui iræ motum possumus tenere, sicut Iacob plantam Esau, & id est nobis omninò necessarium.*

¶ 199. EGo autem dico vobis. Piscem hunc adhuc exenteremus, & expendamus pronomen illud, *Vobis*, quod magna continet sacramenta, quo Christus ostendit, & explicat, hoc præceptum possibile esse. Difficultatem, & impossibilitatem circa huius præcepti obseruationem expẽdere solet homo, dicens: Quomodo possum hoc præceptum seruare? Impossibile est, inquit Aristoteles, quod visis non tangamur, & quod viso inimico, non conturbetur cor. Hoc certè rerum experientia comprobatum est: nam ad præsentiam occisoris, totum cadauer quasi commouetur, & eius sanguis, qui iam concretus, ac congelatus erat, accenditur, qui ebulliens, & feruens egreditur, natura se ipsam contra homicidam commotam exhibente. Si talia in corpore extincto fiunt, in quo non est memoria iniuriæ receptæ, nec irascibilis, quæ excandescat, & iram excitet, nec spiritus vitalis, qui sanguinem accendat, & feruentem faciat; quid in viuente fiet, dum inimicum coram se positum, videt? quomodo possibile est, non commoueri irascibilem? non accendi sanguinem circa cor, & iram non excitari, totumque hominem alterari? Quomodo ergo possibile est, tunc inimicum diligere, & beneficum erga illum exhiberi? Attende, quod Christus proponens præceptum, expressit, quibusnam illud imponat. *Ego*, inquit, *dico vobis.* Scire enim oportet, quod non semper cum aliquid agis, es tu, qui illud agis, quia sæpenumero est alius intra te, qui te nolente illud operatur. Homo siquidem est animal rationale, id est, quod operatur deliberatè secundum regulam, & consilium rationis: ideoque id propriè homo dicitur agere, quod facit ratione deliberante, & consulente, quid agi oporteat. Quod autem facit ratione nullatenus deliberante, aut deliberare valente, sed ante omnem illius deliberationem, & consilium, quales sunt motus, quos primo primos Theologi vocant, non dicitur facere homo, sed interior affectus, aut concupiscentia. Vides hominem prudentissimum, ardenti febre vsq; ad phrenesim æstuantem, quem conspicis res indignas facere, & dicere; non propterea conturbaris, sed dicis, non esse hominem illum, qui talia facit, sed febrem, qua interius agitatur. Ita sanè, homo habet intra se ipsum febrem concupiscentiæ, secundum quam natura inordinata est, & æstuans, quæ aliquando homine minimè deliberante, aut valente deliberare, aliquid excitat, aut ad opus mouet, circa quod ratio nullatenus deliberare potuit; sicuti cum ad visum mulieris pulchræ, subitò inordinatus concupiscentiæ motus insurgit, & ad præsentiam, & odorem suauis cibi cõsurgit motus intemperantiæ. Hos motus non operaris tu, sed interior febris, quos propterea Dauid *Alienos* vocat, vt alibi dicemus. Huiusmodi sunt motus omninò indeliberati circa res fidei, & illi quos, qui agitantur spiritu blasphemiæ, sentiunt. Id quod cœlestis philosophus Paulus ex professo docuit. *Non* (inquit) *quod volo bonum, facio, sed quod odi malum, illud ago.* Loquitur de homine, in quo absque aliquo rationis consensu, concupiscentia excitat inordinatum aliquod desiderium. In hoc opere non agit homo quod vult, qui nollet tale desiderium insurrexisse: quin potius illud tanquam malum odit secundum rationis deliberationem. Ex quo infert Paulus: *Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Vocat peccatum, Concupiscentiam, quam peccati fomitem Theologi vocant: vt sancti Patres, imò, & Concilium sacrum Tridentinum explicant. Facio aliquando aliquid, quod non ego operor, sed concupiscentia, quæ in me est. *Video enim aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ*

Psal. 18. 14

¶ 200. *ad Rom.* 7. 15.

Ibidem.

Sess. 5. *can.* 4.

& captiuãtem me in legem peccati. Hoc-
que eſt, quod ſæpè idem Paulus de du-
plici homine, qui in vnoquoque no-
ſtrum reperitur, nouo ſcilicet, & vete-
ri, aut carnali, & ſpirituali, repetit,
de quibus alio in loco. Vide ergo quid
Deus præcipiat. Non dicit: Præcipio
concupiſcibili, quod non ſubitum odij
affectum erga inimicum excitet; aut i-
raſcibili, ne viſo inimico, iram ſuſcitet
ſubitam, & indeliberatam; aut ſan-
guini, ne viſo inimico feruescat: ſed
Dico vobis, vt ſcilicet deliberatè, & ſe-
cundum rationis conſiliũ agentes, non
odio habeatis inimicum, quin potius
compreſſo odio eum diligatis. Ita
Epiſt. 115. ad Nebridium. doctrinam hanc explicat Beatus Au-
guſtinus, docens, ſæpè nobis nolenti-
bus excitari iram, vel à complexione,
vel à dæmone agente circa corpus,
a Lib. de ſimilitudin. c. 162. &c. quod, & ex profeſſo Sanctus An-
ſelmus *a* pertractauit, dicens, multos
eſſe, qui dicere poſſunt cum Apoſto-
b ad Rom. 7.22. lo *b*: *Condelector legi ſecundum interio-
rem hominem*, quamuis ſentiam in
membris meis aliam legem repugnan-
tem, &c. Hoc itaque facere teneris:
odium quod ſuſcitat concupiſcentia,
per rationem comprimere, ſicuti in
alijs inordinatis affectibus te facere
oportet. Rectèque ages, ſi te ſimilem
præſtiteris ſancto Iacob, qui laudatur
Oſeæ 12.3. à Deo ipſo, quod *in vtero ſupplantauit
fratrem*. Erant in vtero Rebeccæ il-
li duo paruuli, qui inter ſe collidebantur, volens vnuſquiſque alterum con-
tinere, & primus egredi. Non autem
Gen. 25.25 valente Iacob detinere Eſau, hic pri-
mus egreſſus eſt: cæterum Iacob ſta-
tim manum ad eius tenendam plan-
tam conuertit, quaſi illum continens:
quo factum eſt, vt nullatenus ille
ortus præiudicare potuerit ipſi Iacob
erga primogenituram. Vnuſquiſque
noſtrum duos fert paruulos, carnem
ſcilicet, & ſpiritum. Hi inter ſe per-
ad Gala. 5. 17. petuò bello contendunt. *Caro enim
concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiri-
tus aduerſus carnem: hæc enim ſibi in-
uicem aduerſantur, vt non quæcunque
vultis, illa faciatis.* Vult ſpiritus cœle-
ſtia meditari, opera charitatis, &
mortificationis exercere; aduerſatur
caro, cuius opera ſunt, fornicatio,
in munditia, impudicitia, inimicitiæ,
&c. quibus aduerſatur ſpiritus. Et rè-
ctè ſub typo Eſau caro ipſa ſignificata ¶ 201.
eſt: nam Eſau idem eſt, quod rufus,
aut accenſus; caro autem eſt, quam ac-
cendit feruor mali deſiderij, aut con-
cupiſcentia, quam etiam beſtia illa ru-
fa, quam vidit Ioannes, propter eam- *Apoc. 17.3*
dem rationem indicat, vt alibi annota-
tum eſt. Sicut autem Eſau egreſſus eſt,
ipſo Iacob nullatenus conſentiente,
ita caro ſæpenumero egreditur, per
affectus, & deſideria mala, nullatenus
conſentiente, aut deliberante ſpiritu
vel ratione: ſed ſicut Iacob ne ſibi ta-
lis egreſſus poſſet eſſe nocumẽto, ma-
nu plantam illius apprehendit, quaſi
ipſum continens; ita, & in nobis ſpi-
ritũ agere oportet, qui hoc ipſo quod
attendit, motus, aut affectus carnis
progredientes, debet illos comprime-
re, & continere: vt ſicut caro ſæpè
comprimit motus ſpiritus, vt non quę-
cunque vultis illa faciatis, ita ſpiritus
comprimat, & cõtineat motus carnis,
non permittens eos, quo caro ipſa im-
pellit, & excitat, vt egrediantur. Ita
Paulus motus contra fidem exortos ex
carnis affectibus, comprimendos do-
cet: *In captiuitatem*, inquit, *redigen-* *2. Cor. 10.*
tes omnem intellectum in obſequium fi- *5.*
dei: ita, & carnis affectus in ſemetip-
ſo cõprimebat, *caſtigans corpus ſuum,
& in ſeruitutem redigens*. Quamuis *1. Cor. 9.*
autem hanc curam debeat homo ha- 27.
bere, comprimendi omnes inordina-
tos carnis affectus: peculiariter tamen
ad comprimendos irę motus, debet ſo-
lerti vigilia eſſe ſolicitus, vt Beatus
Auguſtinus annotauit, expendens il-
lud: *Iraſcimini, & nolite peccare*, Id- *Pſal. 4.5.*
que multis de cauſis. Primò, quia
talis inordinatus irę motus rarò eſt ſi-
ne peccato, & culpa. Dixi inordina-
tus motus: nam quando eſt ſecundum
rationem, virtus eſt, non peccatum,
vt dicemus ſtatim. Et quidem Diuus
Hieronymus contendit, talem motum
nunquam eſſe ſine peccato, imò hoc *Lib. 2 cõtr. Pelag pag. 212.*
argumento contra Pelagianos probat,
nullum dari hominem, qui aliquod
peccatum non habeat, quia nullus eſt,
qui nõ aliquo irę motus conturbetur:
omnis autem talis motus peccatum
eſt. Quod probat ex illo Sancti Ia-
cobi: *Ira viri iuſtitiam Dei non opera-* *Iacob. 1.20*

tur.

tur. Non, inquit, iram Dei, sed iram viri posuit: ira enim Dei iusta est, ira autem viri ex turbata mente procedit: quo etiam modo eundem locum visus est Diuus Gregorius expendere, in quem addit Hieronymus etiam, & illum: *Irascimini, & nolite peccare.* Hic namque versiculus, inquit, quem sensum habeat, Apostolus docet; dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, vt peccatum omninò fit, vel leuiter irasci, iustitia autem, iram celeri pœnitudine mitigare. Hac de causa contendit, Christum absolutè dixisse: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: quod enim in aliquibus codicibus additum est, *sine causa*, superfluum videtur. Quis enim nesciat sine causa irasci, peccatum esse? Addit itidem illam Sapientis sententiam, *Ira perdit etiam sapientes*. Cæterum hæc Beati Hieronymi sententia explicatione eget. Certum est enim apud Theologos, dari aliquos motus iræ, ita omnem deliberationem, & voluntatem præuenientes, qui sicut nihil habent voluntarij, ita nihil habent peccati: quod frequenter Theologi docent, & diffiniisse visum est sacrum Concilium Tridentinum. Sed quod vult dicere, est, difficile esse tales motus sine aliqua culpa reperiri: quia raro homo tanta solicitudine curat eos comprimere, & præuenire, quanta tenetur: sicuti etiam dixit Diuus Thomas, inordinatum motum carnis non esse sine peccato: quia semper, inquit Augustinus, nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit aduersus spiritum. Quod ita explicuisse visus est ipsemet Diuus Hieronymus, agens de perturbationibus præcedentibus rationis iudicium, quas ante passiones dicere possumus (inquit ipse) de quibus multa in Theologia disputauimus. Secundò, ira maxima, solertique vigilantia est comprimenda: quoniam si dimittitur, innumera damna, & supremum inducit malum, quod est odium, supremæ virtuti charitatis directè cõtrarium. Ita intelligi potest illa Sapientis sententia, quam alibi ad aliud institutum latius iuxta sanctorum Patrũ sensum exposuimus: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare faciet peccata maxima.* Spiritus potestatem habentis, idem est quod spiritus potentissimus, validissimusque, ideoque hoc nomine B. Ambrosius intelligit affectum iracundiæ, qui vt diximus, inter omnes alios est validior, vehementior, ac potentior. Si hic spiritus ascenderit super te, id est, vt exponit Ambrosius, si præuenerit te, & occupauerit mentem tuam; locum tuum ne dimiseris: *tente en buenas*, dicimus hispanicè. Locus tuus, inquit Ambrosius, patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Hic magna cura seruandus est, alioquin sequẽtur peccata maxima, multa, & noc ua. Et breuiter his verbis id nobis dicere vult Sapiens, quod Eliu dixit ad Iob, rem totam concludere volens: *Non te ergo superet ira.* Hanc rationem expendit B. Augustinus, supponens, iram non esse odium: nondum enim odimus eos, quibus irascimur: sed si ista ira manserit, & non citò euulsa fuerit, crescit, & fit odium. Ex quo possumus illud, quod alibi cœpimus explicare: *Ecce*, inquit Dauid de iracundo Saule loquens, *parturijt iniustitiam, concepit dolorem: & peperit iniquitatem*. Videtur aliquibus ordo præposterus, quia secundum rectum naturæ ordinem, prius est concipere, quàm parturire. Rectum tamen ordinem tenuit Dauid; cum enim quis aliquam recipit offensam, primum omnium parturit iram, quam iniustitiam vocat Dauid; quia ad iniustum odium, & vindictam excitat: hic primus partus. Si illa retineatur, & radices in corde mittat, cõcipiet dolorem, id est, odium, quod mentem, & animum grauat, & angit, & tristitiam generat alieni boni: ex quo tandem proceditur ad iniquitatem, quam tunc quis parit, quando vindictam sumit. Quod, & ex illis Esaiæ verbis possumus intelligere: *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Hæc verba recondita mysteria secundum literæ sensum continent, alibi explicanda, quæ Diuus Hieronymus se-

Psal.4.5. *Eph.4.26.* *Prou.15.* ¶ 202. *Sess.6.* *3.p.q.41. art.1.ad 3* *Epist.9. ad Saluinam.* *Eccl.10.4.* *Lib.1.offic. cap.21.* *Iob 39.18.* *in Psal.30. concio.2.in illud, conturbatus est in ira.* *Psal.7.15.* *Titelmanus.* ¶ 205. *Esai.14.19.* *Libr.6.in Esai. in c. 14.*

cundum quãdam accommodationem, ad noſtrum explicat inſtitutum. Poſſumuſque per ſemen colubri, iram intelligere, quæ nihil eſt aliud, quam ſemen quoddam ſerpentis antiqui, in corde noſtro repoſitum, aut radix quędam ab illo plantata, de quo ſemine peſſimo naſcitur regulus, qui rex ſerpentium eſt, inquit Hieronymus, qui afflatu ſuo, atque conſpectu homines occidit; hicque abſorbet volucres. Regulus qui ex ira naſcitur, odium eſt, quod in eo ſenſu omnium peccatorum tenet primatum, quod eſt directè contra charitatem, quæ inter omnes virtutes tenet principatum. Et hic regulus talis eſt, qui flatu ſuo omnes inficit volucres. Volucris nomine, opera ex natura ſancta, æternæque vitæ meritoria, poſſumus intelligere, quæ in cœlum natura ſua volant, & cõſcendunt. Hic regulus omnes tales volucres abſumit, quia conſumpta per odium charitate, neq; fides montes transferens, neque miſericordia omnes facultates pauperibus diſtribuens, neque fortitudo tradens corpora vſque ad inciſionem, & ardorem, neque alia huiuſmodi ad æternam vitam volare, aut pertingere poſſunt, vt Apoſtolus ex profeſſo docuit. Si quis in domo ſua deprehenderet ouum ſerpentis, ex quo ſi relinqueretur, ſciret naſciturum regulum, qui flatu ſuo interficeret, & lethali inficeret veneno; qua cura procuraret tale ouum radicitus tollere, & expellere? Talis eſt ira, ouum ſerpentis, ex quo crudelis baſiliſcus, omnia inficiens oritur, odium. Hinc, vt exponit Auguſtinus, ille timor Dauidis: *Cor meum cõturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.* Patiebatur inimicos, qui acres ei inferebant perſecutiones: cor illius conturbatum fuit per iram; ſed hoc ipſo, quod illam in ſemetipſo aduertit, timuit, ne illa mortem induceret per odium. Cor meum conturbatum eſt in me, quando conturbatus eſt præ ira oculus meus: & ſi oculus turbatus eſt, quid ſequitur? formido montis cecidit ſuper me. Vita noſtra dilectio eſt, ergo, mors odium eſt: cum cœperit homo timere, ne oderit, quem diligebat, mortem timet; quia occiditur anima: cum quis ſe ira videt turbatum, formidet, ne mors inde naſcatur per odium. Propterea, inquit idem Auguſtinus Apoſtolus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* De qua ſententia ſtatim dicendum eſt.

1. Cor. 13. 1.

in Pſal. 54. Pſal. 54. 5.

Ep. h. 4. 26

§. 35. *Egregiè Apoſtolus, iram contra offendentes, ſtatim comprimendam docuit, dicens: Sol non occidat, &c. innumera enim mala ex ira ſi perſeueret, ſequuntur.*

¶ 204. ad Epheſ. 4. 26.

SAncti Patres hoc Apoſtoli proverbium paulò ante inductum: *Sol nõ occidat ſuper iracundiam veſtram*, perpetuò repetũt, quod variis etiam modis explicant: primò, vt Solis nomine intelligamus dictamen rationis, quaſi dicat: Ira perturbat rationis iudicium, & lucem, cum parua eſt; cum autem creuerit, obſcurat ipſam, manetque homo tanquam in tenebris ambulans, & neſciens quo vadat, ideoque multa offendicula incurrit. Vult itaque dicere: Si iraſcimini, iram ſubitò comprimite, ne quæ exorta perturbauit rationem, permanens eam obſcuret. Ita Hieronymus *a*, Gregorius *b*, Diuus Thomas *c*, & Auguſtinus *d*, explicans illud *e*: *Turbatus eſt in ira oculus meus.* Primò enim, per iram oculus rationis conturbatur, offuſcatur eius lux, non extinguitur: permanente tamen ira, ac tranſeunte in odium, ita obſcuratur, vt verè dixerit Ioannes *f*: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt vſque adhuc.* Nota eſt illa Chriſti Domini ſententia *g*: *Qui ambulat in nocte, offendit, quia lux in eo non eſt.* Mirum eſt, illũ qui ambulat tenebris circumfuſus, per viam offendiculis plenam, quot quãtiſque modis impingat; quocunque ſe verterit offendit: talis eſt, qui iram inſurgentem nõ comprimit, quam dimittit obſcurare rationis lucem, per quam homo manet in tenebris: innumeris namq; modis offendit, & impingit, vt ex profeſſo demõſtrat Grego-

a *Lib. 2. in c. 4. in Ep. ad Epheſ.*
b *Lib. 5. Mora. c. 31*
c *in cap. 4 ad Epheſ. lect. 8.*
d *in Pſ. 30. cont. 2.*
e *Pſ. 30. 10*
f *1. Ioan. 2.*
g *Ioan. 11.*

Gregorius *a* ; demonſtraueratque Diuus Chryſoſtomus *b*, offendit in verbo, in aſpectu, in motibus, in oculis, qui non diuerſa facit ab arreptitijs, qui ipſemet poſtea aliqua rationis luce perfuſus, verecundatur, & in ſui excuſationem dicit, ſe talia egiſſe ; quia extra ſeipſum erat propter furoris impetum. Tales deſcribit Dauid inimicos ſuos, qui iram contra illum non ſolum non comprimebant, ſed ſeruabant, quæ aucta, in tenebris illos conſtituit, ſicque multis modis impegerunt. Quod enim dicit: *Fiant via illorum tenebræ, & lubricum, & angelus Domini perſequens eos*: Hæc, inquit Auguſtinus, non optantis: ſed prædicentis affectu dicuntur, quaſi enarrans Dauid, quæ illis euenirent. Horrenda via, inquit Auguſtinus. Tenebras ſolum quis non horreat ? lubricum ſolùm, quis non caueat ? ſi autem iſta adiungas, vt homo ambulet in tenebris, & per viam lubricam, quem inſequatur alius impellens ; qualia incurret damna ? Talia ergo incurrunt illi, qui iram retinentes, & non comprimentes, quaſi luce rationis deſtituti, ambulant per viam ipſius iræ lubricam, quos impellit furor. Hinc tot mala, ac peccata oris, cordis, & operis, committunt. Secundus ſenſus eſt, vt nomine Solis, intelligatur Chriſtus Dominus, Sol iuſtitiæ : & hunc ſenſum anteponendum cenſet Anſelmus, ita locum exponens: Noſter Sol, Chriſtus eſt, qui veritas, & iuſtitia eſt : cuius luce anima humana illuſtratur, & ſed hanc lucem definit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tanquam nubilo ſuperata : & tunc quaſi occidit ſuper iracundiam hominis Sol, quia cum menti, iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. Communis tamen ſenſus eſt, vt velit Apoſtolus dicere, quod ſi contingat iram excitari, ſtatim illam ante ſolis occaſum deponamus, Ita Gregorius Nyſſenus *a*, Hieronymus *b*, Auguſtinus *c*, Diuus Thomas *d*, Anſelmus *e*, cæterique ſancti Patres, ſignanter Chryſoſtomus *f*, varijs in locis, & præcipuè hæc verba exponens : quaſi dicat, Apoſtolus : Bonum eſt non irasci : ſi verò in morbum hunc quiſquam aliquando inciderit, videat, tantum ne ingraueſcat : ſatis ad hoc fuerit, vna vel altera hora, ſol abiens nõ relinquat vos inimicos, &c. Et patet hoc ex ipſo contextu : præmiſit enim Apoſtolus illud Dauidis *g* : *Iraſcimini, & nolite peccare*, ſubdit : *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Expendamus dictum Dauidis : admiranda namque fuerunt, quæ in illius verbis Paulus conſideraut. *Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* In Hebræo habetur verbum *Damam* quod ſignificat quieſcere, & ſilere : Vnde Pagninus legit, *In cubilibus veſtris quieſcite* : ſumit metaphoram ab eo, qui ſomno ſe tradere vult, & quieſcere, qui omnibus, qui ſtrepitum excitant, iubet ſilere. Ita, inquit Dauid, cum ſomno vos tradere vultis, curate ad quietem animum componere : hoc autem fiet, ſi affectus iracundiæ, qui excitati fuerant, & ſtrepitum concitauerant, faciatis ſilere, & quieſcere. Eodem verbo vſus eſt Ieremias, loquens ad mucronem quendam, quem euaginatum videbat, comminantem vindictam: *O mucro Domini, vſquequo non quieſces ? Ingredere in vaginam, refrigerare, & quieſce*. Quaſi hæc verba tu, iræ excitatæ dicas, vt eam quieſcere ſilereque facias. Sed adhuc credo maius quid in verbis Dauidis præuidiſſe Apoſtolum. Enimuero verbum, *Damam*, quo vtitur Dauid, in Hebræo idem eſt cum illo, quo vſus eſt Ioſue, quando pugnabat contra inimicos: qui intelligẽs periculoſum eſſe belli cõflictum occidente Sole, dixit ad Solem : *Sol contra Gabaonem ne moueaeris:* in Hebræo: *Quieſce, ſile, motum tuum contine*. Ita ſane vidit Dauid, periculoſiſſimam eſſe perturbationem, aut bellum, quod contra rationem inſurgit, cum excitatur ira, ſi homo illam retineat, etiam decedente ſole. Quod egregiè expendit Chryſoſtomus ex eo, quod ſi nocte ira remanet, illa diuerſis cogitationibus cor agitat, radices mittit altas, & illa q̃ ignis,

a L. 6. Moral. c 31.
b Hom. 29. & 30. ad populum.
Pſal. 34. 7.
in Pſal. 34. conc. 1.
in cap. 4. Epi. ad Epheſ.
¶ 205.
a Orat. 1. de Reſurr.
b Lib. 2. in cap 4. ad Epheſ.
c in Pſ. 30.
d in c. 4. ad Epheſios.
e in cap 14. epiſt. ad Epheſ.
f Hom. 3. in Ioan & 14 in epiſt. ad Epheſ.
g Pſal. 4 5
Brixi. to. 1. pag. 119.
Ier. 47. 6.
Ioſu 10. 12
Hom 14 in epiſt ad Epheſ.

nis est, magnopere eorum hominem accēdit. Quando Sol per diem non potuit nebulam cōsumere, recedēte Sole illa densior efficitur, nocturnisque vaporibus ita augetur, vt grauis tempestatis causam, & materiā exhibeat. Idcirco statuit Dauid, vt si irascēris antēq; diei valedicas, & somnū arripias, in cubiculo tuo irā cōprimas, & silere facias periculosum est .n. bellum recedente sole, & in tenebris, vbi credens homo se inimicum ferire, proprio se mucrone vulnerat, aut ipsius inimici ¶ 206. gladio seipsum transfigit. Hæc propterea considerans Apostolus, dictum Dauidis explicare volens subdit: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* 2 *Reg* 2. 24. Aut verò visus est Apostolus, alludere voluisse, ad historiam Abner: qui occidit velocissimum illum cursorem Asael, persequentem se, nolentemque aliqua ratione à persecutione cessare; pro cuius nece irati Ioab, & Abisai fratres eius, qui fuerat occisus, illum cum suo exercitu persequi cœperunt, persecutique sunt quousque *Sol occubuisset.* Tunc conuersus Abner ad Ioab, clamauit: *Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? vsquequo non dicis populo, vt omittat fratres suos persequi?* Quasi diceret: Quod persecutio tota die perdurauerit, non mirum, nec enim alia se obtulit occupatio, quæ compelleret aliò mentem diuertere, & commune est satis, hominem illud prosequi opus, quod cœpit, quousque ad aliud diuertere compellatur; sed quod occumbente sole, quando ipsius lucis defectus, tenebræque ingruentes, cogunt homines à suis operibus cessare, & se in propria ad quietem recipere, adhuc persecutio duret, hoc intolerabile est, & internecionem ipsimet persecutori inferens. Hæc ratio sufficiens fuit, vt Ioab seipsum, ac totum exercitum contineret ab insequendo Abner, & vt vnusquisque propriam quietem nocte ingruente procuraret. Ad hanc historiam alludere visus est Paulus, dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quasi dicens; Quod ira per aliquot horas duret, cum offensa recens est, dolorque sentitur, nec aliò cogitationem diuertere necessum fuit, non mirum: quod tamen occidente sole quando vnusquisque ad quiescendum se recipit, & animum à lassitudine eorum, quæ in die acciderant defatigatum, ad quietem reuocat, adhuc in ira perseueret, per quam suam propriam quietem impediat; hoc est durum, & maximè nociuum. Quando recedente Sole tenebræ occupant terram, bestiæ quidem syluæ discurrunt; *catuli leonum rugientes, vt rapiant,* homo tamen ad quiescēdum debet se recipere. Quam autem quietem poterit habere, qui iram continet? Tertullianus eadem verba Apostoli expendens, annotat, Apostolum loquutum, metaphora sumpta à febri, quæ hominem arripit: si enim illa ephemera sit, aut diaria, tolerari potest, nec magnū nocumentum potest inferre: si autem illa in plures dies protrahat ardorem, sanguinem totum corrumpit, & inficit, & mortem inducit. Ita, inquit Tertullianus, de ira esse philosophandum, quæ similis est febri, hominem succendenti, & inflammanti: si enim illa perduret, certè innumera damna, imò & mortem spiritualem inducit. Augustinus aliam innuit metaphoram, desumptam ab aceto, vel ab alio liquore venenato, aut pestilenti, qui si diutius in vase retentus fuerit, vas corrumpit, & ineptum reddit, vt in eo liquor alius pretiosus effundatur: sic (inquit) ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit. Diuus Chrysostomus eadem Apostoli verba ex eo probat, quod ira flamma est, & ignis succensus circa cor: *parua autem scintilla,* si nō statim extingatur, *totam syluam incendit.* Vehemens, inquit, est iræ affectus, & omni flamma vehementior. Quod si nox ira percitos nos comprehenderet, omnes operationes nostræ grauiores subsequerentur, cum ignis plurimum memoria excitetur: si per ocium omnia animum prouocantia atrocius nobis reputentur. Noctis tenebræ, vt idem Chrysostomus annotat, melancholicum humorem acuunt, qui excitatus ab ira, ipsam auget, & cum per ocium liberè possit cor ad tristes cogitationes impellere, ira altas mit-

Ps. 103. 21

Lib. de patient. c. 12.

Epi. 87. ad Felicē. & Rustitum. ¶ 207.

Hom. 3. in c. 1. Ioan. Iacob. 3. 5.

Ibid & ho. 14 in epist. ad Ephes.

mittit radices. Priuſquam igitur tam exitiali vacemus otio, & vehementiorem flammam accendamus, præueniendum præcipit, & quicquid pectus noſtrum vrit, penitus extinguendum. Id ipſum ex alia ratione demonſtrat: quia ira fera eſt vehemens, & furibunda, leone fortior, & lupo voracior. Si vides lupum oues tuas inuadentem, nõ eum dimittis, vt liberè per noctem inter eas cubet, & remaneat, quas enim in die viuas dimiſerat, nocte abſumet. Alio in loco eadem verba Apoſtoli cõfirmans: Ita (ait) neque vſque ad veſperam maneat, inquit Apoſtolus: ſicut enim putredo quædam, ac tinea, ita mentis noſtræ radicem arrodit. Si Ionas attenderet vermiculum rodentem radicem hederæ, non eum tota nocte dimitteret, qui aduenientе mane, omninò eam cõſumptam reliquit. Quare beſtiam, inquit Chryſoſtomus, in viſcera tua includis? Melius eſſet viperam, vel ſerpentem in corde poſitam eſſe, quam iram: hæc enim manet ſemper, dentes fortiter infigens, immiſſoque veneno, peſſimarum cogitationum exercitus producit. A Paulo vocatur *Radix amaritudinis ſurſum germinans*, (vt dicemus) id eſt, radix, quæ multas amaritudines producit. Quiſnam in horto ſuo illam plantam dimitteret, altas radices mittere, quam nouit tam amaram: quæ omnes alios fructus, quantumcunque dulces redderet amaros? Quis intra domum retineret eum, à quo ſciret, ſe omninò ſubuertendum? talis eſt ira. Ita dixit Sapiens, quendam iracundum quaſi conſiderans: *Iracundia animoſitatis illius* (Septuaginta, *Impetus iræ eius*) *ſubuerſio illius eſt*. Loquitur metaphora ſumpta à terræmotu, quo validæ ſubuertuntur ædificia: includitur enim ventus, aut vapor, intra viſcera terræ, qui dum accenditur calore ſolis, vt foris prorumpat, montes ipſos ſubuertere ſolet. Quod clarius videmus in ſulphureo puluere, quo ad ſubuertendas turres vtuntur milites; eo enim intra terræ viſcera condito, igneque admoto, flammam emittit ſubuertentem turrim vſque ad fundamenta. Aut verò loquitur, metaphora ſumpta à

Hom. 47. in Ioan.

Hom. 41. in acta ad finem.

Heb. 12. 15

Eccl. 1. 28.

naui, quam ventorum impetus diſcindit: quanto enim ſciſſura maior fuerit, tanto citius nauis per illam ſubmergitur: vnde nauclerus vigilanti ſolicitaque cura ſtatim ad illam reſarciendam ſe totum conuertit. Iræ ventus ſciſſuram facit, hominem à proximo ſuo diuidentem, & ſeparantem, per quam odiũ, & alia peccata ingrediuntur, quę animam in interitum mergũt & perditionem: ideoque dicit, quod iracundia animoſitatis, id eſt valida, fortis, dura, ſubuerſio eſt illius, qui illam habet. Id quod Tigurina tranſlatio clarius expreſſit: *Ruinam ei creat, ipſius ad iram procliuitas*. Hæc omnia egregiè proſecutus eſt B. Gregorius, damna referẽs, quæ ex ira ſequuntur, quo hortetur eam comprimere. Per iram, inquit, ſapiẽtia perditur vt quid, quove ordine agendum ſit, omninò neſciatur, ſicut ſcriptum eſt: *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*: quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cum mentem permouenda confundit. Per iram vita amittitur, etſi ſapientia teneri videatur, ſicut ſcriptum eſt: *Ira perdit etiam prudentes*: quia ſcilicet confuſus animus nequaquam explet, etiã ſi quid intelligere prudenter valet. Per iram iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptũ eſt: *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*: quia dum perturbata mens iudicium ſuæ rationis exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, ſicut ſcriptum eſt: *Noli eſſe aſſiduus cum homine iracundo, ne diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ*: & iterum, *Quis poterit habitare cum homine, cuius ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum?* Quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt, vt beſtialiter ſolus viuat. Per iram concordia rumpitur, ſicut ſcriptum eſt: *Vir animoſus parit rixas, & vir iracundus effundit peccata*. Iracundus quippe peccata effundit; quia etiam malos, quos incautè ad diſcordiam prouocat, peiores facit. Per iram lux veritatis amittitur, ſicut ſcriptum eſt; *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*: quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cogitationis

¶ 208.

S. Mor. c. 31.

Eccl. 7. 10

Iacob. 1. 20.

Prou. 22. 24.

Prou. 18. 14.

Eccl. 28. 10 11.

ad Eph. 4. 26.

abſcondit. Per iram Sancti Spiritus ſplendor exc luditur, quo contra iuxta antiquam trans lationem ſcriptum eſt:

Eſai.66.1. *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & tremẽtem ſermones meos?* Cum enim, humilem diceret, *quietum* protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis ſubtrahit, ſuam Sancto Spiritui habitationem claudit, cuius receſſione animus vacuus, ad apertam mox inſaniam ducitur, & vſque ad ſuperficiem ab intimo cogitationum fundamento diſſipatur; nam iræ ſuæ ſtimulis accenſum, cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit: &c. Hæc, & alia Gregorius. Quis ergo talem hoſpitem cordis ſui cubiculo contineat, qui tot tantaque inducit, infertque mala? Meritò citò expellendam iram dixit Apoſtolus, quæ ad breuem horam tenta, perturbat; ſed diu retenta, omninò hominem perdit. Ex his procedit Beatus Hieronymus ad inexcuſabilem reprehenſionem noſtram. Si Apoſtolus (inquit) interpretatur, *Sol non occidat ſuper iracũdiam noſtram*, quid agemus nos in die iudicij, ſuper quorum iram, non vnius diei, ſed tantorum annorum ſol teſtis occubuit? multis certè illud dici poteſt: *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum, quia aura.* Quamuis igitur in poteſtate noſtra ſitum non ſit, iram ita continere, ne vllatenus exurgat: poſſumus tamen eam per rationem, & deliberationem comprimere, ſaltem propter ipſammet noſtram vtilitatem, quibus Deus tanquam hominibus ex deliberatione agentibus ſtatuit diligere inimicos.

Epi 36. ad Caſtorinã materterã.

Gen.49.7.

(?)

§. 39. *Septima ratio eſt, quia huius præcepti verba, modum indicant, quo facilius compleri poſſit à nobis, qui ſimiles eſſe debemus equitatui Pharonis.*

¶ 209.

EGo autem dico vobis. Hoc eodem pronomine; *Vobis*, modum quo facilius iſtud adimplere poſſimus præceptum, exprimere voluit Chriſtus Dominus: non enim loquitur ad leones, vel tigres, vel dracones, vrſos, vel lupos, aut canes, qui contra lædentem ſe, impetu paſſionum feruntur; ſed ad homines, quos ſimiles ſibi fecit, in eo quod rationem, & mentem illis indidit, per quam ſuos actus diſponerent, eorumque Dominium haberent, vt ex Beato Damaſceno *a*, Diuus Thomas *b*, obſeruauit. Edidit breuem, ſed excellentem tractatum Sanctus Gregorius Nyſſenus *c*, aduerſus eos, qui ægrè reprehenſiones ferunt: in quo vt fundamentum ſupponit, admirationem, qua tenebatur, attendens hominis miſeriam, qui cum à Deo tanta ſit veritate rationis donatus, vt cætera extra ſe ipſum quantumcunque indomita poſſit domare, & ſubiugare, ſuoque dominio ſubijcere, paſſiones tamen, & affectus intra ſeipſum exiſtentes, nullatenus moderatur, quin potius illis ſubiectus iaceat: Ratione, inquit, ſumus fortibus fortiores, cum ſimus corpore imbecillo, & in ſeruitutem omnia redigimus, & vſui noſtro miniſtrare cogimus. Ea tauros domamus, & iugo ſubiungimus & afficimus, vt aratris terram proſcindant, & equum celerem habenis lupatiſque reprimentes, reddimus obedientem, & tardum; aſinum fuſte vrgentes, facimus celeriorem; muloſque peruicaces, currus trahere, & onera ferre cogimus; elephantorum autem, carnis vaſtam molem, & camelorum magnitudinem, callidè, & artificiosè tractamus, & deducimus ad id, ꝙ nobis videtur. Hinc, & profunda tranſimus, & paruo ligno, arte gubernandi freti, ingredimur maria, ad quæ non patet.

a *Li. 2. Orthod. fid. c. 12.*

b *In Prologo. 1. 2.*

c *Orat. aduer. eos qui ægre ferunt reprehenſ. pa 607. tom. 1.*

pater aditus, &c. Mitto ſcientias, relinquo artes neceſſarias, & quæ ſunt excogitatæ ad omnes delicias, variumque ſtudiorum, & exercitiorum ambitum. Hoc autem animal ſapiens, vi agendi, & celeritate præditum, valenſque memoria, quod hic eſt, & aſpicit alia, quæ ſunt alibi, trahitur varijs voluptatibus, & diuerſis affectionibus; vnum negligit nempe veram vitam, & propriam ſalutem, &c. Mirum ſine dubio, quod qui tanta cura moderatur, ac domat externa, ſuis paſſionibus, & affectibus nullum modum imponit, quin potius ab illis quaſi captiuus in mille ducitur præcipitia, cum tamen hoc ſit magis neceſſarium, internos motus, & affectus ſuos moderari, frenare, & comprimere. Inſigne myſterium continent illa Sponſi verba, quæ ad Sponſæ laudem protulit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Etſi doctores ſacri variè verba iſta declarent, certum eſt tamen apud Sanctos Patres, illa inſignem Sponſæ laudem continere; multas namque, & magnas laudes, inquit Beatus Gregorius Nyſſenus, ſimul verbum hoc complectitur. Has vt indicemus, & legitimum ſenſum, qui noſtro inſeruiat inſtituto, eruamus, notandum eſt primò, Salomonem habuiſſe ingentem equorum multitudinem: *habebat enim quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, quos nutriebant regis præfecti.* Hos equos ex varijs regionibus aſportabat: *deducebantur* namque *Salomoni equi de Ægypto, & de Coa*: *negotiatores enim regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto, ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta: atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum, & Syriæ equos venundabant.* Inter hos illi præſtabant, quos à Pharaone rege Ægypti habebat, ſiue pecunia emptos, ſiue dono acceptos. Cenſent enim quidam, quod quoniam Salomon in vxorem accepit filiam Pharaonis regis Ægypti, plura ab eo dona accipiebat, ſignanter equos, quorum Ægyptus feracissima eſt, vt Strabo teſtatur: nam, vt Scriptura ſacra narrat: *Omnes reges terrarum deſiderabant videre faciem Salomonis, & deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & equos, & mulos, per ſingulos annos.* Si omnes Reges mittebant equos, multo magis credendum eſt, de rege Pharaone, cuius filiam Salomon duxerat: & id munus congruum erat regioni, quæ equos excellentes ferebat. Siue ergo dono datos, ſiue pecunijs comparatos, habebat Salomon equos multos, qui fuerant Pharaonis regi Ægypti. Nec ſolos, & nudos equos emebant negotiatores regis; ſed cum ſuis curribus, quorum vſus ita erat communis, vt raro niſi in curribus ducerentur reges, & equites. Sicut autem equi Ægypti præſtantiſſimi erant, ita, & currus ex Ægypto adducti, alijs omnibus excellentiores fuiſſe, credendum eſt: habent enim inter ſe correſpondentiam equi, & currus. Hi autem equi, qui fuerant Pharaonis, in eo erant excellentes, quod ad nutum obtemperabant frenis. Secundò obſeruandum eſt, variè diſcurrere hebraizantes, circa vocem hebræam *Leſuſati*: nam quoniam nomen, *ſus*, equum, aut equam apud hebræos ſignificat, quidam transferunt: *equo meo aſſimilaui te*, alij, *equæ meæ*: Vulgatus tamen aptè tranſtulit, *equitatui meo*: nomen enim equitatus, nec tantum ſignificat equos, nec tantum equites; ſed equites in equis procedentes; quomodo dicitur *a*, *Omnis equitatus, & currus Pharaonis*; & *b*, *Si exieris ad bellum, & videris equitatus & currus*; & *c*, *Cum vidiſſent principes equitatus Ioſaphat*, quam vocem Hiſpane dicimus, *Caualleria*, ſicut dicere ſolemus: *Gran caualleria vino à eſta ciudad*. Itaque equitatus dicit, milites in equis. Quoniam verò tunc milites rarò equis inſidebant, niſi in curribus, quos ducebant equi, addidit, *In curribus*. Intelligendum ergo eſt, ad comitandum Salomonem, cum domo egrediebatur, vt per ciuitatem diſcurreret, aut ad domum ſaltus ſe conferret, varios currus cum equis diſpoſitos fuiſſe, in quibus ibant equites illum comitantes, fiebatque equitatus maieſtati Salomonis conueniens, & aptus. Equites, qui ibant in curribus, & equis, ex Ægypto adductis, dicebatur.

Cant. 1. 8.

Hom. 3. *in cant.*

3. *Reg.* 4. 26.

2. *Par.* 9. 23.

3. *Reg.* 10. 28.

2. *Par.* 1. 16.

¶ 210.

Lib. 16.

2. *Reg.* 10. 25

2. *Par.* 9. 23.

a *Exo.* 14. 9. 23.

b *Deu* 20. 1

c 2. *Par.* 18. 31.

tur *Equitatus in curribus Pharaonis*.

¶ 211. Hic pulcherrimus erat, & præstantissimus, quoniam illi equi, obedientissimi erant aurigæ, & ductori, quos ad nutum per frenum hac illacque ducebat: quem propterea Salomon, *Suum*, vocabat. Tanquam rem autem insignem, & egregiam ponit excellentiam illius equitatus, in quo equites curru insidentes, ad nutum equos trahebant, & voluebant, detinebant, & vrgebant, in dextram, & in sinistram inclinabât: & meritò, id enim est in equis summa æstimatione dignum, quod freno cedant, & aurigæ facillimè obtemperêt. Etsi enim negari non possit, id quod Plinius *a*, multis exemplis probat, & confirmat Beatus Ambrosius *b*, generosum equum, animal esse fidele, non solum habile ad cursum, pugnam, victoriam, & triumphum; sed etiam docile, & capax disciplinæ, adhortationis, & gloriæ, (quod egregiè ipse Deus cum Beato Iob loquês, descripsit inter alia de illo dicens: *Quod procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus*) certum est etiã, nullum esse animal, quod maiori impetu in aliquid feratur, & minus possit contineri. Ideoque vt Aristoteles *a*, & Plinius *b*, annotarunt, communi prouerbio dicitur; Furia seu rabies equina: & latinorum Poetarum princeps cecinit *c*: Scilicet ante omnes, furor est insignis equorum: cuius propterea typo, eum qui vehementi supremo, & potentissimo impetu fertur, sacra Scriptura expresit, vt cum angelus dixit *d*, *Qui sua libidini vacant sicut equus*, & Dauid *e*, *nolite fieri sicut equus*, & Ieremias *f*, *equi amatores in fœminas*: & iterum *g*, *Quasi equus impetu vadens ad prælium*, *&c.* Hinc credo motos Lacedæmonios, vt equum in monte Taygeto soliti sint ventis immolare, cuius postea cineres, ventis flantibus spargendos exponebant, vt author est Festus, hoc ipso equorum impetum, ventis perflantibus similem exprimentes. Equitatum ergo suum dixit Sponsus, equites insidentes curribus, moderantes equos, ita frenis cõpressos, & obedientes, vt ad nutum sessoris obedirent. In qua similitudine egregiam Sponsæ pulchritudinem voluit exprimere. Et est quidem laudum Sponsæ catalogus, inquit Gregorius Nyssenus *h*, quæ his equis facta fuit assimilatio. Sponsæ nomine Diuus Bernardus *i*, quamuis animam Sanctam intelligit: Nec miraberis, inquit, vnam animam equitatus multitudini similatam, si aduertas, quantæ in ipsa vnâ, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsa cũ hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum: quæ propterea dicitur k, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*: & iterum *l*, *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum*? Cæterum egregiè, Sponsæ nomine, Sanctã Ecclesiam intelligunt Sancti Patres, quam frequentius in illo cœlesti epithalamio, pro ea tantum parte, qua Sanctos continet, describit, qui cœlestem Sponsum delectant, cum quibus amore Sancto copulatur, quamuis aliquando eadem, pro alia parte, qua continet plurimos, grauesque peccatores, etiam exprimat, quæ propterea se *nigram sicut tabernacula Cedar, & formosam sicut pelles Salomonis*, exhibet, hoc propter iustos, & Sanctos, illud propter peccatores, & impios, vt Ambrosius, Origenes *a*, Athanasius *b*, multique alij patres annotarunt. Congregatio igitur iustorum, & Sanctorũ, quam sibi amicam, cœlestis Sponsus vocat, summe illius oculis est grata, quam vidit similem equitatui illi, quem Salomon ad sui gloriam præcipuum habebat, ex curribus, & equis Pharaonis, aut ex Ægypto adductis, quibus equites Salomonis insidebant, quorum vnusquisque suo currui insidebat, quem ferebant equi mira obedientia excellentes, qui ita freno comprimebantur, quod non gradiebantur, nec ferebant, nisi iuxta dirigentis voluntatem, directionem, aut permissionem. Sanctorum Patrum doctrina communis est, animã in corpore existentem, similem esse equiti sedenti in curru, quam ferunt affectus, & passiones, tanquam equi. Qua metaphora latissimè Beatus Ambrosius animæ progressus expendit,

cuius

a *Li. 8. nat. hist. cap. 4. & 42.*
b *Libr. de Cain, & Abel cap. 1.*
Iob 39. 21. 25.
a *Lib. 6. de nat. anim. cap. 22.*
b *Lib. 8. na. hist. c. 4*
c *Virg. 3. Georg.*
d *Tob. 6. 17*
e *Ps 31. 9.*
f *Iere. 5. 8.*
g *Iere. 8. 6*
Apud Piezium lib. 4. ad finem.
h *Hom. 3. in Cant.*
i *Ser. 39. in Cant.*
k *Can. 6 3.*
l *Cant. 7. 1*
¶ 212.
Cant. 1. 5.
In Ps. 118. Serm. 12.
a *Hom. 2. in Cant.*
b *In Synop.*
Li. de Isaac & ani. c. 8.

cuius bonos equos dicit eſſe virtutes, malos autem paſsiones, & affectus. Cuius doctrinam expreſſo ipſius Ambroſij nomine proſecutus eſt Sanctus Auguſtinus *a*, huiuſmodique metapho ra ad idem inſtitutum vſus fuit Philon *b*, quam latè tradiderat Plato *c*, quæ, & apud ipſos philoſophos communis eſt. Quorum omnium rationem tradens Beatus Hieronymus *d*, ſenſus inquit, corporum, quaſi equi ſunt ſine ratione currentes, anima verò in aurigæ modum retinet frena currentium: & quomodo equi abſque rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione, & imperio animæ, in ſuum fertur interitum. Certè nihil eſt, quod ex ſe validius potentiuſque feratur, & excitetur, quam equus, qui ſicuti ſi freno cõtineatur, vtiliſsimus eſt equiti ad currendum, pugnandum, & vincendum: ita ſi freno ſit deſtitutus, nihil certius inducit præcipitium. Ita fortiſsimæ ſunt vehementeſque animæ paſsiones, quæ ſicuti freno compreſſæ, & moderatæ, maximo ſunt adiumento ad vitã virtutis percurrendam, & ſpirituales victorias reportandas: ita ſi freno deſtituantur, certiſsimum inducunt præcipitium. Id quod Scriptura ſacra indicat, dicens, hac tanquam grauiori pœna Deum maiores peccatores punire, quod *dimittit eos*, vt ſequantur, *deſideria cordis ſui*, quomodo dimiſit philoſophos illos, diuinæ luci rebelles, quos dimiſit ſequi paſsiones, qui propterea ad ignominioſum, quod Paulus refert, præcipitium ducti ſunt. Cœleſtis ergo Sponſus, Sponſam ſuam vult ſimilem exhiberi equi tibus illius equitatus, qui equos freno compreſſos tenebãt, quos ad ſui directionem, & ductum progredi, ſolummodo permittebant. Anima illa omnibus modis miſerta eſt, cui certiſsimum imminet præcipitium, quæ ſuis affectibus modum non imponit, quibus tanquam equis omni freno deſtitutis ducitur, illos ſequens, qui dicebant; *Nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra.*

a *Li. 2. cõt. Iul. c. 5.*
b *Lib. 2. allegor. to. 1. pag. 90.*
c *In Phædro vel de pulchro.*
d *Li. 2. cõt. Iouian. ante med. nu. 2.*
Pſ. 80. 13.
Hom. 1. 24.
Sapie. 2. 8.

§. 37. *Ira inter omnes affectus, rationis freno eſt regenda, quæ ſimilis eſt equo, & cani, qui aliquando acuendi, & & vrgendi ſunt, aliquando continendi.*

¶ 213.

HÆc in communi de omnibus paſsionibus dicta ſint; ſed ad inſtitutum accedamus. Inter omnes animæ paſsiones, quibus illa ducitur, & fertur equo ſimilior eſt ira, ideoque Sancti Patres de ea philoſophantes, deſumpta ab equo ſimilitudine, circa eam diſcurrunt: ſignanter Beatus Baſilius. Equus ex ſe, fortiſsimus vehementiſsimuſque eſt, qui ſicuti freno compreſſus, & obſequens, multis nominibus eſt vtilis; ita illo deſtitutus, innumeris titulis eſt nociuus, vt dictum eſt. Ita ex ſe, paſsio eſt vehementiſsima, hominem rapido, potentiſsimoque impetu ferens, imò extra illum ducens, vnde, & illa nomen accepit. Dicitur enim ira, ab eo quod eſt ire, nam à ſe it, qui iraſcitur, qui ẽt cum iram deponit, ad ſe dicitur redire. Vnde comicus *a*, communi vſus prouerbio: Tandẽ inquit, reprime iracũdiam, & ad te redi: de qua re eleganter diſcurrunt Chryſoſtomus *b*, Baſilius *c*, Gregorius *d*, & ſignanter Diuus Thomas *e*, qui ex profeſſo demonſtrat ex Sanctis Patribus, & Ariſtotelis philoſophia iram inter omnes paſsiones magis hominem concitare, & inflammare, & magis rationis iudicium perturbare, quod primas in homine tenet. Hæc ſi freno rationis compreſſa fuerit multis modis vtiſſima eſt. Quod egregia ratione Diuus Baſilius explicat, demonſtrans, iram ſummopere neceſſariam ad perfectam ſanctitatem tenendam. Vitæ namque bonitas, & ſanctitas, duas illas habet partes, quas expreſſit Dauid, declinare à malo, & facere bonum. Ad bonum faciendum, & ſequendum, fertur animus per amorẽ, quem acuit ſpes, & deſideriũ ipſiuſmet boni: ad declinandum autem perfectè à malo, neceſſarium eſt odium illius, contra quod ira, & accendit, inſtigat, &

Hom. 10. de Ira.

a *Terent. in adelph.*
b *Hom. 29. & 30. ad populum.*
c *Hom. cit. cit.*
d *1. 2. q. 48 art. 2. & 3.*
Hom. 1. cit.
Pſ. 36. 27.

& impellit: qua de causa dixit Aristoteles, eam necessariam præcipuè esse iudicibus, & gubernatoribus, ad malos
Rom. 13. 5. puniendos, & vitia Reipublicæ extirpanda: eosque probat minus benè esse dispositos, quos ira non acuit. Imò, & Paulus, eos qui gladium portant, in vindictam malefactorum, vocat iram ipsam, quia hæc in illis contra malos debet relucere: quod egregijs symbolis ipse Basilius declarat, & probat: Est, inquit, ira, pars animi irascibilis, ad multa virtutis opera necessaria, quâdo velut miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est eius iussu, auxilium præbere: sic iracundia rationi adiutrix, contra peccatum fuerit. Neruus est animæ indignatio, fortitudinem constantiamque ac robur ad res bene agendas præbens, quæ animam fortiorem ex remissa reddit: neque enim si contra iniquitatem desit indignatio, & ira, satis eam odio, quo decet, persequi poterit, &c. Vnde ipse Dominus in Euangelio, solummodo qui irascitur fratri
Matt. 5. 22 sine causa, damnat: illum verò, qui tãquam pharmaco ad ea, quæ oportet, ira vtitur, minimè condemnat. Dicitur nãque, *Ponam inimicitias inter te, & serpentem*: & rursus, *Hostes sitis Madianitis*, docentis verba sunt, vt ira veluti armis vtamur. Ideo Moyses veluti omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, leuitarum ma
Exo. 32. 27 nus in cædem fratrum armauit. *Vnusquisque*, inquit, *vestrum gladium ad latus teneat, & transite à porta in portam, & suum quisque fratrem interimat*: & paulo post ait: *Manus vestras hodie Domino consecrastis, quilibet in filio suo, & in fratre suo, vt detur vobis benedi-*
Num. 25. 7 *ctio*. Quid Phinees, iustum reddidit? nonne iusta contra fornicantes ira? qui alioquin mitis ac mansuetus, existens, postquam stuprum Zambri, & scorti Madianitidis palam in populo vidit, minimè tam indignum facinus passus, ira vt oportebat vsus, protinus vtrumque trucidauit. Samuel autem
1. Reg. 15. 32. 33. Agag regem Amalech à Saule contra Domini mandatum seruatum, nonne iusta ira in medium trahens occidit? sic itaque fit sæpe numero ira, bonarũ
3. Reg. 18. 40. actionum ministra. Helias Zelotes, quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, comedentes de mensa Iezabel, iusta sapientique indignatione in totius Israel vtilitatem, vt morte mulctarentur, effecit. Ita Basilius: cui consentiens Gregorius annotat, tam vtilem huiusmodi esse iram, vt propter hanc dicatur Phinees, confodiendo fornicantes, placasse Dominũ, & cessasse quassationem, aut plagam, qua Deus Israelitas percutiebat, occidens viginti quatuor millia: quæ sanè non crudelitas, sed *reputatum est* opus illud *ad iustitiam*, *vsque in sempiternum*: pro illo namque opere, promisit ei Deus sacerdotium sempiternum. Quamuis enim ad modicum tempus, illud fuerit in familia Ithamar, de qua fuit Heli, ius tamen illius perpetuò mansit in familia Phinees, vnde, & ad eam mox rediit, in Sadoch scilicet, quem reiecto Abiathar ex filijs Heli, constituit Salomon summum sacerdotem, in cuius familia mansit, vsque ad Christum. Tam necessaria est huiusmodi ira, vt quia Heli (inquit Gregorius) illam non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Hæc Gregorius prosequitur possemusque nos multa congerere, vt Dauidem, qui quamuis mansuetudinem tanquam supremum nobilitatis suæ insigne præferebat, *In matutino tamen interficiebat omnes peccatores terræ, & disperdebat de ciuitate omnes operantes iniquitatem*: s Similiter, & Iob, quem Chrysostomus *a*, vocat magnum patientiæ pugilem, Augustinus *b*, verò fatetur se non inuenire nomen, quod illius viri virtuti sit æquale, aut par, qui cum Rex esset, quo pacto muneris sui partes exequeretur expressit, dicens: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*: vt ita contra iniquos spoliatores pauperum se iratum exhiberet, sicuti postea Dauid contra leones, & vrsos, quorum mentum apprehendebat, & suffocabat eos. Quæ expendens Chrysostomus, annotat, ita oportere iudices, & principes in malefactores irasci, vt illos comprimant, & rempublicam in pace conseruent. Sed vt rem istam concludamus, consideremus Sponsum ipsum, qui Sponsam, quam primò laudauerat ex modera-

¶ 214.

5. Mor. cap. 33.

Ps. 105. 30

Nu. 25. 12.

Vide læse. in Ps. 105. 3. Re. 2. 27. & Eccl. 45 28. & 1. Machab. 2. 34. 1 Reg. 5. 13 14.

Ps. 100. 8.

a Epist. 3. ad Olymp.
b Ser. 225. de tempor.

Iob 28. 17.

1. Re. 17. 35 In Catena Iob 28.

tis infrenatisque passionum affectibus,
Cant.7.4. deinde iterū eam laudat, ex naso. *Nasus*, inquit, *tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*. Commune dubiū est, quomodo cælestis sponsus, qui Spōsam dixerat totam pulchram, nunc tam eminenti, ingentique naso eam describat. Pulchritudo enim resultat, vt Augustinus annotauit, ex
22. de ciui. cap.19. debita partium proportione. Et certè inter vitia magis contraria pulchritudini mulieris, hoc secularis Poeta
Horat Satyr.2.lib.1. præfert, magnitudinem nasi. Propter hoc dubium, vario hanc Sponsi sententiam sancti Patres intelligūt. Rabbini autem multa commenta confingunt in eorum explicationem. Quæ
R.Salom. enim speciei laus est (inquit eorum vnus) si habeas narem magnam, & instar turris eleuatam? Sed in re aperta cæcutiunt Rabbini. Enimuero etiam secundum nudum literæ corticem, egregiam Sponsæ pulchritudinem ex naso Spōsus expressit; magnum enim,
In categor. c. de quantitate. & paruum, vt Aristoteles dixit, non absolutè dicuntur, sed comparatiuè.
¶ 215. Et quidem turris illa, magna erat comparatione ad faciem mulieris, tamen comparatione ad faciem, & eminentiam montis Libani, erat proportionata. Erat Damascus ciuitas Israelitis infestissima, quæ caput erat totius Syrię, cuius reges duris incursionibus vexabant Iudæam, & Ierusalem: vnde quando Salomon pacificè regnum obtinuit, disponens quæ necessaria erant ad pacis conseruationem (hac enim de causa varias equorum copias in diuersis ciuitatibus munitis totius regni
3. Reg. 10. habebat dispositas, vt sacra narrat historia) turrim in monte Libano ædificauit contra Damascum. Erat enim mons Libani altissimus, ex quo tota Damascenorum regio lustrari poterat. Vt autem ita afferam, eo argumento ducor, quod huius turris, nulla nisi hoc in loco facta fuerat in Scriptura sacra mentio. In illa erant milites constituti, qui contra Damascum respiciebant, vt si aliqui inde exurgerent ad incursus faciendos, possent eis obsistere, aut dato signo per fumum, sicut moris est, totam Iudææ terram admonerent, vt ad resistendum inimicis se præberet paratam. Et quidem turris illa, cum admiranda proportione ad montis faciem, & aspectum erat ædificata, quæ propterea illum pulcherrimum aspicientibus reddebat. Inde Sponsus laudem nasi Sponsæ trahit, qui nō minori proportione erga illius faciem, ordinatissimè prominens, illam pulcherrimam reddebat. Hæc quantum ad literæ corticem. Altius tamen mysterium cœlestis Spōsus indicare voluit, qui eatenus pulchritudinem faciei Sponsæ extollit, quatenus illa pulchritudinē spiritualem repræsentat. Nasi siquidem nomine, in Scriptura sacra, intelligitur ira, aut indignatio, quæ maximè in naribus ostenditur; dum enim illa excitatur, spirando, & inspirando aerem, nares extenduntur, in quibus excitatæ iræ sonus auditur. Cum ignis accenditur, spiraculum per quod fumus egreditur, ignem ipsum indicat: ita cum accenditur ira, fumus, aut inspiratio, & respiratio, in naribus ostenditur. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira eius*: & ita communi locutione dicimus, *subiole el humo à las narizes*, de illo qui irascitur. Sponsa ergo castissima, ad suæ pulchritudinis conseruationem, nasum eminentem habere debet, tanquam turrim contra Damascum: nec enim virgo munditiæ pulchritudinem seruabit, nisi ira excandescat in eos, qui honestatem suam tentant: *sino pone vna carode, hierro contra el mocuelo liuiano*: nec mulier castitatem seruabit, nisi acrem indignationem contra excitantē se ad malum ostendat: nec tandem anima seruare poterit mentis integritatē nisi ira excandescat contra eos, qui ad malū incitant, & indignatione exardescat contra iniquitates, & peccata. Irā propterea Basilius egregiè comparat
Pſal.17.9. ¶ 216. *Hom.10. cit.* cani, quē pastor in sua ferre debet societate, ad ouium custodiam; nec oues securæ essent nisi adesset canis, qui cōtra lupos latraret, ringeret, dētes ostēderet, & morderet: similem etiam esse debere militi (vt ex eodē dicebamus) qui ad custodiendū lectulum Spōsi cœlestis stat, renens gladiū propter timores nocturnos. Si hmōi canem, aut militem secum Eua tenuisset, quem con-

tra

tra serpentem excitasset, & acuisset, non ab illo fuisset superata: similiter, & Heli, si contra filiorum suorum iniquitates, hoc cane vel milite vsus fuisset, nequaquam perijsset, sicuti nec Saul, si contra Amalecitarum regem, iræ canem vel militem prouocasset. Imò, & aliquando necessarium est, acuere, prouocare, & excitare, sicut pastor excitat canem dormientem cõtra bestias, quas accedentes videt, & sicuti eques equum, quem segnem videt, calcaribus impellit ad cursum arripiendum, qui necessarius se offert.

Ioan. 2. & Matt. 21. Ita Christus Dominus in semetipso excitauit iram, & indignationem, semel & iterum, vt aptè in eos aduerteret, qui emendo, & vendendo, templum prophanabant, in quo illa insurgere non potuisset, nisi ipse excitasset, & prouocasset, vt alibi dictum est. Hac de causa Deus aliquando voluit, quod eius ministri illam in semetipsis excitarent, ad rectè agendum, quæ contra impios agere iubebat. Ita dixit ad Ezechielem: *Obfirmabis faciem tuam ad eam*. Ierusalem, scilicet, id est, vt

Ezech. 4. 3. Hom. 14. in Ezec. ad fi. Diuus Gregorius exponit, seueram, asperam, ac duram faciem ostendens, *vna cara de hierro*; quod, & sæpè sapientes viros facere debere (inquit Gregorius) ostendit ipse dicens: *Filia tibi sunt? custodi corpus earum, &*

Eccl. 7. 26. non ostendas hilarem faciem ad eas. In negatione hilaris faciei, inclusa est affirmatio seueri vultus; oportet enim, vt parentes in honestate, & pudicitia filias contineant, sæpè ostendere seueram indignatamque faciem, etsi ira pigre ac segniter agat, & moueat, quæ contra eos, quos diligimus, segniter excitari solet, calcaribus quasi equus est pungenda, ac excitanda, & acuenda tanquam canis dormiens. Ira itaque necessaria est, inquit Basilius, & vtilis: sed quando tanquam iugalis equus rationis freno fuerit compressa; quo si destituta fuerit, non minus in præcipitium ducet hominem, quam equus freno non compressus, equitem, vt ex eodem Basilio Chrysostomo, & Gregorio, paulo ante demonstratum est. Ita ergo se gerere debet homo cum affectibus iræ, vel indignationis, sicut se habet prudens eques cum equo, quem cum videt impetu ferri, antequam ad metam vel præcipitium perueniat, freno incipit paulatim illum retrahere, quod Hispane dicimus, *Va lollamando*, id est, continendo, egregia metaphora desumpta ab eo, quem à cursu volumus, hoc ipso quod eum incitamus, vt ad vocantem conuertat mentem, & sensum, facimus vt remittat impetum, quo ferebatur. Ita homo agere debet, cum videt in se iram excitari contra aliquem, à quo offensam passus est. Hunc equum totaliter impedire ne exeat, est impossibile moraliter loquendo, sed illum impetuosè procedentem, per rationis considerationes, tanquam per lora freni, debet homo paulatim continere, ne metas iustitiæ, & rationis prætergrediatur, neue in peccati præcipitium inducat. Quod qua ratione fieri debeat, statim dicemus. Nunc illud exploratum sit, Deum aptè loqui dicentem: *Ego dico vobis*, quia ad homines loquitur, qui etsi non possint impedire passionum suarum ortum, & exitum, possunt tamen illarum impetum per rationem comprimere, & continere, ne ad præcipitium vsque tanquam effrenes equi perducant.

§. 38. *Facile homo se ab appetitu vindictæ temperabit, si Deum imitetur, qui iuxta Tecuitis dictum ad Dauid, retractat cogitans.*

¶ 217. IPsummet pronomen. *Vobis*, amplius ad idem institutum expendamus; ad homines enim apertè loquitur, qui rationis freno, animum stimulis iræ punctum, & tanquam validissimum equum excitatum, debent continere, eo modo, quo eques moderatis tractibus freni, equum currentem paulatim retinet, ne metas prætergrediatur, aut in præcipitium ferat, & ducat, vt dictum est. Huiusmodi tractus, rationes sunt, quas homo eidem animo suo debet repræsentare, quibus eum currentem aduocans, dum ad illa attendenda, quæ repræsentat, inducit,

ab

ab impetu, quo per iram currebat, & ferebatur, temperat, & continet. Ita hominem agere debere, ad animum ſuum continendum, Sancti Patris Baſilius *a*, Chryſoſtomus *b*, Gregorius *c*, & Ambroſius *d*, docuerunt. Certè ſi quis feruentem ollam, quæ totaliter ſupergreditur, igne extrahere vult, non eam apprehendit ex illa parte, qua ignis flammis inflammatur, ſed ex oppoſita, quæ temperatior exiſtit. Si vis cor tuum feruens, & excandeſcens (quod tãquam bulliens iam ſupergreditur, foras emittens verba, motuſque incompoſitos) ab igne, quo ardet extrahere, ne mittas mentis manum, ad eam partem ignis, qui illud facit ebullire, ne inquam mentem applices ad conſiderandam, & expendendam iniuriam, tibi ab altero illatam, quæ tanquam ignis ollam cordis ſuccendit, ſed ad aliam partem, mentem applica, & talia conſidera, quæ temperata ſunt, & accenſum ira animum temperare poſſunt. Neque hac in re aliquid faciet homo ſibi indignum, aut indecens, cum Deus ipſe ſemetipſum ita facientem exhibeat, ad ſuam contra offenſores iram, quam illorum iniquitates ſuccenderant, temperandam. Ita ſapiens illa mulier Tecuites, volens iram Dauidis, quam meritò contra filium ſuum fratricidam conceperat, moderari: *Recordetur*, inquit, *Rex, Domini Dei ſui*. Quaſi dicat; Quamuis Rex ſis, nullum ſuperiorem in terra recognoſcens, habes tamen Deum, qui omnibus modis eſt tibi ſuperior Rex, tantoque perfectior eris, quantò magis ſueris illum imitatus. Et quid facit Deus? *Deus* (inquit illa) *non vult animam perire, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus eſt*. Scriptura ſacra (vt ſupra cœpimus circa hunc locum annotare, expenditque Beatus Chryſoſtomus) ſæpè inducit Deum agentem aliqua, quæ ſibi videntur indigna, vt noſtræ ſe attemperans humilitati, nos doceat, quæ in aliquibus euentibus facere debeamus. Cogitare enim, vt ex Auguſtino *a*, docuit Diuus Thomas *b*, eſt multa ſimul mente cogitare, cum ſuſpenſione rei faciendæ; qualis eſt homo, qui in aliqua dubia ancipitique occaſione poſitus, cui pro hac, & illa parte rationes ſe offerunt, hæret ſuſpenſus, expendens in quam debeat inclinare, qui nunc in hãc partem propter aliquam rationem inclinat, nunc in aliam propter diuerſam & oppoſitam propendet. Ideoque verbum hoc indecens Deo videtur. Nunquid enim, inquit Chryſoſtomus, igno rare poteſt Deus, aut ſuſpenſus manere, quid agere oporteat? Deinde tunc dicitur aliquis quod retractat quæ cogitauit, quando poſtquam mente ſtatuit aliquid agendum, alia ſe offert ei ratio in contrarium, quæ obligat illum retractare, quod ſtatuerat, & oppoſitũ decernere. Decreuiſti in mente tua dare aliquid alicui, quem credebas amicum, intelligis poſtea illum potius tibi eſſe inimicum, retractas quæ cogitaueras. Quare, retractare cogitationem, fieri non poteſt, niſi aliqua interueniat ignorantia, quæ in Deo nullatenus locum habet. Quomodo ergo ¶ 218. dicitur, quod *retractat cogitans*? Certè quia ſæpè Deus ad modum noſtrum ſe nobis repræſentat, vt ſuo nos doceat exemplo. Ipſe non vult animam perire, id circo ne perdat eam, qui ſe per peccatum prouocauit, *retractat cogitans*. Quando homo illum offendit, ſtatim inſurgit in Deo (noſtro modo loquendi) iuſtitia, aut ira, quæ incitat ad illum perdendum. Cæterum ſubſiſtit Deus (vt eodem humano modo loquamur) quaſi cogitans, id eſt, multa mente pertractans, attendens ſuam benignitatem, quæ ad miſericordiam impellit, & hominis imbecillitatem, qui puluis eſt, quem quilibet ventus circũtrahit, & quod qui culpam commiſit eſt ille, propter quem filium ſuum tradidit in mortem, & quod ſanguis filij ſui, remiſſionem clamat, &c. ſicque retractat, quod ſecundum iuſtitiam ſuã ſtatuerat, & decernit, ne pereat penitus homo, & quod illi locus ad pœnitentiam concedatur, &c. Ita ſeipſum depingit ipſemet apud Oſeam, qui cũ maximè commotus, excitatuſque eſſet propter populi ſui peccata, decreuiſſetque eius iuſtitia illum perdere, ſubſtitit cogitans, & dicens: *Quomodo dabo te Ephraim? protegam te Iſrael? Quomodo dabo te ſicut Adama? ponam te vt Seboim? conuerſum eſt in me*

a *Hom.* 10. *de ira cit.*
b *Hom.* 29. *& 30. ad populum.*
c 5. *Mor. c.* 32. *& hom.* 35. *in Euã.*
d *Li.* 1. *offi. c.* 21. *&* 48.
2. *Re.* 14. 14
Hom. 22. *in Geneſ.*
a *Li. de præ deſt. SS. an. med. & de Trinit. c.* 16.
b 2. 2. *q.* 2. *art.* 1.
Orat. 6. *cont. Iudã.*
Oſea 11. 8.

cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim. Notum est, Adama, & Seboim vrbes fuisse in regione Sodomæ; talia autem erant Iudæorum peccata, vt similem imò, & maiorem mererentur pœnam, vt Deus ipse dixit apud Ezechielem, & Ieremias in Threnis: quibus prouocatus Deus, quamuis iustitia eius ad vltionem eum excitaret, vide quam suspensum, & cogitabundum se exhibeat, mentem suam aliò diuertentem. Quid, inquit, tibi faciam? quæ verba egregiè expendit Chrysostomus. Nihilominus seipsum exhibet cogitantē, variaque expendentem, qui etsi dum peccata, & offensas attendebat, ad vltionem excitabatur, sed attendens suā bonitatem, & humanam imbecillitatem, retractabat vltionem, & misericordiam agere statuebat. *Conuersum est in me cor meum, &c.* Nulli obnoxius Deus perturbationi, inquit Chrysostomus, hominem imitatur commotum affectibus, & matrem repræsentat, quam filius offendit, quæ etsi ex offensione iram trahat, sed ex maternis visceribus ad benignitatem se conuertit. Hunc eundem locum expendens Hieronymus, multa egregia ad hoc institutum annotat. Deus ergo, qui nullis potest perturbari affectibus, nec illis impelli ad aliquid iniustum, aut inordinatum, quando ab aliquo offenditur, se exhibet quasi rationes, quibus iram, quam offensa excitat, temperet, & contineat. Quantò magis id debet agere homo, quem passio iræ, & furoris perturbat, & impellit, vt in præcipitium feratur? Da locum, inquit B. Basilius, cogitationibus Sanctis, quibus currentem equum contineas, antequam transgrediatur rationis, & iustitiæ metas, & in exitium te inducat.

Exe. 19.48
Thren. 4.6.
Procem. 1. sup. Esai.
Epist. 46. ad Rustic.
Hom. 10. de ira cit.

§. 36. *Decem breuissimæ rationes, quarum consideratione homo iræ affectum, & vindictæ appetitum facilè poterit comprimere.*

¶ 219. COgitationes, & rationes, quas homo sibimet considerandas proponere potest, vt iræ, & vindictæ affectū temperet, innumeræ sunt, quarum multa latè in his tractatibus sumus prosequuti: sed ne in immensum producantur, breuiter alias nunc accipe, à teipso latius expendendas. Prima sit ducta ex doctrina B. Chrysostomi, pertractantis quæstionem circa factū Noè, quem cum offendisset filius suus Chā, non illum maledixit, sed filium illius, videlicet Chanaam: *Euigilans enim Noe ex vino, cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaam seruus seruorū erit fratribus suis.* Erat Chanaā filius ipsius Cham. Quid hoc? offendit Cham, & maledicitur filius eius Chanaam? Videtur factum hominis nondum plenè à vino, & somno excordati. Imò vt intelligamus, iam omninò illum sibi redditum, præmisit scriptura, quod euigilauerat à vino, & totaliter sui compos iam erat. Id quod factum ipsum indicat: recordatus enim fuit Noè, quod quando de arca egressus fuit, Deus benedixit illum, & ipsius filios, quorum vnus erat Cham *Benedixit*, inquit textus, *Deus Noe, & filijs eius*: indecens propterea iudicauit, illum maledicere, cui Deus semel benedixerat: neque enim tam inuerecundus erat Noè, sicuti illi, *qui maledicunt, quem Deus benedixit*. Qua ratione Balaam, quamuis impius, continuit se, ne populum Dei malediceret, ad quem maledicendum vocatus fuerat, grandi proposito præmio à Balac Rege Moabitarum, iam enim constitutus in monte, ex quo populum Dei intuebatur, oblatisque dæmoni sacrificijs, vt valide progredi ad maledicendum posset: *Quomodo*, inquit, *maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione detestor, quem Dominus non detestatur? Deus illum eduxit de Ægypto,*

Prima ratio.
Hom. 29. in Genes.
Gen. 9. 24.
Gen. 9. 1.
Ps. 108. 28.
Num. 22.
Num. 23. 8.

Cuius

cuius fortitudo ſimilis eſt Rhinoceroti. Conſiderauit quidnam Dominus pro illo populo fecerit, quem ſibi elegit, & eduxit de Aegypto, in manu forti, & tranſtulit per mare rubrum, & ad terram repromiſſam dirigebat: quaſi dicat; Quem Deus elegit, & tot bonis cumulauit, & ſibi adiunxit: ego debeo abominari, perſequi, aut deteſtari? *Quomodo?* verbum hoc in ſcriptura, inquit Ambroſius, magnam habet emphaſim, & idem valet, ac nullo modo. Hanc rationem debes mente verſare: cum aliquis te offendit, cogita, quod quamuis ita ſit, quod ex hac parte pœna ſit dignus: & ſupplicio, ac odio, ſed ex alia, eſt quem Deus benedixit, & eduxit de Aegypto, de poteſtate tenebrarum, per mare baptiſmi, & quod tanti Deus eum facit, quod pro illo dedit vitam, & ſanguinem: & forte quamuis cum te offendit peccauit, iam facti pœnitens, in Dei gratiam eſt admiſſus: & quod ſi impius Balaam continebatur, ne populum malediceret, quia Deus ad illius liberationem ex Aegypto mira egerat; multo magis tu continendus es, attendens; qualia Deus pro illo, qui te offendit, operatus

II. Ratio. fuerit. Secunda ratio eſt, quam eloquentiſſimè idem Chryſoſtomus *a*, & Gregorius *b*, expendendam proponunt. Aut qui te conuitiatus eſt, verum dixit, vel falſum: ſi verum dixit, patientiam debes tenere; ſi enim tunc conuitium patienter feras, nec conuitieris illi viciſſim, ſed amaro gemitu Deum implorans; protinus omnem culpam depoſuiſti. Hoc autem ita Chryſoſtomus probat: Erat Phariſæus quidam, & quidam publicanus, quorum hic quidem ad ſummam progreſſus erat malitiam, alter ad ſummam ſuo iudicio peruenerat iuſtitiam: ambo aſcenderunt, vt orarent. Phariſæus dicebat: *Non ſum ſicut cæteri, &c ſicut ille publicanus*: at Publicanus, procul ſtans, non regeſſit contumeliam, neque viciſſim dixit conuitium, neque protulit iſta vulgaria verba: Tu ne audes vitæ meæ mentionem facere, melior te ſum, &c. nihil horum locutus eſt publicanus; ſed amarè ſuſpirans pectuſque percutiens, hoc tantum dicebat. *Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus.* Vides celeritatem? accepit probrum, & abluit probum. Agnouit peccata, & abluit peccata, & criminum improperatio facta eſt illi criminum remiſſio, & hoſtis inſciès, factus eſt beneficus. Quot labores erant publicano ſubeundi, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona ſua egenis impartiendo, longo tempore in ſacco, & cinere ſedendo, vt illam multa peccata poſſet deponere? At nunc cum nihil tale fecerit, ſimplici verbo omnem depoſuit iniquitatem, ac probr., conuitiaque Phariſæi, quæ videbantur illum contumelia afficere, pepererunt iuſtitiæ coronam; idque ſine ſudoribus, ſine laboribus, & abſque longi temporis mora. Vide quomodo etſi vera dicat, qui conuitiatur, ſi amarè ingemiſcentes Deum pro delictis noſtris exorauerimus, omnia peccata deponere poſſumus. Ita Chryſoſtomus. Hæc vt oſtendunt Ambroſius *a*, & Gregorius *b*, fuit conſideratio, quæ Dauidem continuit, quando Semei contra illum contumelioſiſſimis verbis agebat. Volenti enim Ioab ire ad vltionem ſumẽdam, dixit Dauid: *Dimitte, vt maledicat iuxta præceptum Domini, fortè pro maledictione hac dabit Dominus benedictionem*. Non ſolum, inquit Ambroſius, non offendebat conuitijs, ſed illis potius delectabatur, & illa exoptabat, pro quibus ſibi veniam reddendam arbitrabatur. O verè hominem ſecũdum cor Dei, clamat Bernardus, vetuit prohiberi maledicum conuitiantem, quęſtum æſtimans maledicta. Et addidit: *Dominus mittit illum ad maledicendum Dauid.* Prorſus ſecundum cor Dei, quia de corde Dei ferebat ſententiam, ſeruiebat lingua maledicta, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus; vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat ſe ad benedictionem. Nunquid in ore blaſphemi Deus? Abſit, ſed eo vſus eſt, ad humiliandum Dauid. Nec latuit propheram, quippe cui incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauerat Deus; & ideò dicit; *Bonum mihi, quod humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Vides quia humilitas iuſtificat nos? ita Bernardus.

a *Hom. 3. de Saule, & Dauide.*
b *Li. 8. Ep. 45. ad Pallad. & l. 9. epiſt. 39. ad Theodiſiã.*
Luc. 18. 10
a 1. off. c. 48
b 3. Moral. cap. 17.
2 Reg. 16.
Ser. 34. in Cant.

Agnoscebat Dauid, vt S. Basilius annotauit, quod aliqua quæ Semei in illum iactabat, vera erant, vt quod esset vir sanguinum, qui sanguinem Uriæ proditorie fudit. Et verè, vt indicat Petrus, non magnum quid est sufferre, vt tibi sit dictum, quod à te iniustè est factum. Si autem falsum dicat, qui contra te maledicta iactat; attende, quantum bonum comparare possis, si patienter feras, quem Christus ore proprio beatum prædicat dicens: *Beati estis, cum maledixerint vobis, & exprobrauerint mentientes, &c.* Inter omnia, inquit Gregorius, maiora opera, quæ facere potes, hoc vnum est, patientiam tenere cum mendaciter exprobraris; martyrij enim coronam tibi pariet. Si namque adiuuante nos Domino, virtutem patienter seruare contendimus, & in pace Ecclesiæ viuimus, martyrij palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrij genera: vnum in mente, aliud in mente simul, & actione. Itaque martyres esse possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est: ferre verò contumelias, & odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Hocque fuisse martyrium, quod Ioannem Apostolum martyrem fecit, censet Gregorius; quia passionem, quam non suscepit in corpore, seruauit in mente: imò, & fortius martyrium illi reseruasse visus est Deus: durius siquidem multo, inquit Chrysostomus, est opprobrium, & conuitium viro strenuo, quam corporis vulnus, aut plaga: nam hæc præcipuè corpus, illud animum transfigit, & pungit, Quod ex professo pertractans idem Chrysostomus, hoc demõstrandum assumpsit in Dauide, & Iob, quorum vtrumque impetens diabolus ad vltimum conflictum, opprobria tãquam grauiora iacula seruauit, quibus acrius feriret. Tandem enim Dauidem, postquam malitia Absalonis ciuitate expulit, conuitijs Semei impetiuit: Iob autem tandem per vxoris contumeliosa verba afflixit, similiterque per amicorum conuitia, post quæ nihil grauius sibi restare inferendum agnouit; ideoque à torquendo cessauit. Et quidem, quoniam Christus Dominus erat martyrum supremus, grauiori multo martyrio coronatus, imò ferens ipse solus grauius martyrium, quam omnes martyres simul, vt Diuus Thomas demonstrauit; eius passionis calix ex duobus tormentorum generibus erat plenus. Erant siquidem vulnera circa corpus, erant, & conuitia, ac opprobria circa animam: *Nam multa in eum blasphemantes dicebant, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, conuitiabantur ei.* Quanto autem interuallo hæc superarent, verba Prophetæ demonstrant, dicentis: *Saturabitur opprobrijs*: vt videas quanto potentius opprobria torserint, & afflixerint, quam vulnera: his enim non dicitur satiatus, sicuti illis. Ex huius calicis plenitudine omnes bibere debent: & quidem Iacobo dedit bibere vulnera, quæ corporalem mortem inferrent: Ioanni autem opprobria, & conuitia, innumeraſque animi afflictiones, quas passus est: hoc enim martyrij genus aliqua ratione grauius est. Et nos ergo, inquit B. Gregorius, hoc exemplo, sine ferro martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. Graue quidem est conuitium in te iactum; sed maius meriti bonum, quod immẽsum gloriæ põdus operatur. Hoc confirmat Gregorius, exemplo Stephani, præfecti cuiusdam monasterij, qui etsi omnibus virtutibus præstaret, virtutem tamen patientiæ adeo singulariter coluit, vt eum sibi amicum crederet, qui aliquid sibi molestiæ irrogasset. Reddebat contumelijs gratias, omnes suos aduersarios, nihil aliud quam adiutores æstimabat. Hunc cum dies mortis vrgeret, cõuenerunt multi, vt tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti, suas commendarent: ex quibus multi ingredientes, corporis oculis Angelos ei assistentes viderunt. Quid huic suus conditor intus dedit, de quo tantam gloriam in die eius exitus, foris innotuit? Quibus hunc credamus, nisi sanctis martyribus sociatum, quem attestantibus quoque oculis corporeis à beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo ille gladio percussus occubuit, & tamẽ coro-

nam

Ora. de ira, & inimic p. 821. 1. Petr. 2. 19. 20.

Matth. 5. ¶ 221. Hom. 35. in Euang.

Hom. 31. in Acta.

Homil. de fid. Annæ, tom. 1.

3 p. q. 46. art. 5. & 6.

Matt. 27. 39 44. & Marc. 15. 19. 30. 32. & 32. Thr 3. 30.

Loco citato.

nam patientiæ, quam in mente tenuit, in egressione percepit, &c. Tertia ex dictis oritur consideratio, quam optimè prosequitur B. Gregorius. Certum est, neminem posse cum Christo regnare, qui non calicem eius biberit, vt alibi dicemus: quid ergo tu illius calicem gustas, qui in omnibus delectationem tenere curas? Deus tibi compatiens, calicis poculum porrigit per inimicum persequentem. Cur ergo non bibes calicem, quem dedit tibi Christus, sicut ille calicem, quem sibi dedit Pater? An putas quod sine calice regnum cœlorum possis obtinere? Recole illam Dei sententiam, quam per Ieremiam promulgauit *Hæc dicit Dominus: ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris?* Oculos aperi, aduerte, considera: id enim vox illa, *ecce*, significat: nullus sanctorum sine calice, quem biberet, imò, *& omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur*: Bibentes enim, inquit, bibent, id est, certissimè bibent: & calicem quidem amarissimũ. Qualem calicem bibit Petrus in cruce positus, Paulus gladius iugulatus, Baptista carceribus conclusus, Stephanus lapidib. obrutus. Imò, & Christus, qui est *Dominus gloriæ*, non ad eam fuit à Patre admissus, nisi per calicem, eo modo, quo ipse dixit, discipulos purgans, ab scandalo crucis: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: & tu sine calice vis ad gloriam admitti? Tu solus relinquendus es sine calice? Tu illum manibus tuis non sumis, quin potius quantum potes, fugis? non ieiunijs asperis carnem affligis, non dura catena eam maceras, non lapidem durum capiti ad dormiendum supponis: calicem tibi offert Deus, volens te per eius potum ad gloriam introducere.

¶ 222. *III. Ratio. Lib. 9 ep 39. ad Theodoram.*

Ier. 49. 12.

2. ad Tim. 3. 12.

1 Cor. 2. 8.

Luc. 24. 26.

§. 40. *Earundem rationum, & considerationum persecutio.*

QVarta similiter consideratio, ex his sequitur. *Deus peccata hominum in tribulatione dimittit*, quam tanquam igne purgantem adhiberi vult, inter omnes tribulationes, grauissima est illa, quam homo patitur ab inimico persequente. Vnde Deus quando populum suum grauissimis peccatis implicatum videbat, tradere solitus fuit manibus inimicorum persequentium, qui eo modo, quo scriptura sacra docet, & Theologi explicant, excitabat hostes, vt manus contra illum conuerterent, vexarent, affligerent, diriperent. Ita B. Ambrosius expendit rationem, quam Ieremias tradidit, propter quam Deus, Chaldæorum potestati ciuitatem suam electam Ierusalem tradiderit: *Quia si abiecit*, inquit, *& miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum: non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum*. Abiecit quidem ciuitatem sanctam, & manibus inimicorum tradidit; sed vt peccata dimittat per tribulationem, & misericordiam conferat: ideò inimicos excitauit, aut permisit. Cum aurum est immundum, & scoriam contraxit, ignis ardoribus traditur emundandum; & tanto maioribus, & ardentioribus, quanto grandior fuerit scoria. Voluit Deus populum suum purgare grandi peccatorum scoria, in grandem ignem immisit, quem idem Ierem. viderat, *ollam*, inquit, *succensum ab aquilone ego video*: Chaldæorum potentiam indicans aduenientem, & succedentem. Inimicorum ergo persecutionem Deus peculiariter permittit, ad peccata per talem tribulationem purganda. Vnde cum inimicus contra te surrexit, aut aliquis te iniuria affecit, considera Deum velle tua peccata purgare, & dimittere, quæ quia grandia sunt, grandis ignis ardore egent: ideoque si patienter iniurias, & offensas tibi illatas propter Deum feras, certò poteris expectare peccatorum tuorum re-

¶ 223. *IV. Ratio. Tob. 3. 13.*

1. de pæn. c. 4.

Thr. 3. 32.

Ierem. 1. 13.

missionem. Ita Beatus Chrysostomus hortatur, vt per hanc considerationem iram comprimamus. Huic (inquit) indomitæ beluæ nolimus habenas remittere, sed præduro freno, metu scilicet diuini iudicij eam cohibeamus, quotiescunq; dolore aliquo amicus te vel familiaris affecerit, & ad iram concitauerit, veniant in mentem, quæ tu cõtra Deum commiseris, quodque si à proximo offensam, & contumelias æquo animo tolleraueris: leuius in te iudicium Dei prouocabis. Hac cõsideratione Dauid vsus est, cum Semei sibi conuitiaretur, vt dictum est. Quintò, quando verborum contumelia tentaris, inquit Basilius, illud existima periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, an potius per iram ad inimici partes declines. In area sumus: qui ad ventum contumeliæ, & persecutionis firmus manet, triticum se comprobat in horrea diuina cõgregandum, qui illo impellitur, & huc illucque ducitur, se paleam demonstrat, æterno igne concremandam. Non Deus homines ad se recipit, neque tanquam suos omninò admittit, nisi probatos, & examinatos: illumque acceptat, *qui probatus est in illo & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna*. Probare autem Deus solet persecutionibus, quæ verum aurum instar ignis demonstrant. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum*. Ex quibus examinare teipsum poteris, an pertineas ad triticum, cœlestis gloriæ horreo includendum, an ad paleam perpetuis ignibus concremandam: si enim verba contumeliæ, & conuitij, quæ ab ore inimici tanquam quidam aquilonaris ventus procedunt, non deducunt, aut secum ferunt, sed firmum te videas permanere per patientiam, ad triticum te pertinere poteris coniectari: si autem videas, te à vento duci, perduci, ac in circuitum ad eius impetum ferri: in te paleæ conditionem agnosce, & ad illos te pertinere time, de quibus Dauid: *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*. In Hebræo, vt annotat Caietanus, habetur dictio, q̃ transfert ipse, & alij, *glumma*, quæ significat folliculos illos, intra quos granum tritici continetur, qui leui vento acti, celeriter feruntur, absque aliqua resistentia, quibus illi similes sunt, qui ad leue etiam conuenti verbum, vehementer, & celeriter excitantur, & commouentur, qui nullo patientiæ pondere stant, nec continentur. Te igitur ipsum examina, & inquire, ad quam partem pertineas, saluãdorumne, an eorum, qui æterno sunt igni tradendi: vide, quonam signo te intuearis expressum. Et quidem Deus militibus suis signum dedit, quomodo etiam diabolus suis. A Deo datum est signum, dilectio videlicet inimicorum signum diaboli est odium, quo signatum se exhibuit *Cain, qui erat ex maligno*. Mirum ergo est: quod cum possit te inter eos, qui Dei sunt, teipsum constituere, diligens inimicum, & ei parcens: velis teipsum inter eos, qui ex maligno, sunt, collocare. Sextò: cum vides inimicum contra te agentem, cogita, inquit Basilius, illum passionis vi extra se positum, & phreneticum, & quod misericordia potius, quam odio dignus est: sicut cum is, qui febre laborans, contra medicum insurgit: neque enim (inquit Chrysostomus ad idem intellectum) aliquis febribus laboranti irascitur, qui potius ad sui misericordiam, & lacrymas mouet. Colligit Beatus Hieronymus quædam ænigmata ex Aristotele, quorum vnum erat, *Ignem gladio ne confidias*. Si videres hominem, qui valido igni se opponeret, tenens, & stringens gladium, nitens illius flammas secare: stultus iudicaretur: ad ignem, quidem absumendum, aqua est, quæ conducit. Ita stultus est, qui cum inimicus igne succensus, flammas conuitiorum emittit, gladium persecutionis aut vltionis adhibet: adhibet aquam lacrymarum, plorans illius miseram sortem, qui talibus flammis ardet, & in mentem reuocet, innuit Chrysostomus, quam graue supplicium, illum maneat coram Deo, & quod ea agit, de quibus non multo post pœnitentiam acturus est. Illum ergo phreneticũ cõsiderans, caue, ne similem te illi facias, inquit Ambrosius: nihil enim facilius, q̃ vnum stultũ, alium sibi simi-

Hom. 3. in Ioann.

2. Reg. 16.

V Ratio. Hom. 10. de ira.

1. Ioa. 3. 12

Eccl. 31. 10

Psal. 65. 10. & 124.

VI. Ratio. Hom. 10. de ira cit.

Hom 47. in Ioan.

Apolog. cont. Ruff. tom. 2.

Hom. 47. in Ioan.

Psal. 1. & in Psal. 1.

Lib. 1. off. c. 5.

similem stultum facere. Iuxta hanc do
ctrinam possumus illud Sapientis con-
Prou. 26. 4. silium accipere: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*. Et qui iniustè te offendit, stultus, quia non ratione ducitur, sed passione, & iuxta cordis sui affectum: ne tu similiter respondeas, sequens passionis tuæ impetum; nam similiter te stultum comprobabis. Videtur alludere ad rationem, qua sapientissima Abigail Dauidem cotinuit, ne cum Nabal ageret iuxta illius stultitiam. *Ne ponat*, inquit, *Dominus meus Rex cor suũ*
1. Reg. 25. 25. *super virum istum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo*. Stultus ille est, & stultum se comprobauit Nabal, agens non secundum cupiditatis affectum: ne ei respõdeas iuxta stultitiam suam, ne ei
¶ 225. similis efficiaris. Septimam rationem
VII. Ratio. indicat idem Ambrosius, secundum
Lib. 1. off. c. 5. quam considerare debes, quod diabolus non contentus est perdere illum, qui te offendit; sed, & nititur teipsum etiam perditioni tradere quod verè consequitur, quando tu iniuria lacessitus, contra offendentem maioribus conuitijs illum prosequens, te conuer-
Quando aliquis nobis conuitiatur, inquit Ambrosius, lacessit, ad iurgium vocat, tunc muti fieri non erubescamus: peccator est enim, qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos sui similes facere desiderat. Diabolus venator ille est callidissimus, qui per acceptam auem, inclusam cauea, aliam comprehendere nititur, & procurat: qui ideo dum inimici tui cor apprehendit, illud incitat ad conuitia proferenda, vt ad illas voces, tu tanquam in cauta auis respõdens, & correspondens simili cantu, te similiter capiat, & includat in illa odij cauea dura, forti, & grandi, quæ maiores peccato-
1. Ioa. 3. 12 res inclusos tenet: quos Ioannes vocat; *ex maligno*, quasi aues maximè ipsi diabolo similes, & cantui suo concinentes, qui rabido odio perpetuò succensus est, & quærit quem deuoret.
VIII. Rat. Hom. 47. in Ioan. Octauò, diuinę scripturæ verba, & historias recole. Fera pessima, inquit, Chrysostomus, est ira vehemens, & furibunda, incantemus eam diuinæ scripturæ carminibus. Considera, Deum assistentem, & dicentem tibi: *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Gen. 3. 19. Considera, quod tibi dicitur: *Terra, & puluis es*, & *Quid superbis terra, & cinis*: & quod, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Ita faciebat Dauid, grandibus persecutionibus pressus, qui de seipso illud fatetur: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem in humilitate mea*. Recole sanctos, qui in cœlo sunt, qui per huiusmodi persecutiones illuc peruenerunt. Similem te exhibe nautæ, qui actus tempestatis persecutione, oculos ad sidera tollit, vt inde, qua nauis dirigenda sit discat. Nonò, considera
IX. Ratio. rem esse miserrimam, viroque excelso indignam, ad cuiusque voces, & verba commoueri, & alterari, & quod non debet esse in cuiusuis facultate, teipsum conturbare, & perdere. Hæc excellenter prosequitur Beatus Gregorius explicans, illud, quod Christus in Ioannis commendationem dixit, quod non esset *arundo vento agitata*, quem voces laudantium, aut vituperantium hac illacque possent trahere, & cõmouere. Misera est nauigij sors, quod quæuis aura huc illucque trahit, & cogit ventus, omnia pretiosa, quæ intra se deferebat, quæque multo labore conquisierat, breui spatio in profundum maris mergere. Noli tam miseram sortem tuam facere, qui ad venti concitati flatum, ad verba inimici, quæ vento ipso leuiora sunt, ita commouearis: vt multa animæ tuæ bona, quæ graui labore condideras, breui tempore profundas. De huiusmodi metaphora à tempestate sumpta optimè ad hoc institutum Chrysostomus loquitur. Difficilia sunt verba illa, quibus Deus Elephantem, describens, dixit: *Omnes bestiæ agri ludent ibi*: in Hebræo verbum *Sahhak*, quod, vt alibi explicuimus, significat illudere, irridere; quod quidam ita explicant, vt voluerit Deus rem mirabilem circa Elephantem explicare. Ipse est, qui inter animalia terrena primas tenet, nihilominus hæc illius grãdis miseria, quod à minimis animalibus ita impetitũ se sentiat, & sui irri-

Lib. 9. epist. 39. ad Theotistam. Matth. 11

Hom. 31. in Acta. Iob. 40. 15. ¶ 226.

Pin. in cap. 40. Iob.

sionē causatinā lacessitus ab eis, motibus furiosis, & inordinatis circumagitur. Videns siquidem murem, conturbatur, quem maximè odit, Chamalæon ab ipso nesciente inter pabula deuoratus, tanquam venenum totum eius corpus alterat: suis, aut porci grunnitu ita grauiter perturbatur, inquit Plinius, vt quamuis à primo ætatis tempore domitus sit, & mansuetus, tanquam furijs incitatur, nullumque tenet ordinem, cuius exempla Aelianus tradit: hirundine in potu haurta intolerando afficitur dolore, & mirum in modum torquetur à vermiculis cœruleis prope Gangem, de quibus omnibus, idem Plinus, Solinus, & alij. Certè res miranda, tantum tamque grande animal, quod omnibus alijs eminet, ita à minoribus bestiolis conturbari posse, vt illum totum trementem, & rugientem reddant. Sed magis mirandum est, quod hominem prudentem, & strenuum, qui ratione eminet, per quam potest cognoscere, quam parui momenti sit verbum hominis sibi improperantis, qui nihilominus à minimo verbo, ita conturbatur, quod seipsum exhibeat ira tremētem, & toto pectore inflammatum. Huic affinis est decima ratio, quam cōsiderandam tradit B. Basilius quod scilicet attendas, indignum esse, te tam parum æstimare bona spiritualia animæ, vt cuicunque vento exponas rapienda. Bona temporalia tanti facis, & tanta diligentia custodis. quod nullatenus pateris, esse in cuiusuis potestate, illis te spoliare; quæ tam firmis concludis ostijs, & vectibus, vt nec validiores latrones, quantumcunque omnes vires suas exerant, possint rapere: bona autem spiritualia tam parum curas, vt permittas cuiuis ea rapere, & cuicunque vento exsufflanda exponas: nam ad cuiuscunque verbum contra te prolatum, illa pessumdas, profundis, & iracundiæ vento ducenda tradis. Hanc rationem ex professo expēdit Sanctus Augustinus, qui postquam docuit, quanti fecerint viri sancti charitatem, quam ne amitterent, omnia tormenta perpessi sunt, vt Paulus indicabat; Nimis inquit, dolendū est, nos interdū ociosis fabulis à charitate separari, & nonnūquam ob paruissimum conuitium, tam excelsum donum pessumdare, &c. Huiusmodi rationes ex SS. Patribus, possemus sine fine prosequi, & alias multas graueſq; inuenies apud Chrysostomum. Hæ nunc sufficiant, & ad eas considerandas, quas explicitè Christus tradit, progrediamur.

Li. 8. c. 10.

Lib. 1. c. 33

Li 8. c. 10. & 17. & lib 9 c. 15. c. 38.

X. Ratio. Orat. 9. de ira & inimici p. 281

Ser. 168. de tempore.

Hom. 80. in Matth.

QVIN-

QVINTA PARS,
CONTINENS RATIONES PRAECEPTI HVIVS, A' CHRISTO DOMINO EXPRESSAS.

§. 1. *Manifeste Christus probat, nullatenus à Deo dici potuisse, odiendos inimicos, imò exemplo Patris cælestis diligendos, ab ijs, qui illius sunt filij.*

¶ 227. VT sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Quamuis Christus Dominus sola, & nuda sua asseueratione, & assertione posset esse contentus, vt intelligeremus impiam fuisse traditionem Pharisæorum, dicentium, Deum antiquis præcepisse, diligere amicum, & odire inimicum, & quod præceptum Dei sit, diligere inimicum, & ei benefacere: quamuis itidem præponens præceptum de diligendo inimico, simul rationes eiusdem validas indicauerit, quas explicauimus, quæ sufficere posse videbantur: voluit tamen expressè alias superaddere, quibus probat, iniquè Pharisæos Deo tribuisse, quod dixerit antiquis, Odio habebis inimicum tuum, quibus etiam demonstrat, iustum esse, & nobis infinitè proficuum, diligere inimicum. His igitur verbis, primò implicitè probat, esse impossibile, quod Pharisæi dicebant, dictum à Deo, odio habendum inimicum: & deinde explicitè ad illum diligendum, proposito excellentissimo præmio, nos inducit. Propterea verba eius expendenda sunt. Et verè videtur nunc plenè satisfacere desiderio, quo tenebatur Dauid, remedium pro magno euidentique periculo petens, eo Psalmo, in quem sæpè incidimus. Magna angebatur Dauid tribulatione, à qua solus Deus poterat illum liberare. *Ad Dominum*, inquit, *cũ tribularer clamaui, & exaudiuit me*. Magna tribulatione anxius fui, quæ me compulit ad Deum confugere, & magnis clamoribus personare. Quæ potest esse tribulatio, quæ virum tam validum, in tantas conijciat angustias? Lingua quædam dolosa, & deceptoria, ac subdola. *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa*. Labia iniqua vocat, quæ ad iniquitatem inducunt: linguam autem dolosam, inquit Augustin. intelligit subdolam, quæ sub prætextu, & imagine consulendi, introducit perniciem nocendi. Et certè Dauid spiritu prophetico actus, oculos conuertit ad sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, multo post tempore futuros, habentes labia iniqua iniquitatem suadebant, sub lingua tamen dolosa, & deceptoria: mala enim tanquam bona, & diuinæ legi conformia, proponebant. Ad impietatem quidem prouocabant filios, sed sub prætextu diuinæ religionis, & cultus: ad vltionem iniustam, incitabant iniuria lacessitos, sub lingua tamen dolosa, dicẽtes; hoc à Deo statutum fuisse, cum antiquis patribus legem tulit, dicente: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuũ. Hoc quidem grauissimum esse damnum, periculosamque tribulationem, considerat Dauid. Nullum siquidem potest malus periculum incurrere cæcus, quam à cæco ducatum habere: neq; potest esse nisi graue periculum,

Psal. 119. *In Ps. 119.*

quod imminet ciuitati, ſi canales, per quos aqua ad eam fluit, lethali ſint veneno infecti. Erant ſacerdotes, & Phariſæi Duces illius populi, quorum ducatum omnes ſequebantur: ſi illi excæcati erant malitia, magnum periculum incurrebat populus. Similiter erant illi, quaſi canales, per quos aqua diuinæ doctrinæ ad populum perueniebat, de quorum ore, legem debebat requirere, quorum decreto ſtabat Rex, & omnis Ieroſolyma: ſi illi lethaliter infecti erant; quid ſperandum erat populo? Propterea Dauid illius
Malach. 2. nomine, à Deo remedium petit, &
Matth. 2. clamat: *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.* Cui reſpondet Dominus: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* Qua interrogatione indicat, difficile eſt tanto malo mederi, & tam lethali vulneri efficacem medicinam applicare. Non debet eſſe vulgaris, aut commune remedium: neceſſariæ
Pſ. 128. enim ſunt *ſagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs.* Singula verba expende. Requiruntur ſagittæ, non quæcunque, ſed *acutæ*, & penetrantes: nec illæ ſufficiunt, niſi mittãtur à brachio potentiſſimo, & prævalido, quo non ſuperficiem ſolum, aut cutem incidant; ſed vſq; ad intima perueniant, quibus, & ſuperaddi neceſſarium eſt, carbones deſolatorios, ignitos, ardentes, ſuprema vi præſtantes. Ignis enim eſt maximè actiuus, & ſi quid actiuius reperiretur, illud eſſet applicandum. In hebræo, *Cum carbonibus iuniperinis, aut iuniperorum*, qui vehementiſſimum, ac denſiſſimum ignem tenent, quem longiori tempore conſeruant. Potentiſſima eſt lingua doloſa, nec efficaciter ei ſubueniri poteſt, niſi per ſagittas acutiſſimas, à potentiſſimo brachio iactatas, vt ad intima vſque penetrent, cum carbonibus ardentiſſimis, qui malitiam ibi firmiter radicatam comburant, & conſumant. Hoc reſponſo audito Dauid, quaſi deſperans, ſe tale remedium in terra inuenire poſſe, illa exire deſiderans, ad ſuam in ea detentionem deplorandam ſe conuertit, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Heu, vox eſt miſeriæ, inquit Auguſtinus; vox eſt calamitatis, & infœlicitatis. Cæterum, hoc remedium Chriſtus, in mundum veniens adhibuit, nuncque exhibet, dum contra labia iniqua, & linguam, doloſam Phariſæorum, per quam populum decipiebant, inficiebant, & ducebant ad perditionem, dicentes, Deum antiquis præcepiſſe: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: producit ſagittas verborum ſuorum, ex ſui pectoris pharetra, illas quas idem Dauid præuidẽs, acutiſſimas vidit, quæ ad intima cordis penetrarent, *ſagittæ tuæ acutæ*, quas *Pſal. 44 6.* potentiſſimo brachio iactat: nam tanquam verus Deus, Deique authoritate, & potentia, verba iacientem ſe exhibet, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, quibus addit carbones validiſſimos ignitos, exempla, ſcilicet, deſumpta ab æterno Patre: *Vt ſitis*, inquit, *filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Exempla ſanctorum ſuperaddita doctrinæ diuinæ, inquit *In Pſ. 119. cit.* Auguſtinus, carbones ſunt deſolatorij: nam omnem conſumunt excuſationem. Parum eſt, ait Auguſtinus, verbis agere contra linguam ſubdolam, & labia iniqua; exempla itidem ſuperaddenda ſunt, quæ deſolent, quæ vaſtent, quod radicatum, & ædificatum erat. Si autem exempla virorum ſãctorum carbone ſunt tales, quales erunt actiones Dei, nobis tanquam filij in exemplum propoſitæ? Ecce carbones deſolatorios, actiones æterni Patris, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper inimicos, qui pluuiam eis dat: quo nomine omnia bona neceſſaria intelligit: nam pluuiæ de cœlo, & ſolis radij ſunt, per quos, quæ ad vitam agendam conducunt, habemus. His carbonibus Chriſtus deſolat, & abſumit malitiam, quam lingua doloſa inuexerat: multaſque rationes ad id agendum his verbis exhibet. Prima deſumpta eſt ex ijs, quæ Deus facit. Semper Deus deteſtatus eſt eos homines, qui quod in ſuis actionibus proprijs tanquam iuſtum commendant, in aliorum actibus damnant.

Hoc.

Hoc enim male diuisum mentis iudicium (inquit, Beatus Gregorius) corrigere per legis præceptum Moyses studuit, cum dixit, quod *iustus deberet esse modius, aquusque sextarius*. Hinc Salomon ait, *Pondus, & pondus, mensura, vtrumque abominabile est apud Deum*. Omnis homo, qui aliter pensat ea, quæ sunt proximi, & aliter ea, quæ sua sunt, pondus, & pondus habet. Hoc quidem abominabile est apud Dominum: ideoque non debet ipse Deus, in seipso, & actionibus suis, exhibere aliquid tanquam bonum, iustum, & Sanctum, cuius oppositum nostris actibus exequendum statuat.

Hom.4.in Ezech. post medium. *Leu.19.36* *Pro.20.10*

¶ 229. Si ergo ille hoc tanquam iustum, & Sanctum agit, nostrisque oculis contemplandum proponit, quod inimicos suos varijs beneficijs prosequitur, non nobis tanquam iustarum actionum regulam poterat proponere, quod huic contrarium est, odire scilicet inimicos, & eis malefacere. Secundò inducens Deum, non sub aliquo ex alijs nominibus, quibus sæpè in scriptura vocatur, sed sub nomine Patris nostri, & nos similiter, sub nomine filiorum illius, argumentum efficacissimum construere contendit, ex ratione patris, & filij desumptam. *Vt sitis*, inquit, *filij patris vestri*. Verbum illud, *sitis*, idem valere potest, ac ostendatis, vel comprobemini: vt velit dicere; Vt vos cõprobetis filios patris vestri. Ita dixit Dauid, ad viros Iabes Galaàd: estote filij fortitudinis, id est, comprobate, & ostendite vos filios fortitudinis, aut viros fortissimos. Ita, & Iudas Machabæus: *Accingimini filij, & estote potentes* id est, vos potentes comprobate: & ita dicere solemus alicui: Hoc te facere oportet, vt sis vir, aut sis homo: id est, vt te virum fortem comprobes: & certè commune est satis in scriptura sacra, aliquid dici fieri tale, cùm ostenditur esse tale, vt alibi ostendimus. Filius, vt Sanctus Augustinus annotauit, est imago patris viua. Hæc est autem differentia inter imaginem viuam, & pictam, vt idem Augustinus annotat, quod hæc imitatur prototypum, solummodo secundum externam figuram, non verò in actionibus vitalibus, quas, cum anima careat,

8.Reg.2.7. *1.Mach.3. 58.* *De decem chord. c.8.*

exercere non potest: illa autem imitatur prototypum, etiam secundum actiones. Qua de causa homo dicitur, *imago Dei*, apud Apostolum, & Deus cum illum condidit, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, quia homo Deum erat expressurus, non tantùm in superficie, sed præcipuè in operationibus intellectus, & voluntatis, vt Diuus Thomas ex Beato Damasceno docet. Filius igitur est imago Patris, inquit Augustinus, non picta, sicut quæ est in nummo, aut denario, quæ exteriora tantùm refert, & imitatur lineamenta, sed, viua, quia cùm filius habeat eandem cum Patre naturam, quæ est operationis principium, easdem debet habere operationes. Ex qua ratione Christus, vt idem Augustinus obseruauit, se comprobauit filium Dei legitimum, & naturalem, quia omnia facit, quæ facit Pater: *Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit hæc, & filius similiter facit: sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat*. Quamuis enim Cyrillus *a*, & Chrysostomus *b*, credant hæc verba dicta fuisse à Christo ratione humanitatis, esseque verba humilitatis, quibus Christus seipsum ita subiectum Patri exhibet, vt nihil faciat, nisi quod faciendum ille præscripserit, communior est tamen SS. Patrum sensus, verè his verbis probare voluisse, se filium Dei naturalem, ex eo quod eadem ipse operetur, quæ Pater. Ita Basilius *c*, Gregor. Nazianzen. *d*, Hilarius *e*, August. *f*, Ambr. *g*, & alij. Filius igitur imago patris viua est, quæ ipsius vitam tenere, actiones imitari debet. Hæc de causa de filio loquẽs Scriptura *b*, *Mortuus est*, inquit, *Pater eius, & quasi non esset mortuus: similem enim sibi reliquit post se*, id est, eandẽ habens naturam, & consequenter eandem operationem: operationes siquidem naturas, consequuntur. Sicut igitur filius habet eandem cum patre naturam, ita, & eandem operationem, de qua re idẽ Augustinus videndus est, expendens illud, quod dictũ est: *Genuit Adã Seth, ad imaginem, & similitudinem suam*. Ex his patere incipit vis rationis

1.Cor.11. *Gene.1.26.* *In Psal.1.* *Ibid.ca.11* *Ioan.5.19.*

a *Lib.2.in Ioã.c.135.* b *Ho.37.in Ioan.* c *Epist.141* d *Orat.4. Theolo.* e *Li.7.& 8 de Trinit.* f *Tract.20 in Ioan.* g *Ser.20. in Ps.119. to.4.lib.4. de fide c.3.* h *Eccl 30. 4.Li.de Incar.verb.* *c.11.14.&9* *Gene 1.26.*

quam

quam Christus Dominus insinuat, vocans Deum Patrem nostrum, nosque
¶ 230. filios illius, cuius opera exprimit, & ante oculos ponit. Quamuis enim homo non sit filius Dei per naturam, eandem numero cum illo substantiam habens (hoc enim diuini verbi proprium est) dicitur tamen filius: quia procedit à Deo in similitudinem naturæ quasi specificæ, quia non solùm recipit ab ipso naturam secundum communes gradus, quos aliæ creaturæ, sed secundum vltimum essendi: quia ab illo recipit animam, quæ est spiritualis, & intellectualis naturæ, ratione cuius frequenter dicitur à Sanctis Patribus, quod est de natura, & substantia Dei: non quòd sit aliqua pars substantiæ illius, vt quidam hæretici commentati sunt, sed quia participat quandam excellentem similitudinem diuinæ naturæ, per intellectum, & voluntatem, ratione cuius vt ex Beato Damasceno *a* obseruauit. Diuus Thomas *b*, dicitur homo procedere, & factus ad imaginem, & similitudinem Dei. Vnde producturus Deus hominem, non illum simplici verbo produxit, sicut cætera alia, sed *spirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Sicut enim qui spirat, ex intimo pectore producit spiritum, quem emittit; ita Deus ex intimo cordis sui, hominis animam produxisse visus est, & verè absolutè dixit Moyses; *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, fecit te, & creauit te?* Si igitur homo filius Dei est, naturam eius participans, ratione cuius est illius imago viua, nihil potest esse conueniens, aut condecens naturæ illius, quod diuinæ naturæ, quam participat, contrarium sit. Neque enim natura filij, potest ad contraria naturæ Patris inclinare: hæc enim ab illa procedit, ad similesque propterea operationes inclinat. Hoc autem connaturale est Deo, propter naturæ suæ bonitatem, quod erga inimicos est beneficus, quos multis bonis cumulat: non igitur huius oppositum, naturæ nostræ potest esse conueniens, aut congruum, ideoque nec ab illo præcipiendum erat, nec statuendum, vt vnusquisque suis malefaciat inimicis. Indecens est enim, vt pater præcipiat filio, nisi quod congruum est natura illius. Vt ergo vos comprobemini filios Dei, vt demonstretis illius participare naturam, vos opera conformia operibus illius facere, necesse est, à simili enim natura, similes producuntur operationes. Neque hæc dicens Christus, excludit gratiam, & auxilium diuinum, quo natura eget ad perfectam inimicorum dilectionem, & ad eliciendi opera similia operibus Patris cœlestis, de quo alibi dictum est: demonstrat tamen euidenter, indecentissimum, & incongruum fuisse, Deo tribuere, quod filijs suis imposuerit facienda, quæ ipse suæ naturæ reputat contraria. Hæcque ratio est, quam supra demonstrauimus, quod ad comprobandum, an sis filius Dei, an potius sis ex patre diabolo, vide qualia opera producas. Christus Pharisæis se filios Abrahæ iactantibus dixit: *Vos ex patre diabolo estis*; idque probat, quia similia opera facitis; *Desideria enim eius*, inquit, *vultis perficere; Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*; Hæc vos facitis, nam homicidiũ me interficiendo perpetrare desideratis, & à veritate diuinæ legis defecistis, illam in impios sensus pertrahendo. His concinit Beatus Ioannes, qui in hoc perpetuus est, quod discernuntur filij Dei à filijs diaboli ex dilectione, vel odio, de quo alibi latè.

Ioan.8.6.

1.Ioã.3.10

a 2 fidei ort. cap. 12.
b 1.2. In Prolog.
Gene.2.7.
Deut.32.6.

§. 2. *Poterat Deus iubere, amare inimicos sine præmio, sed grandi operi grandem proposuit mercedem, dicens, vt sitis filij Patris, &c.*

¶ 231. NOn Solùm Phariſæorum placita Christus efficaci ratione, quam explicuimus reuincit, sed præcipuè nos validissimo medio, ad propositi præcepti obseruationem inducit, ex præmio insigni; *Vt sitis filij Patris vestri*. Hicque legitimus sensus horum verborum est, quibus Christus promittit, tanquam præmium seruantibus hoc mandatum, quod erunt filij Dei. Ita Sancti Patres docent, imò

imò, & expresè tradit S. Lucas, qui inducit Christum, hoc idem expressis verbis promittentem. Diligite, inquit, inimicos vestros, &c. Benefacite, &c.

Luc.6.35. *Et erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi.* Posset quidem Deus nobis præcipere, quicquid vult, absque alicuius præmij spe; cui vel ex eo solum obedire tenemur, quod Deus est, à quo totum esse habemus; quomodo ei obsequitur Sol (inquit Ambrosius)

In cap 17. Luca. & obtemperat Luna, & obediunt elemẽta, nullam reportatura mercedem. Quod ex professo Christus Dominus proposita parabola demõstrauit. *Quis*

Luc.17.7. *vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi. Statim transi, recumbe: & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te & ministra mihi donec manducem, & bibam & post hæc tu manducabis, & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quid fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic, & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* B. Augustinus *a*, Euthymius *b*, & Theophilactus *b*, credunt hæc dicta fuisse à Christo, ad comprimẽdam superbiam illorum, qui de maioratu in regno suo obtinendo contendebant, & primas illius ambiebant sedes. Communeque est apud Patres, Christum his verbis noluisse meritum bonorum operum tollere: certissimè enim datur; sed voluisse rationem familiarem nobis proponere, ad humilitatem tenendam, quãdo videmus nos aliquid in Dei obsequium fecisse; serui enim eius sumus, & q̃ debuimus facere fecimus. Non est autem cur seruus se extollat, & superbiat cõtra Dominum, & multam gratiam requirat, quando fecit, quod facere tenebatur. Ita Cyprianus *a*, Origenes *b*, Hieronymus *c*, Chrysostomus *d*, Cyrillus *e*, Theophylactus *f*, Bernardus *g*. Quomodo rem considerabat ad sui humiliatem Apostolus, dicens *h*: *Nam, & si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit.* Sed credo, non incongruam esse intelligentiam, si dicamus, voluisse Christum proponere, quod ex rei natura procedit, sumpta metaphora à mancipio, vel seruo: quia enim quidquid seruus est, Domini est totum quod facit, & potest in Domini obsequium, ita debitum est, vt nullam propterea teneatur Dominus reddere remunerationẽ, aut gratiam. Id quod validiori ratione Deus facere posset, cuius sumus, quidquid sumus, vt, & ipsi Gentiles agnouerint, quod *in ipso* *Act.17.28.* *viuimus, mouemur, & sumus*, vt Paulus retulit. Non dicunt quod ex ipso viuimus, mouemur, & sumus, quia non tantum ab illo habemus *vitam, & inspirationem, & omnia*, sed in ipso hæc omnia, quasi nituntur, & conseruantur: viuimus enim, & sumus, ipso nos sua virtute sustentãte, nam *ex ipso* *ad Rom.11* *sunt omnia*. Quamuis autem ita sit, *36.* quoniã nouit Dominus hominis dies, ¶ 232. & moras esse similes mercenario, de quo dixit Iob, *sicut mercenarij dies eius*, *Iob.7.1.* quem ab laborandum proposita merces impellit, & animat, proposuit custodientibus præcepta sua talem, qualem Dauid expressit: *in custodiendis*, *Psal.18.12.* inquit, *illis retributio multa*. Propterea, vt Diuus Augustinus annotat, dicitur ab eodem Dauide: *fidelia omnia mandata eius*, *In Psal 118.* quia non fallunt, fidelis enim est, qui reddit, quod pro *Psal. 110. 8.* miserat seruienti sibi, non sicut Laban, qui decies mutauit mercedes statutas ipsi Iacob. In Hebræo est, *Neuman*, *Gen.31.7.* quæ vox significat complentem promissa, & quæ sub pacto fuerunt *Brixi.10.1. fol.422.* constituta: quomodo dicitur Deus fidelis, quia custodit pactũ, & promissum. *Scies quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fidelis, custodiẽs pactum &c.* *Deut.7.9.* *Psal.88.29* Quomodo etiam testamentum Dei dicitur *fidele*, quia certissimè reddit, quæ promissa sunt. Omnia ergo Dei mandata fidelia dicuntur, quia omnibus mandatis mercedem designauit, infallibiliter, & certissimè obsequentibus reddendam. Propterea quanto præceptum grauius est, tanto maiorem mercedem constituit. Quoniam autem inter omnia præcepta, nihil grauius est hoc, quo statuit diligere inimicos, vt ex Diuo Augustino, & cæteris patribus probauimus, huic supremum præmium explicitè proponit, *vt sitis*, inquit, *filij patris vestri*.

Ecce

a *Li.2. qq. Euãg c.39.*
b *In cap.17 Luca.*
a *Epi.6. & l.3. ad Quirin ca 51.*
b *Hom.12. in Iosue.*
c *Epist. ad Ctesiphõtẽ cont. Pela.*
d *Serm. de pœ. & cõf.*
e *In caten. D. Thom.*
f *In cap. 17 Luca.*
g *Ser.4. in Psal 90. & epist. 142.*
h *1.Cor.9. 16.*

Ecce ſupremum donum, quo Deus nullum maius habet creaturis conferendum. *Videte*, inquit Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus*, magna res eſſet, etiam ſi ſolummodo Deus nobis concederet, quod filij eius nominaremur. Contentæ erant mulieres illæ, quas Iſaias refert, quæ apprehendentes virũ dicebant: *panem noſtrum comedimus, &c. tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Quando rex aliquis, alicui concedit, vt eius vocetur filius, hoc ipſo in tantam dignitatem euehit, vt nullus ſit, qui illum audeat lædere, aut conuitiari, ſuper quem nomẽ Regis inuocatum eſt. Hoc ipſo res aliqua ſupremam videtur obtinere ſecuritatem, imò, & excellentiorem honorem quod Regis nomen, aut arma ei ſuperponuntur. Quanti igitur æſtimari deberet, hic ſolum, quod Deus nobis concederet, eius nos filios nominari? Sed non hoc contentus eſt, qui nobis dat, *vt filij eius nominemur, & ſimus*. Viſus eſt Ioannes memoria tenuiſſe, quod ſacra Machabeorum narrat hiſtoria. Cum enim Alexander Antiochi filius, qui cognominatus eſt Nobilis, vellet principem illum ſtrenuum Ionathan, ad id quod petebat obligare, ad eum ſcripſit dicens: *Audiuimus de te, quod vir potens ſis viribus, & aptus es, vt ſis amicus noſter: & nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris Regis.* Tanquam quid ſupremum ei concedit, vocari, & eſſe amicum Regis. Rem hanc ſupremam terrenus Rex iudicabat, quam æſtimabat ſufficientem, ad quoſcunque labores ferendos. Vide quid Deus proponit, largitur, & concedit, vt nominemur eius filij, & ſimus. Res ſuprema hæc eſt, eſſe filium Dei; nam qui hanc aſſequitur, hoc ipſo ius habet ad omnem hæreditatem, & regnum illius quia *ſi filij, & hæredes.* Filio naturali omnia ſua tribuit Deus per naturalem generationem, *quem conſtituit*, inquit Paulus, *hæredem vniuerſorum*, qui de ſeipſo dicit; *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*: Filijs autem adoptiuis, omnia ſua tribuit per gratiam, quorum vnicuique promiſit Chriſtus, dicens: *Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*: Egregiè huius dignitatis excellentiam Spiritus Sanctus expreſſit, hortans iudices, vt in pupillos, & viduas, ita ſint miſericordes, quod pupillis ſe exhibeant tanquam patres, & viduis tanquam viros illarum: *& eris tu, velut filius Altiſſimi obediens*, id eſt, eris tu illi, tanquã filius vnicè charus quòd fueris obediẽs præceptir eius, *& miſerebitur tui magis quã mater.* In Græco, *diliget te.* Nullus amor vehemẽtior eſt què maternus, cui propterea Dauid amorem quem erga Ionatham habebat, cõparauit. Ecce præmium, quod eris tã quam filius. Altiſſimi. Et ne crederes, rẽ hanc eſſe de ſolo nomine, ſubdit: *ſapientia filijs ſuis vitam inſpirat.* Vitæ nomine omne quod pretioſum eſt, ſolet ſcriptura intelligere: ideo, vt Dauid exprimeret, quam ſit æſtimatione digna miſericordia Dei, dixit: *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Nihil vita pretioſius, & omni vita pretioſior eſt tua miſericordia, quia verè Deus, eos quos filios ſuos facit, non ſolo nomine donat, ſed vita, & omni bono pretioſo: vitam enim confert gratiæ, per quam *pretioſa promiſſa donat, vt ſimus conſortes diuinæ naturæ.* Sicut ergo cùm Deus produxit Adam, inſpirauit in faciem eius, & dedit ei vitam humanam, ſic cum aliquẽ in filium recepit, inſpirat in eum vitam diuinam, proprietates quaſdam diuinas, & ius ad omnem Dei hæreditatẽ. Supremum ergo bonum, & nomen, quod Deus præſtare poteſt, eſt, dici, & eſſe filium Dei. Omnibus nota eſt illa Apoſtoli demonſtratio, qua comprobat, Chriſtum omnibus Angelis ſuperiorem, eo quod nomen, & eſſe filij Dei per æternam, & naturalem hæreditauit generationem. Quia autem hoc puris creaturis cõmunicari per naturã nõ poterat ſupremum, quod fieri poteſt, facit, cõmunicare ſcilicet illud per gratiã. Hoc tam excellens donum offert, & proponit tanquam præmiũ diligẽtibus inimicos. *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros, &c.* vt ſitis, id eſt, vt ad ſupremam gratiam, & donum excellentius pertingatis. Si præceptum inter omnia difficilia, quæ Deus mandat, primas tenet, præmium attendite, quod inter omnia præmia, quæ non ſolum ab hominibus,

1. Ioan. 3. 1

Eſai 4. 1.

1. Mac. 10. 20.

ad Rom. 8. 17.

1d Heb. 1. 2

Matt. 11. 27.

Matt. 24. 48.

Luc. 12. 44

233.

Eccl. 4. 11.

2. Reg. 1. 26.

2. Pet. 1. 4.

ad Hebr. 1.

nibus, regibus, & supremis terræ Monarchis, sed ab ipso Deo, secundum suam omnipotentiam, quæ illimitata est, puræ creaturæ dari potest, est eminentius. Quod, & verba, quæ
Luc.6.35. apud Lucam habentur, superius proposita, clarè demonstrant; *Diligite*, inquit, &c *& erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi*. Quam sententiam ego ita intelligo, vt secunda pars sit explicatio prioris. Erit merces vestra multa, id est, magna, & suprema. *Et*, id est, quia (sæpè enim non tam coniunctiuæ, quàm causalis vim habet huiusmodi coniunctio) eritis filij Altissimi. Egregiè hanc ratio-
Hom.71. ad populũ. nem expendit Chrysostomus, docens, aptè tale præmium, tali operi designatum, esti præceptum sit valde magnum (inquit ille) tamen si præmium propositum seruantibus cogitaueris, nihil omninò videbitur. Si hoc, ait, feceritis, simi es eritis Patri vestro, qui in cœlis est: filius enim similis est Patri, &c. Vides qualiter in summum verticem hanc legem obseruantem eduxit. Non itaque solum facti difficultatem clarissimè cogites, sed prius intra te reputa, quantò sis decorandus honore, & honoris occasio, licet sit quid graue, & onerosum, leue tibi reddetur. Nonne enim debes habere gratias, quod per beneficium inimico collatum, occasionem nanciscaris, vt apud Deum tibi fiduciæ fores referentur, & peccatorum tibi fiet assumptio?

§. 3. *Grandis est merces, esse, & vocari filium Dei, quod nomen Dauid, parcens inimicis expectabat, bonum in conspectu Sanctorum.*

¶ 234. EX his intelligo verba Dauidis, illius magni obseruatoris huius præcepti. Grauissimam iniuriam receperat ipse ab illo vili impioque Doeg Idumæo, qui apud Saulem persequen-
1. Reg. 22. tem Dauid, occasio fuit, vt Saul occideret octoginta quinque sacerdotes, vestitos Ephod lineo, in odium ipsius
Psal. 51. Dauidis. Quod summo dolore Dauidem affecit, cuius occasione Psalmum edidit quinquagesimum primum, cuius titulum obseruauit Beatus Basilius: *In finem intellectus Dauid*, quo significatum est, Dauidem non præsentem iniuriam, quam Doeg intulit considerasse, sed intellectum euexisse ad considerandum finem, quem res erant habituræ, si patientiam teneret. Vnde, & prædicit miserum, & infœlicem interitum ipsius Doeg, sibi autem magnum præmium reseruatum, quo in æternum frueretur. *Propterea* (inquit de illo loquens) *Deus destruet te in finem, euellet te, &c.* Neque enim, vt supra satis probatum est, relinquit Deus sine vltione, & pœna eos, qui iustos persequuntur. De se autem loquens, subdit: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, &c. & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum*. Si in superficie verba consideremus, aptè se oliuæ fructiferæ cõparat, vt inde misericordiam Dei speret: Oliua Symbolum est misericordiæ, & qui illam producit erga proximos, misericordiam Dei expectare potest, qui dixit: *Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittemini*. Sed mysterium profundius indicare voluit. Oliua inter arbores duo habet singularissima, primum est, quod floret in rigore æstatis, quando calor vehementer vrit, nullaque alia arbor flores tenet, quos calor absumeret, & dissiparet: florent enim arbores in primo vere, quando calor temperatus producit flores, qui aduenientè æstatis vrente calore, iam in fructus durauerunt, vt illum possint sustinere. Oliua est, quæ in caloris ardoribus flores emittit, & tenet. Secundum est, quod oliua fructũ refert in media hyeme, quando cæteræ arbores non solùm omni fructu, sed & foliis omnibus sunt destitutæ. Et ratio huius est, quoniam virtus huius arboris est magna, non in superficie solùm, sed in intimis eius penetralibus, talis, quam nec aduſtio caloris dissipat, nec rigor hyemis, & frigoris contrahit. Vnde symbolũ egregium tenet eius, qui inimicum diligit, & eo tempore, quo persecutionem ab illo pati-

Scholia in Psal. 51.

Luc.6.37.

patitur, ſe erga eundem exhibet beneficum. Eſt tempus perſecutionis inimici, quando viget calor vehementiſſimus, accenditur cor, & inflammantur præcordia. Eſt itidem tempus hyemis, & frigoris: odium enim frigidum reddit cor, & contrahit, ne erga eum fructus producâtur, qui nos odit. Qui cum ardet ira inimici perſequentis, emittit flores dilectionis, & orationis, & cùm odium illius viget, fructus beneficos erga illum profert, oliuæ meritò comparari poteſt. Talis erat Dauid, qui cum maioribus afficiebatur iniurijs, maiora beneficia offendentibus præſtabat, vt ſæpè dictum eſt, ideo dicit: *Ego ſicut oliua fructifera, ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Miſericordiam ſpero, non quamcunque, ſed æternam à Deo, quia feci ego miſericordiam, & dimitti ſpero offenſas, quas commiſi contra eum, quia dimiſi ego, quas contra me inimici mei ¶ 235. admiſerunt iniurias. Nec hoc ſolùm ſpero, ſed *expectabo*, inquit, *nomen tuum*. Quod eſt hoc nomen quod expectas, propter tale opus erga inimicos? Nomen filij Dei, quod dicitur nomen Dei, quia à ſolo Deo nomen hoc eſt inuentum, & conceſſum. Quomodo explicari poſſe credo, quod imminente paſſione dixit Chriſtus Domi- Ioan. 12.28 nus: *Pater clarifica nomen tuum*. Quâ ſententiam Beatus Auguſtinus, & Euthymius intelligunt de nomine ipſius Dei, quod per mortem Chriſti erat clarificandum. Si enim dictum eſt Pe- Ioan. 21.19 tro, quod *ſua morte erat clarificaturus Deum*, multo magis de Chriſti morte id dici potuit. Sed Theodorus Heracleotes exponere videtur, de illo ſupremo nomine Chriſti, quod eſt Ieſus: petebat enim Chriſtus, vt hoc nomen redderetur per paſſionem ſuam clariſſimum. Hoc autem Pater ipſe conceſſit, reſpondens: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: iam enim nomen illud, per Chriſti miracula ad illius inuocationem factum erat celebre, ſed celeberrimum factum eſt per mortem, ad Phil. 2.8 nam Apoſtolus dixit: *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, &c. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, &c.* Sed dices, cur ergo non dixit Chriſtus, clarifica nomen meum, ſed clarifica nomẽ tuum? Quia hoc nomen vere dicebatur nomen Dei, quoniam Deus illud compoſuit, formauit, & de cœlo miſit, vt ſacri referunt Euangeliſtæ, quod nulla creatura poſſet comprehenſiuè efformare, aut imponere. De quo Cyrillus intelligit illud: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Septuaginta, *& vocabit te nomen tuum, illud nouum, quod ipſum os Domini vocabit ipſum*. Quia ergo Deus ipſe, ore ipſo ſuo vocauit, & impoſuit, dicitur nomen Dei. Hoc modo Cephas, aut Petrus poteſt dici nomen Chriſti, quia impoſitum eſt a Chriſto illi, qui nomine parentum, id eſt, à parentibus impoſito, vocabatur Simon. Similiter, & Iſrael dici poteſt nomen Dei, quia à Deo inditum eſt illi, qui parentum nomine vocabatur Iacob. Eodem modo dico, Dauid vocare nomen Dei, hoc nomen, quo filij Dei nominamur: ſolus enim Deus tantam gratiam, tamque ingens beneficium poſſet conferre, imò, & ſolus ipſe poterat hoc nomen hominibus adaptare, qui ſolus poterat filios Adam facere filios Dei. Vnde quando in ſacro ritu Miſſæ oratio Dominica recitanda eſt, promittit Eccleſia præfatiunculam illam: *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter*: Neque enim homo vnquam excogitare ſufficeret, quod aliquando, aut aliquo modo poſſet Deum pleno ore vocare Patrem, & ipſe decorari nomine filij Dei, vt abſolutè filius Dei nominetur, & ſit. Hoc nomen eſt, de quo ſubdit Dauid: *Quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum*. Bonum eſt, quod omnia appetunt, id eſt, quod ſummè appetitur, deſideratur, & in ſupremo pretio habetur, in conſpectu Sanctorum, qui de rebus per intellectum illuſtratum, fide, ac diuina luce indicant, rerumque omnium, finem contemplantur, quibus conuenit titulus huius Pſalmi; *Intellectus Dauid*. Qui tantùm ſecundùm viſionem oculorum iudicant, alia nomina æſtimant, & magni faciunt, vt illi, qui ¶ 236. Gen. 11.4. Pſal. 48.12. Matt. 23.7 voluerunt celebrare nomen ſuum in-

Matt. 1.21. Luc. 1.31. & c. 2.21. Libr. 5. de Trin. Eſai. 62.2 Ioan. 1.42. Gen. 32.28

mun-

mundo, illique qui *vocauerunt nomina sua in terris suis*; & qui appetebant summopere, *ab hominibus vocari Rabbi*: apud Sanctos tamen supremum celeberrimumque nomen ad donum excellentius, quod potest communicari, est, vt quis filius Dei nominetur, & sit. Quod si his opponas locum illum difficilem, quo Deus quibusdam promittit nomen quoddam melius, quibus dicit: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus*; vbi ad eos qui cœlibatum elegerint loquitur, iuxta Beatũ Augustinum *a*, aut verò ad eos qui virginitatis munditiam tenent, iuxta Basilium *b*, Ambrosium *c*, Hieronymum *d*, & Gregorium *e*, quibus videtur repromittere nomen, ac donum melius à filijs, & filiabus, quorum status tam celebris est, quantum illa indicat Beati Cypriani *f* sententia: Nunc nobis, inquit, ad virgines sermo est, quarum, quo sublimior gloria, maior, & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad Sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, &c. Respondebo, secundum exactam intelligentiam nolle dicere, quod eis daturus sit nomen, melius nomine filiorum Dei, vt quidam interpretantur, sed vult dicere, quod cœlibatum, & virginitatem colentibus propter Deum, daturus esset nomen melius, & illustrius, quam sit illud, quod habere poterant à filijs filiabus id est, ex generatione, & posteritate. Celebre siquidem nomen est, quod sibi faciunt, qui multos filios, grandemque relinquunt posteritatem; quod sapiens designat, vnum ex illis duobus, quibus aliquis nomen suum firmum, ac stabile in mundo relinquit. *Filij, inquit, & ædificatio ciuitatis confirmauit nomen*; quo titulo, illustrissimum fuit Abrahæ nomen, cui Deus promisit: *Patrem multarum gentium posui te*. Melius tamen ac cœlestius nomen promittit virginibus propter Deum renuntiantibus posteritati, & filiorum generationi carnali, quos sibi Deus in filios assumit, & adoptat, quosque filiorum suorum nomine decorat. Hoc ergo nomen est, quod pleno ore bonum est in conspectu Sanctorum. Hocque est, quod tanquam supremum decus expectat, exoptat, & quærit Dauid sibi concedendum: sed pro quibus factis? Pro quibus operibus? Num quia leones, & vrsos solamanuum suarum virtute tenebat, & facilius quàm agnos suffocabat? Num quia gigantem illum deiecit, qui talem incutiebat timorem, vt omnes vel solo suo aspectu in fugam conuerteret, qua de causa supremus honor etiam à mulieribus Israel illi delatus est? Num quia regnum Israel à Philistinorum tyrannide liberum reddidit? Aut verò quia facillimè ducenta Philisthæorum præputia Sauli attulit, & ita se gessit, *quod celebre factum est nomen eius nimis*? Nequaquam, sed quia fuit sicut oliua fructifera, quæ fructum retulit in maiori hyemis rigore: quantò enim maioribus odij, & inimicitiæ operibus eum prosequebantur inimici, tantò maiores fructus beneficentiæ, & dilectionis proferebat, & reddebat. Hoc est, quod celebre nomen illi peperit, cui operi Christus in præmium hoc designat, vt sitis, inquit, filij Patris vestri. Grande opus est, sed grande præmium considera, inquit Chrysostomus. Dic mihi, inquit, si quis Rex super terram talem tulisset legem, vt inimici placarentur, vel mors esset supplicium, nonne propter eius corporeæ mortis metum, omnes ad explendam legem concurrerent? Quanta ergo non esset dignus accusatione, propter mortem corpoream, quam omnibus, & naturæ debitum infert, omnia facere, & propter mortem, cui nulla consolatio potest inueniri, legis ab omnium Domino latæ curam gerere minorem? Ita ille. Quod si his annectas, Regem præcipientem placationem ad inimicum, sub pœna mortis, addere sibi obsequentibus tale præmium, quod verè illos filiorum suorum nomine decoraret, & verum ius ad regnum suum obtinendum, conferret, quisnam esset, qui tali non emolliretur promisso? Quis ad tanti honoris conspectum non omnem iram deponeret? Ethæc-

¶ 237.

1. Reg. 18. 30.

1. Hom. 71. ad populũ.

Esai. 5. 6.

a Libr. 1. de virg. c. 23. & 24. & lib. 14 con. Faust. ad fin.

b Lib. de vera virg.

c In exhor. ad virgin. in princ. & lib. de inst. virg. c. 6.

d Li. 1. cõt. Iouin.

e 3. p pasto. cap. 29.

f Lib de disc. & habi. virg.

Eccl. 40. 19

Gene. 17. 4. & Rom. 4. 17.

cissimam crediderunt quidam promissionem illam ad Mathatiam, qua vsi sunt ministri Regis Antiochi, ad supremum facinus committendum: 1. Mach. 2. 18. *Faciussum Regis, & eris tu, & filij tui inter amicos Regis, & amplificatus auro, & argento, & muneribus multis.* Tanquam rem grandem illi insignes Duces Machabæi duxerunt, recipi in amicitiam, & gratiam Romanorum, 1. Mach. 1. 9. quia *potentes erant viribus*, suosque amicos validè defendebant, & honoribus cumulabant: efficacissima est igitur Christi inductio ad huius præcepti obseruationem, qui tale designat præmium obseruatoribus, *vt sitis filij Patris vestri*, quo nomine omnia diuina bona promittuntur, & peculiaris Dei amicitia, & protectio, & fauor multo maior, quàm esse possit is, quem quicunque terrenus Pater summo amore erga filium præstare potest;

§. 4. *Ad Patris cælestis exemplar, tenemur eius filij nostras disponere actiones, ideoque debemus sicut ille beneficos nos exhibere ad amicos, & inimicos.*

¶ 238. *QVi Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Secundam rationem, qua nos obligatos ad huius præcepti obseruationem inducit Christus, desumpta ex Patris cœlestis moribus, quos illius filij imitari tenentur. Ille tam beneficus est ad amicos, & inimicos, vt Solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super vtrosque. Beneficia temporalia suprema exprimit Christus, quorum nomine omnia ad vitam necessaria comprehendere voluit: vt enim homo cunctis ad temporalem vitam necessarijs abundet, duo secundum communem locutionem requiruntur, quædam ex parte hominis, quædam verò ex parte Dei. Ex hominis parte requiritur, quod terram colat, & seminet, ex parte verò Dei, quod pluuias mittat, & Solem. Est vnumquodque horum summè necessarium, sine pluuia enim humectante terram, nullatenus fructus possunt nasci. Ideo tempore Eliæ, quando clausum est cœlum, ne plueret super terram, omnis terræ fructificatio ita cessauit, vt nec herbas produceret: 3. Reg. 18. 1. Eccles. 1. 6. Sol autem tam necessarius est, vt sine eius calore nihil generari possit, vnde, Libr. 4. in Gene. c. 22. & sponsus naturæ à Philosophis vocatus est, & à Salomone vocatur *Spiritus*, quasi viuificans mundum, vt Rupertus censet. Hæc autem duo ab ipso Deo pendent. Quis enim, inquit ipse, *est pluuia Pater, aut quis genuit stillas roris?* Id est, quisnam alius pluuiam potest inducere? Solem insuper, quis nisi ipse præstare potest? Est Sol, *Vas admirabile, opus excelsi*, id est, Eccl. 43. 2. instrumentum supremum, per quod Deus operatur: opus tam sublime, quod inter omnia corporalia eminet. Et ideo Christus dicit, *Solem suum*: quamuis enim omnia alia, quæ Deus produxit, sua sint, peculiariter tamen Solem dicit esse suum, tanquam rem excellentissimam, quam ipse regit, ac gubernat. Quæ ex parte Dei necessaria sunt ad vitam, sicuti iustis amicis suis, ita præbet iniustis inimicis suis, quos huiusmodi beneficijs cumulat. *Solem*, inquit, *suum*. Ipse qui Solem gubernat, & regit ipsum ducit, illuminans inimicos suos, & ac si esset eorum famulus, ferens ante eos facem accensam, ira eos illuminat, hoc luminare ferens, quocunque illi voluerint ambulare. Et expende vim illius verbi, *Oriri facit*. Sol enim non ex se oritur, sed Deo præcipiente, & mouente, vt dixit Sapiens, qui vocat Solem *Vas admirabile*, id est, instrumentum, Eccl. 43. 5. per quod omnia producuntur: *Magnus*, inquit, *Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter*: nec enim oritur, nisi Deo id per verbum suum præcipiente: & verè si suæ naturæ relinqueretur Sol, ne quaquam oriretur ad illuminandos malos: hac namque ex parte dicitur; *Subiectus vanitati non volens*, vt alibi dicemus, sed ad Rom. 8. 20. Deus illum oriri facit. Et potest quidē facere, vt ortus tantùm illuminet bonos, relictis malis in tenebris, sicut fecit in Ægypto, *Quando omnis orbis terrarum limpidè illuminabatur lumine solis* Sap. 17. & 18.

lis autē illis interposita erat grauis nox, sanctis autem tuis maxima erat lux: id tamen non facit, seo solem suum oriri facit super bonos, & malos. Exhibet autem Christus erga Patrem cœlestem æqualia beneficia, Solem scilicet, & pluuiam, iustis, & iniustis exhibentem, vt quod dixerat confirmet. Præmiserat impium Pharisæorum dogma: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Quod refellere volens, subdit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Quasi dicat: Impiè illi docuerunt, dicentes; diuersimodè cum amicis, ac inimicis agendum. Ego autem dico vobis, vt non aliter erga inimicos quam erga amicos vos exhibeatis, quantum ad hoc, quod sicut amicos non habetis odio, quin potius eos diligitis, & eis benefacitis, ita, & inimicos non solum odio non prosequamini, sed eis benefaciatis. Idcircò subdit exemplum in cœlesti Patre, qui æqualia confert iustis amicis, & iniustis inimicis. Qua

¶ 139. dicendi forma cœlestis magister non vult ordinem charitatis auferre, sed proponens tantummodo beneficia generalia, & communia, acutissimè illam doctrinā tradere voluit, quam supra explicauimus, talia beneficia nullatenus subtrahenda inimicis, ex eo quod inimici sunt: hæc enim illis impendere, sicuti amicis tenemur, quamuis particularia beneficia, nisi necessitatis tempus instet, non illis sicut amicis conferre teneamur. S. Lucas Euangelista aliquantulum diuersè, magis tamen significanter, hæc Christi

Luc.6. verba expressit. *Quia ipse* (inquit) *benignus est super ingratos, & malos*. Apud Matthæū duo vocabula posuit, quibus inimicos Dei expressit, *Malos, & iniustos*, quos eosdem apud Lucam similiter duobus nominibus designauit, *Ingratos, & malos*. Nomine malorum, exprimere voluit Dei inimicos: per malitiam enim, & iniquitatem homo Deum offendit, sitque ei inimicus. Hos peculiari consilio, ad benignitatem Dei clarius ostendendam vocat ingratos, qui beneficia, quæ à Deo recipiūt, graui compensant ingratitudine, & tali, vt illa sibi instrumenta faciant ad offendendum Deum: id enim faciunt inimici Dei, qui eisdem beneficijs à Deo receptis ipsum impugnant; luce Solis, pluuijs, & bonis temporalibus vtuntur, ad grauia peccata cōmittenda, vt videas quam sit benignus Pater ille cœlestis, qui, etsi sciat, quod eius inimici per ipsamet beneficia, quæ accipiunt, sint eum offensuri, nō illa subtrahit: & quamuis agnoscat, quod illius hostes dilectionis suæ opera compensant nouis offensis, nequaquam ab illis exhibendis, propter illorum malitiam se cōtinet, vt verè videatur nullo modo posse amplius illius paterni pectoris benignitas demonstrari. Ipse, inquit, benignus est super ingratos, & malos. Est benignitas, bonitas non quæcunque, sed illa quæ tantū necessitatem alterius considerat, nullatenus attendens ad eius demerita, vt B. Basilius annotauit, & supra ex D. Thoma explicuimus: quæ idcircò in Deum egregiè quadrat, quem pleno ore scripturæ sacræ benignum vocant, quem Dauid orabat, *Vt benignè faceret in bona voluntate sua Sion*, Id est, attendendo, quæ illi erant necessaria, auertendo oculos ab illius iniquitatibus, & demeritis, quæ illum à benefaciendo possent continere, Deus enim non attendens ad inimicorum suorum offensas, & demerita grauissima, solum considerans, quæ illis sunt necessaria, liberalissimè illa confert. Talis est Pater cœlestis, cuius exemplo Christus efficacissimum conficit argumentum. Nihil enim efficacius est ad prouocādos filios quām parentum suorum exempla. Ita Matathias ille, filios suos efficacissimè credidit se prouocare ad obseruantiam legis propter exempla parentum suorum, quibus dixit: *Nunc ergo filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum vestrorū, quæ fecerunt in generationibus suis. Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis? Ioseph in tēpore angustiæ custodiuit mandatū, &c. Dauid in sua misericordia cōsecutus est sedem regni, &c.* Imò. & Deus ipse excitans Iudæos ad ea agēda, quæ eos agere oportebat, similiter eis proposuit cōspiciendum il-

In reg bre, respō. 214.

Ps. 50. 20.

1. Mach. 2. 50.

lum insignem eorum Patrem. *Attendite*, inquit, *ad Abraham Patrem vestrum*: Nec enim meretur nomen filij, qui parentis sui opera imitari dedignatur. Vnde, & ad ipsosmet Iudæos dixit Christus: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Optimè ergo Christus opera benefica Patris cœlestis erga suos inimicos proponit, vt nos ad similiter agendum, ex eius imitatione compellat. Hæcque consideratio fuit, quæ S. Ioseph roborauit, & firmauit, vt fratribus suis, à quibus grandes offensas sustinuerat, non solum eas remitteret, sed magnis beneficentiæ operibus cumularet: quod Sanctus Iacob, eius Pater exprimere voluit, verbis illis supra inductis, quæ nũc alio modo ad hoc institutum possumus explicare. *Filius*, inquit, *accrescens Ioseph, filius accrescens*. Non tam voluit exprimere, Ioseph filium esse suum, quàm Dei, quem filium vocat accrescentem, ideſt, qui non est filius solo nomine, sed opere, & fructu se similem æterno Patri exhibens. Et in quo; *Exasperauerunt eum, &c. Et sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum eius, per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel.* Verba sunt difficilia, & clarius in Hebræo habentur, vt Oleaster annotauit. *Sedit*, inquit, *in forti arcus eius, & roborauerunt se brachia eius, de manu potẽtis Iacob.* Nomine arcus, iram intelligit, à qua sagittæ, acutæ prodire solent contra inimicos. Hic arcus sedit, ideſt, quieuit in forti, ideſt, propter Deum, quem fortem, & potentem nouerat. Iram enim compescuit Ioseph, ne contra fratres sagittas emitteret, propter Deum præcipientem diligere inimicos; sed non solum iram compressit, ne eis, cũ posset malefaceret, sed totis viribus, se conuertit ad benefaciendum eis. Et si quæras: Quomodo potuerunt brachia Ioseph moueri ad benefaciendum ijs, qui illa alligauerant? Respondet: Roborauerunt se brachia eius de manu potentis Iacob, id est; considerando manus, & brachia Dei, quem potentem Iacob vocat. Deus namque ita se habet, quod beneficentiæ opera ingentia inimicis confert, & solem

Esai 51.2.

Ioan. 8.39.

¶ 240.

suum oriri facit super bonos, & malos, &c. Ex hac consideratione pastor egressus est lapis Israel, ideſt, egressus est, vt fieret pastor, pascens fratres, & eis opera impendens, quæ pastor ouibus impendere solet; & vt fieret lapis Israel, id est sustentaculum, & fundamentum, super quod fratres eius vnirentur, & ædificarentur in Ægypto: totius enim illius Reipublicæ ædificium, quæ in Aegypto fuit extructa, primus, ac fundamẽtalis lapis fuit Ioseph. Brachia tua debent roborare, vt benefacias inimicis, manus potentis Iacob, id est manus Dei, qui cum valdè offensus sit ab inimicis, non solum manus non mouet contra eos, sed potius mouet, vt eis benefaciat, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos & pluit super iustos, & iniustos*, id est omnibus bonis necessarijs ad vitam agendam eos cumulat. Dices: Non mirum quod Deus beneficum, ac benignum se erga inimicos exhibeat, qui quantumcunque agant contra illum, nullatenus vel leuiter ei nocere possunt; at inimicus meus nocet mihi, & damnum mihi reuera infert, quod ad cor vsque pertingit. Vtrumque horum expressit Eliu, agens cum Iob: *Si peccaueris, quid nocebis ei? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Quantumcunque multiplices peccata, & adhibeas omnes machinas, dolos, & industrias, quibus infirmiora prævalent contra fortiora, sicut vulpes contra leonem, &c. *Homini, qui similis est tui, nocebit impietas tua.* Non ergo mirum: quod Deus non commoueatur ira, *ad quem non accedit malum, nec flagellum appropinquat tabernaculo suo*. At inimicus meus nocuit mihi, verè abstulit facultates, honorem, salutem: magna ergo est in hac parte differentia inter nos, & Deum. Respondebo tibi, verum quidem esse, peccatorem quantumcunque multiplicer peccata, non nocere Deo; id tamen non esse ex parte ipsius peccatoris, sed ex parte Dei. Quod communi exemplo Theologi explicant. Si homo contra Regem agere contenderet, & contra eum sagittam lethalem mitteret, quæ, quantum est ex se, illum transfigeret: quoniam

Iob 35.6.

Psal. 90.

¶ 241.

niam tsmen Rex corpus habebat armatum, nullum ei damnum intulit, certè ille homo ita offenderet regem, ac si eum interfeciſſet; nam quantum eſt ex ſe, id omne præſtit, quod ex ſe ſufficiens erat ad regem interficiendum. Ita de peccato, & peccatore philoſophantur Theologi. Peccatum quantum eſt ex ſe, ſagitta eſt lethalis, quæ diuinum eſſe deſtruit: & qui peccat, hanc ſagittam contra Deum mittit, quantum ex ſe intendens Deum deſtruere. Quod egregiè Eliphaz Themanites impium deſcribens dixit: *Iob. 15. 26.* *Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.* Currere erecto collo, indomitam quandam petulantiſſimamque ſuperbiam indicat, quomodo dictum eſt, *Esai. 3. 16.* *Ambulauerunt filiæ Sion extento collo*: & vt indicat Olympiodorus, videtur loqui metaphora ſumpta à vitulo procaci, qui excuſſo iugo, contra herum ſuum cutrit, quem cornibus impetat. Septuaginta legunt: *Cucurrit contra eum iniuria*, id eſt, inferès iniuriam per peccatũ, quo Deum impetit. Quoniam tamen Deus armatus in ſe ipſo eſt, ipſa natura ſua diuina, quam nullum malum poteſt lædere, non eum occidit, aut deſtruxit. Ita rẽ egregiè explicauit Diuus Thomas, quem Theologi ſequuntur. Quãtum igitur ex ſe eſt, ita homo cum peccat, agit contra Deum, ac ſi ei reuera noceret: ideoque ita ipſius Dei iram prouocat, ac ſi Deus nocumentum recepiſſet. Qualis tamen eſſet benignitas regis, qui erga illum, qui contra ſe ſagittam miſit, non ſolum non commoueretur ira, ſed illi magna beneficia conferret, daret cenſum mille aureorum? Maior eſt Dei benignitas, qui cũ verè ita iniuria afficiatur à peccatore, ac ſi ab illo maximum recepiſſet nocumentum, non ira ſtatim contra illum ſuccenditur; ſed tam beneficum ſe exhibet, quod facit ſolem ſuum oriri ſuper eum, qui eum illuminet luce, ſuſtentet virtute, & roboret influẽtijs, & dat pluuiam, per quam fructus terræ ad vitam agendam teneat. Quod ſi his addas quod verè aliquando iniquitates hominum nocuerunt Deo, quando homines potuerunt illum apprehendere, quando ſcilicet homo factus, ab inimicis tot, ac tanta perpeſſus eſt, vt verè dicere poſſet; *Videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*: & tamen nec tunc ira contra inimicos commotus fuit, quin potius nunquam maiora beneficia hominibus exhibuit, quam tunc, vt alibi dictum eſt. Quid poteſt patientius, inquit Cyprianus, quid benignius dici? Talis eſt, ac tanta Chriſti patientia, quæ niſi talis eſſet, ac tanta exiſteret, Paulum Eccleſia Dei non haberet. Sed de ijs tractatu ſequenti. *Thren. 1. 12.* *Li. de bon. patienti.*

§. 5. *Qui à Deo mercedem expectant, maiora debent agere, quã Ethnici, & Publicani. Quinam fuerint explicatur.*

¶ 242. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne, & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantũ, quid amplius facitis? Nonne, & Ethnici hoc faciunt?* Tertiam ſubdit Dominus rationem ex eo deſumptam, quod qui à Deo mercedem expectant, aliquid in eius obſequium agere debent, vt illam conſequantur. Si enim, inquit, diligitis eos, qui vos diligunt, &c. Apud Lucam hæc alique ſimilia ſupponuntur, ad id quod Matthæus præmiſit, *vt ſitis filij Patris veſtri.* Ita enim legit: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Nam, & peccatores diligentes ſe diligunt: & ſi benefeceritis ijs, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? Si quidem, & peccatores id faciunt. Et ſi mutuum dederitis ijs, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, inde nihil ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filij altiſſimi.* Ex his argumentum Chriſti clariſſimum redditur. Suppoſuit Chriſtus, ſe cum eis loqui, qui præmium à Deo ſperabant; idcircò poſtquam in communi locutus eſt, dicens, Beatos pauperes, beatos mites, &c. addidit: *Sed dico vobis, qui auditis: Diligite inimicos ve-* *Luc. 6. 32.* *1. 2. q. 21. a. 4. ad 1. & q. 47. ar. 1.*

stros. Qui audiebant, erant eius discipuli, & turba quæ conuenerat, vt audiret eum. Supponit secundò, tanquam rem certam, quam nõ oportuit exprimere, quod omnibus notum est, meritum, & præmissum inter se habere correspondentiam, & proportionem, neque enim cui non operatur, debetur merces, aut præmium. *Merces*, inquit Apostolus, *imputatur ei, qui operatur*: & non datur præmium magnum prõ paruo merito. Supponit tertio, id quod expressè subinfert, non esse magnum diligere amicos, & benefacere benefacientibus sibi; nam hoc illi etiam agunt, qui à Deo nullum præmium sperant, scilicet Publicani, & Ethnici. Aliquid igitur magnum agendum est, vt merces magna reddatur vobis. Quid hoc erit? Repetit, quod in principio proposuerat: *Verũtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi*. Mercedem magnam intendistis? Opus facite magnum, & illam habebitis ingentem, & supremam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Eritis enim filij Altissimi. Publicani erant exactores vectigalium, & Gabellarum, quæ Principibus soluebantur à sibi subditis, & subiectis populis. Iudæi se liberos iactabant, quorum illa erat perpetua vox: *Semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquam*. Gloriabantur propterea valdè, quod ad nullum seruitium, aut vectigal extraneo alicui Domino persoluendum tenerentur; imò, & id lege statutum fuit, si verum est testimonium, quod ex Deuteronomio citat Tertullianus: *Non erat vectigal pendens ex Israel*, quod vbinam habeatur non inuenimus, vt Scholiastes Tertulliani obseruat. Postquam autem propter sua peccata traditi sunt, & constituti sub Romanorum imperio, coacti sunt tributa, & vectigalia persoluere: tuncque adhuc apud illos res erat dubia, *licereine censum dari, an non*, fortè quia illud in lege videbant, quod Tertullianus retulit. Quoniam autem, vt Diuus Thomas annotat, qui prius id ordinauit, fuit Publius Romanorũ Rex, illi, qui ab eo constituti sunt ad huiusmodi tributa exigenda, Publicani vocati sunt. Et in principio quidem, ad id munus homines etiam ex equestri ordine designati sunt, officiũque honestum fuit habitum, vt Plinius *a*, & Cicero *b* testantur; quoniam tamen huiusmodi exactio omnibus est infensa, recusantes officium homines strenui ad infimos, & viles, imò, & ad viliora mancipia est deductum. Erantque huiusmodi homines omnibus infensi, tum propter exactionis opus, tum quia ipsi insolentes erãt, sicuti esse solẽt homines viles, quibus aliquod negotium regium demandatur; adeo, vt, & ipsis gentilibus essent inuisi, vt Cicero ipse tradit; summopere verò Iudæis, non solum propter hoc, sed quia rem illis execrandam exercebant quos vocabant Gabbim, quasi Gabellarij, vnde Gabellæ nomen processit, aut Parisim, id est, dissipatores libertatis, de quibus videndus est Tiraquell. *a* Tertullianus *b* credit, huiusmodi homines fuisse Gentiles, Iudæis enim per legem ex Deuteronom. citatam, credebat interdictum, vectigalia exigere. Ita namque ille intelligit: *Non erit vectigal pendens*, id est, exigens, *in Israel*. Cæterum Hieronymus eius sententiam reijcit, quæ Euangelicæ historiæ repugnat, in qua Matthæum legimus publicanum, quem Iudæum fuisse, certum est, sicut, & omnes Christi Apostolos. Aliqui asserunt, Principes publicanorum Gentiles fuisse, alios inferiores potuisse esse de Iudæorum gente: vnde, & Zachæus, qui *a Princeps erat publicanorum*, gentilis fuit, vt docet Cyprianus *b* à Christo dictus *filius Abrahæ*, non natura, sed imitatione fidei: quod, & similiter alij sancti Patres, Chrysostomus *c*, Ambrosius *d*, Beda *e*, & Tertullian *f*, Euthymius *g* non tantum publicanos esse dictos cẽsent, qui vectigalia exigebant, sed etiam commerciarios, qui scilicet mercibus viuunt commutandis; erantque homines maximè infames, qui artes huiusmodi exercebant tanquam iniusti, auari, & scelerati. Vtcumq; temen sit, certum est publicanos homines fuisse, apud quos nec vectigium,

ad Rom. 4.

¶ 243.

Ioan. 8. 33.

Li. de Prud. c. 9.

Matt. 22.

In catena, in c. 5. Matth.

a Li. 33. c. 2
b Lib. 3. ep. fam. ep. 10.

ad Q. frat. lib. 1. ep. 1.

a de nobil. c. 34.
b Loc. cit.

Ep. ad Damas. 146.

a Luc. 19.
b Li. de op. et eleemos.
c Hom. de Zachæo.
d In ca. 19. Luca.
e Ibid.
f Lib. 4. cõt. Marc.
g In cap. 5. Matth.

¶ 244.

gium, inquit Euthymius, erat virtutis: homines, inquit Auguſtinus, qui ſectabantur lucra, & exigebant vectigalia per negotiationes, frandes, furta, ſcelera, & periuria; homines auaros, raptores, quorum ſtudia, inquit Chryſoſtomus, & exercitatio impudentiæ, ac crudelitatis plena erant, quæſtus nota illiberalis, turpis quædam mercatura; imò rapina: homines tandem omnibus vitijs adeo implicatos, vt ſicut annotat Euthymius, hæc duo nomina, publicanus, & peccator, ſynonyma reputarentur: quod illæ demonſtrant locutiones *a*, *Cum publicanis & peccatoribus manducat*: & *b Publicani, & peccatores præcedent vos in regno Dei*. Quod, & Euthymius ex eo demonſtrat, quia quos Matthæus *c*, dixit hoc loco publicanos, Lucas *d*, eandem hiſtoriam referens vocat peccatores. Ethnicus autem, vt Diuus Auguſtinus *e* annotat, idem eſt quod Gentilis. Ethnos enim Græcè, gens dicitur Latinè. Vocabantur autem Gentiles, aut gentes, qui nulla diuina lege, aut fide exculti fuerant geniti, de quibus dicit Apoſtolus: *Gentes quæ legem non habent*: nullam legem geniti receperunt, *ſe eſtan cerriles*: Hos Iudæi tanquam perditiſſimos habebant; quos habebant, quos etiam abſolutè peccatores vocabant: quomodo, & Chriſtus Dominus dixit *f*, ſe tradendum *in manus peccatorum*, id eſt Gentilium. Id enim per hæc verba intellexit, quod clarius ipſe prædixerat *g*: *Tradent eum gentibus ad illudendum*. Quod, & Paulus clarius expreſſit *h*: *Nos*, inquit, *natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*: Quos tam impios Iudæi iudicabant, vt vel ex eo ſolum ſe polluendos crederent, quod cum illis loquerentur, aut manducarent, qui dicebant: *Recede à me, ne appropieques mihi quia immundus es*. Qua de cauſa contra Chriſtum murmurabant, quando venit ad domum Zachæi, *quod ad hominem peccatorem*, ideſt Gentilem *diuertiſſet*. Quomodo etiam poſtea cum Petro diſceptarunt, quod *introiiſſet ad viros præputium habentes*. Tales ergo erant Publicani, & Ethnici, vt rem totam concluſerit Chriſtus dicens: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*. Ex his primò Chriſtus impiam Phariſæorum doctrinam reuincere vult. Deus certè ab eis, quos ad ſui peculiare obſequium elegit, & vocauit, aliquid amplius exigere debuit, quam ab ijs, qui eum neſciunt, quales ſunt Publicani, & Ethnici: ſimiliter, qui ſe illius ſeruos gloriãtur, aliquid amplius præſtare tenentur, quam illi, qui illam de illo curam egerunt, quales ſunt publicani, & Ethnici: ſed iſti diligentes ſe, diligunt, & benefacientibus ſibi, benefaciunt, & quantumcunque peccatis ſint traditi, ad hoc vel ipſo ponderis naturæ feruntur, à vobis igitur, quos Deus ſibi in populum elegit, amplius quid debuit exigere, voſque ipſi amplius quid exhibere tenemini: hoc autem eſt diligere inimicos, & benefacere ijs qui oderunt vos. Secundò ex eadem ratione Chriſtus inducit ad præcepti obſeruãtiam, propoſito præmio. Magnum enim præmium, & merces ingens, non debetur, niſi aliquid magnum agenti; at diligere amicos, & benefacere benefacientibus, tanquam nihil reputatur: quippe quod Ethnici, & publicani faciunt: aliquid igitur magnum exhibendum eſt, ſi vultis mercedem magnam conſequi: hoc autem erit dilectio inimicorum, cui reſpondebit illud inſigne ſupremumque donum, quod eritis filij Altiſſimi. Obſerua autẽ quod apud Matthæum dicitur: *ſi diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* apud Lucam legitur: *ſi diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis gratia?* quæ contraria videntur, nam gratia, & merces opponuntur, vt Paulus proſecutus eſt; ei enim qui operatur, *imputatur merces non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, & ſi ex meritis iam non ex gratia*. Cæterum intelligendum eſt, quod quamuis ſecundum ſtrictã propriamque ſignificationem, gratia ſignificet, id quod gratis nullis præcedentibus meritis datur, communi tamen locutione idem ſignificare ſolet, ac retributio vel merces, vt in cõmune puerbium abierit, Referre gratiã, pro eo quod eſt, verbo vel opere recompenſare. Ita

Ser. 59. de temper.

Hom. 31. in Matth.

In cap. 5. Matth.

a *Matt. 9. 11. et Mar. 2. 16.*

b *Matt. 21 32.*

c *Matth. 5 46.*

d *Luc. 6. 33*

e *eod. ſer. 59. in cap. 5. Matth. ad Rom. 2. 14.*

f *Matt. 26. 45. Marc. 14. 41. Luc 24 7.*

g *Matt. 21 14.*

h *ad Gal. 2 15.*

Eſai. 65. 5.

Luc. 19.

Act. 11. 2 3

Matth. 18.

§ 243.

ad Ro. 4. 4.

Petrus: *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè*: vocat gratiam, opus quod apud Deum est mercede, ac recompensatione dignum. Quo etiam modo Christus dixit de Domino, cui seruus obsequitur: *Nunquid gratiam habet seruo illi, quia facit quod ei imperauerat?* id est, nunquid aliquid ei retribuit, quia fecit quod iusserat? Quomodo communi locutione dicere solemus, quod gratiæ non sunt reddendæ, ei qui fecit, quod facere tenebatur; id est, non recompensatio aliqua, aut retributio est exhibenda: & hac ratione ex professo de ea disputat D. Thomas, varias pertractans quæstiones de gratia, seu gratitudine, vtrum scilicet homo teneatur pro debitis gratiam referre, & secundum quem ordinem.

1. Pet. 2. 19 20.

Luc. 17.

2. 2. q. 106.

§. 6. *An dilectio amici, & resalutatio ad salutantem, sit meritoria, & an potior sit dilectio inimici, quam amici.*

¶ 246. *Si diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis?* Non paruam difficultatem verba ista habent. In primis enim significare videtur Christus, nullam mercedem repositam pro amicorum dilectione: Quam, inquit, mercedem habebitis? id est nullam. Deinde aperte dicere videtur, magis meritoriam esse dilectionem inimici quam amici, cui propterea maius præmiũ propositum exhibet. Hoc autem falsum esse varijs rationibus Diuus Thomas demonstrat: nam ille actus præstantior est, qui præstantius obiectum habet; at præstantius obiectum est amicus, quam inimicus, quia melior est amicus, quam inimicus. Deinde illud est melius, & magis meritorium, cuius oppositum est peius, & magis demeritorium: sed peius est, & magis demeritorium amicos odio habere, quam inimicos; ergo melius, & magis meritorium est, amicos diligere, quam inimicos. Quo eodem argumento probant Theologi magis meritorium esse dilectionem propinquioris, & coniunctioris, & eius qui melior est, vt idem Diuus Thomas demonstrat. Certè si magis meritorium esset dilectionis opera exhibere inimicis, quam amicis, deberet homo tempore necessitatis se conuertere ad fauendum, & benefaciendum inimicis, & extraneis, relictis amicis, ac sibi propinquioribus. Insuper si ratio debiti tolleret meritũ, sequeretur quod esset magis meritorium, extraneis, & inimicis fauere, quam parentibus: nam magis tenemur ad parentes, quam ad extraneos, & inimicos. Ad primam tamen dubitationem dicendum est, verissimam esse Christi Domini sententiam: loquitur enim de dilectione, & beneficientia, qua quis diligit amicum, aut ei benefacit, non propter Deum, sed precisè quia amicus est, aut benefactor, cuius amori, & beneficẽtiæ debitum amorem, & beneficentiam rependit. Ita D. Chrysostomus [a], obseruat, ita, & Diuus Thomas [b], Christi sententiam interpretatur, & verè certa est Theologorum sententia, quam docuit Apostolus [c], sine charitate nullum meritum constare posse, loquendo de eo merito, quod absolutè tali nomine dignum est, quod est meritum vitæ æternæ. Est enim charitas radix, & mensura meriti apud Deum: ideò siquidem aliquis apud alium meretur, quia propter illum operatur, & in tantum apud eum meretur, in quantum pro illo operatur. Charitas autem sola est, quæ facit opera esse propter Deum: vnde vbi illa non est, etiamsi sit fides montes transferens, vel misericordia omnes facultates distribuens in cibos pauperum, nullum vitæ æternæ meritum consistit. Illa mensura arũdinea, quam Ioannes videbat, quod per eam metiebatur angelus omnia, quæ erant in beatitudine, symbolum tenebat charitatis: nam secundum illius mensuram erit quantitas gloriæ, quam quis in cœlesti illa ciuitate est habiturus, vt sæpè diximus: vbi magnum gloriæ meritum, vbi remissa remissum, vbi nulla nullum. Est itaque dilectio amici, & beneficentia in illum, opus ex se bonum, & debitum, & pertinens ad quandam partem po-

2. 2. qu. 26. ar. 7. & 8.

a *Hom. 13. in Matth.*
b 2. 2. q. 27. ar. 7. & 8.
c 1. *Cor. 13.*

Ap. 21. 15. 16.

¶ 247.

ten-

tentialem iustitiæ, vt ex Macrobio dixit Diuus Thomas *a*, qui etiam ex professo de hac re disputat *b*, agês de gratia seu gratitudine; & sicut iniquè ageret homo, non diligens diligentem se, ita benefacit diligendo diligentem se, &c. Sed hæc dilectio eatenus erit meritoria, in quantũ propter Deũ fit. Idcirco benè dicit Christus, publicanos diligẽtes eos qui se diligunt, nullã mereri mercedẽ, quia id faciunt nõ propter Deum; sed vt amorẽ alterius sua dilectione persoluant. Similiter, qui dant mutuum, aut benefaciunt amico, non propter Deum, sed quia sperant inde commodum suum, aut quia satisfaciunt beneficijs receptis; non merentur præmium apud Deum. Hocque est quod Christus dixit: *Date mutuum, nihil inde sperantes*: si enim ex eo das, quia inde ab eo, cui das aliquid speras, & nullomodo propter Deum das, nihil apud Deum promeruisti. Recole, quæ superius à nobis ad hoc iustitutum dicta sunt, & cura id agere, quod Apostolus hortatus est, *sive comedatis, sive bibatis sive aliquid aliud faciatis, omnia in gloriam Dei facite*: hac enim tantum ratione, hæc poterunt esse meritoria. Quamuis negandum non sit, Deum pro operibus bonis moralibus, quæ sine charitate fiunt, præmia aliqua temporalia repẽdere, vt sæpe dictum est: quia tamen hæc, quasi nihil sunt in conspectu eius, absolutè dicit, quod nullam meretur mercedem, &c. Attende autem Theologiam insignem, quam cœlestis magister his verbis tradit, absolutè docens, eum qui diligit amicum, si inimicum odio habeat, nullum pro amici dilectione præmium promereri: qui enim talis est, non diligit amicum ex charitate, sine qua nullum constat meritum: si enim charitatem haberet, & amicum diligeret propter rationem, & impulsum charitatis, id omne diligeret, in quo talis ratio reperiretur. Hæc autem non solum reperitur in amico, sed etiam in inimico; quoniam ambo sunt ejusdem naturæ, creati à Deo, ad beatitudinem, & vtrumque Deus diligere iubet. Si ergo amicum quis diligeret hac de causa, etiam inimicum diligeret, in quo eadem illa existit: verè tamen non diligit amicum propter rationem charitatis, sed propter amorem peculiarem, quem in eo sibi impensum videt, quem in inimico non videt. Hæc omnia indicauit Chrysostomus. Secundam autem difficultatem egregiè expendit Diuus Thomas, dicens, duobus modis posse comparari inter se actus dilectionis amici, & inimici, vno modo ex parte obiecti, quod diligitur, alio modo ex parte rationis propter quam diligitur. Primo modo, dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus, & melior est, & magis coniunctus, vnde est materia magis conueniens dilectioni, & propter hoc actus dilectionis, super hanc materiam transiens, melior est: vnde, & eius oppositum est deterius: peius enim est odire amicum, quam inimicum: secundo autem modo, dilectio inimici præeminet propter duo: primò quia purior est, nam præcisè, & purè inimicus diligitur propter solum Deum, amicus autem etiam ob amicitiam. Secundò, quia est fortior, qui ad remotiora se extẽdit, scilicet ad inimicum: sicut virtus ignis, tãto ostenditur esse fortior, quantò ad remotiora diffundit suum calorem. Tanto ergo ostenditur dilectio Dei esse fortior, quantò propter ipsum difficiliora implemus, sicut virtus ignis, tanto fortior apparet, quanto comburere potest minus combustibile; sed sicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quam in remotiora; ita charitas feruentius diligit coniunctos, quam remotos, &c. Ita Diuus Thomas: cuius doctrina exemplo duorum ignium explicari potest. Sit ex hac parte flamma ignis, ardens sine impedimento, in materia calida, sibi conuenienti, vt in aere, vel ligno arido, aut palea: sit ex illa alius ignis in materia ex se frigida, & ad incensionem inepta, vt in ære, vel ferro ignito; si quæras quisnam horũ ignium perfectior sit, respondebo, absolutè loquendo, priorem illum esse perfectiorem, si absolutè naturam ignis cõsideremus, quoniam est quasi in propria materia, & magis secundum mo-

a 2. 2. *q.* 114 *art.* 2.

b 2. 2. *qu.* 106.

1. *Cor.* 10. 31.

Hom. 15. *in Matth.*

2. 2. *q.* 27. *art.* 7. *circ.*

¶ 248.

dum suæ naturæ conuenientem, ideoque non deficit, nec materiam deserit, dum illa manet. Si autem consideretur potentia, fortitudo, & actiuitas, iste posterior perfectior est, quoniam cum propter densitatem materiæ plurimas habeat partes caloris, maiori efficacitate, & actiuitate operatur. Itaque vt philosophi dicunt, ille superat perfectione multitudinis, qui multus ignis, magis quam ille dicitur. Ita se habent dilectio amici, & inimici: ille enim absolutè perfectior est, quia ad obiectum perfectius, & conformius naturæ dilectionis, cuius obiectum est bonum: ista verò excedit, quia multa est, multo enim maior dilectio requiritur ad inimicum diligendum. Hæcque ratio est, quare dilectio inimici vocatur maior, vt meritò Diuus Bernardus expendens illud Ioannis; *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Maiorem, inquit, tu Domine habuisti, qui pro inimicis animam posuisti. Quod & Paulus prius dixisse visus est: *Commendat Deus charitatem in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus secundum tempus pro nobis mortuus est.* Benè dicit, *Commendat*, quo verbo, inquit Diuus Thomas, immensitatem quandam diuinæ charitatis assignat. Tunc, inquit Anselmus, charitas, commendatione digna est, quando indebitè aliquid reddit: qui enim amico rependit amicitiam, quam debet, non dignum esse mercede, dixit Christus. Nihil autem magis indebitum, quam aliquem mori pro ipsis suis inimicis: hoc immensam charitatis magnitudinem, aut multitudinem designat. Et ex his intelligitur quare sæpe amor inimici dicatur melior, & perfectior, id enim dicitur, quia maior est charitas, quomodo nummus aureus tãto dicitur melior, & perfectior, quanto maior est. Hac etiam de causa dilectio inimicorum dicitur pertinere ad perfectos, vt ex Beato Augustino *a*, expendit, Diuus Thomas *b*, & docuit S. Gregor. *c*, de quibus supra diximus. Imò, & Christus Dominus petens dilectionem inimicorum, petit vt simus perfecti, sicut pater cœlestis perfectus est: quia, vt ait Augustinus *d*, hanc dilectionem non perficit, nisi qui perfectus est, de quo statim dicemus.

Ser. fer. 4. hebdo pœ. Ioan. 15. 13

Rom. 5. 8.

In c. 5. epist. ad Rom. lect. 3.

In c. 5 epist. ad Rom.

a *In Ench. c. 73. & 74*

b *2. 2. q. 27 art. 7. circ.*

c *9. Moral. c. 9.*

d *Ser. 39. de tempor.*

SEXTA

SEXTA PARS,
DE MODO FACILI, ET IVSTO DILIGENDI INIMICOS.

§. 1. *Cur Deus dicatur perfectus ex sola misericordia, quæ aptè omnibus operibus illius præfertur, cui similes nos exhibere debemus, non in essendo, sed in agendo.*

¶ 249. ESTOTE *ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Iam ad vltimum, quod circa præceptum dilectionis inimici se offerebat, peruenit Christus, remque totam concludens hortatur, vt simus perfecti, sicut perfectus est pater noster cœlestis, de quo dixit, quod erga inimicos se exhibet beneficum, solem, & pluuiam, & alia beneficia eis conferentem. Quibus verbis, non solum vltimam illamque grauissimam rationem tradere vult, qua nos ad propositi præcepti obseruationem inducat, sed modum præcipuè exprimit, quem in dilectione inimicorum tenere debemus. Antequam tamen sententiam istam expendamus, obseruandum est quod Matthæus dixit: *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est*, Lucam ita dixisse: *Estote ergo misericordes, sicut pater vester misericors est.* Ideoque, quod vnius dixit, patrem cœlestem esse misericordem, alter dixit esse perfectum. Quæ loquendi forma, nullam inducit contradictionem: imò potius reconditum ex S. Theologia continet mysterium: idem enim est in Deo, esse misericordem, & esse perfectum: eo modo nunc loquitur Christus Dominus, qui non sermonem facit de perfectione, quæ conuenit Deo secundum se, & in ordine ad seipsum, & ad intra, vt dicunt Theologi, sed de illa, quæ conuenit in ordine ad creaturas, erga quas perfectum se exhibet, benignè, & misericorditer disponens omnia, quæ operatur circa eas, cui nihil deest, quod necessarium sit ad creaturarum bonum, & profectum. Huiusmodi autem perfectio (vt elegantissimè Sanctus Augustinus annotauit, expendens illud Psalmi, *Deus meus misericordia mea*) egregiè exprimitur per misericordiam, non autem per alia attributa, nostro modo intelligendi considerata: secundum quem non est idem, Deum esse Sapientem, & esse perfectum, nec Deum esse iustum, & perfectum; nec Deum esse bonum, & perfectũ: est autem idem, esse misericordem, & perfectum. Per sapientiam namque etiam infinitam, iuxta nostrum modum intelligendi, non dicitur Deus perfectus in ordine ad creaturas, quia per sapientiam solum concipimus peculiarem perfectionem, tollentem solam ignorantiam. Per bonitatem similiter, etiam infinitam, iuxta captum nostrum conceptam, non dicitur vndique perfectus in ordine ad easdem creaturas, per quam solum intelligitur liber ab omni malitia, & quod solum potest tollere malitiam. Per potentiam idem, aut fortitudinem etiam infinitam, eodem modo intellectam, intelligitur carens omni in-

Luc. 6. 36.

In Psal. 58 Psal. 58. 18

firmitate, & debilitate, & per quam non potest nisi debilitatem tollere, ideoque nec per illam simpliciter intelligitur perfectus. At per infinitam misericordiam, intelligitur omnibus modis perfectus, in ordine ad creaturas, quia misericordia est, quæ miseriam tollit, & infinita misericordia, quæ infinitas, & quascunque miserias potest tollere. Qui autem omnes miserias tollere potest, nullam in se debet habere, ideoque debet omnibus, omnium generum bonis abundare, & intelligitur vndique perfectus, qui in se nullam habet imperfectionem, aut miseriam, vt à creaturis possit omnes miserias tollere, ignorantiæ, & malitiæ, & debilitatis. Itaque, qui infinitam habet misericordiam, ex hoc solum intelligitur habere infinita, & totius generis bona, quibus infinitas, & totius generis miserias possit tollere. Hoc autem est esse omninò, & vndique perfectum. Hinc illa Sapientis excellentissima sententia; *Misereris omnium, quia omnia potes.* Non posset omnium miserias subleuare, & omnium misereri, nisi omnia præstare posset, non sapientiam, nisi esset Sapiens, non bonitatem, nisi esset bonus, non fortitudinem si ipse esset debilis, & infirmus. Esse ergo misericordem prouenit ex hoc, quod omnia potest: hoc autem esse perfectum.

¶ 250. Hinc ratio illius vocis, quo clamauit Exo. 32. 18 Moyses, quando vidit omne bonum Dei. Petierat ille: *Ostende mihi gloriam tuam*, & respondit Dominus *Ostendam omne bonum tibi.* Quando Exod. 33. 6 id Deus fecit, clamauit Moyses: *Dominator, domine Deus misericors, clemens, patiens, & multæ miserationis.* Ostendit illi Deus suam perfectionem, quæ in hoc est posita, quod omne bonum habet, & Moyses videns eam, omnia bona complectentem, volens illam exprimere, misericordiam solummodo recenset, & meritò quidem, nam misericordia infinita est, quæ omnes miserias tollit: ad omnes autem miserias auferendas, omne bonum requiritur ideo idem est dicere. Omne bonum, aut perfectum, quod infinitè misericors, & idem est dicere: Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est, quod estote misericordes, sicut pater cœlestis misericors est. Ex his intelligitur, cur in Scriptura sacra misericordia efferatur, *super omnia opera eius*, cur itidem Deus peculiariter dicatur, *Dives in misericordia*, quamuis dives sit sapientia, cui omnia nota sunt, antequam fiant, & potentia, qui potest quicquid vult, & bonitate, qui nulla malitia potest inquinari, &c. Cur perpetuò misericordiam suam, ad sui laudem illi proferat, cur itidem dicatur: *Secundum magnitudinem ipsius, sic, & misericordia illius cum ipso est*: quamuis etiam secundum magnitudinem suam sit eius potentia, sapientia, iustitia, bonitas, &c. & alia huiusmodi. Christus ergo loquitur de perfectione Dei, non quam tenet in ordine ad se, aut ad intra, sed quam tenet in ordine ad homines, erga quos omnes se exhibet benignus, beneficus, & misericors, erga bonos, & malos, erga amicos, & inimicos, vt ex hac parte ei similes nos contendamus exhibere. Sed vt ad Christi doctrinam expendendam accedamus, explicandum est primò, quam similitudinem ad Deũ à nobis exigat. Mirum est enim, quod hortetur, vt similes esse Deo contendamus; qui noũimus eum, qui dixit: *similis ero altissimo*, sede sua deiectum, & in profundum laci demissum: & illum qui concupiuit esse, *Sicut Deus, scientes bonum & malum*, sibi, omnibusque filijs suis miseram mortem, & triste exitium induxisse. Cæterum apta est Christi doctrina, quam explicant Athanasius *a*, Ambrosius *b*, Augustinus *c*, Remigius *d*, Beda *e*, cæterique Sancti Patres, obseruantes duplicem esse similitudinem, vnam per æqualitatem, aliã per imitationem, aut vt alij dicunt, vnam in essendo, aliam in operando. Nõ debemus contendere esse Deo similes per æqualitatem, aut in essendo, hæc enim similitudo soli filio eius Iesu Christo conuenit, qui dicitur *f*, *imago Dei*, & *g*, *figura substantiæ eius*. Hanc similitudinem appetijt diabolus, non ablolutam, sed proportionalem vt Theologi ex Diuo Thoma *h*, declarant. Neque enim, ille concupiuit habere esse, Deo ab-

Sap. 11. 24.

Psal. 144. 9. *ad Ephe. 2. 4.*

Eccl. 2. 23.

Esa. 14. 14 *Gene 3. 3.*

a *Ser 4. cõ. Arria.*
b *Li. de incar. Dom. sacra c. 10.*
c *Serm. 59. de temp.*
d *In cate. D. Tho. in c. 5. Matt.*
e *In cap. 5. Matth.*
f *2. Cor. 4. 4. & Colo. 1. 15.*
g *Ad Heb. 1. 3.*
h *1 p. q. 63 art 3.*

absolutè, & omninò simile, quod nouerat omninò impossibile, sed per quandam proportionem, eo modo, quo Dominus paruæ villæ dicitur habere æqualem potentiam, cum domino magnæ ciuitatis, non æqualitate opum, aut ditionis, sed æqualitate proportionali, quia sicut hic absolutus est Dominus magnæ ciuitatis, non recognoscens superiorem, ita ille Dominus est absolutus paruæ suæ villæ. Hic fuit diaboli conatus, appetere similitudinẽ Dei secundum esse, non absolutum, sed proportionale. Sicut enim Deus omnia quæ habet, ita à semetipso habet, vt nullatenus superiorem agnoscat, cui illa accepta ferat, ita diabolus, sic sibi complacuit in donis, quibus se ornatũ vidit, ac si illa à semetipso habuisset, nec pro illis teneretur alteri gratias re ferre. Hinc iusta exprobatione ad eum dictum est *a*: *Dedisti cor tuum, sicut cor Dei*: & iterum *b*, *eleuatum est cor tuum in altitudine tua*. Hocque virus conatus fuit transfundere in parentes nostros, quos induxit, vt appeterent esse sicut Deus, non secundum æqualitatẽ absolutam, sed proportionalem, vt sicut Deus nullo indiget præceptore, ac gubernatore: ita illi essent, non pendentes à Deo, *scientes à* seipsis *bonum, & malum*. Huiusmodi similitudinem appetere, non solum non est bonum, sed est supremum facinus, & peccatum superbiæ, quod maximè iram Dei prouocat. Quod quia Nabuchodonosor tenuit, sui regni gloriam iactãs, in quo tanquam Deus se regnare credebat, ab alio non dependens, qui propterea gloriabatur dicens: *Nonne hæc est ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quibus verbis, ita Deus se offensum exhibuit, quod *cum sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua*: in qua miseria iacuit, quoadusque *oculos in cœlum leuauit, & altissimo benedixit, & cognouit, quod potestas eius potestas sempiterna, & quod omnes habitatores terræ apud Deum, in nihilum reputati sunt, qui gradientes in superbia, potest humiliare*. Id quod similiter accidit illi impio Regi Antiocho, qui similitudinem istius æqualitatis ad Deum contendebat: propterea percussus à Deo tam graui vulnere fuit, vt coactus fuerit clamare, *iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. Non ergo contendere debemus nos similes exhibere Deo in essendo, quin potius, tenemur nostram profitentes humilitatem, nos omninò dissimiles confiteri, quoniam ipse à nullo dependet, nos autem omnimodam ab illo tenemus dependentiam. Similitudinem tamen in operãdo debemus procurare, contendentes similia, atque ille operari. Neque hanc debemus ambire, ea ex parte, qua ille operatur secundum potentiam. Hanc enim, quæ infinita est, imitari non possumus, sed ea, qua illas virtutum operationes exequitur, quas nobis exercendas proposuit. Ita Beatus Augustinus *a*, expendit, rectè Christum, cum dixit *b*: *Discite à me*, subiecisse, quænam à nobis erant addiscenda, & imitanda. Discite inquit, à me, non mundum fabricare, non cuncta inuisibilia, & visibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, non mortuos suscitare, sed *quoniam mitis sum, & humilis corde*. Neque in his (inquiunt Augustinus *c*, & Remigius *d*,) debemus velle similes nos Deo exhibere secundum æqualitatem, id enim proprium est Christo, qui æqualem habens cum patre potentiam, dicere potuit; *Omnia quæ viderit filius patrem facientem, hæc, & filius similiter facit*. Expende aduerbium, *similiter* per eandem scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem, sed similes secundum imitationem, quomodo hortamur discipulum, vt se magistro suo similem exhibeat, eius opera imitans. Nota est enim Aristot. propositio quod aliud est esse perfectum, vt Deum, aliud perfectum vt hominem: sicut aliud est, aliquem esse perfectum tanquam magistrum, & aliud esse perfectum tanquã discipulum. Qui enim magister est artis, verbi gratia scribendi, perfectissimos debet characteres efformare, vt perfectus magister uicatur, cuius discipu-

¶ 251.
a Ezec. 28. 2.
b Ezec. 31 10.
Dan. 4. 27.
2. Mach. 9. 12.
a Ser. 10. de ver. Dom.
b Matt. 11. 29.
c Ser. 59. de temp.
d In caten. D. Tho. in c. 5. Matt. lect. 5.

scipulus perfectus dicetur, quãdo quãuis non cum æquali perfectione characteres efformet, characteres tamen à magistro efformatos scribendo imitatur. Hoc ergo Christus à nobis exposcit, de quo statim latius.

§. 2. *Modus, quo debemus contendere esse perfectos, est imitari Deum in misericordia, & patientia erga inimicos, ratione cuius ille perfectus dicitur.*

¶ 252. *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Vt quæ Christus his verbis dicere voluit intelligamus, explicãdum est dubium, quod circa verba ista se offert. Certùm est Christum loqui de peculiari opere, de dilectione scilicet inimici, & beneficentia erga illum. Quod expressius verba Lucæ indicant: *Estote misericordes, &c.* Cur ergo Deum, ex hoc solo opere perfectum describit, & nos, vt simus perfecti, tantùm proponit, quod in hoc opere Deum imitemur, quos hoc opus, cum vnum sit, & particulare, non potest perfectos facere: nam ad perfectionem, omnium aliarum virtutum actus requiruntur. Hoc tamen dubium ex prædictis manifestum relinquitur. Dicendum est enim primò, ex inimicorum dilectione, & beneficentia, dici aliquem perfectum, quoniã illa in summo perfectionis est: enimuero *plenitudo*, aut perfectio *legis est dilectio*: plenitudo autem, & perfectio dilectionis in eo ostenditur quod ad inimicos vsque pertingit, neque enim amplius procedere, & pertingere, potest. Dicendum est secundò, Deum benignitatem, & misericordiam, quæ erga inimicos suos beneficum se exhibet, tanti facere, vt eam suis cæteris operibus anteponere videatur, tanquam suprematn, & excellentiorem, ratione cuius laudari, & perfectus haberi vult, vt paulò ante dictum est. Ex quibus Beatus Cyprianus rationem efficacissimam construit, ad suadendam patientiam erga inimicos. Edidit ille peculiarem librum de bono patientiæ, egregium sanè, imitatus Tertullianum, quem magistrum vocare solebat, opus adeò excellens, vt ipsemet inter omnes libros, quos scripsit, commendandum iudicauerit: Libellum, inquit, de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente domino, & inspirante, conscripsimus: huius meminit Diuus Augustinus, cuius doctrina vtitur, illum allegans. Quantum autem bonum sit patientia, qua iniurias ferimus, & beneficos nos erga inferentes exhibemus, explicare contendens Cyprianus: id inquit, impri mis supponendum est, tam magnum bonum, necessariumque esse patientiam, vt, & illa necessaria sit ad audiendum, quæ de illa vobis dicturus sum. Sed ipsius excellentiam ratio illa commendat, quod est nobis cum Deo virtus illa communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius, & dignitas capit sumit. Diligenda siquidem res est homini, quæ Deo chara est, bonum quod amat, quodque maiestas diuina commendat. Atque vt plenius intelligere possimus, quia patientia res Dei est, & qui patiens est, Dei imitator est, posuit in Euangelio, & dixit: Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, &c. Ego autem dico, diligite inimicos, & benefacite, &c. & rem concludit: Estote ergo perfecti, sicut pater vester perfectus est. Quæ gloria est similem Deo fieri? quanta fœlicitas habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari? Ita ille: cuius hæc vltima verba expendenda sunt: verè enim Deus ita commendatam vult huiusmodi virtutem, vt exhibens seipsum patientem, & beneficum erga inimicos, hoc ipso seipsum perfectum exhibere videatur, quo nomine nos ad summam laudem, & perfectionem similem extollere volens, hortatur dicens: *Estote ergo vos perfecti.* Hanc ¶ 253. doctrinam toto opere prosequitur Cyprianus, demonstrans, hoc opus esse, quod præcipuè nos Deo similes reddit. Quod & ostendere conatus fuit Seneca, in illo opere de clementia, illeque qui aptè cecinit:

Luc. 6. 36.

ad Rom. 13. 10.

Epist. ad Inbaianũ.

Lib. 4. cõt. duas epist. Pelag. c. 8. & 9.

Lib. de bono patient.

Seneca.

Cùm

Cùm vindicamur in omni Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Hanc ergo rationem Chriſtus conſtruit, qua Phariſæorum dogma refellit, qua, & probat, ſummè nos decere tanquam rem honorificam, regalem, perfectam, & diuinam, inimicos diligere, & beneficijs eos proſequi; certum eſt enim, Deum in ſummo eſſe excellentiæ, bonitatis, & perfectionis, ideoque quod magis illi fuerit ſimile, eſſe excellentius, melius, & perfectius. Illa ſiquidem natura excellentior eſt, quæ naturæ diuinæ eſt ſimilior: illa itidem operatio eſt melior, quæ magis diuinæ operationi aſſimilatur: ex qua ratione Ariſtoteles demonſtrat, intelligentias motrices cęlorum, nunquam ceſſare ab actu: quoniam enim perfectiòres ſunt, magis ſimiles Deo ſe exhibent in operando, ideoque ſemper ſunt in actu, ſicuti Deus. Illa tandem perfectior erit operatio, quæ perfectioni diuinæ operationis ſimilior erit. Perfectior autem inter diuinas operationes in ordine ad creaturas, eſt eius patientia, miſericordia, & benignitas, qua inimicis ſuis parcit, offenſas remittit, ſuæ bonitatis dona confert, qua omnipotentiam ſuam manifeſtat, & maieſtatis ſuæ magnitudinem declarat, in qua præcipuè ipſam ſuam perfectionem (modo ſupra expoſito) conſtitutam indicat. Illa ergo operatio erit perfectior, & hominem perfectiorem faciet, quæ huic ſimilis erit. Bene igitur Chriſtus rem totam ſub illa concluſionis nota, *Ergo*, claudit: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; quaſi dicens: Hæc ratio rem totam concludit, nam in primis impium Phariſæorum dogma euidenter refellit: deinde, & apertè oſtendit, vobis decentiſſimam eſſe patientiam, dilectionem, & beneficentiam erga inimicos, tanquam rem excellentem, & quaſi ſupremam, in qua, qui Deum imitatur, perfectus dici poteſt. Hinc Beatus Chryſoſtomus inuehitur in illos, qui dicunt; Non remitto, ne homines me vilipendant, & irrideant, contra quos poſtquã multa dixit, rem totam breuiſſimis verbis concludit. Quod Deo, inquit, parem facit, non vlciſci, & remittere, hoc riſum tu exiſtimas?

Lib. 12. meta. c. 9.

Hom. 30. ad populũ.

§. 3. *Similis diuinæ debet eſſe perfectio noſtra, non æqualis, propterea multas patitur imperfectiones, nec contra eam eſt, conturbari ad ſubitum inimici conſpectum.*

Eſtote ergo perfecti, ſicut & pater veſter cęleſtis perfectus eſt. Non ſolùm his verbis egregiam, quam explicauimus rationem, inducentem ad propoſiti præcepti obſeruationem, expoſuit Chriſtus: ſed, & modum, quo illud adimplere debemus, elegantiſſimè explicat. In primis in eo quod dilectionem, aut perfectionem petit, ad ſimilitudinem patris cœleſtis, indicat ſe non exigere actus æqualis perfectionis cum actibus patris cęleſtis, ſed qui imitentur perfectionem illorum. Edidit Sanctus Hieronymus tres illos eruditiſſimos libros, aut dialogos contra Pelagianos, quorum his inter alios vnus erat error, poſſe hominem in hac vita ad tantam perfectionem venire, vt nullam imperfectionem habeat, idque probabant multis Scripturæ ſacræ teſtimonijs, præſertim autẽ ex his Chriſti verbis; Nec enim ille nobis præciperet, vt eſſemus perfecti, ſicut pater cæleſtis perfectus eſt, niſi hanc perfectionem tenere poſſemus. Pater autem cœleſtis ita perfectus eſt, vt nulla imperfectione polluatur, nec defectum admittat. Hanc tamen doctrinam, tanquã erroneã Hieronymus ex Sanctis Scripturis reprobat, in quibus manifeſtè dicitur, neminẽ in hac vita perfectũ eſſe, qui nõ aliqua imperfectione maculetur. Nec enim fictè dixit Ioannes: *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, et veritas in nobis non eſt.* Quam eandem veritatem, ex eodẽ loco, alijſque ſæpè ſimiliter de mon-

¶ 254.

Habentur tom. 2.

1. Ioan. 1. 8

Lib. de nat. & grat. cont. Pelag. c. 36. monstrauit Beatus Augustinus, semper excipiens Christum Dominum, & beatam Virginem, de qua cùm de peccatis agitur, nullam voluit haberi mentionē. Ad huius tamen expositionem obseruat Beatus Hieronymus, duas in scripturis Sanctis esse perfectiones, duasque iustitias: primam incomparabilem, in omnibus modis perfectam, quæ Deo competit: aliam quæ nostræ conuenit fragilitati. Illa nullam admittit imperfectionem, hæc autem multas, variasque secum patitur, quæ comparata ad illam, potius imperfectio, & iniustitia dici potest, iuxta illud: *Psal. 142. 2.* *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs.* Ex his infert Hieronymus, vere dari viros perfectos in mundo, si enim non dari possent, non dixisset Dominus ad *Gen. 17. 1.* Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus*; neque dixisset ad suos; *Deu. 18. 13* *Perfecti estote in conspectu Domini Dei vestri.* Hos tamen viros perfectos, certum est varias imperfectiones habuisse: ipse enim Noë, qui *perfectus dicitur in generationibus suis*: inebriatus iacuit. Abraham, cui dictum est, *esto perfectus*, reprehenditur, quando Deo promittenti filium, risit in corde suo, dicens: *putasne centenario nascetur filius?* *Gen. 17. 7.* Zacharias, de quo, & vxore eius præmittitur, quod, *erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela*, incredulus reperitur, & propterea mutus effectus fuit, &c. Quamuis enim perfecti essent, sed erant perfecti, vt homines, quorum perfectio imperfecta est, inquit Hieronymus, & imperfectiones admittens. Imò tanto quis perfectior est inter perfectos, quantò maiores suas reputat imperfectiones, & se imperfectiorem iudicat. Ex quo explicat illa verba difficilia Pauli, qui supponens primò, se ea quæ dixit, dixisse, non quasi se ipsum perfectum exhibere volentem: *Non*, inquit, *quod iam acceperim, aut perfectus sim, persequor autem si quomodo comprehendam, &c.* statim subinsert: *Ego fratres me non arbitror comprehendisse; vnum autem, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, &c. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* O Apostole Paule (inquit Hieronymus) ignosce mihi, quasi homunculo mea vitia confitenti, si audacter interrogem. Dicis te nondum accepisse, & nondum esse perfectum, & præteritorum semper obliuisci, & ad priora te extendi, si quomodo posses occurrere in resurrectione mortuorum, & consequi brauium supernæ vocationis, quomodo ergo infers: *Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus?* Quid ergo sapere debemus, qui perfecti sumus? Imperfectos nos esse, confitere, & nondum comprehendisse, necdum accepisse, necdum ad eam perfectionem venisse, quæ omni imperfectione sit libera. Perfectum ergo se Paulus profitetur, & adhuc se imperfectum vocat, quoniam cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est, inquit Hieronymus, & ille perfectus est, qui sapienti humilitate agnoscit se imperfectum, & quod nondum supremam perfectionem attigit, ad quam debet se ipsum extendere, &c. Ex hac doctrina explicat Sanctus Basilius, illam Dauidis petitionem; *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Videbitur hic sermo, inquit Basilius, aliquid fortè iactabundum, & gloriolum, & simile aliquid orationi Pharisæi sese extollentis, habere. Candidè tamen perspicienti rem, Propheta noster ab hoc vitioso affectu procul omninò esse iudicabitur. Augustinus non hæc verba iactantis, sed humiliter confitentis intelligit, qui enim petit; Iudica me secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam, addidit, *super me*, exprimere volens, iustitiam, & innocentiam, quam habebat, secundum quam iudicari volebat, non esse à se, sed a Deo. Basilius tamen rem explicaturus annotauit, multas iustitias in Scriptura dici, multasque in ea perfectiones indicari. Est enim, & angelorum iustitia, quæ humanam superat, est, & diuina iustitia, aut perfectio, quæ omnem excedit intellectum. Me ergo iudica Domine, inquit Danid, secundum iustitiam meam, hoc est hominibus tantum conuenientem, & possibilem

In Psal. 2. Psal. 7. 6.

In Psal. 7.

¶ 255.

ad Phil. 3. 12.

sibilem ijs qui in carne viuunt: hæc enim adiunctam habet simplicitatem, & innocentiam, quam statim Dauid confitetur addens: *Et secundùm innocentiam meam super me*, vt sic maximè conflet, eius affectum longissimè à Pharisæi arrogantia distare.

¶ 256. Innocentiam enim suam nominat, perinde ac simplicitatem, ignorantiam inexperientiamque eorum, quæ vtilia sunt cognitu, quomodo sumitur hispana phrasi innocentia hoc modo, pro ignorantia, & dicere solemus de aliquo, quem ignorantem volumus significare, esse magnum innocentem, quomodo, & in Prouerbijs dicitur: *innocens credit omni verbo*. Quasi dicat Dauid: iustitia mea admittit multas ignorantias, & defectus, & innocentias; ideoque non à me illa est exposcenda iustitia, quæ nullum ex aliqua parte defectum habeat, nec illa perfectio, quæ omni penitus imperfectione careat, sed quæ humanam decet conditionem, & fragilitatem. Ita Basilius. Hæc humana conditio est, quæ suis affectibus varios excitat motus, contrarios legi Dei: *qui nos captiuos ducunt in legem peccati, & mortis*. Hæcque suo pondere, & continuis necessitatibus impedit à iugi cœlestium contemplatione, & cogit ad terrena, & temporalia animum conuertere, & corruptibilibus inhærere. *ad Rom. 7. 23.*

Lib. 3. cont. Pela. tom. 2 pag. 226. 2. ad Tim. 4. 13. Quod, & idem Hieronymus ad eosdem Pelagianos reuincendos annotauit. Putasne, inquit, Apostolum Paulum, eo tempore quo scribebat: *lacernam*, *scupenulam*, *quam reliqui Troade apud Carpum*, *veniens affer*, *& maxime membranas*, de cœlestibus cogitare mysterijs, & non de ijs, quæ in vsu communis vitæ vel corporis necessaria sunt? Da mihi hominem, qui non esuriat, nec sitiat, nec algeat, nec doleat, nec febriciter, non torminibus, & vrinæ difficultatibus torqueatur, & ego tibi concedam, posse hominem nihil aliud, nisi de virtutibus cogitare, quo fit, vt nostra perfectio multas admittat imperfectiones, propter quas necesse est, spirituales actus sæpè intermittere, quos aliquando non nisi cum magna difficultate, & rebellione exequimur. Christus igitur præcipit nobis tenere perfectionem diuinam, non autem modum illius perfectionis. Perfectionem enim vocat actum dilectionis, aut misericordiæ, vel benignitatis, quo non tantum diligamus, & benignos nos exhibeamus amicis, sed etiam inimicis, vt dictum est. Hanc quidem iubet tenere, non tamen modum; id enim impossibile est: Inprimis enim Deus ita diligit inimicos, & eis benefacit, quod nullam ad id sentit difficultatem, aut repugnantiam, imò cum maximo gaudio, & lætitia, inimicos veniam petentes, in sui gratiam admittit, & in numeris excellentibusque beneficijs cumulat, vt in ijs, quæ cum filio prodigo pater egit, videre licet, & in eo quod Christus expressit: *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*. Nos autem non possumus, communiter loquendo, non sentire magnam difficultatem, & repugnantiam, in actibus beneficentiæ, & dilectionis erga inimicos. Deus cùm inimicum videt coram se, nulla perturbatione agitur, qui nullis contrarijs affectibus vrgetur; imò si veniam petat, id facit quod pater cum filio prodigo, quod ruens super collum eius osculatur eum, &c. At nos moraliter loquendo, non possumus viso eo, qui grauem nobis iniuriam intulit, non perturbari, & commoueri, vt supra ex Beato Anselmo dictum est. Quam differentiam egregiè Spiritus Sanctus in Canticis expressit. Laudauerat cœlestis Sponsus Sponsæ suæ oculos, dicens: *Oculi tui columbarum*: illa similiter oculos illius laudandos assumens: *oculi*, inquit, *eius, sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes iuxta fluenta plenissima*. Quidam existimant eisdem verbis Sponsam voluisse oculos Sponsi laudare, quibus suos ab illo laudatos audierat, & par pari referre, iuxta amatorum mores. Sed si attentè rem inspiciamus, diuersa multo sunt, & maiora, quæ Sponsa oculis Sponsi, quam quæ Sponsus oculis Sponsæ tribuerat. *Luc. 15. 7. 10.* *Lib. de similitud. c. 102.* ¶ 257. *Cant. 4. 1. Cant. 5. 12*

Sponsus

Sponſus enim, non dixit, oculos Sponſæ ſimiles columbis, ſed oculis columbarum: Sponſa autem, non dixit oculos Sponſi, ſimiles oculis columbarum, ſed columbis ipſis: *Oculi*, inquit, *eius ſicut columbæ*, non qualeſcunque, ſed *quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima*. Hæc autem diuerſa inter ſe ſunt. Sunt quidem oculi columbæ caſti, quibus non niſi conſortis placet aſpectus, vt dictum alibi: ſed qui nihilominus inter oculos auium celerius, & citius accipiunt ſpeciem rei viſæ, ſubitoſque affectus excitant iuxta naturam rei, quã viderunt, lætitiam ſcilicet ad conſpectum conſortis, conturbationem autem ad præſentiam accipitris, vel alterius auis rapacis: cùm enim columba vnguibus, roſtroque careat, quibus ſe poſſit defendere, ſoliuſque volatus celeritate ſibi prodeat, hoc ei à natura inter cæteras aues datum eſt. Tales ſunt oculi cœleſtis Sponſæ, quibus ſolus diuinus placet Sponſus, atque ex hac parte egregiam laudem promerentur, quam, & Sponſus illis tribuit: ſed qui iuxta naturam eorum quæ videntur, excitant affectus, lætitiæ ad præſentiam amicorum, & eorum, qui nobiſcum conueniunt; conturbationem autem, ad præſentiam inimicorum, & eorum qui nos lædere procurant. Cæterum oculi Sponſi ſimiles dicuntur, non oculis columbæ, ſed ipſis columbis, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Columba enim ipſa, ſignum eſt manſuetudinis, & quietis: & apud Ægyptios Symbolum erat hominis, nulla paſſione conturbati, quoniam hæc auis felle caret. Idcirco, vt annotat Diuus Cyprianus, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie venit, quia columba, inquit, ſimplex animal, & lætum, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum. Vnde, & Græci cùm manſuetudinem exprimere vellent, *Quietam columbam* dicere conſueuerunt. Eſt igitur columba ex ſe ſignum animi quieti, nulla fellis amaritudine conturbati: cui ſi addas, quod lacte ſit lota, id expreſſius indicabis.

Pierius lib. 22.

Lib. de vnit. Eccleſ.

Quia enim lac in Scriptura ſacra Symbolum eſt dulcedinis, & ſuauitatis, idem erit columba lacte lota, quod ſumma voluptate, lætitia, & dulcedine perfuſa. Quæ dum tandem inducitur, reſidens iuxta fluenta pleniſſima omni conturbatione expers indicatur: tunc enim quæque res maximam quietem tenet, quando eſt in loco ſibi magis voluptuoſo, & connaturali: loca autem columbis voluptuoſiora, ſunt aquarum fluenta, vt dixit Varro: ideò cùm ibi ſunt, in centro ſuo eſſe videntur. Ecce oculos Sponſi cœleſtis, qui ad nullius rei conſpectum conturbantur, ſunt enim columbis ſimiles, quæ in primis nullum ex ſe habent fel, aut amaritudinem; Deus enim in ſe ipſo, & ex ſe ipſo omni amaritudine caret, nihil in ſe habet triſte, aut amarum, aut quod pœnam vel dolorem poſſit incutere. Inſuper lacte perfuſus totus eſt, id eſt, ſuauitate, benignitate, & miſericordia: totus enim ſuauis, benignus, & miſericors eſt; *Nam ſecundùm magnitudinem ipſius, ſic, & miſericordia eius cum illo eſt.* Et reſidet iuxta fluenta pleniſſima: diuina viſcera ſunt quædam fluenta tam plena, vt ex eis omne bonum proſtuat; *omne* enim *datum optimum*, & *omne donum perfectum*, *deſurſum eſt*: *procedens à patre luminum*: cui canit Eccleſia, *Deus à quo bona cuncta procedunt*: de quo dixit Apoſtolus, quia *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: inde prouenit, quod nulla conturbatione Deus commoueatur ad peccatoris conſpectum. Si eſſet mater duos habens filios lactentes, cuius vbera adeo plena, & tumentia eſſent lacte, vt diſrumpi, & crepere præ nimia plenitudine timeret, & ex filijs vnus eſſet nimia fame confectus, alter verò, qui quoniam lactatus fuit, non deſiderat lac, nec vbera quærit, certe mater ad conſpectum filij famelici non ſolùm non conturbaretur, ſed potius nimio exultans gaudio vbera offerret, & exhiberet, vt ille lac ſugeret, cuius nimia abundantia illam affligebat, & arctabat. Ita ſe habet Deus, cuius viſcera ſunt tanquam vbera, infinito miſericordiæ lacte redundantia, ideoque

De re ruſt. lib. 3. c. 7.

¶ 258.

Eccl. 2. 23.

Iacob. 1. 17

ad Rom. 11. 36.

non

non ſolum non contriſtatur, aut commouetur ira, quando videt filium famelicum, peccatorem ſcilicet ad ſe venientem, ſed gaudio tunc ingẽti afficitur. Conſidera Patrem illum, qui *Luc.15.* cum vidit filium minorem, extrema fame conſumptum ad ſe venientem, obuiam proceſſit, & procumbens ſuper collum illius, oſculatus eſt eum, & iuſſit præparari conuiuium, & afferri ſtolam primam, & tandem maiora, tunc lætitiæ ſigna edidit, quam vnquam ad conſpectum, & aduentum filij maioris ſibi obedientis exhibuerit. Inde ergo Deus non conturbatur ad peccatoris inimici ſui conſpectum, quem potius ipſe quærit, & vt inueniret de cœlo in terram venit. Noſtri autem oculi carnei ſunt, reſident iuxta cor, & viſcera egena, & infirma, ex quibus nihil boni procedit, ſuntque ſimiles oculis columbarum, qui ad cõſpectum inimici, aut rapacis auis facilimè conturbationem excitant, & mouent. Ex his inferre licet, quod non propterea debet homo Chriſtianus, qui audit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, contriſtari, aut affligi, quod ſentiat in ſe cõmotionem, aut alterationem ad conſpectum inimici: cui enim præcipitur ſimilem perfectionem, aut dilectionẽ, vel benefícẽtiam erga inimicum tenere, quam ¶ 259. tenet Pater cœleſtis non ſimilis modus perfectionis imponitur: nec enim iuſtum eſſet, à mortali homine innumeris violentiſque affectibus agitatum, & commotum, eam petere perfectionem in dilectione inimici, quam Deus ipſe tenet, quam nec ipſi Apoſtoli, qui primitias ſpiritus acceperũt, potuerunt tenere. In cuius confirmationem id obſeruat Hieronymus, in eadem contra Pelagianos diſputatione, quod ad multorum ſolatium conducit, expendens id, quod Paulus cum cæſus eſſet à miniſtro, contra Pontificem, qui cædere imperauerat verba *Act.23.3.* dirigens: *Percutiet*, inquit, *te Deus, paries dealbate: & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti?* Vim expende verborum. Vocauit enim principem ſacerdotum parietem dealbatum, id eſt, hypocritam magnum, illud nomen in eum iaciens in particulari, quo Chriſtus Phariſæos, & Scribas in communi notauerat, vocans eos ſepulchra dealbata, vt annotauerunt Ambroſius *a*, & Auguſtinus *b*. Deinde eum vocat, & comprobat iniquum iudicem contra legem iudicantem. Multa circa hæc Pauli verba conſiderant ſancti Patres, inquirentes, an conuitium ſonent, necne? De quibus ſingulariter egit Beatus Auguſtinus *c*: ſed ad rem noſtram egregiè Beatus Hieronymus diſcurrit. Vbi eſt, inquit, illa patientia Saluatoris, *d*, *qui quaſi agnus ductus ad victimam, non aperuit os ſuum*, ſed clementer loquitur verberanti *e*: *Si malè locutus ſum, argue de malo ſi autem bene, quid me cædis?* Non Apoſtolo detrahimus, inquit Hieronymus, ſi gloriam Domini prædicamus, qui in carne paſſus, carnis iniuriam ſuperat, & fragilitatem; neque enim detrahere Pauli ſanctitati eſt, intelligere, & afferere, eius patientiam non tam perfectam fuiſſe, quam patientiam Chriſti: id quod ex alijs Apoſtoli verbis ſimiliter expendit, dicentis: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Dominus in illa die iudex*. Non ſimilia Chriſtus contra perſequentes ſe iactauit, qui pro illis ipſis, à quibus patiebatur, ſanguinem profundebat, & offerebat; ſed non mirum, quia nec Pauli dilectio tam perfecta erat ſicut dilectio Chriſti ideoque non tam perfectum ſe exhibuit in inimicorum dilectione ſicut Chriſtus. (?)

Matth.23. 27.

a *In Pſ.61. & in c.3. Luca.*

b *In Pſ.95 & lib.1.de ſerm. Domini in mõte c.19.*

c *Lib.1.de ſerm. Domini in mõte.c.19.*

d *Iſai.53.7*

e *Ioan.18. 23.*

2. ad Tim. 4.

§. 4. *Perfectum modum diligendi inimicum exhibet Pater cœlestis, amando naturam, odiendo culpam, quem in distinctione rerum, clibano, ac lampade indicauit.*

¶ 260. *Epist. 54. ad Macedon.*

Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Egregiè, & ex professo Beatus Augustinus ad Macedonium scribens, vt supra retulimus, verba Christi expendens, modum ex illis elicit, quo inimicos diligere, eis benefacere, & pro illis orare tenemur, ad imitationem scilicet Patris cœlestis, illum tenentes modum, quē in suorum inimicorum dilectione, ipse solitus est seruare: sic enim ille diligit peccatorem, vt tantum diligat in eo, quod dilectione dignum est, illud autem odiat, quod iustum est odio prosequi: Hoc autem, ita Augustinus explicat. In inimico duo sunt: est in primis natura, quæ bona est, nam est homo ad imaginem Dei conditus, ad beatitudinem æternam ordinatus: est deinde offensa, quam intulit, quæ mala est, quoniam est peccatum. Diuersa sunt inter se hęc valdè, quamuis tam vnita in vno, eodemq; homine, inquit Augustinus, vt facile sit, atque proclive, malos odisse, quia mali sunt, rarum autem, & pium eosdem diligere, quia homines sunt. Deus autem ita se perfectè habet, quod naturam bonam diligit, offensam autem quæ peccatū est, summopere prosequitur odio: nec enim perfectus esset, odio habens quod bonum est, aut dilectione prosequens, quod est malum. Idcirco dicitur, *Deus ignis consumens*: si enim igni admoueas aurum scoria pollutum, auri naturam seruat, & puram reddit, scoriam verò penitus absumit, vt videatur naturam auri amare, & scoriæ immunditiā odire. Benè propterea Christus Deum vocauit nomine Patris, ex quo sancti Patres Augustinus *a*, Petrus Chrysologus *b*, & Basilius *c*, frequentissimè rem totam explicant. Certè quando filius magna febre vsque ad phrenesim corripitur, nihil magis est: quod Pater odio habeat, quam febrem ipsam, contra quam omnia quæ potest adhibet, medicos, medicamenta, & facultates suas expendit, vt febrem illam eradicet, & consumat: nihil etiam est quod magis amet, quam filium, cuius vitam, & salutem procurat, & si posset proprio sanguine, sanitati restituere, illum profunderet. Ita quidem peccator inimicus Dei tenetur febre peccati, qua correptus contra pium patrem suum, peiora facit, quam qui corporali phrænesi laborat contra patrem carnalem. Certè nihil est quod hic cœlestis Pater maiori odio prosequatur, quam febrem peccati, cuius tota cura est, illam eradicare, & absumere. Non potuit Sampson magis exprimere odium, quo Philisthæos prosequebatur, quam occidēdo se ipsum, vt illos à vita exterminaret; nec potius Eleazarus apertius indicare odium in crudelem illam bestiam, quæ ingentem stragem contra Dei populum faciebat, quam eligere sui mortem, ad hoc, vt eidem mortem inferret. Non potuit Deus magis explicare odium, quo prosequitur peccatum, quam eligendo mori, vt peccatum interimeret. Si enim quæras, Cur Deus mortuus est? cur cruci affixus? cur tam durè vexatus? Respondet Paulus, *Vt destruatur corpus peccati*: quasi alludens ad historiam, quam indicauimus Eleazari, qui vt destrueret corpus bestiæ, oppressus à bestia mori elegit. Si quæras: Quid intendit Deus è cœlis in terram veniens, tot labores sustinens, &c. respondet Propheta: *Hic est omnis fructus, vt auferatur peccatum*. Illud ergo summo prosequitur odio, cui dixit Propheta: *Mundi sunt oculi tui, nec vales ad iniquitatem respicere*, metaphora sumpta ab eo, qui rem quam summè odit, non potest rectis oculis aspicere, sicuti Saul ipsum Dauidem. Hic autem, qui summo odio peccatum prosequitur, summa etiam dilectione diligit peccatorem, quem, vt sanitati restituat, nullum non mouet lapidem: nullusque Pater vnquam tales expensas pro salute filij, quem vnicè diligit, fecit, quales Deus, vt peccatorem per

Iudic. 16. 30.

1 Mach. 6. 45.

¶ 261.

ad Rom. 6. 6.

Isai. 2. 79.

Habac. 1. 13.

1. Reg. 18. 9.

Deut. 4. 24.

a *Ser. 168. de tempor.*
b *Ser. 38.*
c *Hom. 10. deira.*

pec-

peccatum infirmum, integræ ſanitati
1. ad Tim. 1.15. reddat: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*: ſic Dei filius peccatores dilexit, quod *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*: & propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus, natus, mortuus, ſepultus eſt. Ecce modum, quem tenet Pater cœleſtis, perfectum ſe nobis exhibẽs, & imitandum. In mundi exordio duo
1.p.q.66. opera Dei conſiderat Diuus Thomas ex ſanctis Patribus: opus creationis, & opus diſtinctionis. Opus creationis fuit illud, per quod omnia ſimul vnita, ſub quadam confuſione creauit, producens illam maſſam communem, quam philoſophi ab Hebræis edocti, vocauerũt chaos, rudem, indigeſtam-
Geneſ. 1.1. que molem, de qua Scriptura dixit: *In principio creauit Deus cœlum, & terrã, & terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Intelligendum eſt enim, propriè, & in rigore, illud ſolum fuiſſe opus creationis: quoniam ex nihilo maſſam illam confuſam produxit. Alia namque, quæ ex illa maſſa produxit, non propriè dicitur creaſſe, quæ ex materia ſuppoſita produxit. Imò verè nihil præter animam rationalem, propriè loquendo, deinceps Deus creauit. Opus autem diſtinctionis fuit, quando poſtea ex illa maſſa res ſingulas educens, à ſe inuicem illas diſtinxit, & diuiſit: nam *diuiſit aquas ab aquis*, vnicuique earum ſuum locum concedens, & *diuiſit lucem à tenebris*, proprium cuique tribuens nomen: *appellauit* enim *lucem diem, & tenebras noctem*. Omnes inſuper creaturas materiales ex illa cõfuſa maſſa produxit, & eduxit, & inter ſe diuiſit, ſuum cuique locum concedens, iuxta cuiuſque naturam, auibus, piſcibus, animalibus, plantis, &c. Et quidem propter opus creationis dicitur Deus omnipotens: nam ad creandum virtus infinita, & omnipotentia requiritur. Proprer opus autem diſtinctionis dicitur Deus perfectus in ſuo opere, quod vſque ad illam imperfectum erat, qua ſuppoſita dicitur: *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*, Ita ſe habuit Deus *Geneſ. 2.1.* in mundi creatione. Similiter ſe habet in eiuſdem reparatione, quæ fit per illius dilectionem: *Sic* enim *dilexit* *Ioan. 3.16.* *mundũ, vt filiũ ſuum vnigenitum daret,* ¶ 262. *vt omnis qui credit in ipſum pereat*. Eſt opus, per quod Deus ſe oſtendit omnipotentem, & eſt opus, per quod ſe oſtendit perfectum. Oſtendit ſe omnipotentem dum abſolutè de illo dicitur, quod diligit inimicos, eis parcit, & benefacit. Hoc enim opus eſſe omnipotentiæ, ſupra demonſtratum eſt ex illo: *Miſereris omnium*, & parcis *Sap. 11.11.* omnibus, *quia omnia potes*, cui Eccleſia *4.* canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè, & miſerando manifeſtas*. Per opus autem diſtinctionis ſe perfectum exhibet, diſtinguens inter naturam, & culpam, inter peccatorem, & peccatum, vnicuique id concedens, quod decet vnumquemque, diligit enim naturam bonam, & odio habet culpam malam: contendit ſummopere peccatum deſtruere, & ſummè procurat peccatorem ſaluare. Hæc aliquo modo adumbrata credo, in illo famigeratiſſimo Abrahæ ſacrificio, in quo illa Deo obtulit animalia, quæ Deus ipſe præceperat, accepit animalia, quæ offerenda erant, & *diuiſit ea* *Gen. 15.10* *per medium, & vtraſque partes altrinſecus coram ſe poſuit*, id eſt, vnam contra alteram ordinatè poſuit, ſeruata partium correſpondentia. Cum autem ſol occubuiſſet, facta eſt caligo tenebroſa, *& apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas*. Hæc duo quantum intelligo, ſimul apparuerunt, & ſimul incedebant; ex vna erat clibanus fumans, ex altera lampas ignis ſplendida: & clibanus ea, ad quæ illius calor pertingebat, abſumebat: lampas verò illa, ad quæ eius lux ſe extendebat, illuſtrabat, & reddebat clariſſima, ita quod clibanus, & lampas; contraria operabantur circa res diuiſas. Hæc ita fuiſſe, quando ex profeſſo alibi rem hanc exponemus, oſtendemus. Sufficiat nunc annotare, in ſcriptura ſacra, clibani nomine intelligi odium Dei, vindictam, & ſupplicium, quo in impios exardeſcit: quo

propterea nomine clibani, dies iudicij describitur, *Ecce*, inquit, *venit dies Domini succensa quasi caminus*. Et de peccatoribus dixit Dauid: *Pone eos, vt clibanum ignis, in tempore vultus tui.* Lampas autem ignis, amorem diuinum designat, de quo dictum est: *Lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Nec amor Dei, nec odium feruntur confuse in peccatores, vt omnia quæ in illis sunt, Deus diligat, aut odio habeat; sed diuisione facta, & vnaquaque re suo loco reposita, simul clibanus, & lampas procedunt; nam circa eundem peccatorũ diuidit Deus peccatum, & naturam; & circa peccatum excitatur clibanus odij, quo illud consumere procurat: circa naturam autem effunditur lex lampadis charitatis ita lucentis, vt solem suum oriri faciat super malos, & pluat super iniustos. Ecce modum diligendi inimicum, diligere quod in illo bonum est, & odio habere quod in illo malũ est, sicut enim impium esset, diligere quod malum est, ita iniustum esset, odio habere quod est bonum. Ita agere, est agere perfecte: nam odire hominem in se bonum propter culpam malam, imperfectum est, & iniustum. Ita ergo, & tu facere teneris, imitans cœlestem Patrem, odio habere culpam inimici, & offensam, quam intulit, contra quam irasci debes. Diligito autem hominem, & ei beneficentiæ opera exhibeto, sic, inquit Diuus Augustinus, vt in vno simul, & culpam probes, & naturam approbes: ac propterea culpam iustius oderis, quod per eam fœdatur natura, quam diligis. Ita, qui huius cœlestis Patris filios se exhibent, faciunt.

Malach. 4. 1. Psal. 20. 10 Cant. 8. 6.

(?)

§. 5. *Inimicorum omnium moralium, & legalium culpa odio habenda est, & diligenda natura, vt maledictio Chanaam designauit.*

¶ 263. *Lib. 16. de Ciuit. c. 1. & 2.*

IN eorum quæ diximus explicationem, S. Augustinus illam dissoluit quæstionem, quam alibi sæpè ad aliud institutum expendimus: Cur peccante Cham contra patrem suum Noe, pater non ei maledixit, sed filio illius Chanaan, dicens; *Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit*, &c. Respondet Augustinus id grandi mysterio factum fuisse: filius enim est fructus, effectus, & opus patris. Malè dicitur itaque Cham, non in sua persona, sed in suo effectu, & opere; vt maledictio eius nefario operi, non suæ personæ, quæ bona erat, intelligatur inflicta. Quod, & conuenienter filij nomen indicat, inquit Augustinus, vocabatur enim Chanaan, quod interpretatur *motus eorum*, vt intelligas, Noe non in personam sui filij Cham, sed in eius motum nefandum, & impium maledicta coniecisse; sicut enim iniustum videbatur, personam bonã propter malum opus maledicere, ita non erat æquum, propter bonam naturæ personam sibi complacere in opere illius iniquo. Hinc idem Augustinus egregiè quædam Scripturæ loca explicat, quæ contraria videntur. In quodam enim loco scriptum est: *Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui eam tradas, & si diu non inuenitur, diu quære.* Ita legit D. Augustinus. & quantum existimo, locus habetur apud Ecclesiasticum, qui eleemosynam suadere volens, supponit in primis illam non omnibus dandam. *Si benefeceris*, inquit, *scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multo.* Prius expende personam, cui benefacere debes, vt tibi in bonum cedat. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, da misericordi, & ne suscipias peccatorem; da bono, & non receperis peccatorem; benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dare.* Itaque prohibet dare impio, & eũ suscipere, quod lectio, quã sequitur Augustinus emphaticè præcipit:

In Psal. 102. in illud: Faciens misericordias Domini. Eccl. 12. 1.

Dese-

Deſudet, inquit, *elemoſyna in manu tua, donec, &c.* Quo verbo indicat, fortiter continendam, & retinendam, ita vt ex multo tempore, quo illa continetur, & ex vi, qua manu concluſa tenetur, deſudet manus, metaphora ſumpta ab eo, quod cum firmiter, & multo tempore rem manu clauſa tenemus, ſolet manus ſudorem emittere. Ita ibi ſtatutum eſt; & nihilominus alio in loco dicitur: *Omni petenti te, da*: & iterum: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*. Si prohibitum eſt dare peccatori, & ſuſcipere peccatorem, inquit Auguſtinus, quomodo omni petenti te, da? Quomodo ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum? Quaſi contraria videntur: ſed aperiuntur in nomine Chriſti pulſantibus, & manifeſta erunt quærentibus. Ne tradas peccatori, & ne ſuſcipias peccatorem, & tamen omni petenti te da, & ſi peccator eſt qui te petit, da non tanquam peccatori.

¶ 264. Quando das peccatori, tanquam peccatori? Quando in quo peccator eſt, hoc tibi placet, vt des: Deum offendis. Paululum attendat charitas veſtra, donec euoluatur res etiam exemplis, multum vtilis ad intelligendum. Tibi homo peccator occurrit. Cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: hæc duo nomina non ſuperflua ſunt: duo nomina, aliud quod eſt homo, aliud quod peccator: quod homo, opus eſt Dei; quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis: me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet? inquis. Quis hoc faciet? vtinam nemo, vtinam pauci, vtinam non publicè? Qui venatoribus, qui hiſtrionibus, qui meretricibus, &c. Hunc autem ſenſum probat Auguſtinus ex eo, quod danti iuſto promittitur merces. *Benefac*, inquit, *iuſto, & inuenies retributionem*. Quomodo qui benefacit iuſto, retributionem, & mercedem recipiet? benefaciens iuſto, cum additamento. Ait enim Dominus: *Qui recipit iuſtum, in nomine iuſti, mercedem iuſti accipet*: id eſt, ideo iuſtum recipiens, quia iuſtus eſt: & *qui recipit Prophetam*, non quomodocunque, *ſed in nomine Prophetæ*, hoc in illo honoras, quod Propheta eſt: ad extremum, *qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex minimis iſtis, tantum in nomine diſcipuli* id eſt, propterea quod diſcipulus Chriſti eſt: *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Quomodo ergo intelligis: Qui receperit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, ſic intellige: Qui recipit peccatorem, in nomine peccatoris, mercedem perdet. Ergo fratres exercete miſericordiam, extendite dilectionem vſq; ad inimicos, ſic vt odientes eos in quantum peccatores, quod fiet odio habendo eorum peccata, diligatis eos in quantum homines, æternæ beatitudinis capaces. Hæc ſæpiſſimè S. Auguſtinus, cæterique ſancti Patres proſecuti ſunt, & ſtatim latius explicabitur. Ex his infero, falſam eſſe quandam explicationem præcepti dilectionis inimici, quam quidam gloriantur ſe nouiter inueniſſe: qui duplex inimicorum genus diſtinguunt, legalium ſ. & moralium. Inimici legales dicuntur, qui legem noſtræ contrariam tenent, quales erga Iudæos erant Amorrhæi, & Chananæi, & erga nos ſunt omnes gentiles, hæretici, & infideles, Chriſtiani nominis inimici: morales inimici dicuntur, qui ſolis moribus nobis contradicunt, quales ſunt Chriſtiani, qui nos perſequuntur, & impugnant. Illos quidem (inquit) liberè poſſumus odio habere, ſicuti mauros, turcas, & hæreticos: quomodo, & Sapiens dixit: *Duas gentes odiuit anima mea, tertia autem non eſt gens, quam oderim: qui ſedent in monte Seir, & Philiſthijm, & ſtultus populus, qui habitat in Sichimis.* Eccl. 50. ¶ 265. Inimicos autem morales diligere tenemur, de quibus Chriſtus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Doctrina tamen hæc noua eſt, quam nullus ſanctorum Patrum tradidit, quippe quæ contraria eſt explicationi, quã Chriſtus exhibuit, imò quæ Phariſæorum menti eſt conformis. Duobus enim modis, Phariſæi præceptum dilectionis exponebant: quidam legentes; Diliges amicum tuum, omnem cuiuſque generis inimicum odio proſequi concedebant. Alij autem

Luc. 6. Prou. 25. 21. Rom. 12. 20. 27.

legentes, Diliges proximum, aut fratrem tuum, videntes in lege, fratris, aut proximi nomine, sæpè intelligi illum, qui eiusdem erat generis, & legis, omnem, & solum Iudæum diligendum asserebant. Vtrosque autem Christus refellendos assumpsit, docens omnem hominem, qui proximi nomine gaudet, diligendum, quantumcunque inimicus sit, vt supra expositum est. Et quòd hæc noua doctrina sustineri non possit, ita demonstro: Quando dicunt, inimicos legales odio prosequēdos, inimicos autem morales diligendos, aut loquuntur de illis considerātis secundum naturam humanam bonam, quam habent, aut secundū quod inimici sunt, tenentes scilicet contrariam legem, aut contrarios mores. Si loquantur de illis, secundum ipsorum naturam, certè sicut diligendi sunt inimici morales, ita, & legales: vtrorumque enim natura absolutè sumpta, bona est, vtpote à Deo creata, & ad beatitudinem ordinata. Si autem loquantur de illis, secundum quod inimici sunt; sicut odio habentur inimici legales, ita, & morales; nam qui tenemur odio prosequi Gentilium, & hæreticorum infidelitatem, tenemur, & fidelium improbos mores odio habere.

Li. 2. de ser. Domin. in mont. c. 4. Simili argumento Sāctus Augustinus refellit aliquorum sententiam, qui dicebant, Christianum cum dat eleemosynam, debere curare, ne videatur ab infidelibus, posse autem videri à fidelibus: aut enim, qui id dicunt, inquit Augustinus, intelligunt de visione, qua humana gloria quæritur, aut de ea, qua Deus glorificandus est. Si de illa loquātur, sicut non possunt quærere, videri ab infidelibus, ita nec à fidelibus: si autem de ista, sicut possunt videri à fidelibus, ita, & ab infidelibus.

a *Epist. 121 ad Probā, cap. 6. ad Epist. 107. ad Vitalē Carthag.* Sic expresse Augustinus *a*, ipse, semel & iterum quæstionem hanc definiuit, docens charitatem, etiam ad diligendos incredulos, & infideles extendendam, quibus etsi non pro merito, pro ipsa tamen communis naturæ societate debetur. His Beatus Hieronymus

b *In cap. 5. Epist. ad Gal.* *b*, consensit, qui annotauit, Deum cum præcepit Iudæis, vt odirent Chananæos, & infideles nationes, non de eorum naturis, sed peccatis intellexisse. Omnes igitur inimici diligendi sunt. Quæ autem beneficentiæ opera in eos exequi teneamur, iam supra expositum dedimus.

§. 6. *Perfectum modum vincendi inimicum pater cœlestis indicat, per beneficia, qua de causa, amor dicitur à Sponso, fortior morte.*

¶ 266. ALium perfectionis modum, quem tenet Pater cœlestis benefaciendo inimicis, explicat Augustinus, ad eundem Macedonium scribens. Ille est, quod Deus beneficum se exhibens inimicis, perfectam victoriam de eis reportat, dum inimicos destruit, & homines seruat: ad hoc namque ordinari eius beneficam benignitatem, expressit Apostolus (inquit Augustinus, dicens: *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Pœnitentia est, per quam aliquis definit esse inimicus, & Deo se exhibet subiectum. Si benignitas Dei ad pœnitentiam adducit; hoc facit, quod inimicus pereat, & permaneat homo, Deo omninò subiectus: quo genere victoriæ nullum excellentius dari potest. Hanc doctrinam sæpè tradunt S. Patres, signanter autem B. Augustinus, quæ egregia est, & fiet manifesta, si annotemus illos duos modos vincendi inimicos, quos sapiens Herennius explicauit. Erant Romani, hostes acerrimi Samnitum: quos potenti exercitu expugnandos assumpserunt. Samnites autem se illis opposuerunt, quos in quadam valle angusta, quasi in cauea, ita concluserūt, vt de eis facere possent quod vellent. Hærentes autem animo Samnites, quid agere esset opportunius, miserunt legatos ad sapientissimum quēdam senem, Herennium nomine, qui in eorum ciuitate, prudentissimi nomen sibi cōparauerat. Qui respondit: Dimittendum populum Romanum in pace. Mirati Samnites de huiusmodi responso, suspicantes, minus bene legatos intellexisse sapientis senis responsum, iterum illos ad eundem remiserunt, quid agendum esset, quæren-

Epi 54. ad Maced.

Ad Ro. 2. 4

Pineda lib. 6. Monar. cap. 8.

rentes. Ille respondit: Occidendum Romanorum exercitum, vt nullus superstes remaneret. Maiori tunc admiratione tenti, tertio legatos remiserunt ad eum, quærentes, vt quæ dixerat explicaret: contraria enim videbantur. Ille tunc exposuit eis duos esse modos vincendi inimicos, inferendo mortem, & concedendo vitam: si inimicos occiditis, vincitis quidem, similiter si eos in pace dimissos, vita donatis. Perfectior autem modus vincēdi, hic est: si enim eos occiditis, quos tenetis conclusos, non multum honoris conquiritis, & fieri poterit, quod eorum cognati, iusto dolore commoti, nouo vos bello perdant. Si autem eos in pace dimittitis liberos, inimicos vincetis, quia nullus ex his remanebit inimicus: videntes enim se tali beneficio affectos, iam non erunt inimici, quin potius vobis vitam debere agnoscentes, illos omnes perpetuò vestro habebitis obsequio subiectos. Hicque modus perfectissimus est vincendi, per quem nullus superstes inimicus relinquitur, & tot vobis comparatis seruos, quot antea infensissimos hostes fueratis experti. Propterea hunc vincendi modum, primum, ac præcipuum vobis insinuare volens, primò dixit, vt Romanos in pace liberos dimitteretis; quem si sequi non vultis, secundum tenete, occidendo Romanos, quem minus honorificum, & periculis plenum vobis expono. Hunc elegerunt Samnites: & nolentes sapientis senis consilium sequi, quæ prædixerat pericula, & mala incurrerunt: nam occidentes omnes Romani exercitus milites, alio maiori, validiorique Romanorum exercitu oppressi statim fuerunt, qui maiori ira concitati propter necem suorum militum, illos miseræ perditioni tradiderunt. Quæ sapiens ille senex proposuit, certa sunt, quæ, & Christus Dominus in Patre suo conspicienda nobis, & imitanda proponit.

¶ 267.

Duos enim modos habet ille vincēdi inimicos: vnus est, cum odiens operantes iniquitatem, eos perdit, & destruit, quomodo a, *Saulem propter iniquitates suas interfecit*, & Her primogenitum Iudæ b, *occidit, quia fuit nequam in conspectu Domini*, & Onam illius fratrem c, *percussit, quod rem detestabilem faceret*: quo etiam modo vniuersum ferè hominum genus de terra deleuit, *quia corrupta erat omnis caro*, & Sodomitas incendio absumpsit: *quia peßimi erant, & peccatores coram Domino nimis*, & Pharaonem, & *exercitū eius proiecit in mare*. Alius est, cum diligens inimicos, eis parcit, benefacit, & eximijs donis prosequitur; quomodo vicit Paulum blasphemantem, Petrum negantem, Dauidem adulterantem. Et quamuis in Deo, secundum se omnia sint æque perfecta, nostro tamen modo concipiendi hic perfectior modus vincendi iudicatur: nec mirum nam ipsemet Christus Dominus, ratione huius, patrem cœlestem perfectum exhibet, vt dictum est. Quis enim perfectior modus vincendi, quam exciso, & expedito inimico, fidelissimum seruum reportare? Ita, vt diximus, victus est Paulus; nam consumptus est inimicus, & substitutus est fidelissimus, obsequentissimusq. seruus; prostratus est sæuissimus persecutor, inquit Augustinus, & erectus est fidelissimus prædicator, tam subiectus, vt perpetuis lacrymis, quā tenuerat inimicitiam deploraret. Qui persequebatur, inquit Augustinus, mortuus est: quære persecutorem, & non inuenies iam, vt surgente Paulo, possis dicere: Inimicus perijt, abijt, non est hic, sed fidelissimus seruus. Et verè credo, ex illa Sponsi verba, quæ omnium ore circunferuntur explicari posse: *Fortis est, vt mors dilectio*. Quia Hebræi comparatiuo carent, sæpè loco illius positiuo vtuntur: id, quod his verbis fieri quidam credunt, intelligentes dicere voluisse: Fortis est quam mors, id est, magis quam mors dilectio; aut fortior est morte dilectio: quam sententiam multi sancti Patres tenent, quam demonstrant ex eo, quod vbi feruet amor mors ipsa cōtemnitur, & succumbit: quod Theodoretus in Paulo demonstrat, qui dilectione Christi succensus, ipsammet mortem in certamē vocat; dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, neq; mors neque vita*, &c. Hoc ipsum B. Ambrosius ex puellis teneris ostendit, quæ a-

a 1. *Par.* 10. 14.
b *Gen.* 38. 7
c *Gen.* 38. 10.
Gen. 6. 11.
Gen. 13. 13
Exod. 15. 4
In Psal. 50
Lib. 50. *homil.* 6.
Cant. 8. 6.
In cap. 8. *Cant.*
Rom. 8. 35.
Epist. 7.

more Christi succensæ, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinarunt. Sanctus Gregorius Nazianzenus confirmat, ex historia illa, seu fabula, qua Poetæ fingunt, Orestem Agamemnonis filium, & Pyladem, tanto se inuicem amore complexos, vt mortuo Pylade, Orestes vnà cum eo ad infernum descendere voluerit. Verè tamen duos modos vincendi inimicos, cœlestis Sponsus expressit: vnus est per mortem, alter per dilectionem Fortis est mors, quam cũ Deus infert inimico, illum vincit; sed fortior dilectio, per quam validius, & perfectius eum interimit, & nobiliorem de illo triumphum reportat. Cùm enim inimicum vincit per mortem, interficit quidem hominem; sed manet inimicus in perpetuum: quomodo interfecto Saule, Cain, Pharaone, & alijs huiusmodi, manserunt, & in perpetuum permanebunt rabida ira cõtra Deum excandescentes, & *blasphemantes nomen, sanctum eius.* Cum autem inimicum vincit per dilectionem, inimicum interficit, & extinguit, & hominem seruat perpetua sibi seruitute subiectum, vt videre est in Petro, Paulo, cæterisque quibus pepercit, & egregijs beneficentiæ donis auxit. Deinde, qui vincit per mortem, corpus quidem superat, & ad pedes suos iactatum prosternit: animum autem, & cor, nequaquam sibi subdit. Qui autem vincit per dilectionem, & beneficia, amicum, & cor sibi subiectum facit, ideoque tanto præstantius est vincere per dilectionem, quanto animus ipse præstat corpore. Hoc adeò est, vt qui inimicum solummodo vincunt per mortem corporis, sæpè potius victos, quam victores se æstimauerint: vincentes enim corpore vincuntur corde. Vnde, & Dacianus, cum Vincentium inuictissimum martyrem interfecit, clamabat: Victi sumus; quam rem egregiè Diuus Augustinus annotauit.

Apoc. 16, 9 11, 21.

Ser. 12. de sanctis.

Meritò ergo propter hunc modum vincendi inimicos, Christus Patrem cœlestem vocauit perfectum.

§. 7. *Excellenter Christus hunc vincendi modum comprobat & ostendet, cum tradet regnum Deo, & Patri.*

¶ 268. QVam sit vincendi modus perfectior præstantiorque, explicuit Apostolus, de ipso Christo agens, illa verba dicens, quæ peculiaribus tractatibus, & homilijs sancti Patres prosecuti sunt, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, & alij. *Deinde* inquit, *finis, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cum euacuabit omnem principatum, & & potestatem, & virtutem: oportet autẽ illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Hic mihi diligenter animum intendatis volo, inquit Chrysostomus, ne quid horũ vos præterlabatur: cum inimicis vobis res est. Quid est quod dicit: Vbi tradiderit regnum Deo, & Patri? si enim regnum tradit, iam deinceps illud non habebit: nam si quod habet, tradit alteri, cessat habere deinceps ipse, Neq; hoc solum incommodum sequitur, sed nec qui accipit, priusquam acciperet, quod accipit tenebat. Nec pater ergo prius rex erat, cui tunc tradetur regnum, nec filius postea remanebit Rex, qui regnum suum alteri tradidit. Hæc autem constare non possunt: nam de patre dixit ipsemet Christus: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: de ipso verò Christo dixit Daniel, quod *regnum eius, regnum perpetuum, & non interiturum.* Deinde, quid est quod dicit, euacuandum omnem principatum, & potestatem? Quodnam imperium abolendum esse dicit? Angelorumne? absit. Fideliumne; neque hoc. Quod igitur? sed egregium diuinumque mysterium Paulus explicare voluit, qui supponit, oportere Christum sibi subijcere omnes inimicos suos. Nec enim tantum regem decebat, quod aliquis remaneret eius inimicus, quem non vinceret, & sibi redderet subiectum. Inimicorum autem nomine, omnes homines intelligit *a*: *omnes* enim *peccauerunt*, & *b*, *sunt natura filij iræ* & *c*, *inimici*. Quoniam.

1. Cor. 15. 24.

Hom. 39. in Epist. 1. ad Cor.

Ioan. 5. 17

Dan. 7. 14.

a *Rom. 1. 30*
b *Rom. 5. 8. 10.*
c *Ephe. 2. 3*

niam autem multi adhuc ſuper ſunt inimici, qui nondum ei ſubiecti fuerunt, quales ſunt omnes infideles, & multi fideles peccatores, finis mundi detinetur. Cùm autem omnes inimicos ſubiecerit, *Tunc*, inquit, *erit finis*. In mundi itaque fine, omnes ipſi exiſtent ſubiecti: tunc que euacuabit omnem principatum, & poteſtatem. De eis intelligit, inquit Chryſoſtomus, de quibus alibi loquens dixerat:

Eph.6.12. *Non eſt lucta vobis aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum huius ſeculi*: non enim nunc ſunt aboliti prorſus, qui multa bella contra Chriſtum excitant, & contra eum operantur: tũc autem ceſſabunt. Vide quomodo omnes victos ſubiectoſque tenebit, qui de omnibus aget, & diſponet: quoſdam mittet in lacum æternæ mortis, alios ſecum ducet in vitam æternam. Tunc tradet regnum Deo, & Patri: nam cælum ingrediens Chriſtus cum Sanctis ſuis, illos exhibebit Patri, tanquam triumphi ſui trophæum exhibens, quos propterea regnum vocat, quia in illis regnat, quos gloriæ ſuæ regnum fecit. Videturque Paulus dicens, Tradet regnum Deo, alludere voluiſſe ad illa verba Eſaiæ: *Et eis corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*. Beatus Auguſtinus Chriſti triumphum celebrari credit ijs verbis, quibus manifeſtè Propheta Eccleſiam ſanctam alloquitur, quod præcipuè de ea intelligi poteſt, quando prolata in bonos, & malos ſententia, Chriſtus regredietur in cœlum cum iuſtis. Hanc iuſtorum cõgregationem vocat regnum eius: *Tũc*, inquit, *eris corona gloriæ in manu Domini*. Loquitur metaphora ſumpta à regibus, quibus ſolent coronæ ex auro, & lapidibus pretioſis fieri, quæ etſi capiti imponi conſueuerint, eas tamen in manibus aliquando tenent, ad earum pulchritudinem contemplandam. Vel alludit ad coronas, quæ ex floribus fiunt, quas manu tenent, earum ſpecioſitatem conſiderantes. Aut verò Paulus hæc Prophetæ verba conſiderans, alludere viſus eſt ad illos celebres Imperatorum triumphos: trium-

¶ 269.

Eſai.62.3.

Libr. 1. de vnitat. Eccl.c.7.

Forerius.

phatores namque poſt ſubiectos inimicos, & victoriam partam, quoſdam relinquentes in campo morti traditos, auibus deuorandos, quoſdam ſecum vinctos ferẽtes, ad ciuitatem, qua egreſſi fuerant reuertebantur, quibus corona victoriæ imponebatur, qua glorioſi, & ornatiſsimi reddebantur. Recta autem via incedentes, ibant ad templum deorum, Iouis, vel Martis, vel Mercurij, vel alterius, cuius opem peculiariter implorauerant, ſeque eis ſiſtebant, coronam manu tenẽtes, quaſi illam eis offerentes, tribuentes eiſdem totius victoriæ gloriam, quam illorum auxilio ſe conſecutos hoc ipſo profitebantur. Simili modo Paulus videtur Chriſtum conſiderare, quod in die iudicij, lata in iuſtos, & impios ſentẽtia, omnium illorum victoriam, iam erit conſecutus, tuncque impios relinquẽs morti perpetuæ traditos, infernalibus auibus depaſcendos, iuſtos ſecum feret vinctos, & captiuos, non captiuitate affligente, ſed ſuauiſsima, & glorioſa, qualis illa fuit, quam Dauid conſiderabat in Sanctis, quos aſcendens in cœlum ſecum duxit, de quibus cecinit: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem*: quam nunc amplius explicare non vacat. Et illi quidem triumphatores, coronam ſibi imponebant, non confectam ex captiuis, quos ferebant vinctos, ſed ex auro, lapidibus pretioſis, lauro, myrrho, amarantho, vel ex alia ſimili materia. Chriſtus autem, coronam non niſi ex eiſdem, quos victos ſecum feret, ſibi contexet, ex Patriarchis ſcilicet, Prophetis, Apoſtolis, martyribus, Doctoribus, virginibus, pœnitentibus. Nunquam Rex aut Monarcha coronam tam ſplendidis, & pretioſis lapidibus radiantem habuit, qualis hæc Chriſti corona erit, in qua tot erunt pretioſiſsimi ſplẽdidiſsimique lapides, quot Sancti, quos ſua virtute ſaluos fecit. Perueniens autem ad templum gloriæ, ibi æterno Patri ſe ſiſtens, quaſi coronam in manu habebit, quam illi offeret, tanquam totius illius victoriæ, & triũphi author: eo modo, quo Diuus Chryſoſtomus conſiderat, feciſſe in die aſcenſionis, quando humanitatem ſuam,

Mos triũphantium.

Pſ. 67. 19.

Ser. de Aſcenſ. to. 3.

¶ 270. ſuam, Sanctorum agminibus ſociatam, æterno patri obtulit. Chriſtus (inquit Chryſoſtomus) aſcendens in cœlum, naturæ noſtræ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus eſt pater, quod, & tanta dignitate offerebat, & quod offerebatur nulla macula fœdabatur. Nam, & ſuis manibus ſuſcipit oblatum, &c. Expende hyperbolem illam, *Oblatum donum miratus eſt pater*, tale enim illud fuit, vt ſi admiratio in eum cadere poſſet, verè fuiſſet miratus doni, quod offerebat pulchritudinem, ſpecioſitatem, & gloriam. Id ergo non minori ratione in die iudicij eueniet, quando Chriſtus ſociatus innumera Sanctorum multitudine, cœlum aſcendet, ſeque cum eis, patri æterno ſiſtet, illos eidem offerens, oſtendès, & dicens: Ecce redemptionis meę fructum, ecce quod proceſſit ex dilectione, qua diligens mundum, me dediſti, & miſiſti: ecce Petrum, qui offendit negando, quem clementer reſpexi: ecce Paulum, qui offendit perſequendo, quem miſericorditer ſuſtinui, & vocaui: ecce Magdalenam, quæ inimici partes agebat, quam diligendo, mei dilectricem feci: ecce omnes iſtos, qui inimici erant, ſed exhibens dilectionis, & beneficentiæ opera, conſumptis inimicis, ſeruati ſunt homines, qui ſe fideles ſeruos exhibuerunt. Hocque eſt, quod huic Sanctorum congregationi dicit Propheta: *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Nomen *gloriæ*, in Hebræo eſt *Thipheretb*, quod ſignificat decorem, pulchritudinem, ſpecioſitatem; quomodo dicuntur: *Diuitiæ gloriæ regni Aſſueri*, illæ, in quibus, & per quas gloriabatur. Eris corona gloriæ, per quam ſibi gloriam, ſplendorem, honorem, decus trophæum, & triumphum acquiret. Hoc eſt ergo, quod dicit Paulus, quod tunc tradet regnum Deo, & Patri. Quod de ipſo, ratione humanæ naturæ, ſecundum quam eſt inferior patre, expreſsè omnes S. Patres intelligunt. Tunc itaque Chriſtum iam omnes inimicos habebit ſubiectos. Si enim impios conſpiciens, interroges. Qui ſunt ij? Reſpondebo, hos fuiſſe Chriſti inimicos, quos iam vicit, & ſuperauit, æternæ morti ac perditioni tradens, quos iuſta vindicta puniuit: ſi autem ad iuſtos cóuerſus, ſimiliter interroges, ſicut apud Ioannem: *Qui ſunt hi?* Reſpondebo, hos fuiſſe quondam inimicos Chriſti, quos tamen ille vicit, diligens eos, parcens eis, & remittens offenſas, ac egregijs beneficijs donans, & vt Iſaias dixit, quos *Angelus faciei ſaluauit in dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos*, aut, vt Septuaginta legunt, quos ipſe Dominus ſaluauit, eò quod diligeret eos, & parceret eis, ipſe redemit eos. Glorioſus certè triumphator, cui iam prædixit Dauid, quod *dominaretur in medio inimicorum ſuorum*: quaſi enim in medio conſtitutus, his dominatur diligendo, illis, puniendo. Sed qua ex parte glorioſior triũphus? Sine dubio ex ea, qua vicit, inimicos diligendo, per quam inimicos quidem abſtulit, ſed ex eiſdem fideliſſimos eduxit ſeruos, ex quibus glorioſum illud regnum conſtruitur, de quo canit Eccleſia: *O quam glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto regnant omnes Sancti, amicti ſtolis albis, & ſequuntur agnum quocunque ierit.* Per hunc vincendi modum habet Deus regnum glorioſum, & illuſtre, in quo perpetuò regnabit, illudque completum erit: *Regnabit in domo Iacob in æternam, & regni eius non erit finis.* Per hunc habet ſeruos fideles, qui perpetuis laudibus miſericordiam celebrent, dicentes: *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, &c.* &, *redemiſti nos Domine in ſanguine tuo, ex omni tribu, &c.* &, *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, &c.* Per alterum quidem modum, iuſta vltione inimicos delecit, ſed per quam relicti ſunt perpetui blaſphematores diuinæ gratiæ, gloriæ, & redemptionis: ille igitur perfectus vincendi modus. Victor quidem euaſit Chriſtus Iudæ proditoris, eum perpetuæ damnationi tradens, victor itidem Pauli, dilectione ſumma, & beneficijs proſequens, remittens eius offenſas. Quænam victoria celebrior? imò verò quænam illuſtrior hac eſſe poteſt, in qua inimicum tollens, & abſumens, ſeruauit hominem, quem tam fidelem obſequentem, & frugiferum

¶ 271. Apoc. 7. 13. Eſai. 63. 9. Pſal. 109. 2. ¶ 271. Luc. 1. 32. Ap. 5. 9. 12. Apoc 7. 12. Eſth. 1. 4.

ſer-

seruum accepit, qui dicere potuit, *Abundantius omnibus laboraui*, qui maiori fortitudine, & solicita cura mortem pro illo sustinuit, quam fuerit rabies, aut diligentia, qua illum fuerat persecutus? Quæ illustrior victoria, illa quam de Petro anathematizante repor tauit, non fulgur de cœlo in eum vibrans, sed oculorum suorum radium splendidissimum emittens, & eius offensam remittens, quem tam fidelem postea seruum, & amicum tenuit, vt totam Ecclesiam suam super illo fundare, totumque suum honorem liberè eidem committere potuerit? Hoc modo Christus sæpè inimicos suos superauit auferendo, absumēdo, & delendo, quod inimicum erat, & relinquendo personas, quæ sibi obsequia gratissima præstitissent. Hunc modum tanquam perfectissimum Diuus Augustinus demonstrat, ex quo illud explicat, quod de gentibus inimicis per Prophetam semel, & iterum dixerat; *vltus sum in eis*. Quid hoc est? Vindicaui me de ipsis. Quomodo? occidendo in eis errorem, suscitando fidem: quicquid enim erat mali, & aduersi, deletum est, seperauit pretiosum à vili, & consumpsit vile, quo ipse non indigebat, eratque sibi inimicum, & pretiosum ad suæ gloriæ, & maiestatis augmentum seruauit. Sapientiores duces tanto honorificentiorem victoriam consequutos gloriantur, quantò inimicis consumptis, maiora spolia ex illis reportant, vt nihil pretiosum manus eorum effugerit, quantoque omnia, quæ apud inimicos erant æstimatione digna, sibi subdita, ad sui gloriam, & triumphū faciunt, & conuertunt. Ita, inquit Augustinus te facere oportet, verum inimicum tibi aduersum odio habe, absumere contende, peccatum scilicet, & iniquitatem offendentis te, seruata in tui vsum, & gloriam persona. *Si separaueris*, inquit, *pretiosam à vili, tãquam os meum eris*. Hæc perfectio Patris cœlestis: huius similitudinem à te exposcit Christus. Huiusmodi vincendi, & vlciscendi gloriam, etiam Gentiles intellexerunt. Cùm enim quidam detraheret ore rabido Regi Alexandro, & excitaretur Rex à suis, vt vltionem de illo sumeret, inferretque mortem, Alexander eum magnis beneficijs cumulauit; quo factum est, vt detractor in prædicatorem Alexandri mutatus fuerit, fidelissimumque ei seruum se exhibuerit. Tunc hæc, inquit Alexander, mea potentia, vt in mea volũtate situm sit, amicos facere ex inimicis, & resecata, & absumpta inimicitia, nouũ in mei obsequium seruum suscitare.

1. Cor. 15. 10.

Lib. 50. ho. ho. 6. & 35 & in Psal. 50. in illud. Ecce veritatem dilexisti. Ps. 117. 10 12.

Lib. 50. ho. hom. 6.

Iere. 15. 19

§. 8. *Perfectum modum vincendi inimicos tenuit Dauid, per dilectionem, de qua dictum est: cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.*

¶ 272. EX dictis liquidò patet, modum perfectiorem, potentiorem, ac gloriosiorem vincendi inimicum, esse quem Pater cœlestis tenet, ratione cuius, hoc loco inducitur à Christo perfectus, cùm scilicet ita agitur, vt vicio, & abolito inimico, seruetur homo, vincentis obsequio obligatus, & traditus. Hunc, vt teneamus, his verbis excitat Christus, nos ad perfectionem cœlestis Patris imitandam exhortans. Cùm vas aureum impuritate, & scoria oculos tuos offendit, facilè potes offensionem, tollere, confringēdo illud, aut in profũdum puteum fluminis, vel maris, vbi non amplius compareat, mittēdo; hoc tamen imprudentissimum est, & damnosum: Illum propterea modum tenemus, quo scoriam, & impuritatem præcisam, & solam absumentes, vas reddamus splendidum, & nostris vsibus vtilissimum seruemus. Hoc autem nulla virtute validius efficaciusque præstari potest, nisi igne, qui consumpta scoria, aurum seruat. Est inimicus vas aureum, quia homo est ad imaginem Dei conditus, scoria tamen, & impuritate inimicitiæ, & peccati polutum. Facilè fortè esset tibi illum pessumdare, odio, & maledictis, & vltione prosequi, quo illum in sepulturam mittas; hoc tamen impotentiæ, & damni opus est, vt supra probauimus. Ille excellentissimus modus est, si solam scoriam, & immunditiam inimicitiæ,

&

& peccati tollas, & consumas, persona tuis iam vsibus vtilissima seruata. Et quomodo id fiet? Virtute ignis, id est, charitatis amoris, & beneficentiæ; neque enim tam validè, ac potenter, ignis scoriam, quæ auro adhærebat absumit, sicut beneficentiæ opera, inimicitiam, odium, & peccatum, quod inimici cordi adhæret. Id quod tam Sapiens, quam Paulus dicere voluerunt, illa famigeratissima sententia: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*: quem locum grandi diligentia admonet obseruãdũ Beatus Augustinus, & explicandum iuxta eum sensum, quem Spiritus Sanctus viris Sãctis reuelauit. Solet enim, inquit, hoc præceptum nonnulli, quasi ad satiandum furorem assumere. Dicunt namque apud se: Ecce cibo inimicum meum, vt ardeat in æternum. Auertat Dominus huiusmodi intelligentiam ab animis nostris. Qualiter ergo accipi debat locus iste, Sancti, & antiqui patres, reuelante Spiritu sancto, diffinierunt. Caput enim in homine, sensus rationalis intelligitur, qui sensus, cum à feruore charitatis recedens factus fuerit frigidus (vnde scriptum est, *quia abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*) necesse est, vt quod obest, saluti cõtrarium sapiat, vt cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines Sanctos, & charitatis igne succensos hortatur Spiritus sanctus, dicens: *Carbones ignis congeres super caput eius*. Cum enim inimico tuo, pio animo frequentius beneficeris, quantumlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus, tamen tãdem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere incipit, quod admisit: nam cum pœnitentiam cœperit agere, sensus rationalis, hoc est, caput ipsius, incipit charitatis igne succendi, & qui prius quasi frigidus, & phreneticus cõtra te consueuerat iracundiam tenere, spirituali calore de tua charitate succensus, incipit toto corde diligere. Ecce quomodo Sãcti Patres, hunc locum esse intelligendum dixerunt. Ita Augustinus, quod & similiter annotauit Origenes, qui postquam sensum tradidit à nobis alibi expositum, subdit, aliquid dignius continere huius mandati intellectum: isti enim carbones, qui congregantur super caput inimici, in adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri, vt amens, ferus, & barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem, compunctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat: & ex hoc ignis quidam in eo succendatur, qui eum pro commisso conscientiæ torqueat, & adurat: isti erunt carbones ignis, qui supra caput eius ex nostro pietatis opere congerantur. Rem hanc efficacissimè, & eloquentissimè Beatus Chrysostomus demonstrat, & explicat ex illo famigeratissimo, sæpiusque repetito Danidis facto, qui cum posset Saulem inimicum suum occidere, & vt id faceret maximè vrgebatur à suis militibus, noluit, nisi illius vitam seruare. Quod, & ipsi Sauli notum fecit, illas amoris, obseruantiæ, & benignitatis voces post illum emittens, ostendens ei partem chlamydis, quam absciderat: *Domine mi Rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te? Ecce viderunt oculi tui hodie, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, &c. & peperci tibi. Pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quam cum præsiderem, noluiextindere manum meam in te: vide quod non est in manu mea malum, &c.* Singula verba Diuus Chrysostomus considerauit. Illum, quem inimicum Dauid experiebatur, infensissimumque hostem, cuius regnum in seipsum translatum à Deo nouerat, & quod illi dictum fuerat à Samuele, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*, vocat Dominus, & Regem suum. Deinde, suprema inclinatione se coram eo demisit, eũdem adorans, quem à dæmone possessum sciebat. Insuper causam mali in alios transfert. Præterea, euidenter oculis illius præsentat, se vitam illius seruasse. Patrem illum vocat, & tandem

Prou. 25. & ad Rom. 12. 20. *Serm. 168. de temp.* *Marc. 24. 12.* *Lib 9. in c. 11. epist. ad Rom. 10. 3.* ¶ 273. *Hom. 3. de Dauide. & Saule, tom. 1.* *1. Reg. 24. 9* *Hom. 2. de Saule, & Dauide.* *1. Reg. 15. 28.*

dem se, non solum non odio contra illum, sed ardenti amore exhibet inflãmatum. Quid inde factum est? *Cùm autem complesset Dauid loquens, sermones huiusce modi ad Saul, dixit Saul; Nunquid hæc vox tua est fili mi Dauid? & leuauit Saul vocem suam, & flenit: dixitque ad Dauid: Iustior es tu quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala, &c. nunc, quia scio quod certissimè regnaturus sis, &c. iura mihi in Domino, ne deleas semẽ meum post me, neque auferas nomen meum de domo Patris mei, &c.* Singula itidem verba Diuus Chrysostomus expendit: Ostendit, inquit, quod verba Dauid mollia tetigerunt cor Saulis, & ex hoste fecerunt amicum, & Patrẽ, cùm dixit; *vox ista tua fili mi Dauid?* Antea nec proprio nomine eum censuerat dignum, vocans filium Iesse, nunc proprio nomine appellat, & iam adoptat in filium: mansuetudo Dauidis ex homicida facit Patrem, ex lupo ouem; ad vocem vnam Dauidis, cor Saulis incaluit, & abiecit inimicitias: non ad longos illius sermones, sed ad vnam vocem, tot consecuta sunt bona in obstinato corde Regis. Nec sustinuit Saul vocem ipsius Dauid audire sine lacrymis, sed plorauit amarè, animæ sanitatem, quam Dauid illi contulerat, lacrymis declarans: huius modestia, & tolerãtia hostem è furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis sitientem, repente ad lamenta compulit: *quia leuauit Saul vocem suam, & flenit.* Non perinde miror Moysen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum: siquidem ille vicit naturam, & hic vicit animi decretum: ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, non vt contriſtaret, sed vt mansuetum redderet, &c. Et Saul tandem, quem reputarat hostem, relinquit filijs tutorem, domus suæ seruatorem, suasque proles in illius deponit manus, &c. Hæc, & alia Chrysostomus, quæ similiter fiunt manifesta ex alio simili facto Dauidis, quã do Saulem dormientem videns, noluit occidere, sed scyphum aquæ, & hastam tulit, quæ postea ostendens ipsi Sauli, illius cor emolliuit, quem audiuit loquentem ad se, & dicentem: *Peccaui: reuertere fili mi Dauid, nequaquã enim tibi vltra malefaciam, &c.* Quod non potuit facere Samuel, quando apertè peccatum, quod Saul commiserat contra Deum, reprehendit, vt scilicet illud confiteretur, nunc Dauid solo beneficentiæ opere perficit, & cogit eum clamare: *Peccaui.* Hanc eandẽ doctrinam ex illo confirmat Chrysostomus, quod in eodem capite, quo Sapiens de carbonibus congerendis consilium dedit, dixit: *Lingua mollis confringet duritiam;* sententia satis similis ei, quam præmiserat; *Sermo mollis frangit iram:* circa quam, egregiam Philosophiam obseruare videtur Chrysostomus: Secundum quidem naturæ cursum, non potest quod durum est à re molli confringi, aut conteri, sed potius è diuerso: nec enim ferrum ligno frangis, sed è contra. Nulla res durior est ira, nec validior, aut impetuosior, vt supra probatum est, demonstratque Diuus Gregorius ex illo: *Spiritum facilem ad irascendum, quis sustinere potest?* Quem locum, ita ille legit: Quis poterit habitare cum homine cuius spiritus facilis est ad irascendum? Cui, & alia similia annectit. Quod etiam confirmari potest ex illo: *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati quis ferre poterit?* Nulla autem res est mollior benignitate, & suauitate verborum: nihilominus, non confringit durities illius, mollitiem huius, sed potius è diuerso? nihil enim, inquit Chrysostomus potentius ipsa benignitate, humanitate, & charitate suauia verba eructante, quæ propterea igni comparatur, qui inter omnia elementa, violentius, potentius, fortius, accitius agit. Et ex ijs forte, non incongruè explicare poterimus, illud Prophetæ Habacuc: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors.* Iuxta multorum sententiam, ad memoriam reuocat legem, quam Deus antiquitus dedit

Lib. 3. de Saule, & Dauide.

1. Reg. 62.

¶ 274.

Prou. 25. 15.

Prou. 15. 1.

5. Moral. c. 31.

Prou. 18. 14.

Prou. 27. 3.

Habac. 3.

in monte: illud enim futurum, *Erit*, pro præterito accipi poteſt, iuxta Prophetarum phraſim: imò, & iuxta eundem Habacuc, qui paulo ante verba præteriti, cum verbis futuri temporis confundit, dicens: *Deus ab auſtro veniet, operuit cœlos gloria eius.* Qua loquendi forma indicant Prophetæ, ſe ita de rebus præteritis agere; vt alias futuras præcipuè conſiderent. Conſiderat ergo Propheta Deum, quando venit dare legem in monte Sina, qui ſplendore ingenti micabat, cuius ſplendor vt lux erat, id eſt, erat lucidus, clariſſimus. In Hebræo vox eſt, quæ ſignificat fontem lucis, quaſi dicens: venit Deus ſplendidus, tanquam lucis fons, & origo, qui cætera reddebat lucida, ſicut eſt Sol. Hinc eſt, quod tabulæ legis, quas in manibus habebat, erant etiam fulgidæ, & ſplendentes. *In manu eius*, inquit Moyſes, *ignea lex.* Vocat legem igneam, quia tabulæ ſplendorem talem à Deo acceperunt, vt ſplendoris, & flammarum radios emitterent. Quoniam autem flammæ, & ſplendores ignis, feruntur ad modum pyramidum retortarum, quæ figuram habent cornu, quod dixerat Moyſes, *In manu eius ignea lex*, dicit Propheta: *Cornua in manibus eius*, id eſt, ſplendentes flammæ, quas ex fonte lucis, tabulæ illæ legis participabant; quem ſplendorem, etiam ab eodem fonte participans Moyſes, dicitur, quod *facies eius facta eſt cornuta*, aut ſecundum aliam literam, vt Diuus Thomas annotauit, ſplẽdida. Flammæ ergo, aut ſplendores ignis erant in manibus Dei dantis legem, quibus ſplendebant tabulæ legis. *Ibi*, inquit, *abſcondita eſt fortitudo eius.* Lex illa, quæ decem præcepta Decalogi continebat, tota ordinata erat ad dilectionem Dei, & proximi, vt Apoſtolus ſingula præcepta proſequens, demonſtrat, concludens: *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* In hac eſt abſcondita fortitudo eius. Nihil videtur fragilius, mollius, aut facilius ad vincendum, quam dilectio, benignitas, remiſſio offenſæ, patientia in perſecutionibus: qui hanc tenet, iudicatur à mundo infirmus, debilis, & totius fortitudinis, & actiuitatis expers; nec mirũ; mundus enim non repellit vim, niſi per vim; neque malum, niſi per maius malum, nec exercitum fortem, niſi per fortiorem: at fortitudo Dei ibi abſcõdita eſt. Hæc ſiquidem propria eſt fortitudo Dei, per quam ſe omnipotentẽ demonſtrat, & vicit mundum, orbemque ſibi ſubiecit: Certum eſt, Chriſtũ viciſſe mundum, & quod ipſe eſt lapis paruus, quem vidit Nabuchodonoſor, qui ſtatuam illam ingentem deiecit, & *creuit in montem maximum, qui repleuit terram.* Enimuerò omnes Principes, & poteſtates ſibi ſubiecit, & imperia ſubdidit, & regna ad ſui adorationem traxit. Qua fortitudine? Nunquid congregauit exercitum Angelorum, qui id in mundo facerent, quod vnus eorum fecit in exercitu Senacherib? Nunquid congregauit milites ingentes ſub Iulio Cæſare, aut Pompeio? Nunquid gladios, aut haſtas, aut falcatos currus prouidit? Minimè gentiũ: ſed ſuperauit orbem per dilectionis opera, & patientiam, moriens pro illis, qui illum offendebant, rogans pro ijs, à quibus blaſphemabatur, & patiebatur: mittens Apoſtolos, nullis alijs bellicis inſtrumentis armatos, niſi patientia, & manſuetudine, quibus dixit: *Ecce ego mitto vos ſicut oues inter lupos.* Hæc illius fortitudo, per hanc totum ſibi orbem ſubiecit, illudque adimpleuit, quod dixit: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Illo nomine, *omnia*, omnium hominũ genera intellexit. Erant omnes homines eius inimici, voluit illos ſubijcere ſibi, & quod depoſita inimicitia, eius ſe obſequentiſſimos ſeruos exhiberent, & ad eum tanquam ad totius boni fontem currerent. Quomodo hoc fecit? Moriendo, ſuſtinendo verbera, flagella, clauos, crucem, &c. Videbatur quidem ipſe victus ab hominibus, ſed ibi abſcondita fuit fortitudo eius, qua de omnibus triumphauit. Et forſitan ex his explicari poteſt illud, quod dixit Angelus: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris ſui*: ſicut enim Dauid vnctus eſt primò in Regem, abſque aliquo præcedente opere, ſedem deinde Regni obtinuit per miſericordiam, & benignitatem, quam

¶ 275.

habuit

Deut.33.2.

Exo.34.29

In c.3.ep.2 ad Corint. lect.2.

Matt.10.3

Ioã.12.32.

ad Rom. 13.10.

habuit erga inimicos, de quo dixit
1. *Marc.* 2. 58. Sanctus ille Matathias: *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem Regni in secula*: Ita Christus, in sua conceptione vnctus est in Regem, cui omnes subdi deberent: tamen regnare in vniuersa terra obtinuit per misericordiam, qua in homines egit, moriendo pro eis, & suum sanguinem pro eisdem fundendo. Hæc igitur illius fortitudo. Hæc potentissima est ad dissipandum, & delendum odium. *Ante faciem eius ibit*, euanescet, aut dissipabitur *mors*. Mortis nomine, odium intelligitur; iam enim dixit Ioannes:
1. *Ioã.* 2. 11 *Qui odit fratrem suum, homicida est:*
1. *Ioã.* 3. 14 & iterum; *Qui non diligit, manet in morte*. Nihil potentius est ad dissipandum odium, quod est in corde inimici, quam dilectio; nihil validius ad eius effrenem iram refrenandam, & furorem comprimendum, & inimicitiam abolendam, quam dilectio. In hoc igne abscondita est fortitudo diuina, & suprema. Non vulgaris laus est, qua cœlestis Sponsus, Sponsæ suæ labia commendauit: *Sicut vitta coccinea*
Cant. 4. 3. *labia tua Sponsa, & eloquium tuum dulce*. Secunda pars primam explicat. Coccineus color est, quasi igne succensus, quo indicare voluit, labia Sponsæ esse feruentia charitate, & amore; eloquium propterea eius esse dulce, & suaue, ac benignum: inde benè similia dicit vittæ, quæ apta est ad alligandum aliquid. Nullus ita solutas habet manus, pedes, brachia, & linguam, quam iracundus; vt ex Sanctis Patribus probatum est: si vis hæc omnia alligare, sint labia tua coccinea, amoris igne flagrantia, benignitate suauia, ibi enim abscõdita est fortitudo Dei; cùm enim inimicus, qui te maledictis prosequitur, videt te è contrario benedicentem, hoc ipso alligatur, & comprimitur ab ijs, quæ faciebat, & deposita ira, incipit te amare, & diligere.
¶ 276. Huius dilectionis fortitudinem experti sunt viri prudentes, qui benignos, & beneficos se exhibentes erga inimicos, illos sibi subdiderunt. Ita Dauid: *Mansuetudo tua multiplicauit me*. Videbatur dicendum, Mansuetudo mea, sed aptè dixit, *Mansuetudo tua*, hæc enim virtus est in Deo excellentissima, quam quasi rem quandam diuinam Dauid considerauit, quam propterea 2. *Reg.* 22. 36. vocauit mansuetudinem Dei. Hæc illum multiplicauit: nam cum pastor esset ouium, & paruulus inter fratres suos, sedem supremam Regni obtinuit, in mansuetudine, benignitate, & misericordia erga inimicos, quos sibi tandem per beneficia, & dilectionis opera subiecit. Ita induratum, & lapideum illud Saulis cor emolliuit, & sibi subdidit, sicut paulo antea, ex Diuo Chrysostomo obseruatum est: ita, & totam domum Saulis sibi reddidit obsequentem, cùm iam plenè consecuta Regni sede, inquisiuit, si esset aliquis de domo Saul, cùm quo posset facere 2. *Reg.* 9. 1. misericordiam. Ita, & populum rebellantem, ad debitam subiectionem 3. *Reg.* 19. restituit, dulcissimis suauissimisque ver 11. bis alloquens ad sacerdotes, & maiores natu Israel. Quando etiam illi impio Semei, qui in se tam contumelioſa maledicentiæ verba deprompsit, liberaliter pepercit, & cum ad vltionem sumendam eum hortarentur duces, eius propinquis respondit; *Cur efficimini* 2. *Reg.* 19. *mihi hodie in Satan?* Qui propterea 22. seipsum egregiè comparauit *tenerrimo* 2. *Reg.* 23. 8 *ligni vermiculo, qui octingẽtos interfecit impetu vno*. Expende vim horum verborum, quibus insigne mysterium indicare voluit Spiritu Sanctus. Indicauit, quidem, Dauidem præstantissimum fuisse viribus corporis, qui leones, & vrsos, & gigantes facillimè superabat, & vno impetu, ipse solus interfecit octingentos, non tamen hæc fuit præcipua fortitudo Dauidis, qua sedem Regni obtinuit, & omnem populum sibi subdidit, sed benignitas, & mansuetudo. Fuit enim quasi tenerrimus ligni vermiculus. Durum est lignum, & cor eius durissimum, mollis est vermiculus, qui intra lignum commoratur, quem, vel solo contactu potest quiuis comprimere: nihilominus hic tam mollis, & blandus, cor ligni corrodit, & comedit, & facit, vt sibi sit in alimentũ substantiæ, & vitæ. Talis fuit Dauid, fortissimis quidem viribus corporis, sed tanta mansuetudine, & benignitate agens, vt similis esset tenerrimo

ver-

vermiculo, qui ab inimicis se persequentibus multa patiebatur: & sicut vermiculus non se conuertit contra lacerantes, & comprimentes se, ita nec Dauid contra eos, qui eum offendebant. Hac autem mansuetudine, eorum corda corrodit, comedit, & ad sui vtilitatem conuertit. Huiusmodi sunt innumera exempla in Scripturis sacris, & Sanctorum historijs. Est tamen veritas hæc tam explorata, vt vel ipsa sola rationis luce constet, quam propterea confessi sunt ipsi Gentiles, inter quos excellentissimi fuerunt Romani, de quibus probat Beatus Augustinus ad omnes nationes mundi sibi subijciēdas, consueuisse parcere inimicis, & benefacere offendentibus, quorum hoc erat elogium; Ignoscendo, & remittendo, crescere imperia, & dominari nationibus, vt dixit Salustius (quem Diuus Augustinus vocat nobilitatæ veritatis historicum) in Catilinario bello de veteribus Romanorum moribus loquens: ex quo intulit Augustinus, quod Romani accepta iniuria, ignoscere malebant, quam persequi. Id signanter intellexit eorum primus Imperator Iul. Cæsar, quem hoc nomine

Epist. 5. ad Marcell.

1. de Ciuit. c. 5.

1. de Ciuit. c. 4.

sæpè Cicero commendauit, vt ex Beato Augustino supra dictum est: de quo refert Appian. Alexandrin. quod cum Petreius, & Affranius Duces Pōpeij, ab eo missi contra Cæsarem, cum suis exercitibus ad manus Cæsaris veniissent, ille cum posset omnes gladio ferire, noluit, sed liberos in pace dimisit, & vsque ad fluuium Varum benignissimè comitatus est, magnis afficiēs beneficijs: quibus valedicere volens: nostis inquit, quam facile mihi fuerit, vos omnes perdere, nec rem feciissem iniustam, quippe qui veniistis missi à Pompeio, ad me expugnandū: nihilominus ecce vos liberos, amico animo in pace remitto: hanc tantum pro beneficijs gratiam exigens, vt cum ad Pompeium, eiusque gentem perueneritis, renuntietis omnia beneficentiæ opera, quibus vos cumulaui. Atque hæc de sexta parte tractatus, & de inimicorum dilectione.

Lib. 1. c. 11

SEPTI-

SEPTIMA PARS,

DE MODO FACIENDÆ IVSTITIAE.

§. 1. *Iustitiæ nomine, Christus omne opus bonum intelligit, quod tantum prohibet fieri coram hominibus, eo fine, vt ab eis videatur, & laudetur.*

¶ 277. ATtendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Voluit Christus, hoc sermone in monte habito docere discipulos suos, & Christianos Euangelicæ legis professores, debere in duobus excedere antiquos Scribas, & Pharisæos: primò, in iustitia, aut operibus sanctis, secundò, in modo operandi, & faciendi illam. Scribæ, & Pharisæi in duobus erant deficientes, primò, quia breuem, & decurtatam iustitiam tenebant; contenti enim erant opere tantum externo, non occidere, non mœchari, non peierare: diligere amicos, benefacere benefacientibus, resalutare salutantes, communem misericordiam tenere, & communes eleemosynas facere: & hanc breuem decurtatamque iustitiam, malo modo operabantur; tantum enim ex illa humanam gloriam, & laudē quærebant. Christus docet discipulos suos debere eos abundantiori iustitia præstare. *Nisi enim abundauerit*, inquit, *iustitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Ideo non solum interdixit homicidium, sed, & iram; non solum fornicationem, sed, & concupiscentiam vxoris alienæ; non solum periurium, sed, & iuramentum sine necessitate; non tantum diligendos amicos, non solummodo benefaciendum benefacientibus, sed etiam persequentibus nos, &c. Docet insuper suos, altiorem modum operandi iustitiam, ab eis tenendum, per quem non gloriam hominum, nec vanam laudem coram illis quærerent, sed perpetuam coram Deo mercedem sibi compararent. Illud docuerat in superioribus, tradens opera sancta, in quibus Pharisæorum iustitiam excedere debent: hoc nunc docere aggreditur, tradens modum, quem in iustitiæ operatione, tenerentur habere. Ita sancti Patres expendunt hæc verba, præcedentibus continua explicantes, Chrysostomus *a*, Augustinus *b*, Theophilactus *c*, Euthymius *c*, & alij. Vnde non video, cur quidam doctus interpres *d*, credat discontinua superioribus esse, nec eisdem dicta, quibus, & præcedentia. Ex his patere incipit, quid Christus iustitiæ nomine intelligat Græci patres eleemosynam intelligunt, imò, & pro iustitia, eleemosynam legunt Chrysostomus, Theophilactus, & Euthymius, videturque primò conforme phrasi hebraicæ, secundum quam, iustitiæ nomine eleemosyna exprimitur. Ita Dauid *e*: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi*, *f*, ipse de eleemosyna est interpretatus, subdens: *Qui autem administrat semen seminanti, &c. augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, vocat fruges iustitiæ, fructus, qui ex eleemosyna nascuntur. Deinde consonum videtur ad seriem contextus. Statim enim subdidit Christus: *Cum ergo facis eleemosynam*, quasi explicare volens, quod iusti-

a *Hō. 19 in Matt. & 8 ex varijs in Matth. & 13. in imperfect.*
b *Lib. 1. de ser. Domini in mōte.*
c *In cap. 6. Matth.*
d *Maldon. in cap. 6. Matth.*
e *Ps. 111. 9*
f *2. Cor. 9. 10.*

iuſtitiæ nomine intellexerit. Itaut intellexit & Hieronymis. Latini tamen
Li. 2. cont. Pelag to. 2. Patres, communiter omnes legunt, *iuſtitiam*, quo nomine, omne opus bonum, & ſanctum intelligunt, illud ipſum, quod intelligere voluit Chriſtus, cum præmiſerat: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum*: Nec enim de ſola eleemoſyna verba faciebat, in cuius e-
¶ 278. largitione non omninò Phariſæi deficiebant, ſed abſolute de quouis opere bono, & ſancto, quod in Scriptura diuina iuſtitiæ nomine vocatur.
a In cap. 6. Matth. Ita Hilarius *a*, Auguſtin. *b*, Gregorius *c*, & alij; quomodo dixit Ambro
b Lib. 2. de ſerm. Domini in mõte. c. 5 ca 8. Mor. c. 30. et 3 p. paſt. adm 36. ſius, iuſtitiam vniuerſalem eſſe virtutem. Cuius rei duplex eſt cauſa, primam tradit Haymon *d*, dicens: Ideo opera bona vocari iuſtitiam, quia per illa homo iuſtificatur, & ore pleno iuſtus dicitur: quomodo dixit Ioannes *e*:
d Lib. 2. in Lucam. *Qui facit iuſtitiam: iuſtus eſt*, non per ſolam, & nudam fidem. Aliam communius tradunt ſancti Patres, quam explicat D. Thomas: illa eſt, quod per opus
e In cap. 6. Matth. bonum, homo de iuſtitia ſibi debitam facit mercedem. Certum eſt hominis
f Ioan. 3. 7. g 1. 2. q. 114. ad Deum nullam abſolute loquendo iuſtitiam poſſe interuenire: nec enim homo aliquid coram Deo de iuſtitia prætendere poteſt, cui omnia, quæ agit agere poteſt, ſecundum rigorem iuſtitiæ ſunt debita. Inuenitur nihilominus iuſtitia, & meritum, vt Theologi dicunt, ex diuina gratia, & pacto cum homine celebrato, per quod ſtatuit Deus, ſe daturum gloriam ei, qui mandata ſua ſeruauerit, & fecerit, quæ ipſe præcepit. Vnde, & diuinæ leges vocantur *iudicia iuſtitiæ*, quia illis ſtatutis, ſecundum iuſtitiam pocedit iudicium, quod iuxta illas decernitur. Ita, & Chriſtus Dominus vocauit opera bona, & ſancta ex diuina gratia procedentia (hæc enim ſolummodo ſunt meritoria vitæ æternæ) iuſtitiam regni cœlorum. *Primum*, inquit, *quærite*
Mat. 6. 33. *regnum Dei, & iuſtitiam eius*: hoc eſt, quod præcipuè quærere debetis, regnum Dei, & opera ſancta, per quæ illud conſequamini, tanquam præmium iuſtum illis debitum. Ideo, & Paulus de iuſtitia, ſibi debitam dicebat coronam, propter opera bona: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, &c. reposita eſt mihi: corona iuſtitiæ*. Poſtquam igitur Chriſtus docuit, abundantiorem a Phariſæis iuſtitiam nobis agendam, modum, quo illa agenda eſt, aggreditur explicare, dicens: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. D. Auguſtinus, hæc, & ſequentia Chriſti verba expendens, duas
c *Ser. 60. de tem.* difficultates proponit, quas graues iudicat: Euangelica, inquit, lectio fratres chariſſimi, quæ modò nobis recitata eſt, videtur mihi, quod ſecundum literam non poſſit intelligi, & ideo Deo auxiliante requiramus, qualiter ad eius ſenſum ſpiritualem peruenire poſſimus: ſic enim ait Dominus: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*. Quomodo hoc ſecundum literam accipere poſſumus, cum ipſe Dominus paulo antea præmiſerit. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Hæc prima difficultas eſt, quam ſmiliter propoſuit Beatus Baſilius ad baptizatos loquens, quæ doctrinam Euangelicam recipien-
Matth. 5. *Serm. 5. de baptiſ c. 4. & 5.* tibus ſe ſtatim offert, quam propterea communiter omnes ſancti Patres explicandam proponunt. Cui reſpondet ipſemet Auguſtinus dicens: Diligenter attendite fratres, & intellectum diuinæ Scripturæ humiliter, & ſapienter requirite: non enim ſibi ipſe Dominus in Euangelica electione contrarius eſſe poteſt, &c. Dominus non præcipit, ne coram hominibus bona opera faciamus, quos potius bonorum factorum exemplo ædificare tenemur; ſed ne opera coram eis faciamus, eo animo, & fine, vt videamur ab eis: id namque expreſsè ſubdidit Dominus dicens: *vt videamini ab eis*. Sicut ergo inquit Auguſtinus, quando Chriſtus præcepit facere o-
¶ 279. pera lucis coram hominibus, *vt videant*, inquit, *opera veſtra bona*, non ibi ſubſtitit, ſed addidit: *Et glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, quo ſignificaret, Dei gloriam à nobis intendendam, cum bona opera coram hominibus facimus; ita cum dicit: *Ne faciatis iuſtitiam veſtram coram homi-*

minibus, non finem fecit, sed addidit, *vt videamini ab eis*: quia non hoc à nobis intendendum est, cum bonum facimus, ab hominibus videri, laudari, & glorificari. Hæc insuper loca Diuus Augustinus ad concordiam reducit expendens alia duo Apostoli dicta, quæ contraria similiter videntur, sed non sunt. Vno in loco dicit: *Si adhuc hominibus placerem, seruus Christi non essem*: In alio verò dicit: *Placeo omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo*. Qui non intelligunt (inquit Augustinus) contrarium putant: qui intelligunt, suauem consonantiam inueniunt. Paulus quidem omnibus hominibus placere operabat, non vt illis placeret, sed vt eos Christo lucrifaceret, non tanquam rem principaliter intentam quærebat placere hominibus: si enim id ageret, non esset Christi seruus, cuius interest Christo tanquã legitimo Domino placere, & seruire. Sicut ergo quærens nauem ad proficiscendum in patriam suam, non absurdè loqueretur, si diceret, in hoc opere, quo nauem quæro, non nauẽ quæro, sed patriam: sic Apostolus conuenienter dixit, in hoc opere, quo hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placere contendo: quã nõ hoc appeto, sed ad id refero, vt me imitentur, quos saluos fieri volo. Eodẽ modo explicat Augustinus illud eiusdẽ Apostoli, qui petens eleemosynã pro fideliũ sustẽtatione: *Non*, inquit, *quæro datum, sed requiro fructum*. Quomodo non quæris datum? Petis tibi dari, & non quæris datum? quia non quærebat sibi dari aliquid, ratione commodi sui, sed vt illi commodum, & fructum reportarent, propter communionem charitatis. Idipsum adhuc idem Augustinus explicat, ex eo quod Christus qui primò dixit, iustitiam non faciendam in conspectu hominum, deinde id de eleemosyna statuit, & tertio hoc idem de oratione subiunxit, dicens: *Intra in cubiculum tuum, & ora Patrem tuum in abscondito*. Ecce, inquit Augustinus: ipsi bene agnoscitis, quia non hoc semper secundum literam potest adimpleri: nam, & nos ipsi, & totus populus, non solum in cubiculis oramus, sed etiam publicè ad Ecclesiam conuenimus, & simul cum omni populo genua flectimus, &c. Hęc & alia Augustinus, quæ similiter omnes sancti patres obseruant: ex professo autem Chrysostomus *a* Basilius *b*, Petrus Chrysolog. *c*. Non ergo opera bona facienda sunt coram hominibus, vt videamur ab eis: *Alioquin*, inquit Christus, *mercedem non habebitis apud Patrem vestrum*. Non dicit, inquit Iansenius *d*, alioquin damnabimini, aut eritis rei gehennæ ignis, quia frequenter nõ peccatum mortale est humanam laudem ex bono opere quærere, aut verò, quia propria pœna talium operum est, amissio mercedis apud Deum: de quibus tractatu secundo latè dictum est.

Lib. 2. de serm. Domini in monte c 2.

Ad Gal. 1.

2. Cor. 10.

ad Phil. 4. 17.

Ser. 60. de temp.

a *Hom. 19. in Matth. & 13. in imperfect.*
b *Ser. 2. de baptis. c. 4. p. 245.*
c *Serm 9.*
d *In conc. cap 41.*

§. 2. *Quid sit tuba canere ad eleemosynam, & quomodo hoc fugiendum.*

¶ 280. *CVm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt, in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quoniã sermones vniuersales minus sunt vtiles, quippe qui minus sensibus, qui circa particularia versantur, sunt propinqui, ad particularia Christus sermonem conuertit: & primo ad eleemosynam, cui iustitiæ nomen, quod præmiserat, frequenter tribuitur, deinde ad orationem, & tandem ad ieiunium, quæ sunt tres capitales iustitiæ, ad quas cæteræ referuntur. Vt enim quis iustus absolutè sit, & mercedem sibi apud Deum faciat debitam, debet iustè agere erga proximũ, erga Deum, & erga seipsum: primum præstat per misericordiam, & eleemosynam, secundùm per orationem, vltimum per ieiunium, & mortificationem carnis: de quibus alibi. In ijs tribus iustitijs talem tenebant modũ Scribæ, & Pharisæi, qui eas inutiles reddebant, & sine fructu coram Deo: illas enim tantum faciebant, vt humanum sibi aucuparent gloriam, & laudem vanam. Et

de eleemosyna id egregiè exprimit Christus, quam faciebant tuba ante se canente. Quod duobus modis explicari potest, primo vt sermo sit proprius, quomodo intellexit Lyranus, qui dixit consuetum fuisse Iudæis, & singulariter Pharisæis, tuba sonare, & canere, quando eleemosynam daturi erant, vt pauperes conuocarent. Hoc tanquam certum supponunt Iansenius a & Ribera b, & Euthymius refert aliquos ita sensisse. Secundò, vt sermo sit metaphoricus, metaphora sumpta ab eo, quod cum aliquid omnibus notum facere volumus, tuba cani facimus: signanter id in vsu erat apud hebræos, qui tubis, & buccinis ex edito loco personare consueuerant, cum populus erat euocandus, vt oculos, & mentem ad rem aliquam, tanquam magni momenti conuerterent. Ita statuit Deus fieri tubas argenteas ad conuocandum populum a: *Cumque intrepueris tubis, congregabitur ad te omnis turba, &c.* Ita Gedeon b, *qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer.c.* Et, *Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant hebræi?* & d, *buccinate in Neomenia tuba:* & ad Esaiam e, *clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam*: apud Ioel f, *canite tuba in Sion, vocate cœtum, congregate populum, condunate senes, &c.* Itaque idem est, aliquid canere tuba, quod facere rem ad omnium notitiam peruenire. Ita Chrysostomus a, Theophilactus b, & Augustin. c hæc, & ferè omnia, quæ hoc capite Christus dicit secundum figuratam locutionem accipienda ex professo demõstrat, vt quod dicit de sinistra, & dexera, de vngendo capite, lauanda facie, &c. Et vt exactius Christi verba expendamus, annotandum est cum Iansenio, egregiè Christum hypocritas depinxisse. Hypocrita, vt annotat Diuus Hieronymus idem est, ac simulator, & repræsentans in theatro, de quo supra satis dictum est. Sicut ergo qui in theatrum proditurus est, id, tantum intendit, spectari, & videri ab hominibus, ideirco quando proditurus est, tuba canit, aut fistula, vt omnium oculos adnocet, ita hypocritæ faciunt, qui tantum contendunt ab hominibus videriab eisque laudari. Hoc est, quod in illis Christus damnat, à fuisque vitandum contendit, de quibus supra.

In cap 6. Matth.

a *In cõcor. cap 41.*
b *In cap 5. Oseæ n.20.*

a *Nu.10.3*
b *Iud.7.34*
c *1.Reg.13. 3.*
d *Ps.80.4.*
e *Esa.58.1*
f *Ioel 2.1.*

a *Hom.19. in Mat. &*
13. *in imp.*
b *In cap.6. Matth.*
c *Serm.60. de temp.*

§. 3. *Quomodo sinistra non debet scire, eleemosynam, quam facit dextera, & quid dextræ, & sinistræ nomine Christus intelligat.*

¶ 281.

TE autem faciente eleemosynam', nesciat sinistra, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Secundam difficultatem circa hæc Christi verba ponit Augustinus, tum quia sinistra sensum habere non potest, nec scientiam, tum quia nullum inconueniens est, eleemosynam non solum sciente sinistra manu, sed, & per ipsam sinistram porrigere. Quid enim faciet eleemosynam daturus, si ei manus dextera doluerit? Nunquid de sinistra eleemosinam dare non poterit? aut si vult captiuum redimere, quomodo, aut sacculum soluere, aut arcam aperire poterit, si sinistram manum dextræ suæ non iunxerit? aut peregrinum excipere, & secundum præceptum Domini, *sanctorum pedes abluere*, non video, quomodo hoc nesciẽte sinistra manu possit impleri. Ita Augustinus, qui hinc colligit ea, quæ Christus hoc in loso dicit, non secundum literæ sonum, sed secundum figuram, & spiritum accipienda. Aliquas propterea horum verborum expositiones Augustinus expendit: & primo quandam, quam Chrysostomus Apostolis placuisse dicit. Sicut Apostoli interpretantur (inquit Chrysostomus) in libro canonum, qui est de Episcopis: Dextera est populus Christianus, qui est ad dexteram Christi: sinistra autem omnis populus, qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit: ne Christianũ facientem eleemosynam, qui est dextera, infidelis aspiciat, q est sinistra, Christianus autẽ, si Christianũ viderit eleemosynam facientẽ, non est contra Christi præceptũ: quoniã ambo dextera sunt.

Serm. 60. de tempore.

1. ad Tim. 5.10.

Lib. 2. de ser. Dmi. in monte, c.4. & 5. Hom.13. in imperf.

Ita

Ita Chryſoſtomus, & liber Canonum, eſt quem ſcripſit D. Clemens Papa de canonibus Apoſtolorum. Eandem expoſitionem tradidit Chryſoſtomus alio in loco, annotans, in dextra manu homines ſignificari iuſtos, in ſiniſtra verò peccatores intelligi, ſecundum quod Salomon retulit: *Partes dexteræ nouit Dominus, peruerſæ autem ſunt, quæ ſunt à ſiniſtris*. Hanc expoſitionem, ſuppreſſo Chryſoſtomi nomine refutat Auguſtinus: ſi enim intellexeris, inquit, ſiniſtram infideles dici, videbitur nulla eſſe culpa, placere fidelibus velle, cum profus nihilominus in quorumlibet hominum laude, fructum, & finem boni operis conſtituere prohibeamur. Quod autem ad id pertinent, vt te imitentur, quibus rectè facta tua placuerint, non tantum fidelibus, ſed etiam infidelibus exhibendum eſt, vt laudandis bonis operibus noſtris Deum honorent, & veniant ad ſalutem. Si autem ſiniſtram inimicum putaueris, vt neſciat inimicus tuus, cum eleemoſynam facis, cur ipſe Dominus inimicis Iudæis circumſtantibus, miſericorditer ſanauit homines? Cur Apoſtolus Petrus ſanato eo, quem ad portam ſpecioſam debilem miſeratus eſt, etiam iras inimicorum in ſe, atque in alios diſcipulos pertulit? Deinde, ſi non oportet ſcire inimicum, cum eleemoſynam facimus quomodo cum ipſo inimico faciemus, vt illud impleamus præceptum: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi*. Ita Auguſtinus. Et verè Chryſoſtomus ipſe in proprijs ſuis commentarijs, ſuam exprimens ſententiam, etiam huiuſmodi interpretationem reijcit. Aliam tradit B. Auguſtinus expoſitionem, quam ſuo tempore communem dicit, quam indicauit D. Chryſoſtomus, cuius doctrina minus intellecta à populo, illi occaſionem fortè præbuit, illam expugnandi. Alia, inquit Auguſtinus, ſolet eſſe carnalium opinio, tam abſurda, & ridenda, vt eam non commemorarem, niſi expertus eſſem, non paucos eo errore detineri: qui dicunt, ſiniſtræ nomine vxorem ſignificari, vt quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum ſolent eſſe fœminæ, lateat eas, cum aliquid miſericorditer viri earum egenis impendunt, propter domeſticas lites. Quaſi verò ſoli viri Chriſtiani ſint, & hoc præceptum non etiam fœminis datum ſit. Hoc latè proſequitur Auguſtinus, cui perpetuò illa placet ſententia, vt verba Chriſti metaphoricè intelligamus, vt ſcilicet dextræ nomine intelligatur amor Dei, qui dextrè, & rectè opus in debitum ſcopum dirigit; ſiniſtræ autem voce, amor mundanæ gloriæ, aut cupiditas, vel vanitas mundi, quæ ſiniſtrè, & contorte opera proijcit, à recto ſcopo valdè exerrans. Iuxta quē sēſum vult dicere Chriſtus: Quod faciat amor Dei, non corrumpat, aut perdat vanitas, vel cupiditas mundi. Hunc dicendi modum ſequuti ſunt Beda *c*, & Haymon. *c*, & ſignanter Gregorius *d*. Ambroſius *e*, etiam cenſet, Chriſti locutionem metaphoricam eſſe, qui nomine ſiniſtræ intelligit, nobis coniunctos, propinquos amicos, & familiares: nihil enim dextræ noſtræ coniunctius eſt, quam ſiniſtra, ſignificans, neque his eleemoſynas noſtras euulgandas; quem ſenſum ſecutus videtur Chryſoſtomus *f*, & eum probat Euthymius *g*. Chryſoſtomus *h*. tamen alium, tanquam ſuæ menti proprium ſenſum tradit, annotans locutionem Chriſti, non tam mataphoricam, quam hyperbolicam eſſe. Hæc enim dixit Dominus per exaggerationem, quaſi dicere volens: Ita debes fugere videri cum facis eleemoſynam vt ſi ſiniſtra manus ſcire, & videre poſſet quod facis, ab ea etiam te abſcondi oportet. Quem ſenſum ſequutus eſt Theophilactus, & etiam approbat Euthymius. Per hyperbolem inquit, eſt ſermo, quod, & ipſam ſiniſtram lateat dextera, per quod manifeſtatur, plurimum oportere latere. Vide, inquit Beatus Petrus Chryſologus, quam vult neſcire alterum, qui teipſum, qui facis, vult aliqua tui parte neſcire. Hoc modo paulò ante in eodem ſermone in monte Dominus dixerat: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te, &c. Et ſi dextera manus tua ſcãdalizat te, ab ſcinde*

Hom. 8. ex varijs in Matth.

Prou. 4. 27

Actor. 3.

Prou. 5. & Rom. 12. Hom. 19. in Matth.

¶ 282. *Hom. 59. ad populũ.*

c *In ca 6. Matth.*
d *3. p. paſt. admon 21.*
e *Lib. 1. de offic. c. 36.*
g *In cap. 9 Matth.*
h *Hom. 19. in Matth. & ho. 8. in 1. ad Tim.*

In cap. 6. Matth.

Serm. 9.

Matt. 5. 29. 30.

scinde eam, & proij ce abs te: quam sententiam iterum repetiuit, cum discipulis loquens. Circa quam, etsi mira, & scitu digna meditati sint sancti Patres, planus tamen sensus est, vt sit hyperbolica locutio. Inter omnes enim corporis partes, maximè facimus manus; & oculos, ideoque quando volumus explicare quantum aliquid æstimemus, oculos exprimimus, quomodo Paulus ad ostendendum quantum à Galatis diligeretur, dixit: *Testimonium perhibeo vobis quoniam si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*. Inter has autem partes, præcipuè dextras æstimamus, oculum scilicet dextrum, & manum dextram, tanquam magis necessarias. Vult itaque dicere Christus: Adeo debes scandalum, & peccatum fugere, vt si id quod maximè diligis, tibi scandalum ingerat, illud eruendum sit. Ita ergo, quæ de sinistra dicit intelligenda sunt: qui dicens: *Nesciat sinistra tua*, addidit: *vt sit eleemosyna tua abscondita*. Oculos itaque spectatorum omninò fugiendos docet Dominus, quantum ad hoc quod est, intendere illis placere. Oculos etiam tuos, inquiunt Chrysostom. *b*, & Theophilactus *c*, vult Christus, vt fugias, qui nec tantum, non vt tibi placeas eleemosynam debes elargiri, sed tantum debes contendere videri, & placere illi, à quo mercedem es recepturus, cui honor sit in secula sempiterna.

Matth. 18.

ad Gal. 4. 15.

b *Hom.* 19. *in Matth.*

c *In cap.* 6. *Matth.*

Tractatus Quarti, qui est primus de dilectione inimicorum, Finis.

ARGV-

ARGVMENTVM QVINTI TRACTATVS, QVI EST SECVNDVS DE DILECTIONE INIMICORVM.

PRæceptum dilectionis inimicorum, etsi antiquitus in lege fuerit traditum, congruentissimum tamen est spiritui Euangelicæ legis, quam Christus Dominus promulgauit. Non enim, vt Augustinus annotauit, pertinet ad veterem hominem, sed ad nouum illum, qui per Christum *secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis.* Vnde quamuis tale mandatum iam homines antiquæ legis obligaret, vt in præcedenti tractatu ostensum fuit, singulari tamen ratione, tanquam nouæ legis præceptum Christianos, qui ad legem nouam pertinent, obligat, & deuincit. Ideò Christus Dominus tanquam nouæ legis author, & institutor, huiusmodi præceptum peculiariter intimat, & rationes, quæ nouæ legis hominibus aptissimè congruunt, subijcit, quibus eos penitus ad illius obseruationem deuinctos demonstrat. Quos etiam instruit, & docet, iustitiæ, & sanctitatis opera perfectius, & vt Christianos decet, operari.

Tract. 1. in 1. can. 10ã.

Ad Eph. 4. 24.

PROOEMIVM, ET TOTIVS TRACTATVS DIVISIO.

GEntiles *legem Euangelicam auersabantur, quod noua esset, & quod erga inimicos præciperet dilectionem, & beneficentiam: illis tamen egregiè Augustinus respondit.*

PRIMA PARS, AN sit præceptum Euangelicum de diligendis inimicis.

§.1. *PRæceptum dilectionis inimicorum etsi antiquum sit, est etiam nouum, quod in lege Euangelica Christus promulgat, vt Esaias prædixit, Sponsa exposuit, & sancti Patres explicarunt.*

§.2. *Christus tanquam verus Deus, Reipublicæ suæ leges tradit, complens quod per Esaiam prædixerat, & docens vtilia.*

§.3. *Complet Christus, quod Zachariæ ostenderat, ædificans Ecclesiam sub perpendiculo Euangelicæ legis, iuxta quam affectus sunt extendendi, & contrahendi.*

§.4. *Fasciculus in terra fundatus est Ecclesia, quia quam ad normam cœlestis Reipublicæ extruxit Christus, dicitur descendisse de cœlo.*

§.5. *Idem est author legis, & Euangelij, qui antiquis permisit, quæ Euangelij cultoribus non permittit.*

§.6. *Deponenda est antiqua vetustas, ideo fidelis baptizatur in mortem, vt sit candidatus, & vngitur ad nouam vitam, & mores.*

§.7. *Relinquendus est pædagogus ad præsentiam præceptoris, quem videndum promisit Esaias ostendentem viam ad regnum cœlorum.*

SECVNDA PARS, Quidnam hoc præceptum contineat.

§.1. *PRæceptum Euangelicum promulgans Christus, merito à dilectione sumpsit exordium, quæ spiritui Euangelico est congrua.*

§.2. *Quomodo Christus, qui iubet odire patrem, & matrem, præcipiat diligere inimicos.*

§.3. *Non solum dilectionem, sed beneficentiæ opera ad inimicos, exposcit Christus, nec enim arbor plantatur, nisi vt fructus referat.*

§.4. *Christus iubens benefacere inimicis, nec prohibet iusto bello eos impetere, nec hæreticos, & fidei hostes igni tradere.*

§.5. *Explicat Augustinus: An liceat vindictam à iudice contra inimicum petere, & dictum commune examinatur. Diligo inimicum, sed volo eum suspendi.*

§.6. *Calumnia supremum malum ab inimico illatum, orationis supremo beneficio compensanda est.*

§.7. *Quomodo percutienti dexteram, sit offerenda sinistra: auferenti vestem, danda tunica, & alia agenda, quæ Christus hoc loco præcipit.*

TERTIA PARS, Quale sit hoc præceptum.

§.1. *PRæceptum hoc difficile est, sed possibile: anathema enim illi, qui dixerit: Deum aliquid impossibile mandare.*

§.2. *Inductione per omnes status: hoc præceptum esse possibile probatur.*

§.3. *Difficile est præceptum, seruandum tamen, quia impositum ab habente supremum dominium, quod constitit in eo, quod creaturas liberas plene habet subiectas.*

§.4. *Manifesta est Christianorum obligatio, ad hoc præceptum seruandum, quorum inobedientiam Rechabitæ apertè condemnant.*

§.5. *Præceptum hoc leue cõprobatur, quod mensura arũdinea dicitur, diuersum à baculo ponderoso antiquæ legis.*

§.9. *Antiqua lex, quæ propter sui grauitatẽ aptè militia dicitur, completur per Christum consolatoriam legem Euãgelicam inducentem.*

§.7. *Chri-*

§.7. *Christus pax nostra, legem grauem mandatorum, decretis Euangelicis suauissimis euacuat.*

§.8. *Aptè Apostolus suauitatem Euangelij, & obligationem ad eius obseruantiam, ex comparatione ad legem veterem demonstrat.*

§.9. *Præceptũ hoc probatur facile, & suaue, ex natura legislatoris, ex qua leges dæmonis ostẽduntur grauissimæ, & difficiles.*

§.10. *Iugum imponit Christus, tam suaue, & leue, vt vim respirandi, & volandi conferat.*

§.11. *Lex de parcendo inimico, facilior, & suauior est lege duelli, per hãc homo parturit iniustitiam, per illam spiritum salutarem.*

§.12. *Quam lætitiam pariat dilectio, & beneficentia erga inimicum, egregiè mulier, quã vidit Ioannes expressit.*

§.13. *Suaue esse hoc præceptum, ostendit perturbatio, quam patitur iratus, & quies, qua fruitur delectionem tenens patetque in Stephano, & eius inimicis.*

QVARTA PARS, IMplicitas rationes, propter quas tale sit præceptum, expendens.

§.1. ORdinatissime Christus procedit, euangelizans pacem, cuius singula verba sint feneſtræ quædam ad contuendam sapientiam, & parietes, quibus figendus est palus mentis.

§.2. *Christianus vetustatem exuat, Lunã sub pedibus ponat, & sacrificet Deo, quæ mundani colunt.*

§.3. *Antiquos debet transcẽdere Christianus, quem Dominus in suprema arca mansione locauit.*

§.4. *Christus amorem sibi debitum, inimicis consignat, ad modum, quo ignem altaris, in terram Angelus misit.*

§.5. *Exemplo Laban, & B. Stephani res explicatur, & cur Stephanus dixerit: Domine Iesu.*

§.6. *Facile iram continebis, si non inimicum, sed Christum attendas, nec festines in tempore obductionis, vt dixit Sapiens. Ita Dauid, & Alexander.*

§.7. *Vtilitates ingentes ex inimicis capere, Christus docet seipsum exponens attendendum in dilectione, & beneficentia erga illos.*

§.8. *Persecutor deseruiet ei, quem persequitur, & cooperari dicitur in bonum, quem Sancti inter benefactores computant.*

§.9. *Illud: Ego dico, silendum indicat à facie tanti Dei, vt docuit Sophonias: exemplumq; Iob aptè comprobat.*

§.10. *Sophonias ex discipulis Pythagoræ, videtur Christianos velle confundere, qui verbis Christi, leges duelli opponere audent.*

§.11. *Nullatenus esse contra honorem, sed pro illo, inimicum diligere, & ei parcere, verba Christi ostendunt.*

§.13. *Summus Pontifex Petrus melius, quam Salomon, legitimam honoris matrem, inducto gladio diffinit, manetq; iam lingua maris Aegyptij desolata.*

§.13. *Non est inhonorificum, inimico parcere, quia non est contra honorem ciuis, secundum suæ Reipublicæ agere leges, & debet collo equi circundari himnitus.*

§.14. *Christianus ligatus est, ideo non est illi inhonorificũ, non se mouere contra offendentem, qua consideratione continebat Dauid seipsum.*

§.15. *Christianus non debet erubescere Euangelium, quod est virtus Dei, salutem afferens, & Magorum Pharaonis virgas deuorans.*

§.16. *Vexillũ erigit Christus, quod qui sequi contemnit, potius inimicus, quam eius miles dici debet.*

§.17. *Christus his verbis, sibi assumit curam honorificandi eum, qui à vindicta se continet.*

§.18. *In Ioseph ostenditur cura, qua Deus hono-*

honorificat non vindicantes se: eius auris Zeli respondet pro suorum honore, sicut pro Moyse.

§.19. *Nouus legislator, nouam legem promulgans, nouum exposcit populũ, exuentem veteres pannos infantiæ, & induentem vestes verum decentes.*

QVINTA PARS, RAtiones præcepti à Christo explicite traditas, expendens.

§.1. *Dignaratio potentiæ, sapientiæ, & & veritati Christi: Eritis sicut Dy, breui compendio omnem legem, & omne præmium concludens, vt Esaias dixerat.*

§.4. *Aptè diligentibus inimicos, & pacificis datur esse filios Dei, cuius faciem legitimam referunt, quam vidit Iacob, per quam à filijs diaboli discernuntur.*

§.3. *Christus comprobatus est filius Dei, diligendo offendentes: quem apertius cognouit diabolus patientem, quam miracula agentem, cuius passio, Glorificatio dicitur.*

§.4. *Christus viuens, ostendit se filium Dei per radios potentiæ, moriens autem per splendores patientiæ, tam claros, vt propter illos dixerit Ioannes: Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre.*

§.5. *Vt homo filius Dei efficiatur, eget remissione peccatorum: ad hanc necessarium est, vt ipse offensas contra se commissas remittat.*

§.7. *Necessarium esse deponere odium, vt Deo reconciliemur, ostendit Christus, præcipiens, & dicens: si offers munus tuum ad altare, &c.*

§.7. *Deus non dimittit, non dimittentibus qui dicendum tradidit: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos. &c.*

§.8. *Quæ, & quomodo remittantur delicta remittentibus offensas, factum, & verba Danidis aptè declarant.*

§.9. *Remittere offensas, disponit ad peccatorum remissionem, vt Dauid ostendit, & Christus orans pro inimicis in cruce, mirificè explicauit.*

§.10. *In Esau ostenditur reprobatio vltorum, quam exposuit Christus, explicuit Esaias, & Amos, in scelere Edõ.*

§.11. *Vltorum damnationem Moyses egregiè, in facto Amalecitarum demonstrauit.*

§.12. *Aeternam hæreditatem filij Dei, nemo obtinebit sine charitate, & pace, quam tanquam conditionem necessariam testator constituit.*

§.13. *In Sapricio, & Dauide apparet, signum reprobationis esse, non remittere, & signum prædestinationis remittere.*

§.14. *Homo efficitur filius Dei imitando Christum, quem Isaias attendendum dixit lapidem, ab hominibus effossum, & cauernam lacu perforatam.*

§.15. *Arcanum decretum de prædestinatis filijs Dei, extrahit Christus per crucem, quem imitari debemus, & Sanctos, signanter Stephanum.*

§.16. *Deus Solem suũ oriri facit super bonos, & malos, qui sic dilexit mundum, vt daret filium suum vnigenitum, qui aptè, Sol iustus dicitur.*

§.17. *Vt templum animæ Deum capiat, extruendum est, sub mensura sex cubitorum, & palmi; non tantum debita, sed, & indebita præstando.*

§.18. *Christianus, quibus nouus est legislator, nouaque lex imponitur, nouum exemplar, quod imitentur exhibetur.*

SEXSTA PARS, DE RAtione iustitiæ faciendæ.

§.1. *QVomodo sint agenda opera bona, docuit in typo vir metiens frontem templi, & Christus dilucidè.*

R.P.F.

R. P. F.

HIERONYMI BAPTISTÆ DE LA NVZA,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS,

TRACTATVS QVINTVS EVANGELICVS,

Qui est secundus de dilectione inimicorum.

PROOEMIVM, ET TOTIVS TRACTATVS DIVISIO.

Gentiles legem Euangelicam auersabantur, quod noua esset, & quod erga inimicos præciperet dilectionem, & beneficentiam: illis tamen egregiè Augustinus respondit.

¶ 1.

Anctus Augustinus, (cuius doctrinam, vt dixit B. Ioannes 2. Papa *a*, peculiariter sequitur, & seruat Catholica Ecclesia, quam propterea multis aliorum SS. Patrum sententijs, quas refert, præponit) scripsit elegantissimam, suoque ingenio dignam epistolam, ad Marcellinum *b*, quasdã graues quæstiones, quas sibi explicandas proposuerat, declarans. Fuit Marcellinus ciuis Romanus illustris, Christianæ fidei studiosissimus, quã ipsis Gentilibus, & idololatris Romam degentibus suadere optabat: qua de causa Augustino se familiarem fecit, quẽ de ijs cõsulebat, quæ Gẽtiles sibi proponebant. Ad cuius propterea petitionẽ (vt ex eiusdẽ Marcellini epistola constat) ipse Augustinus illos excellentissimos libros de ciuitate Dei, omnigena eruditione refertos scripsit; in quibus omnes

a *Epist. ad Auiennum Senat. Liberiũ, &c. to. Bibl. SS. PP. p. 554.*

b *Est ep. 5. ad Marc.*

Est 4 inter epi. Aug.

omnes Gentilium libros se legisse demonstrat, omnesq; illorum Deos, religionẽ,& improbos mores refellit, & calumnias contra Christianam fidem
Lib.3. cõt. Iela.ad fi. reuincit. Ad eundem scripsit libros de Baptismo paruulorum, vt Diuus Hieronymus refert,subdens,illum inuidia tyrannidis Heraclianæ, ab hæreticis innocentem cæsum fuisse. Hic ergo talis tantusque vir,cum Gentilibus de religione agens ; difficultates,quas contra Euangelicam legem proponebant audiebat, quas ad Augustinum referebat , illarum solutiones expo-
Ep.4. inter epi. Augu. sces quas ipsis Gentilibus traderet. In quadam autem peculiari epistola refert, se cum illustri illo viro Volusiano, quem maximè cupiebat ad Euangelicam religionem pertrahere, de eadem contendisse : qui duas peculiariter sibi proposuerat difficultates circa Euangelicam legem , propter quas tam ipse , quam alij Gentiles , Euangelium recipere recusabant, quas eidem Augustino Marcellinus soluendas proponit , deprecans , vt tale responsum præbeat , quod possit Volusiano , alijsque Gentibus demonstrare . Prima desumebatur ex ipso , quod Christiani dicebant , Euangelium esse legem nouam , quam abrogata antiqua Deus ipse factus homo promulgauit. Quisnam Deus iste est (dicebant illi) qui leges, quas ipsemet antiquitus tulit,nunc abrogat : quique spretis veteribus sacrificijs delectatur nouis ? Nihil enim corrigi potest , nisi cum constat , quod ante factum fuerat , minus rectè factũ fuisse : & quod semel factũ est, immutari non debet : & qui mutat , quæ semel rectè statuit, vanitatis, & inconstantiæ argui potest . Aut ergo , quæ antiquitus Deus statuit , rectè constituta fuerunt, aut secus ? Si non rectè statuta dixeris , hoc ipso fateri teneris, illum non verum Deum fuisse , qui minus recta decreuit . Si dixeris : rectè quidem fuisse illa disposita; etiam confiteri te oportet,illa immutanda non fuisse : nullus enim sine inconstantiæ , & vanitatis nota , quæ semel bene statuit , ac disposuit , alterat,aut mutat. Secunda difficultas, qua grauius vrgebant, erat , quod iudicabant, prædicationem Euangelicam, & doctrinam , Reipublicæ motibus nulla ex parte esse conuenientem : quia aliqua præcepta (vt sibi videbatur) continet Euangelium , quæ ipsos Reipublicæ mores receptos destruunt,quale est illud , quod statuit : Nulli malum pro malo esse reddendum : & percutienti veam maxillam , aliam esse præbendã : & eiusmodi esse videtur illud, quod statuit inimicos esse diligendos , & offensas ab eis illatas remittendas , & ipsis benefaciendum esse. Et verè hoc præceptum erat , in quo communius gentiles circa Euangelium offendebant, vt docet beatus Iustinus martyr, adeò vt huius occasione legem Euangelicam irriderent:censebant enim in primis, illud ipsi naturæ, & eius authori contrarium, Est siquidem (dicebant illi) cõtra naturalem cuiusque rei inclinationem , quam cunctis rebus author naturæ indidit : omnis namque creatura , naturali impulsu sibi inimicam odit, & contra eam agit, quam,& destruere conatur . In primis si attendamus ad simplicia,primaque corpora, quæ elemẽta vocamus , ex quibus omnia mixta coalescunt, videbimus perẽni pugna cõtra seipsa agere, & vnumquodque eorum contendere sibi contrarium destruere : Ignis .n. agit in aquam,& è conuerso: nec ab aqua,si ratione esset prædita,iure posset quis petere, vt ignẽ diligeret, eique se sociaret . Imò nisi mutuas contra se inimicitias tenerent elementa , non possent mundus,eiusque corpora cõseruari,vt ex professo Philosophiæ princeps demonstrandum assumpsit. Si vlterius ad res animatas , sensibilesque ascendamus, conspiciemus , perpetes inimicitias inter se ducere, sine quibus cõseruari non possent. Agnus odio habet lupum, felisque canem : adeo, vt, & minimam formicam videamus conuertere contra eum , qui se comprimit : & gallinam contra miluum reddi fortissimam , cum pullos suos rapi videt immò, & si lapidem percutias, resistit tibi , & igneas scintillas contra te emittere videtur. Naturali ergo inclinatione cuncta res odiunt sibi inimicas: naturalis autẽ inclinatio ab ipso authore

Matth.5. *Luc.6.* ¶ 2. *In Apolog. pro Christi* *Arist. de cælo.*

naturæ

naturæ est. Quod, & alia ratione expẽdere possumus. Notum est secundum rectam philosophiam, ab authore naturę passiones animalibus omnibus tributas, & congenitas, in irascibili, & concupiscibili ad illorum conseruationem, sine quibus eorum natura seruari non posset: signanter illæ quatuor, quas principales Augustinus vocat, quas, & egregiè D. Thomas explicat, gaudium, & tristitia, spes, & timor; quibus tanquam fundamentum supponuntur duæ illæ primæ passiones, amor, & odium, quæ omninò sunt viuentibus necessariæ. Ingenitus est cuique animali amor, circa omnia, quæ sibi sunt amica, sicut auibus circa pullos, & animalibus circa suos fœtus, sine quo nequaquam possent eorum species, & natura seruari: circa ea itidem quæ suæ naturæ sunt consona. Similiter odium cuique animali ingenitum, aduersus illa, quæ suæ naturæ sunt contraria, sine quo illa fugeret nec auersaretur, sicque periret: de quo D. Thom. ex Aristot. egregiè philosophatus est. Odium itaque datum est ab authore naturæ, vt quæq; res sibi inimicam, & contrariam auersetur. Secundùm ergo ordinationem authoris naturæ, sicut naturale est amicos diligere, ita naturale erit inimicos odio habere: Hanc rationem tanti fecit Aristoteles, vt indicans locum argumentandi à contrarijs, rectam esse hanc argumentandi rationem docuerit. Secundum naturam amici diligendi sunt, eisque est benefaciendum: ergo secundùm eandem inimici odio habendi sunt & persequendi: Quod adeo naturale videtur, vt ipsemet dixerit, cum inimicis ne via quidem communicare homines velle, natura enim ipsa eos auersari; & refugere videtur. Ex his ergo duo inferebant gentiles: vnum est, Euangelicam legem, quæ præcipit inimicos diligere, contrariam esse naturæ, eiusque authori, alterum est, illam præcipere id quod est impossibile. Est siquidem impossibile, rem aliquam contra naturæ suæ inclinationem agere. Tam valida autem visa est multis; etiam qui Christianos se profitebantur hæc ratio, vt ex hac parte iudicarent, Euangelium rem impossibilem præcipere, vt D. Hieronymus *a* refert, quod, & Græcos sequutos, tradunt, qui eorum referunt errores *b*. Deinde gentilibus visa est lex ista rectis Reipubl. moribus cõtraria, vt exponebat Marcellinus *c* ad Augustin. Si enim homo inimicis non resistit, actum est de vnoquoque: si auferenti pallium, danda est, & tunica; ostium patens prædonibus paratur, vt impunè quiuis eorum agere possit. Præterea nihil magis expediens est ad cuiusque Reipublicæ conseruationem, quam vt vnusquisque suum seruet honorem, & ei prospiciat: si autem inimicis honorem offerentibus parcendum est, hoc ipso videtur facultas cuique concessa, vt sine timore interius honorem agat, & videtur iam de cuiusque honore esse actum, qui in hoc positus est, & conseruatur, quod vnusquisque suas vlciscatur iniurias; Quod qui non facit, vilis homo, & nullius valoris iudicatur. Hæc, & similia Marcellinus Augustino exposuit, ad quem Augustinus respondens, longam rescripsit epistolam, suo dignam ingenio, in qua duabus difficultatibus propositis, egregiè, pleneque satisfecit. Et quidem ab illa priori egregiè se expedit Augustinus, docens, bonum esse, imò, & necessarium, diuersa diuersis temporibus statui: nec enim idipsum omnia tempora expoſcunt: quæ sicut inter se contraria sunt qualitatibus (vt in hyeme, & æstate, in die, & nocte videre licèt) diuersa pro cuiusque temporis qualitatibus statuenda sunt: nam quod agricola æstate aliud iubeat, quam insserat in hyeme, non ratio mutatur agriculturæ, aut ille potest inconstantiæ argui. Nostrę insuper variantur ętates: adolescentia, pueritiæ non reditura cedit; iuuentus adolescentię non mansura succedit, finiens iuuentutem senectus, senectus autem morte finitur. Et quidem aliud magister adolescenti, quam puero solebat, imponit, nec proinde illius mutatur consilium; sicut nec cùm mane quis surgit, qui nocte quiescebat, & iacebat, vitę suę consilium mutat. Nam magnus ille nostrorum temporum medicus Vindicianus (inquit Augustinus) consu-

14. *de ciui. c.7. & 9.1. 2.9.25. art.2.*

1.2.qu.24. *vsq; ad 49.*

1.*Topi.c.8.*

4.*Polit.ca. 11.*

a In cap.5. Matth.
b Dastro, & Prateol.
c Ead.epistol.cit.

¶ 3. *Est epist.5. c.7. & 9.*

tus à quodam, dolori eius iussit adhiberi, quod in tempore congruere videbatur: adhibitum, sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot, eadem rursus corporis causa commota, hoc idem ille putauit adhibendum: adhibitum, vertit in peius. Miratus, recurrit ad medicum, indicat factum: at ille, vt erat acerrimus, ita respondit: Ideo malè acceptus es, quia non ego iussi: vt omnes qui audissent, parumq; hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibusdam postea stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant; videlicet illi ætati iam non hoc, quod præcedenti, se fuisse iussurum. Non itaque verum est, quod dicitur, semel rectè factum, nullatenus esse mutandum: mutata quippe tẽporis causa, quod rectè ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat, vt cùm ipsi dicant, rectè non fieri, si mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri, nisi mutetur: quia vtrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diuersum. Hinc Augustinus procedit, ostendens, quomodo antiqua lex, antiquaq; sacrificia pro illo tempore illi populo, qui pueri statum habebat, erãt cõuenientia, quæ populo Christiano iam ad maiorẽ ætatem perducto, incongrua fuissent: cui propterea aliæ leges, aliaque sacramenta erãt conuenientia. Nihil enim Deus iubet, aut statuit, quod sibi prosit, aut suæ vtilitatis, vel voluptatis causa, sed quod proficiat illi cui iubet. Et verè hanc quæstionem dirimere posset illud, quod Rex Assuerus, edictum quoddam nouum proferens, quo inueterauit antiquum, dixit: *Ne putare debetis si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitate sed pro qualitate, & necessitate temporum, vt Reipublica possit vtilitas, ferre sententiam.* Ad secundam deinde difficultatem soluendam se conuertit Augustinus, ostendens Euangelica præcepta, signanter illud quod de inimici dilectione statuit, non esse impossibilia, nec rectis Reipublicæ benè ordinatæ moribus contraria: quin potius esse congruentissima ad ipsius Reipublicæ conuersationem, ad honoris augmentum, nec perditionem aut exitium inducere, sed vitam, & innumera bona. Hoc à nobis in tractatu isto ex professo ostẽdendum est. Vt autem rectè procedamus, omnia Christi Domini verba, quibus hoc intimat præceptum, erũt expendenda, quibus quatuor explicat, quæ Aristoteles circa vnamquamque rem considerãda proposuit: An sit, Quid sit, Qualis sit, & Propter quam rem talis sit. Quibus finitis, ad modum faciendæ iustitiæ tradendum se conuertit. Hæc erunt à nobis explicanda: ideoque tractatus in sex partes erit distinctus: Prima ostendit dari præceptum Euangelicum de diligendis inimicis. Secunda, quidnam tale præceptum cõtineat explicabit. Tertia, illius qualitates exponet. Quarta (quoniam Christus duplex rationum genus proponit) rationes in eiusdem præcepti verbis implicatas, propter quas tale est, expendet. Quinta, rationes expressas, quas Christus superaddidit, tradet. Sexta, modum, quo faciendæ est iustitia, ex Christi institutione indicabit. *Esth. 16. 9.*

PRIMA

PRIMA PARS,
AN SIT PRÆCEPTVM EVANGELICVM DE DILIGENDIS INIMICIS.

§. 1. *Præceptum dilectionis inimicorum, etsi antiquum sit, est etiam nouum, quod in lege Euangelica Christus promulgat, vt Esaias prædixit, Sponsa exposuit, & Sancti Patres explicarunt.*

§ 4. AVDISTIS, *quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros &c.* Quę stionem proposuimus in præcedenti tractatu, An hoc præceptum diligendi inimicos proprium sit legis Euangelicæ: & an tanquam nouum proponatur à Christo Domino, quasi in antiqua lege statutum non fuerit. Hanc ibi explicuimus dicentes; Christum duo intendisse, primum innouare legem antiquam, quam corruperat impia Pharisæorum, & Scribarum traditio, qui tanquam diuina lege decretum docebant, odio habendum inimicum, quod nunquam Deus statuerat: secundum, nouum Euangelicæ legis præceptum promulgare, ad quod antiqua lex non pertigerat. Hæc prædixisse visus est Euangelicus Propheta, in illo celebri capite, quo ex professo ad literam, Christi, conceptionem', & natiuitatem ex virgine, superabundantiam gratiæ, & donorum Spiritus sancti, vitam, mortem, & sepulturam clarissimè prædixit: *Et erit*, inquit, *in die illa adijciet Dominus secundo manū suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiopia, &c.* Certum est residuum, aut reliquias populi sui, intelligi à Propheta, Apostolos, & discipulos Christi, eosque, qui illi adhæserunt, de quibus ipsemet prædixerat: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen*: quæ verba de discipulis, & adhærentibus Christo exposuit Apostolus, & ea expendens Beatus Augustinus obseruat, illos vocatos reliquias, & semen, vt appareat reliquias illas paucas, velut semen fuisse, vnde messis toto orbe consurgeret. Has reliquias possedit Christus, aut (vt Septuaginta legunt) zelauit, id est, ardentissimo amore prosequutus est. Ad ostendendum autem huiusmodi amorem, & plenè possidendas has reliquias, adiecit secundò manum suam. In hebræo habetur verbum, quod significat, innouare, & mutare, vt quidam nostri temporis diligens Author expendit, qui dicit, secundum vim hebræi sermonis, duobus modis verba transferri posse, primò: *Adijciet Dominus innouare manum suam*: Secundò, *Adijciet Dominus nouas leges manus suæ*. Quibus aptè vno, eodemque verbo explicat Propheta, quid Christus intenderit. Primò *adijciet*, inquit, *Dominus innouare manum suam*, metaphora sumpta à pictore, qui in tabula depinxit imaginem, quam illius manum

Esai. 11. 11

Esai. 1. 9.

Rom. 9. 29.

Li. 1. *qq. ad simpli.* q. 2

Leo Castr.

manum

num vocamus: si accidit illam luto, aut vetustate aliqua ex parte deleri, conuertit secundò manum suam, vt excusso puluere, & luto illam renouet, illustrioremque quam fuerat à principio, exhibet. Deus digito manus suę tanquam penicillo, imaginem illam antiquæ legis in tabula expressit; quæ tam inueterata fuit, & terrenis affectibus Pharisæorũ ex ea parte deleta, qua dilectionem proximi exprimebat, vt tantum appareret dilecto amici, propterea ad illam iterũ conuertit, & adijcit manum suam, & imaginem, quam primò depinxerat, ita renouat, vt illustriorem, & clariorem, quam fuerat à principio exhibeat, dicens: *Ego autem dico vobis, &c.* Non tamen hoc solummodo intendit, sed, & nouum nouæ legis præ- ¶ 5. ceptum promulgare. Quod eadem verba secundum aliam translationem etiam significant: *Adijciet Dominus nouas leges manus suæ*, quam sequutus est Eusebius Cæsariensis: nec incongruè, habetur enim in loco verbum, quod significat nouam legem condere, quod eodem vtitur Scriptura, dum dicit: *Est populus nouis vtens legibus*. Itaque sensus Prophetæ erit: Ad antiqua dogmata, & præcepta, adijciet Dominus alia noua; vt idem sit cum illo, quod testes de Sancto Stephano dixerunt: *Audiuimus eum dicentem, quod Iesus Nazarenus hic mutauit traditiones*, aut leges, *quas tradidit nobis Moyses*. Nec enim in hoc falsum testimonium Stephano imponebant; qui verè id dicere potuit, vt Caietenus annotauit: Adijciet ergo, id est, antiquitus cõtentus fuerat, clarè præcipere, vt homo suos diligat amicos; sed in mundum veniens, addet, vt idipsum erga inimicos homo faciat, quod verè præstat, dicens: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges amicum: Ego* superaddo, & dico; *Diligite inimicos vestros*, &c. Hæc quidem vera sunt, sed contradictionem inuoluere videntur. Si enim id renouat, quod antiquitus fuit decretum, quomodo nouum decretum condit? Non enim idem est aliquid renouari quod antiquatum erat, & de nouo aliquid condit, aut fieri. Explicari tamen hæc possunt ex illis verbis Sponsi, quæ in Canticis habentur. Præstolabatur Sponsa diuina cœlestis Sponsi aduentum: & audiens vocis solius sonitum, substitit dicens: *Vox dilecti mei*, metaphora sumpta à Sponsa, quæ Sponsi sui aduentum summo desiderio expectãs, & in omne latus se vertens, si eum venientem possit præsentire, dum vocis illius sonitum audit, incredibili gaudio affecta exultans clamat; *Ein* vox dilecti mei; *Aquella, la voz es de mi querido*: tuncque ad eum videndum conuersa; *En*, inquit, *iste venit saliens in montibus*, &c. Quoniam aũt eum se alloquentẽ audit, aures offert, & exhibet paratas, vt quę ille loquitur, percipiat; *En dilectus meus loquitur mihi; Surge propera amica mea, &c. iam enim hyems abijt, &c. flores apparuerũt in terra nostra, &c.* Non dubium, his verbis explicatũ fuisse, cœlestis Sponsi Christi Domini aduentum, quo veniente hyems transacta dicitur, & flores iam apparuisse in terra. Egregia certe metaphora. In hyeme procul abest sol à nobis, quo fit, omnia frigore rigeant; tunc in radice flores tenentur compressi, nec omnibus apparent, sed illis tantum, qui nouerunt secreta naturæ. Vnde si in hyeme pertranseat homo, eorum ignarus, & videat arborem, iudicabit illam esse siccam, nec vllatenus flores, aut fructus allaturam qui tamen Sapiens est, illos in virtute præexistere videt. Prætereunte autem hyeme, flores qui tantum in virtute extabant, & illis tantum, qui naturæ penetrant secreta erant conspicui, iam fiunt omnibus manifesti, & ver aduenies illos ita extrahit, vt vniuersorum oculis conspiciendos proponat. Vnde verè quidem dicimus, flores iam in hyeme extitisse, non in sua forma, extensione, & pulchritudine, sed in radice, & virtute. Verè itidem dicimus, flores non ad hyemis tempus pertinere, sed opus esse veris aduenientis, qui eos secundum totam suam extensionem, & pulchritudinem extrahit, & conspicuos facit. Non dubium est, tempus antiquum aptè hyemis symbolo declarari, vt Origenes *a*, Epiphanius *b*, & alij explicant. De quibus præcedenti tractatu *a*. Tunc sol iu-

Lib. 2. de demonst. c. 21.

Esther 3. 8.

Actor. 7.

Ibidem.

Cant. 2.

a Li. duar. Homil. Cãnt. hom. 2. & lib. 4. Homil. hom. 4.

b Hæres. 59. Catar.

a Num. 25.

iustitiæ longè distare videbatur: *idcircò*, inquit, Propheta, *ego plorans, & oculus meus deducens lacrymas, quia longè à me factus est consolator*. Tunc peccatum viuebat, & regnabat, vt Apostolus Io-
b *Rom.6. & 7.* quitur[b], quod nondum extinctum erat: & certè[c], *longè à peccatoribus salus*
c *Psal.118. 155.* Tunc quidem plantata fuit à cœlesti agricola arbor illa veteris legis; ab ipso enim illa data est, & non à dæmone, vt impij Manichæi contendebant. Flores, ac fructus quos tandem Deus prætendebat, erat perfecta dilectio, quam propterea Apostolus vocat *ple-*
Rom.13.10 *nitudinem legis*. Verè equidem in hac arbore iam continebatur amor inimicorum, compressus tamen, & inclusus nec manifestè apparens, tanquam in radice, & in virtute: dicens enim Deus, & præcipiens diligere proximum, iam ibi inimicum sub illo nomine concluserat, qui verè proximus est. Idque intelligebant illi, qui vera sapientia præstabant, vimque diuinæ legis percipiebant. Vnde, & sanctus. Dauid, huius legis seruator insignis sæpè confessus est, se sapienter inimicorum offensas tulisse, eosque dilexisse, quoniam in eadem lege id inclusum præuidebat. *Ita ex-*
in Schol. in Psal. 16. plicat S. Basilius, illud, *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*. Credit enim Basilius editum Psalmum illum, cùm à Saule persecutionem, & omnis generis insidias pateretur. Durissimum quidem fuit tales iniurias sufferre, talem hostem amare: nihilominus id faciebat propter verba diuinæ legis. Insipientes autem, & qui tantum secundum oculorum visionem huiusmodi arborem legis aspiciebant, nequaquam tales flores latentes videbant, sed potius censebant, nihil tale in ea reperiri. Tales erant Pharisæi, qui suaserunt populo, in lege solummodo præceptam amici dilectionem, quem proximum, & coniunctum videbant; permissum autem inimicorum odium. Cùm tamen ad nos sol iustitiæ appropinquauit,
Gen.35.16 iuxta Sep. tuages. & vernum propterea affuit tempus, quod electum Scriptura sacra vocat, iam flores apparere cœperunt. Hic enim Sol diuinus, quæ in lege veteri erant inclusa, & compressa, extraxit, & omnium oculis manifestissimè conspicienda. Hocque illud est, quod ipse dixit: *Non veni soluere, sed adimplere*. *Matt.5.17.* Non venit sol, cùm nobis appropinquat, & vernum tempus efficit, vt soluat, destruat, aut amputet arborem, quæ in hyeme plantata fuerat, sed ad eam complendam, id est, ad ea extrahenda, quæ in illa concluſa tenebantur. Id egregiè Christus effecit, exhibens completa, quæ antiqua lege tenebantur inclusa, vt egregiè sancti Patres explicant. Signanter autem dedit legi plenitudinem, aut adimpleuit legem, quoniam *plenitudo legis est adiectio*. Iam in lege tanquam in radice continebatur quicquid ad præceptum dilectionis pertinet, ibique concluſa erat dilectio inimici; sed ad plenitudinem erat perducenda lex, tum flores qui in ea latebant, virtute diuini Solis extrahebantur. quos omnium oculis conſpiciendos proponit dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, &c. Hoc ergo est, quod ad Sponſam dicit: *Surge, propterea amica mea*, ¶ 7. &c. Antiquam ſynagogam non vocabat amicam, nam homines ad eam pertinentes, erant in ſtatu ſeruorum, illaque antiqua lex erat ſicut *Agar*, *in ſeruitutem generans*: at Eccleſiam nouam, *ad Gal.4.* 24. amicam vocat, cuius primis fundatoribus dixit: *Vos dixi amicos, & vos amici mei eſtis*. *Ioa.15.14.* 15. Synagoga itaque eiuſque populus imperfectus erat, humirepens, terrena ſapiens; legem propterea in cortice ſolummodo conſiderabat, ideoque ad illa, quæ in eadem latebant, non peruenit. Populus *Exod.19.* ille in montis partibus inferioribus 12. manſit, qui tantum imperfecta opera agebat; te autem ad ſuperiora, & altiora voco, quapropter *ſurge*, eleuare, altiora contende, *iam enim hyems abijt*: id eſt Sol, rigores hyemis antiquę legis expellens, & flores ita manifeſtos omnibus faciens, vt iã appareãt in terra. Omnibus ſiquidem clarè loquor: *Ego autẽ dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Hęc omnia breuiſſimis verbis cõplexus fuit Beatus Auguſtinus, exponẽs titulũ *in Pſal.72.* Pſalmi ſeptuageſimi ſecũdi, in quo Da- *in princip.* uid dicitur filius Ieſſe. Tẽpore (inquit,

veteris testamenti, nouum testamentum occultatum ibi erat, tãquam fructus in radice. Si enim quæras fructum in radice, non inuenies: nec tamen inuenis in ramis fructum, nisi qui de radice processit, &c. Hoc igitur præceptum potest duobus modis considerari, in radice, vel in virtute, & in se ipso formaliter, vt Philosophi loquuntur: & quidem primo modo consideratum, ad veterem legem iam pertinebat, in qua cum præcipitur diligi proximus, etiam inimicus claudebatur. Si autem consideretur in semetipso, secundum quod clarè manifestèque dilectionem inimici sub hoc explicito nomine præcipit, mandatum est nouæ legis, ad Euangelium pertinens, eò modo, quo flores in seipsis, nõ ad hyemis, sed ad veris tempus expectant. Hinc intelligere possumus, cur mandatum dilectionis vocetur antiquum, & nouum. Loquens namque Christus cum discipulis suis: *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: & tamen Beato Ioann. ad omnes fideles scribens, *Charissimi*, inquit, *non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*: & iterum, *Hæc est annuntiatio, quam habuistis ab initio, vt diligamus alterutrum*: & iterum scribens ad Electam dominam: *& nunc rogo te domina, nõ tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum*. Si mandatum nouum est, quomodo vetus, & iam ab initio in lege veteri traditum? Origenes censet, mandatum dilectionis dici nouum, quia nunquam veterascit, sicut mysterium Christi, de quo Propheta: *Nouum faciet Dominus super terram*: vetus autem, quia ab initio mundi obligat. Aut dicitur nouum, quia nouos reddit in spiritu eos, qui illud adimplent: vetus autem secundum sui obligationem. Sed dico, dici mandatum vetus, quia iam in antiqua lege traditum fuit, etiam respectu inimicorum in virtute, & radice, in eo videlicet, quod Deus præcepit proximum diligi. Nouum autem ex eo, quod illud, quod non manifestè apparebat omnibus, expresso formalique mãdato clarissimo Christus præcepit. Et verè ita explicasse videntur sancti Patres, Chrysostomus *a*, Cyrillus *b*, Augustinus *c*, Beda *c*, Theophylactus *c*, Rupertus *c*, & alij, si attente legantur: docent enim, mandatum vetus fuisse secundũ substãtiam; nouum autem secundum modum explicatum, quem Christus expressit. Et idem Ioãnes ita rem totam vitus est explicasse. Postquam enim dixit: *Non mandatum nouum scribo vobis*, statim subdit: *Mãdatum nouum scribo vobis, &c. quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet*: quasi dicat: Mandatum quidem vetus fuit secundum substantiam, sed nouum secundum explicationem, quam vera lux, quæ Christus est, intulit. His addenda sunt duo: primum est, in antiqua lege multa fuisse, ex quibus Iudæi occasionem accipiebant, vt crederent, dilectionis præceptum nequaquam ad inimicos extendi, sed potius permissum esse odium erga eos & vindictam: dixit enim lex semel, & iterum *a*, *Oculum pro oculo, dentem pro oculo, dentem pro dente*. Iussit *b* etiam Deus Iudæis, vt quasdam nationes illis infestas, auersarentur, & nullas ad illas exercerent amicitias. Præcepitque de Chananæis loquens, vt nullatenus eis parcerent, *sed euersione euertite illos, & delete eorum memoriam*, quem locum, & alios similes expendebant Manichæi, vt probarent, antiquitus fuisse statutum odium inimicorum, vt sæpè refert Beatus Augustinus, signanter agens contra Adimantum Manichæum. Imò talier Deus cum Iudæis hac in parte egit, vt, & ipsi sancti Patres apertè aliquando fateantur, verba fuisse legis: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, de quo alibi dictum est. Alterum est id, quod sæpè annotat Diuus Augustinus, circa inimicum duo expendi posse: quædam sunt negatiua, vt non odire, non interficere, non vindictam sumere: alia sunt affirmatiua, vt eum diligere, ei benefacere, iniurias ab eo illatas sufferre, & remittere: aliud est enim non odire, non vlcisci, aliud diligere, & benefacere. Et illud quidem primum, aliquid continet boni, sed imperfectum illud est: secundum autem maiorem perfectionem dicit.

Lex

a *Lib. de virg. c.* 83. *tom.* 5.
b *Lib.* 9. *in Ioan. c.* 23.
c *in c.* 13. *Ioan. v.* 34.
1 Ioan. 2. 8 ¶ 8.

a *Exod.* 21. *Deu.* 19. *& Leu.* 24.
b *Exod.* 34 12. *Exod.* 23.

Lib cont. Adimant. c. 8. *&* 17.

Lib. 1. *de ser. Dom. in monte.*

Ioa. 13. 34.
1. Ioan. 2. 7
1. Ioa. 3. 11
2. Can. v. 5
In lib. n. 4. 738.
Ie. c. 31. 22

Lex antiqua eo vſque progrediebatur, vt prohiberet odium, & vindictam erga inimicos: at eos diligere, & eis parcere, ac benefacere, nequaquam manifeſtè præcipiebat: id enim clarè in amicos tantum iubebat. Vnde in eo loco, quo de hac re Deus egit, loquens de inimicis, per negationes egit: *Non eris vltor, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* *Leu. 19. 18* Statim verò loquens de amicis, poſitiuum verbum appoſuit, dicens: *Diliges amicum tuum.* Et quamuis in illis negationibus, Deus voluerit affirmationes contrarias intelligere, ſed id manifeſtè iubere, & explicare, ad legem Euangelicam pertinebat. Gradum propterea, vt annotat Auguſtinus, videtur *Libr cont. Adim. c. 8.* Chriſtus facere voluiſſe quaſi dicens volens: Antiquis tanquam imperfectis præceptum fuit, non odire, non vlciſci de inimicis, ſed vos ad altiora promoueo, quibus dico: *Surge propera:* ad perfectiora voco: *Ego dico vobis; Diligite inimicos veſtros.* Ex his explicant ſancti Patres illud, quod ſupra *Mat. 5. 17.* adductum eſt: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, quaſi dicens; Non tollo quod lex ſtatuit, non odire, non vlciſci, ſed quia hoc imperfectum eſt, ad pleniorem perfectionem induco, & vlterius ego progredior, præcipiens diligere, benefacere, orare pro inimicis. Ita Irenæus *a*, Gregor. Nyſſen. *b*, Baſilius *c*, Auguſtinus *d*, & alij, quorum doctrinam ſecundum reconditam Theologiam, Diuus Thomas *e* egregiè explicauit. Ex his etiam colligo, quomodo intelligenda ſit illa celebris Theologorum propoſitio, aſſerẽtium: in lege Euangelica nullum præceptum contineri nouum, niſi ea, quæ pertinent ad fidem, & ſacramenta. Dicendum eſt ſiquidem, præcepta Decalogi fuiſſe quidem omnia antiqua ſecundum ſubſtantiam, ſed tamen ad legem Euangelicam aliqua eorum pertinere, ſi conſiderentur, ſecundum claram, & explicitam eorum normam. Quod egregiè Diuus Auguſtinus aſſeruit, qui omnia hæc, quæ diximus, eleganter docuit. Dixerat aliquando Auguſtinus, in veteri teſtamento ita Deum inſtruxiſſe populum antiquum, vt nulla in Euangelica, aut Apoſtolica doctrina reperiantur, quæ illis etiam libris veteribus deſint: hoc tamen attentius deinde conſiderans, in libris retractationum: Addendum, inquit, erat penẽ, atque dicendum: Vt penè nulla in Euangelica, & Apoſtolica doctrina reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, atque promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint. Quid eſt enim quod in ſermone Euangelico in monte Dominus dixit: *Auditis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis*: ſi nihil ipſe amplius præcepit, quam præceptem eſt in illis veteribus libris? &c. Proinde ſi figuræ diſcutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ ſunt præſentata, vel expectantur præſentanda per Chriſtum. Veruntamen propter quædam præcepta, non figurata, ſed propria, quæ non in veteri teſtamento, ſed in nouo inueniuntur, cautius, & moderatius diceretur; Penè nulla, quam nulla hic eſſe quę non ſint illic. Quamuis illic ſint duo præcepta de dilectione Dei, & proximi, quod rectiſſimè omnia, & legitima, & Prophetica, & Euangelica, & Apoſtolica referuntur. Ita Auguſtinus: quibus verbis hæc duo aſſerit, vnum eſt, in illis antiquis præceptis de dilectione traditis, iam omnia contenta fuiſſe, quæ in Euangelica lege iubentur. Alterũ eſt, quod nihilominus verè dicere poſſumus, præceptum dilectionis inimicorum acceptum eo modo, quo Chriſtus illud protulit, verè ad Euangelicam legem pertinere, & tanquam eiuſdem legis præceptum ab eodem fuiſſe promulgatum. Ex quibus credo explicari poſſe, cur Chriſtus Dominus præceptum dilectionis proximi Suum vocat. *Hoc*, inquit, *eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* *Ioan. 15. 12* Certum quidem eſt, præceptum dilectionis peculiariter dici pertinere ad legem Euangelicam, quę lex eſt amoris: præceptum autem dilectionis non vnum eſt, ſed duplex, diligere ſcilicet Deum, & proximum. Et quidem certum eſt, præſtantius eſſe præceptum dilectionis Dei, & tanquam radicem, & fundamentum dile-

a Lib. 4. cont. Har. cap. 27.
b Orat. de B. Steph. c in Pſ 14. d 19. cont. Fauſt. c 19. & ſeqq. e 1. 2. qu. 107. art. 2. ¶ 9.
Lib. 1 retr. cap. 22.
Lib. contr. Adim. c. 3.

ctionis proximi, vt Beatus Gregor. *a* docet, & D. Thom. *b* probat. Cur ergo non dixit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis Deum: Respondeo: Quia præceptum dilectionis Dei nulla Pharisæorum malitia obscurauerat, quod omnibus erat manifestissimum: at præceptū dilectionis proximi multis modis reddiderant obscurum, imò impurum, primò docentes tantum erga proximum statutos, aut prohibitos actus externos, non internos: deinde docentes, parentibus non rectam dilectionem, & beneficentiam exhibendam, præcipuè autem tradentes, inimicis nullum amorem impendendum. Quia Christus hoc, quod illis erat obscurum, & difficile, explicandum clarissimè, & suadendum assumpsit, idcircò illud vocat præceptum suum. Ex qua ratione fit, potiori iure præceptū dilectionis inimici, suum esse vocandum, quod eo modo proposuit, vt legis Euangelicæ videatur proprium.

a 22. *Mor.* s. 11. *& ho.* 27. *in Ev.*
b 2.2. *q.* 26 *art.* 1.

§. 2. *Christus tanquam verus Deus, Reipublicæ suæ leges tradit, complens quod per Esaiam prædixerat, & docens vtilia.*

¶ 10. COnsiderans Euangelicus Propheta Esaias, Dei filium in mundum venientem, eum vocauit legiferum nostrum, de quo propterea, vt exponit Augustinus *a* dixit *b*: *Dominus legifer noster*. Et meritò: sanctus siquidem Augustinus ferè totum librum secundum de ciuitate Dei insumit, disputans contra Romanos, & demonstrans, verè Deus non fuisse illos, quos Romani tanquam Deos colebāt, quippe cum nullas leges vnquam adhibuerint ad rectè gubernandam Rempublicam illam, in qua tanquam dij colebantur. Hoc Romani pro summa ducebant religione, omnium gentium deos colere, omnibus illius templa ædificare, altaria erigere, sacrificia offerre, & hanc, inquit Beatus Leo Papa *a*, magnam sibi assumpsisse videbantur religionem, quia nullam respuebant falsitatem, de qua re idem Augustinus *b* ex professo alibi pertractauit. Et nihilominus, inquit Augustinus *c*, cum tot tantosque deos colerent, nullum eorum inducebant, qui legem aliquam tulerit, quid agendum, quidve fugiendum esset præscriberet. Certum est (inquit ille *d*) ad verum Deum illam pertinere curam, vt sui cultores rectè incedant, vtque bonos mores habeant: nullus enim dominus est, ita mentis, & rationis expers, vt in domo sua non aliquam legem seruis suis imponat, vt vel saltem, quæ ad sui pertineant obsequium, rectè iuxta ipsius voluntatem perficiant. Est Deus suprema mens, suprema sque omnium rationes continens: pertinetque propterea ad consultores Deos, inquit Augustinus, vitæ bonæ præcepta non occultare populis cultoribus suis, sed clara prædicatione præbere: per vates etiam suos conuenire, atque arguere peccātes, palam minari pœnas malè agentibus, præmia rectè agentibus, præmia rectè viuentibus polliceri. Dignum vtiq; erat, vt quomodo isti illorum sacra, ita illi istorum facta curarent. Nullas ergo leges Romanis Dij illorum tradiderunt, quibus vel bona præciperent, vel mala prohiberent. Quod si tales lege datas dicāt Romani, inquit Augustinus *a*, eas proferant: id namque illis erit impossibile. Proferatur (inquit *b*) ostendatur, & legatur, quas deorum leges illi ciuita i dare tas, contempserint Gracchi: vt seditionibus cuncta turbarent, quas Marius, & Cinna, vt in bella etiam progrederentur ciuilia, causis iniquissimis suscepta, & crudeliter gesta, crudeliusque finita, quas denique Sylla ipse, cuius vitam, mores, facta, describente Sallustio, alijsque historiæ scriptoribus non exhorreat? Quod si dicant Romani, iam à sapientibus hominibus leges sufficientes traditas fuisse, ideoque non oportuisse, vt Romanis nouas leges, Dij quos colebant, inducerent, hoc refellit Augustinus, primò quia hæc non Romana, sed Græca sunt, aut si propterea iam Romana,

post. Petr. & Pauli.
b 1. *de con. sen. Euāg. per multa capita.*
c 2. *de ciu.*
d *de ciu. c.* 4.

a 2. *de ciu. c.* 6.
b 2. *de ciu. c.* 22.

a *Lib. de quinque hæresibus, tom* 6.
b *Esa.* 33. 22.

Libro 2. *de ciu. Dei.*

a *Ser.* 1. *in natiu. A*

2 *de ciuit. c.* 7.

mana, quia, & Græcia, facta est Romana prouincia; non Deorum præcepta sunt, sed hominum inuenta, qui vt cunque conati sunt ingenijs acutissimis præditi, ratiocinando vestigare, quid in rerum natura latitaret, quod in moribus appetendum esset, aut fugiendum, quid in ipsis ratiocinandi regulis certa connexione traheretur, aut quid non esset consequens, vel etiam repugnaret, &c. Deinde si Philosophi fuerunt, qui aliquid inuenerunt, quod agendæ vitæ bonæ satis esse posset, Philosophis potius, quam Dijs diuini honores essent decernēdi, & melius, & honestius Platoni erigeretur templum, in quo libri eius legerentur, quam in templo Deorum illa sacra agerentur, quæ omnem impudentiam superabant. ¶ 11. Et certè si à Dijs suis Romani leges rectè viuendi acceperint (inquit Augustinus) non aliquot annos post Romam conditam ab Athenienſibus mutuarentur leges Solonis, quas tamen, non vt acceperunt tenuerunt, sed meliores, & emendatiores facere conati sunt. Anno fiquidem trecentesimo ab vrbe condita (vt Scholiastes Augustini ait) post multos inter plebem, & patres dissensiones, tres legati missi sunt in Græciam, iussi leges Solonis transcribere, & mores atque instituta reliquæ Græciæ cognoscere, vt componi status ciuitatis Romanæ exemplo Græcorum posset. Gnauiter est negotium à legatis transactum, & proximo anno redierunt, creatique sunt Decem viri legem ferendarum, qui primum decem tabulas iuris ciuilis Romani scripserunt, deinde addiderunt duas, approbatæque sunt omnes comitijs centuriatis: atque hæ sunt nobilissimæ leges duodecim tabularum, vt scribunt Liuius *a* Dionysius *b*, & alij. Nec voluerūt Romani *b* (inquit Augustin.) leges quas Lycurgus Lacedæmonijs tradidit, accipere, quamuis ipse ex Apollinis Delphi oraculo, & authoritate se instituisse, fuerit professus, quoniam id Romani prudenter credere noluerunt. Erant siquidem, vt Plato, & Aristoteles expendunt, leges agrestes, & sanguinariæ, nec earum alius finis erat, quam vt inuictos bellatores facerent Spartianos. Dij ergo Romani Rempublicam suam, cui tanquam Dij præsidebant, tenebant sine legibus. Et quamuis Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges ad ciuitatis regimen rediderit, de quibus Liuius, Dionysius, & Plutarchus in eius vita, tam insufficiētes erant, vt coacti fuerint Romani, ab alijs nationibus leges mutuare. Hoc autem ideò ab illis Dijs factum est (inquit Augustinus) quoniam dæmones erant, qui extremam hominum perniciem cupiebant, quas sine legibus tenebant, vt vnusquisque in viam suam declinaret, & cuiusque appetitus pro lege haberetur, quo in omnia vitia homines sub tali duce darentur præcipites: & ideò à populo tot templis, tot sacerdotibus, & sacrificiorum generibus, tam multiplicibus varijsque sacris, tot festis solennitatibus, tot tantorumque ludorum celebritatibus colebantur: vbi nihil dæmones nisi negotium suum egerunt, non curantes quemadmodum illi viuerent imò contendentes, vt etiam perditè viuerent, &c. Cupiebant, vt hominum concupiscentia nullo cōtineretur freno; audacia, nulla comprimeretur lege; ignorantia, nulla illustraretur luce: ideoque nullas leges Reipublicæ suæ ad vitam instituendam tradiderūt. Quo tandem manifestè demōstrarunt, se non veros Deos esse, qui cultorum suorum curarent bonum, sed potius dæmones inimicos, qui illorū exitium, & perditionē intenderet. Christus autem Dominus, verus Deus est Reipublicæ Christianæ. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum.* ¶ 12. Ad illū propterea pertinebat leges statuere, & promulgare, per quas demonstraret, se subditorum suorum curam gerere, eorum facta curare, actiones dirigire, per quas mala prohiberet, & bona præciperet. Ipse ergo, hoc ipso, quod Reipublicæ suæ se manifestum fecit, seseque tanquam verum eiusdem Reipublicæ suæ Deum proposuit, statim ad leges ferendas, quibus illa gubernaretur, se conuertit. Idcircò sedens in monte, tanquam Dominus,

2. Deciui. c. 22.

2. Deciu. cap. 26.

Viues ibid.

a Lib. 3.
b Lib. 10.

Baru. 3. 36

nus aperiens os suũ. Euangelicam legẽ, per quam ad regnum cœlorum suos perduceret, promulgare cœpit; beatos vocans pauperes spiritu, mites, lugentes, &c. Et multa statuens ad suæ Christianæ Reipublicæ institutionem. Inter hæc egregiè, insigniterque amoris lex circa inimicos splendet, qua modũ
Esa 48.16. præscribit, quem circa inimicum tenere debeamus, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis.* Et verè visus est Christus Dominus alludere voluisse, ad quædam egregia Esaiæ verba, quæ nunc in semetipso adimpleta exhibet. *Accedite ad me, & audite hæc: Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc misit me Dominus, & spiritus eius. Hæc dicit Dominus, redemptor tuus sanctus Israel. Ego Dominus docens te vtilia.* Quoniam hæc verba Christi mysterium egregiè explicãt, in omne latus se vertunt Rabbini, vt in alium sensum detorqueant, contendentes illa de ipsomet Esaia Propheta esse intelligenda. Sed si contextus Prophetæ attendatur, manifestè apparet, Deum ipsum esse, qui loquitur, vt demonstrant Sancti Patres, Ambrosius *a*, Chrysostomus *b*, Cyrillus *c*, Athanasius *d*, Eusebius *e*, & signãter B. Augustin. *f*, multis in locis, præcipuè contra Maximinum Arrianum agens, vbi cum huius captitis verba subiecisset, subdidit: Quid his apertius? Et mirè vrget Origenes *g*, Iudæos, his verbis, quærens ab eis, vt dicerent, quis hic esset, qui loquitur: multa enim de se dicit, quæ in solum Christum possunt quadrare: primum, quod quando lex data est in monte Sina, ibi ipse erat, qui loquebatur, (aut per se ipsum, aut per Angelum) non certè in abscondito, aut secretè, sed tam pulchrè, quantum sonitus buccinæ, & horrisona tonitrua, ignisque ardentissimus demonstrabant. Hocque est, quod dicit: *Non à principio in abscondito locutus sum*, id est: Ego sum, qui antiquitus legem tuli, non in abscondito, sed palam, & manifestè, ac conspicientibus cunctis. Ita Chrysostomus interpretatur. Et quoniã dicere quis poterat, quod postea Iudæi dixerunt: *Quinquaginta annos nondum habes*, & iam ibi fuisti; addidit, dicens, se antequam lex illa daretur, iam extitisse: quippe qui, antequam mundus fieret, iam erat. Id enim significat illud, *Ex tempore antequam fieret ibi eram*. Quod ita exponit Augustin. contra Arrianos: Ex tempore quid est? nunquid ex eo, quod tempus esse cœpit, quasi ipse non fuerit ante omne tempus? Non non sic impij, sed ex tempore, id est, antequam fieret tempus. Hanc intelligẽtiam confirmat nostri temporis quidam diligens author, ex vi Hebraici sermonis, secundum quem, ita posset transferri: *Priusquam tempus essendi hæc* (. i. omnia, quæ habent esse, cœli, terra, & omnia creata, de quibus paulò ante locutus fuerat) *eram*. Is ergo, qui ante omnia creata, & antequam mundus fieret, iam erat, *nunc* in tempore missum se exhibet à Patre, & Spiritu sancto. *Et nunc*, inquit, *misit me Dominus, & spiritus eius.* Quibus verbis, & sanctæ Trinitatis mysterium expresse satis indicauit, seq; vnam ex tribus personis manifestè asseruit, vt omnes citati Patres annotarunt, signanter. Athanasius *a*, Augustinus *b*, Basilius *c*, Gregorius Nyssenus *d*, & alij, quos præfatus nostri temporis author citat. Considera ergo Christum Dominum in monte sedentem, tanquam regem supremum, & legislatorem summum dicentem: *Accedite ad me, & audite hæc*: Ego ipse sum qui legem antiquam tuli. Elegi olim populum Iudæorum, qui me haberet tanquam verum, legitimumq; Deum, quem coleret, & veneraretur, ad me propterea hoc ipso spectabat leges eidem dare, per quas dirigeretur, & gubernaretur. Illas non obscurè, aut in abscondito tuli, sed publicè in monte Sina: Ego ipse, qui legem illam olim tuli, nunc à Patre, & Spiritu sancto missus sum, qui Ecclesiæ Christianæ Rempublicã cõstituã, qui ꝓpterea leges, per quas gubernetur ꝓmulgo; *Venite*, ergò, *accedite, audite hæc*. Hac de causa paulò ante hęc verba ꝑmisit: *Ego ipse, ego primus & ego nouissimus*, vt egregiè annotauit Augustin. *e*, quasi dicẽs: Ego qui primus vester

a *Lib. 2. de fide c. 4.*
b *Ho. 1. de Spiritu S. ad fin. to. 3.*
c *In exposi. fidei.*
d *Lib. 3. de Spiritu S. in prin. & med.*
e *Li. 6 c. 22*
f *20. De ciuit. c. 30. & l. 3. cõt. Maximi Arria. ca. 20. tom. 6.*
g *Li. 1. cõt. Celsum. Ioan. 5. 58.*

Orat. de quinque haref. to. 5. ¶ 13.
Leo Castr. in cap. 48. Esai.

a *Lib. 1. de assumpt. carn.*
b *Ser. 1. de temp.*
c *Aduersus negantes adorãdum Spiritum sanctum.*
d *De cognitione Dei.*

Esa. 48. 12.
e *20. De ciu. c. 30. & lib. 2. cont. Max. Arr. c. 20.*

vester extiti legislator. Ego ipse nouissimus, à Patre missus, qui *a nouissimè misit filiũ suum*, vt *b*, *nouissimè loqueretur in filio*, vt legẽ nouissimam, ac vltimã, postquam alia expectanda non sit, proferam. Venite, accedite, audite. Antiquitus cum legem illam tuli, terroribus, & fulminibus, ac tonitruis terrentibus circumdatus eram, nunc benignus, similem vobis me repræsento: Venite, nolite timere. Quasi autem iam se ipsum circundantes attentosq; nos considerans, quid dicere velit, exponit. *Hæc* inquit, *dicit Dominus, redemptor tuus sanctus Israel: Ego dominus, docens te vtilia.* De Euangelica lege S. Patres hæc verba intelligunt Antiqua lex aliquo pacto inutilis dici potest, eo modo, quem Paulus explicauit, dicens, illam tantum continuisse *infirma, & egena elementa*, quæ malum quidem & bonum ostendebat, sed vires non poterat præstare ad perficiendum bonum, & fugiendum malum, vt ex professo idem Paulus prosequitur, docens, *quod cum aduenisset mandatum, reuixit peccatum, quod sine lege mortuum erat*, & quod *peccatũ occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam*. De quibus videndi sunt S. Patres, hanc doctrinam exponentes, Et certè eodem modo, quo Deus antiqua *præcepta* vocauit, *non bona & iudicia, in quibus non viuent*, possumus illa vocare inutilia: quod enim vtile est, bonum est, vt declarat Ambros. Inutilis lex, quæ vires non præbebat, ianuam cœli non aperiebat, præmium non poterat præstare: lex autem Euangelica aptissimè dicitur vtilissima, quæ non solum bonum ostendit sequendum, & malum indicat fugiendum, sed, & vires præstat, vt illud perficiatur, & hoc vitetur: continet enim gratiam S. Sancti, quæ adiuuat infirmitatẽ, & robur validissimum tribuit, vt egregiè exposuit D. Thomas, *a*, alijque Theologi cum eo. His fauent quæ quidam *b*, annotant, in Hebræo haberi verbum, *Gogbil*, quod significat adiuuare, aut præstare vim, vel ferre opem, de quo Brixianus *c*, vt reddere possis: *Ego Dominus docens te adiuuantia*, id est, ea quę tibi possunt esse auxilio; non *egena aut infirma elementa*, sicut antiquitus, quę non poterant iuuare seruantem, sed Euangelicam legem, continentem in se gratiam S. Sancti: *qui adiuuat omnem infirmitatem*. Alij legũt *subleuantia*, aut *leuamen*, *vel solatium addentia*: lex namq; antiqua, grauissima erat, quam dedit Deus per Moysen, *cuius manus graues erant*, quam propterea Petrus vocauit *iugum, quod neq; nos neque Patres nostri portare potuimus*: Hoc iugum Christus Dominus excutit, ab illo Rempublicam suam liberans, legem Euangelicam suauem promulgat, quam *iugum suaue, & onus leue*, ipse vocat. Et rectè quidem, vt expendit Augustinus, ad Marcellini difficultatem primã, quã supra supra tradidimus respondens. Hoc enim lex omnis habere debet, vt recta sit, quod debet esse conueniens, & quadrans Reipublicę, cui traditur: nec enim pueris eadem lex, quę viris imponenda est. Antiqua lex tradita est populo puerili, imperfecto, & infirmo; lex propterea illa imperfecta, infirma, & quasi puerilibus occupationibus congrua esse debebat. At lex Euangelica traditur populo Christiano, quem ad sublimia euehit Christus, legem propterea sublimem, perfectam, & omnibus numeris absolutam, ille debuit tradere, quod, & Deus ipse antiquitus se facturum promiserat dicens: *Ecce dies venient, & confirmabo super domum Iacob testamentum nouum, non sicut testamentum, quod disposui patribus eorum, cum eduxi eos de terra Ægypti, &c. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*. Antiquitus legem in tabulis, postea in cordibus. Vide Christum nũc hoc ipsum adimplentem: Audistis, quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis. Non atramento, aut calamo vtor ad scribendum, aut in lapidibus scribo legem, quam profero, sed in cordibus vestris: Ego dico vobis, &c.

(?)

a Matt. 5 1. 37.
b Heb. 1.2.
ad Gal. 5.9
Rom. 7.8.9
Ezech. 20. 23.
¶ 14.
Libr. 1. off. 1.9.
a 1.2. qu. 106. art. 1. & 2.
b Leo Cast.
c Brixian. tom. 1. fol. 139. tom. 6
ad Rom. 6.
Forer. ibi
Act. 15.10. Exo. 17.12
Mat. 11.30 Epist. 5. ad Marcel.
Ier. 31.32.

§. 3. *Complet Christus quod Zachariæ ostenderat, ædificans Ecclesiam sub perpendiculo Euãgelicæ legis, iuxta quam, effectus sunt extendendi, & contrahendi,*

¶ 15. Sicut Christus Dominus venit fundare ciuitatem, & Rempublicam Ecclesiæ, ita, & eidem leges tradere, per quas regatur, & gubernetur. Hoc autem qua ratione factum fuerit, prædixit Sanctus Vates Zacharias. Difficiles sunt sane illius sancti Prophetæ visiones, cuius propterea librum Hieronymus, obscuriſſimum vocat: earum autem prima ab omnibus iudicatur difficillima, quæ tamen insigne mysterium expressit. Tenebatur populus Dei captiuus apud Babylonem, eratq; iam captiuitatis septuagesimus annus, & iam de exitu ab illa terra, & reditu in patrium solum desperasse videbatur: Propheta nihilominus continuis precibus insistebat, orans pro populi liberatione Quadam ergo nocte orationi insistens vidit Archangelũ Michaelem sub specie pulcherrimi equitis insidentis equo rufo. *Ecce*, inquit, *vir ascendens super equum rufum*. Hebrei, vt Hieronym. annotauit, Michaelem Angelorum principem intelligunt, quem, & ipsemet Propheta statim vocat *Angelum Domini*, vt Theodoret. & Lyran. annotarunt, Eratque is cui populi Dei cura cõmissa fuerat, *Et ipse*, inquit, *stabat inter myrteta*, id est in loco amœno, ac lętissimo, myrtis consito, quas Hebræi arbores vocant pulcherrimas, lætitiæ signum præ se ferentes, vt ex Hierony. *a*, Lyranus *b*, obseruauit. voluit Michael Archangelus hoc ipso designare, quod læta, & iucunda erant, quæ Deus Prophetæ ostendere parabat. Statim autẽ post eum, venerunt alij equites pulcherrimi, insidentes equis diuersorum colorum, rufis, varijs, & albis: quamuis enim tantum dicat Propheta, *Et post eum equi rufi, & varij*, etiã hoc nomine ipsorum equorum sessores intelligi, satis ex textu colligitur, indicatque Hieronymus, & tanquam cõforme omnium sententiæ Lyranus tradit. Erant autem hi equites, vt ipse Hieronymus intelligit, Angeli custodes aliorũ regnorũ. Regnaque, quibus præterant, sub equorum symbolo expressa sunt, propter eorum impetum, robur, & vim: varijs verò coloribus, quasi sub hierogliphico quo dã cuiusque regn mores expressi sunt, vt non obscurè idem Hieronym. annotauit, omnesq; fatentur autores. Accedentes verò isti Angeli ad Principem eorum Michalem, dixerunt: *Ambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit* Referebant enim Angeli præfecti aliorum regnorum ad Michaelem, vnusquisq; quid in sua Prouincia ageretur, & quod omnis terra pace fruebatur, & quietè omnes habitatores in suis Prouincijs viuerent, absque aliquo bellorum strepitu. Huius occasione, inquit, Hieronymus, Michael, qui Dei populo principabatur, ad Dominum pro eodem populo exorandum se conuertit, dixitque *Domine exercituum, vsquequo tu non miserereberis Ierusalem, & verbum Iuda, quibus iratus es?* Quasi dicat: Omnes homines in suis prouincijs pace perfruuntur, & vnaquæque Gens in suo proprio, & natiuo solo requiescit, solus populus tuus est, qui misera seruitute afflligitur, quique extra ciuitates suas, & propriam patriam exul, dura, miseriaque captiuitate, ac seruitute absumitur. Quare ergo qui in barbaras, & infideles nationes misericors es, non misereris populo tuo? maximè cum iam, iuxta promissa tua captiuitatis tempus impletum sit. *Iste enim iam septuagesimus annus est*. Hęc omnia attentissimè sanctus Propheta auscultabat, & considerabat, & summo affectu expectabat, quidnam Deus supplicanti Angelo responderet. Deus autem volens eidem satisfacere, iussit cuidam Angelo (fortè erat Angelus Prophetæ custos) per quem illum instruere solebat, vt loqueretur ad eum: *verba bona, & consolatoria, dicens: Hæc dicit Dominus: Zelatus sum Ierusalem, & Sion, zelo magno, &c. Propterea hæc dicit Dominus Reuertar ad Ierusalem in misericordijs, & domus mea ædificabitur, & perpendiculum ex-*

Prol. in Zach.

Zach. 1. 6.

Prol. in Zachar.

Zach. 1. 12

In cap. 1. Zach.

a *Prol. in Zach. qui habetur in bibliis.*

b *In cap. 1. Zach.*

In cap. 1. Zach. Ibidi

In c. 1. & 6 Zach.

In cap. 1. Zach.

ten-

extendetur super Ierusalem. Voluit in primis Deus rationem reddere, cur populum suum dilectum tam acri longaque captiuitate afflixerit: asseritque se id non fecisse ex odio, sed ex zelo, & amore ardentissimo; & quomodo pius pater, qui propter amorem flagellat filium, vt corrigatur, quando iam humiliatum, correptumque videt, ad eúdem se conuertit, multa amoris, & beneuolentiæ opera exhibens, ita ego, inquit Deus, propter amorem, populum meum afflixi, vt corrigeretur; sed nunc cum eum humiliatum video, conuertar ad eum, magnas misericordias in illum effusurus. Et quoniam Ierusalem destructa est, & deserta, eam reædificabo, nõ quomodocunque sed extendendo perpendiculum ad rectam ædificij directionem. Ne autem crederet Propheta, quod in longa tempora hæc essent differenda, statim quasi quod promittebat Deus opere complere volens, seipsum exhibuit Prophetæ oculis, sub typo architecti, procedentis cum perpendiculo, & funiculo ad ædificandum. *Et leuaui*, inquit, *oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum, & dixi: Quo tu vadis? & dixis ad me: Vt metiar Ierusalem, vt videam quanta sit longitudo eius, & latitudo.* Loquitur metaphora sumpta ab architecto, qui ædificium aliquod extructurus, prius funiculum, aut chordam super extendit, vt metiatur longitudinem, & latitudinem, sub qua illud includere decreuit. Hæc cum dixisset vir ille, audiuit vocem Angeli clamantis: *Absque muro habitabatur Ierusalem pra multitudine hominum*, id est, Ita est ædificanda Ierusalem, vt nullo muro, aut termino sit claudenda, cuius habitatores in tanta multitudine futuri sunt, vt nullo comprehendantur numero. Hęc sunt quæ audiuit, & vidit Propheta. Circa quæ illud singulare exoritur dubium, quomodo is, qui ad ædificandam Ierusalem procedebat, deferat funiculum, quem extendat ad metiendam latitudinem, & longitudinem exruendæ ciuitatis, si illa nullo muro, aut terminis erat concludenda? si illa tali erat futura, quæ nullo termino clauderetur, quippe quæ innumeram, & sine termino multitudinem hominum capere posset, & capiat, quomodo eius ædificator funiculum defert, vt sub peculiari longitudine, & latitudine eam ædificet? sunt qui hæc carnaliter intelligunt, inquit Hieronymus, & completa credunt in reædificatione corporali Ierusalem, & templi, quæ statim facta fuit per Zorobabel, & Iesum filium Iosedech, & Esdram, & Neæmiam. Insufficiens tamen est intelligentia, quæ minus bene propositam difficultatem expedire potest, nec ad rem temporalem tanta, talisque visio solummodo ordinanda. Hæc tamen legitima explicatio. Occasione liberationis ab illa temporali captiuitate, & reædificationis Ierusalem, & templi illius, quæ iam instabat, quam Prophetæ desiderabat tunc, & Angelus postulauerat, transiuit Deus more suo, ad prædicendam liberationem à peccato, & ædificationem Ecclesiæ per Christũ complendam: ideò enim, vt annotat Hieronymus, præcepit Deus Angelo, vt diceret ad Prophetam, *verba bona, & consolatoria*: consolatoria namque dici iussit, propter necessitatem præsentem, quam patiebatur populus, quam iam reparare festinabat: bona autem, propter futurorum promissionem, quam præcipuè intendebat, nam illa absolutè bona vocabantur, sicut scriptum est, *Quam pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*. Hunc que morem Deum, & Prophetas seruasse, quod scilicet exijs, quæ secundum præsentem occasionem se offerebant, transibant ad ea, quę per Christũ erant complenda, docet Chrysostomus *a*, & peculiariter de duodecim Prophetis minoribus docuit S. Dorotheus martyr *b*, signanter autem de Zacharia, quem Chrysostomus *c*, vocat nobilem genere, & ditatum spiritu, qui futura dicebat, prænentia non tacebat, præterita non ignorabat. Expende igitur diuinam promissionem, completam quidem tunc secũdum typum, & figuram, in liberatione populi, & temporali reędificatione materialis Ierusalem: sed secundum veritatem, & spiritum, complendam per Chri-

Zach. 2. 1.

In cap. 2. Zach.

In cap. 1. Zach.

Esai. 52. 7. ad Rom. 10. 15.

¶ 17.

a *Hom. 32. in Genes.*
b *in Synop si habetur to. 7. Bibl. SS. PP. col. 139. & 42.*
c *Hom. in illud, Vir oriẽs, to. 5. col. 1418.*

ſtum: *Reuertar*, inquit, *ad Ieruſalem in miſericordijs*. Vide egregiam promiſſionem. Sui aduentum promittit Deus, per quem verè dictus eſt veniſſe

Luc. 1. 78. in miſericordijs, quando *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit*

Ad Epheſ. 2. 4. *nos oriens ex alto*, quando Deus, *qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam*

¶ 18. *charitatem ſuam, viuificauit nos, &c.* In miſericordijs, inquit, venit enim ad hominis miſerias ſublenandas, & quoniam illæ erant innumeræ oportebat innumeras etiã eſſe miſericordias,

Pſ 102. 4. ad Heb. 5. 2. vt dicere Dauid poſſet, *Qui coronat te*, cingit, circundat, omni ex parte, *in miſericordijs, & miſeratione, quoniam circundatus es omni ex parte infirmitate*, & miſerijs. *Venit inſuper* ad ædificandam Ieruſalem, id eſt, Eccleſiam, in qua omnibus his miſericordijs frui poſſemus. Et ideo (inquit Hieronymus (apparuit tanquam *vir habens in manu funiculum menſorum*, aut architectorum, quaſi ad ædificandum paratus, quoniam

a Eſai. 45. 13. ipſe eſt, de quo dixerat Pater *a*: *Ipſe ædificabit ciuitatem meam*, de qua dicitur

b ad Hebr. 1. 10. *b*, quod *eſt eius artifex, & cõditor Deus*: & iterum *c*, *ædificans Ieruſalem Dominus*. Ipſeque eſt, qui ab Ezechiele *d*,

c Pſ 146. 2 d Ezec. 40. 3. cernitur habens funiculum in manu ſua, vt metiretur, & ædificaret Ieruſalem, & templum. Eſt perpendiculum aut funiculus, inſtrumentum quoddã architecti, quo tanquam regula, plumbo à filo pendente, rectitudo, & obliquitas operis expenditur, & examinatur, per quod ſuo quoque loco ſinguli lapides reponuntur, cuius directione comprimuntur, qui nimis egrediuntur.

Brixia. in arcano 2. fol. 129. In Hebræo vocatur *Kau*, cuius ſæpè fit mentio in Scriptura ſacra, eſtque ſymbolum legis, quæ nihil aliud eſt, quam regula, ſecundum quam opus vt rectũ ſit, conſtruendum eſt. Non eſt Chriſtus ſimilis Dijs gentium, qui verè Dij non erant, qui Rempublicam ſuam nullis legibus rectificare, aut gubernare curabant, vt antea ex Diuo Auguſtino dictum eſt, ſed Eccleſiæ ſuæ Sanctæ Rempublicam ædificans, extendit perpendiculum, aut regulam, aut funiculum, qui illam ſub peculiari lege ordinat, & diſponit, qua mala cohibeat, & bona inducat. Ex quibus explicare poſſumus difficultatem propoſitam, circa Zachariæ viſionem. Quomodo is, qui Ieruſalem ædificaturus erat, funiculum deferret, metiturus longitudinem, & latitudinem ciuitatis ædificandæ, ſi illa nullis erat terminis includenda, quæ *abſque muro erat habitanda, pra multitudine hominum, & iumentorum?* Certè vt intelligeremus, non tam de illa Ieruſalem terrena, quæ tunc erat reædificanda, quam de Catholica Eccleſia per Chriſtum fundanda (quæ Ieruſalem verè dici poteſt) ſermonem fieri. Illa ſiquidem Ieruſalem, ex materialibus lapidibus materiali calce reuinctis conſtructa fuit cincta muro, & peculiaribus, ac determinatis terminis concluſa, vt ex Neemiæ conſtat hiſtoria: at Eccleſia vel Ieruſalem ſpiritualis, non ex lapidibus materialibus, ſed myſticis, componitur, & ædificatur ex multitudine hominum, ſcilicet iuſtorũ, & iumentorum, id eſt peccatorum fidelium, ſub vno capite Chriſto. Hæc nullis terminis, aut muris cingitur, quippe quæ per totum orbem erat extendenda, quæ ideò vocatur Catholica, id eſt, vniuerſalis, quia ad vniuerſum orbem, ad vniuerſaſque nationes (vt demonſtrat Auguſtinus) extenditur. Nihilominus ſub perpendiculo, aut funę ædificatur, quo longitudo eius, & latitudo metiri poſſit: nec enim fideles ſuos, ex quibus Eccleſia conſtruitur, ſine lege Chriſtus reliquit, ſed ſub peculiari fide, & Euangelica lege concluſit, ſecundum quam omnes affectus, & opera vnuſquiſque metiatur. Quibus concinuiſſe viſus eſt Sanctus Propheta, canens: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*: quod Apoſtolus, de prædicatione Euangelicæ legis per Apoſtolos fienda exponit. In Hebræo, *Kau*, id eſt, regula, menſura, lex, perpendiculũ. Regulam adhibuit Chriſtus ad Eccleſiæ ædificationem, non quidem ad metiendum determinatum locum, vel gentem, vel nationem, erat enim Eccleſia per totum orbem diffundenda, ſed vt eius ciues ſecundum eã ſuas actiones, affectuſque extenderent, & contraherent. Ne credat homo Chriſtianus, ſe per Chriſtum ad eam libertatem reductum, per quam nulli legi ſu-

Pauſa 9.

Epi. 50. ad Bonifac.

Pſal. 18. 5. ad Rom. 10. 18.

2. De ciuit.

subiectus maneat: actiones namque,
Esa.28.17. vt rectæ fint, ſecundum determinatam regulam ſunt agendæ. Quibus illud concinit, quod ex perſona Chriſti ad literam dixit Eſaias, poſtquam præmiſit, Chriſtum tanquam lapidem fundamentalem, ſuper quem Eccleſiæ ciuitas ædificaretur: *Et ponam*, inquit, *iuſtitiam in menſura*: in Hebræo vox Kau, quæ vt diximus, perpendiculũ, funiculum, regulam, qua fabri, architecti, vel latomi vtuntur, vt ad eius normam, & directionem opus perficiatur, ſignificat: quaſi dicat: Non ſine lege relinquenda eſt ciuitas, ſuper me ædificata, ſed legem, menſuram, aut regulam, extendam, vel funiculum, quæ menſura ſit iuſtitiæ, vt videlicet illud iudicetur iuſtum, quod tali menſuræ fuerit conforme; ponam iuſtitiam in menſura. Habuerunt Phariſæi ſuæ iuſtitiæ regulam, & menſuram, legem ſcilicet veterẽ, ſed quoniam ciues ciuitatis Chriſti ampliorem iuſtitiam tenere debebant, quibus dixit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum*, oportuit excellentiorem regulam, ac menſuram ampliorem, & capaciorem extendere, ad quam eorum iuſtitia conformaretur, quibus dixit:
Ego autem dico vobis, &c. Euangelicam
¶ 20. ergo legem Chriſtus Dominus ſuper-extendit, ſuam ædificans Eccleſiam, per quam perſcribitur modus affectibus noſtris, quo comprimi, vel extendi debent. In ea autem, quia lex amoris dicitur, egregium ac principem locum tenet præceptum dilectionis, per quod Chriſtus ſtatuit legem, ſecundum quã, amor ſui comprimendus eſt, & ita extendendus amor proximi, vt etiam ad remotiſſimos, & longè diſtantes inimicos pertingat, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Nec enim, vt impij hæretici contendunt, Chriſtus illeges, aut ſine lege reliquit ſuæ ciuitatis habitatores, vt vnuſquiſque id agat, quod ſibi libitum fuerit. Si ergo ad Chriſti Rempublicã pertines, & illius ciuis diuinæ gratiæ dono es adſcriptus, ſcito te peculiaribus legibus adſtrictum, ſignanter iſta, de dilectione inimicorum. Architectus quando ædificat, perpendiculum extendit, ad cuius normã lapides, qui plus debito excedunt, & ſuperegrediuntur, perſtringit, & contrahit; & eos qui nimis cõtracti tenentur, extrahit, & producit. Ita Chriſtus Dominus ſuſcepit ædificãdam Eccleſiam, ſub peculiari lege Euãgelica, ſecundum quam contrahit, quod nimis extendebatur, & producit, quod tenebatur contractum. Erat ſiquidem amor hominis erga ſeipſum nimis productus, qua de cauſa homo plus iuſto corpori ſuo indulgebat, & delitijs nimis vacabat; oportuit propterea hunc lapidem perſtringere, & iuſtum amorẽ contrahere. *Qui vult*, inquit, *venire, poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, &c.* Similiter amor erga parentes, filios, & conſaguineos erat nimis productus, & extenſus, oportebat propterea eum comprimi: *Qui non odit*, inquit, *patrem, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus, &c. Veni ſeparare filium aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, &c.* Quæ quomodo ſint intelligenda, non vacat nunc explicare. Amor autem erga proximos, nimis erat compreſſus, nec protrahebatur nili vſque ad amicos. Oportuit ergo hunc extrahi, vt vſque ad inimicos ipſos perueniat: *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros.* Manus contracta erat tantum ad benefacientes, oportuit, vt etiam ad malefacientes illa extenderetur;

Matth.16. 24. Luc.9. 23.

Matt.10. Mar.8.34. Luc.14.26. & 16.33.

Benefacite ijs, qui oderunt vos.

§. 4. *Fasciculus in terra fundatus, est Ecclesia, quam, quia ad normam cœlestis Reipublicæ extruxit Christus, dicitur descendisse de cœlo.*

¶ 21. AMplius prosequi possumus, quod cœpimus, obseruantes Sanctum Prophetam Amos, difficillimis quibusdam verbis altissimum mysterium expressisse. De Deo ille loquens. *Qui ædificat*, inquit, *in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum in terra fundauit,* 3. Reg. 7. *&c. Dominus nomen eius.* Videtur loqui allusione facta ad Salomonem, qui iuxta Regum consuetudinem duplicem domum regiam ædificauit, vnam in ciuitate Regia Ierusalem, quæ metropolis erat regni, in qua secundum regiã maiestatem viueret, & regaliter vt ita dicam ageret, alteram in nemore, quam ad venationem, & animi recreationem extruxit, quam vocauit domũ saltus Libani. Dicebatur domus saltus, aut syluæ vel nemoris, quia circa illam (vt inquit Lyranus) erant viridaria, varijs arboribus consita: dicebatur autem domus Libani, quia de lignis montis Libani (inquit Glossa interlinearis) fuit extructa. Illam ædificauit tanquam sedem maiestatis, in qua tam glorioſum, admirãdumque se exhiberet, cùm viris, excellentissimis, sibi assistentibus, vt in admirationem omnes raperet, sicut Regina Saba, quæ videns illius domus maiestatem, & regis splendorem, exclamauit: *Beati serui tui, qui habitant coram te semper.* Hanc verò extruxit, recreandi animi causa, ad quam procederet aliquo determinato tempore ad venandum, vel colligendũ flores, & fructus hortorum circunstantium. Et quidem, vt obseruat Lyranus, Scriptura facta, cum domum regiam in ciuitate regali extructam describit, breuissimis verbis agit: tantùm enim dicit: *Domum suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit*: Dum autem describit domum in nemore ædificatarus, longo vtitur verborum apparatu, exprimens longitudinem eius, & latitudinem, columnas, & mansiones, & materiam, de qua constructa erat. Hoc autem ideo credit Lyranus factum fuisse, quoniam domus nemoris ad normã, & typum domus ciuitatis regiæ erat extructa, ideoque descripta vna, non oportuit aliam describere. Aut verò id factum credo, quoniam domus in ciuitate ædificata, tantæ erat maiestatis, tot tantaque admiranda, ac mirifica erant in ea extructa, vt nullis posset verbis exprimi, & solùmmodo dicit Spiritus Sanctus, quod tredecim annis durauit ædificium, & quod ad perfectum vsque perductum fuit, vt qui attendunt, Salomonem solo septẽ annorum spatio templum illud ædificasse, tam magnificum, & sumptuosum, colligant, quid fecerit in ædificio, in quo tredecim annos insumpsit: certè *ad perfectum vsque omnia perduxit*. Ædificium autem in nemore extructum, etsi regale fuerit, describi tamen potuit, & exprimi verbis, quæ in illo Salomon fecit. Et quidem ex eadem materia vtraque domus fuit extructa, ex lapidibus scilicet, & lignis cedrinis, quæ tamen in domo nemoris non acceperant supremam perfectionem, neque suprema manu erant elaborata: in domo autem ciuitatis Regiæ, ad perfectum vsque erant perducta. Duplicem similiter sibi Deum fecisse domum, aut habitationem indicat facer Propheta Amos verbis citatis: vnam in illa regia ciuitate Ierusalem supernæ beatitudinis, in qua habitat cum ijs, qui secum regnant: *Qui ædificat*, inquit, *in cœlo ascensionem suam*. Ascensio sumitur, pro loco sublimi, ad quem non nisi ascendẽdo possumus peruenire: cœlumque supremum intelligit, in quo Deus gloriæ suæ domum, aut palatium ædificauit. Chaldæus legit. *Qui collocauit in præsidio excelso, siue in alta arce maiestatẽ gloriæ suæ*; tam alta certè, ad quam nõ pertingere potest fames, sitis, nuditas, infirmitas, mors, lacrymæ, aut aliquid cuiusuis generis malum. In Hebræo habetur: *ædificat in cœlo ascensiones suas*: qua dicendi forma, domum significat excellentissimam, omnium domorum, & habitationum perfectiones

In cap. 7. 3. Reg. 3. Reg. 10. 8. 3. Reg. 7. 1. 3. Reg. 7. 2.

nes continentem. Solet enim apud Hebræos pluralis numerus vim superlatiui habere, vt alibi dictum est. Aut verò voluit Propheta indicare, in illa suprema domo, quam Deus ædificauit, electisque suis parauit, multas esse ascensiones, aut loca, ad quæ ascendere possimus, eo modo, quo dixit Christus Dominus: *Ioan. 14. 2.* *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Hæc domus tanta est, vt nullis verbis possit eius maiestas describi, aut explicari: *Esai. 64. & 1. Cor. 2. 9.* *nec enim oculus vidit, aut auris audiuit, aut in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit ijs, qui diligunt illum.* Sed, & aliam domum Regiam in nemore voluit Deus extruere, Ecclesiam videlicet militantem, quam Scriptura sacra, nunc domum, nunc ciuitatem vocat, vt Diuus Thomas egregiè annotat: de qua Propheta subdit, *In cap. 2. ad Ephes. lect. 6.* *Et fasciculum suum in terra fundauit.* Ecclesiam antiquam intelligit paraphrastes Chaldæus, quam Propheta vocat fasciculum, sicut antiquitus Moyses vocauit funiculum dicens: *Deut. 32. 9.* *Quando dividebat altissimus gentes, &c. Iacob funiculus hæreditatis eius.* Verius tamen de Ecclesia à Christo fundata loquitur Propheta, quam fasciculum vocat, quia in sui exordio tam parua fuit, vt ipsemet vocaret eã, pusillum gregem, dicens: *Luc. 12. 32.* *Nolite timere pusillus grex.* Aut verò, vt rectè annotat Hieronymus, ideo Ecclesia à *In cap 9. Amos.* Christo Domino constructa, fasciculus vocatur, quia fideles, ex quibus cõstat, modum tenent fasciculi. In fasciculo namque multæ sunt virgulæ, debiles, infirmæ secundum se, non quidem solutæ, hac enim ratione statim omnes defluerent, & confringerentur, sed vinculo colligatæ, quo fortem fasciculum conficiunt, Ecclesiam suam fundauit Christus, id est, firmissimè ædificauit, ex virgulis debilibus, ex hominibus scilicet secundum se infirmis, sed non illos reliquit solutos, quia nullatenus possent conseruari, sed illos peculiari lege Euangelica colligauit, illaque est, quæ eos tenet constrictos, & ligatos. Vnde, & ipsa religio, inquit Hieronymus, à religando, & in fascem Domini vinciendo, nomen accepit. Et ipse quidem hîic fasciculum in terra fundauit, qui solus potens erat Ecclesiam suam (quæ ex hominibus infirmis, sicut fasciculus ex virgis delicatis constat) tãta firmitate construere, & ædificare, vt nec *porta inferi possint contra eũ prævalere*: ideò, inquit Hieronymus *a*, dicitur *b* eius *artifex, & conditor Deus*, qui ad hoc venit in mundum, vt ciuitatem hanc ædificaret, & fundaret, quem propterea viderunt Ezechiel, & Zacharias sub typo architecti, procedentis cum perpendiculo ad ædificandum, vt paulò ante dictum est. Propter quod etiam ad eandem Ecclesiam Dominus loquês inquit Augustinus, dicit per Prophetã: *Ego sum Dominus faciens te.* Vtraque autem domus ex eadem materia constituitur, ex eisdem videlicet lapidibus, & lignis cedrinis; quia cœleste illud palatium construitur in cœlis ex eisdẽ hominibus, qui in mundo viuentes hanc constituebant Ecclesiam. In ea nondum plenam perfectionem erant consecuti, sicuti nec ligna, & lapides domus nemoris: *1. Cor. 13. 10.* *cùm autem venit quod perfectum est, euacuatum est quod ex parte*, & imperfectum est. Propterea conuenientissimum fuit, vt domus hæc ad illius normam, & typum construeretur, & ædificaretur, sicuti, & domus nemoris ad similitudinem domus ciuitatis regiæ ædificata erat. Quod ex doctrina Beati Augustini ita explicari potest. Tres sane Respublicas agnoscimus, ad quas omnes habitatores reducuntur. Vna est Respublica inferni, in qua regnat, & præsidet Lucifer, vbi diuina iustitia resplendet, puniens vnumquemque iuxta culpæ suæ demeritum. Huius Reipublicæ habitatores sunt omnes dãnati, angeli scilicet rebelles, & homines impij, qui in iniquitate sua mortui sũt. Ibi situs est impius Cain, prophanus Esau, ibi iacent homines ex omnibus nationibus impuri, impudici, homicidæ, fures, adulteri, quos vidit Ezechiel, vt alibi diximus. Ibi sepulti *Ezech 32.* sunt Dathan, & Abiron, quorum superbiam non potuit terra sustinere. Ibi *Num. 16.* diues ille crudelis, *Luc. 16.* qui cum epularetur quotidie splendidè, nec micas de mensa cadentes pauperi Lazaro dabat. Alia est Respublica mundi, in qua præsidet appetitus carnalis, & viuũt in ea

§ 23.

Matth. 16. 18.

a In cap. 2. Ezech

b Ad Heb. 11. 10.

20. de ciui. cap. 17.

Esa. 45. 28

In Ps 108. in illud, pro eo vt me diligerent.

&ad

& ad eam pertinent homines, terrena solummodo curantes, quos Sanctus
Iudæv.19. Iudas Apostolus, *Animales spiritum nō*
Ioan.8.23. *habentes*, vocat, quibus Christus dixit:
Sap 2 6. *Vos de deorsum estis*. Huius Reipubli-
Iob 21.13. cæ habitatores erant ij, quos Sapiens describit, dicentes; *Venite fruamur bonis &c coronemus nos rosis, &c. Nullum sit pratum quod non pertranseat superbia nostra, qui ducunt in bonis dies suos, & tenent tympanum, & gaudent ad vocem psalterij*, ad quos Dominus loquitur, dicens: *Amos.6.4* *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege: & vitulos de medio armenti qui cantis ad vocem psalterij libentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil compatiebantur super contritione Ioseph*; qui
Esa.22.13 dicere videntur: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, &c.* Respu-
& 1.Cor. 15.32. blica hæc nimia varietate redundat: vnus moritur, alius nascitur, vnus ridet, alter plorat; vnus ascendit vsque ad cœlos, alius ad abyssos vsque submergitur: hoc tamen quisque contendit, quod *omnes quærunt quæ sua sunt*.
ad Phil.2. 21. Tertia est Respublica cœlestis, in qua
¶ 24. Deus ipse præsidet, cuius ciues sunt omnes Beati, de qua dicebat Propheta:
Esa.33.20 *Oculi tui videbunt ciuitatem opulentam, &c. Ibi magnificus est Dominus. Deus noster*: quam longa verborum serie
Ezech.48. 35. describit Ezechiel, concludens: *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem*. Egregiè Sanctus Apostolus Ioânes, sicut eam viderat exprimit, annotans eius habitatores, omnes esse Sanctos, mundos, splendidos, quam
Apoc.21. 27. *non intrat aliquid coinquinatum, aut faciens abominationem, aut mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*. Ibi,
Lib.v.medi. inquit Augustinus, hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi Prophetarum prouidus cœtus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi Sanctorum confessorum sacer conuentus, ibi veri, & perfecti monachi, ibi Sanctæ mulieres, quæ voluptates seculi, & sexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri, & puellæ, quæ annos suos Sanctis moribus transcenderunt, ibi sunt oues, & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaserunt, &c. Hæ tres Respublicæ sunt, vt purgatorium omittamus, quod non ad permanendum, sed ad satisfaciendum, extructum est. Vnaquæque autem Respublica suas habet leges. In inferno lex est, omnes odio prosequi, omnibus maledicere, omnibus malè optare, amicis, inimicis, consanguineis, extraneis, alijs, & sibimet ipsi imò, & ipsi Deo omnium conditori. Quod si dicas: Quomodo sub lege constituitur Respublica, de qua dictum est: *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?* Respondebo, vnum ex alio sequi. Ibi nullus est ordo, quia omnis potentia est inordinata, intellectus, voluntas, memoria, & omnia alia. Ex quo sequitur primò, quod omnia sunt vehementissimo dolore plena: dolor enim in corpore ex eo procedit, quod membra sunt à sua naturali debitaque dispositione deordinata. Si esset homo, qui omnia corporis membra haberet extra sua loca, horrendo certè dolore torqueretur. Sicut ergo, quia in cœlo omnia sunt ordinatissima in vnoquoque nihil est, quod non gaudio, & lætitia perfruatur, ita quia in inferno omnes potentiæ deordinatæ sunt, nihilque est quod rectū ac debitum ordinem teneat, sempiternus horror, & dolor ibi regnat. Sequitur secundò, hoc esse commune, & tāquam inuiolabili lege seruatum in inferno, vnam quamque potentiam inordinatè agere: Ex quo oritur, quod damnati omnia odio prosequuntur, etiam se ipsos, & desiderant, ac *quærunt* *Iob 10.22.* *Apoc. 9 6.* *mortem*, ibi inferre, & cupiunt, & nituntur carnes suas deuorare, nec possunt. Hæc itaque lex est inferni, omnes odio prosequi, etiam amicos, & consanguineos, & eos quos beneficos fuerunt experti. Hanc legem sequuntur, qui ad illam Rempublicam pertinent: homines videlicet tales, qui moribus talibus sunt præditi, vt a damnatis, imò nec ab ipso dæmone differre videantur, qui omnibus male facere desiderant, etiam amicis, & consanguineis. Talis erat Cain, de quo propterea dixit Ioannes, quod *erat ex maligno, & occidit fratrem suum: & propter* *1 Ioā.3.12*

pter quid cecidit eum? quoniam opera illius maligna erant, fratris autem iuſta: damnati ſiquidem quoniam impij ſunt, ac in impietate obdurati, Sanctos nimio odio proſequuntur, quorũ opera vident iuſta. Non ſolum Cain contra inimicos ſuos egit, quos vehementer inſequebatur, vt Ioſephus refert, ſed, & fratrem ſuum odiuit, & interfecit. Talis itidem fuit Iudas, quem propterea Chriſtus *diabolum* vocauit, id eſt, iam pertinentem ad diaboli Rẽpublicam, quippe qui Chriſtum ipſum, à quo tot tantaque beneficia receperat, perſequutus eſt. Huiuſmodi ſunt quidam homines, tam prauæ vitæ, vt omnibus malefaciant, de omnibus obmurmurent, &c. Reſpublica autem mundi aliam habet legem: illa eſt. Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Mundus enim ſequitur inclinationem appetitus, ſecundum quam vnuſquiſque inclinatur ad eum diligendum, quem beneficum, & amicum experitur, & odiendum eum, à quo iniuriam, & læſionem accipit. Quod, & in animalibus, quæ appetitu ſenſibili ducuntur, videre licet: diligit enim canis eum, qui ſe alit, in eum autem iraſcitur, & inſurgit, à quo percutitur lapide, vel baculo. Hanc legem ſequutus fuit ille mundanus Holofernes, qui dicebat ad Iudith: *Ego nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſori Regi; populus autem tuus, ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam ſuper eum*. Lex autem Reipublicæ cœleſtis (in qua, vt dicit Auguſtinus, plena, & perfecta regnat charitas) eſt, omnibus bona optare, & omnibus benefacere, amicis, & inimicis: de cœleſti enim Rege, qui ibi præſidet, dictum eſt: *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*; cui Dauid dicebat: *Homines, & tumenta ſaluabis Domine*, & iterum; *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Expende vim illius vocis. *Omne animal*: vim itidem illius verbi, *Imples*: & tandem vim illius, *Benedictione*. Omne animal, vt nullum ſit, etiam

1. Antiq. c. 4.

Ioan. 6. 71. 72.

¶ 25.

Iudit. 11. 1

Lib. medi. cap. 25. cit.

Matt. 5. 45

Pſal. 35. 7. Pſ. 144. 15

ſi mortifero veneno redundet, cui non benefacias, ſcorpionibus, ſerpentibus, regulis, leonibus, lupis: nec quomodocunque benefacis, ſed *imples*, id eſt, abundanter bonum tribuis: *benedictione*, quo nomine, Scriptura ſacra abundantiſſimam bonorum copiam ſolet explicare. Ædificaturus ergo Chriſtus Dominus iſtam ſuæ Eccleſiæ domum, aut Rempublicam, in mundi nemore, non æquum erat, vt eam ædificaret ad normam, & fecundùm leges Reipublicæ infernalis, quam ipſe tanquam domum ſuæ recreationis, & ſolatij ædificabat, eas habiturus delitias, de quibus dicebat; *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum*. Neque congruum erat, vt eam ædificaret ad modum Reipublicę mũdanę, quam ſibi inimicam ſæpè fuit proteſtatus: *Mundus me priorem vobis odio habuit*; cuius habitatoribus dixit, diuerſos eſſe à ſuis mores illorum, & progreſſus: *Quo ego vado vos non poteſtis venire; Vos enim de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum, &c.* Expreſſè ad diſcipulos ſuos loquens, in quibus Rempublicam ſuam cœpit ædificare, dixit; *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Oportuit igitur hanc domum ſecundùm formam domus cœleſtis, & Rempublicam hanc ſecundum leges Reipublicę ſuperne ædificari. Hac de cauſa Ioannes ſemel, & iterum affirmat de ea agens, quod *illa deſcendit de cœlo*. Dicitur, inquit Diuus Thomas, Eccleſia hęc deſcendiſſe de cœlo, ratione ſui principij, vt idem ſit: Vidi Ieruſalem Sanctam deſcendentem de cœlo, id eſt, illam quæ in ſui exordio de cœlo deſcenderat. Hoc autem dicitur propter conformitatem ad cœleſtem Rempublicam, quia ſub legibus conſtructa eſt ſimilibus illis, quas ſeruant ciues cœleſtis patriæ. Et verè iuſtum eſt, vt qui tandem illis ſunt coniungendi in vna Republica, nunc moribus illorum ſe conformare ſtudeant. Sicut ergo vna Reſpublica tunc ab alia procedere vel deſcendere dicitur, quando ad alterius normam, & leges ædificatur, ita Eccleſia dicitur à cœleſti illa patria deſcendere, quia ad mores, & normam illius eſt conſtituta. Idcirco ſæpè appellatur

Prou. 8. 31

Ioã. 15. 18

Ioan. 8. 22. 23.

Ioã. 14. 27

¶ 26.

Apoc. 3. 21 & c. 21. 2.

In cap. 3. Apocal.

pellatur Regnum cœlorum, vt Sancti Patres obseruarant. Lex autem illius supernæ Reipublicæ est illa, quam diximus, omnibus desiderare bonum, omnium salutem appetere, & procurare, omnibus benefacere: Deus enim qui est illius Reipublicæ Rex, amicis, & inimicis benefacit, omnes diligit, de quo scriptum est: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: qui commendat charitatem suam in nobis, quoniam cùm inimici essemus, pro nobis mortuus est*: & quando nos innumeris prouocaueramus offensis, nec eum diligeremus, *ipse prior dilexit nos*. Ad hanc normam, & iuxta hanc legē, suam Rempublicam ædificat Christus, dilectionis præceptum imponens, & omnes huius Reipublicæ ciues tanquā in fasciculo colligat amoris vinculo, dicens: *Audistis, quid dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Hæc lex est, secundum quam mundi Respublica regitur, conformis appetitui suorum ciuium, qui de terra sunt, & de terra loquuntur, & secundùm terrenas leges viuunt, qui tantum quærunt, quæ sua sunt: Ego autem, qui Rempublicam superiorem mundo ædifico, & fundo, cuius habitatores tales esse debent, qui ad cœlestem Rempublicam transferantur, eam illis legem impono, quam cœlestes ciues, & cœlestis Respublica obseruat: *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, & sitis perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*. Qui ad hanc Rempublicam, & ad hunc fasciculum pertinet, hanc sciat legem à se esse seruandam.

Sap 11.25 ad Rom 5. 10.

1. Ioā 4.10

§. 5. *Idem est author legis, & Euangelij, qui antiquis permisit, quæ Euangelij cultoribus non permittit.*

¶ 27.

VT clarius intelligamus, quomodo hoc in Euangelicæ legis præceptum, obseruandum est, Manichæos legentes ea, quæ Christus hoc loco proponit, in illum errorem fuisse prolapsos, vt dicerent, Euangelicam legem contrariam esse directæ legi antiquæ; hæc enim præcipiebat inimicos odio habere, illa autem præcipit eos diligere; quæ verè contraria videntur. Ex quibus procedebant, ad illum suum impium, ac blasphemum errorē astruendum, quo dicebant, Deum veteris testamenti fuisse Deum malum, aut dæmonem, & legem ab illo latam malam fuisse, & iniquam; idcirco venisse Deum bonum noui testamenti, qui bonus est in se, & illi contrarius, & tulisse legem nouam bonam, contrariam illi antiquæ, Deus etenim ille antiquus (dicebat Adimantus Manichæus) crudelis erat, cuius illa fuit vox: *Ego Dominus, vindicans peccata patrum in filios, & in tertiam, & quartam generationem*. Ecce Deum, tam vltionis cupidum, vt nec filijs innocentibus parcat. Et cum ille tam pronus esset ad vindictam, legem tulit crudelem, qua vindictam præcepit dicens: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*: quique odium statuit dicens: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Deus autem noui testamenti tam bonus est, vt non solum innocentes non puniat, sed, & sit iniustus benignus, de quo dicitur, *qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, &c.* Et legem summa bonitate plenam protulit, prohibens odium, & vindictam erga inimicos, & præcipiens dilectionem, & beneficentiam erga illos. Hæc omnia ex professo tetulit Augustinus, errores Manichæorum recensens, & refellens, signanter agens contra Adimantum, & Faustum Manichæos, qui *huiusmodi* obiectionibus vrgebant. Et certè id in primis demon-

Exo. 34.14 Deut. 5.9.

Exo. 21.24 Leuit. 24. 20. & Deut. 19. 21.

Libr. cont. Adim. c. 7. & 1. & li. 19. cont. Faust c. 19. 24 25. 26.

demonstrat Augustinus, eundem esse Deum, qui legem antiquam, & nouam tulit: qui aptè hominibus antiquis aliqua imperfecta permisit, quæ in lege Euangelica clarissimè prohibuit. Obseruandum est namque, inquit Augustinus, Deum non ferre leges pro sui dilectione, aut vtilitate, neque enim aliquid iubet quod sibi prosit, sed ad vtilitatem eorum, quibus legem infert. Quoniam autem lex congrua esse debet ijs, quibus imponitur, talis debebat esse, quam Deus ferebat, quæ hominum conditioni conueniret. Antiquitus autem erant homines, tanquam pueri imperfecti, & serui: pueri quidem, quia Ecclesia, quam Deus tunc peculiariter elegerat, in sui erat exordio, & principio, & quasi recenter nata, vt Deus apud Ezechielem exprimit: quo fit, vt hoc ipso imperfectiones haberet, quas in sui exordio res vnaquæque habet. In sui enim principio fructus arboris tam teneri sunt, quos vel breuis frigoris rigor absumit, & tanta teneritudine arbores in sui exordio molliscunt, vt vel minimo digito frangantur. Erant etiam serui qui duro extabant corde, suisque tantum commodis attendebant. Vnde illis, talis congruebat lex, quæ imperfectiones permitteret imperfectis, & puerilijs enim multa permittuntur, vt quod volumus faciant, sine quibus puerilis ætas non agitur, quos non ratione flectere possumus, ad quam plenè percipiendam non sunt capaces. Talis itidem, quæ timorem incuteret tanquam seruis, quibus congruit pœna, cuius timore in officio contineantur. Cum autem Christus aduenit, iam tempus fuit. vt homo ad vlteriora progrederetur; nam ad virilitatem peruenit, & statum seruitutis excussit per Christum, per quem *accepit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.* Propterea talis lex ei danda erat per Christum, quæ exclusis imperfectis, & puerilibus, perfectiora, ac congruentia viris statueret, quæ ad vlteriora progrederetur, & altiora iuberet. Sicut enim incongruum est, vt puero ea præcipiantur, quę viris conueniunt; ita incidens est, vt viris permittantur illa, quæ fuerant pueris permissa. Hæc breuibus verbis Apostolus expressit, de seipso agens, dum antiquam legem æmulabatur, & cum ad Euangelium per Dei gratiam fuit translatus. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Ex his B. Augustinus respondet Adimanto Manichæo, qui Euangelium contrarium esse legi antiquę probabat, quoniam in lege antiqua statutum fuit, vindictam sumendam: *Oculum.* inquit, *pro oculo, & dentem pro dente:* quod referens Christus subdidit: *Ego autem dico vobis, non resistite malo, sed si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei, & alteram.* Hæc inquit Augustinus contraria non sunt, sed diuersis statibus congruè constituta. In ijs enim duabus sententijs, reueta duorum testamentorum differentia demonstratur, sed amborum ab vno Deo constitutorum: nam quia primo carnales homines ita ardebant, & cupiebant multo amplius se vindicare, quam erat illa iniuria, de qua querebantur, & si eis præceptum fuisset, vt nullam sumerent vindictam, legem nullatenus tulissent, constitutus est eis primus gradus lenitatis, vt scilicet iniuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet: sic enim, & donare aliquando posset iniuriam, qui primò eam non superare didicisset. Vnde Dominus per Euangelij gratiam adsummam pacem populum deducens, huic gradui superædificauit alterum, vt homo, qui iam audierat non ampliorem vindictam, quam quisque læsus esset, reddere; placata mente totum se donare gauderet. Sicut ergo qui ascensionem parat, primum scalæ gradum statuit solo, & terræ hærentem, eoque contentus est tunc, vt postea superiorem alium superædificet; sita Deus, volens homines ab infimis ad superna eleuare, primo contentus fuit primum gradum statuere, vt scilicet homo vltionem sumens, non excederet quantitatem iniuriæ sibi illatæ, vt postea altiorem gradum posset struere, præcipiens illius omnimodam remissionem. Idipsum latius prosequutus est

Epist. 5. ad Marcell.

Ezech. 16.

¶ 27.

Rom. 8. 15.

1. *Cor. 13. 11.*

Libr. cont. Adim. c. 8.

Matth. 5. 39.

¶ 29.

Lib. 19. cont. Faust. c 19 signanter cap. 25.

Augustinus, agens contra Faustum, hoc idem explicans. Ad reprimendas, inquit, flammas odiorum, sauientiumque immoderatos animos refrenandos, ita præceptum est. Quis enim tantundem facile contentus est reponere vindictæ, quantum accepit iniuriæ? Nonne videmus homines leuiter læsos, moliri cædem, sitire sanguinem, vix inuenire in malis inimici vnde satientur? Quis pugno percussus, non totum hominem contendere cupit? &c. Idipsum circa præceptum dilectionis inimicorum idem

Ibid. c. 24. Lib. 1 de ser. Dom. in monte. Leu. 19. 18.

Augustinus obseruat, & expendit egregiè, antiquitus quidem Deum manifestè præcepisse diligere amicum: *Diliges*, inquit, *amicum tuum*. Primum gradum dilectionis expressit, & contentus fuit hunc apertè, & clarè statuere populo quem primum eleuare incipiebat: multi enim homines sunt, qui etiam eos, à quibus diliguntur, non diligunt, sicut luxuriosi filij, parentes coercitores luxuriæ suæ. Ascendit ergo aliquem gradum, qui proximum, aut amicum diligit, quamuis adhuc oderit inimicum. Is autem, qui venerat legem non soluere, sed implere, illi priori gradui statuto apertè iam alterum addit, vt ad altiora promoueat, vt scilicet homo non tantum amicos, sed & inimicos diligat. Idem ergo est vtriusque legis author, qui non contraria nunc præcepit ijs, quæ antiquitus præceperat, sed quæ iuxta cuiusque temporis rationem sunt congrua statuit. Hoc ipsum etiam ex professo explicãdũ assumpsit Beatus Chrysostomus, hoc præceptum dilectionis inimicorum expendens. Supponit certum esse, illum ipsum, qui antequam dedit legem, esse eandem, qui legem promulgat Euangelicam.

Hom. 8. de pœnit.

Ier. 31. 32.

Hoc probat ex illo: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægipti*. Multa testamenta antiquitus cum patribus cõstituit Deus, cum Noe, quando post diluuium: *Disponam*, inquit, *testamentum meum tecum, & cũ vniuersa carne, &c. Non erit deinceps diluuium dissipans terram*: iterum ad Abraham testamentum, & pactum circumcisionis disposuit: *& statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum, &c.* Non de ijs testamentis loquitur, sed de eo, quod pepigit cum patribus eorum, in die, qua apprehendit manum eorum, vt educeret eos de terra Ægipti. Cum enim populus in Ægipto teneretur, ipse veluti pater paruulum filium manu accipiens, in desertum duxit, vbi testamentum disposuit, ad cuius confirmationem voluit vitules occidi. Tunc populus ille pueri paruuli retinebat statum, quem propterea, vt diximus sub specie puellæ recenter natæ depinxit apud Ezechielem, quæ adhuc in sanguine erat, & eum paulò ante vocat, *puerum delicatum*, apud eundem Ieremiam: idcirco illis tanquam pueris, & imperfectis non ea imposuit, quæ virilem facultatem exigunt. quin potius multa illis permisit, quæ puerorum statum comitantur. Nunc autem homini per Christum ad virilitatem perducto, maiora, & altiora erant imponenda. Ille ergo ipse, qui pepigit fœdus antiquum cum patribus antiquis, fœdus nouum cum populo nouo fecit, & statuit. Expendit Chrysostomus quod Paulus ad huius explicationem egregiè prosequutus est. *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & alterum de libera.* Hæc non tantum facta sunt, vt essent, sed præcipuè, vt alia significarent. Hoc enim, inquit Chrysostom. Deo proprium est, quod sicut nos voces formamus ad nostræ mentis conceptus exprimendos; ita ille res veras realesque historias facit, ad res alias, quas intendit significandas, & sicut humana consuetudo verbis (inquit. Augustin.) ita diuina potentia factis loquitur. Vnde, & subdit Apostolus: *Quæ sunt per allegoriam dicta*. Hæc namque historia, inquit Chrysost. non solum declarat quod apparet, verum, & alia quædam altiora prædicat: vnde allegoria dicta est. Quid autem prædicauit? *Hæc enim sunt duo testamenta vnum in seruitutem generans, quæ est Agar*, alterum in libertatem, quod expressit Sara: duæ vxores, & duæ matres; duo-

Gen. qu. 1.

Gen. 17. 7.

Exod. 24.

Ezech. 16. Ier. 31. 20.

¶ 30.

Gala. 4. 22.

Epist. 49. qu. 6.

In cap. 5. ad Gal.

que

quę filij, sed vnicus maritus, vnicusque vir. Duo testamenta, duo populi; vnicus Deus; vnicusque legislator. Illud testamentum primum pertinebat ad seruos, & generabat spiritum seruitutis, hoc vltimum ad filios, & generat in libertatē filiorum Dei: vnde illud quod ad seruos generādos datum fuit, congruere debuit statui seruorum imperfectorum: hoc quod generat filios Dei, tale esse debet, quod congruat filijs Dei, qui potius sui ad imaginem, & similitudinem tenent. Ad alciora filius promouēdus est, quā seruus. Illis tanquam seruis imperfecta permissa sunt: nobis tanquam filijs præcipitur, vt ad similitudinem Patris nostri, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, non tantum amicos diligamus, sed, & inimicos. Introducturus ergo legem nouam, inquit Chrysostomus, mentionem facit veteris dicens; *Audistis, quia dictum est antiquis*, quo discas, non est, huius, & illius pugnam. Dictum est antiquis, cum natura erat puerilis, imperfecta, & seruilis conditio: nunc, cum virilis est, & ad perfectionem vocata, filialis nobilitatis cōditione illustrata, audit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros* Ex his procedere possumus ad examen de vnoquoque sumendum: vide ad quam legem pertineas; nec enim adeo desipies, vt dicas, te nulli legi subiectū esse velle, aut verò vt asseras, te velle sub antiquæ legis manditis seruire, qui ad Euangelicum statum per Dei gratiam perductus es. Si ad hāc legem te pertinere fateris, audi quid tibi dicatur: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*: & vide, quam longè sis ab ea vita, quam tenere debes, qui nondum ad antiquæ legis iustitiam peruenisti. Iustitia antiquæ legis, inquit Augustinus, est diligere amicos, qui gradus tam infimus est, vt, & Pharisæi ad eū ascenderint, & Christus illis hoc cōcedit, quod suos diligerent amicos: Tāta est autem nostræ prauitatis magnitudo, vt multi nec hunc gradum ascēderimus: pauci enim sunt, qui verè etiam diligentes se diligant, & veras amicitiæ leges cū amicis suis seruent, vt Chrysostomus deplorat. Tremenda est Christi sententia; *Amen dico vobis nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnū cœlorum*. Quæ illorum iustitia? inquit Augustinus. Diligere amicos. Quis nostrum est, fratres, qui vltra progrediatur, qui hanc Pharisæorum iustitiam superet? Imò multi sunt, qui nec ad hāc perueniunt. Examina teipsum, ad eum modum, quem Gregorius nos examinandos docet. Si nullus potest ingredi Regnum cœlorum, nisi abundantiori iustitia præstet, quam Scribæ, & Pharisæi, quæ in hoc posita est, vt ipse Christus explicat, vt non tantum amicos diligamus sicut illi, sed & inimicos: interroga teipsum, an verè Regnum cœlorum ingressurus sis, qui nedum amicos, quanto magis inimicos, sicuti oportet diligis, & amas.

Libr. 1 de ser. Dom. in monte.

Hom. 71. ad pop.

Ibidem.

Hom 30 in Euang.

§. 6. *Deponenda est antiqua vetustas, ideo fidelis baptizatur in mortem, fit candidatus, & vngitur ad nouam vitam, & mores.*

¶ 31.

LEgem Euangelicam promulgans Christus Dominus, vetustatem non solum antiquæ legis, sed, & veteris Adam deponendam, relinquendamque indicat, dicens: *Audistis quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis*, lex enim Euangelica nouam vitam nouosque mores exposcit, quæ meritò lex noua vocatur, non tam quia nouiter est introducta, quam quia hominem facit nouum, nouam vitam præstat, nouosque mores exposcit, tradita sone ab eo, qui dicit *a: Ecce creo cœlos nouos, & terram nouam:* Et *b, Ecce ego noua facio omnia*. Idcirco eius ianua est baptismus, qui nouum esse, ac nouam vitam tribuit, quippe cum noua generatio in eo interuiat. Egregiè Beatus Hieronymus Epistola ad Oceanū ex professo declarat, quomodo qui legem Euangelicam, profitentur, hoc ipso tenentur nouam vitam, moresque nouos habere, ex eo quod per baptismum antiqua veteriq;

a *Esa. 65. 19.*

b *Apoc. 21. 5.*

Epist 83 ad Ocean.

relicta, in nouam vitam regenerantur. Ad hoc inſtitutum expendit illud Apoſtoli, quod in ſequentibus latius à nobis exponetur: *An ignoratis fratres quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quæ verba etiam ad idem inſtitutum alij ſancti Patres obſeruant. Certè iuſtum eſt, vt qui baptizatur, non ignoret, quid per baptiſmi ſuſceptionem profiteatur. Eſt baptiſmus Sacramentum, & ex conſequenti, in genere ſigni, vt D. Thomas declarat: & quamuis principaliter gratiam ſignificet, alia tamen multa ſignificat, tam ſcitu digna, vt nullus, qui baptizatur, debeat ignorare. Voluit itaque Paulus dicere, inquit D. Thomas: Quod vobis proponendum eſt, adeo eſt manifeſtum, vt vobis illud ignorare non liceat: *ſi quis enim ignorat ignorabitur. An ignoratis?* ac ſi dicatur, inquit Anſelmus: Nunquid ſacramentum ipſius baptiſmi ignoratis? Res ſanè quæ pudorem poſſet baptizatis inducere. Omnibus ergo illis hoc notum eſſe debet, *Quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu*, id eſt baptiſmo Chriſti, *in mortem ipſius baptizati ſumus*, id eſt, in ſimilitudinem mortis eius, inquit D. Thomas, quaſi ipſam mortem Chriſti in nobis repræſentantes: ad hoc vt, & nos ipſi moriamur, ſicut ille, inquit Chryſoſtomus; vt conformemur morti eius, vt id in nobis fiat per baptiſmum, quod factum eſt in illo per mortem. Chriſtus vitam habuit paſſibilem, morti obnoxiam, mortale corpus, &c. oportuit hanc mortalitem exuere: mortuus eſt, & ſepultus; non quidem, vt maneret mortuus in ſepulchro, ſed potius vt inde in nouam vitam reſurgeret, immortalem, glorioſam. Hoc fit per baptiſmum. Habet homo ex Adam vitam terrenam, peccato ſubiectam, paſſionibus obſequentem: oportet hanc exuere, vt in nouam vitam reſurgat: hoc fit per baptiſmum. Omnia quæ ad mortalitatem prioris vitæ habuit, in ſepulchro viſus eſt dimiſiſſe, ibi reliquit ſyndonem, ibi ſudarium, quo facies eius erat cooperta: vnde ſepulchro egreſſus eſt, nouam vitam agens, de qua ſubdit Apoſtolus: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Ita omnia, quæ ad vitam veterem ex Adam, aut ad veterem vitam ſeruilem antiquæ legis pertinent, oportet te exuere, vt iam omnes leges carnis, & mundi excedens in nouitate vitæ ambules. Hanc doctrinam demonſtrare voluit Dominus Petro, quem Eccleſiæ ſuæ caput conſtituerat, vt annotarunt Hieronymus *a*, Auguſtinus *b*, & Gregorius *c*, quando ſub ſpecie animalium immundorum ei repræſentauit illos, qui in Eccleſiam per baptiſmum erant introducendi: vas enim deſcendebat quaſi linteum, *in quo erant omnia quadrupedia; & ſerpentia terræ, & volatilia cæli, & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.* Apte hæc animalium genera Petro occidenda, & comedenda Deus expoſuit, quadrupedia, ſerpentia terræ, & volatilia cœli, quo triplici genere animalium, triplicem peccatorum differentiam indicauit apud Diuum Baſilium: in quadrupedibus, ingenio tardos aut ignorantes; in ſerpentibus, inuidos, ac iracundos, qui veneno pleni ſunt; in volatilibus, leues, & inconſtantes. Et verè videtur illam omnium peccatorum differentiam complecti, quorum quidam peccant ex ignorantia, alij ex malitia, alij ex fragilitate. Gloſſa interlinearis, quam Lyranus ſequitur, intelligit auaros, inuidos, & ſuperbos. Sed, & poſſumus intelligere carnales in quadrupedibus, auaros in ſerpentibus, quorum cibus terra eſt, ſuperbos in volatilibus, ad quæ tria genera Ioannes omne quod eſt in mundo reduxit: Hæc ergo voluit Dominus manducari à Petro, id eſt, vt D. Gregorius exponit, in corpus illius traijci: quod corpus manducatur, in corpus manducantis introducitur. Corpus Petri Eccleſia eſt, cuius ille caput extabat. Hæc autem omnia animalia voluit à Petro manducari, quia omnia peccatorum genera voluit in Eccleſiam admitti, & nulli denegandum ingreſſum ad eam, ſiue carnalis ſit,

Ad Rom. 6.3.

AdRoman. 6.9.

¶ 32.

3.p. qu.60. art.

In ca.5. ad Rom. lect.1.

Ia.Ca.15.39

In ca.6. ad Rom. lect.1

Hom.10.in epiſt. ad Rom.

a *In cap.3. Thren.16.*
b *Libr.50. hom.45.*
c *18. Mor. cap 22.*

Act.10.11.

In cap.14. Eſai.

In cap.10. Actuum.

5.Ioan.16.

ſit, ſiue auarus, ſine ſuperbus, ſiue barbarus, ſiue Scytha, ſiue Græcus, ſiue Romanus idololatra, &c. hac tamen lege, vt prius mactarentur. Quod mactatur, inquit Gregorius, à vita quam habebat, occiditur: quod comeditur, in comedentis corpus commutatur: quia qui in corpus Petri, id eſt, Eccleſiam, erant introducendi, & ab infidelitatis ſtatu, ad Euangelicum commutandi: prius erant à priori vita mactandi: nec enim animal, quod comeditur, in corpus comedentis introducitur, niſi prius à priori vita mactatum fuerit. Hæc autem mactatio fit per baptiſmum, in quo ſepelimur ad tenendam ſimilitudinem mortis Chriſti, vt ſicut ille mortuus eſt, vt ad nouam vitam ſe transferret, ita, & nos morientes antiquæ veterique vitæ, nouam vitam teneamus. Obſeruat autem Beda, in Græco, & Syriaco haberi verbum, quod non ſimplicem mactationem ſignificat, ſed quæ fit à ſacrificantibus: ideoque dicit, iuxta vim Græci ſermonis transferri poſſe: *Petre immola, & manduca*, quaſi alluſio facta fuerit ad animalia, quæ à Deo offerebantur, quæ ita mactabantur, quod ſimul Deo ſacrificantur, quorum carnes comedebantur à ſacrificantibus, vt in lege antiqua patet: vt intelligamus, eum qui in Eccleſiam introducitur, ſic mactari à præcedenti vita, vt Deo ſimul ſacrificetur. Vnde baptiſmus, in quo hæc mactatio fit, quoddam ſacrificium eſt hominis baptizati, per quod priorem vitam terrenam, ac veterem relinquit, & Deo ſe dicat, & offert. Id quod, & Beato Ambroſio hunc locum expẽdenti placuiſſe apparet, dum Cornelium Cẽturionem, quem tunc Deus in Eccleſiam introduci volebat, vocat primum animal ex gentibus Deo immolatum. Hęc ſi baptizati attenderent, vt annotauit Chryſoſtomus, ſuam intelligerent obligationem, viderentque quantum debeãt à terrena veterique vita, quam ex antiquo Adam habebant, diſtare, qui ab illa iam ſe occiſos, & mortuos, ac Deo immolatos, & oblatos conſiderare debent. Ex his intelligitur locus ille difficilis Eſaiæ Prophetæ, qui tempus Euangelicæ legis vocat diem interfectionis. Prædicere cœperat tempus gratiæ futurum per Chriſtum & poſtquam multa de eo ad literam dixerat, ſubdit: *Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & omnem collem eleuatum riui currentium aquarum, in die interfectionis multorum*. De Chriſti tempore hoc intelligendum probant Hieronymus *e*, Cyrillus *e*, & ex profeſſo S. Auguſtinus *f*. Mirandum eſt, quomodo dicat, quod riui aquarum *current* ſuper omnem montem excelſum, & collem eleuatum, cum aquæ non per montes, aut colles ſupremos, ſed per valles demiſſos fluere ſoleant. Fortè aquarum nomine intelligit gentes, & populos, de quibus poſtea dixit Angelus ad Ioannem *Aquæ multæ, populi multi*. Montium autem, & collium nomine, altitudinem Euangelicæ legis intelligit, quæ ſublimis eſt, ad quam etſi difficilis ſit aſcenſus (eſt enim lex contraria, & repugnans affectibus carnis) tanta tamen velocitate, & tam celeri curſu erãt gentes ad eam defluxuræ, quantum tenere ſolent aquæ decurrentes: qua phraſi ipſemet Propheta, celerem velocemque curſum, quem gentes ad Chriſtum habituræ erant, expreſſit, dicens: *Erit in nouiſſimis diebus mons, &c. fluent ad eum omnes*; quod, & ſimiliter poſtea dixit Michæas. Expende verbum, *fluent*; quod proprium eſt aquarum magno impetu decorrentium. Quamuis mons altiſſimus ſit Chriſtus, eiuſque Euangelica lex, ad eum fluent, tanquam aquæ omnes gentes, eum impetum aſcendendo tenentes, quem aquæ quando magno impetu fluunt. *Hoc*, inquit, *erit in die interfectionis multorum*. Tẽpus ſine dubio Euangelicæ legis exprimit, vt demonſtrat Auguſtinus. Cur autem ita vocetur, dubium eſt: potius enim vocandum videbatur tempus viuificationis, quoniam *c*: *Dedit Deus filium ſuum, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*: Et *d*: *Miſit Deus filium ſuum, vt viuamus per eum*, qui venit *e*: *Vt vitam* homines *habeant, & abundantius habeant*, in quo *f*, *Pater viuificauit nos, cũ eſſemus mortui*, qui ſeipſum *g*, *vitã* ap-

In cap. 10. Actuum.

Nu. 18. 13.

Serm. 210.

¶ 33. Hom. 20. in epiſt. ad Rom. in Moral.

Eſa. 30. 25

e In ca. 30. Eſa.

f Li. qq. ve. & no. teſt. q. 105.

Apoc. 17. 15.

Eſa. 2. 2.

Mich. 4.

Loc. cit.

c Ioan. 3. 15. 16.

d 1. Ioan. 4. 9.

e ad Epheſ. 2. 1.

f Io. 15. 25. & c. 4. 16.

per vr. Vnde, & Oseas *h* tempus vi-
h *Ose.8.3.* uificationis videtur appellare: *Viuificabit*, inquit, *nos post duos dies*. Et certè quamuis Beatus Augustinus egregiè explicet cur tempus Euangelicum vocetur *dies*, non tamen explicat cur
Ibidem. vocetur *interfectionis multorum*: quamuis insinuet, id quod multis placet, ita vocari, propter multitudinem Iudæorum, quos Romani interfecturi erant. Verè tamen credo vocari diem interfectionis multorum, quoniam multi innumerique erant, qui ad Euangelicam legem se transferrent, & huiusmodi translatio per baptismum fit, quæ interfectio est vitæ, veteris, & antiquæ, vt in nouitate vitæ ambulemus. Et hinc etiam intelligemus illud, quod Dauid de lege Euangelica, quam Apostoli, quos cœlos vocat, prædicaturi erant: *Lex Domini immaculata*, in Hebræo vox à verbo, *tam*, quod aliquando significat consummare, consumere, finire. Ita in libris Regum, agens de equis, quos ciues Samariæ consumpserunt, & comederunt in illa ingenti fame: *Consumpti*, inquit, *sunt*, & Dauid ipse, ad dicendum absumptas esse vires frameæ inimici, eodem vtitur verbo: *Inimici defecerunt frameæ*. Itaque possumus reddere: Lex Domini consumens, & absumens animas. Quomodo eas consummit? Certè quia priorem vitam absumit, vt iam nouam vitam animæ agere incipiant: Ideo subdit: *conuertens animas*: quas enim à priori vita consumit, reuocat, & conuertit, vt aliam nouam vitam, & viam arripiant. Christus igitur Dominus consulto legem Euangelicam promulgans, antiquitatis consuetudines, ac veteres mores contemnendos docet, exuendam iram, relinquendam cupiditatem, vindictam abijciendam, tenendamque vitam nouam, nouos mores. Hoeque ita per baptismum significatur, vt nefas sit illud ignorare. Vt autem hoc clarius Ecclesia exprimat, consulto duas illas peculiares cæremonias in baptismo inducit, quod baptizatum induit veste cândida, & eam sacro Chrismate vngit. Veste quidem candida induit: quamuis enim hanc hæreticus Theodorus Beza eiusque sectatores,

¶ 34.

תם
Bix. to 2. fol.277.
4.Reg 7.13

Psal.9.7.

tanquam nouum ritum irridebant, sed ab initio nascentis Ecclesiæ eius fuisse vsum, id probat *a*, quod mentionem illius agit Dionysius Areopagita *b*, discipulus Pauli, Origenes *c*, Cyrillus Ierosolymitanus *d*, Olympiodorus *e*, Damascenus *f*, Procopius *f*, Theophilactus *f*, & alij innumeri, quos nostri temporis diligentissimi authores citant, & Theologi cum D. Thoma *g*, de hac egregiè loquuntur. Ad quidnam autem hæc vestis candida detur, variè explicatur. Diuus Thomas *g*, ait dari in signum resurrectionis gloriosæ, ad quam homines post baptismum regenerantur. Augustinus *h*, & Cyrillus Ierosolymitanus *i*, & Ambrosius K, ad significandam puritatem vitæ, quam baptizatus tenere debet. Rupertus *l*, ad significandum quod veteribus exutus, nouos mores tenere debeat: quod, & vestis noua, qua indutus est Prodigus *m*, indicat: & similiter dicitur de eo, quem vidit Zacharias *n*, qui vestibus sordidis depositis, *Indutus est mutatorijs*. Cæterum ipsemet D. Thomas *o*, omnia complecti volens, dicit significare nouitatem vitæ, quam dixit Paulus *p*: *In nouitate vitæ ambulemus*. Quod vt intelligamus obseruandum est, antiquitus, eos qui statum inferiorem, quem habebant deponentes, alium altiorem ambiebant, consueuisse induere vestem candidam, & dicebantur Candidati (inquit Tertullianus *q*) à veste candida, sicut Reges dicuntur purpurati à purpura: & vt ibi notat eius Scholiastes *r*, Toga candida erat, quam petitores magistratuum induebant, à qua candidati dicebantur. Candidati ergo dicebantur, qui ad alicuius magistratum, vel dignitatis acquisitionem aspirabant à Toga candida, quam per id tempus induebant, sine ad denotandam integritatem, quam hic color fincerus, ac purus, & minimè inquinatus indicat; siue, vt perspici ab omnibus possent. Itaque Candidatus dicebatur, prætensor Regni, aut magistratus. Vnde Herodes volens Christo illudere, vestiuit illum veste alba, exhibens eum, quasi prætensorem Regni; quem vilem, despicabilem, & ab omnibus irridendum indicabat. Istis candidatis, prætensori-

a *Apud Iodocũ Coccium to. 2. li.5.art.19 p.584.*
b *Lib. de Eccle. hierar. cap.2.*
c *Hom.12. in Exod.*
d *Cathe.5. mystagog.*
e *In cap.9. Eccles.*
f *Apud Bellar. to.3. l. 1. de baptis.ca.vlt. et Iod.Coc. loc. cit.*
g *3 p.q.66 art.6.*
h *Ser.157. de tempor.*
i *Cath.5.*
k *Li. de ijs qui sacris init.cap.7.*
l *Lib 7. de diu. offic. cap.10.*
m *Luc.15. 22.*
n *Zach.3. 5.*
o *3 p.q.72 art.3.*
p *ad Rom. 6.cit.*
q *Lib.de i. dolo. van. c.18.n.138*
r *Pameli.*

¶ 35.

Luc.13.11

foribus scilicet Regni, vel magistratus, commune erat, vt Cicero indicat, *Pro Murena.* infractam, inuictamque patientiam tenere, in eos, qui iniurias, ac conuitia illis irrogabant: nullum enim medium aptius erat, ad id quod optabant consequendum. Et hanc credo causam fuisse, cur huiusmodi Epitheton peculiariter martyribus tribuatur à Tertulliano *b*, & ab Augustino *c*, & Ambrosio *c*, canentibus: *Te martyrum candidatus laudat exercitus*: qui peculiares prætensores se exhibuerunt Regni cœlestis, ad quod consequendum patientiam insuperabilem tenuerunt. Hunc intulit Tertullianus, quemcunque prætensorem alicuius rei, vocari candidatum illius. Ita vocat *a*, Angelorum candidatos, qui Angelorum societatem prætendunt: & candidatum timoris vocat, *b*, eum, qui paulatim discit timorem Dei: & vocat *c*, candidatum æternitatis illum, qui ad eam aspirat: & baptismum Ioannis vocat *d*, candidatum sanctificationis, quia qui illo baptizabatur, hoc ipso disponebatur ad baptismum Christi, per quod sanctificaretur: Imò, & homines improbos, peccatis traditos vocat *e*, candidatos diaboli, quia nihil vehementius videntur prætendere, quam diaboli societatem, & seruitium. Baptizatus ergo candida veste induitur, & candidatus absolutè dicitur, quia vilem, terrenumque statum, quem habet ex Adam, exuens, fit prætensor Regni, non terreni, sed cœlestis, ad quod obtinendum toto animo, mente, corde, viribusque aspirat. Ad hoc autem noua vita est agenda, quæ tali regno comparando conducat. Deinde sacro Chrismate baptizatus vngitur: quod etiam quantumcunque impij hæretici oblatrent, ab initio Ecclesia facere consueuit, vt ex Chrysostomo, Augustin. Prospero Aquitanico, Innocentio I. & alijs, nostri temporis Authores demonstrant. Et quidem vnctio hæc multa significat. Communeque est apud sanctos Patres, significare ius ad regnum cœleste, quod homini in baptismo datur, quasi allusione facta ad vnctionem Salomonis. Quando enim Dauid pater eius voluit eum Regem futurum designare, & ius ad suum Regnum tradere, iussit eum adduci à Sadoc Sacerdote, & Nathan Propheta, alijs quibusdam domus suæ seruius assistentibus, & comitantibus in Gihon, & quod ibi vngeretur in Regem, vt hæc vnctio ius ad regnum paternum obtinendum exprimeret. Erat Gihon fons ipse Siloe, ad quem ex Dauidis præscripto ductus est Salomon, vt ab illo fonte ius Regni eius inciperet. Quo factum est, vt postea Regnum Iuda, quod à Salomone processit, expressum fuerit per aquas Siloe, vt eum contra eos, qui Regnum Iuda diuiserant, duxerit Deus: *Quia reliquit populus aquas Siloe, &c.* Ibi ergo vnctus est Salomon, quasi hoc ipso significaretur ius, quod accipiebat ad Regnum paternum. Ita hominē, quem Deus elegit ad Regnum cœlorum obtinēdum, disponit, vt ducatur ad fontem baptismatis, qui egregiè per fontem Siloe fuit expressus, de quo multa dicemus suo loco, vt ab eius aquis vel ablutione incipiat ius Regni cœlestis. Hoc ius significatur per vnctionem, quæ significat internam vnctionem, quæ ibi fit per gratiam Spiritus sancti, quæ est pignus hæreditatis, vt ex professo Apostolus prosequutus est dicens: *Deus, qui vnxit nos, & dedit pignus spiritus.* Sed vere hæc vnctio videtur indicare mutationē cordis, et cogitationis, quam baptizatus debet habere, vt allusio videatur facta ad Saul. Hunc virum infimum, & minima tribu Beniamin in minimum elegit Deus in Regem: qui ad primum verbum Samuelis de regno cotempsit, & risit dicens: *Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel? & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo mihi loquutus es sermonem istum?* Expende emphasim, quam habent illæ duæ voces, *mihi sermonem istum*, Quisnam ego ad regnum? quis ego? & quid regnum Israel? &c. Nihilominus cum oleo vnctus est à Samuele, *immutauit ei Deus cor aliud*. Antea vilis erat armētarius, de asinis curans, & de bestijs cogitans, nullique alteri rei attentius, quam quærendis asinis

b Li. de coron. milit.
c In cant. Te Deum.
a Li. de or. c. 3. p. 211.
b Li. 2. ad uxor. ca. 7. & li. de fuga in per se
c Li. 3. adu. Marcio
d Libr. de bapt.
e Li de coro. mili.
Iod. Con. li. 5. de bapti art. 9. & Bellar. de bapt. c. 24. & 25.
3. Reg. 1. 33
Vide Villap. in Eze. to 3 appar. fol. 191.
Esa 8. 6. ¶ 36.
2. Cor. 1. 22.
1. Reg. 9. 12.
1. Reg. 10. 9.

intendens: tamen hoc ipso quod vnctus est à Propheta, omnes illas viles cogitationes exuit, & ad altissimas alias mentem suam conuertit, & cor eius, quod angustissimum erat, rebusque vilissimis hærês, immutauit Deus, ita vt illis omnibus neglectis, non nisi res altioris ordinis curaret. Hoc ergo in eo, qui baptizatur intendit Ecclesia. Erat ille vilis filius illius terreni Adæ, eius vilitatem contrahens, & terrenum affectum: *qui enim de terra est, de terra loquitur*, de terra cogitat, & terrena appetit. Per baptismum autem, ad Regnum cœlorum obtinendum eleuatur. Vide quam vilis, ad quam supremum Regnum: vt mirari possit, & dicere verius quam Saul: *Quare mihi locutus es sermonem istum?* Homo, filius hominis, vermis, & putredo, ad diuinum Regnum obtinendum? Ita quidem: ideo vegitur, quo significatur per baptismum immutãdum cor, & cogitationes, ac studia, non iam terrena esse curanda ab eo, qui ad Regnum cœleste obtinendum adscribitur. Ex his ergo omnibus explicatum manet, eum, qui baptizatur, ideò baptizari: & hoc per baptismum fieri, vt moriens secundum veterem vitam, nouam aliam resumat; vtque nouus homo fiat, noua generatione renouatus, qui deinceps in nouitate vitæ ambulet. Quare quid baptizati intelligere debeant, concludit Paulus dicens, quod sicut Christus vitam mortalem assumpsit, & secundum eam mortuus fuit, & sepultus, vt resurgeret in nouam vitam immortalem, non amplius moriturus: *Ita, & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato* (loquitur de vero peccato, quod per baptismum finiri debet, aut de vita veteris Adæ, quæ est secundum affectus carnis terrenos, quam Paulus sæpè in illo loco peccatum vocat) *viuentes autem Deo*, id est, ad honorem Dei, inquit Diuus Thomas, exercentes opera vitæ in Dei obsequium. Hoc quicunque baptizatus debet cogitare de seipso, vitam veterem iam esse finitam, & vitam nouam, quæ est secundum Deum, iam deinceps esse agendam. Videndus est ad

Ioan. 3. 31.

¶ 37.

hoc institutum Augustinus scribens ad Ianuarium, explicans quomodo qui baptizantur debent ad Christi similitudinem in nouitate vitæ ambulare, & consurgere ex baptismo, vt sit nouus quidam homo. Hinc idem Augustinus Martianum veterem amicum, quê iam catechumenum factum, ad baptismum inducit, docet, hoc sibi intelligẽdum, hoc ipso ac de percipiẽdo baptismo agit, nouam vitam nouosque mores esse tenendos, obseruans, in eos, qui baptizantur quadrare illud, comicum quidem, sed aptissimum, & vtilissimum versum: *Nunc hic dies vitam aliam affert: alios mores postulat.* Hocque vere est, quod Christus indicat, manifestè docens, eos, qui vitam euangelicam profitentur, omnem vetustatem exuere, & in nouitate vitæ ambulare debere, quibus sæpè locutus est dicens: *Qui vult venire post me, abneget se metipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, &c.* & iterum: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, & iterum; *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet*, (saltem secundum affectum) *non potest meus esse discipulus, &c.* Et hoc in loco: *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, &c.* In nouitate vitæ ambulandum illi, qui meæ doctrinæ discipulus est. Nunc hic dies vitam aliam affert, alios mores postulat. Qui vitã veterem viuunt secundum Adam, affectus carnis sequuntur, & contra inimicos suos in iracundia loquentes, dolos cogitant: qui vitam instituunt secundum antiquam legem, quam Pharisæi tradunt, amicos diligunt, inimicos odio prosequuntur. Qui autem legem Euangelicam profiteri vult, oportet, vt non solum amicos, sed, & inimicos diligat, eis benefaciat. Hinc Chrysostomus procedit ad ingemiscendum, & plorãdum, videns multos baptizatos, qui non solũ non tenẽt vitam nouam, sed potius se totos ad vetustatẽ vitæ translatos cõprobant, ambulãtes nõ in nouitate spiritus, sed in vetustate literæ,

Epist. 119. ad Ianuar. cap. 14.

Epist. 115. Martian.

Terent. in Andr. Actu, 5.

Matth. 16 24.

Luc. 14. 27

Luc. 14. 15

Hom. 10. in epist. ad Rom in. Mor.

&

& carnis. Nec mirādum, quod Chryſoſtomus ploret, hos videns, cū Paulus ipſe fleret, videns *multos ambulantes inimicos Crucis Chriſti*, affectus carnis, ac ventris ſequentes. Et verè hoc mirandum eſt, videre baptizatos, qui per baptiſmum in nouam vitam generati ſunt, non niſi vetuſtatem tenere, qui non ſequuntur niſi cupiditates ſuas, qui vitam inſtituunt ſecundum leges mundi, & carnis. *ad Phil. 3. 18.*

§. 7. *Relinquendus eſt pedagogus ad præſentiam præceptoris, quem videndum promiſit Eſaias, oſtendentem viam ad Regnum cœlorum.*

¶ 38. DOctrinæ Euangelicæ præceptor Chriſtus Dominus, iam officio ſuo fungitur, Euangelica præcepta auribus eorum, qui ad eum audiendum accedunt, intonans, & dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Et inſignem illā antiquamque promiſſionem in ſemetipſo exhibet completam: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Vt hæc exponamus, aduertendum eſt, tempore Apoſtoli Pauli fuiſſe multos Pſeudoapoſtolos, qui apud Galatas, antiquam legē plus iuſto extollebant, tribuentes ei multa, quæ illa nullatenus præſtare poterat, quæque ſolus Chriſtus exhibere valebat. Coactus propterea fuit Apoſtolus demonſtrare, quodnam fuerit legis officium, quodnam etiam officium Chriſti, vt cuique ſuum proprium munus deferretur. Inter alia autem hoc concludit. *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto.* Chryſoſtomus aliique Græci legunt, *Pædagogus fuit ad Chriſtum*; Pædagogus, inquit Diuus Thomas, idē eſt, quod inſtructor pueri: dicitur enim à Podos, quod eſt puer, & Goge, quod eſt ductio, quaſi ducens puerum. Expēdamus, inquit Chryſoſtomus, quodnam officium pædagogi, & quodnam officium præceptoris. Pædagogus non ſtatuitur ad docendum puerum: hoc enim magiſtri officium eſt, ſed vt puerum ducat ad magiſtrum. Idcircò pater puero pædagogum deſignat, vt dum tardat hora præceptoris, pædagogus illum contineat, ne hac illacve deflectat, quem contineat timore pœnæ. Aduenientе autem hora, quā præceptor in cathedra ſeipſum conſtituit, pædagogus puerum ducit ad magiſtrum, ac coram eo ponit, eumque illi inſtruendum tradit; quo facto, diſcedit pædagogus, & magiſter ſuum erga puerum officiū exercere incipit, docens eum. Vnde pedagogus, inquit Chryſoſtomus, non eſt contrarius præceptori, ſed potius eum adiuuat, dum tempore, quo ipſe tardat, puerum continet, & eo aduenientе puerum ad illū ducit. Ex his explicare vult Apoſtolus officium Chriſti, & officium legis. Egebit homo præceptore, qui eum doceret viam iuſtitiæ, & ſalutis. Hoc ſolus Deus præſtare debebat, qui venit, *ad dandam ſcientiā ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum: & nunc,* inquit Propheta Ioel, *filij Iſrael, lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis præceptorem iuſtitiæ.* Non poterat lex præſtare ſcientiam ſalutis, in remiſſionem peccatorum, neque iuſtitiam veram. *Si enim*, inquit Apoſtolus, *per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Quid igitur lex? Pædagogus fuit ad Chriſtum, ad hoc data fuit, pro tempore, quo hic præceptor tardabat, contineret puerum timore pœnæ, ne in vitia extrema deflueret. *Propter tranſgreſſionem poſita eſt*, inquit Apoſtolus, *donec veniret ſemen, &c.* vt aduenientе Chriſto, puerum duceret ad eum, tanquam ad magiſtrum, & præceptorem. Ex quibus illud inſigne myſterium, quod in transfiguratione euenit intelligimus, in qua apparuerunt *Moyſes, & Elias loquentes cum Ieſu*, diſcipulis coram eis poſitis. Moyſes typum tenuit legis, ſicut Elias Prophetarum, diſcipuli autem typum fidelis populi, qui docendus erat, tenebant. Adſunt Moyſes, & Elias loquentes cùm Ieſu, adſunt diſcipuli præſentes. Quid illi loquebantur? ſicut cum pædagogo *Luc. 1. 77.* *Ioel. 2. 23.* *ad Gal. 2. 21.* *ad Gal. 3. 19. cit.* ¶ 39. *Matt. 17.*

Gal. 3. 24. *In epiſt. ad Gal.* *Ibid. lect. 8*

dagogus puerum ducit ad magistrum, puero coram magistro iam constituto, pædagogus loquitur, ipsum illi commendans, & instituendum tradens, quo facto discedit, puerumque solum cum magistro relinquit, ita illi, fidelem populum Christo tradebant, qui illum eâ doctrinam doceret, quæ iustitiam induceret, & peccata remitteret, & daret scientiam salutis in remissionem peccatorum eorum. Vox propterea Patris tunc intonuit, dicentis: *Hic est filius meus dilectus, & ipsum audite.* Dictum erat, me daturum præceptorem, quem oculis cerneres: *Hic est filius meus*, videte eum oculis vestris. Dictum itidem erat, hunc præceptorem, daturum verba auribus. *Ipsum* ergo *audite.* Quo facto ita im discedentibus Moyse, & Elia, remanserunt discipuli cum solo Iesu, *& eleuantes oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Non mirum, discedit pædagogus, inquit Chrysostomus, cum puerum iam adduxit ad Magistrum, eumque illi commendauit: tuncque magister eum assumit instruendum. Hæc ergo quæ prædicta erant ab Esaia, nunc Christus in semetipso exhibet completa: nam omnium oculis se præsentem dat; neque quemadmodum Hiarchas cum paucis discipulis se recipit, quos in aureo throno sedens doceat, vt Hieronymus prosequitur, sed *ascendit in montem videns turbas*, vt omnes turbæ eum videre possent, & *accesserunt ad eum discipuli eius, & multitudo copiosa plebis, ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis*, & omnium oculi in eum erant intenti. Ipse propterea *aperiens os suum*, docere eos incepit, vt eorum aures audirent eum monentem, qui quasi iam pædagogum discedere iubens: *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis*: non perfectum præceptorem lex antiqua agebat, quæ ad veram iustitiam docendam, & inducendam non poterat pertingere; pædagogus illa fuit, populum ad me ducens, quem ego præcepta iustitiæ docerem. Hoc officium complens, dico vobis: Diligite inimicos, &c. *Hæc est via, ambulate in ea & non declinetis ad dextrã, neque ad sinistram.* Possunt hęc verba de dilectione accipi, cuius præceptum, proprium dicitur legis Euangelicæ, quæ lex amoris est. Hæc appellatur *via*, per quam ambulandum est, de qua loquutus est Apostolus, quasi hæc verba Prophetæ assumens explicanda. Ostenderat varias esse Spiritus Sancti distributiones, & dona, quæ gratias gratis datas vocamus: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alij fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Hæc quidem necessaria sunt corpori Ecclesiæ, non tamen cuiuis eius membro, *quæ operatur* propterea *vnus, & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Hæc quidem dona cęlestia sunt, sed ex illis *æmulamini charismata meliora.* Varia dona, inquit Anselmus, cosueuit Deus fidelibus suis impendere, quæ non sunt æqualis vtilitatis: propterea vos æmulamini meliora, id est, desiderate vtiliora. Sunt inter illa dona, inquit Chrysostomus, aliqua maioris admirationis, vt loqui linguis, sanitates operari, &c. vos autem desiderate meliora, hoc est, vtiliora, & quæ magis ad salutem vestram conferunt. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, id est, vt exponit Chrysostomus, dona Dei ambire pergite, sed fontem vobis donorum ostendo. De charitate loquitur, quam tamẽ, inquit Chrysostomus, consulto noluit nominare, vt animos auditorum attentiores redderet; si enim eam statim expressisset, forsitan contempsissent, quam toties audierant ab Apostolo commendatam. Propterea nomine eius suppresso, rem excellentiorem nominat, quasi dicens: Omnia dona excellentia sunt, inter quæ, à vobis ea sunt magis expetenda, quæ vtiliora sunt: sed exprimere volo donum excellentissimum, quod qui habet, vel eo solo illustrissimus est: quo qui caret, omni perfecto bono est destitutus. Attendite *excellentiorem* enim *viam vobis demonstro.* Quænam via? Illa quam Christus venit ostendere clamans: *Hæc est via*, quam necessario tenere.

¶ 40.

1. Cor. 12. 8

In eũ loc.

Epist. 103. ad Paulin.
Matt. 5. 1.
Luc. 6. 17.

nere debetis. Venit Christus, vt dixit
1. *Retract. cap. 22.* Augustinus prædicans Regnum cęlorum, cuius clara in veteri lege mentio non fuerat facta, ideò, & ad ipsum expectabat, securam viam ad illud Regnum demonstrare. Hanc ostendit: *Hæc est via.* Quænam via? Excellentiorem viam ostendo, charitatem. Hæc est via, quam qui non tenet, non potest ad Regnum peruenire, quam qui ingreditur, & sequitur, celeri certoque itinere ad illud peruenit. *Hæc est via*, sine qua extra viam est homo. Hæc ita tenenda est, *vt non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.* Quidam in amore ad dextram declinant, dum plus iusto amicos, & bona seculi amant: alij ad sinistram, inimicos odio habentes. Hæc tenenda est via, vt non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram: non ad dexteram, quia amicos, & temporalia tempera è diligere præcipio: qui enim diligit parentes, aut filios plusquam me, nō est me dignus. Non ad sinistram, sicut illi qui dicebant: *Diliges amicum, & odio habebis inimicum*: sed ego dico vobis: *Diligite inimicos vestros.* Hæc via, quam qui non ingreditur, non potest ad Regnum cœleste peruenire.

SECVNDA PARS,

QVIDNAM HOC PRÆCEPTVM CONTINEAT.

§. 1. *Præceptum Euangelicum promulgans Christus, merito à dilectione sumpsit exordium, quæ spiritui Euangelico est congrua.*

¶ 4. *Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos, orate pro persequẽtibus, & calumniantibus vos.* Videamus iam secundo, quidnam sit hoc præceptum, & quid contineat. Hoc Christus Dominus clarè his verbis expressit, præcipiens diligere inimicos; benefacere ijs, qui nos odio prosequuntur; orare pro ijs, qui nos persequuntur, & calumniantur. Hæc quidẽ nunquam tam clarè proposita fuerũt antiquis. In lege veteri præcepit quidẽ Deus inimicum diligere sed quoniam loquebatur populo carnali, duræq; ceruicis, & in virtute paruulo, non id clarè expressit, nec enim præcepit diligere inimicum, exprimẽs illũ sub nomine inimici, sed tantum sub nomine proximi: vt plurimũ autẽ de inimico loquens tantum præcepit erga illum, quædam beneficentiæ opera facilia, ad quæ natura ipsa aliquo modo impellit, vt illud: *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduces eum*; & iterum: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum.* Nunc autem omnia clarissimè exprimit, & quæ, à quo, & cui agenda sunt. In primis enim quæ agẽda sunt manifesta proponit, præcipiens dilectionẽ, & beneficentiæ opera, & orationem: quo nomine, vt Haymon annotauit, oĩa quæ agere possumus cõprehendit. Ad tria namq; reducuntur, omnia quæ homo agere potest, ad ea scilicet quæ facere potest corde, & quę ore, & quę opere. Hæc tria exposcit: quod fieri potest corde, per dilectionem; quod ore per orationẽ; quod opere, per beneficentiam. Clarè ergo exponit, quæ age-

Exod. 23. 4

Deu. 22. 4.

In cap. 5. Matth.

agere præcipit. Sed cui hæc opera exhibenda ſunt? Id etiam manifeſtiſſimè exprimit. *Inimicis ijs, qui vos oderunt, ijs qui vos perſequuntur, & calumniantur*, quo nomine omne inimicorum genus, & omnem inimicam actionem comprehendit. Quidnam enim ſunt inimici ſolo corde, alij corde, & ore, alij corde, ore, & opere. Inimici corde ſunt, qui odio nos habent; ore, qui nos calumniantur; opere, qui nos perſequuntur. Inſuper in tribus nos poteſt aliquis offendere, in bonis perſonæ, in bonis honoris, & famæ, & in bonis externis. Hos omnes comprehēdit Chriſtus. Perſonam enim offendunt, qui ſe exhibent nobis inimicos; honorem, qui nos calumniantur; bona externa: qui nos perſequuntur. Quibus autem id præcipiat, manifeſtè exprimit dicens: *Ego dico vobis*: quod clarius expreſſit apud Lucam, præmittens; *dico vobis, qui auditis: Diligite inimicos veſtros.* Illi cum audiunt, qui illius diſcipulos ſe exhibent, qui ad eius ſcholam pertinent. Loquitur ergo ad omnes diſcipulos ſuos, qui legem Euangelicam ab eo audiunt, & recipiunt. Hoc itaque eſt præceptum, quod Chriſtus ſub iſto ſententiarum pondere, & verborum claritate, tanquam Euangelicæ legis præceptum proponit, cuius partes breuiter explicandæ ſunt. Primum omnium, quod præcipit eſt, *Diligere inimicos*. Ante quidem, præceptum Euangelicum, id quod Euangelicæ legi proprium eſt, tanquam fundamentum primum ſtatuit, dilectionem ſcilicet, quam tanquam totius Euangelicæ legis baſim, Chriſtus Dominus illam promulgans ſuppoſuit. Breuis differentia, inquit B. Auguſtinus, ſæpiſſimè eſt, inter legem, & Euangelium, timor, & amor: lex enim antiqua data eſt paruulis, & ſeruis, quorū proprium eſt, induci per timorem, ad obſeruantiam mandatorum: lex autem Euangelica datur filijs, & viris iam perfectis, qui amore ducuntur. Præterea in lege antiqua multa pueriliter populo: nunc in lege Euangelica res grandes decernuntur, & proponuntur, viris virtute, ac robore præſtantibus dignæ, vt tollere crucem, contemnere vitam, non timere mortem, deſpicere terrena, cōplacere in tribulationibus, gaudere in perſecutionibus: idcirco Chriſtus, tanquam fundamentum huius legis amorem præmittit, cuius tanta vis eſt, vt nihil coram illo difficile ſit, aut impoſſibile. Nihil inquit D. Hieronymus, amanti durum eſt, nullus difficilis cupienti labor eſt. Intuere quanta paſſus fuerit Patriarcha Iacob, qui vt Rachel in coniugem conſequeretur, æſtu vrgebatur, & gelu; & tamen videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, cum tamen ſeptem annorum ſpatia voluerentur in tam grandi labore. Aſcendens ergo Chriſtus in montem, Regnum cœlorum manifeſtè propoſuit, quod non niſi violenti, & validi rapiunt. Quoniam autem nihil ita fortes, violentos, ac validos reddit homines, ſicut amor; aperiens os ſuum, & dirigere volens noſtras actiones ad illud conſequendum, non gladio, aut haſta, vel clypeo, aut alio huiuſmodi armorum genere munit: niſi amore. Hunc *ignem venit mittere in terram, & quid*, inquit, *volo niſi, vt accendatur?* Hoc primum fundamentum ſupponit, ignem charitatis, & amoris. Cum igitur hoc præceptum Euangelicum ſit primo ſtatuendum eſt: *Diligite*. Deinde duplicem cōſtituit Apoſtolus differentiam, inter legem veterem, & Euangelicam. Prima eſt, quod illa *Scripta eſt* exterius, *in tabulis lapideis*: hæc autem interius *in tabulis cordis carnalibus*. Quod ab ipſo Deo per Ieremiā prædictū fuerat, poſt illam celebrem promiſſionem: *Fœmina circundabit virum, &c. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda teſtamentum nouum.* D. Auguſtinus legit, *Conſummabo domui Iſrael*, id eſt, dabo legem conſummatam, & perfectam, quam propterea, inquit Auguſtinus, Dauid qui iam antiquam legem acceperat, deſiderabat, & petebat, dicens: *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum*: illa enim iuſtificare non poterat, quod legi Euangelicæ relinquebatur. In Hebræo pro eo quod tranſtulit Vulgatus, *feriam*, habetur verbum *Charath*, quod ſignificat ferire, aut excindere, aut

Luc. 6.

Epiſt. 22. ad Euſtoc. de cuſt. vir.

Luc. 12. 49

2. Cor. 3. 3.

Ier. 31. 31.

In Pſ. 118. cont. 11.

Pſ. 118. 33.

חרת

ad

¶ 42. Lib. cō. Adim. ca. 16 et 3. contr. duas epiſt. Pelag. c. 4.

ad ſcribendum antiquam legem excin-
Brix. to.1. fol.334. di iuſſit; aut verò ad cæremoniam il-
lam, qua, qui pactum quod celebrabant
Exod.34.1. firmare volebant, excindebant animal
Gen.15.10. medium, ſicut fecit Deus, pactum a-
Ier.34.18. gens cum Abraham: quo eodem ver-
bo vtitur Deus apud eundem Ieremiã:
Vitulum, quem ſucciderunt in duas par-
¶ 43. *tes.* Idem ergo eſt, Feriam teſtamen-
tum, quod, firmiſſimum pactum inibo,
quale illud erat, quod feriendo, aut
excindendo animal, celebrabatur. Sed
quale futurum eſt hoc teſtamentum
nouum? *Non ſecundum quod diſpoſui*
cum patribus eorum, cum eduxit eos
de terra Ægypti; ſed dabo leges meas in-
viſceribus eorum, & in cordibus eorum
ſcribam eam. Ex his intelligitur diffe-
rentia illa, qua perpetuò Apoſtolus v-
titur, qui legem antiquam vocat le-
a *Ro.3.27.* gem factorum *a*, & legem mandato-
b *Eph 2.15* rum *b*, legem autem Euangelicam,
c *Ro.3.27.* legem, aut iuſtitiam fidei *c*, per charita-
d *In c.2. ad* tem (intellige) formatæ, vt Diuus Tho
Eph. lect.5. mas *d*, cæterique omnes Sancti Patres
interpretantur. Dicitur lex vetus, lex
mandatorum, aut factorum, non quia
aliæ leges mandatis careant, ſed quia
tantum mandata proponebat, & facta
ac opera requirebat, nullam facultatem, aut virtutem interius, ad ea perficienda præbens. Nec mirum: nam principium vitale operationum humanarum eſt cor: ideoque ipſum iuuari debet, ad opera exequenda; lex antiqua exterius erat ſcripta, non in corde ſculpta, ideò cor iuuare non poterat. Lex autem Euangelica, non ſolum faciendam præſcribit, ſed, & virtutem ad ea quæ mandat perficienda, confert. Et aptè quidem, nam in ipſo corde reſidet, in illo ſcripta eſt, ipſum iuuans, & roborans ad operandum. Quoniam autem principium, quod cor excitat, & mouet ad opus, eſt amor, vt Diuus
a 1.2.q.25. art 2.& q. 18.art.6. Thomas *a*, ex Beato Auguſtino *b*, imò, & ex Diuo Dionyſio *c*, demonſtrat, primum quod illa ſtatuit ac in-
b 14. de ci. ſap 7.& 9. fundit, eſt amor, & dilectio, quam ſecũ
c cap. 4. de diu. nom. illa fert, vt Diuus Thomas demonſtrat, & explicat. Quoniam autem quærere ſtatim poſſumus, vnde lex Euangelica
d 1.2.q.106 hanc virtutem trahat, aliam differentiã addens Apoſtolus, id explicat. Antiqua lex ſcripta fuit digito Dei, at Euangelica ſcribitur, *ſpiritu Dei viui.* Deus *2.Cor.3. cit.*
non exhibetur viuificate per digitum, ſed per ſpiritum, quem emittit: ita *ſpi-* *Gen.2.7.*
rauit in faciem Adæ, & factus eſt homo *Pſ.103.30.*
in animam viuentem: Et emittes, inquit Dauid, *ſpiritum tuum, & creabuntur.* Et ſpiritus Dei, qui virtutem viuificandi habet; vt patet in oſſibus aridis, quę videbat Ezechiel; & ipſe perhibetur in *Ezec.37.6*
mundi exordio fouens aquas, virtutem viuificatiuam eis tribuens, de quo dicitur, quod *ferebatur ſuper aquas.* Si- *Gen.1.2.*
gnanter autem ſpiritui Dei conuenit, id quod dixit Diuus Gregorius: Spiri- *Hom.30.in Euang.*
tus ſanctus amor eſt, cui propterea conuenit viuificare cor, quod ſedes eſt amoris, quo ille vrgetur, & agitur ad opera vitalia agenda. Quia ergo lex Euangelica hoc ſpiritu ſcribitur, & inſculpitur corde, qui eſt ſpiritus viuificans, qui cum ſit amor, amorẽ, tãquam fundamentum in corde, quod ſedes eſt amoris, ſtatuit, primum quod lex ſua gelica ſtatuere debet, ad amorem cordis pertinere debet. Hocque primum ¶ 44.
eſt, quod hoc Euangelicum præceptum expoſcit, *Diligite inimicos veſtros.* Præterea Chriſtus Dominus voluit, hominem à Deo auerſum, & deordinatum, erga illum rectè componere, & ordinare. Quoniam autem omnis *Prou.4.23.*
actio, & *vita à corde procedit*, vt Sapiens dixit, & ab illo exeunt, *quæ coin-* *Matt.15.8*
quinant hominem, vt Chriſtus contra Phariſæos agens demonſtrauit, primò voluit cor ipſum rectificare, & ordinare erga Deum. Hoc autem fit per amorem charitatis, quę cor ad Deum conuertit, tanquam ad ſcopum, & finem. Ex quo fit, quod ſicut ſagittarius, qui rectè erga ſcopum compoſitus eſt, rectas mittit ſagittas, ita cor, quod per charitatem erga Deum rectè eſt ordinatum, recta erga illum opera mittat. Similiter vt nos erga proximum rectificaret Chriſtus, voluit cor erga illum rectè ordinare: hoc autem fit per charitatem; nam qui diligit proximũ, recta erga illum operatur, vt demon- *ad Rom.13*
ſtrat Apoſtolus. Idcircò tanquam fundamentum eorum, quę circa proximum agenda ſunt, charitatem ſtatuit, dicens: *Hæc mando vobis, vt diligatis*

*Ioan.*13.34 *& c.*15.12. *gatis inuicem: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Nec his contentus est, sed ne fortè nos sicut antiqui, proximi nomine solummodo intelligamus amicum, expresse assumpsit ordinare nos erga inimicos, & rectificare: & quia huius rectitudinis primũ principium est amor, & dilectio, per quam erga illos rectè sumus conuersi, & affecti, hanc primò statuit, dicens: *Diligite inimicos vestros.*

§. 2. *Quomodo Christus, qui iubet odire patrem, & matrem, præcipiat diligere inimicos.*

¶ 45. ANtequam tamen ad expendenda, quæ vlterius Christus præcipit, progrediamur, explicandum est dubium, quod circa ista, quæ primò statuit, suboritur ex illis verbis, quæ

*Mat.*10.37 *Luc.*14.26 idem Christus dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Qui præcipit odire patrem, & matrẽ, & vxorem, &c. quomodo præcipit diligere inimicos? Egregiè hoc dubium expendit Sanctus Ambrosius, ob-

In Ps. 118. *serm.* 15. *in illud, Iniquos odio habui.* seruans rem rationi contrariã videri, iubere odire patrem, & matrem, & diligere inimicos. Non possum inquit, saluo pietatis iure, odisse patrem, cui debeo quod creatus sum, nec matrem, longo decem mensium fastidio pij fœtus onere portantem, cui nostra ablolatione plus periculi, in dilatione plus tædij est. Quid dulcissimi merentur filij, vt paterno excludantur amore, cum sit impium mori nolle pro filijs? Quid vxor charissima, vitæ cohæres & consortium communis naturæ? Quid fratres, eisdem concreti visceribus, atque formati eodem naturæ hospitio, in hunc vsum lucis emissi? Oderim ergo pignora charitatis, & diligam inimicum, qui vitam, quam dedit pater, quam aluit mater, quam adiuuant fratres, quam sustentat vxor, quam filij lætam reddunt, auferre procurat? Eandem difficultatem augent illa Domini verba, dicentis: *Nolite arbitrari quia pacẽ venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare filium aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, &c. Et inimici hominis domestici eius;* Id est, veni facere, vt homo cum domesticis suis inimicitias gerat. Quomodo, qui separat eos, quos natura amoris vinculo ligat, coniungere vult illos, quos eadem natura à se inuicem separatos continere videtur? Hæc erant, quę Gentilibus difficillimam reddebant Euangelicam legem, vt Diuus *Hom.*7 *in* 1. *ad Cor.* Chrysostomus eleganter prosequitur. Respondet tamẽ Ambrosius, expẽdens illud, quod à Sapiente concionatore *Eccl.*3 8. dictum est: *Tempus dilectionis & tempus odij, tempus belli, & tempus pacis.* Inordinatè se habebat homo erga parentes, consanguineos, & amicos, & inordinatè erga inimicos, contraria circa eos tenens extrema: parentibus enim, consanguineis, & amicis, perpetuã adhærebat pace, ideoque sæpè ad ea, quæ in Dei obsequium tenebatur agenda, negligebat procedere: inimicis autem perpetuò erat separatus bello, ideoque multa, quæ circa eos agere tenebatur, prætermittebat: illos omni tempore diligebat, quibus vt complaceret, sæpè Deũ offendebat: illos omni tempore odio prosequebatur, quos vt offenderet, multa contra virtutem agebat. Venit Christus, & ¶ 46. eum quem in extremis inuenit constitutum, voluit ad medium reuocare, indicens bellum, quod aliquando cum consanguineis, & amicis agat, eorum voluntati carnali, & iniustè se opponens, & statuens pacem, quam ali quando cum inimicis teneat: separat pro aliquo tẽpore eos, qui sibi semper adhærebant, & coniungit aliquando illos, qui semper à se erant separati. Moderari ergo voluit nimium amorem erga illos, & accendere, qui erga istos erat extinctus. Quotidianis exemplis, inquit Beatus Augustinus, videmus hęc. Placet iuuenem alicui Deo seruire, displicet Patri: diuisi sunt aduersus se: ille promittit terrenam hæreditatẽ, ille amat cęlestẽ: aliud iste pollicetur,

In Psa 44. *accingere gladio tuo*

aliud

aliud iſte eligit. Non ſibi putet pater factã iniuriam, Deus ſolus illi præfertur, & tamen litigat cum filio volente ſeruire Deo. Sed fortior eſt ille gladius ſpiritualis, quam copulans natura carnalis, &c. Inimici inſurgunt contra Stephanum, eum educunt, & lapidibus impetunt. Quid ille facit? Diligit inimicos, orat pro illis. Quis hoc facit? Chriſtus: qui ſicut filium patri adhærentem, aliquando ab illo ſeparat, ita facit, vt inimicum, qui longè exiſtebat, amoris vinculo homo ſibi faciat propinquum. His adde, quod homo ita adhærebat conſanguineis, vxori, aut amicis, vt complacens ſibi in perſona, & eam diligens, etiam complaceret ſibi in illius culpa, & eam amaret: vt videre licet in ijs, qui adhærentes vxoribus ſuis alienigenis, earum idola ſibi placita habuerunt, quæ, & adorauerunt, quod, & Salomoni ipſi accidit. *Num. 25.* *3. Reg. 11.* Ita autem erat homo ab inimico auerſus, vt odio habens illius culpam, & offenſam, etiam odio haberet eiuſdem perſonam, quam, & perſequebatur. Erga parentes ergo, vxorem, & amicos, homo peccabat ex amore, erga inimicos ex odio; id propterea Chriſtus homini erga vtroſque indicit, quæ in eo erga vtroſque corrigere neceſſarium erat. Nimius erga parentes, & amicos amor corrigendus eſt per odiũ, vt ſcilicet ita illorum diligat perſonas, quod odio habeat culpas: & nimium odium erga inimicos corrigendũ erat per dilectionem, vt videlicet ita odio habeat eorum culpas, quod diligat eorum perſonas: hoc-que ſtatuit dicens; *Diligite inimicos veſtros*. Sed de ijs latius præcedenti Tractatu.

§. 3. *Non ſolum dilectionem, ſed, & beneficentiæ operaad inimicos expoſcit Chriſtus, nec enim arbor plantatur, niſi vt fructus referat.*

¶ 47. BEne facite ijs, *qui oderunt vos*. Superari vult odium inimici à noſtra dilectione, dum iubet, vt illum qui interius nos odit, nõ ſolum diligamus, ſed, & beneficentiæ opera ei exhibeamus; & eius odium, non ſola dilectione, ſed, & beneficentiæ operibus compenſemus. Hocque eſt ſecũdum, quod continet hoc Euangelicum præceptũ. Noluit Deus, vt arbores, quas in Paradiſo plantauit, eſſent ocioſæ, & ſine fructu, quas propterea iuſſit, *vt producerent fructum*, vnaquæque *iuxta genus ſuum*. Charitatem erga inimicum plantat in corde eorum, qui legem Euangelicam, vt decet, profitentur, non vult illam ocioſam eſſe, aut ſine fructu, ſed in omni opere bono fructificantem: idcirco poſtquam dilectionem ſtatuit, dicens: Diligite inimicos veſtros, iubet, vt hæc arbor fructum referat, ſubdens; *Benefacite ijs, qui oderunt vos*. Breuis, eſt, ſed abundantiſſimis myſterijs referta illa ſententia Apoſtoli: *In charitate radicati, & fundati*. Duplici metaphora vtitur Apoſtolus, vt annotat Diuus Thomas, arboris, & domus, quæ vt ſtent, egent quidem arbor radicibus, & domus fundamento. Homo dum viuit, ædificium conſtruit ex operibus ſuis, quod vſque ad beatitudinem perueniat. Qui ædificat, primò de fundamento cogitat, quod niſi firmum ſit, facilè ædificium ruit. Si vis ædificium firmum conſtruere, firmum fundamentum conſtrue. Quodnam illud erit? In charitate fundati. Charitas firmiſſimum fundamentum eſt, de qua idem Apoſtolus ait, quod *omnia ſuſtinet*, non mirum, *Deus* enim *charitas eſt*, *& qui manet in charitate*, *in Deo manet*. Vide quam firmum fundamẽtum eſt charitas. Si vis quod ſtet oratio, ieiunium, eleemoſyna, & tu ipſe

Gen. 1. 11. *Eph. 2. 17.* *In ca. 2. ad Eph. lect. 4.* *1. Cor 3. 7.* *1. Ioã. 4. 16*

ipse, super charitatem ædifica. Omnia propter Dei amorem facito, & teipsum in charitate firma, & tam firmum erit ædificium, vt permaneat in seculum seculi. Homo insuper arbor est, qua metaphora etiam Philosophi illam expressérunt dicentes; esse arborē inuersū. Arbor eget radicibus, vt stet: nihil enim facilius est, quam arborem deijcere, quæ radicata non est. Vnde, vt Deus exprimeret facilitatem, qua aliquos tyrannos vel Reges (Theodoretus Nabuchodonosorem, & Senacheribbum, & alios similes intelligit) erat deiecturus, eos comparat arbori, quæ in terra non est plantata nec radicata: *Esa 8 35. Equidem neque plantatus, inquit, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum, repente flauit in eos, & aruerūt, & turbo quasi stipulam auferet eos.* ¶ 48. Hinc Apostolus metaphoram sumit: vt positis stare firmi, quos nec turbines tribulationum, nec tempestates persecutionum ejciant, estote in charitate radicati, & vt interpres Chrysostomi legit, *fixis in charitate radicibus*: sic enim neque mors, neque vita, neque Angeli, neque potestates, nec periculum, nec gladius vos euertet, sicut Paulus in semetipso comprobabat. Sed vt hoc clarius explicemus, obseruandum est, *Rom.8.35.* incongruam videri Apostoli locutionem, cum dicit: *In charitate radicati*. Homo siquidem, non est in charitate, sed potius charitas est in homine, tanquam arbor in horto, vt paulo ante diximus, & omnis Theologia docet. Hortus autem non radicatur in arbore, sed potius arbor in horto: videturque propterea dicendum fuisse, charitas sit radicata in vobis. Egregiè tamen Apostolus loquitur, tenens consuetam Scripturæ sacræ phrasim, quæ propositio *In*, idem valet, ac *Per*. Ita intelligimus *Ieue.3.17.* illud, *maledicta terra in opere tuo*, id est, *Gen.32.10* per aut propter opus tuum: & *In baculo meo transiui Iordanem*, id est, per baculum, & *in lumine tuo videbimus lu-* *Isa.35.10.* *men*, id est, per lumen tuum. Fundamentum super quod fundandi sumus, Chri- *1.Cor 3.10* stus est, dicente eodem Apostolo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino*, Terra insuper, in qua transplantari debemus, ipse Christus est; Plantati eramus in carne Adę, à quo nascimur filij iræ, de qua dixit Apostolus: *Scio quod* *Rom.7.18.* *non est in carne mea bonum*: illos proinde ferebamus fructus, quos idem Apostolus exprimit: *Cum essemus in carne* *Rom.7.5.* *passiones peccatorum quæ per legem erāt, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*. Per baptismum autem, vt idem Apostolus ait, transplan- *Rom.6.5.* tati, aut *complantati sumus* in Christo, à quo virtutem trahimus, vt fructus vitæ æternæ faciamus, referamus fructus dignos pœnitentiæ, & gloriæ. Arbor vt radices mittat in terra, ad quam transplantatur, eget humore aquæ, *ad* *cuius odorem* (dixit Iob) *radices mittit* *Iob 14.19.* *in terra* altas, quam per illas firmatam, non possunt impetus ventorum subuertere, nec à terra vllatenus radicare. Ita per charitatem homo radices altas mittit in Christo, & tam profundas, vt non possint eū eradicare totius inferni turbines, & procellæ; sicut in B. Iob videre possumus, & clarius in Apostolo, qui dicebat: *Quis nos separabit à charitate* *ad Rom. 8.* *Christi? tribulatio, an angustia?* Totius inferni, mundi, & carnis vires iunctæ sunt, vt Apostolos, & martyres, à Christo eradicarent, & separarent; id tamen nullatenus perficere valuerunt, & quāuis potuerint tyranni separare caput à corpore, carnē ab ossibus, animā à corpore, non tamē potuerunt eos à Christo auellere; erant enim firmiter in illo radicati per charitatē, quæ est ēt glutinum, & bitumen, per ꝙ ita super Christū fundati fuerunt, vt nullatenus potuerit omnis creata potentia, à tali fundamento euertere. Est itaque charitas humor, aut aqua, cuius virtute radicatur homo firmiter in Christo: nec mirū, peculiariter enim illa procedit à Spiritu Sācto, de quo dixit Apostolus, ꝙ *Charitas Dei diffusa est in cordibus no-* *ad Rom.5.* *stris per Spiritum sanctū*: & Spiritus sanctus, dicitur fons viuus, cuius gratia vocatur à Christo aqua, quā qui *biberit, nō* *Iob.4.13.* *sitiet iterum*. Arbor aūt ideò transplantatur, & per aquæ humorem radices mittit, vt fructum ferat abundantem. Ita Dauid de iusto, quod erit *tan-* *Psal.1.3.*

quam

quam lignum transplantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Et clarius Ierem. *Erit*
Ier. 17. 8. *tanquam lignum, quod ad humorem mittet radices suas, & non timebit cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Ad humorem, inquit, aquæ mittet radices: virtute namque illius humoris, radicabitur in terra, ita quod nullatenus ab ea auelli possit: & non desinet facere fructum, nam hoc ab illo exigitur, quod ideo transplantatur, vt fructuum ferat. Ita homo, qui transplantatus est in Christo, per viuam fidem, mittit radices altas ad humorem charitatis: aut per charitatem, sed hoc ordinatur ad id, vt referat fru-
Mat. 7. 19. ctum: *Omnis enim arbor, quæ non fert fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Hunc fructum Christus exposcit ab arboribus transplantatis, radicatis per charitatem: primo dixit Christianis: Diligite inimicos, supponens humorem charitatis ad radices mittendas & statim subdit: *Benefacite ijs, qui oderunt vos,* fructum bonorum operum erga inimicos exposcens.

§. 4. *Christus iubens benefacere inimicis, nec prohibet iusto bello eos impetere, nec hæreticos, & fidei hostes igni tradere.*

¶ 50. *Benefacite ijs, qui oderunt vos.* Quidam sic intellexerunt hoc præceptum, vt crederent, non licere Christianis, qui legem Euangelicam profitentur, se conuertere, vt puniant, & cœrceant inimicorum insolentiam, nec licere eis arma sumere contra inimicos suos, nec illos morti tradere.
Epist. 50. ad Bonifa. Ita hæretici Donatistæ, quorum illa erat communis propositio, vt refert S. Augustinus, bonos, & sanctos, neminem persecutionem inferre, quibus tantum licet, patienter ferre persecutiones, ab alijs illatas, melius quam illi, qui adhuc in veteri lege constituti, ne legem de sabbathi obseruatione violarent, dicebant: *Maior omnes in-*
1. Mac. 2. 17. *simplicitate nostra, & testes erunt super nos cœlum, & terra, quod iniustè perditis nos.* Ecclesiam quandam Donatistæ inuaserant, in Maximinianum Episcopum Vagiensem stantem ad altare irruentes, horrendo impetu, & furore crudeli, fustibus, telis, & lignis percusserunt, pugione itidem in inguine vulnerarunt, quo vulnere sanguis effluens, eum exanimem reddidisset, nisi ei ad vitam maior saeuitia eorum profuisset. Nam cum grauiter sauciatum per terram traherent, exundanti venæ puluis obstrusus, sanguinem continuit, cuius effusione, ibat in mortem. Cum ab eis relictum, fideles cum Psalmis auferre tentarent, viuum adhuc inuenerunt, curatusque tandem conualescit, & ad Imperatorem rem totam detulit, qui sententiam contra impios pertulit. Vociferabantur Donatistæ dicentes, rem impiam ab Episcopo Vagiensi factam, qui si legem Euangelicam profiteretur, non contra malefacientes debebat iustitiam postulare, sed libenter mala illata perferre. Quæ late ibi Augustinus, ipsorum insolentiam exponens, prosequitur. Hinc multorum error processit, asserentium, non licere Christianis bellum agere contra inimicos suos, & eos occidere: id enim huic Euangelicæ legi, alijsque similibus contrarium contendunt. Ita Iulianus Apostata, alijque etiam nostri temporis hæretici, quos referunt Castro *a*, Prateolus *b*, & alij qui contra hæreticos scripserunt. Illa insuper similiter hæresis hinc ortum habuit, quam multi tempore B. Augustini tenuerunt, nuncque asseuerant, non licere Ecclesiæ Christianæ, aut eius Principibus Ecclesiasticis vel sæcularibus, hæreticos illius inimicos persequi, & multo minus punire, ignique tradere: hoc namque contrarium est huic legi, quam Christus omnibus Euangelicam legem profitentibus imponit. *Benefacite ijs, qui oderunt vos.* Cæterum in huius explicationem breuiter dicendum est, certum esse, Christianos ea agere posse contra inimicos suos, quæ necessaria sunt ad sui iustam defensionem, & conser-

a *Con. hæres. ver. bellum.*
b *In Cath. hæretic.*

ſeruationem, ad coercendam petulantiam inimicorum, & eorum culpam puniendam. Quod enim pro charitate inſtitutum eſt, non debet contra charitatem militare. Secundum autem ordinem charitatis tenetur Reſpublica Chriſtiana in communi, & fideles qui ad illam pertinent in particulari, ſeipſos diligere, & conſeruationi propriæ attendere: vnde omnia, quæ ad hoc erunt neceſſaria, poterunt præſtare; & ita inimicis ſe opponere, illos perſequi, & ea contra illos agere, quæ propriæ ſaluti neceſſaria ſunt. Vnde quando quis non poteſt vitam conſeruare, niſi occidendo inimicum, poteſt illum occidere, cum moderamine ¶ 51. inculpatæ tutelæ. Et quoniam ad conſeruationem Reipublicæ neceſſarium eſt, punire malefactores, inimicos cõpeſcere, & eos perimere, iuſtè Reſpublica Chriſtiana punit malos, hæreticos caſtigat, & Chriſti nominis inimicis ſe opponit, & ſuperbientes perſequitur, cuius, vt obſeruat D. Auguſtinus illa Dauidis eſt vox, *Perſequar* Epiſt. 50. cit. *inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant*: quamuis hoc præcipuè intendat, donec deficiant in vanitate, & in veritate pro- Geneſ. 16. & 21. ficiant. Ad quod inſtitutum expendit ſimiliter Auguſtinus perſecutionem, qua Sara perſequebatur ancillam Agar: tenebat enim Sara, ſicut dixit Ad Gal. 4. 10. Apoſtolus typum Eccleſiæ, ſicut Agar, eorum qui illam perſequũtur, moribus dogmatibus, aut armis. Et certe Sara, quæ perſequebatur Agar, potius perſecutionem patiebatur ab illa, nam verius Agar perſequebatur Saram ſuperbiendo, quam Sara illam coercendo. Cum ergo opus eſt, & ferro defendenda eſt Eccleſia, & igne tenenda, & conſeruanda religio, occidendi fures inuadentes illam, comburendi tanquam transfugæ; & proditores apoſtatantes hæretici, nec vlla bel'i iuſtior cauſa eſſe poteſt, quam vt Dei honor, eiuſque hæreditas, & religio defendatur. Vnde Auguſtinus egregiè demon- Epi. 30. cit. ſtrat, nullas pœnas iuſtius Principibus ſecularibus latas, & executioni mandatas, quam quas imponunt contra eos, qui Eccleſiæ, religioni, & fidei ſe exhibent inimicos: de quibus egregiè D. Thom. cæterique qui contra ſupradictos errores diſputant. Id inſuper ob 2.2. qu. 40. ſeruandum eſt, vnam virtutem alteri contrariam eſſe non poſſe: ſicut enim vnum verum alteri vero non opponitur, ita nec quod verè bonum eſt, & rectæ regulæ conforme, alteri bono poteſt opponi, vt Theologi demonſtrant. Cum autem iuſtitia virtus ſit, nihil, quod eſt illi conforme, poteſt eſſe contra charitatem: ideoque id omne quod ſecundum rectæ iuſtitiæ leges fit, charitati non contradicit. Quamuis enim quis, vt charitatem perfectius ſeruet, poſſit iuri ſuo cedere, & permittere ſe occidi abſque aliqua defenſione; qui tamen ſecundum leges iuſtitiæ agit non charitatem violat. Vnde iudices punientes malefactores ſecundum iuſtitiæ rigorem, Principes qui bellum ſecundum iuſtitiam inferunt inimicis, nullatenus charitatem impugnant. De ijs aliqua dicta ſunt in præcedenti Tractatu, aliaq. multa à Theologis traduntur, quæ latius nunc proſequi non conceditur.

§. 5. *Explicat Auguſtinus: An liceat vindictam à iudice contra inimicum petere, & dictum commune examinatur: Diligo inimicũ, ſed volo eum ſuſpendi.*

VT tandem quid his verbis præcipiatur intelligamus, explicandum ¶ 52. eſt dubium illud commune, An qui iniuriam aut læſionem ab inimico accepit, poſſit vltra recompenſationem damni recepti, velle, vt vindictam lege ſtatutam pro iniuria, ſumat iudex aut Reſpublica de offendente, & lædente, puniendo illum pœnis à legibus decretis? Dixi vltra recompenſationem damni recepti, nam velle receptũ damnum reſarciri, nullã continet charitatis læſionem. Videturq; iuſtè vindictam pro iniuria à iudice inferendam appeti, & peti poſſe: talis enim vindicta iuſta eſt, & æqua: qui igitur illam appetit, id appetit ꝙ iuſtũ eſt; & qui illam exequi petit, id petit exeq, ꝙ æquũ eſt. Nullus autem

rem agens, quod iustum est, à charitate deficit, aut à recto deuiat. Et quidem facilè difficultas hæc ex dictis expediri potest: quod tamen facilè verbis dicitur: difficillimè moribus tenetur. Quamuis enim, qui huiusmodi vindictam expetunt, clament, & profiteantur, se quidem inimicos diligere, nihilominus velle, vt id circa illos fiat, quod iustè fieri potest: hæc tamè duo, diligere, & vindictam expetere, difficilè valdè coniungi possunt. Vt tamen breuiter rem totam explicemus, id statuendum est, tanquam fundamentum, quæstionem hanc quæ ad mores pertinet, non secundum Metaphysicas, sed secũdum morales regulas definiendam, & moraliter de ijs, quæ ad mores pertinent, non metaphysicè agendum est. Obseruãdum est secundò, illã explicatam fuisse à B. Augustt. agente contra Adimantum Manichæũ, qui nequaquam hæc duo ad concordiam reuocari posse contendebat, benefacere inimico, & vindictam de illo sumere. Vnde asserebat, hoc Euangelicum præceptum, contrarium esse illi antiquo, quo Deus iussit Iudæis, vt Chananæos, inimicos suos euerterent. In huius igitur explicationem D. Augustt. hanc statuit primò propositionẽ. Fieri potest, vt quis vindictam appetat, quærat, & inferat, & charitatem teneat & præceptum dilectionis inimici seruet. Hæc probat Augustt. ex eo, quod Paulus fecit circa fornicarium: *Ego quidem*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, &c. tradere hunc Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in diem Domini*. Quid habet illa interfectio, nisi interitum carnis: sed quia expoluit Apostolus, quo animo id faceret, satis declarauit, in aliquem inimicum vindictam charitate posse procedere. Idipsum confirmat ex eo, quod idẽ Apostolus docet: *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiũt multi. Si autem nos metipsos iudicaremus, non vtique dijudicaremur: dum iudicamur autẽ*, id est, dũ punimur, & vindictam sustinemus, *à Domino corripimur, vt non cum hoc mũdo damnemur*. Ecce manifestũ est, Deũ cũ dilectione, corrigere, & castigare, non solũ infirmitatibus, & ægritudinibus, sed etiam mortibus tẽporalibus, eos quos non vult damnare cum mundo. Nullus magis dilectionem, & charitatem erga inimicos seruat, quam Deus: ille autem sæpè eos punit, & castigat, & morte ipsa plectitur: potest igitur quis punitionem, & vindictam erga inimicum appetere, absque charitatis læsione, verè diligendo inimicum: idque reuera fit, quando vindictam solummodo quis exoptat, ex zelo diuini honoris, & gloriæ, & ex desiderio publici boni, & vtilitatis ipsius proximi cuius delictum temporalis pœna purgat, & correptus corporali morte, æternam damnationem euadit. Secunda Augustt. propositio. Difficile est, vindictam appetere, diligendo inimicum, & non odire illum, cuius iteritum exoptas. Hanc ita Augustt. explicat. Tunc cum dilectione appetitur vindicta de inimico, quando solummodo eius peccatum odio habetur, & persona diligitur: quando vindicta propterea expetitur, quia ipsi peccatori vtilior est, quam remissio; & ita expetitur solummodo, vt peccatũ absumatur, honor diuinus promoueatur Reipublicæ bonum seruetur, & inimicus saluetur. Hoc autem quam difficile sit, manifestum est: id enim, inquit Augustinus, perfectorũ est, vt non oderint in peccatoribus nisi peccata, ipsos autem homines diligant; *Et cum vindicant, non vindicent acerbitate sæuitiæ, sed moderatione iustitiæ, ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quam pœna vindictæ*. Ita Augustin. Qui ita vindictam appetit, dilectionis præceptum non lædit. Sed quis est, qui ita agat? Difficile est, & solummodo perfectorum, diligendo inimicum, illius vindictam expetere; aut vindictam exoptando, illum diligere; perfectorum siquidem est in charitate. Qui se inuenerit, ita in ea profeciſſe, vt id agere valeat, vindictam poterit de inmico exoptare, & à iudice expoſcete. In huius confirmationem obseruat Diuus Augustinus, diuersimodè diuersis temporibus Christum cum Apostolis egisse. Quando enim irati contra Samaritanos, quoniam ab eis non fuerunt hospitio recepti, quæsierunt à Domino, vt

Lib. cont. Adim. c. 17

Exod. 23.

1. Cor. 5. 3.

1. Cor. 11. 30.

¶ 53.

Luc. 9. 54.

peterent ignem de cœlo descendere, quo illos punirent; respondit Dominus dicens, eos nescire cuius spiritus essent filij; quoniam illi animo inimico perdere volebant eos, quos volebant igni consumi. Postea verò, cum impleti essent Spiritu sancto, & perfecti facti essent, qui iam possent etiam inimicos diligere, vindictam in eos exercendo, acceperunt potestatem vin-
Actor. 5. dicandi, qui iam sine odio poterãt vindicare. Qua potestate Petrus Apostolus vsus est, ad cuius sententiam ceciderunt vir, & vxor, qui ausi sunt mentiri Spiritui sancto. Non itaque Apostolis vindictam sumere, aut expetere concessit Christus, quousque summam charitatis perfectionem attigerunt, quando repleti sunt Spiritu sancto, qui tanquam diuinus amor eos charitate repleuit; ideoque nullo modo vindictam, nisi ad finem charitatis iam optabant. Ex his in illam ducor sententiam, vt credam, moraliter loquendo, ferè omnes illos, qui vindictam de inimicis à iudice inferendam
¶ 54. exoptant, & petunt, ab isto Euangelico præcepto discordare, & id eis accidere, quod S. Gregorius annotat, in
22. Mor. cap. 12. hac materia frequentius mentem humanam sibi mentiri, quæ quod leuioris affectu fit, tribuit iustitiæ, aut charitati, aut boni communis desiderio. Tales sunt ij, qui dicunt, inimicos qui se læserant, diligere, cæterum vindictam velle sumi, vt Reipublicæ bonum seruetur, vt alij timeant, vt peccata vitentur, &c. Zelum iustitiæ, ac boni publici oſtẽtant, quos frequentius non
Lib. de reg. Mon. c. 22. dilectio, sed verè odium aduersus persequentes excitat. Nihil facilius est, inquit S. Basilius, quam hac in re vnumquemque seipsum fallere: vnusquisque enim sibi benevolus est, indulgentiorque iudex, & quæ iucunda sunt, ea vtilia iudicat. Solicita propterea cura, inquit Gregorius, homo seipsum examinare debet, & inquirere, an cum appetitu vindictæ peccati, dilectionem teneat hominis. Dices: Quomodo id cognosci poterit? Quisnam intelligere poterit, se solo zelo iustitiæ, non odio duci? Primo id deprehendes, si eodem zelo videas te commoueri, agi, & excitari erga illos peccatores, qui non tibi, sed alijs iniuriam intulerunt: si enim obiectum zeli, & odij tui est solummodo bonum commune, & iustitiæ conseruatio; vbi simile est obiectum, similis debet esse actus, & vbi eadem causa, & motiuũ, idem effectus subsequi debet: ita siquidem violatur bonum commune, læditurque iustitia, & diuinus, honor pessundatur, per peccata, & offensas contra alios commissas, sicut per eas, quas tibi sentis illatas. Si cognoscere vis, quidnam bilancem inclinet, pondusne rei an latens in bilance defectus, vnare subtracta, alteram eiusdem ponderis pone. Si enim res æqualis ponderis æqualiter bilancem inclinat, põdus rei, & non defectus bilancis id agit. Si agnoscere vis, quid voluntatem inclinet ad vindictam petendam, pondus ne peccati, & zelus boni communis, an tuæ voluntatis prauus affectus, subtracta inimici offensa, aliam alicuius extranei eiusdem ponderis substitue iniquitatem, vide an simili vindictæ zelo erga illum, ac erga inimicum commouearis. Deinde; si videas talem in te zelum, & odium excitari contra peccatores, qualis fuerit illorum culpa, & offensa contra Dei honorem, ac commune bonum commissum: si enim culpa præcisa est, quæ zelum excitat, & mouet, maior culpa, maiorem zelum excitabit. Videbis hominem, qui propter leuius verbum contra se prolatum, ingentem magnamque exoptat, & quærit à iudice vltionem, & vindictam inferre, qui tamen nullatenus concitatur, aut commouetur, vel minimo zelo, videns alterum contra Deum blasphemantem, aut pauperem opprimentem. Nescio quid sit, inquit Chry-
Hom. 26. in Genes. sostomus: nam omninò peccata, quæ ad Deum pertingunt, inulta esse finimus: si quis autem parũ in nos peccauerit, eius graues sumus vltores, & accusatores, &c. si culpa tantum est, quam in inimico odis, & personam diligis, vbi maiorem vides culpam, maius odium, maiorque vindictæ appetitus, & iustitiæ, bonique publici zelus insurgere deberet. Quando Propheta ¶ 51.
Samuel reprehẽdit Regem Saul, q̃ reseruasset de Amalech, oues, & boues

pin-

pingues, Saul conabatur ſe excuſare, imò, & probare, ſe Dei præceptum ſeruaſſe: quod enim fecit reſeruando oues, & boues, zelo diuini honoris à ſe factum profitebatur, vt ſcilicet haberet optimos greges, quos Domino
1. Reg. 15. ſacrificaret. Probauit euidenter Samuel, illud falſum, & mendacium eſſe; quoniam ſi zelus diuini honoris te duceret, eo potius eras ducendus, vt id ageres, quod magis ad diuinum honorem pertinebat. Hoc autem erat demoliri Amalech, & omnia, quæ illius erant; quod propterea ſtrictiori Deus iuſſerat præcepto. Non habuiſti zelum in re grauiori, magiſque ad diuinum honorem pertinente, & in re minori, zelo honoris Dei te excitatum contendis? non ergo diuini honoris zelus, ſed tua auaritiæ, & cupiditatis excitauit affectus. Eodem argumento vſus eſt Deus contra quoſdam, qui iuſtificata ieiunia, & mortificationis opera ſe facere iactabant, tanquam zelo diuini obſequij excitatos: quæ cum Deus repuliſſet; quærentibus illis cauſam, & dicentibus:
Eſa. 58. 3. *Quare ieiunauimus, & nō aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Reſpondit Dominus: Quia non ex zelo obſequij mei hæc facitis, ſed veſtræ ſatisfacientes, & complacentes voluntati: *Quia in die,* inquit, *ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra*: id eſt, quia ex veſtræ voluntatis affectu, non ex zelo obſequij mei ieiunia veſtra procedūt. Hoc probat: ſi enim ex zelo diuini obſequij, hæc opera prodirent, multo magis alia opera faceretis, quæ magis ſunt in Dei obſequium, & plus ab illo commendantur, qualis eſt eleemoſyna in pauperes, miſericordia in egenos, compaſſio, & patientia in debitores, qui debita ſoluere non poſſunt: hæc non facitis, quæ Deo gratiora cognoſcitis; non igitur illa facta ſunt à vobis, vt grata ei ſeruitia exhibeatis, ſed quia conformia ſunt veſtræ voluntati, & inclinationi. Simili argumento vti ſolet B. Chryſoſt. cōtra mulieres, quæ nimis ſe ornant, quæ, & dicere ſolent, ſe id facere, vt maritis placeant. Argumētatur Chryſoſt. probans euidenter id falsū eſſe. Si ideo te ornas, & componis, vt marito placeas, tunc præcipuè id agere deberes, quando coram eo debes conſiſtere, & permanere; at tunc id non facis, ſed quando domo egredi vis; ab alijs potius quam à marito videnda: non igitur propter maritum, ſed vt tuæ ſatisfacias voluntati, & affectui, te ornas. Hoc igitur eodem argumento ſæpè adducor, vt credam eos, qui dicunt, ſe tantum vindictam appetere propter ædificationem Reipublicæ, propter zelum iuſtitiæ, & propter diuinum honorem, non verum dicere, aut ſeipſos fallere: quia ſi ita eſſet, potiori iure eam expeterent in alijs criminibus grauioribus, in Republica commiſſis, quorum vindicta magis conduceret ad Reipublicæ ædificationem; & tamen nullatenus, niſi in ijs, quæ contra ſe facta ſunt, vindictam appetunt. Non ergo quia mala ſunt, quæ alter commiſit, ſed quia contra ſeipſos commiſſa ſentiunt, puniri volunt. Hac de cauſa Chriſtus ſcite addidit: *Benefacite ijs, qui oderunt vos,* ſignanter indicans, timendum tibi malefacere ei, qui tibi offenſam intulit: hoc enim ipſo, ſuſpectus debet tibi zelus eſſe, num ex iuſtitiæ deſiderio, an verò ex vlciſcendi libidine procedat. Hac de cauſa ſancti viri, & qui timoratæ ſunt conſcientiæ, etiam quando legitimum ius habent petendi, & appetendi vindictā, offenſam totaliter remittunt, & quantum in ſe eſt vindictam fieri prohibent, & rogant, ſcientes difficilè eſſe valdè, huiuſmodi appetitum vt par eſt moderatum tenere, & difficillimum, non odire illum, cui mortem exoptas, qui vt interficiatur clamas, & inſtas. Dauid, inquit Auguſtinus, accepit in poteſtatem inimicum Regem, Saul, vt ei faceret, quicquid vellet, & elegit potius parcere, quam occidere: nō enim erat iuſſus occidere, ſed neq; prohibitus: imò etiam diuinitus audierat, ſe impune facere, quicquid vellet inimico: & tamen tantam poteſtatem ad manſuetudinem conuertit. Vbi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor, dilectio profecit inimicorum, implens Dauid præceptum de eorum dilectione. Dedit Deus Dauid poteſta-

¶ 56.

Lib. contr. Adimant. cit.

testatem occidendi inimicum, quia nouerat voluntatem serui sui: & vt cæteris etiam hominibus innotesceret, ea quæ in corde Dauid, iam nota erat inimici dilectio, &c. Ita Augustinus: in cuius verbis multa sunt annotatione digna. Primò, quod Deus non dedit potestatem Dauidi occidēdi inimicum, nisi quia nouerat, quod tam perfectus erat, vt illa non esset vsurus: difficile est enim vti tali potestate, interficiendo inimicum, & non complacere in illius malo, non odio illum prosequi. Deinde Dauid non iussus fuit occidere Saul, sed nec prohibitus, in quo casu securius duxit, non occidere, sed remittere: nam remittens, nihil erat quod posset scrupulum mouere, at occidens, poterat aliquo timore angi: quod ex eo patet, quia cum oram chlamydis Saul abscidit, statim scrupulo cœpit cor eius torqueri: *Percussit enim*
1. *Reg.* 24. 6. *Dauid cor suum*, timens, & dubitans, purone corde ab omni affectu odij, id feciſſet, & an operi iusto admixtus fuerit humanus affectus, qui illud polluueret. Quid igitur feciſſet, si reuera occidiſſet? quo scrupulo cor eius torqueretur? sed de ijs diximus explicantes illud, quod dixit Abigail, quod si abstineret à vindicta, nullatenus cordis singultum sentiret: vt enim idem an-
In Ps. 108. *in illud, pro eo vt me diligerent.* notat Augustinus, quamuis quis volens inimico pœnam rependi, quam meretur, & vt recipiat iuxta ea quæ fecit, iniustum nō sit: sed ibi ferè semper immiscetur vlciscendi libido vitiosa, qua de causa, non nisi iudici concessit Deus, pœnas peccantibus infligere, qui vlciscendi libidine liber esse debet. Aliud addo argumentum in huius rei confirmationem, ex diuina Theologia desumptum, In præcedenti tractatu disputauimus, quidnam maius esset, & difficilius, diligere inimicum, an ei benefacere: prætermissisque ijs, quæ
1. *par. q.* 38 *art.* 2. tunc annotauimus, D. Thomas diffinit, & probat, amorem esse primum donum, & præcipuum, quod amans dat amato; habet enim rationem principij, propter quod omnia alia gratuita donantur: suppositoque, quod quis alteri amorem suum dederit, quo ei verè vult bonum, facile est illi in ijs, quibus potest eidem benefacere. Ex quibus D. Thomas procedit, ad illam doctrinam catholicam ex Beato Augusti-
Lib. 4. *de Trin.* no demonstrandam, quod nomen proprium, & personale Spiritus sancti est Donum, quo Ecclesia eum nuncupat, *Donum Dei altissimi.* Est enim amor diuinus, & procedit vt talis, & propterea est primum Donum, quod Deus confert ei, quem amat. Hoc dono supposito, facilè cætera gratuita dona consequuntur, nam ex eo quod Deus dilexit mundum, *dedit ei filius suum v-*
Ioa. 3. 16. *nigenitum, &c.* cum quo omnia nobis
Rom. 8. 32. donauit, vt inquit Apostolus: qui enim dedit supremum donum, scilicet amorem, facilius alia donabit. Difficile est ignem accendere in viridi ligno, sed supposito quod ignis succensus est, facillimum est, per illum calefacere, & illuminare. Difficile erat, Deum amare homines, qui eum offenderant: sed supposito quod amoris sui ignem in eos misit, facilè fuit cætera beneficia largiri: nihil enim facilius, quam benefacere ei, quem ex corde diligis. Hæc etiam authoribus prophanis nota sunt, qui probant, eum qui amat, hoc ipso se ipsum amato tradidisse. Primum ergo, & præcipuum donum, amor est, & dilectio. Ex quo infero, facilius esse, aliqua beneficia exhibere inimico, quam illum amare, & facilius esse, ei remittere offensam, quam illum diligere. Et verè inuenimus multos, dicentes, se libenter parcere inimico, & beneficia præstare illi, dummodo nunquam coram eis compareat. Ex his argumentum conficio: Grauius multo est inimicum diligere, & amorem ei dare, quam remittere offensam: qui ergo nondū eò peruenit, vt offensam remittat; multo minus ad id censendus est peruenisse, vt inimicū ex corde diligat. Non igitur bene cohærent, communiter loquendo, vindictam postulare, & optare, & dilectionem tenere, ad quam sub Euangelico præcepto Christus omnes, qui sub lege Euangelica militant, obligat. Sermones (vt dixi) sunt isti morales, moraliterque pertractandi, & intelligendi, secundum quos dico, quod Pater-familias dixit seruis suis, volentibus

¶ 57.

¶ 58.

era-

eradicare zizania posita in medio tritici: *Non ne forte eradicantes zizania, eradicetis simul, & triticum.* Difficile
Matth. 13. est eradicari velle peccatum, & offensam, amando, & seruando personam: hoc prudentibus medioribus dimittendum dicit Paterfamilias, qui zizania à tritico separare nouerunt. Quis tam sapiens sagittator, vt cristam capitis galli vel gallinæ, aut coturnicis præcise velit sagitta configere, absque hoc quod caput; illius lædat aut transfigat? valde enim coniuncta est capiti. Ita velle puniri culpam, & offensam, & peccatum inimici, vt nullo modo personam vltionis sagitta tãgat, difficillimũ est. Quomodo, inquit Chrysostomus, precationem illam dicetis, qua rogare iubemur, *Re-*
Hom. in Eutropium cubicul. Archadij to. 5 *mitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*, si a debitore vestro pœnas exigatis? Tu sanè, non solum culpam, sed, & pœnam tibi remitti exoptas, & petis. B. Anselmus ita expendit illa Apostoli verba:
1. Tim. 2. 8 *volo viros orare, leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione.* Leuentur sine ira, vt non retineas iram aduersus proximum, sed libera conscientia dicas: Dimitte debita nostra, sicut, & nos, &c. *Et sine disceptatione*, id est, sine litigio causarum, ne adhuc in corde retineas voluntatem contendendi iudicio aduersus fratrem, sed remitte quicquid illi est, vt, & tibi oranti remittantur tibi peccata tua diuinitus. Ita ille: iuxta quam sententiam seipsos examinent, qui dicunt: Ego illum, qui me offendit, diligo, sed volo litem sequi, quousque
Lib. Ench. ad Laurent. c. 73. & 74 iudex eum damnet, &c. His subnectere placet doctrinam egregiam B. Augustini, qui docet, duplex esse genus inimicorum: quidam sunt, qui actu nos persequuntur: hos actu positiuo, & particulari diligere, & gratiosa beneficia eis exhiberi, difficile est: quod propterea tantum inuenitur in ijs, qui perfecti sunt charitate. Alij sunt quidem inimici, qui fuerunt quidem, & offenderunt, sed iam non sunt, immo supplices veniam petunt: & huiusmodi inimicis parcere, non est difficile; imo nihil facilius, quam ei compati, & eius misereri, quem coram te vides prostratum supplicantem, & rogantem. Quisquis autem (inquit Augustinus) roganti, & sui peccati pœnitenti, non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem verò lateat Euangelij auditorem, siue lectorem, quis
Ioan. 14. 6. dixerit: *Ego sum veritas?* Qui cum docuisset orationem hanc, in ea positam sententiam vehementer commendauit, dicens: *Si enim dimiseritis hominibus* *Mat. 6. 14.* *peccata eorum, dimittet, & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ad tam magnum comitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Ita Augustinus, qui quandam efficacissimam rationem horum omnium colligit ex illis verbis Apostoli; *Sicut Deus donauit vobis in Christo, ita & vos.* Quomodo Deus donat, & condonat? Non dicit: Ego peccatori dimitto, sed luat æternas pœnas? Ego illi parco, sed suspendatur à mea iustitia in inferno, &c.

Lib. de diligendo Deo, ca. 22. to. 9. ad Ephe. 4. 23.

§. 6. *Calumnia supremum malum ab inimico illatum, orationis supremo beneficio compensanda est.*

¶ 59. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hoc præceptum imponit nobis orare pro omnibus, qui quocunque modo nobis malum inferunt: duobus enim tantum modis id facere possunt, aut opere, aut verbo; illos comprehendit nomine *persequentium*, illos verò nomine *calumniantium*. Et rectè Christus hoc loco, ad vltimum reseruat calumniantes, quibus orationis subsidia impendi iubet, quia hoc supremum locum in dilectione inimici tenere videtur: supremum beneficium, quod illi possumus præstare, est orationis adiutorium, vt supremum inimicum supremo prosequendum beneficio intelligamus. Hæc breuiter explicanda sunt. In primis dico, su-

premum inimicum dici calumniatorem: quamuis enim his verbis Matthæus comprehendere voluerit omnem offensionem contra nos, verbo exhibitam, sed propriè loquendo calumniator dicitur, qui falsa crimina imponit apud omnes, signanter autem apud Iudices, & viros præcipuos: de quo Nonius, & Marcianus apud Iureconsultos: & calumnia est illa, quam Christus proprijs verbis expressit, beatos dicens eos, qui patienter ferunt illos, qui contra se omne dicunt malum, mentientes. Estque id, quod supreme torquet, commouet, & excitat sapientiores, & iustiores: nulla enim re magis commouetur aliquis, quam falsi criminis impositione apud Reges, & Principes, &c. *Calumnia*, inquit Sapiens *a*, *conturbat sapientem, & perdit robur illius*, Et iterum *b*, vocat illam, plagam dolosam. *Ad amicum*, inquit *si produxerit gladium ne desperes: est enim regressus ad amicū: si aperuerit os striste, ne timeas: est enim concordatio, excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa.* Plagam dolosam vocat calumniam, quam vltimo loco, tanquam grauiorem ponit, cui nullum videtur locum reliquisse, vt illi parcatur. Hunc locum expendit egregiè sanctus Basilius, qui ita legit: *Calumnia virum humiliat. calumnia pauperem conturbat*, intelligens omne genus hominum conturbari calumnia. Tantum enim malum est, vt virum humiliet, & pauperem conturbet. Perfectum appellatione viri significat, quem è sublimi deijcit: pauperis nomine, eum qui imperfectus est indicat; quomodo apud Ieremiam: *Forsitan pauperes sunt*, id est, intelligentia carentes. Quod, & ipse Basilius in semetipso comprobatum exhibet, cui calumniati sunt inimici, quod Dianæum Episcopum sanctum anathematizasset. Quod putas (inquit ipse, scribens ad Bosporum Episcopum: qui illum de calumnia illata admonuerat) animum meum dolore affecit fama calumniæ illius, quam mihi offunderunt quidam, non metuentes Iudicem perditurum omnes loquentes mendacium? Tanto videlicet, vt prope totam noctem propter dilectionis tuæ verba insomnem duxerim, ita ipsa cordis mei penetralia concepta mœstitia occupauit: reuera namque vt Salomon ait: *Calumnia virum humiliat, & nemo ita stupidus est, qui animo nullam sentiat molestiam, & ad terram vsque non deijciatur, si incidat in ora ad mentiendum procliuia.* Ita ille: qui quanta similiter fuerit altercatione commotus, propter hæresis calumniam sibi impositam, grauissimis etiam verbis exprimit. Cum enim admonitus de calumnia sibi imposita à Patrophilo Episcopo, vellet pro seipso respondere: Ad hasce inquit literas animatus, vt par erat, ad tam inopinatam, & subitam immutationem animo perculsus, nè respondere quidem poteram: palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, manus stupebat, & planè pariebar, quod animo solet parum forti accidere. Dicendum enim, quod verum est, & tamen venia dignum. Deinde parum aberat, quin odium ergà humanum genus exorbitassem, suspectique mihi fuisse omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum, &c. Ita Basilius. Nec mirum, vt enim sapiens dixit, suprema plaga, qua quis percuti potest, est, quam infert calumniatoris lingua. *Flagelli enim plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa*: & sicut is, cuius ossa comminuta, aut confracta sunt, summo dolore torquetur, ita is, qui calumnia percussum se intelligit, quam Eliphaz Themanites vocat *flagellum linguæ*, à quo liberandum eum, qui perfectè Deo seruit, tanquam supremum beneficium exponit. *A flagello*, inquit, *linguæ abscondet*: quod de calumnia Vatablus intelligit, qua tanquam supremo damno afficere contenderunt Ieremiam inimici illius, dicentes: *cogitemus contra eum cogitationes*, id est, quæ illi falsò imponere possimus: *Venite percutiamus eum lingua*. Quo etiam modo impij dixerunt, iustum summis cruciatibus torquere volentes, *Calumnia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus*

L. 1. ff ad Sen. consu. Turp. l. si calumniatus de verb. signific.

a Eccl 7 8.
b Ec. 22. 26
epist 79. ad Eustath. & epist 86 ad Bospor.

Ier. 5. 4.

Epist. 86.

¶ 60.

Epist. 82.

Eccl. 28. 21

Iob. 5. 21.

Ier. 18. 18.

Sap. 2. 19.

reue-

reuerentiam, & probemus patientiam ipſius. Ecce ſupremum malum, quo contra iuſtum agunt: fuitque quædam diuina prophetia, exprimens, quæ contra Chriſtum erant acturi impij: qui tanquam ſupremum malum, quo ſe conqueritur affectum, fuit, *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui.* Quàm magnum ſit hoc malum, expoſuit eleganter Ieſus Sirach, qui gratias Deo reddens pro beneficijs in eum collatis, poſtquam eorum multa recenſuit:

Eccleſ. 51. *Liberaſti me ſecundùm multitudinem nominis tui, à rugientibus præparatis ad eſcam de manibus quærentium animam meam, de portis tribulationum, &c. A preſſura flammæ, &c.* tanquam ſupremam illam vltimo loco recenſet: *A Rege iniquo, & à lingua iniuſta*, id eſt, calumniatrice. Et optimè iſta duo coniungit, Regem iniquum, & linguam iniuſtam: nihil enim ita torquere poteſt ſicut Rex iniquus, qui voluntatem habet malefaciendi, quia iniquus, & potentiam, quia Rex: hic eſt qui omnibus modis torquere poteſt. Pharao, qui Iſraelitas torquebat operibus duris luti, & lateris, Iezabel, quæ Eliam fugere compulit, & tali triſtitia affecit, vt mortem à Deo poſtularet; Sedechias, qui Ieremiam in puteum miſit; Antiochus qui tot modis illos Sanctos iuuenes vexauit; Herodes, qui innumeros infantes occidit, &c. Nihil violentius videtur ad opprimendum, quàm tyrannis Regis iniqui. Huic nihilominus adiungit linguam iniuſtam, iniquam, & calumniatricem; Rex enim iniquus affligit verberando, & tundendo corpus: at lingua calumniatrix animam: & ſicut anima præſtantior eſt corpore, ita grauiores ſunt animæ cruciatus, quàm corporis; ideo ad vltimum locum, linguam iniuſtam, tanquam ſupremum malum Sapiens referuauit. Dauid petit à Deo. *Redime me, aut libera me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua*: quaſi id indicans eſſe, quod potentius poteſt hominem deijcere, & impedire à diuinæ legis obſeruatione. Qui enim opprimitur calumnijs (inquit Ambroſius hæc verba expendens) non facilè poteſt cuſtodire mandata diuina: triſtitiæ neceſſe eſt plerumque, aut timori cædat, & affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore. Supremum ergo inter inimicos locum tenet calumniator, qui criminibus falſo impoſitis hominem accuſat, & criminatur. Huic ſupremo inimico iubet Chriſtus ſuffragium orationis impendi, quod inter omnia quæ pro illo agere poſſumus, præcipuum locum obtinet: non ſolùm quia oratio pro aliquo fuſa, excellentem locum obtinet, inter ea quæ illi præſtamus beneficia, ſed quia nihil ita prodeſſe poteſt calumniatori, quam oratio eius, quem calumniatur: ſicut in ſecularibus criminibus, nihil magis apud iudicem prodeſſe poteſt homicidæ, aut ei qui damnum intulit, quàm quod pars læſa pro illo intercedat, & roget, ſine cuius cõſenſu non poteſt iudex offenſionem remittere: eo autem intercedente, maximè inducitur iudex, vt vindictam ſuſpendat. Itaque ſupremo inimico ſupremum beneficium impendere iubet Chriſtus. Dauid, qui inter dilectores inimicorum primas tenuiſſe viſus eſt, qui erga omnes illos beneſcentiſſimũ ſe exhibuit, vt ſupra dictum eſt, quomodo erga calumniatores ſe habuerit, dubitari poteſt; quodam ſiquidem in loco apertè illis malum imprecari videtur, nam agens de eis, qui illum coram Saul calumniantes, hoc ipſo excitabant Saulem, vt eum perſequeretur: *Maledicti*, inquit, *ſint in conſpectu Domini*. Quod qua ratione dicere potuerit, ex dictis ſuperius explicari poteſt. Semel autem cum calumnijs ſe impeti videt, ad orationem confugit, dicens; *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam*. Quo tamen loco dubium eſt, pro quibus orationem funderet. *Loquuti ſunt*, inquit, *aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo, vt me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam*. Pro quibus oraret non exprimit. Baſilius cenſet, pro ſemetipſo oraſſe, petens à Deo auxilium, & fauorem ad tam grande malum patienter ferendũ. Et verè non videtur oraſſe pro calumniatore, quem ſtatim eodem Pſalmo multis maledictis horrendis inſequitur; *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabo-*

2. Reg. 26. 19.

Pſal. 108. 4.

Scholaſt. in Pſ. 108.

Pſal. 118. 134. ¶ 61.

Ser. 18. in Pſal. 118.

diabolus ſtet à dextris eius, cùm iudicatur exeat condemnatus, &c. Diuus Auguſtinus cenſet, Dauidem in Chriſti perſona loqui, qui cùm à Iudæis perſecutionem, & calumniam paſſurus eſſet, orauit pro diſcipulis ſuis, dicente ipſo ad Simonem: *Ego rogaui pro te, &c.* Qui etiam in hoc ſummæ charitatis præbuit indicium, qui pro crucifixoribus, & calũniatoribus rogauit. Quod ſi de Dauidis perſona intelligatur: orat, inquit Auguſtinus, primò pro ſe, magno enim indiget fauore cœleſti qui calumniam patitur, vt eam ſuſtineat: deinde pro calumniatore. Chriſtus autem Dominus hoc Euangelico præcepto aperte, & clarè imponit, vt oremus pro calumniantibus nos, vt videas altitudinem, ad quam Chriſtus euehit eos, qui Euangelicam legẽ profitentur. Et verè hoc agere debet qui calumniam patitur: oret primò pro ſe ipſo, vt Deus ſibi patientiam ad ferendum, & robur ad ſtandum conferat, ne tam graui ſagitta transfixus cadat: oret itidem pro calumniatore, vt Deus det illi pœnitentiam, de quibus in præcedenti tractatu.

Luc. 22. 32.

§. 7. *Quomodo percutienti dextram, ſit offerenda ſiniſtra, auferenti veſtem, danda tunica, & alia agenda, quæ Chriſtus hoc loco præcipit.*

¶ 62. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Hic finem præcipiendi apud Matthæum Chriſtus facit, qui alia quam plura apud Lucam adiunxit: *Benedicite maledicentibus vobis, & qui te percuſſerit in maxilla præbe ei, & alteram, & ab eo qui auſert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere: omni autem petenti te tribue, & qui auſert quæ tua ſunt, ne repetas*: quæ Matthæus iam antea præmiſerat, ſed Lucas tanquam ad præceptum dilectionis pertinentia ſubnectit, grauiſſima quidẽ oculis carnalibus, quæ gẽtilib. videbãtur intolerabilia, impoſſibilia, & optimis moribus tam incongrua, vt legem Euangelicam hac de cauſa tanquam impoſſibilem, incongruam, & noxiam Reipublicæ repellendam cenſerent, vt ex Marcellino ſupra dictum eſt. Hinc etiam multi, qui eam profiteri ſe credebant, occaſionem acceperunt, vt crederent, nullatenus licere Chriſtianis ſe, aut ſua defendere, impugnantibus reſiſtere, deprædantibus ſe opponere, bellum aliqua ex cauſa agere. Hæc inſuper Manichæi perpetuo iactabant, ad ſuum errorem confirmandum, quo cẽſebant, legem Euangelicam contraria fuiſſe antiquæ, & propterea malæ, & à malo Deo traditæ, quæ occaſionem inimicorum concedebat, & dentem pro dente, oculumque pro oculo rependere ordinabat. Sed vt diximus ſupra, intolerabili errore decepti ſunt: etſi enim hæc apertè ſpiritum amoris, quem lex Euangelica continet demonſtrent, & oſtendant, quàm alienum ab odio, vindicta, & vlciſcendi libidine ſuum requirat profeſſorem, ſed ſi rectè intelligantur, nec impoſſibilia ſunt, aut noxia, nec iuſtam defenſionem, & bellum prohibent, nec verò antiquæ legi contraria Chriſtus præcipit, dum altiora exigit, quam lex antiqua à ſuis profeſſoribus. Et quidem hæc (vt Sanctus Auguſtinus in primis annotauit, reſpondens Marcellino, aut potius gentilibus, qui pro huiuſmodi legem Euangelicam irridebant) non ſunt iuxta corticem literæ intelligenda: id quod probat argumento, quo ad id ipſum confirmandum vſus fuit Origenes, ſupponens Chriſtum dixiſſe: Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei, & alteram. Si enim ſecundùm literæ ſenſum rem intelligere voluiſſet, non dixiſſet: Si quis te percuſſerit in dextra maxilla, ſed dixiſſet, in ſiniſtra: nam qui percutit, manu vtitur dextera tanquam fortiori, cui reſpondet ſiniſtra maxilla percuſſi. Voluit ergo dicere Chriſtus, inquit Auguſtinus: ſi quis in rebus grauioribus te perſequitur, inferiora, & minora ei concede. Sed neque, hæc, vt annotat Diuus Thomas ita intelligenda ſunt, vt actu, & in quacunque occaſione fieri debeant, ſed tantum in animi præparatione, quando illa fuerint abſolutè neceſſaria ad bonum charitatis retinẽdum, & conſeruandum. Quaſi dicat; Si quis te percuſſerit in vna maxilla, tam

Epiſt. 4. inter Epiſt. Aug.

Epiſt. 5. ad Marcelli.

Lib. 4. de princ. c. 2.

¶ 63.

2. 2. q. 4c.

tam alienus esse debes ab odio, vindicta, & vlciscendi libidine, vt si ad id necessarium fuerit alteram præbere, tenearis: & tam longè debet te inuenire à vindicta, is qui te percussit in vna maxilla, vt potius te exhibentem alteram debeat reperire. Multa ad hoc institutum dici possent, quæ omnia breuissimis verbis complexus est Diuus Augustinus ad Consentium scribens; Exemplum, inquit, patientiæ, nullum quam ipsius Domini potentius, & excellentius inuenimus; at ipse cum alapa percussus esset, non ait: Ecce altera maxilla, sed ait: *Si male dixi, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis?* Vbi ostendit præparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiã Apostolus Paulus vtique nouerat; nam & ipse cùm esset alapa percussus ante Pontificem, non ait, Percute maxillam alteram, sed: *Percutiet te*, inquit, *Dominus, paries dealbate: & tu sedes iudicare me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti?* altissimè intuens sacerdotium Iudæorum tale factum fuisse, vt nomine forinsecus niteret, intrinsecus autem luteis concupiscentijs sorderet. Quod transiturum esset vindicta Domini, videbat in spiritu, cùm illud diceret, sed tamen cor paratum habebat, non solùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet pro veritate patienda, cum eorum dilectione, à quibus ea pateretur. Ita ille: quibus similia omnes Sancti Patres tam vniformi sensu tradunt, vt opus non sit immorari in eorum sententijs recensendis. Illud insuper ad memoriam reuocandum est, quod sæpè ex Diuo Thoma annotauimus, rationem diligendi inimicum, benefaciendi ei, orandi pro eo, percutienti dexteram offerendi sinistram, &c. esse amorem Dei, aut Deum ipsum, qui obiectum est charitatis primarium. Hæc ergo tunc agẽda sunt, quando illa agere ad Dei honorem conducit, & ad charitatẽ, quam ille præcipit erga se, & proximum retinendam, & seruandam, necessaria sunt. Ita martyres faciebant, qui percussi grauibus tormentis, non odio in tortores accendebantur, vel vltionis ardebant affectu, sed ad maiora sustinẽda se ipsos exhibebant, sicuti in B. Vincentio, & B. Laurentio, & alijs videre licet. Et si aliquis sciret, propter huiusmodi mansuetudinem exemplum, infidelem inimicum, & percutientem ad fidem fore conuertendum, verè id teneretur ex charitate agere, non solum non odio habens ferientem, & percutientem, sed illius spirituale bonum, suo temporali commodo præponens: quod qua ratione intelligendum sit, Theologi latè pertractant. Hæc nunc sufficiant, vt explicatum maneat, Quodnam sit hoc præceptum Euangelicum.

Lib. de Mẽdacio ad Consen. cap. 15.

Ioã. 18. 23.

Act 23. 3.

TERTIA

TERTIA PARS,
QVALE SIT HOC PRAECEPTVM.

§. 1. *Præceptum hoc difficile est, sed possibile: anathema enim illi qui dixerit, Deum aliquid impossibile mandare.*

¶ 64.  *Go autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, &c.* Vidimus iam, verè in lege Euangelica dari explicitum præceptum de dilectione inimicorũ, explicauimus itidem, quodnam illud sit, quidve contineat, iam tertium exponẽdum aggrediamur, quale scilicet, hoc præceptum sit, possibilene, an impossibile, facilè, vel difficile, vtile, vel dãnosum, obligans omnes, vel aliquos, aut verò nullos, &c. Et quidem id primò est statuendum, hoc præceptum esse difficile, obligare nihilominus oẽs, qui legem Euangelicam profitentur. Duo siquidem fuerunt errores circa obseruantiam præceptorum Euãgelij. Quidam dixerunt, illa nullam difficultatem continere: quod ex illo Ioannis
1. Ioan. 5. 3 probabant: *Mandata eius grauia non sunt* ex quo inferebãt, esse facillimum ea obseruare, & ad supremã perfectionem, quam præscribit Euangelium, venire. Ita dicebant Pelagiani, vt refert
Lib. 2. cont. Pelagia. p. 213. tom. 2 B. Hieronymus, cõtra eos agens, qui ex professo hunc errorem assumpsit reuincendum, quem primò varijs Scripturæ locis refutat. Certum est siquidẽ, Euan
Rom. 8. 2. gelium dic *legẽ spiritus vitæ*, & ex consequenti esse contrariũ legi carnis nostræ, quam superare difficillimũ docuit Paulus, nisi per gratiam Christi Domini. Per Euangelicam equidem legẽ præcipimur facere cõtra ea, quæ volumus secũdùm affectum carnis: hunc autem superare, & comprimere, quàm difficile sit, quiuis in semetipso experitur. Deinde Euangelium iubet crucem tollere, & sequi Christum, dicentem: *Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Crux Christi facilis est? Nudum post Christum ire, ludus est? iocus est? Et vbi præmia, quæ difficultate superata quærũtur? deinde facilene est illud: *Qui amat animã suã perdat eam?* &c. Audi etiam ipsum dicentem: *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni diuidere hominem contra patrem suum, & filiam contra matrem, &c.* Et ne omnia percurrendo longiorẽ sermonem faceret, vno cuncta sermone comprehendit dicens: *Inimici hominis domestici eius, &c.* Vis audire facilitatem præceptorũ Domini? Auscultà quod dicitur; *Quam arcta via, & angusta est, quæ ducit ad vitã, & pauci sunt qui inueniunt eam?* Pauci enim eam inueniunt, & pauciores ingrediuntur per eam. Ita Hieronymus, qui singulariter probat difficultatem præceptorum Euangelij, ex isto mandato: *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Post quam enim multa proposuit difficillima, quæ in lege Euangelica continẽtur, subdit: Illud autem quod dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, &c. forsitan in vestro cœtu inuenitur? Apud nos rara auis est. Difficilia ergo, valdeque arcta mandata Euangelica lex continet. Ioannes autẽ, cùm dixit præcepta non esse grauia, comparationem

Matt. 10. 38.

Ioã. 12. 28. Matth. 10. 34.

Mat. 7. 14

rationem agebat ad ſuperſtitionem Iudaicam, in qua varia cæremoniarum genera quærebantur, quæ iuxta Petri ſen-
Act. 15. 10. tentiam, nullus potuit explere, &c. Sed
¶ 56. de ijs infra. Secundus error fuit in alio extremo aſſerentium, non ſolum eſſe difficilem legem Euangelicam, ſed impoſſibilia eſſe quædam eius præcepta, ſignanter hoc, quod circa inimicorum dilectionem Chriſtus ſtatuit. Impoſſibile eſt enim cuique rei, non agere id, q̃ ſibi ſecundum ſuam naturam cõuenit: at ſecundum naturam cuique rei conuenit, ea omnia auerſari, & fugere, quę ſibi contraria ſentit, alioquin nõ poſſet eius natura conſeruari, vt ſupra expoſuimus. Ideoque ſicut ſi Deus præciperet igni ſuæ naturæ relicto, ne aſcenderet, rem impoſſibilẽ ei mandaret, quippe cum ei ſecundum ſuam naturã conueniat, locum ſuperum petere ad ſui conſeruationem, ita præcipiens Deus, vt non auerſemur inimicos, & diligamus eos, qui noſtram perditionẽ procurant, rẽ impoſſibilẽ præcipere viſus eſt. Ita Gẽtiles agebant, qui hac de cauſa legem Euangelicam, tanquam impoſſibilem reſpuebant, vt ex ijs, quæ Marcellinus ſcripſit ad Auguſtinum, & ex D. Iuſtino martyre (vt ſupra diximus) conſtat. Imò, & quidam, qui catholicos ſe vocabant, idipſum aſſeruerunt, vt re-
a In cap. 5. Matth. ferunt Hieronymus *a*, & Auguſtinus *b*,
b Serm. 59. de tempor. ac alij authores *c* recenſentes errores
c Caſtro & Prateolus. Græcorũ. Sed ſimiliter B. Hieronymus
d In cap. 5. Matth. *d* hunc reuincit errorem, cuius eſt illa
e In exp. ſymbo. ad Dam. celebris propoſitio *e*: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo præceptum eſſe.* Cui concinit illa altera Diui Auguſtini *f*: Deus neque impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominẽ, pro eo quod nõ poterit
f Ser. 61. de temp Epiſ. ad Mar. vitare, quia pius eſt. Quod ex eiuſdem
celli. Auguſtini doctrina manifeſtè poteſt demonſtrari. Reges terræ ſæpè impoſſibilia ſuis ſubditis præcipiunt, quoniã id, quod mandant, eſt in ipſorummet Principium vtilitatem, & ſæpè, quod vtile eſt Principi, impoſſibile eſt ſubdito; ſæpè enim Reges imperant ducibus, vt contra aliquam ciuitatem, vel Prouinciam proficiſcantur, vtque eam ſuæ ditioni ſubijciant: quod verè duces præſtare ſæpiſsimè non poſſunt. Ita præcepit Nabuchodonoſor Holoferni, dicens: *Egredere aduerſus omne Regnum Occidentis, omnemque ciuitatem munitam ſubiugabis mihi.* Hoc fuit impoſſibile ipſi Holeferni, vt ex Sacra hiſtoria Iudith conſtat. Similiter præcepit *Iudith. 2. 5.*
ille alius Nabuchodonoſor ſapientibus, vt ſibi ſomnium, quod ipſe tenuerat, & oblitus fuerat, ſibimet referrent, & ſignificationem eius traderẽt: *Daniel 2.*
id enim vtile ſibi iudicabat, quod tamen iam impoſsibile fuit ſapientibus, quantum conſtat ex ſacra Danielis hiſtoria. Pharao in Ægypto præcepit I- *Exod. 5. 9.*
ſraelitis, tot ac tantam copiam laterum quotidie confici, ad ædificandas ſuas ciuitates, quam verè præſtare illi non poterant. Deus autem, inquit Sanctus Auguſtinus, nihil præcipit propter ſuam vtilitatem, aut profectum, ſed id ſolummodo, quod illi cui iubet, proſit. Quoniam autem nulli ¶ 66.
poteſt prodeſſe, quod ſibi eſt impoſsibile exequi, nulli Deus id quod impoſsibile eſt, ei præcepit. Deinde Reges poſſunt præcipere aliquid fieri ſubditis, qui tamen vim, & potentiam, quæ neceſſaria eſt ad illud, præſtare nequeunt. Potuit namque Nabuchodonoſor præcipere duci ſuo Holoferni, vt egrederetur ad ſubijciendas ſuo imperio omnes ciuitates, qui etſi ingentem exercitum, & multas bellicas copias, & apparatus ei tradiderit, non tamen potuit omnem eam facultatem, & potentiam tribuere, per quam omnia ſuperaret, & omnia pericula euaderet, qui à fœmina ſuperatus fuit. At Deus, cum aliquid præcipit, quantumcunque illud arduum ſit, & graue, poteſt dare omnem virtutem, & facultatem, vt illud perfici poſſit. Hocque eſt, quod annotant Sancti Patres, dicere voluiſſe ad Moyſen: cui cum præcepiſſet, vt iret ad Pharaonem, & Moyſes ſuam impotentiam, & imperitiam ſermonis ex balbutie ortam, profitetur, remque ſibi impoſſibilem cauſaretur; Deus iuſſit, *Exod. 4. 2.*
vt baculum, quem manu tenebat, in terram proijceret, qui ſubito factus eſt ſerpens. Certè baculi nomine exprimere ſolemus hominem ignarum, inep-

ineptum, insipientem, nullo modo aptum ad aliquid agendum. Ita intelligi
Osea 4. 12. potest illud, *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei.* Quamuis enim non incongruè locus intelligi possit, de quodam diuinationis genere, per baculos manu in altum missos, quo vtebantur veteres, quod Rhabdomantia dicitur, de quo
Lib. 7. ant. lect. c. 29. agit Cœlius Rhodiginus, sed verè ibi de idolorum adoratione, cultu, & obseruantia, fermo fit: vocatque Deus idolum, baculum, ad vilipendium, & ostendendum illud nullam penitus scientiam, aut verò sensum habere, quod nihil differt à baculo, ex quo reuincit stultitiam eorum, qui illum consulentes, ab eo responsa expectabant. Serpentis autem typo, summa prudentia exprimitur, eratque serpens singulariter apud Ægyptios, ad quos Moyses mittebatur, hieroglyphicum, & symbolum prudentiæ; ideoque voluit Deus manifestè docere Moysen, tantam esse virtutis suæ potentiam, vt hominem ineptum, baculoque similem, possit subito in prudentissimum, sapientioremque serpentibus conuertere, & quod qui præcipiebat, vt iret ad Pharaonem, poterat sapientiam præstare Moysi, qua egregiè id, quod iubebat, opere compleret. Tertiò Reges non penetrant intima hominis, ideoque fortem credunt, & aptum ad rem aliquam, eum, qui omninò ineptus est ad illam: ideoque sæpè impossibile præcipiunt alicui, quem credunt vires habere ad id agendum, quod præcipiunt, cum tamen non habeat. At tamen Deus *scrutatur renes, & corda,*
Psal. 7. 10. & Ier. 17. 10. scitque nostræ naturæ potentiam, & quid homo possit secundum naturæ facultatem, quid etiam secundum auxilium diuinæ gratiæ. Vnde Apostoli, volentes eligere eum, qui in locum Iudæ subrogaretur, timentes ipsi, ne fortè alicui officium illud demandassent, qui insufficiens esset, quamuis crederent sufficientissimum, ad Deum
Act. 1. 24. rem detulerunt, dicentes: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, iudica quem elegeris vnum ex istis, accipere sortem ministerij huius:* quasi dicant; Apostoli sunt, quibus præcepisti dicens; *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ;* *Mar. 16. 15.*
nos quia non corda, aut internam virtutem cuiusque cognoscimus, nescimus quisnam sit, qui pro dignitate possit hoc præceptum adimplere; tu ergo indica eum, cui impossibile non sit munus Apostolicum, & id agere, quod agendum Apostolis præcepisti. Deus ergo nihil impossibile præcipit, qui solummodo bonum eorum, quibus imperat intendit, quique simul cum præcepto virtutem, & facultatem ad illud implendum præstare potest, & qui nouit quonam cordis humani vis, potentia, & facultas pertingere possit. Hoc egregiè significauit Spiritus sanctus, de primis parentibus agens, quos condidit Deus plenos sapientia, & sensu, ac liberi arbitrij ad bonum, & malum: *Creauit enim illis scientiam spiritus sensu impleuit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.* Quoniam autem liberi erant arbitrij ad exequendum bonum, & malum, quod eis ostendit, & proposuit, oportuit, vt legem, ac præceptum eis, circa tale bonum, & malum traderet. Id quidem fecit: sed vide quo ordine. *Posuit,* inquit, *oculum suum super corda illorum, addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos, testamentum æternum constituit cum illis.* Videtur loqui metaphoræ sumpta ab artifice, qui vestimentum alicui facturus est: prius enim conuertit oculos ad corpus, cui vestimentum est aptandum, illudque considerat, & metitur, ne vestimentum quod constructurus est, sit excedens, sed potius illius corpori æquale, congruum, atque iustum. Ita facit Deus: traditurus enim legem hominibus, posuit prius oculum super corda eorum, quasi expendens eorum vim, potentiam ac facultatem, quid illis congruum, aut incongruum esset, vt lex quam statueret, non excederet illorum potentiam, aut propriam, aut ab ipso Deo emendicatam: idcirco *posuit oculos super corda eorum*, penetrans eorum intima, ita vt *omnia opera illorum velut Sol, in conspectu Dei.* Manifestissimum illi erat, quæ nam homo posset operari, & quæ essent illi impossibilia. Ita potest intelligi illud, *Eccl. 17. 6.*

quod

quod ad literam ex Chriſti perſona dixit Eſaias, poſtquam à Patre miſſum, tanquam lapidem angularem exhibet: *Eſa.28.17.*

Forrer.ibi. *Et ponam in pondere iudicium*. In Hebræo verbum *Sakal*, quod proprie eſt librare in ſtatera, aut bilance, eo modo quo apud eundem Eſaiam dicitur, Deum *librare in pondere montes, & colles in ſtatera*: quaſi dicat: In bilance ſtateræ librabo, & ponderabo iudicium. Iudicij nomine ſæpè in ſcriptura ſacra intelligitur lex, quæ nihil aliud eſt, quam iuſticium quoddam rationis, aut mentis legislatoris, quod tanquam ſententia firma in ſubditos profertur. Ita Dauid *a*: *Iudicia Domini vera iuſtificata*: & iterum *b*, *ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ*, aut *iudicia iuſtificationis tuæ*: & Deus ipſe conqueritur *c*: *quoniam iudicia mea contempſerunt*: & iterum *d*, *populus meus non intellexit iudicium Domini*. Hoc iudicium tradit quaſi librando in ſtatera: ita enim fert legem ſuam Euangelicam Chriſtus, vt libret, ac ponderet vires, & facultates hominis, cui legem tradere parat, vt non ſit maioris ponderis lex, quam ſit virtus propria vel emendicata humeri illius, cui eſt imponenda; Phariſæos arguit Chriſtus Dominus quoniam *allegant*, inquit, *onera grauia, & importabilia ſuper humeros hominum*, quia ea præcipiebant, quæ vires excedebant humeri ſubditorum. ¶ 98. Deus autem legem daturus, ponderat prius, quaſi in vna bilance vires hominis, vt lex in alia bilance poſita, non ſit maioris ponderis, quam ille portare, aut ſuſtinere poſſit, Hæc omnia mirè complexus eſt ille diuinæ legis ſeruator dicens: *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi facta in veritate, & æquitate*. Expendit Baſilius illud ſignum vniuerſale, *Omnia*: non ſunt mandata eius talia, vt vnum ſit iuſtum, & conueniens, alterum iniuſtum, & diſconueniens: omnia mandata eius fidelia, ideſt, firma, ſumma firmitudine ſtabilita, quæ propterea nulla contraria conſuetudine abrogari poſſunt, & meritò, quia omnia facta ſunt in veritate, & æquitate: *In veritate*, quia in ſe recta ſunt, vt pote ſummæ veritati intellectus diuini conformia: ideoque, inquit Baſilius, nihil obliqui, nihil tortuoſi, nihil obſcuri, ſicut humanæ leges cõtinent: *Et æquitate*: quia omnia ad noſtram commoditatem ſunt inſtituta: aut in æquitate, quia ſecundum æquitatem conſtituta ſunt; ideoque poſſibilia: non enim æquum eſſet, vt Dominus ſub graui pœna præciperet ſeruo, id, quod illi eſſet omninò impoſſibile. De illis ipſe Dauid ait: *Omnia mandata tua æquitas*. In Hebræo *Cedek*, id eſt, iuſtitia, & ita legit Pagnignus. Tallia ergo ſunt omnia eius mandata, quod in ſe ſunt recta, & in ordine ad nos poſſibilia, & conuenientia. Auguſtinus legit, *In veritate, & iuſtitia*: iuſtitia namque eſt, quæ æqualitatem facit, & attendit. Si mandata Dei inæqualia eſſent viribus noſtris, Dei fauore adiutis, iniuſta eſſent; ſunt iuſta, & in iuſtitia facta, ergo in æqualitate, quæ ſcilicet vires noſtras modo expoſito non excedant. Meritò Eliu de illo loquens; *Ecce*, inquit, *Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legislatoribus*. Quinam tunc erant legislatores? Quos enim celebrauit antiquitas, quoſque refert Diuus Iſidorus, & ex illo Gratianus in Decreto, Rex Phoronæus: qui leges dedit Græcis, Mercurius Triſmegiſtus Ægyptijs, Solon Athenienſibus, Lycurgus Lacedæmonijs, Numa Pompilius Romanis, &c. omnes ſunt poſteriores ipſo Eliu, & Iob. Legislatores certè illo tempore erant tyranni, qui potentia, & viribus præualebant, qui cæteros per vim ſibi ſubiugabant, ſubiectoſque tenebant. Hi leges imponebant ſecundum ſuæ tyrannidis affectum, qui propterea præcipiebant id, quod durum, aſperum, importabile, ac ſæpè erat impoſſibile: Deus autem, cum illis omnibus ſit potentior, non tamen ſuæ potentiæ leges commenſuratas imponit, ſed quæ congruant potentiæ, ac facultati eorum, quibus legem imponit. Nullus ei ſimilis in legislatoribus, nemo tam benignus, tã pius, tam æquus, &c. Deus ergo nunquam præcepit aliquid impoſſibile, & certè ſi id in antiqua lege non fecit, quam ſeruis, quos timore ducebat impoſuit. multo minus

Brix.in arca.tom.2. fol.155.

Eſa.50.12.

a *Pſ.*18.10
d *Pſ.*118.62
c *Ezech.*13.10
d *Ier.*8.7.

*Matt.*23.4

*Pſal.*110. 8.

Shol.in

*Pſal.*118.

*Pſ.*118 17 a.

*Iob.*37.12.

5.Ethym. cap.1.

d 7.c.Mey ſes.

nus in lege Euãgelica id erat facturus, quam imponebat filijs, quos amoris dulcedine trahere contendebat: ideoque Euangelicam legem vocauit, *iugum suaue, & onus leue*: iugum quidem, metaphora sumpta à bobus, quibus agricola iugum imponit, sed tale, quod eorum ceruicibus sit commensuratum: aliter enim illos perderet, in quibus totam suam substantiam habet expositam. Suaue verò, quia asperitatem legis antiquæ, multis nominibus temperauit, de quibus infra.

Matth. 11.

§. 2. *Inductione per omnes status, hoc præceptum esse possibile probatur.*

¶ 69. SIngulariter autem præceptum hoc de inimicorum dilectione, non esse impossibile, demonstrant egregiè sancti Patres, Hieronymus *a*, Augustinus *b*, ex eo quod in omni lege, & statu inueniemus, qui illud exactè perfecteque seruauerint, quique hoc ipso comprobauerint, possibile esse hoc præceptum adimplere. In lege naturæ fuit Isaac (inquit Chrysostomus) qui offensus, & expulsus ab habitatoribus Gerare, iniuriarum omnium penitus oblitus, mensam eis posuit, & celebrauit conuiuium, & in lege naturæ constitutus, præceptum implet de dilectione inimicorum. In eadem lege naturæ fuit Ioseph *c*, cuius dilectionem Hieronymus *d*, miræ eloquentiæ verbis extollit. Priusquam, inquit Propheta diceret: *Vnusquisq. malitiam proximi sui non reminiscatur in corde suo*. Ioseph pro odio reddidit charitatem, & cum videret fratres suos, imò inimicos ex fratribus, cumque ab eis cognosci vellet, dilectionis affectum pio dolore testatus est: deosculabatur singulos, & irriguis fletibus pauentium colla perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat; quos tam viuo patre, quam mortuo, germano semper dilexit amore. Nec recordatus est illum, in quo ob necem delectus fuit lacum, non cogitauit addictam germanitatem pretio; sed pro malis bonum retribuens, Apostolicum præceptum, sub naturæ adhuc lege compleuit. Ita ille: cuius verba mutuasse visus est Beatus Augustinus: Beatus Ioseph, inquit Augustinus, pro parricidij crimine, impijs, & inimicis fratribus suis, non odij amaritudinem, sed charitatis dulcedinem repensauit: osculabatur enim singulos, & per singulos flebat: quibus non solum nihil mali rependit, sed omnia bona retribuens; tam viuo quam mortuo patre, germano semper amore dilexit, &c. Beatus quoque Iob, qui in lege naturæ fuit, ita verum (inquit Augustinus) & perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter retinebat; vt gaudens, & libera conscientia, ad Deum diceret: *Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo, quod inuenisset eum malum, vel si in corde dixi. Bene*: Iob, inquit Chrysostomus hæc verba considerans, legem non audierat, & tamen lumine naturæ docente, hæc de se aiebat: *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, &c.* Quem locum ad idipsum confirmandũ expendit Chromatius Episcopus Aquileiensis, & ita legit; *Quod si gauisus sum ad ruinam inimici mei: si dixi in corde meo: Bene factum est; audiet auris mea maledictionem*. Deinde in lege scripta, Beatus Moyses, inquit Augustinus, cum frequenter eum populus rebellis, non solum contemnere, sed, & lapidare vellet, diuinæ charitatis memor, ita pro illis Domino supplicabat, vt clamaret, & diceret: *Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro, quem scripsisti*. Sanctus itidem Samuel, dum graui iniuria à populo lacessitus esset: *Absit*, inquit, *à me hoc peccatum in Domino vt cessem orare pro vobis ad Dominũ*. Beatus quoque Dauid, inquit Augustinus, licet virtutibus multis fuerit exornatus, nulla tamẽ actio familiarius eum Deo coniunxit, quam dilectio inimicorum suorum, cui cum inimicus suus in faciem malediceret, maluit parcere, & Dei iudicio reseruare, quam suæ iracundiæ satisfacere, & in tantũ nõ fuit simu-

a In cap. 5. Matth.
b Ser. 168. de temp.
Ho. 52. in Genes.
Gen. 26.
c Gen. 45.
d Epist. ad Demetr.
Ser. 168. de tempor.
Ibidem.
Iob 31. 29.
Hom 8. ex varijs in Matth.
Ser. 1. in hoc Euan.
Ibidem.
Exo. 32. 23
Reg. 12. 23
¶ 70.
Ibidem.
3. Reg. 16. 5

ſimulata, vel falſa dilectio ſua, vt ipſos etiam aduerſarios ſuos fleret, & in illis, qui eos occiderant vindicaret, (hoc enim egit plorans Saulem, & interficere iubens eum, qui ſe eius occiſorem exhibebat) ideò ſecurus in pſalmo dicebat illud, quod omnes homines ſatis attento, & trementi animo dicere debent: *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: perſequatur inimicus animam meam, comprehendat, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Quid egit cum Abſalon? à quo cum tam crudelem pateretur perſecutionem, præcipiebat Ioab, ac cæteris ducibus, audiente vniuerſo populo: *Seruate mihi puerum Abſalon.* & illo contra ipſius Dauid voluntatem mortuo, lamentabili voce, illa verba repetebat: *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon.* Expende quare toties Abſalonis nomen repetat, vt enim annotat Auguſtinus, Abſalon, idem eſt, quod Patris pax. Illum ergo ſuam pacem vocabat, qui tam crudele bellum ſibi inferebat, & vt ait Gregorius Nazianzenus, cum mortuo in gratiam redire conatur, &c. Tandem in lege Euangelica vide Stephanum, inquit Hieronymus, qui pro inimicis ſe lapidantibus deprecatus eſt. Vide Paulum, qui *anathema eſſe cupit pro fratribus ſuis*, quæ eiſdem verbis expendit B. Auguſtinus, hanc addens rationem, vt hoc ipſum tandem confirmet. In reliquis, inquit, operibus bonis, interdum poteſt aliquis qualemcumque excuſationem prætendere; in habenda verò dilectione, nullus ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere: Non poſſum ieiunare: nunquid poteſt dicere: Non poſſum amare? poteſt dicere: Propter infirmitatem corporis mei non poſſum à vino, & carnibus abſtinere: nunquid poteſt dicere. Non poſſum diligere? Poteſt aliquis dicere: Virginitatem non poſſum ſeruare: poteſt dicere; non poſſe res totas vendere, & pauperibus erogare: nunquid poteſt dicere, Non poſſum diligere inimicos? non ibi aut pedes laborant currendo, aut aures audiendo, aut manus operando laſſantur, vt nos per ipſam excuſationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite in Orientem, & quærite charitatem; nauigate in occidentem, & inuenietis dilectionem; intus in corde noſtro eſt, vbi redire iubemur, dicente Propheta: *Redite prauaricatores ad cor.* Non enim in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis petitur. Ita Auguſtinus, alludens ad illa verba, quæ Moyſes morti proximus dixit ad populum, excitans illum ad legis obſeruationem, quæ Paulus ad Euangelicam legem citauit, valide ex illis comprobans, illam non eſſe impoſſibilem: *Mandatum*, inquit, *quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſit dicere: Quis noſtrum valet ad cœlum conſcendere, vt deferat illud ad nos, etc. Iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo. Prope*, inquit Paulus, *eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Hoc ergo Deus à te expoſcit, quod non eſt procul poſitũ, aut in extremis mundi ſitum, quod eſt in corde tuo; *Dilige inimicum*, & quod eſt in ore tuo: *Ora pro ſequentibus te.* Nõ ergo impoſſibilis lex.

1. Reg. 1. 14 17.
Pſal. 7. 5.
2. Reg. 18 5
2. Reg. 8. 33.
In Pſ. 7.
Orat. de pace.
Act. 7. 59.
In cap. 5. Matth.
Rom. 9. 3.
Ser. 59. de temp.
Eſa. 46. 8.
Rom. 10. 9.
Deu. 30. 14.

§. 3. *Difficile eſt præceptum, ſeruandum tamen, quia impoſitum ab habente ſupremum dominium, quod conſiſtit in eo, quod creaturas liberas plenè habet ſubiectas.*

EGo *autem dico &c.* Conſtat ex ijs, quæ paulò ante dicta ſunt, præceptum hoc non eſſe impoſſibile, eſſe autem in ſe difficile valde. Nihilominus tamen tenemur illud adimplere: omnem enim ademit Chriſtus excuſationem, ſemetipſum huic mandato ſupponens, & nos omnes volens obligare; vt expendamus, quiſnam ſit, qui hoc mandatum imponit. *Ego*, inquit: nam viſus eſt ad mentem reuocare voluiſſe, quædam Euangelici Prophetæ verba, in eo loco, quo illum de ipſomet Chriſto loquutũ, docuit ſanctus Lucas Euãgeliſta. Primò ſanctus Propheta deſcribit Ioannem Baptiſtam, præcedentem tanquam præconem, & vocem, & ¶ 71. Luc. 3. 4.

post illum, *Reuelabitur*, inquit, *gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est.* Antiquitus loquebatur Deus cum amico suo Moyse, viro sublimi, & electo; reliquum vulgus erat à longe semotum: cum autem veniet in carne, *videbit omnis caro pariter*, non tantum Apostoli electi, sed, & omnis turba, ab omni Iudæa, & Ierusalem, &c. Multa huiusmodi Propheta subinfert, post quæ addit: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur*: Septuaginta, *Et brachium eius cum dominatione*. Duobus nominibus Christum expressit, dicens: *Dominus Deus*: in Hebræo, Adonai Iehoua, quæ soli Deo vero possunt conuenire: nomen quidem Adonai, Deum significat, id est, sustentatorem, sic tamen illud vero Deo tribuitur, quod etiam in Scriptura aliquando creaturis communicetur. Nomen autem Iehoua, quod, vt ait sæpè Caietanus, significat fontem essendi, aut totius esse, nunquam nisi vero Deo tribuitur: & hæc duo coniuncta simul, nulli nisi vero Deo competere possunt: ideò Propheta Christum esse verum Deum per essentiam, apertè expressit. His duobus nominibus duo verba, illis congrua subiecit. Quia enim Deus est, veniet in fortitudine. In Hebræo vox, quæ supremam significat potentiam, sufficientem ad quamcunque aliam quantumcunque validam reuincendam: quia Christus veram diuinam potentiam secum adduxit, talem, vt per illam omnem vim, & robur diaboli, & principum, & potestatum, & rectorum huius mundi, imò, & omnium Imperatorum superaret. Qui veniebat alligare *fortem armatum*, & vincere eum, oportebat, vt cum maiori veniret fortitudine. Quia autem est Dominus, venit cum dominatione, aut *brachium eius dominabitur*, id est, aliquid suis subditis præcipiet, & mandabit: metaphora sumpta à domino, qui cum aliquid imperat seruo, brachium erga eum extendere solet. Celebris est. D. Thomæ doctrina, Deum in mundi reparatione seruasse ordinem, quem tenuit in eius creatione, vt reparatio creationi respondeat. In creatione autem, etsi multa sint annotatione digna, illud tamen Beatus Gregorius. Nyssenus obseruat, egregiè Deum ostendisse, & comprobasse, se esse Deum & Dominum: Deum quidem, ex virtute infinita, qua cuncta creauit, & vniuersum disposuit; Dominum autem, imponendo præceptum homini. Hinc expendit illa verba, iuxta aliquos codices: *Præcepitque Dominus dicens: De omni ligno Paradisi, &c.* Obseruare dignum est, inquit, in tota mundi conditione dictum esse: *Dixit Deus, fecit Deus, &c.* quæ quidem vox, Deus, opificem propriè significat. Domini autem appellatio, propriè Principis, ac Regis potestatem significare videtur: ideò cum præceptum imponit, dicit: *Et præcepit Dominus.* Similiter, & Diuus Augustinus, expendens illa verba: *Tulit igitur Dominus Deus hominem, & posuit in Paradiso*: Nullo, inquit, modo vacare arbitror, sed nos aliquid, & magnum aliquid admonere, quod ab ipso diuini libri huius exordio, in quo ita cœptus est: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, vsque ad hunc locum, nũquam positum est, Dominus Deus, sed tãtummodo, Deus: nunc verò, vbi ad id ventum est, vt hominem in Paradiso constitueret, cui præceptum imponeret, ita Scriptura locuta est: *Et sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit.* Hocque communiter sancti Patres obseruant, Deum nõ absolutè vocatum fuisse Dominum, quoadusque homo conditus fuit, quia quamuis iam essent creaturæ irrationales; sed eis dominari, parui momenti est: quod supremum dominium constituit, est dominari creaturæ liberæ, & plene posse circa eam agere quicquid libet, seruata eius libertate. Quamuis ergo ab initio essent Angeli, quibus Deus dominabatur, quia tamen propter homines hęc scripta sunt (inquit Augustinus) hoc voluit indicare, Deum vere, & propriè se ostendisse Dominum, ex eo quod homini præceptum imposuit: hic enim actus est proprius Domini erga seruum, aliquid illi præcipere, & mandare. Ita rerum creatione factum est. Hoc ipsum in mundi reparatione licet intueri: nam Deus veniens

Esa. 40. 5. *Exod. 19. 11. & c 24 12.* *Forer. ibi.* *Luc. 11. 21.* *3 p. q. 3. ar. 8.* ¶ 72. *Apud Lip. pom. in ca. Gen. 2.* *Gen. 2. 16.* *8. de Gen. ad literam. cap. 7. tom. 3.* *Ibid.*

niens ad mundum reparandum, voluit ſe oſtendere Deum, & Dominum. *Ecce*, inquit, *Dominus Deus*. Deum ſe comprobauit *infirmitudine*, qua dæmones ſolo vocis imperio eiecit, languores curauit, & tali præſtabat virtute, quod *omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Dominum autem ſe demonſtrauit in eo, quod brachium eius dominatum fuit, id eſt, præceptum imponendo ſeruis: nam ſtatim poſt illud cœpit leges promulgare, & mandata ſeruis, ac ſubditis imponere, ſignanter hoc de quo agimus: *Ego autem dico vobis*: Et quidem, vt in mundi exordio homo teneretur adimplere præceptum ſibi impoſitum, ſufficiebat ſcire quiſnam eſſet, qui illud præcipiebat, quod ſcilicet erat legitimus illius Dominus; ſicut enim ex hoc aliquis oſtendit ſe alicuius ſerui Dominum, quia illi præcipit, quod vult; ita ex hoc, ſeruus ſe ſeruum illius Domini demonſtrat, quod ſine contradictione eius præceptum opere complet. Hinc examinat Beatus Auguſtinus obligationem, qua homo tenebatur, ad adimplendum præceptum ſibi à Domino in Paradiſo impoſitum: *Ex omni ligno Paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Fuerunt aliqui, vt Diuus Auguſtinus refert, qui Deum de hoc præcepto arguebant, tanquam crudelem: aut enim bona erat arbor, aut mala: ſi mala, ad quid condita eſt in Paradiſo, ab eo, qui omnia condidit valdè bona? Si bona, cur eius fructum prohibet comedi, qui non niſi ad comedendum valere poteſt? Reſpondet autem egregiè Auguſtinus [a], multis in locis, ſignanter in illud Pſalmi [b]: *Vſque in altiſſima quæ feciſti magnalia, Deus quis ſimilis tibi?* Homo, inquit, poſitus ſub præcepto audiuit à Domino ſuo: Nolo tangas: quid? Hanc arborem. Quid eſt enim illa arbor? ſi bona eſt, quare tango? ſi mala eſt, quid facit in Paradiſo? Prorſus ideò eſt in Paradiſo, quia bona eſt: ſed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem ſeruum. Bona eſt arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus ſum, & ſeruus es. Hæc tota cauſa. Et quid tibi iuſſurus erat Deus? Quia enim Dominus eſt, aliquid præcipit, quod facias. Quid tibi iuſſurus erat? Offer mihi ſacrificium, dicturus eſt tibi? Obſequere mihi, dicturus eſt tibi, ſiue ad lectum requieſco, ſiue ad menſam cum me reficio, ſiue ad balneas cum lauo? Deus nullo horum indiget. Quia ergo nullo abs te indiget Deus, nihil tibi debuit iubere? Oportuit ergo, vt quia Dominus erat, aliquid præciperet, quod hoc ipſo teneretur homo adimplere. Ideò autem illa arbor appellata eſt ſcientiæ boni, & mali, non quia ex ea bonum, & malum, quaſi poma penderent; ſed quicquid eſſet arbor illa, cuiuslibet pomi, cuiuslibet fructus, ideò ſic vocata eſt, quia homo qui nollet bonum à malo diſcernere per præceptum, diſcreturus erat per experimentum, vt tangendo vetitum, inueniret ſupplicium, &c. Hæc ergo ratio ſufficiens, vt intelligat ſeruus, ſe teneri ad ſeruandum præceptum, ſcire illud ſibi à legitimo Domino impoſitum. Vnde Deus antiquas leges promulgans, ante, & poſt, & ſæpè repetebat illud: *Ego Dominus*, & cum inducere volebat ad earum obſeruantiam, idipſum exprimebat: *Ego Dominus, leges meas cuſtodite*: Quaſi dicens: Nullam aliam cauſam requiras, vt intelligas te ad legis obſeruantiam teneri, quam attendere, quod ego ſum Dominus, & tu ſeruus, & non ad ſeruum pertinet examinare mandatum Domini, ſed illud complere. Vnde quando diabolus acceſſit, volens parentes noſtros inducere ad frangendum Dei præceptum, dixit acute: *Cur præcepit vobis Deus?* Non dixit: Cur præcepit vobis Dominus; ſi enim ita dixiſſet, quæſtio hæc ſecum reſponſionem adducebat, ſecundum quam dicere poterat: Quia Dominus eſt: hoc enim ipſo poteſt ille præcipere, & nos, qui ſerui ſumus, tenemur obedire, namque ratio ſufficiens eſt. Et eadem ipſa eſt ſufficientiſſima, vt intelligamus, nos obligatos ad Chriſti mandatum complendum: quoniam ipſe non ſolum eſt Deus, ſed eſt Dominus. *Ecce*, inquit, *Dominus*

¶ 73. *Gen. 2. 16.* *Li. cõt. aduer legis, c. 14. to. 6.* ¶ 74.

[a] *In Pſ. 70. & 8. de Geneſ. ad lit. c. 7. & Ser. 34. de ver. Dom.*

[b] *Pſal. 70. 19.*

Deus veniet. Attende, non ſolum eſſe Dominum: Deus eſt, quem ſupremo latriæ cultu colamus, Dominus cuius præceptis ſupremam obedientiam exhibeamus. Et verè, nullus eſt, cui verius, ac perfectius conueniat eſſe Dominum, quique pleno ore hoc nomine poſſit vocari, vt D. Chryſoſt. proſequitur. Perfectum ſiquidem Dominium, nõ in eo ſtat, quod quis multum habeat auri, vel argenti, vel quod poſſideat multitudinem gregum, aut armentorum, ſed quod ſeruos habeat, qui libera mẽte, & ſpõte ei obſequantur. Vnde quo quis dominatur ſeruis liberioribus, & nobilioribus, eo excellentior Dominus eſt. Hoc verò excellentiſſimè conuenit Chriſto, qui nõ quærit dominari facultatibus, aut diuitijs mundi, aut verò corporibus noſtris, ſed cordibus, ac voluntatibus liberis. *Ego*, inquit, *conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius*: id eſt, ſuper Ieruſalem ſpiritualem, quæ eſt Eccleſia, quam Apoſtolus dixit, Saræ typo expreſſam, quæ non erat ſerua, aut ancilla, ſed libera: quia Regnum Chriſti, ex perſonis liberis, quæ libera mente ſe in ſeruos, & ſubditos ei tradiderũt, libereque obſequuntur, conſtat. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ*. Rex ſubditos habere debet, & Dominus ſe vos dabo tibi (inquit Pater ad Chriſtum) gentes hæreditatem tuam, & Regum tuum. Gentium nomine, perſonas ſummè liberas intelligit Scriptura, quæ nulli iugo erant ſubiectæ, quas *Deus permiſit ingredi vias ſuas*, vt dixit Paulus: ideoque idem eſt dicere: Dabo tibi gentes, quibus domineris, quod: Dabo tibi perſonas ſumme liberas, quæ liberè, ac ſponteneè ad tibi obſequendum ſe tradant. Quod ſimiliter Dauid ipſe expreſſit in Pſalmo illo, de quo dixit Auguſtinus, quod breuis eſt numero verborum, magnus autem pondere ſententiarum: & vbi ſecundum noſtram literam habetur: *Tecum principium die virtutis tuæ*, legit Hieronymus. *Populi tui duces ſponſanei in die fortitudinis tuæ*. Dies fortitudinis Chriſti fuit, cum venit in mũdum redimere homines, & eos liberare à dura diaboli ſeruitute; tunc non eligit ſeruos, quos timore duceret, & terrore, ſicut antiquitus, aut coactione, vel violentia ſibi ſubiugaret; ſed qui ſint duces ſponſanei, qui ſuprema libertate præditi, voluntariè ſibi obſequerentur. *No ſeratu Igleſia galera de forcados, ſine ciudadde buena voglia*. Et verè credo, ideò Chriſti Rempublicam vocatam à Paulo, *Eccleſiam primitiuorum*. Antiqua namque Dei Reſpublica, vocata fuit Synagoga: ſed Reſpublica Chriſti; vocatur *Eccleſia*; notum eſt enim, inquit Auguſtinus, diſcrimen inter hæc duo nomina: nam Synagoga ſignificat congregationem, quod nomen etiam pecoribus conuenit: congregantur enim oues, & boues: Eccleſia autem ſignificat conuocationem, quod tantum conuenit creaturis rationalibus, liberis: hæ tantum conuocantur: vt intelligas, Rempublicam Chriſti ex perſonis magis liberis conſtitui, quas non terrore, & tremore, ſicut antiquum populum congregat, ſed ſuaui voce conuocat, & ad ſui ſequelam inducit, ideoque (inquit Auguſtinus (noſtram Eccleſiam nunquam Apoſtoli Synagogam dixerunt, ſed ſemper Eccleſiam, ſicut eam perpetuò vocat Paulus. Deinde *Primitiui* vocantur, qui principaliores ſunt in Republica, quorum domus ſunt antiquiores, & nobiliores, vt hoc ipſo oſtendatur, Chriſti Rempublicam eſſe congregationem non ſeruorum, aut ignobilium, ſed nobilium, & principum. Hæcque eſt ſumma CHRISTI gloria, talem Dominum, cui qui ſe tradunt in ſubditos, tam liberi ſunt, ac ſi eſſent ſupremi Principes. In cuius confirmationem, qui verè ſunt Reges, & Principes, non recognoſcentes in terra ſuperiorem, ſe tradiderunt ei in ſeruos, de quibus dixit Dauid: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*. Sæpè explicuimus viſionem illam celebrem, quam habuit Ezechiel in principio Prophetiæ ſuæ, de qua ipſemet ſubdidit, quod voluit ei Dominus oſtendere gloriam ſuam. Vidit

Rom. 36. & 37. in imperf.

Pſal. 2. 6.

Gal. 4. 31.

Act. 14. 16

Pſal. 109. In enarratio. in Pſ. 109.

Pſal. 109. 3.

Heb. 12. 23. ¶ 75.

In Pſ. 77.

In Pſ. 81. in princip. enarrat.

Pſ. 71. 11.

qua-

quatuor illa animalia famigeratiſſima, quæ alas habebant ingentis magnitu-
Ezec.1.24 dinis, quibus volabant: *& audiebam*, inquit, *ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei, & quaſi ſonum multitudinis, & caſtrorum*. Vidit deinde firmamentum, quod ſuperius erat capitibus animalium, in quo erat *ſimilitudo throni*: & ſuper ſimilitudinem throni, *ſimilitudo, quaſi aſpectus hominis*, à quo cum fieret vox, *animalia ſtabãt, & ſubmittebant alas ſuas*. Quid hoc?
Ezech.2.1. *Hæc*, inquit, *viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*, ideſt, viſio qua oſtenſa eſt mihi excellentia, & gloria Domini. Non, inquit, gloriæ Dei, ſed gloriæ Domini: quia oſtenſa eſt excellentia dominij Chriſti, & quàm glorioſum dominiũ eius ſit. Neque enim dubium eſt, quod S. Patres annotant, ibi Chriſti myſteria expreſſa fuiſſe. Animalia illa, ſupremos orbis Monarchas deſignabant, quorum alę extenſæ, ſignificant illorum ſupremam potentiam, qua ſuper omnes gẽtes, & populos volabant, & ſe conſtituebant. Hãc tribus rebus cõ-
¶ 76. parat ſono aquarum multarum, ſono ſublimis Dei, & ſono multitudinis, & caſtrorum, vt magnitudinem potentię declaret, cui nullus reſiſtebat, aut ſe opponebat. Hoc enim ipſo quod ſonitus alicuius mandati ab illis prodibat, erat ſicut ſonus aquarum multarum, quibus decurrentibus ſummo impetu in conualle, aut torrente, nemo ſe audet opponere, & ſicut ſonus ſublimis Dei, qui omnia quę vult, ſolo imperio perficit, ita enim fuerunt
2.Mach.9.8. quidam Monarchę, qui *ſibi videbantur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in ſtatera appendere*, & ſicut ſonus multitudinis, & caſtrorum, quia eorum vox, & potentia erat timorem incutiens, & terrorem, ſicut ſonitus exercitus venientis, qualem
Iud.2.11. Iud.3.9. ineutiebat Holofernes, quando *profectus eſt ipſe, & omnis exercitus cum quadrigis, & equitibus, & ſagittarijs*, tunc enim *tantus metus prouincijs illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores, principes, & honorati, ſimul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros*, &c. Hęc animalia tam ſuprema, tam potentia, ad vocem procedentem de throno, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas. Quid hoc? Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini: tanta .n. erat gloria dominij illius, ꝙ ſupremis iſtis animalibus ita dominatur, vt ad eius vocẽ alas ſubmitterẽt & à curſu ceſſarent. Sedit enim Dei fi- *ad Col.2.9*
lius in humanitate, quæ throni ſimilitudinẽ habet, *in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis etiã corporaliter*, cui ſupremi Monarchæ, Reges, ac Principes, & qui nullũ in terra ſuperiorẽ agnoſcebant, quin potius ſe ipſos omnibus ſuperiores reputabãt, omnimodè ſe ei ſubiecerunt, vt verè conueniat ipſi, quod ſcriptum ferebat: *Rex Re-* *Apo.19.16*
gum, & Dominus dominantium. Non Dominus mancipiorum vilium, aut ſeruorum ferro vinctorum? ſed Regum, & dominantium. Si enim Regis, ac Domini gloria in eo poſita eſt, quod ei ſubduntur nobiles, principes, & qui magna præſtant libertate, qualis gloria erit dominij Chriſti Domini, cui ſubditi ſunt ſupremi Reges, Imperatores, & Principes, vt meritò ei dicatur: *Tu ſolus Dominus?* Supremus itaque Dominus ex eo comprobatur Chriſtus, quia cum tot, tantoſque habeat ſeruos, omnes ſunt liberi, qui liberè eius ſe tradiderunt ſeruitio, & liberè, ac ſpontaneè in eo perdurant. Si ergo cum primò homo conditus eſt, ex eo quod Deus naturaliter erat Dominus, debuit aliquid ei præcipere, quo ſe Dominum comprobaret; & ex eo quod homo naturaliter erat ſeruus, tenebatur illud exequi, quo ſe demonſtraret illius ſeruum: potiori iure nunc, cum Chriſtus eſt Dominus, cui voluntariè te ſubdidiſti, in cuius dominiũ eius gratia adiuuante liberè translatus es, & permanes, ſaltem ad oſtendendum ſe verè eſſe Dominum, aliquid tibi debebat præcipere, quod tu, vt te comprobes eius ſeruum, debeas opere complere.

(?)

§. 4. *Manifesta est Christianorum obligatio, ad hoc præceptum seruandum, quorum inobedientiam Rechabitæ apertè condemnant.*

¶ 77. HInc ad ostendendam obligationem, qua Christianus tenetur ad diligendum inimicum, procedere possumus. Nunquid non tu Christum tanquam Dominum habes, cui voluntariè te subdidisti? In quo ergo id ostendis, si non vis esse sub eius præcepto? Quid enim aliud est esse sub Domino, inquit Augustin. nisi esse sub præcepto? Si quis spontaneè veniret ad Regem Philippum, dicens se velle cum habere tanquam dominum, sic tamen quod præcepta illius à se non essent seruanda, sed potius præcepta Turcæ, certè diceremus, illum potius sub Turca, quàm sub Philippo esse velle. Nulla enim alia ratione homo sub aliquo, tanquam sub Domino se constituit, nisi in quantum profitetur, se velle sub illius præcepto esse. Qui se Christi Dominio subdit, intelligat, sibi ab illo imponendam esse legem. *Quis est homo, qui timet Dominum?* inquit Dauid. *Timentes Dominum* vocantur, qui Dijs falsis reiectis, sub veri Dei dominio viuere elegerunt. Qui igitur talis est, sciat, quod *legem posuit ei in via, quam elegit*. Renuntiasti vijs diaboli in baptismate, & viam Christi elegisti illam, quæ sola *ducit ad vitam*: intelligè tibi legem esse imponendam: non enim vult Deus sine lege viuere seruos suos. Hæcque est ratio, etsi alia non subesset, propter quam obligatus manet homo ad eam seruandam; Reges (inquit Chrysostomus hoc ipsum expendens) ferunt leges, nec omnes semper vtiliter: homines enim sunt, nec sicut Deus possunt semper vtile inuenire; & tamen paremus, siue vxores ducamus, siue seruos emere debeamus, siue agros: & id reputamus iustum, ac à nobis exequendum, quod Regis lege decretum est: & si quis aliquid cõtra eas facere volnerit, dicimus, inutile, & inualidum ab illo fieri. Itaque hominum legibus tãtum attribuimus honorem? Dei verò leges ita conculcabimus? Et quali hæc digna defensione: quali venia? mirum est, qua obseruantia velit quiuis homuncio, vt quod ipse præcipit, seruus eius exequatur: & ratione reddere solet, cur id agere teneatur: Quia ego Dominus eius, inquit, sum, & ille seruus meus. Ipse igitur (inquit Cyprianus ad Demetrianum Africæ proconsulem) de seruo tuo exigis seruitutem, & hominem parere tibi, & obedire compellis, & cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio vna moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali iure, & pari lege vel veniatur in istum mundum, vel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo deseruiatur, nisi ad voluntatem obsequium pareatur, imperiosus, & nimius seruitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro frequenter, & carcere affligis, & crucias; & non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse in hominẽ dominatum? Ita Cyprianus. Et vt nostram miseriam deploremus duo sæpè annotaui. Primum est, inter omnes creaturas nullam esse, quæ minus Deo obsequatur, quæque minus recognoscat maiestatem dominij diuini, quàm homo. Imò nulla rebellis est mandato illius nisi solus homo. Ad nudum enim eius mandatum *cæli firmati sunt*, & iugi, regularique motu perpetuò procedunt: *stilet ventus ad illius vocem, & mare à feruore quiescit*, & terminos suos nullatenus excedit, quia audit vocem Dei dicentis. *Hucusque venies, & non procedes amplius*: terra perpetuò generat, quæ sibi generanda Deus præcepit, Quod egregiè Dauid expressit: *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo, in generatione, & generationem veritas tua, fundasti terram, & permanet*. Omnes res creatas, inquit August. voluit Dauid compleci, eas exhibens obedientissimas præcepto diuino, dum cœlum, & terram percurrit. In cœlo permanet verbum Dei, quia tam angeli, quos cœli nomine Scriptura sæpè exprimit, quã corpora illa suprema eius præceptum, vel minimum, nunquam

¶ 78.

transf-

In Ps. 70. & ser. 34. de temp.

Ps. 24. 12. Mal. 3. 16.

Hom. 16. ad populum.

Lib. ad Demetrianum.

Ps. 32. 6. Eccl. 43. 4. Ioan. 1. 15.

Iob 38. 8.

Ps. 118. 89.

In Ps. 118. conti. 27.

transgrediuntur. In terra perpetuo id fit quod Deus fieri statuit, dicens: *Germinet terra herbam virentem, &c. & lignum pomiferum*, & sub cœli, & terræ extremis, media subintelligi voluit, aerem scil. & aquam, & quæ in eis sunt. *Ordinatione tua perseverat dies*: eo enim modo, quo ab initio statuit, vt fieret vespere, & mane, inuiolabili obseruantia perseuerauit dies, nunquam ab eo quod statutum est, vel per minutum deficiens: quod si aliquando dies longior facta fuit tempore Iosue, & Ezech. id fuit peculiari Dei mandato intercedente. Nec mirum, *quoniam omnia seruiunt tibi*. Mundus hic maior vocatur *omnia*, quia omnia continet, de quo dicitur: *Hoc quod continet omnia*. Solus homuncio, hic minor mundus est, qui Deo se exhibet rebellem, & est is, de quo Deus conqueritur, dicens: *Rupisti iugum, soluisti vincula, & dixisti: Non seruiam*. Secundum est, nullum esse Regem, aut Principem, aut communem dominum, cui subditi sui minus obediant, & se præceptis eius subiectos exhibeant, quam Deum respectu hominum. Nunquam certè visum est, quod in ciuitate, cui dominatur Rex aliquis, ita contemnantur illius mandata, quod nobiles, ac ciues publicè prædicent, & dicant, se nolle illa obseruare, quin potius velle leges alicuius inimici sui Regis seruare. Quidnam diceremus, si Rex noster Philippus ad hanc suam ciuitatem veniret, vt peculiarem aliquam legem suauissimam ipsemet ore proprio promulgaret sub pœna capitis, & ipsomet Rege vidente, nobiles, equites, ac ciues, varia quique eorum consilia congregarent, dicentes, non esse seruandam legem, quam rex protulit; sed videndum, quonam modo lex quam Turca proponit, completè fit executioni mandanda: quid Rex ageret? Quid diceret? Quod lex Turcæ à subditi ipsius Turcæ obseruetur, non mirum: sed ab ijs, qui se vasallos, & subditos Regis Philippi in sua ipsa ciuitate summo studio seruetur, & ab ipsius Regis subditis lex contemnatur, admirandum est. Nemini dubium est, Ecclesiam sanctam esse ciuitatem Regis magni Christi, ad quem ipsemet descēdit, ore proprio prolaturus legem, & mandatum, sub pœnæ æternæ interminatione, dicens: *Ego dico vobis: Diligite inimicos*, &c. Et nihilominus sæpè multi sunt ciues huius ciuitatis, qui in consilio iunguntur, vt pertractent, quomodo leges dæmonis, mundi, & carnis; leges duelli, & vindictæ seruandæ sint, consulentes quomodo vindicta ad plenum sumenda sit. Res sanè admiratione plena, quam considerans Chrysostomus, suam confitetur verecundiam, & pudorem, quo suffundebatur: Si quis extrinsecus (ait) vndecunque adesset, & præceptorum Christi, ac nostræ conuersationis confusionem, ac perturbationem videret, nescio si alios magis vllos quàm nos inimicos esse, & cōtrarios præceptorum Christi iudicaret, & quasi qui studium quoddam habuerimus cōtraria in omnibus gerere, quam ille mandauit. Sed ne quis putet nos exagerationis causa hæc verba proferre probamenta iam adhibebo, non aliunde quàm ex ipsis Christi mandatis. Quid dicit Christus? Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Ego autem præcipio, non irasci, &c. Qui dixerit fratri suo: Fatue, &c. nos autem plusquam increduli, & infideles calcamus hanc legem, & quotidie innumeris iniurijs fratres afficimus, &c. Hæc de alijs mandatis prosequitur Chrysostomus: & clarè apparet in eo, quod apertè præcepit Christus: Diligite inimicos vestros: Dimittite, & cæt. & tamen nos, tanquam rem honorificam, nobisque expedientem ducimus, implacabile odium seruare, & quærere, quomodo duelli leges ad plenum seruemus. Nec mirum quod Chrysostomus pudore se affectum fateatur, quādoquidem, & ipsemet Dominus illo videatur suffusus, ex eo quod aspiciat homines tam liberè sua præcepta contemnentes: sicut verecundiam contraheret Rex, videns sua præcepta in oculis suis conculcari, & pro nihilo haberi. Id autem egregiè demonstrauit, dum querelam suam ad Ieremiam contra homines sui populi proponere intēdens, prius præcepit, vt iret ad domū Rechabitarum, vtque Rechabitas omnes introduceret.

Gen. 1. 11.

Psal. 118. 91.

Sap. 1. 7.

Ier. 2. 20.

¶ 29.

Lib. 1. de compūct. in princ. tom. 5.

Ieremiæ 35.

ceret in domũ Domini, ibique præparato vino, & vasis, eos inducerat ad bibendum. Quod Deus imposuit, Prophe ta exequutus fuit: ducens enim Rechabitas in domum Domini, *posuit coram eis scyphos plenos vino, & calices* (credoque vinum fuisse pretiosum, & vasa pulcherrima, qualia illa de quibus dicitur, quod *etiam nolentes cogebant ad bibendum.*) Et dixit ad eos: *Bibite vinum.* Qui responderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab. Pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum & filij vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas nõ plãtabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris. Obediuimus ergo voci Ionadab. Patris nostri in omnib. quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris, &c. Et obedientes fuimus iuxta omnia quæ præcepit Ionadab. Pater noster.* Omnia, & singula verba obseruanda sunt. In primis attende, quod voluit Deus Rechabitas in domum ipsius Dei adduci, vt omnibus constaret, rem illam in oculis ipsius Dei agi, quo clarius offenderet, quam iusto dolore (vt ita more nostro dicam) teneretur, qui talem obedientiam videbat in Rechabitis erga Patrem suum, iam vita functum, & tam rebellem inobedientiam in populo suo erga se ipsum, experiebatur; cui tanto maior obedientia debebatur, quanto potior erat obligatio, qua tenebatur populus erga illum, quàm illa, quam filij Ionadab erga patrem suum. Deinde expende vim illius notæ, Ergo. *Obediuimus ergo*, inquiunt. Est hæc vox Ergo, nota illationis, & consequutionis. Vnde infertur, quod obedientes extitistis? Ex eo quod pater noster præcepit. Rectè enim sequitur: Pater præcipit, ergo filius obedire debet. Nulla alia vtilitas, nulla alia præmissa suppositа fuit, vt hoc consequens inferretur: Obediuimus ergo, nisi hæc: Pater noster præcepit. Considera tertio illud, *Obediuimus ergo voci*: magnam enim emphasim habet. Simplici voce Pater noster vsus est, verbum simplex fuit sufficiens, vt obediremus; nõ strinxit gladium, non minas duras effudit, non maledictionem in eos coniecit, qui inobedientes se exhiberent, voce simplici ab eius ore procedente, quam leuis aura consumit, tantum loquutus est, & hoc sufficit vt obediamus. Tandem vide, quod addunt: *In omnibus*: nec enim vnam rem illis mandauit, sed tres, illasque difficiles ad obseruandum. Primò, vt non biberent vinum, cuius haustus lætificat cor, & viuidum reddit. Secundò, quod non plantarent vineas, nec eas possiderent, de quibus scriptum est; quod earum fructus lætificat *Deum, & homines, & inter ligna cætera præeminent*: vnde, & vocatur vinea, *possessio amantissima*, quia multis præstat, quibus se amabilem, reddit. Tertiò, quod non haberent domos, sed in tabernaculis perpetuo morarentur, quæ minus apta esse solent ad defendendum hominem ab iniurijs cœli, tam in hyeme, quàm in æstate. Multa ergo erant, quæ Ionadab filijs suis præcepit, & quamuis tot essent, tamque difficilia, tamen nullatenus difficultatem opposuerunt eius filij, non solum circa omnia, sed neque circa aliquid eorum, & ad nudam vocem patris, *Obediuimus*. inquiunt, *in omnibus*. Ad quid hæc omnia facta sunt? *Vade*, inquit Dominus ad Ieremiam, *& dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem. Nunquid non recipietis disciplinam; vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Prævalerunt sermones Ionadab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque in diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: Ego autem loquutus sum ad vos de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi*: Disciplinæ nomen, vt patet apud Cyprianum, & eius Scholiastem, idem est, quod correctio, & castigatio; vt velit dicere: Numquid non sufficiet hoc ad vestram rebellionem corrigendam inobedientiam castigandam? Pigri negligentiam corrigit formicæ diligentia? & Iudæorum ingratitudinem corrigit cognitio, qua bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: vestram autem rebellem inobedientiam arguit, conuincit, & corrigere debet obedientia filiorum

Esth. 1. 8.

¶ 80.

Iudi. 9. 13.

Amos. 5. 11

Libr. de disciplꝫ & habit. virgin. & ibi Pamel. Prou. 6.

rum Ionadab. Quis Ionadab, & quis
¶81. ego? homo ad homines, mortalis ad mortalem, imò iam mortuus, & in cineres, & vermes conuerſus, ad nunc viuentes, loquutus ſimplici voce fuit, *& præualuerũt verba Ionadab.* Expende vim verbi, *præualuerunt*, quod proprium eſt eorum, quibus aliqui ſe opponunt. Multa erant quæ reclamabant, ne Rechabitæ agerent, quod Ionadab eis præcepit, quod videlicet præciperet multa, illaque difficilia; & quod non tantum præſentibus, ſed & futuris; non pro vna die, aut anno, ſed in ſempiternum; & nihilominus præualuerunt verba Ionadab: nuda verba erant, & hominis, quæ etiam viuente ipſo homine, ſtatim, ac prolata ſunt, deſinunt eſſe: vt Dauid ad oſtendendum, non debuiſſe fratres inquietari propter quædam verba, quæ
1. *Reg.* 17. 29. prætulerat, dixerit: *Quid feci, nonne verbum eſt?* Quanto magis illo iam vita functo? Et præualuerunt, id eſt, omnem difficultatem ſuperarunt, omnia quæ in contrarium exorta ſunt reuicerunt, *quia obedierunt præcepto patris ſui*. Hoc omnibus difficultatibus, quæ eos poterant in contrarium trahere, opponebant: Præceptum fuit Patris noſtri: *Ego* autem *locutus ſum ad vos*, &c. Ego Deus æternus; qui in æternum maneo, cuius dicere, facere eſt, in cuius ditione cuncta ſunt poſita, *locutus ſum*, cuius *verbum permanet in æternum*, cuius verba non tranſibunt, etiamſi cœlum, & terra tranſeant: *de mane conſurgens, & loquens*. In ſcriptura de mane conſurgere eſt, ſumma diligentia, ardore, & ſtudio aliquid agere: vt illud: *Mane aſtabo tibi, & videbo*, &c. Et loquutus ſum, non ſimplici voce, ſed *loquens*, id eſt, clamans, vociferans, comminans, rogans; & non obediſtis mihi. Hæc quidem ratio illos inobedientes diuinis præceptis euidenter condemnabat, vt nihil habere poſſent, quod reſponderent: & illa eadem nos etiam damnat. Præualent ſæpè apud te verba alicuius amici, aut conſanguinei, vt facias aliqd, quod alias nullatenus, feciſſes, ſed dicis te id facere, quia iuſſũ eſt; morem gerere amico; & hoc opponis iis, qui à te quærunt, qui id facias.

Pſal. 5. 5.

Præualent apud te verba amici, & non verba Dei? Præualet apud te verbum Regis terreni (eo namque ipſo, quod Rex aliquid à te fieri vult, & mandat, id exequeris) & nõ præualebunt verba Dei? Vide Maurum, aut Turcam, cui cum præceperit Mahumetus ieiunium illud, omnibus modis irrationale, quod ſæpè in media æſtate euenit & deficiunt vires, ac penitus langueſcit omne corporis robur, vt nec ſaliuam deglutire audeat, & id præſtat, apud eum præualẽt verba Mahumeti. Vide illos, qui dæmonis cultores, & ſeruos ſe exhibebãt, cuius verba ſufficiebant, vt filios ſuos ipſimet parentes immolarent, & necarent: & *Ego*, inquit Dominus, *loquutus ſum ad Iſrael vos, loquens*, &c. Vt Deus impetum Iordanis cohiberet, quando aquæ tam abundantes fluebant, vt totius aluei ripas implerent, non per ſeipſum, ſed per mediam arcam ſe opponens, ita impetum continuit, vt aquæ ſe continerent ad modum montis, ſiccumque iter Iſraelitis præberent. Vt lapis duriſſimus, qui percuſſus ignem ſolet emittere, aquas abundantes effundat, ſufficit quod Deus non per ſe, ſed per Moyſen illum percutiat; imò, & alia vice ſufficiens fuit, quod Moyſes, & Aaron ad petram, quod Deus iuſſerat loquerentur: ſufficiebat enim petræ, vt ſibi diuinum mandatum per Dei miniſtros intimaretur: & tibi non ſufficit, quod ipſemet Deus veniat, præcipiat, loquatur, & dicat? *Ego autem dico vobis*: Diligite, &c. & vt iræ tuæ impetum contineas, vt non ignẽas ſcintillas ſuccendentes, ſed aquam lenitatis emittas? (?)

Exod. 17. *Num.* 20.

§. 5. *Præceptum hoc leue comprobatur, quod mensura arundinea dicitur, diuersum à baculo ponderoso antiquæ legis.*

¶ 82. Difficile quidem est hoc præceptũ in se, vt supra demonstratum est, sed quod facile, & suaue reddi potest. Etenim Beatus Ambrosius mirè explicat, diuina Christi præcepta grauia quidem esse, & tamen posse leuia, ac facilia reddi. Expendens enim virtutes illius excellentissimi principis Valentiniani Iunioris, in cuius obitu orationem funebrem agebat, & dicens eum fuisse, qualem Propheta descripsit: *Bonum est viro cùm portauerit iugum graue, in iuuentute sua, sedebit singulariter, & tacebit, quia tulit iugum graue*: proponit quæstionem, quomodo semel, & iterum Propheta, Iugum graue vocet, quod Christus leue, suaueque dixit: *Iugum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue*. Et respondet primò, in Græcis exemplaribus non haberi adiectiuum illud *Graue*. Respondet secundò, Christi legem iugum graue dici, & leue: graue quidem, pondere disciplinæ, qua caro affligitur, suaue autem fructu gratiæ, spe remunerationis æternæ, & purioris conscientiæ suauitate: nam gratia Dei adiuuat infirmitatem nostram, estque sicut oleum, à cuius facie computrescit iugum, & præmium quod proponitur tam grande est, vt quicquid pro illo agitur, iudicare possit momentaneum, & leue, quomodo ipsi Iacob septem anni videbantur dies pauci: & tanta est suauitas bonæ conscientiæ, vt labor omnis pro ea consequenda suauis reddatur. Has rationes infra prosequemur. Hieronymus easdem prosequitur, & alias addit, sed eam præfert, quam etiam contra Pelagianos ex professo tradit, Euangelica mandata leuia esse, comparatione mãdatorum antiquæ legis: quod Diuus Augustinus eleganter more suo annotauit, obseruans, egregiè aptissimèque Ioannem antiqua decreta vocasse absolutè Legem, Euangelica autem Gratia. *Lex*, inquit, *per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: ipsum enim legis, & mandati nomen, grauitatem quandam molestam, & pondus durum secum defert, & timorem vel solo nomine incutit: idcirco pleno ore antiqua decreta Legem vocauit, noua autem, & Euangelica, per quæ excusso spiritu timoris, recipimus *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, absolutè vocat gratiam, quod nomen suauitatem, & dulcedinem supremam explicat. Et certè sicut Christiano suauia, leuia, atque facillima, quæ Christus illi faciẽda imperat, si consideret, quęnam Deus antiquis patribus præceperit: mandata namque erant innumera, & ad minus sunt sexcenta, & tredecim, vt nihil se homini offerret, circa quod mandatum non haberet, circa comedenda, bibẽda, circa ambulationem, sessionem, stationem, circa filios, famulos, armenta, &c. & illa erant grauissima, perpetuò enim illud insonabat: Qui fecerit hoc moriatur, qui fecerit illud, lapidibus obruatur, qui mortuum tetigerit, immundus habeatur, qui non ita vestitus fuerit, interficiatur, &c. & aliquando grauissimis pœnis res minimæ mulctabantur. Quidam sabbatho ligna collegit: dubitatum est, an pœnam legis incurrisset, consuluit Moyses Dominum, & decreuit legem tanto rigore seruandam, quod vel ex eo solũ, quod stipulas ille homo collegerat, iudicandus esset, verè in pœnas legis incidisse, & ideò iussus est lapidibus obrui. Omnibus autem his grauissimis ponderosissimisque oneribus Christus nos liberauit, legem Euangelicam promulgans, tam suauem, vt vnico illo dilectionis præcepto claudatur, quod Christus mandatum suum propterea vocauit. Diximus supra, Christum ædificasse Ecclesiam; illamque esse Ierusalem Sanctam, quam Ioannes vidit, quæ in sui exordio de cœlo descenderat, quam ædificauit, & construxit sub peculiari perpendiculo, & mensura. Quænam sit autem hæc mensura, à Ioanne explicatur; qui enim ei ciuitatem ostendebat,

habebat:

Orat. funebri, de obitu Valẽtin.

Thren. 2. 27.

Matth. 11. 30.

Ioan. 1. 17.

ad Rom. 8. 15.

Num. 15. 32.

¶ 83.

Apoc. 21. 15.

Libr. 2. Dial. cont. Pelag. & in cap. 11. Matth.

Lib. 1. qq. ad Simpli. q. 1. tom. 4.

habebat menſuram arundineam aureã, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum. Ædificauit namque Chriſtus Dominus Eccleſiam, quam voluit extructam eſſe ſub menſura, vnica quidem, aurea, & arundinea. Hæc menſura eſt lex amoris, & dilectionis, vnica erga omnes: hoc enim præceptum impoſuit Apoſtolis, & diſcipulis, & eis, qui eum audiebant, & qui ciues Eccleſiæ ſuæ futuri ſunt, quorum omnes actiones, opera, cogitationes, menſura charitatis voluit metiri; nam ſecundùm menſuram charitatis erit valor, æſtimatio, & meritum. Et vocatur menſura aurea, quia ſicut aurum omnibus metallis præeminet, & omnibus illis ſplendorẽ confert, ita charitas inter omnes virtutes excellit, illaque eſt, quæ eis valorem, & vitam tribuit, vt Paulus longo diſcurſu demonſtrauit. Sed dicitur arundinea, quia leuis, & ſine pondere, vt ipſemet Ioannes, de præceptis Charitatis agens exponere vſus eſt, dicens: *Mandata eius grauia non ſunt.* Etſi res attentius conſideretur, ex hac metaphora menſuræ arundineæ poſſumus explicare illas Sancti Iob voces; *Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius non me terreat*, quas tanquam prophecticas mirè Beatus Gregorius expendit. Lex ſiquidem antiqua aptiſsimè virga vocatur: quo nomine non tam virgultum quam baculum ſcriptura deſignat, & communi voce ſignificat inſtrumentum flagellandi, & percutiendi. Ita Paulus; *Vultis, vt in virga veniam ad vos?* & apud Eſaiam, *Virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti.* Virga exactoris dicebatur, quam præfecti operum, & tributorum ferre ſolebant, qua humeros, & terga ſeruorum grauiter cedebant, ſicut dicitur in Exodo; *Flagellati ſunt, qui præerant operibus filiorum Iſrael ab exactoribus Pharaonis.* Antiqua lex virga erat, per quam homines tot, tamque varijs pœnarum generibus grauiſsimè flagellabantur, quæque propterea grauẽ timorem inducebat, vt lex timoris meritò diceretur. Per legem ergo, inquit Gregorius, Deus virgam tenuerat, cum dicebat; Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.

2. Cor. 11. & 13.

1. Ioan. 5. 3.

Iob 9. 24.

9. Moral. c. 31. & 32.

1. Cor. 4. 21

Eſai 9. 4.

Exod. 5. 14.

Mirum eſt, quot modis Deus per illam legem homines flagellaret, & percuteret: *Si non audieris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, & cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te: maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, maledictus egrediens, &c. Percutiet te Dominus egeſtate febri, & frigore, ardore & æſtu, percutiet te amentia, & cæcitate, &c. percutiet vlcere peſſimo, &c. adducet ſuper te gentem de longinquo, &c.* Expende illud, *cuſtodias, & facias omnia mandata, & cæremonias.* Mandata erant innumera, cæremoniæ quaſi infinitæ, & omnium obſeruantiam ita exigebat, vt ſi quis deficeret in aliquo, tã acerbas grauesque pœnas irrogabat. Quęnã virga acrius poterat flagellare aut vulnus grauius infligere: Percutiet te Deus egeſtate, amentia, cæcitate, vlcere peſsimo, &c. Non mirum, quod lex illa tam horrendum incuteret timorem, vt abſolutè lex timoris dicta fuerit. Et huiuſmodi voces ſæpè Deus repetebat, dicens iterum: *Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mea, viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiet oculos veſtros & conſumat animas veſtras, &c ponam faciem meam contra vos & corruetis coram hoſtibus, &c.* Expende illud, *Nec feceritis omnia:* & illud, *viſitabo vos velociter.* Non tam citò virgam conuertit contra ſeruum Dominus crudelis, ac Deus pœnas, & vltionem contra illos, eo ipſo quod mandata tranſgrediebantur. Eius propterea graue onus Sãctus Iob prophetico ſpiritu ſentiens, clamat in perſona populi fidelis antiqui: *Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius me non terreat.* Hoc fecit Chriſtus Dominus, qui illius legis aſperitatem abſtulit, & tot, tamque oneroſa præcepta, ad vnicum dilectionis mandatum reduxit. Ex his Sanctus Gregorius, ſecundum allegoriam explicat factum Eliſæi. Mortuo namque puero, ex eo quod Sol tempore meſsis caput eius penetrauit; ad eum ſuſcitandum miſit Eliſeus ſeruum ſuum Giezi cum baculo ipſius Eliſei, quem

Deut. 28. 15.

¶ 84.

Leuit. 26. 14.

4. Moral. c. 32.

4. Reg 4. quem in monte illi tradidit, ſuperponendum puero. Id quidem fecit Giezi: ſed baculus grauare potuit puerum, non ſuſcitare, qui non poterat vitam reſtituere. Quapropter veniens ipſe Eliſeus, & è monte deſcendens, ſe puero ita copulauit ac iunxit, & magnitudinem ſuæ perſonæ cum illius paruitate ita contemperauit, vt vnum cum illo eſſe videretur. Tuncque baculi grauitate, & acerbitate dimiſſa, cœpit oſcitare ſuper puerum, hoc eſt, anhelitum calidum, viuidumque ex ore proferre, & halare ſuper eum, aut (vt inquit Gregorius) aſpirare, quo calefacere cœpit puerum, & reſumpſit vitam. Ita quidem homo mortuus fuit ex eo, quod diuinitatis Sol caput eius penetrauit, cum mente diuinitatis excellentiam concepit, & concupiuit: *puſo ſele en cacabeca elſer Dios.* Deus autem quaſi mortuum puerum doluit, inquit Gregorius, cùm extinctos nos iniquitatis aculeo, miſeratus aſpexit, miſitque ſeruum ſuum Moyſen, qui virgam ipſius Dei, id eſt, legem à Deo ipſo traditam ſupponeret, quæ terrorem incuteret. Onerare, quidem potuit illa, adeò vt eam vocauerit Petrus *iugum*, *quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus*: ſed viuificare non potuit: *nihil enim ad perfectum adduxit lex*, id eſt, nulli poterat gratiam præſtare, per quam anima viuificatur. Venit autem Eliſeus ipſe, idque compleuit quod promiſit per Prophetam: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos*: & adiungens ſe puero, cùm *formam ſerui accepit in ſimilitudinem hominum factus, & in ſimilitudinem carnis peccati*, reiecto baculo, & liberato puero ab illius pondere, ac à virgæ terrore ſpirare cœpit, legem Euangelicam promulgans, quæ calorem ſpiritus ſecum ferret, & ad vitam reuocaret defunctum. Hocque facer Euangeliſta indicare voluit, dum eum exhibet aperto ore loquentem: *Aperiens*, inquit, *os ſuum, docebat eos.* Cum volumus frigidam ore ſpirare auram, os ipſum contrahimus, ſicut è diuerſo, cùm volumus anhelitum calidũ effundere ad aliquid calefaciendum, os ex integro aperimus. Aperuit ergo os ſuum, qui legem Euangelicam, Spiritus ſancti calore ardentem effunderet, per quam mundum inflammaret, hominemque ad vitam reſtitueret, quã ſub vnico præcepto dilectionis concluſit. Virgam itaque abſtulit grauem, & terrentem, & menſuram auream aruindeam induxit, leuem quidem, & ſplendidam, lætificantem corda.

Act. 15. 10. Hebr. 7. 19. Eſai. 35. 4. ad Phi. 2. 7 ad Rom. 8. 10.

§. 6. *Antiqua lex, quæ propter ſui grauitatem aptè militia dicitur, completur per Chriſtum, conſolatoriam legem Euangelicam inducentem.*

¶ 85.

HVnc fœlicem ſtatum promittere volens Deus per Eſaiam, præcepit illi, vt clamaret, & diceret; *Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam, quoniam completa eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.* Et quidem apertam hanc eſſe de Chriſto promiſſionem, omnes Sancti Patres docent, ſignanter Iuſtinus martyr, Tryphonem Iudæum, qui id negabat, apertè reuincens. Omnia verba expende, Conſolamini, loquimini ad cor, aduocate. Verbum *Conſolamini*, in Vulgata paſſiuum eſt: idemque valet, ac conſolationem accipe populo meus, quomodo Hieronymus interpretatur. Caterùm vim poteſt habere verbi actiui, præſertim iuxta Septuaginta, qui ita legunt: *Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit Deus: Sacerdotes loquimini ad cor, &c.* Quam lectionem agnoſcunt Ambroſius *a*, & Baſilius *b*. Loqui autem ad cor, inquit Diuus Gregorius Nazianzenus *c*, eſt magno affectu loqui, ita vt verba audientium animis ſcribantur. Secundùm tamen Scripturæ phraſim hebream idem eſt, quod blanditijs lenire mœſtitiam. Ita illud *d* de filio Hemor ad Dinam: *Triſtemque deliniuit, blanditijs*, in hebræo eſt, *locutus eſt ad cor eius*: & quod de Ioſeph dicitur *e*, *Conſolatus eſt fratres ſuos, & blandè, ac leniter locutus eſt*; in Hebræo; locutus eſt

Eſai. 40. 1. Dialog. cũ Tryphone. In hunc locum. a In Pſ. 118 ſerm. 10. b Lib. 2. de ieiunio in princip. c In Apologeti. d Gen. 34. 3 e Gen. 50.

a *Osea 2.* est ad cor fratrum suorum *a*, & apud
b *2. Reg. 19 & 2. Par. 30.* Oseam, *ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius*. Et alibi sæpè *b*, *Aduocate eam*, voce læta, & clara,
Osea 2. de quib. Forer. in c. 40. Esaiæ. quasi rem summæ consolationis, & gaudij annunciaturi. Et quænam dicere debemus, quæ tantam afferant consolationem, quibus omnem eius mœstitiam possimus lenire? *Quoniam completa est*, inquit, *malitia eius, dimissa est iniquitas illius*. In Hebræo, habet nomen *Csebach*, quod plusquam centies, vt annotat Arias Montanus exercitum, & militiam Vulgatus vertit, idemque est vocabulum omnino, quod
Iob 7. apud Iob, *militia est vita hominis super terram*: Et, *cunctis diebus, quibus nunc milito*. Vnde quamuis Vulgatus hoc in loco transferat malitiam, dicens: *Completa est malitia eius*, hoc nomine militiam voluit exprimere, propter varias rationes, quas prosequi non vacat. Militiæ ergo nomine Beatus Iustinus martyr
c *Dialo. cũ Tryphone.* *c*, & Tertullianus
d *Li. 4. cõt. Marcio.* *d*, legem veterem intelligunt. Et quidem familiare satis est Scripturæ sacræ, ordinem illum, quem seruabant sacerdotes, & leuitæ, & populus in tabernaculo, aut templo, militiam
e *Nu. 4. 3.* vocare. Ita iuxta Hebræos *e*: *Omnis qui ingreditur militiam, vt faciat ministerium in tabernaculo*: & apud Danie-
f *Dan. 8. 13* lem iuxta Hebræos *f*: *Et sanctuarium, & militia erunt in conculcationem*. Id autem multis de causis, vna est, quia in militia ita seruanda sunt, quæ cuique imponuntur, vt miles in magno periculo habeat vitam cõstitutã, si aliquo modo deficiat; eo enim ipso, quod ministerio suo deest, vita priuatur, nullusque status est, in quo tam citò pœna comitetur culpam, sicut status militiæ. Multa sanè erant, quæ in templo, & tabernaculo erant statuta, circa oblationes, & sacrificia, & orationes, tam in ordine ad sacerdotes, quam leuitas, quam reliquos de populo, quos ita oportebat perficere,
Leu. 10. 9. vt si deficerent, statim pœna mortis mulctarentur. Non, inquit, bibant vinum, cum ministraturi sunt, ne moriantur, & operiant turpitudinem suam, cum ascendunt altare, ne moriantur, &c. Et verè status antiquæ legis meritò militia vocatur: duo enim sunt, quæ excellenter in statu militiæ inueniuntur; primum est, quod inter omnes status est laboriosior, perpetuò homo graui armorum pondere grauatur, & vitam in supremo discrimine agit, curis, timoribus, anxietatibus plenus: & idem est esse in militia, quod in summo vitæ periculo versari: vnde, & Debbora ad eos, qui se milites constituerant: *Quicunque*, inquit, *Iud. 5. 1.*
de Israel animas vestras obtulistis ad periculum; & Dauid cum militem ageret, de seipso dicebat: *Anima mea in manibus meis semper*. Idcirco Sanctus Iob, vt exprimeret, quam grauibus laboribus, & periculis vita humana plena sit, nulla aptiori metaphora explicauit, quam dicens: *Militia est vita hominis super terram*. Secundum est, prompta obedientia præceptis ducis, & Centurionis. Vnde pro communi prouerbio ad promptam obedientiam exprimendam inducimus, obediẽciam militarem: hæc enim tanta est, vt si vel ad momentum deficiat, statim morte inobediens plectatur. Talem ergo se militum suorum obedientiam Centurio declarauit, dicens: *Habeo sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & seruo meo: Fac hoc, & facit*. Vnde, & Angeli meritò in Scriptura milites Dei vocantur, ad eorum promptam obedientiam exprimendam, quã Dauid dixit: *Omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*: id est, in eodem instanti, quo audiunt vocem eius. Status veteris legis propterea militia meritò vocatur, quia erat laboribus plenus: onere legis premebantur Iudæi, & sollicitudine magna tenebantur, ne citò interficerentur, terrore, & timore propter minas legis affligebantur, & tam promptam obedientiam eos tenere erat necessarium, quod lapidabatur statim, qui vel leuiter sabbathum violabat, & indicebatur ingressus in tabernaculum ei, qui vel minima corporali inquinatione polluebatur, & qui mortuum tangebat, ab alijs separare se tenebatur, quousque emundaretur. Meritò ergo antiqua lex militia vocatur, & hanc credo

Iob 7. 1.

Matt. 8. 9.

Ps. 102. 20.

fuisse

fuisse causam, vt innuit Diuus Thomas, quod cum illa dabatur, clamor buccinæ vehementer perstrepebat. Clangor namque tubæ ac buccinæ, proprius est ijs, qui militiam aggrediuntur, & militarem statum sequuntur. Ita apud Esaiam: *Cum eleuatum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis.* Completa fuit militia hæc per Christum, qui non venit soluere legem, sed complere, & perficere, & ita completa, vt in illo finem acceperit, per quem etiam dimissa est iniquitas hominis. Et verè videtur alludere Propheta ad illa duo, quæ in baculo Elisei annotabamus; ille in primis premebat, & grauabat suo pondere, ac terrebat; deinde vitam restituere non valebat: nunc per Christum grauitas legis ablata est, completa est enim militia illius, & restituta vita, quia dimissa est iniquitas eius, & culpa per quam homo mortuus iacebat. Et sane ad hoc quod dicit Propheta, *completa est militia eius*, visus est Christus ipse expressè alludere voluisse, quando se iam in publicum dedit, & initium suæ prædicationi fecit, dicens: *Impletum est tempus, & appropinquauit Regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.* Quodnam tempus impletum est? certè tempus militiæ, quæ agebatur in veteri tabernaculo, finitum, & consummatum est ministerium Leuiticum. Ita annotat Theophylactus verbum, quod Vulgatus transtulit *pœnitemini*, in Græco haberi, quod non tam significat pœnitentiam agere, quam reuocari: quasi dicat; Reuocamini à lege, & eius grauitate, & asperitate, ad Euangelicam gratiam, & illius suauitatem suscipite. Idipsum adhuc idem Propheta ibidem prosequutus fuit, subdens verba, à quibus præcursor Ioannes suæ prædicationis initium erat sumpturus: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prauа indirecta, & asperа in vias planas, & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est.* Difficilis est via, & laboriosa agenti iter (inquit beatus Cyrillus) quæ montibus, & vallibus est referta; nam nunc assurgendum est ad montes altissimos, nunc ad profundas valles descendendum: difficilis est itidem, & laboriosa via tortuosa, & circuitionibus plena, & lapidibus, ac spinis aspera. Quam bene ageretur cum viatore, si talis via ita disponeretur, quod montes excelsi deprimerentur, & valles profundæ exaltarentur, quo via tota remaneret æqualis, & plana: si tortuosi itidem circuitus omninò auferrentur, & efficeretur recta, & tollerentur sentes, & lapides, & eorum loco spargerentur flores pulcherrimi. Hoc Christus effecit. Et ita locum hunc intellexit Tertullianus *a*, & Theophylactus *b*, erat quippe difficillima via antiquæ legis, erat enim ex vna altitudo, & sublimitas præceptorum, quæ in tantam multitudinem erant aucta, vt montem altissimum efficere viderentur, ad quem non poterant sine magno labore ascendere: erat ex alia profunditas humanæ imbecillitatis, & defectus virium, quas lex non subministrabat; oportebatque vt is, qui in imo erat secundum vires, in altum montem mandatorum conscenderet. Erat præterea via illa tortuosa, quia non directè in cœlum ordinabat, sed in temporalia bona, & terrena, & non directè, & clarè Christum ostendebat, & eius mysteria, sed per circuitus sacrificiorum, & holocaustorum; eratque plena spinis comminationum, quibus pungebantur, & angebantur, qui illam perambulabant. Venit Christus, & illum montem, quē altissimum conficiebat multitudo præceptorum, submisit. cum omnia præcepta iudicialia, & cæremonialia soluit, & moralia, ac naturalia reliquit, & perfecit, & quasi complanauit, modo à Diuo Thoma explicato. Vallem verò humanæ infirmitatis, gratiæ suæ fauore adimpleuit: *Ex eius enim plenitudine omnes accepimus*, & virtutem subministrauit ad ea præcepta complenda, quæ statuebat, tortuosos circuitus amputauit, qui viam directè ad cœlum tendentem constituit, quique propterea Regnum cœlorum hominibus manifestè exposuit, & spinas, ac sentes minarum antiquarum abstulit, quarum loco flores odoriferos sparsit, pro-

In c. 12. ad Hebr. lec. 4 *Exod. 19.* *Esai. 18. 3.* *Marc. 1. 15* *Forer. in c. 40. Esai.* ¶87. *Esai. 40.* *In cap. 40. Esaiæ.*

a *Li. 4. & 5. cõt. Marci.*
b *In cap. 3. Luc.*

1. 2. q. 107. art. 2. *Ioan. 1. 16.*

promiſſiones ſcilicet æternæ beatitudinis, & gloriæ. Hæc egregiè proſequitur Chryſoſtomus *a*, & etiam Euthymius *b*. Vide ergo quomodo verè dicere poteſt, iugum ſuum eſſe ſuaue, & onus leue. Hęc namque omnia nobis euenerunt propter Chriſtum. Vnde ſubdit Propheta: *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit.* Particula *Et*, nõ tam coniunctionis, quam cauſalitatis vim habet, vt familiare eſt in Scriptura ſacra, vt velit dicere: Hæc erunt, quia reuelabitur gloria Domini, id eſt, Dei filius, qui, vt annotauit Bernardus, dicitur gloria Patris.

a *Hom. 10. in Matth.*
b *In cap. 3. Luca.*
Ser. 1. in vigil. Natiu.

§. 7. *Chriſtus pax noſtra legem grauem mandatorum, decretis Euangelicis ſuauiſſimis euacuat.*

¶ 88.

OMnia hæc mirè proſequutus eſt Paulus, ex profeſſo hoc myſteriũ ad Epheſios expendens. *Ipſe*, inquit, *eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans.* Vide quo nomine Chriſtum vocet, congruum iſs de quibus agebat: Pax noſtra. Eſt, inquit Diuus Thomas, emphatica loquutio, ad maiorem rei expreſſionem. Dicitur Chriſtus pax noſtra, id eſt, cauſa pacis noſtræ: hic enim modus loquendi fieri conſueuit, quando totum, quod eſt in effectu, dependet à cauſa, ſicut cum dicimus de Deo, quod ipſe eſt ſalus noſtra, quia quicquid ſalutis eſt in nobis, cauſatur à Deo. Quia ergo quicquid pacis eſt in nobis cauſatur à Chriſto, dicitur pax noſtra. Ita Diuus Thomas. Et alludere viſus eſt Apoſtolus ad locum Eſaiæ ſupra citatum. Nota eſt ſiquidem propoſitio Beati Auguſtini, quam ex profeſſo probat, & explicat Diuus Thomas, quod militia, & bellum geritur, vt pax acquiratur: nullumque bellum, aut militia poteſt eſſe iuſta, niſi habeat pacem pro fine, nam omnis diſciplina militaris ordinatur ad victoriam, cuius finis eſt pax. Lex vetus, quædam militia fuit, ordinata à Deo, quam hoc nomine Prophetæ vocant, Tota igitur illa ordinabatur ad pacem. Quanam pax: *Ipſe eſt pax noſtra*, hocque eſt quod dixit ipſemet Apoſtolus: *finis legis Chriſtus*, ſicut finis militiæ, pax. Meritò propterea Angeli illo naſcente hymnum canentes dixerunt: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nomine pacis, non incongruè Chriſtum ipſum accipi poſſe exiſtimo, qui quoniam datus eſt ex mera, libera, & ſpontanea Dei voluntate, nullis noſtris meritis obligata, dicitur Pax bonæ voluntatis, vt omnes Sancti Patres Græci intelligunt, Gregorius Nyſſenus *a*, Theopylactus *b*, Euthymius *b*, & alij, vt idem ſit, In terra pax hominibus bonæ voluntatis, ac illud quod explicauerat Paulus ad eoſdem Epheſios; *vt notum nobis faceret ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius.* Quia ergo adeſt pax, iam militia terminatur, finitur bellum, ideoque gloria in altiſſimis Deo. Ipſe eſt pax noſtra, *qui fecit vtraque vnum.* Hic eſt pacis effectus, pacificare, & adunare. Duplex populus erat antiquitus, & vnus longè diſtans ab altero, imò iuges, & immortales inimicitias inter ſe gerebant. Vnus erat populus Iudæorum colentium Deum verum, alter erat Gentilium colentium idola: ex vtroque populo fecit vnum populum, vnam Eccleſiam, vt iam omnes vnum ſimus in Chriſto, & iam non ſit diſtinctio Iudæi, & Græci. Hoc autem fecit, *medium parietem maceriæ ſoluens.* Conſidera, inquit Diuus Thomas, campum, multoſque ibi homines congregatos, in cuius medio eleuaretur paries in circuitu, quoſdam eorum includens, alios foris, in eadem campi planicie relinquens; duo populi viderentur in illo campo eſſe, vnus eorum, qui incluſi parietibus tenentur, alter eorum, qui foris remanſerunt. Si tunc aliquis accederet, & remoueret parietem, diuidentem illos, coniungeret illorum hominum congregationem in turbam vnam, & efficeretur populus vnus. Sic intelligendum eſt, quod *Ager eſt mundus*, qui

Ad Epheſ. 2. 14.
In ca. 2. ad Ephe. lect. 5
2. 2. qu 40. art. 1. ad 3.
a *Orat. de Natiu. Do.*
b *In cap. 2. Luc.*
Epheſ. 1. 9.
In hunc locum.
Matt. 13. 38.

pienus

plenus eſt hominibus, quibus dictum
Gen.1.28. eſt; *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* In illo agro eleuatus eſt quidam paries medius, quaſi in circuitu quoſdam includens, alios extra relinquens. Hic paries eſt lex vetus, ſecundum carnales, corporaleſque obſeruantias, qua Iudæi, quaſi concluſi tenebantur. *Sub lege,* inquit Paulus, *tenebamur incluſi.* Extra hunc parietem manſerunt Gentiles, quos antiqua lex non obligabat, nec ad illos fuit data. Et bene Apoſtolus parietem maceriæ vocauit, inquit Diuus Thomas, & non muri: tunc enim eſt paries maceriæ, quando lapides in eo conglutinantur calce, vel cæmento, nec erigitur, vt duret in perpetuum, ſed vſque ad tempus
In hunc locum. præfinitum. Maceria, inquit Beatus Anſelmus, quaſi macra ſeries dicitur: eſt enim congeries lapidum, vbi nulla cæmenti colligatio eſt, quæ leui pulſu ruinam patitur. Talis erat lex vetus; nam non conglutinabatur charitate, quæ eſt quaſi cæmentum conglutinans ſingulos ſibi inuicem, & omnes ſimul Chriſto. *Soliciti,* inquit Paulus,
ad Ephe.4. *ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis.* Vetus illa lex, homine, per pœnas, & comminationes ad obſeruantiam mandatorum inducebat; qui enim tunc ea ex charitate ſeruabant, non ad vetus illud, ſed ad nouum teſtamentum iam pertinere dicebantur, ſecundum Auguſtinum. Deinde lex illa data non fuit, vt perpetuò duraret, ſed vſque ad tempus præfinitum, vt Apoſtolus latè proſequitur ad Galatas ſcri-
ad Gal.4. bens. Hic ergo paries, omnem hominum turbam in agro mundi exiſtentem, in duos populos diuidebat: in populum videlicet Iudæorum, qui intra parietem continebatur, & populum Gentilem, qui extra liber manebat. Venit Chriſtus, & hunc parietem abſtulit, ac ſoluit: in illa enim lege erant præcepta moralia, iudicialia, & cæremonialia: moralia præcepta, quæ erant de iure naturæ, non ſoluit, ſed adimpleuit, ſuperaddendo conſilia, & exponendo ea, quæ Scribæ, & Phariſæi malè intelligebant: & hæc Iudæis, & gentibus de nouo promulgauit. Cæremonialia verò, & iudicialia ſoluit, quantum ad eorum ſubſtantiam, adimplens ea quantum ad id, quod figurabant. Omnem itaque veterem legem ſoluit, ſecundum obſeruantiam carnalem, quam Iudæorum populus tenebat. Soluens hunc parietem, ſoluit etiam *inimicitias*, illas, inquiunt Sanctus Anſelmus, & Diuus *Ibidem.* Thomas, quæ erant inter Iudæos, & Gentiles, inter quos magnæ oriebantur contentiones, ex eo quod illi maximè faciendam legem dicerent, iſti eam non curandam contenderent: quæ omnes ſoluta macerie, etiam ſolutæ ſunt. Chryſoſtomus intelligit inimici- *In Epiſt. ad*
tias, quæ erant inter Iudæos, & Deũ, *Ephe.ho 5.*
ratione violatæ legis: & credit, ipſummet parietem maceriæ, vocari ab Apoſtolo inimicitias, vt velit dicere: ſoluens parietem maceriæ, id eſt inimicitias, quaſi alludens ad illud, quod Iſaac, puteum illum, quem irrigandis agris effoderat, vocauit *Inimi-* *Gen.26.*
citias, quia occaſio fuit rixæ, & inimicitiarum inter habitatores terræ. Taliſque fuit lex, inquit Chryſoſtomus Maceries erat illa, munitionis gratia facta, vnde, & ſepes nominata eſt, vt circumſepiret. Audi Prophetam di- *Eſai.5.2.*
centem: *Et ſepem illi circumdedit*: & *Pſal.79.13*
iterum: *Detraxiſti ſepem eius, & vindemiant eam omnes prætereuntes viam, &c.* Legem Deus ad auxiliandum dedit, ſed illa minus ſeruata, inimicitias inter illos, & Deum induxit. Quemadmodum ergo dicit Apoſtolus quod *Rom.4.15.*
lex iram operatur, quoniam ex tranſgreſſione ira Dei prouocabatur, & ſimiliter ab eodem vocatur mors, & quod *Rom.7.*
operatur mortem, occaſionaliter, quia ex eo quod non ſeruabatur, incurrebatur mors; Ita vocat eam inimicitias. Et verè poſſumus inimicitias omnes intelligere, quia Chriſtus ſoluens legem, ſoluit inimicitias inter Iudæos, & gentes, & inter homines, & Deum, quæ legis illius occaſione oriebantur. Soluit autem *in carne ſua*, immolata, inquit Diuus Thomas, in quo ſacrificio impleta ſunt omnia, quæ ad legem veterē pertinebant. Vnde, & tunc *velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum*. Aut *in carne ſua*, inquit Am- *Mat.27.51*
broſius, id eſt, aſſumens carnem, per *¶ 90.*
quam

quam mundum ingrediens, legem Euangelicã prædicauit. Et id fecit, quod *legem mandatorum, decretis euacuauit*, Vide quam egregiè differentiam legis & Euangelij Apostolus exprimat: illam vocat legem mandatorum: non (inquit D. Thomas) quod aliæ leges mandatis careant, sed propter magnum numerum mandatorum legalium, in tantum quod ab omnibus seruari non possent, iuxta illud: *Onus, quod neque nos neque Act. 15, 10. Patres nostri portare potuimus*. Secundum, quia erat lex merè mandatorum, quæ non dabat gratiam nec virtutem ad illa adimplenda; quomodo baptismus Ioannis dicitur baptismus aquæ, quia nihil efficiebat, nisi quod aqua facit, mundare scilicet corpus exterius. Et verè res est laboriosissima, multa mandata imponi alicui seruo, si per illa non detur virtus, aut facultas ad ea opere complenda. Euangelicam autem legẽ vocat Apostolus *decreta*: multam enim, inquit Chrysostomus, hic inter *Hom. 5. in ep. ad Eph.* mandatum, & decretæ differentiam ponit: quam, & Anselmus explicat, dicens: mandata vocari, quæ nõ sunt stabilia; quæ enim mandantur, solent reuocari: decretum autem dici, quod adeo ratum est, vt illud permutari fas non sit. Dicit enim decretum, id quod ratione discurrente, & discernente omnia, magna cum consideratione statuitur. Dedit quidem Deus antiqua mandata quæ mutanda erant adueniente decreto Euangelicæ legis, quam in perpetuum duraturam promulgauit Christus Legem ergo mandatorum decretis Euangelicæ legis euacuauit: eo modo (inquit D. Thomas) quo perfectum aduenies, euacuat quod imperfectum est: aduenie nte luce clara, euacuatur vmbra. Aut vero loquitur Apostolus, metaphora sumpta à vase terreo, vino pleno, quod dum vinũ extrahitur, manet vacuum. Illa antiqua præcepta legis, eiusque cęremoniæ, vasa erant continentia intra se tanquam in figura, vinum mysteriorum Christi, lætificans corda: ad hocque Deus illa fabricatus fuit. Cum venit Christus, vinum illud, quod intra vasa latebat, extractum est: vnde iam remanent vasa vacua, & sine fructu. Sine fructu enim erit lagena, si iam vacua in perpetuum relinquitur, nunquam vlterius adimplenda. Ex quibus Apostolus processit ad Galatas scribens, contra quosdam pseudo apostolos, ad probandam legem antiquã post Christi aduentum, nullius esse valoris aut momenti; & nihil esse aliud illius cæremonias seruare, quam tenere lagenas vacuas, à quibus totum extractum est vinum. Teneant Iudæi cæremonias legales, præcepta legis Moysaicæ extollant, iam nihil habent nisi lagenas vacuas: legem enim mandatorum Christus euacuauit, decretis Euangelicis, & soluta multitudine mãdatorum grauissimorum, decreta Euangelica suauissima suppossuit. Et verè idimpletum est, inquit D. Thom. quod sub figura fructuum dictum fuit: *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijcietis.* Vocat vetustissima, circuncisionis præceptum datum Abrahę, multo ante legem: itemque legis veteris mandata, ac cæremonias carnales. Et certe hoc satis commune est in fructibus arborũ, pomis vel racemis, quod superueniẽtibus nouis, veteres putrescunt, aut vacui omni sapore remanent, vt nihil valeant, ideoque proijciuntur. Ex ijs statim procedit Apostolus, explicans beneficium, quod accepimus, & nobis gratulatur dicens: *Iam ergo non estis hospites, & aduenæ sed estis ciues sãctorum, & domestici Dei.* Non simpliciter dicit (inquit Chrysostomus) ciues Iudæorum, sed sanctorum, quasi dicat: Iam pertinetis ad sanctam ciuitatẽ Ierusalem, quã Christus ędificauit, quamque sub mensura aurea arũdinea construxit, idest Euangelica lege pretiosissima quidem, & leuissima.

In ca. 2. ad Ephe. lec. 5.

Leu. 26. 10.

Hom. 6. in ep. ad. Eph.

§. 8. *Apte Apostolus, suauitatem Euangelij, & obligationem ad eius obseruantiam, ex comparatione ad legem veterem demonstrat.*

¶ 91. EOdem modo idem Apostolus alibi loquitur, mirifice suauitatem legis Euangelicæ ex comparatione ad legem veterem demonstrans: *Non,* inquit, *accessistis ad tractabilem, & accensibilem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum: non enim portabant, quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus.* Singula verba expende, egregiè enim, quam grauis fuerit antiqua lex demonstrant. Ad montem Sinai Deus descendit, illam daturus, terroris, & tremoris horrendis signis circundatus. Erat in primis ignis ardentissimus toto monte dispersus, *tractabilis, & accensibilis,* id est, non secundum imaginationem, sed verè palpabilis, & sensibilis, densissimus tanquam clibanus, quo Deus ostendebat (inquit Diuus Thomas) ardentem zelum, quo sumpturus esset vltionem de transgressoribus illius legis: quod, & Moyses explicasse visus est, dum hortans populum ad legis obseruationem dixit: *Dominus Deus tuus, ignis consumens est, Deus æmulator.* Se ergo exhibebat ardentem zelo, quo non parceret, sicut nec sponsus inultum dimittit infidelis sponsæ crimen. Vulgata correctior legit, *Ad tractabilem montem, & accensibilem ignem.* Adfuit Angelorum multitudo, vt expendit Diuus Chrysostomus, non qui consolarentur, aut homines in bono animo, pacificoque firmarent, sed potius ingentes terroris, & tremoris causas efficientes. *Turbinem.* Turbo, inquit sanctus Isidorus, est volubilitas ventorum, aut potius, vt ait Seneca, est plurium ventorum colluctatio, qua venti inter se pugnantes, circumagunt, & omnia in circuitum trahunt; ideo radicitus euellit arbores; commouet lapides, & conturbat omnia. Talis erat ille, quem vidit Elias *grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras:* ille etiam ventus vehemens, quem diabolus excitauit, qui domum Iob, quæ firmissima erat, diruit: tantique terroris est, vt quando Deus voluit terrere Niniuitas per Prophetam Nahum, dixit, se venturum contra eos, *Dominus,* inquit *in tempestate, & in turbidine viæ eius, & nebula pulueris cedum eius.* Cum enim turbo excitatur, puluere obscurissimo omnia replentur. Totus ergo mons Sinai commouebatur, lapides conterebantur, & subuertebantur, virgulta radicitus euellebantur. Quamuis autem totus mons arderet, non tamen ignis erat illuminans, sed potius *caliginem* inducens tenebrosissimam, quia ignis erat densissimus, vehementem fumum emittens, hocque ibidem dicitur: *Totus mons Sinai fumabat, ascendebatque fumus de eo tanquam de fornace.* Hæcque caligo obscura terrorem augebat, tum quia timor est effectus tenebrarum, tum præcipue, quia audire voces horribiles, & neminem videre, formidinem grãdem inducit. Erat itaque ignis ille, sicut quem ad Ægyptios tenendos Deus miserat, de quo dicit Sapiens: *Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus, & timore perculsi illius, qua non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur.* Turbini, & caligini addebatur *procella,* quæ propriè significat tempestatem, cum horrendis tonitruis, & fulminibus, quam ibi interuenisse ipse etiam textus expressit. *Cœperunt,* inquit, *audire tonitrua, & micare fulgura,* &c. Lapidesque grandinis cadebant, non minus quam cum processit *a*, Deus contra illos quinque Amorrhæorum Reges, & *b*, contra Philisthæos, & antiquitus contra Ægyptios *c*, Insuper buccina formidoloso sonitu clangebat, & personabat, quasi crudele bellum instaret; & sonitus hic reddebatur terribilior ex eo, quod *d. paulatim crescebat, & in maius, & prolixius tendebatur.* Hæc quidè præcessérũt dationem legis.

Ad Heb. 12. 18. *Exod. 19. 2* *Exod. 19.* *In cap. 12. ad Hebr. lib. 4.* *Deu. 4. 24.* *Homi. 3. in ep. ad Heb.* *Li 25. orig. Apud Belnacens. in spec. maio. li. 4. cap. 39* *3. Reg. 19. 11.* *Iob. 1. 19.* *Naum. 1. 4* *Exo. 19. 18.* *Sap. 17. 6.* ¶ 92. *Exo. 19. 16* a *Ios. 10. 11* b *2. Reg. 15 de quo Ps. 17. 14.* c *Exo 9. 24* d *Exod. 19 16.*

legis. Poſt talem vigiliam, quale putas feſtum futurum erat? his tanti terroris ſignis comitantibus legem cœpit dare Deus, quam Paulus vocat, *vocem verborum*, propter multitudinem præceptorum, vt D. Thom. explicat: ita enim Deus præcepta multiplicabat, ac ſi tantummodo ſimplicia verba proferret. Et ſi illa fuiſſent leuia, res eſſet tolerabilis; ſed tam grauia, & oneroſo pondere importabilia erant, vt neſcias, quid magis mireris, multitudinem, aut grauitatem; ferè nihil enim eſt, circa quod non legem Deus daret: cum homo ſtat, cum ſedet, cum cubat, cum ſurgit, cum comedit, cum eſt in domo, cum eſt in via, cum puer, cum adolecens, cum vir, cum ſenex, &c. & ſub grauiſſimis pœnis illa ſtatuebat. Duo igitur ibi interuenerunt: primò ſummus timor, ſecundò ſumma grauitas, & onus importabile: ſummus quidem timor, imò terror, & horror, nam, & omnia interuenire voluit Deus, quæ in Scriptura ipſe ſolet proponere, cum maiorem timorem incutere vult, turbinem, caliginem, procellam, clangorem buccinæ. Ita cum ſupremum horrorem voluit excitare in populum, dixit per Sophoniã, quod imminebat *dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris*, & apud Ieremiam: *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens*: & alibi ſæpè. Summum autem, & importabile onus, patet ex multitudine pariter, & grauitate præceptorum; quo factum eſt, inquit Apoſtolus, quod *qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum: non enim portabant, quod dicebatur*. Etenim vt in textu dicitur, videntes hæc tam terrifica, *perterriti, & pauore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi; Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Adhuc non audierant Dei vocem, ferentem legem, & iam tunc non poterant portare eam, quaſi dicat, videntes tot, tamque horrenda ſigna, crediderunt verè, ſe non poſſe habere vires, nec ſubiectum, vt portarent legem, quam talia ſigna præcedebant. Quid egiſſent, ſi eam iam audiſſent? Ante eam datam, iam iudicabant importabilem futuram. Nec mirum quod ipſi conterriti paruerent; nam & *Moyſes dixit. Exterritus ſum, & tremefactus*. Chryſoſtomus credit tunc id accidiſſe, quãuis in Exodo non ſcribatur. Conſueuerunt namque ſcriptores ſacri, cum aliquis eorum refert hiſtoriam præteriti temporis, addere aliquando aliqua, quæ non erant ſcripta in illo loco, vbi Scriptura talia narrauerat. Sapiens in libro Sapientiæ, referens, quæ contigerunt in eductione populi de Ægypto, multa narrat, & exprimit, quæ in Exodo dicta non fuerant, vt illud quod *ignis ardebat in aqua*, & quod miſit *ante faciem populi ſui venenatorum dentes, qui eos non offenderunt*, & alia, de quibus alibi. Item, & Oſeas referens luctam Iacob cum Angelo, ſubdidit illud, *fleuit & rogauit eum*, quod in Geneſi, cum illa enarratur, non exprimitur. Imò, & Beatus Stephanus multas hiſtorias retulit cum Iudæis diſputans, nonnulla recenſens, quæ non habentur eo in loco, quo illæ ſcriptæ fuerunt, hæc, aut per communem traditionem nouerunt illi ſancti, aut per peculiarem Dei reuelationem. Et verè hoc quod de Moyſe dicit Apoſtolus, cenſeo factum fuiſſe, quando Moyſes adhuc ſtabat cum ſenioribus, *ad radices montis*. Tunc enim omnia illa horroris ſigna facta ſunt, & *vocauit Deus Moyſen in cacumen montis*; & tunc credo iſta verba dixiſſe; *Exterritus, & tremefactus ſum*: Exterritus (inquit D. Thom.) interius, & tremefactus ſum exterius. Animo itaque, & corpore tremebat. Certè cum primum Deus Moyſi in igne flammæ rubi apparuit, timuit quidem Moyſes, & *abſcondit faciem ſuam, nec audebat reſpicere contra Dominum*: non tamen tantus fuit eius timor, vt illum coram Domino apertè profiteretur, ſed cum Deus illi præciperet, ire ad Pharaonem, timorem magnum, quem à facie illius cõceperat, expoſuit, recuſans ſe coram illo comparere. At nunc, quantumuis cum Deo iam tantam familiaritatem contraxiſſet, & cum eo tanquam cũ amico loqueretur, videns nihilominus hæc ſigna, *exterritus fuit, & tremebundus*: idque liberè coram

Ibidem. *Soph. 1. 16* *Ier. 30. 23.* *Exo. 20. 18* ¶ 93. *Sap. 19. 19* *Sap. 12. 9. 10.* *Oſea 12. 4.* *Exod. 19. 18.* *Ibidem.* *Exod. 3. 6.*

Deo profeſſus eſt. Nec enim vſquam Deus, cõtra infenſiores hoſtes pugnaturus, eos tremore corripere volens, horribiliora ſigna viſus eſt edidiſſe. Et ſi Moyſes ille timuit, inquit Anſelmus, quid putandum eſt de cæteris? Moyſes exterritus eſt, quoniam tanta erat aſperitas, vt etiam perfecti terrerentur. Vide igitur qualis lex, qualis ſtatus veterum. Deo gratiæ infinitæ referantur, quia nobis non tam grauis ſtatus contigit: non acceſſimus ad illum montem: *ſed acceſſiſtis*, inquit, Apoſtolus, *ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum, & perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quam Abel.* Loquitur Apoſtolus de Eccleſia Catholica fundata per Chriſtum, quam quinque epithetis mirifice deſcribit: *Montem Sion*, & *Ciuitatem Dei viuentis*, & *Ieruſalem cœleſtem*, & *Frequentiam Angelorum*, & *Eccleſiam primitiuorum*, ideſt primogenitorum, quæ infra latius exponemus. Acceſſiſtis ergo ad ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem: *Iam enim eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei*, quos propterea Deus ſingulari honore, & fauore proſequitur. Et quidem antiquitus erant millia Angelorum, inquit Chryſoſtomus, circa montem, qui terrorem incuterent, & tremorem, vt dictum eſt: nunc autem eſt in Eccleſia Angelorum frequentia, id eſt, conuentus, nobiſcum communicans, qui quæ ad noſtram conſolationem conducunt procurat. Viſus eſt Paulus memoria retinuiſſe, id quod eius diſcipulus Lucas ſcripſit, quod nato Chriſto, *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus.* Quam Lucas vocat, multitudinem militiæ cœleſtis, vocat Paulus, Angelorum frequentiam. Erant Angeli milites Dei, qui homines terre bant, vel ſolum ſe eorum oculis præſentes dando, vt patet apud Manue patrem Sampſonis, & Tobiã, & apparebant, tanquã milites habẽtes gladios in manibus, vt videre apud Ezechielem licet: ſed nato Chriſto hi milites canunt gloriam, & pacem. Quãdo milites reiecto enſe, accipiunt cytharas, & lyras, & muſica inſtrumenta, & cantibus lætitiæ vacant, ſignum eſt, finitum fuiſſe tempus belli, & omnia in ſumma pace eſſe compoſita. Hoc ergo illi cœleſtes milites ſignificabãt. Et quoniam eorum Rex, filius Dei, in terris cum homiuibus manſit, quibus promiſſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationẽ ſeculi*, ipſi etiam nobiſcum permanent, & habitant in Eccleſia, quam in pace cuſtodiunt. Bene ergo dicit Apoſtolus: Acceſſiſtis ad ciuitatem Dei, Eccleſiam ſanctam, in qua eſt Angelorũ frequentia. *Et ad Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.* Vide in qua ſis Eccleſia, illa, cuius primi ciues fuerunt, patres illi conſcripti, quorum nomina ſcripta erant in cœlis: Apoſtoli ſcilicet, & diſcipuli Chriſti, illi excellentes viri. Nec tantum ad hos acceſſiſtis, Angelos ſcilicet, & Apoſtolos, ac diſcipulos, ſed ad totam ſanctiſſimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritũ ſanctum, quibus familiares facti eſtis: hocque eſt, quod ſubdit: Acceſſiſtis *ad iudicem omnium Deum*, id eſt æternum Patrem, quem vocat iudicem omniũ, vt annotat D. Thomas quia ab illo eſt omnis authoritas iudicandi, quam dedit filio quantum ad corporalem præſentiam, quia ſola perſona filij corporaliter in iudicio apparebit. Patri ergo facti ſumus familiares, *& habemus iam acceſſum ad Deũ*, vt ipſemet Paulus dixit: Similiter Spiritui ſancto, quem vocat *ſpiritum iuſtorum perfectorum*. Ita legit D. Thomas, annotans hanc lectionem eſſe meliorem: & hoc nomine vocat Spiritum ſanctum: quia eius munus eſt iuſtificare, & iuſtos facere perfectos in iuſtitia. Inſuper, & filio propinqui facti ſumus; acceſſimus enim *ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum*, qui ſe dedit nobis fratrem, patrem, amicum, doctorem, redemptorem, & ſe naſcens dedit ſociũ, conuerſcens in eduliũ, &c. Is fuit mediator no-

Ibidem.

Ezech. 9. 1

Hom. 3. in ep. ad Hebr.

Luca. 2. 13

¶ 94.

Exod. 13. 22. 14. 19. 23.

Rom. 5. 2.

ui

tis testamenti, id est, nouum testamentum condens, excluso veteri, & antiquo, quod sui sanguinis aspersione confirmauit. Quoniam autem Iesus
a *Esai. 9. 6.* est *a Princeps pacis*, & *b ipse est pax nostra*, condidit testamentum pacis, di-
ad Ephes. 2. 14. cens: *c Hoc est præceptum meum, vt di-*
c Ioan. 15. *ligatis inuicem*. Tota lex noua, totum nouum testamẽtum in hoc verbo concluditur. Dixerat Esaias, Messiam conditurum breuissimum testamen-
Esai. 10. 23. tum, *Abbreuiationem faciet Dominus super terram*. Hoc est, verbum abbreuiatum, quod suo sanguine firmauit, dicens: *Hic est sanguis noui testamenti.* Et quidem quoniam hoc testamentum est testamentum pacis, sanguis eius melius loquitur, quàm sanguis Abel. Ille enim vindictam petebat, hic effusus est *in remissionem peccatorum*: ideoque remissionem exposcit: & vindictam prohibet. Quale testamentum? *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*. Totum nouum testamentum in perfecta dilectione concluditur: dilectio autem perfecta est, quæ non tantùm ad amicos, sed ad inimicos extenditur. Hanc Christus statuit, hanc clamat. Vide si eius iugum suaue
¶ 91. est, & onus leue. Meritò subdit propterea Apostolus: *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus.* Quæ verba duobus modis exponi possunt: primo vt sermo, & comparatio inter Moysen, & Christum. Populo namque illi non loquutus fuit Deus, qui timore ingenti correptus, dixit ad Moy-
Exo. 20. 19 sen: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Moyses fuit, qui loquutus fuit, legem promulgans: illeque est *qui super terram loquebatur*. Nobis autẽ ipsemet Christus loquutus est, qui de cœlis venit: vt idem sit hoc, ac illud, quod dixit
Ioan. 1. 17. Ioannes: *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: & clarius Ioannes Baptista excellentiam Christi expendens, super omnes alios, Prædicauerat Ioannes, & eius discipuli nimio zelo commoti, quod viderent Christum prædicãtem,

accesserunt ad eum dicentes: *Rabbi, cui tu testimonium perhibuisti, &c. omnes veniunt ad eum, &c.* Respõdit Ioannes: *Illum oportet crescere, me autem minui, qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est.* Ac si dicat: Oportet fateri quod verum est, me illo omnibus modis inferiorẽ, qui non solum me, sed, & omnes alios excedit: omnes enim alij, Moyses, Dauid, Esaias, &c. erant de terra, & ex se non habebant potestatem, neque virtutem, nisi loquendi de terra: hic autem de cœlo venit, & cœlestia potest loqui, quæ vidit. Hoc ipsum voluisse Paulum dicere, Chrysostomus intelligit: quod enim dicit (inquit Chrysost.) tale est: Si illi qui re
Hõ. 32. in epist. ad Hebr. cusauerunt legislatorem in terra constitutum, nõ valuerunt effugere, quomodo valebimus recusare eũ, qui nobis de cœlo legis peccata constituit? Si non valuerunt Iudæi effugere, quin minus tenerentur onus illud grauissimum portare, quod Moyses illis imposuit; quomodo poterimus nos recusare vnicum præceptũ dilectionis suauissimũ, quod Dei filius nobis imposuit? Secundò potest exponi, vt dicamus, quod Deus cum antiquam legem tulit, dicatur loquutus super terram, quia in tota illa lege non nisi terrenorum bonorum, & corruptibilium mentio fit: at Christus loquutus est nobis de cœlis, ideſt, proponens Regna cœlestia, & æterna, ac incommutabilia bona, quæ statim Apostolus ibidem vocat, *Regnum immobile*: vt velit dicere: Iudæi quando Deus, promisit bona terrena, non effugerunt, recusantes eũ, ideſt, non refugerunt, neq; recusauerunt legem ab eo traditam, imò potius lætissimè quando illa lecta fuit, dixerũt: *Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus facientes, & erimus obedientes.* *Exo. 24. 6.*
Multo igitur magis nos debemus auscultare eum, qui cœlestia bona nobis proponit, ad quæ consequenda non innumeram præceptorum multitudinem promulgat, sed dilectionis præceptum, quod, & ad inimicos extendatur, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos*. Hunc sensum aliqua ex

parte Beatus Thomas, & S. Anselmus tradunt. *Ibidem.*

§. 9. *Præceptum hoc probatur facile, & suaue, ex natura legislatoris, ex qua leges dæmonis ostenduntur grauissimæ, & difficiles.*

¶ 96. *Hom. 29. ad populũ.*

ALium modũ tradit Sãctus Chrysostomus, quo huius præcepti difficultas ita temperetur, vt facilè videatur. Dicis: Rem difficilem præcipit Christus, difficillimumque est me hoc agere, quod præcipit. Respondet Chrysostomus: Fateor, difficile est, sed vtile: non enim venit Christus imperare, quæ nobis essent faciliora, & suauiora, sed quæ vtilia, qui dixit per Prophetam: *Ego Dominus docens te vtilia.* *Esa. 48. 17.* Nec enim qui facilia præcipit (inquit Chrysostomus) tunc nostri curam gerit, sed qui vtilia. Est Christus medicus, qui venit mederi contritis corde: certè medicus accedens ad curandum infirmum, non quæ illi sunt suauia, & facilia præcipit, sed quæ vtilia? commune est enim, nihil damnosius esse infirmo, quàm quod illi est suaue, & delectabile, sicut potus aquæ frigidæ, ei qui ardenti febre vtitur: & nihil vtilius, quam quod illi est difficile, & asperum, vt potio amara, sanguinis missio, & sæpè abscissio cruris, aut brachij. Patres itidem (inquit Chrysostomus) qui vt par est filios diligunt, non quæ sunt delectabilia iniungunt, sed quæ aspera illis videtur: hæc enim sunt vtilia, illa verò noxia. Minus propterea visus est curare filios suos Heli sacerdos, non interdicens validè, & forticer, quæ illis erant suauia, & placida: *Et qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* *1. Reg. 2. Prouerb. 13. 24.* Difficile ergo est hoc, quod Christus præcipit; sed vtile, vt Deus tibi peccata dimittat, vt Regnũ Dei acquiras, vt filius Dei efficiaris, & propter alia multa, quæ infra exponemus. Addit insuper Chrysostomus, eloquentissimo sermone probans, non concedendum hoc præceptũ esse difficile, si illud rectè expendatur; & quæ ille dicit à nobis explicanda sunt. Visus est Beatus Ioannes, suo more totus ex ore Christi pendens, illum aperientem os, & loquentem auscultare, præcipientem, & dicentem. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*: qui hoc audito, se ad nos ipsos conuertit, quos, vt ad eius obseruantiam inducat, subdit: *Mandata eius grauia non sunt.* *1. Ioan 5. 3.* Leges dicuntur filiæ legislatorum, quas generant ex se ipsis, & vt dicam, ex sua natura, conditione, & moribus: vnde qualis fuerit natura legislatoris, talis est natura legis ipsius. Est lex sententia quædam, quæ oritur ex pectore præcipis: quale fuerit pectus, talis erit lex. In liquatorio vase, ex herbis, quæ sunt in illius fundo, ascendunt vapores ad eius superius operorium, aut caput, vbi concrescunt, & condensantur, & in aquam conuersi, per canalem vasis fluunt, taliſque est aqua fluens, quales herbę, quæ in fundo residebant; si illæ sunt dulces, & suauè olentes, aqua etiam talis est: si autem sint amaræ, & fœtidæ, aqua fœtorem, & amaritudinem secum trahit. Ita in legislatore, ex ijs quæ ille in fundo pectoris gerit, ascendunt eiusdem qualitatis cogitationes ad caput, ibique in sententiam quandam resoluuntur, & concrescunt, quam iam legem factam, & diffinitã per os emittit. Idcirco talis est lex illa, qualia quæ ipse in pectore gerebat. Est idem legislator similis fonti, aquam in Rempublicam inducens. In cauerna namque terræ aer humectatur, & humiditate condensatur, & in aquam conuertitur, quę per venas terrę profluit, & per os alicuius leonis in plateam ciuitatis effunditur: certè quales fuerint qualitates cauernæ, vbi conficitur, & colliquatur aqua, & quales qualitates canalium, aut ilicũ, per quos fluit, tales cõtrahit aqua qualitates. Si cõducti, & venæ sulphurei sũt, aqua feruens profluit; si salsi, vel amari aqua salsa egreditur. Si saccarei, aut mellei essẽt, aqua esset dulcissima. Est cor legislatoris quasi cauerna, aut spelũca, vbi cõflatur ¶ 97. fluit per eius animũ, & mentẽ, tanquã

per

per canales, per illius os magna authoritate, & maieſtate, quaſi per os leonis in platea profunditur. Qualia igitur interiora illius fuerint, tales ſunt leges, quæ ab eo procedunt. Et certè iam Chriſtus Dominus illam protulit ſententiam, quod *ex abundantia cordis os loquitur: & bonus homo de bono theſauro profert bona, malus autem de malo mala*: etiam Sapiens prædixerat, quod *ſicut ruſtificatio de ligno oſtendit fructum illius, ita verbum excogitatum hominis cor eius* quaſi dicat: Arbor quam terra producit, ſimilis eſt ei, quod in corde terræ ruſticus concluſerat; ita verbum excogitatum, quod procedit ab ore hominis, ſimile eſt ei, quod in corde concluſum eſt, à quo procedit. Et verè lex nihil eſt aliud, quam conceptus, aut verbum excogitatum in corde Principis. Hoc ergo verbum ſimile eſt cordi, quia talis eſt lex principis, quale fuerit eius cor. Quid Pharao corde tenebat? crudelitatem, duritiam, & ingratitudinem; *qui non nouerat Ioſeph.* id eſt, non æſtimabat, nec reputabat beneficia, quæ antiquitus Ioſeph illi Regno contulerat: lex propterea ab illo procedens, ſimilis eſſe debebat cordi ipſius crudelis, dura, & ingratitudinis plena, quæ præcepit, vt filij Iſraelitarum, eorum, qui totis viribus ſibi inſeruiebant, in flumen proijcerentur. Nabuchodonoſor cor plenum ſuperbia tenebat, tam ingenti, vt, & imaginem ſuam auream, tanquam Deum exponeret adorandam omnibus populis: ex ijs vapores ſuperbiæ caput eius repleuerunt, quibus iudicabat, abſque mora ſibi eſſe ob temperandum in omnibus: vnde legem protulit, & ſententiam, vt qui non obedirent, etiam in re impoſſibili, qualis erat proponere, & explicare ſibi ſomnium, quod ipſemet habuerat, traderetur morti, quam propterea Daniel *crudelem ſententiam* vocauit. Crudelis ſanè ſententia, & lex à crudeli, ſuperboque Rege. Saul ſimiliter, quia ipſe fortis erat, & robuſtus, omnibus eminens ab humero & ſurſum, qui inediam multo tempore ferre poterat, ex ſe ipſo omnes alios dijudicans, legem tulit grauiſſimam, vt nemo vel minimum cibum guſtaret ante finitum bellum, cuius occaſione multa inconuenientia ſuboriri potuerunt, vt eius filius Ionathas declarauit. Hæc ſupponere viſus eſt Chryſoſtomus, vt procedat ad demonſtrandum, leges Dei eſſe ſuauiſſimas, & faciles, & leges diaboli eſſe duras, aſperas, & innumeris difficultatibus implicatas. Duo ſiquidem ſunt Reges inter ſe contrarij, ſub quorum dominio omnes homines viuunt, Deus, & diabolus. Quilibet horum ſuis ſubditis leges imponit. Statim hoc audito, abſque eo quod profundius rem inueſtigemus, apertè quiuis inferet, leges Dei eſſe ſuaues, & faciles, & diaboli difficiles, & aſperas. Oritur enim lex ex corde, mente, & animo legislatoris, talis, qualia ſunt illa, quæ in eis continet. Quid diabolus in corde tenet? Quid intra viſcera ſua concludit, niſi malitiam, pœnam, dolorem, inquietudinem, mendacia, dolos; Tales ergo eſſe eius leges neceſſe eſt. Quid autem Deus intra ſe continet, niſi miſericordiam, ſuauitatem, gloriam, & omne bonum? *O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus.* Interceptam ſententiam reliquit Sapiens, quia nullam rem inuenit, cui ſuauitatem ſpiritus Dei poſſet comparare, ſicuti Dauid quando dixit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Tales ergo leges ab illo procedentes, ſi rectè eas expendas, inuenies. *Guttur illius ſuauiſſimum*, dixit Sponſa, deſignare volens ilices, & canales, per quos eius leges decurrunt, & ſe effundunt. In Hebræo, *Guttur illius ſuauitates*. Si aqua, quæ per ſaccareos canales fluit, dulcis eſt, quia ex canalibus dulcibus dulcedinem contrahit, quid de præceptis, quæ per guttur illud ſuauiſſimum eructat ille, qui eſt dulcis, imò, & ipſa dulcedo; Multa ſunt, inquit Chryſoſtomus, quæ non poſſunt obligare, vt Dei leges ſeruemus, diaboli autem cõtemnamus. Primò, quod ille Deus eſt, iſte diabolus; ille qui naturam noſtram creauit perfectam, innumeris gratiæ donis plenam, quique omnia bona, quæ habet, contulit; iſte

Matt. 12. 14 35.

Eccl. 27.7.

Exod. 1.8.

Dan. 2. 15.

1. *Reg.* 14. 24.

¶ 98.

Sap. 12.1.

Pſ. 30.20.

qui noſtram naturam perdidit, & bonis omnibus ſpoliauit, & omnia mala quæ patimur intulit. Secundò, quòd ille promittit præmium, hic pœnam: Deus enim, ſi eius leges ſeruaueris, promittit vitam æternam, gaudium æternum: diabolus verò promittit obedientibus ſibi æternam pœnam, & ignem inextinguibilem. Quæ duo ſi conſiderare vellemus, inquit Chryſoſtomus, ſufficerent. Si enim eſſet Rex nobiliſſimus ex vna parte, qui Rempublicam extruxit, & ditauit; & ex alia latro quidam ſupremus, omnium latronum Princeps, qui illam deſtruxit, & bonis ſpoliauit; & ambo peterent ſuis legibus obtemperari: illeque obtemperantibus ſibi promitteret Regnum ſuum, & omnes diuitias ſuas; ille verò acerba vulnera, & acria verbera, & flagella: quiſnam eſſet qui non toto corde, contempto latronum Principe obſequeretur pijſſimo, & beneficentiſſimo Regi? Nunc, inquit Chryſoſtomus, idem fit: Deus enim eſt Rex pijſſimus, qui nos creauit, ditauit, &c. latronum verò Princeps, qui nos, parenteſque noſtros bonis cœleſtibus ſpoliauit, innumeris affecit incommodis, & infinitis plenus eſt malis, & noſtram confudit gloriam, & ſalutem, diabolus eſt. Ille promittit Regnum ſeruantibus leges ſuas, hic gehennam. Dignum eſt lacrymis, inquit Chryſoſtomus, videre quod agimus: Regnum enim Deus pollicetur, & contemnitur; gehennam miniſtrat diabolus, & honoratur. Quamuis autem hæc à nobis non conſiderarentur, etſi nihil horum foret (inquit Chryſoſtomus) nec hic quidem Deus, ille verò diabolus; nec hic quidem Regnum, ille verò gehennam præberet, ipſa mandatorum natura facile perſuadere poteſt, cui adhærere debeamus. Quid enim Deus mandat? Ea quæ faciunt gloriosos: diabolus quæ confundunt: hic quæ nos innumeris inuoluunt ærumnis, & ignominijs, ille multam quietem habentia. Videte quod non temerè dixi, quod etſi non eſſet diabolus, & Deus, ipſa per ſe præcepta poterant nos monere. Vide quid præcipiat Deus, etiam quando rem duriſſimam præcepiſſe viſus eſt, mandans Abrahæ, vt illi filium ſuum vnigenitum, quem diligebat ſacrificaret: hoc mandatum crudele in ſuperficie videbatur, ſed plenum erat ſuauitate, & miſericordia, quippe quod oriebatur ex viſceribus miſericordiæ plenis: *Deus enim, qui dives eſt in miſericordia*, ipſamet ſua bonitate inſtigabatur, vt miſericordiam ſummam hominibus conferret, promittendo, & dando filium ſuum, qui mundum redimeret. Ex his miſericordiæ, & bonitatis viſceribus in mentem eius aſcendit (vt more noſtro loquamur) quid faceret, vt occaſionem haberet promittendi, & dandi illum hominibus. *Ego* inquit, *cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Nõ intendebat Deus Abraham affligere, ſed ſummam pacem eidem, ac humano generi conferre: idcirco namque decreuit mandare Abrahæ, vt filium ſuum ſibi ſacrificaret, vt ipſe quaſi cogeretur Pro tali obſequio, tunc filium ſuum eidem promittere, in quo omnes gentes benedicerentur. Vnde ſic præcepit, vt præceptum non pertingeret ad ſanguinis effuſionem, & interneciõnem Iſaac, quæ crudelitatem præ ſe ferret, ſed ad illud punctum perueniretur, in quo iam voluntas Abrahæ, quam Deus pro facto reputabat, omnibus fieret manifeſta. Nec enim à miſericordibus viſceribus, poterat niſi miſericordiæ mandatum prodire. Diabolus verò malitia, & crudelitate plenus, quæ crudeliſſima ſunt præcepit, & mandauit cultoribus ſuis, vt ſcil. ſibi non vnum aut alterum, ſed quam plurimos filios offerent; non quidem, vt inde aliquod bonum parentibus pararet, ſed vt eos in hac vita crudeliter torqueret, quos propterea acrius in futura cruciaret. Præcepit filios ſibi immolari, non ſemel, ſed ſæpè, non ab vno, ſed à pluribus illis, de quibus Dauid: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem, quem ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam.* Nihil aliud ille intendebat, niſi vt effunderetur ſanguinem innocentem. Et præterea talia ſacrificia exequi mandabat, modo crudeliori, qualis erat ille, quo iubebat filios includi in idolo æneo, vbi admoto

Geneſ 22.

ad Epheſ. 2.4.

Ierem. 9.11.

¶ 99.

Pſal. 105. 37.38.

a remoto igne viui incluſi cremarentur. Et huiuſmodi petere perpetuò ſolitus eſt, & mandare obſequentibus ſibi, adeò vt adhuc in regionibus Gentilium, vbi ille colitur, huiuſmodi præ-
¶ 100. cepta crudelitatis plena proponat, & mandet. Ita noſtris ferè temporibus faciebat apud Indos, antequam Euangelica lux, & ſuauitas affulgeret. In ſola enim ciuitate Mexicana, quolibet anno pluſquam viginti mille puerorum, & puellarum, ipſi id præcipienti offerebantur, vt alibi dictum eſt. Quid crudelius? Sed quodnam aliud mandatum procedere poterat ab eo, qui immanitatis viſceribus affectus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret? Et vt res clarior fiat, quæro à te: Si Deus tibi præciperet quæ diabolus præcipit, nonne diceres, illum tibi res difficillimas imperare? Si iuberet, quod aliena bona ſuffurareris, & quod alterius vxorem ad malum ſolicitares, & quod proximis mala omnia inferre procurares, nonne diceres, res eſſe iſtas laborioſiſſimas, & quod te ad maximas anguſtias reduceret? Quis enim poteſt aliena furari ſine periculo honoris, & ſalutis? Quis alienam vxorem corrumpere ſine diſcrimine vitæ, & ducendo noctes inſomnes, & conſumendo totam ſubſtantiam? Quis poteſt malum alteri procurare ſine periculo, quod ſimilia ſit recepturus? Hæc clamares difficilia, & grauia, & importabilia iudicares. Hæc, & ijs ſimilia ſunt, quæ diabolus præcipit, quæ ſine labore non potes proſequi. Hæc illius mandata immenſi ponderis, & oneri. Non hæc præcipit Deus, ſed quod quietam agas vitam, nemini malum inferas: nec prouoces aliũ, qui tibi malum rependat; nullius vxorem ſolicites, quo pericula, & labores, & ſumptus, qui in huiuſmodi occupationibus interue-
Lib. Sent. Gant. 4. 11 nire ſolent, fugias, B. Bernardus explicans illud Canticorum, *Mel, & lac ſub lingua tua*, egregiè differentiam ponit inter linguam dæmonis, & linguam Chriſti. Lingua enim Chriſti in ſuperficie dura apparet, ſed ſub illa
Eccl. 12. 11 mel, & lac continetur: *Verba ſiquidem ſapientum, ſicut ſtimuli, & claui*, quæ pungere videtur, corrigunt (inquit D. Hieronymus) delinquentes, pungunt pigros, non palpant, & præcipiunt, quæ carnis deſiderijs ſunt contraria: ſed ibi mel, & lac abſcondita tenentur. Quibus nihil ſuauius inuenitur, quia ea Chriſtus ſtatuit, quæ ſi ſeruentur, quietem, & dulcedinem inducunt. E contrario diaboli lingua: *Molliti*, inquit, *ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*. Pulchrè, inquit, molliti, non molles, quia in eis non tam ſolida; & vera, quam ſuperducta, & fimulata eſt ſuauitas: exterius enim blandi videntur, ſed verè ſunt iacula, quæ præcordia transfigunt. Denique, inquit Bernard *ſub lingua eius labor, & dolor*. Præcepta ergo Chriſti ſuauia ſunt, diaboli verò grauia, & ponderoſa.

In cap. 12. Eccl.

Pſal. 54. 22.

Pſal. 9. 7.

§. 10. *Iugum imponit Chriſtus tam ſuaue, & leue, vt vim reſpirandi, & volandi conferat.*

¶ 101. IVre optimò clamauit Chriſtus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & oneratieſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Singula verba ponderatione digna ſunt. Theophylactus diſtinguit, inter laborare, & oneratum eſſe: nam laborare pertinet ad actionem (laborat namque ille, qui aliquid durum, aut aſperum agit) oneratum eſſe pertinet ad paſſionem, quæ ex actione conſequitur. Vnde laborare, refert ad Iudæos actionibus legis occupatos: qua de cauſa, vt exponit D. Thom. *a* lex illa dicitur à Paulo *b lex factorũ*, quia tota poſita erat in præciendo, quæ facere deberent Iudæi; & qui eam obſeruabant, in hoc toti erant poſiti, quod faciebant, & laborabant: nec ita laborat agricola toto die terrã ligone proſcindens, quantum laborabant illius legis obſeruatores. Oneratos verò eſſe, refert ad gẽtiles, peccatorũ põdere grauatos. Sed verè hæc verba ſimplici loquutione ſignificãt affligi, defatigari. Laborãtes ergo, & oneratos vocat ad ſe, i.e. defatigatos, affli-

Matth. 11. 30.

In cap. 11. Matth.

a *In cap. 2. Epiſt. ad Eph. lect. 5.*

b *Rom. 3.* 27.

ctos, dolore vel labore confectos. Et ad quid vocat? *Et ego*, inquit *reficiam vos*. In Græco, non ponitur verbum, quod significet refectionem per cibũ, quasi vellet dicere, ego cibabo vos: sed quod significat, requiem præstare, & recreare, estque in Hebræo verbum, à quo deriuatur illud nomẽ *Menohhah* quod in Scriptura sacra significat quietem, aut requiem, vt *Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel*. Et *super aquam refectionis*; alij *super aquam requiei, aut quietis*. Sumpta ergo metaphora à columba, quæ egressa ex arca, non habuit vbi requiesceret pes eius, ad arcam confugit vt requiesceret: ita vocat Christus omnes à se alienatos, qui laboribus sunt confecti, vt ad se veniant, & requiescant. Et meritò, ipse est enim de quo dixit Propheta: *Qui dat lasso virtutem, & ijs qui non sunt* (alij, *& cui non sunt vires*) *fortitudinem, & robur multiplicat*. Duo præstat, fortitudinem, & robur: fortitudinem laborantibus, & robur oneratis. *Tollite iugum meum super vos*. Euangelicam legem intelligit, vt Sancti Patres annotarunt. Sed quia poterat aliquis obijcere: Quomodo vocas eos qui onerati sunt, vt ab onere liberes, & requiescere facias, si intendis iugum tuum illis superponere? Si oneratum iugum superaddas, maiori onere grauabitur. Respondit subdens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Communis sensus est: Exemplo meo addiscite humiles esse, vt ait Chrysostomus, aut vt Augustinus, Discite à me, non miracula facere, non omnia visibilia, & inuisibilia creare, sed quod mitis sum, & humilis corde. Idem tamen Chrysostomus alium sensum indicat. Vult Christus demonstrare, quod dixit, sed requiem tribuere oneratis, & laborantibus, venientibus ad se; hocque facit imponendo eis iugum suum. O quam suaue iugũ, quod impositum oneratis, & labore confectis, labores soluit, & onera tollit: non mirum, inquit, *discite* enim *à me*, id est, ex ijs, quæ in me sunt, discite de rebus meis iudicare. Iugum, & leges diaboli graues sunt, & quæ magno pondere premunt, quippe quæ oriũtur à visceribus plenis amaritudine, crudelitate, & superbia; at ego *mitis sum, & humilis corde*, interiora mea sunt benigna, suauissima, humilitatis excellentia leuissima; ex isto fonte suauitatis, & quietis id oritur, quod vobis tribuet quietem, & refrigerium: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*, id est, lex quæ à corde, & visceribus suauitate diuina plenis oritur, talem secum trahit suauitatem, & leuamen, vt non solum illa sit suauis, & leuis, sed, & potens oneratis, & laboribus pressis requiẽ tribuere. Non requiem tribuit Christus eis, qui graui iugo diaboli, vel mundi, vel antiquę legis tenebãtur, ex eo præcisè, quod ab eis iugum graue, & onus ponderosum, quo premebantur, & cui subdebantur, auferat, illos absque iugo reliquens: quomodo solemus alleuiare oneratos, & eos, qui graui pondere premuntur, sed imponendo eis iugum suum, id est, Euangelicam legẽ, & mandata: hoc enim iugum est, quod requiẽ, & refocillationem tribuit. Vnde subdit: *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*, id est, est iugum meum suauitatem, & requiem tribuens, & onus meum non solum non grauat, sed alleuiat grauatos, & oneratos. *Suaue*, inquit, *est*. Quidam intelligunt dulce, delectabile palato mentis, quale iudicatur ab ijs, qui palato sunt sano, qualis erat qui dicebat: *Iudicia Domini vera iustificata &c. dulciora super mel & fauũ*, &, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: quam vis qui gustu infecto, & febricitanti sunt, nõ hanc dulcedinem sentiant. *Et onus meum leue*, id est, alleuians. Visus est Christus alludere voluisse ad illud, quod Dauid in illo Psalmo, quo legis Euangelicæ prædicandæ per Apostolos, quos cœlos vocat, excellentias decantãdas assumpsit. *Lex Domini immaculata*, integra, perfecta, longè differens ab antiqua, quæ *neminem ad perfectum adduxit*, completa, & complementũ præstans, & perficiẽs omnia, quæ incompleta, & imperfecta in antiqua lege existebant: *Conuertens animas*. In Hebræo verbũ *Heshib*, quod significat reducere, aut reuocare id quod deuiũ erat: quia lex Euangelica Iudæos

à lege

מנוחה

Brix. to. 1. 388.
3. Reg. 8. 6.
Psal. 13. 2.
Esa. 40. 29.
Homil. 39. in Matth.
Ser. 10. de ver. Dom. ¶ 102.
In imperf.
Ps. 18. 11.
Psal. 118. 103.
Psal. 18. 8.
Heb. 7. 19.
השיב

à lege veteri, gentiles à lege dæmonũ, quos colebant, reuocat ad Euãgelicam
Brix.to.1. fol.184. ad fin. vitam. Cæterum verbũ *Heſib* alia duo ſignificat, facere ſufflare, & facere volare, vt poſſis reddere. Faciens ſufflare, aut reſpirare animas; & Faciens volare animas. Faciens ſufflare. Nihil magis hominem affligit, quam non poſſe reſpirare, & exſufflare, vt cor refrigeriũ accipiat. Qui fatigiſſima occupatione tenetur, dicere ſolet; Tanto labore teneor, vt non concedatur mihi reſpirare.
¶ 103. *Thren.5.5.* Tales ſunt qui legibus dæmonis ſeruandis intendunt. *Nulla laſſis dabatur requies*, quos captiuos ferebat Rex Babylonis, nec reſpirandi locum cõcedebat impius Pharao Iſraelitis, quos operibus duris luti, & lateris grauabat. Non eſt locus ſeruis diaboli, vt aliquantulum quieſcant, & ſomnum ſine anxietate ſumant: pleni ſunt curis, timoribus, quos nunc cupiditas ſtimulat, nunc ſuperbia inflat, nunc auaritia cõprimit. Lex autem Domini facit reſpirare, vt videre eſt in ijs, qui tali legi
Pſ.118.131 Act.12.6. ſubduntur. Quàm quietè orant, *aperiunt os, & attrahunt ſpiritum?* Quam quiete dormiunt, etiam ſi educendi ſint ad mortem, ſicut *Petrus inter milites*? Hanc metaphoram vſus eſt Chriſtus Dominus tenere, dicens: *Inuenietis requiem*, refrigerium, *animabus veſtris*, metaphora ſumpta ab eo, qui per reſpi
Ier.6.16. rationem, aerem refrigerantem cor accipit: eo modo quo dixerat Ieremias: *ſtate ſuper vias, & videte quæ ſit via bona & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Lex diaboli nõ
Ezech.20. 25. eſt via bona: lex item antiqua dicitur à Deo, quod continebat *præcepta non bona*, modo alibi expoſito. Lex Euangelica eſt, quæ ore pleno dicitur bona: ambulate in ea, & inuenietis refrigerium, & requiem animabus veſtris; nam exſufflare, aut reſpirare facit animas. Vnde quidam transferunt, *Lex Domini immaculata, quietans animas*, vt Fœlix. Alio modo transferri poteſt: *faciens vo*
Gen.15.11 *lare animas*: nam id etiam ſignificat verbum, *Heſib*, vt in Geneſi: *aues abigebat Abram*, in Hebræo verbum *Heſib*, Faciebat eas volare. Verè enim lex Chriſti alleuiat, ita quod facit volare a-
In Pſ.59. in illud e. nimas. Ita viſus eſt intellexiſſe Auguſtinus: Alia, inquit ſarcina premit, &

aggrauat te, Chriſti autem ſarcina ſubleuat te, iuxta illud: *iugum meum ſuaue eſt, & ſarcina mea leuis*: alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet, nam aui etſi pennas detrahas, quaſi onus tollis, & quo magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit: quàm exonerare voluiſti, iacet, nõ volat, quia tuliſti onus: redeat onus, & volat. Talis eſt Chriſti ſarcina, portent illam homines, non ſint pigri, non attendantur illi, qui eam ferre nolunt, ferant, eã qui volunt, & inuenient, quàm leuis ſit, quàm ſuauis, quàm iucunda, quam rapiens in cœlum, & à terra eripiens, &c. Si quis inueniret aquilam ſine plumis, corporis põdere depreſſam, nequeuntem vel leuiter ſe mouere, ſi ei plumas imponeret, quamuis videretur eam amplius onerare, & premere, ſed verius eam alleuiaret: nam onus ꝙ imponit, eſt leue, & ita alleuians, vt per illud poſſit volare, & requieſcere. Eadem ratione dicere poſſemus de rotis, quæ videntur graues: ſi tamen ſuperaddantur currui, non ſolum nõ reddunt grauiorem, ſed alleuiant, vt vel digito tota illius machina poſſit moueri. Benè autem ſubditur: *& inuenietis requiem animabus veſtris*, quia ſola animę requies, vera eſt requies, & obſequentibus Chriſtum non requies corporis datur, ſed animæ, & ſpiritus; Si ergo ¶ 104.
Chriſtus eos qui põdere ſeruitutis diabolicæ grauantur, diabolique præceptis obſequuntur, volens illorum põdus alleuiare, & eos reficere, vocat, & hortatur, vt iugum ſuum ferant, quo requieſcant, & ſuauiter viuant, euidenter infertur, præcepta Chriſti, aut iugum ſuæ Euangelicæ legis eſſe facilia, ſuauia, & leuiſſima; quod enim graue eſt, non poteſt alleuiare id quod ponderoſum eſt. Et verè id experientia ipſa cõprobat; quanta namque laſſitudine tenetur mundanus, ſequens, quam vocat Paulus, *legem membrorum*, carnis ſuæ, *ad Rom.7.* & leges propriæ concupiſcentiæ, qua *23.* diabolus imponit? Quot noctes ducit inſomnes, qui obedit diabolo præcipiẽti, vt alienam vxorem ſolicitet? Quot diſpendia patitur facultatum? quot occaſionibus exponitur contentionum? quot periculis grauiſſimis patet? ſimiliter qui auaritiæ ſubijcitur, eiuſque legibus,

xultabo & diuidam Sichimam.

legibus, quòt vexatur curis? quibus ardet desiderijs? quot defatigatur itineribus? quibus angitur timoribus? omnes tandem diabolo obsequentes, proteſtati ſunt: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis.* Si autem tu, qui tam onerosam vitam ducis, diabolo ſeruiens, te ipſum reuocas ad Chriſti præcepta ſeruanda, qua requie perfrueris? quieſcis in domo tua, quiete agens cũ vxore, filijs, & ſeruis, dormis ſecurè, non ſentis conſcientiæ pungentes voces, nec pungeris ſtimulis, nõ periculis te committis. Suauia igitur ſunt Dei præcepta, & facilia; quæ difficilia, aſpera, & dura ſunt, præcepta ſunt, & leges ſunt diaboli: lex enim Domini cuiuſque iugum, animabus quietem, refrigerium, & alas præſtat, quibus poſſint volare. Hinc reſpondere poſſumus iis quæ obijci poſſunt Chriſto dicenti: *Qui vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam*: potius dicendum videbatur, expellat crucem: cùm enim aliquem inducimus ad nos velociter currentes ſequendum potius hortamur, vt expellat pondus, quàm quod illud ſuper ſe ponat, & ſecum tollat. Hortatis Domine, vt te ſequamur, qui tanquam gigas curris, velocius quàm ille Aſael, de quo dicitur, quod *curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, qua morantur in ſiluis*: melius ergo videbatur, quod nos ad expellendum pondus crucis hortareris, quàm ad illud tollendum, & ferendum, vt expeditius te poſſemus ſequi. Vnde, & Apoſtolus tuus, vt te currentem ſequamur, iubet *deponere omne pondus*. Quodnam autem pondus grauius quàm crucis? Cæterùm aptè nobis conſulit: is enim qui velociter debet currere, vt velocem curſorẽ ſequatur, debet illud pondus expellere, quod grauat, & deprimit, non quod alleuiat, & refrigerium præſtat. Currus enim, qui paratur ad velociter currendum, & ſequendum eum qui præcedit, oportet quod onus illud deponat, quo premitur, & grauatur non tamen illud quod adiuuat, vt leuius velociuſque currat, quales ſunt rotæ. Pondus quod gravat animam, iugum diaboli eſt, & peccatum, vt Beatus Hieronymus *a*, demonſtrat, & Diuus Chryſoſtomus *b* oſtendit. Hoc ita grauabat Dauid, vt clamaret: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Eſt hoc iugum, inquit Chryſoſtomus talentum illud plumbeum, ſuperpoſitum amphoræ, de quo Zacharias, quod quamuis in principio non videbatur eã grauaſſe, tamen tanto pondere poſtea eam fixit in campo Sennaar, vt non poſſet inde amplius amoueri. *Grauabit eam iniquitas ſua*, dixit Propheta. Hoc pondus deponẽdum eſt abijs, qui ad veram quietem, & vitã peruenire, & currere deſiderant. Quod egregi Paulus dixit: *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorẽ Ieſum.* Cùm dixit, *Pondus & circumſtans peccatum* coniunctio, *Et*, potius vim habet explicantis, quàm coniungentis, vt dicere velit: Deponentes omne pondus, id eſt, circumſtans nos peccatum: quoduis enim peccatum mortale omnis ponderis grauitatem in ſe continet. Qui poſt Chriſtum currere debet, hoc pondus deponat, aſſumat autem illud onus quod alleuiat, refrigerat, & volare facit animas, iugum ſcilicet Chriſti, eius Euangelium, & crucem. Hæc enim, etſi grauet corpus, tamen volare facit animas, & ſumma quiete perfrui. Ad hoc inſtitutum Beatus Ambroſius expendit illud Eſaiæ; *Qui ſperant in Domino, aſſument pennas, vt aquila, currẽt & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*: docetq; e, hæc verba quadrare cum illis Chriſti, vocantis eos, qui laborant, & onerati ſunt, vt eos reficiat, quibus iugum imponit, quod alas tam leues tribuit, per quas currentes non laborant, & ambulantes non deficiunt, &c. Meritò propterea Deus hanc tanquam grauiſſimam pœnam rebellibus peccatoribus imponit, quod eos relinquit ſeruire dæmoni, qui quaſi iugo ferreo illis impoſito eos conterat:

Ita antiquitus dixit: eo quod non ſeruieris Domino Deo tuo in gaudio cordiſque lætitiæ, ſeruies inimico tuo in fame, & ſiti, & nuditate & ponet iugum ferreum ſuper ceruicẽ tuã, donec te conterat.

Sap. 5. 7. *de pœn. Pſal. 37. 5.* *Zach. 5. 7.* *Eſa. 24. 20.* *ad Hebr. 12. 1.* *Matth. 16. 24.* *2. Reg. 2. 18* *ad Heb. 12. 1.* *3. Offic. ad fin.* *Eſa. 40. 31.* *Deut. 28. 47.*

a *In cap. 1. Ioan.*
b *Hom. 1.*

§. 11. *Lex de parcendo inimico facilior, & ſuauior eſt lege duelli; per hanc homo parturit iniuſtitiam, per illam ſpiritũ ſalutarem.*

¶ 106. *Hom. 39. & 30. ad populum.*

QVod Chryſoſtomus in communi, & abſolutè probauit, præcepta Chriſti eſſe ſuauia, & facilia, præcepta autem diaboli grauia, & vehementiſſima prementia, peculiariter de hoc præcepto dilectionis inimicorum demonſtrat, oſtendens eſſe ſuauiſſimum, & facillimum, ſi cum præcepto contrario diaboli conferatur. Supponamus enim ex hac parte Chriſtum ſedentem in monte, & præcipientem ſuis, vt ſuos diligant inimicos, & offenſas remittant, & vindictam deponant; ex illa autem dæmonem, regem ſuper filios ſuperbiæ, contendentem ſedere ſuper latere Aquilonis, & præcipientem ſuis, vt vnuſquiſque ſuos odio habeat inimicos, & vindictam de offenſis ſibi irrogatis ſumat. Quodnam horum præceptum facilius eſt? Certè etiamſi non acuto ſis ingenio, ipſa experientia oſtendente iudicare teneri, præceptum dæmonis eſſe ſummis difficultatibus implicatum, à quibus omnibus liber eſt, qui præceptum CHRISTI exequitur. Qui enim vindicari vult, noctes ducit inſomnes, à laboribus ſibi congruis, & conuenientibus ceſſat in die, cogitationibus abſumitur, timoribus angitur, curis affligitur, facultates ſuas prodigit, amicos conuocare oportet, quibus maneat obligatus, periculis magnis ſe exponit, corporis vitam conſumit, & animam mortuam quaſi in loculo defert. Qui autem ſeruat, quod Chriſtus præcipit, his omnibus liber manet, quietus dormit, ſua curat, periculis ſe liberat, corpus ſeruat, animam ſaluat. Hoc ipſum confirmat Chryſoſtom. expendens inquietudinem, quam ſecum fert iracundus, & vindictæ appetitor. Quis, inquit, tortor ita laniare latera poteſt, ſicut ira, & furor iracundum? Quæ ignita tela ita corpus perforarẽt? Quis furor ex naturalibus ita ſenſibus dere facit, ſicut furor, & iræ conſternatio? Noui multos ex ira morbos incurriſſe, & febrium difficillimæ præſertim hæ ſunt. Si verò ita corpora læduntur, animas cogita, &c. Multi occulos amiſerunt, in grauiſſimum morbum multi inciderunt, &c. Non eſt opus multa dilatione; ira acutus eſt morbus, *frequenter ex ira verbum aliquis emiſit, ad cuius remedium totius indiget vita, & aliquid commiſit, quod omnem ipſius vitam ſubuertit*. Hoc enim eſt difficile, quod in breui tempore, & per vnam actionem, & per vnum duntaxat verbum, æternis nos frequenter excluſit, & multos euacuauit labores. Ignis eſt vehemens ira, omnia deuorans, nam, & corpus perdit, & animam corrumpit. Hæc, & alia Chryſoſtomus proſequitur, qui ad hoc inſtitutum expendit egregiè illud Dauidis: quod præcedenti tractatu[a], indicare cœpimus. *Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*: credit enim, ad literam de eo, qui vindicari vult, eſſe ſermonem, cuius opus vocat, iniuſtitiã, ſicut paulo ante, hoc, quod eſt res mittere offenſas, vocat iuſtitiam ſuã, dicens: *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam*. Dauid ergo, qui tot inimicorũ paſſus fuit perſecutiones, tanquam is, qui probè nouerat, quænam patratur is, qui vindictam, & vltionẽ quærit, eũ quaſi digito oſtendens ait: *Ecce parturijt iniuſtitiam, &c.* Eſtque commune dubium, quod Dauid videtur rerũ ordinem peruertere: nam ſecundum naturæ curſum, prius eſt concipere, deinde parturire, & tãdem parere: ipſe aũt prius ponit parturitionẽ, quam conceptum. Ecce, inquit, parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, &c. Quomodo põt mulier parturire, niſi prius conceperit? Quidam reſpondet, non eſſe inconueniens, aliquantulum inuerſum fuiſſe ordinem, quem Hieronymus clarius expreſſit, qui vertit; *Ecce parturit iniquitatem concepto dolore*, ideſt, poſtquam concepit dolorem: ſimiliter Fœlix, qui trãſfert: *Enixus eſt iniquitatem, poſtquam concepit afflictionem*. Præpoſtero ergo ordine loquutus eſt Dauid, ſed ex prim e-

Notanda Sententia Chryſoſt.

In Pſ. 7.

a *Nu.* 202.

Pſal. 7. 15.

Pſal. 7. 9.

¶ 107.

primere volens, id quod ſecundum naturalem accidit ordinem, quem expreſ ſit Eliphaz, ad cuius dictum viſus eſt alluſiſſe Dauid, de impio agens: *Concepit, inquit, dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.* Si tamen Baſil miſterium egregium olfecit. In mulieribus parentibus, inquit, primum concipitur, deinde parturitur: hic verò prius parturijt, & ſic demum concepit. Quid igitur dicendum eſt? Quod illic quidem tempore partus, eſt parturitio; hic verò mox initio parturitur: ſimul enim atque mali quidquam conſultatur, priuſquam id animo concipiatur, & infigatur, tumultuatur, ac perturbatio in eo naſcitur. Aut aliter dicere poſſumus, Dauidem non ſeruaſſe ordinem, quem natura ipſa ſequitur, ſed illud interuertiſſe, ſignificare volẽs in eo quem deſcribebat, omnia eſſe inordinata, & ex conſequenti, confuſione, & dolore plena: nam ex inordinatione membrorum, ſequitur dolor in animali, & ex inordinatione ventorum, ſequitur confuſio, & tumultuatio in mari, & in terra. Verè tamen credo, Dauidem exprimere voluiſſe, non tantum vnum fœtum, aut partũ, ſed duos interuenire: ſi enim vnicus eſſet fœtus, non duplicem exponeret partũ. Vnius namque fœtus, vnicus partus eſt. Primò itaque parturijt fœtum vnum, poſtea concepit alterum, quem peperit. Et verè ita eſt; primogenitum ſiquidem, quem parturijt primò vindicatorem, eſt odium, quod Dauid vocat iniuſtitiam: ex quo concipit alterum filium, ſcilicet vindictæ appetitum, & propoſitum, quem tandem parit. Primò ergo qui talis eſt, parturijt iniuſtitiam: in ipſo enim exordio, parturitio eſt vnius nati filij, ſcilicet odij: nam hoc ipſo iam homicidium patratum intellige, iuxta illud Ioannis: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*: & quia homicidium pertinet ad iniuſtitiam, dicitur parturiſſe iniuſtitiam. Ex iſto fœtu iam producto, tamquam ex patre, concipit alium, qui vocatur dolor: ex odio enim, in vtero voluntatis concipit appetitum, & propoſitum vindictæ, quem benè deſcripſit, doloris nomine. Quid enim eſt appetitus iſte, quem mentis vtero gerit, niſi dolor? Non eſt ſpina, quæ ſic pungat non ſerpẽs, qui ita mordeat, non lictor, qui ita torqueat: propterea fœtus hic, dum in vtero eſt, dicitur dolor. Pœna fuit peccati Euæ, quod conceptus vteri ſui triſtitias, & mœſtitias animique deliquium induceret, cur dictum eſt: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Quod videre licet in mulieribus, quæ dum fœtum in vtero portant, quem conceperant, grauatæ, & oneratæ ſunt, & multis affliguntur triſtitijs, & patiuntur varia animi deliquia. Nullus autem conceptus eſt, qui ita eum, qui concepit, affligat, ſicut appetitus vindictæ. Nõ eſt vipera, quæ ita ventrem matris corrodat. Si mulier conciperet iuniperum, aut rhamnum, vel ſpinam, aut veprem, quæ dum amplius procedunt, acutiores aculeos germinarent, qui viſcera pungerent, & præcordia transfigerent, qualis eſſet conceptus? ſi conciperet ſerpentem rodentem interna ventris, & cordis, quomodo vocaretur conceptus iſte? triſtis certè, ac dolore plenus conceptus. Sẽtiebat Rebecca, quod pueri, quos in vtero conceperat, *collidebantur*, quæres ita eam afflixit, vt diceret: *ſi ſic futurum erat, vt quid neceſſe fuit concipere?* Ad quid conceptus iſte anxietate, & doloribus plenus? Qui ergo vindictam concipit, & mente propoſuit, & gerit, dolorem concepiſſe, benè dicimus: eſt enim plenus curis, anxietatibus, timoribus, ſolicitudinibus, quę vehementius torquent cor, quam ſpina quæuis. Propriũ malum, inquit Chryſoſtomus apud ſe nutriũt mali memoriã, quaſi quendã tortorẽ. Quantum putas tormentũ eſſe, homini præcordia percuſſo, qualiter vlciſcatur, conſiderat? Priorẽ ſemetipſum punit, & caſtigat, intra ſeipſum tumens, aduerſus ſe pugnans, & excandeſcens: nã neceſſe eſt, apud te ignem ſemper accenſum eſſe, & febrẽ: temetipſum igne cõſumis, flagrantem ſemper, & vrgentem ferens flammam, nec animam permittens requieſcere, ſed ſemper ſæuiens, & in turbatione mentem habens, & procella. Quid hoc grauius, ſemper eſſe triſtem, & inflatum, & ſemper ardere? Ex hoc conceptu qualis partus expectandus eſt? *peperit iniquitatem?*

Iob 15.35.

Schol. in Pſal. 7.

Gen. 3. 16. ¶ 108.

Gen. 26. 21.

1. Ioan. 3. 15.

Ecce

Ecce ad quidnam ordinata fuit conceptio doloris ad pariendam iniquitatem, id est, vindictam, quam conceperat, quam dum opere complet, parere dicitur. Infœlix partus. Mulieri tristitias, quas dum prægnans est, habet, & dolores, quos secũ fert partus, suffert, quia parit filium, de quo gaudere potest: *natus est homo in mundo, & non meminit pressuræ propter gaudiũ.* Is tamen, talem post dolores & pœnas, quas pertulit, parit filium, qui non gaudium ingerat, sed perpetuam inducat tristitiam: nam *peperit iniquitatem*. Quid est iniquitas? Est filius, quem anima parit, ad sui destructionem, & exitium. Infœlix partus. Si mulier post præteritas tristitias, grauedinem, & pœnas, quas nouem mensibus pertulit, post dolores, quos in partu sustinuit peperisset filium, quem conspiciens gauderet, credens, quia natus est homo in mundo: si tunc accederet aliquis, qui ostenderet, illum filiũ quem credidit hominem, esse leonem, aut vrsum crudelem, à quo deuoranda esset, nisi prius illum acri dolore, & angustia comprimeret, & suffocaret, infœlix certè esset partus. Talis est filius, quem paris, dum vindictam exerces: credis te, etsi labores pertuleris, & graui onere fueris oppressus, tamen verè peperisse hominem in mundo, id est, rem vilem feciſſe, & perfeciſſe id, quod decet hominem honoratum, & excellẽtem, vt gaudere possis: non tamen rectè filium, quem peperisti, agnoscis. Illum tibi Dauid ostendit, esse crudeliorem leone, & vrso immaniorem.

Ioan. 16, 21

¶ 109. *Peperit*, inquit, *iniquitatem* Crudelis filius, qui verè tibi exitium afferet, perditionem inducet, & perpetuã mortem, nisi illum lacrymis suffoces, nisi duris pœnitentiæ manibus eum interficias, & te illum genuisse lamenteris, & doleas. Et benè Dauid, in oculis omnium exponit, dicens, & præmittens aduerbium illud *Ecce*; res est enim omnibus manifesta, quam à mundi exordio experientia ipsa comprobat. Vide Cain illum, quem Diuus Basilius vocat primum diaboli discipulũ, qui primus eius doctrinã accepit, & eius mores imitari cœpit. Primò parturijt iniustitiam: nam hoc ipso, quod frater eius aliquid fecit non sibi gratum, parturiuit iniustitiam, id est, odium fratris: *Ex maligno enim erat, & odiuit fratrem suum*, inquit Ioannes. Hoc filio edito, concepit secundum, quem pareret: proposuit enim mente in illum vindictam exercere, & illum persequi, & occidere, & verè concepit dolorem; hic enim fœtus, in mente conceptus, eius viscera torquebat, vt Deus diceret ei: *Quare tristis es, & cur concidit facies tua?* Non est mulier, quæ post conceptum ita tristitijs angatur, sicut anima illa misera, postquam concepit vindictam. Illa enim erat quasi serpens corrodens viscera, quasi rhamnus transfigens interiora. Inde processit ad partum, & peperit illam iniquitatem horrendam, quod fratrem tandem, occidit. Hunc filium peperit, qui illum perdidit, & perpetuæ morti tradidit. Idipsum in Saule videre licet. Quia aliquid actum est circa Dauidem, quod illi fuit ingratũ, statim parturijt iniustitiam, id est, odium; *factusque est Saul inimicus Dauid cunctis diebus*: ex quo concepit dolorem, illud scilicet propositum persequendi, & occidendi Dauid, quod eius viscera ita torquebat, vt arreptitius fieret, suamque sortem deploraret, nullibi requiescere valens; tandem ad partum prorupit, dum persequi Dauid totis viribus contendit, & coacto exercitu ad occidẽdum requisiuit: partus sanè cum maximis doloribus, & periculis, in quæ incidit, sed cuius filius ipsum tandem perdidit, & in æternam mortem coniecit. Hæc igitur manifesta sunt in eo, qui diaboli præceptum obseruans odit inimicum, vindictam appetit, & exequitur. Videamus nunc an similia patiatur, qui Christi præceptum seruans, inimicum diligit, cui propter Deum remittit offensam, & benefacere procurat. Quid enim huiusmodi seruis Dei accidat, expressit Esaias dicens: *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, salutis non fecimus.* Ita in Vulgata, sed Septua-

1. *Ioã.* 3. 12

1. *Reg.* 18. 29.

Esa. 26. 17 18.

Hom. 11. *de inuidia.*

Septuaginta legunt: *Peperimus spiritũ salutis*. In Hebræo, *salutes*, in plurali, *peperimus spiritum salutum*. Et quamuis, vt sæpè annotat ad hoc institutum Diuus Augustinus; quamuis quædam vocabula sint minus latina, sunt tamen magis apta ad mysteria explicanda, quibus propterea vtimur; quamuis enim latinus sermo non admittat sanguines in plurali, aptè dicit Dauid; *Libera me de sanguinibus*, qua dicendi ratione mysterium exprimitur, ab Augustino explicatum. Similiter quamuis hoc nomen salus, apud latinos plurale non habeat, rectè dicitur, *Peperimus spiritum salutum*, ad exprimendum mysterium, quod statim dicemus. Qui diabolo obtemperat, parturit, concipit, & parit, & omnia sunt in malum, & cum dolore, vt diximus. Qui Christo obsequitur, similiter parturit, concipit, & parit, vt dixit Propheta. Omnis namque homo (inquit Diuus Augustinus hæc duo loca Dauidis, & Esaiæ expẽdens) concipit animo, neque vllus potest esse sine conceptu, sed alij concipiunt de diabolo, alij de Christo; de quare egregiè, & latè Ambrosius, de hac animorum imprægnatione, & partu disputans, & de vtero, & semine, quo concipiunt. Quid parturiat, & concipiat, & pariat iracundus, dictum est; qui suscepto diaboli verbo, & instinctu, tanquam semine parturit odium, quod diaboli proles dicitur, vt pater apud Ioannem, agentem de odio, quod parturijt Cain ex maligno. Ex hoc fœtu tanquam ex semine, alium concipit fœtum, scilicet appetitum vindictæ, quem ad sui exitium parit. At iusti concipiunt, parturiunt, & pariunt. Dum Dauid ageret de vltoribus, ordinem peruertere visus est, ostendens illos inordinatissimè agere: at de iustis agens Propheta, egregium ordinem tenet, dicens: *Concepimus, parturiuimus, & peperimus*: primò enim mulier de viro concipit, deinde parturit, dum doloribus partui appropinquat, *vade pario*, & tandem parit. A facie, inquit, tua concepimus: phrasis Hebræa, id est, propter te: eodem modo quo dixit Apostolus, citans Dauidis sententiam, *propter te mortificamur*: suscepto enim Dei verbo, & præcepto, tanquam diuino semine, concipiunt propter Deum, amorem erga inimicos: inde procedũt, vt parturiant opera bona erga illos, & remissionem iniuriæ, quam exhibeant. Et bene dicit, *parturiuimus*. Id enim non fit sine dolore: neque enim, vt ex Hieronymo probatum est, huiusmodi opera fiunt sine carnis contradictione, repugnantia, dolore, ac mortificatione. Et hoc est quod dicit; *Sicut qua concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus, sic facti sumus à facie tua*: considerans enim iustus, quod Christus præcipit, à facie eius, id est propter eius respectum, ex semine verbi illius suscepto, concipit amorem erga inimicum. Hic autem conceptus peruenit ad partum, quando amor in opera prorumpit externa. Cum hoc tempus adest, parturit anima, dolores sentiens, mortificans suum appetitum; sed tandem parit spiritum salutum, id est, bona opera in inimicum, vt remissionem offensæ, oratione pro eo, &c. Huiusmodi opera vocat Spiritum salutum. Ecce qualis filius, quem parit, spiritum salutum, non vnius, aut alterius, sed plurimarum salurum, corporis, animæ, mentis, & voluntatis. Spiritus salutum phrasi Hebræa dicitur, spiritus summè salutaris: tale est opus iusti erga inimicum, quod summam salutem ei præstat, per quem remissionem peccatorum obtinet, & diuinam gratiam, in qua salus animæ sita est. *Mulier cum parit tristitiam habet*, quia maximis doloribus tenetur, *sed cum pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo*. Hoc iustis accidit, cum inimicos diligunt, & opera benefica eis exhibent, offensas remittũt; etsi enim hoc, cum fit, sit difficile, & dolorem inferens; sed postquam factum est, summo gaudio affici possunt, qui tatem filium genuerunt, per quem adoptionẽ filiorum Dei accipiunt. Hæc egregiè Chrysostomus probat, in illo excellenti, mansuetissimoque viro, cui singulare fuit, quod Dux illius Ioab dixit: *Diligis odientes te*, considerans illud opus, omni commendatione dignius, quod

Pſ. 50. 16. *Ibidem.* ¶ 110. *Ser. 20. de ver. Dom.* *Li. 2. de inter. c. 4. & l. 1. de Cain & Abel, cap. 10.* *Foreri.* *Rom. 8. 16.* *Pſ. 43 23.* Ioan. 16. 21 ¶ 111. *Ho. de Dauid. & Saule.* 2. Reg. 19.

quod egit erga Saul inimicum ſuum.
4. Reg. 24. Perſequebatur Saul ipſum Dauidem, & quærens illum ad mortẽ, incidit Deo diſponente in manus illius in ſpelunca, nam illam ingrediens Saul, vt naturæ neceſſaria expleret, latebat in ea Dauid, cum multis militibus. Vidit illum Dauid: & quamuis milites eius vehementer excitarent ad vindictam, ipſe concepit à facie Domini, id eſt, ꝓpter Deum, dilectionẽ, & amorem erga illum: ideoque militibus reſpondit: *Viuit Dominus, non extendam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt*: id eſt, quia vnctus eſt à Deo. Propter Dei ergo reſpectum, cõcepit amorem, & voluntatem parcẽdi illi: ſed parturiuit, & paſſus eſt dolores grauiſſimos, ſicut parturientis, dum opera amicitiæ in talem inimicum exercebat, cum illum ſcilicet ſeruabat, & cuſtodiebat, non ſolum à ſuis militibus, qui ſeipſos offerebant ad illum occidendum, ſed præcipuè à ſuamet paſſione, & carnis ſuæ affectu, quem ſeueriſſimè mortificabat: & parcens Sauli, inquit Chryſoſtomus, ſuo proprio affectui nõ parcebat; ſed illum iugulabat, & cõfodiebat: & gladius quo oram clamydis Saulis abſcindebat, ſua ipſiuſmet viſcera diſcindebat, dũ cum poſſet facilius vitam, quam veſtem cõſcindere, illam ſeruauit, hãc ſcidit, quo poſſet inde eum ad amorem reuocare. Quid tandem factum eſt? Peperit opera illa charitatis, & amoris in Saul, peperit ſpiritum ſalutis, & lætitiæ, nam cũ tãdem Saulem dimiſit liberum, ſummo gaudio affectus fuit, quia talem edidit filium, per quem confidebat ſibi ſalutem à Domino præſtandam: & iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia talem filium produxit. Egreſſus enim eſt è ſpeluncha Saul, inquit Chryſoſt. ignarus omnium, quæ geſta fuerunt: egreſſus eſt, & Dauid, liberis oculis cœlum intuẽs, & magis exultans, quam cum Goliath deieciſſet; ſiquidem hæc magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum quo ſibi innumera bona acquiſiuit, vt ſtatim exponemus.

(.·.)

§. 12. *Quam lætitiam pariat dilectio, & beneficentia erga inimicum, egregiè mulier, quam vidit Ioannes expreſſit.*

¶ 112. HIs non ineptè concinunt, quæ de muliere illa mirabili Ioannes enarrat, quam vidit *amictam Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarũ duodecim, quæ in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret*: tandem filium peperit talem, qui raptus eſt in cœlum, ſummo pretio, & honore à Deo donatus. Et quidem commune eſt ſatis apud S. Patres, mulierem illam, iuxta literalem ſenſum, typum Eccleſiæ ſanctæ tenuiſſe. Ita Gregorius *a*, Rupertus *b*, Methodius martyr *c*, & omnes huius loci expoſitores. Quoniam autem hæc, quæ de Eccleſia dicuntur, non poſſunt omnibus fidelibus conuenire, ſed iuſtis, optimè ſecundum regulam Tiſconij, quam tradidit Auguſtinus, animam iuſti, ſub mulieris iſtius ſymbolo, poſſumus accipere. Et quamuis multa ſint, quæ Ioannes refert hoc conſideratione ſpeciali dignum eſt, quod ex vna mulier exprimitur amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum, id eſt, repleta omni luce. Ad illuminandum ſiquidem Deus totum orbem die, ac nocte, nihil aliud creauit, niſi Solem, Lunam, & Stellas, quas *poſuit in firmamento, vt illuminent terram*. Omnes ergo fontes, & principia lucis, hæc mulier in ſe habebat, cuius nulla pars erat. nec pedes qui non eſſent luce pleni, ſub quibus lunam habebat. Et alia, exprimitur habens in vtero, & clamans parturiens, & quę cruciabatur doloribus partus. Hæc enim minus congruere inter ſe videntur: lux namque, & dies, ſymbolum eſt lætitiæ, & proſperitatis apud omnes nationes, vt docuit B. Gregorius, & Auguſt. adeo vt Scriptura ipſa ad deſignãdam lætitiã, gaudium, & proſperitatẽ, nomine lucis vtatur; & ad exprimẽdam triſtitiam, & aduerſitatẽ, nomine noctis, & tenebrarum.

Apoc. 12. 1.

a 34. Mor. cap. 7.
b In ca. 12. Apoc.
c In ſimpo. 3. de doctr. Chri. c. 32.

Gen. 1. 17.

5. Mer. c. 1. Epiſt. 120. ad Honor. cap. 7. & in Pſ. 1. & 21

rum. *Lux*, inquit Dauid *a*, *orta est iusto*, & (pro ideſt) *rectis corde lætitia*. Et alibi *b*: *Occidit Sol in meridie*, *& tenebrescere faciam terram in die lucis*: & ad deſignandam ſummam calamitatem, & triſtitiam, quæ ex aduentu inimicorum imminebat, dixit Sophonias: *Dies ira, dies illa, dies tenebrarum, & caliginis*. Quando Iudæis euidentiſſimum mortis periculum imminuit, dicitur, quod *fuit dies illa tenebrarum, & diſcriminis, tribulationis, & angustiæ*, &c. quando verò liberos ſe viderant, *Lux, & Sol ortus eſt*, & quod *noua lux Iudæis oriri viſa eſt: gaudium, honor, & tripudium*. Si ergo mulier illa luce erat amicta, & quaſi omnem lucem in ſe ipſa continebat, quo ſignificabatur abundantia lætitiæ, & gaudij, quo erat repleta, & proſperitas ſuprema, quæ fruebatur; quomodo habebat dolores, & cruciatus parturientis; ſummum enim dolorem, ac pœnam ſolet Scriptura Sacra ſub metaphora parturientis explicare. Sed dicendum eſt primo, vtrumque verum eſſe: nam ex vna ſummo erat gaudio repleta, & proſperitas ingens illi aderat, quam uis ex alia dolore parturitionis cruciaretur: iuſtus enim, cum dilectionis opera erga inimicum parere incipit, ſecundum corporis, & carnis affectum dolore, ac pœna afficitur, iræ motum comprimens, & ſemetipſum mortificans: cæterum ſecundum ſpiritum, & animam. magno gaudio, & lætitia, ac requie perfruitur, illa, quam Chriſtus promiſit tollentibus iugum ſuum. Habet enim charitatem, & ex conſequenti Spiritum ſanctum, in ſe habitantem: *Nam charitas Dei diffusa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: fructus autem ſpiritus ſunt, gaudium, pax*, &c. Ex tali arbore tam dulcis fructus procedit. Vide Stephanum, plenum Spiritu ſancto, & ex conſequenti plenum dilectione, & amore (nam Spiritus ſanctus amor eſt) dum grauiſſimas perſecutiones patiebatur, ab ijs, qui falſum teſtimonium contra illum dicebant, eos diligens, & deſiderans eis benefacere, *vidit cœlos apertos*. Communi locutione, ad ſummum gaudium exprimendum, quo aliquis affectus

a *Pſ.96.11.*
b *Amos 8.9*
Soph.1.15.
Eſth.11.8. 11. & ca.8 16.
Rom.5.5.
Gal.5.22.
Act.7.55.

fuit, dicimus, quod cœli ei aperti ſunt. Sed de ijs infra. Dicere ſecundò poſſumus, vtrumque verum eſſe, quod mulier plena erat lætitia, & gaudio, & ſimul grauibus cruciabatur doloribus: ſicut enim negari non poteſt, mulierem cum parturit magnis doloribus cruciari, ita euidentiſſimum eſt, nullum eſſe maius gaudium, quam cum mulier videt ſe filium peperiſſe: cum ſui omnimoda incolumitate. Hoc certè tale tantumque eſt, vt etiam dolores partus poſſit mitigare: qua de cauſa Rachelem parturientem, grauiſſimis doloribus cruciatam, obſtetrix animoſiorem reddere conabatur dicens: *Noli timere, quia habebis filium*. Non dubium, quin iuſtus, cum opera dilectionis erga inimicum parere nititur, crucietur: difficile eſt enim, amare illum, qui te odit; ei benefacere, qui tibi malefacit; pro eo orare, qui in te maledicta conijcit, adeo vt in aduerſis rebus, nullæ ferè reperiantur, quæ maiorem dolorem, & anxietatem incutiant. Cæterùm nulla poteſt eſſe maior gaudij, & letitiæ ratio, quam cũ homo videt ſe talia opera peperiſſe: peperit enim primo cum ſui incolumitate, ſeruauit namque vitam animæ. quæ in charitate poſita eſt: deinde peperit filium, omni filio pretioſiorem, quem Deus tanti facit, vt in cœlum eum rapiat: *Raptus eſt*, inquit, *filius in cœlum*. Quibus verbis oſtendit, quanti ſint valoris, & æſtimationis hæc opera. Non eſt terra digna, huiuſmodi filium retinere, & ſeruare, qui dignus eſt cœlo, erga quem tanta Deus auiditate tenetur, vt hoc ipſo, quod hũc filium videt, ad ſe rapiat, tanquam rem pretioſam. Diximus ſiquidem alibi, Deum illa opera diligere, quæ propter ſe fieri videt: nullum autem opus, tam purè propter Deum fit, ſicut dilectionis opus erga inimicos. Tanquam ergo rem ipſius Dei, & ipſo Deo dignam, Deus eam rapit in cœlum. Et hinc prouenit, quod huius filij ſpes, etiam tempore parturitionis, & dolorum, eos mitiget, & lætitiam inducat: animantur enim ſancti viri, ad hæc opera facienda, quaſi ſibimetipſis dicentis: Noli timere, filium habebis cæleſtibus ſedibus dignum.

¶ 118.

Gen.35.17

gnum. Ex ijs ergo, vide differentiam inter diſcipulum diaboli, & diſcipulum Chriſti: ille concepit dolorē, & peperit iniquitatem, qui in tantas angustias eum conijcit, vt propter illum perpetuæ morti ſit addictus: iſte peperit ſpiritum ſalutis, filium ſalutarem, per quem ſalutem æternam ſibi parat. Vide Cain, quem ſupra induximus, parturientem, concipientem, & parientem: peperit tandem iniquitatem, cum vltionem de fratre ſuo ſumpſit, ſuæque iracundiæ, & furori ſatisfecit. Vide etiam Dauidem, qui Sauli pepercit, & peperit ſpiritum ſalutis. Quid Cain ipſi poſt talem partū euenit, certè ille filius fuit ipſi cauſa perditionis, & maledictionis, propter quem à Deo maledictus eſt; *Maledictus* inquit, *eris ſuper terram, quæ ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua: vagus, & profugus &c.* Quæ omnia ad eos dici poſſunt qui vindictam ſumpſerunt: Maledictus eris ſuper terram, &c. vagus, & profugus, plenus timore, & anxietate eris ſuper terram, &c. Quid autem Dauidi poſtquā illud peperit opus, quo inimicum ſeruauit, & ei pepercit? Quod lætus potuit canere: *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius*: Iuſtitiæ nomine intelligit Chryſoſtomus, hoc quod eſt parcere inimicis: inter omnia enim opera, quæ iuſtus facit, hoc maiorem rationem iuſtitiæ erga D. ū inducere videtur, propter diuinam legem peculiariter hac in parte ſtatutā: *Dimittite, & dimittemini.* Vide quam lætus maneat, quanta ſpeſe erigat. His concinunt, quæ annotat B. Auguſtinus, Euangeliſtam Lucam, poſtquam induxit S. Stephanum orantem pro inimicis genuflexum, ſubdidiſſe: *Et hæc dicens, obdormiuit in Domino.* Nihil enim magis ad requiem veram diſponit, quam pro inimicis ex corde orare. O fœlix ſomnus, & requies vera, inquit Auguſtinus, Ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis orare.

Cæneſ. 4. 11

Pſal. 17. 21

Luc. 6. 37.

Ser. 237. de tempor.

Act. 7. 59.

§. 13. *Suaue eſſe hoc præceptum oſtendit perturbatio, quam patitur iratus, & quies, qua fruitur dilectionem tenens, patetque in Stephano, et eius inimicis.*

¶ 114. Ho. 30. ad popul.

ALia ratione probat B. Chryſoſtomus facile eſſe hoc Dei præceptum, & leue, præceptum autem diaboli iubentis odire inimicos, & eos perſequi maledictis, & malefactis, eſſe graue, & ponderoſum, ex perturbatione ſcilicet, quam incurrit iſte, & inquietudine, qua conteritur; & ex quiete, & pace, qua ille fruitur: quam rationem ſæpe ipſemet Chryſoſtomus *a*, & alij Sancti Patres, Baſilius *b*, Auguſtinus *c*, Gregorius *d*, & alij proſequuntur. Quis enim ferre poteſt perturbationem, & inquietudinem, quam interius, exteriuſque patitur iracundus, qui vindicandis iniurijs operam dat? *Conturbatus eſt*, inquit Dauid, *in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* In ira, id eſt, propter iram, ſecundum phraſim Scripturæ; *Maledicta terra in opere tuo*, id eſt propter opus tuum: *In baculo meo tranſiui Iordanem*, id eſt, per baculum. Expende verbum illud, *conturbatus eſt*: in Hebræo eſt *Ghaſas*, quod nullibi in ſcriptura Sacra, niſi in hoc Pſalm. inuenitur, quaſi peculiariter à Dauide inuentum, ad explicandum, quod intendebat: ſignificatque interius corrodi, metaphora ſumpta à ligno, intra quod generatur tinea, aut vermis, eius interiora corrodens, & comedens. Talis eſt ira, vermis quidam genitus in corde, qui illud corrodit, & comedit. Vide qualem quietem haberet homo, cuius cor vermis corroderet, & comederet. Conturbatus eſt, inquit *in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*: Ventrem, inquit Baſilius hic, promptuarium cogitationum vocauit: innumeras enim cogitationum procellas excitat furor, & ira, non minus, quam validus ventus vehementes, & varios fluctus in mari. Conturbatus eſt, inquit, oculus meus,

a Hom 29. & 30. de ſic.
b Hom. 10. de ira.
c In Pſ 30.
d 5. Moral. c. 21.
Pſal. 30. 10
Gen. 32. 10
Gen. 32. 10
Brix. tom. 2. fol. 72.
Scholi in Pſal. 30.

meus, anima mea, & venter meus: id eſt omnia, quæ in me ſunt, interna, & externa. Oculus namque omnes ſenſus externos ſignificare ſolet, quoniã hoc ſenſus viſus propter ſuam excellentiam obtinuit, vt ſibi tribuantur omnium ſenſuum actiones. Dicimus enim nos videre, quam bonum odorem, bonum ſonum, bonum ſaporem, res habeant, vt D. Auguſtinus *a*, & D. Thom. *b*, annotarunt. Ventrem autem, inquit Auguſtin. *c*, pro interioribus poſuit: vt velit dicere: Interius, exteriuſque vehementi conturbatione propter iram affectus ſum. Interius in primis, iracundus perturbationem patitur, dum accenſo corde, & inflammatis præcordijs, vapores ad caput eleuantur, qui illum obſcurant, & obnubilant intellectum, eo modo quo ex terra calefacta, & madefacta aſcendunt vapores, qui obducunt cœlum nubibus, & obſcurant. Qua de cauſa, cum homo iraſcitur, vocatur à Spiritu ſancto, *Tempus obductionis*, aut obnubilationis, vt dicemus. Perturbatis interioribus, ſtatim externa etiam nimia turbatione commouentur: triſtes enim oculi (inquit Chryſoſtomus) os obtortum, membra mobilia, & tumentia, lingua polluta, nemini parcens, indecens habitus, tædij multum. Efficitur, inquit Baſilius, homo, fœdus aſpectu, redduntur effrenes linguæ, ora incuſtodita, incontinentes manus. Iræ ſtimulis accenſum, inquit ſãctus Gregorius cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti, lingua quidem clamorem formar, ſed ſenſus quid loquatur ignorat: ab arreptitijs non longè eſt, qui actionis ſuæ conſcius non eſt, &c. Agens Deus de dæmone ſub typo Balænæ, de eo dicit, quod *feruefacere faciet ſuam quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi vnguenta, dum bullierit.* Vide duas metaphoras aptiſſimas, ad explicandum, quid diabolus iracundis, qui ſibi obſequuntur, efficiat. Prima deſumpta à mari feruefcente, quaſi olla. Conſueuerat Sanctus Gregorius Nazianzenus, vt ipſe refert, aliquando à ſtudijs, & negotijs, quos paſtoralis cura ſecum fert, defeſſus, ad maris oram, recreandi animi gratia accedere, vbi nec à ſanctis cogitationibus vacabat: quin potius ex ijs, quæ in mari videbat, philoſophicos diſcurſus agebat. Illud autem diligenter attendebat, quod mare aliquando placidum quietumque extabat, aliquando verò illud quaſi bullientem ollam, fluctus validos emittere videbat, illudque conſiderabat, quod nunquam mare feces intra viſcera ſua latentes ita oſtentabat, ſicut quando ventorum vi agitabatur, & feruebat. Tunc enim ad modum bullientis ollæ, ex ſe emittebat venſam ſpumam, reſque immundas, quas tenebat abſconditas, ad littus effundebat, quaſi omnibus, qui aderant aſpiciendas, & ferocem ſpeciem exhibebat, omnibus horribilem. Ventus itaque, qui faciebat ferueſcere interiora maris, totam eius externam faciem replebat fœdis, ac immundis rebus, & ſpuma denſa, &c. Qua in re ad philoſophandum circa cor hominis S. Gregorius ſe trãsferebat, quod mari ſimile eſt. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile*, & nemo ſcit quænam habeat intra ſe, ſicut nec quæ mare in ſuo profundo tenet. Dum homo quietum tenet cor, placidam faciem, gratos oculos, aſpectum iucundum vidẽtibus offert: vbi autem vento iræ agitatur, mirum eſt, quãtas immunditias exterius proferat, quot maledicta, cõuitia, verba fœda, & inordinata, incompoſitos motus; & ſi quid de inimico ſciebat, aut cogitabat, quod intra ſe continebat, illud foras emittit, vt rectè ei conueniat quod ſanctus Apoſtolus Iudas de quibuſdam dixit, vocans eos, *fluctus feri maris, deſpumãtes ſuas confuſiones*. Addit Deus ſecundam metaphoram: *Ponet quaſi vnguenta, dum bullierint*: Cum vnguentarius ex diuerſis rebus, radicibus, aut oleis, vnguenta facit, accendit, admouetque ignem circa cacabum, vel caldariam, mirum eſt, hoc ipſo quod accenduntur, quantas impuritates in partem ſuperiorem, & externam emittant, quam fœtidum odorem ſpirent, vt cogat abire circũſtantes,

a 10. *Conf. ca.* 35. & 1. *de moribus Manich. cap.* 20. & *ep.* 112. *ad Paul. ca.* 2.

b 2. 2. *qu.* 1 *art.* 4 *ad* 4.

c In Pſ. 30. *cont.* 2.

Eccl. 2. 3. & *c.* 5. 2. 13

Ho. 10. *de ara.*

¶ 115.

3. *Mor. c.* 31

Iob. 41. 22.

Ora. 28. *n.* 22.

Iere. 17. 9.

Iudæ. ver. 13.

tes, qui nares manibus operiunt, &c. ita accidit ijs, quos diabolus ita succendit: ponit quasi vnguenta dum bulliunt, nam facit, vt exterius emittant impura, & fœtida, & talia, quæ circumstantes audire recusant, aures- ¶ 116.
que sibi occludunt, ne audiant. Quod *Hom.30. ad populũ.*
adeò verum est, inquit Chrysost omnis vt iracundus multa tunc dicat, & faciat, quæ postea pudet scire, aut recordari, & se excusare solet dicens: Nesciebam quid dicerem. Iræ sunt verba, non mea. Hæc possunt amplius confirmari ex illa loquendi forma, qua vsus fuit Spiritus sãctus apud Danielẽ:
Dan.6.19. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est.* Vide quomodo inseparabiliter se comitentur furor, & immutatio faciei. Ex his infert B. Gregorius Na-
Ibidem. zianzenus, quod quamuis ira nihil aliud operaretur, quàm tantam, tamque grauem perturbationem, interius exteriusque inducere, esset grauissima ad ferendum, & quod homini cordato sufficiens ratio ad eam deponendam, esse debet, attendere, quam incompositum omni ex parte eum reddat. O si te ipsum videres, & attenderes, qualem te iracundia ponit similem, inquit
Loco citat. Hom.10. Orat.4. Chrysostomus, rabidæ feræ, &c. quam fœdum aspectum, inquit Basilius. Hac ratione curauit idem Gregorius Nazianzenus, Iulianum apostatam, & infidelem ab iracundia compescere, repræsentans ei, quam indignum aspectum, non solum Imperatoris, sed, & hominis haberet, quando ira excandescebat: inducens ad hoc institutum illud quod apud Gentiles erat celebre, de Dea, aut nympha quadam, quæ canere, & modulari fistula solebat. Cum hæc aliquando iuxta fontem limpidissimum, tanquam clarissimum speculum fistula modularetur, vultumq; suum in aqua contemplaretur, vidit, quod dum anhelitum ad modulandum spirabat, faciem, labia, & genas reddebat deformes; nam genas quasi tres inflatos exhibebat, labia plus iusto extendebat, totam faciem à suo naturali colore mutabat. Quo viso, fistulam ita proiecit ad petram, vt in frusta conscinderet: neque enim iudicauit se retinere posse em, quę ita suã pulchritudinem alterabat, & fœdabat. Non aliter tibi irato cõtingeret, si vultum, & speciem quam tunc refers, contemplari velles. Hinc bene Spiritus sanctus illam tandem intulit conclusionem: *Ira, & furor, vtraque vindictabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum.* Id est, tantũmodo illa continebit, & seruabit vir peccator, eadẽ phrasi ac illa, *qui continens est iustitiæ*, ideſt, qui seruat, & tenet iustitiam. Peccatoris autem nomine sæpè Scriptura significat hominẽ vilem, despectum, ac despicabilem. Ita dixit Bersabee: *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id est, contemptibiles, de spicabiles, & viles reputabimur. Tantum ergo continet iram, & furorem homo vilis, despicabilis, qui honorem suum nihil faciat, & moribus suis se contemptibilem exhibet. Tali itaque perturbatione diabolo obsequentes affliguntur. Qui tamen Christi præceptum custodit, dicentis: *Diligite inimicos vestros*, hoc ipso magna pace, & quiete interius exteriusq. perfruitur. In primis enim interius non conturbatur, sed potius per charitatẽ cõprimit eos motus, & affectus, qui excitabantur ad sui perturbationem, & præcepto Domini se subijciens, obstruit ora leonum, irascibilis scilicet, & concupiscibilis, vt quietus ibi, non minus quam Daniel inter leones permaneat: Ita explicat Ambrosius, *a*, vt ¶ 117.
supra dicere cœpimus illud *b*: *Bonum est viro, cum portauerit iugum graue in iuuentute sua, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum graue.* Ita Ambrosius legit. Graue iugum vocat legem Euangelicam, vt exposuimus: graue, non quod in se graue sit, sit, sed quod à carnalibus tale reputatur. Vis scire quid contingat illi, qui portat hoc iugum, quod mundus grauе iudicat? *Sedebit singulariter, & silebit.* Silentij nomine Scriptura sacra summam pacem exprimere solet. Ita dicitur, quod *siluit omnis terra in conspectu eius*, ideſt, summa pace ita perfruebatur, vt nulla perturbationis vox resonaret, summam pacem in corde retinet, & similis est, inquit

a *Orat. funeb. de obitu Valentiniani.*
b *Thren.3.27.*
Eccl.27.33
Eccl.15.8.
3.Reg.1.20
1.Mach.3.3.

Chrysostomus, quietissimæ siluæ, in
Hom. 29. ad populũ. qua spirant venti, aues canoræ cantant, aquæ clarissimæ decurrunt: quam metaphoram latè ille prosequitur. Et verè allusisse visus est Ieremias, ad illud quod Esaias promisit seruantibus Euangelicam legem, quam Christus
Esai. 32. 17. promulgaturus erat: *Erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ, silentium, & securitas vsque in sempiternum.* Et quamuis de tota lege Euangelica sermo sit, quam vocat iustitiam, ad designandam excellentiam eius super veterem legem, per quam iustitia præstari non
ad Heb 7. & ad Gal. 3. poterat, vt B. Paulus demonstrat: possumus tamen intelligere iustitiæ nomine hoc peculiare per præceptum de dilectione inimicorum, quomodo
In Psal. 7. Chrysostomus intellexisse visus est, cuius rei rationem supra tradidimus. Erit, inquit, opus iustitiæ pax; id est, hoc sequetur ex eo, quod quis hanc iustitiam seruat dilectionis inimicorum, quod magna pace perfruetur: quo nomine Hebræi salutem, prosperitatem, incolumitatem, & omnimodam fœlicitatem intelligunt. *Et cultus iustitiæ silentium*: ex hoc quod colit, &
Foreri, ibid. seruat hoc præceptum, nulla erit perturbatio perstrepens, nullæ cogitationes resonantes; sed pax, & securitas, &c. Ex hac interna pace sequetur etiam quies, & pax exterior: qui enim hoc Christi præceptum seruat, compositionem membrorum retinet, placidam exhibet faciem, nullis perturbationum moribus se reddit fœdum, aut horribilem. Hoc egregiè contemplatus est Beatus Chrysostomus, in
Hom. 30. ad populũ. historia Beati Stephani. Vide illos, qui iracundiæ affectu tenebãtur, quos egregiè depingit Sanctus Euangelista:
Act. 7. 54. ¶ 118. *Dissecabantur cordibus suis, & stridebãt dentibus in eum.* Expende interiorem perturbationem, & rabiem, in membra externa prodeuntem. Super martyrem Stephanum, inquit Augustinus, dentibus colubrinis stridebant,
Serm. 6. de Sanctis. qui quasi serpentem in corde habebant. Aptè sanè. Interius iracundia premebantur, ac si eorum viscera duri serpentis morsu concuterentur, inde exterius, tam conturbatos, & incompositos se exhibebant, quod stridebant dentibus in eum: qua phrasi Scriptura sacra, supremam furentis, rabidi, & incõpositi hominis speciem exprimere solet, vt Dauid loquens de satellitibus Saulis contra se concitatis, metaphora à canibus sumpta: *Frenduerunt*, inquit, *super me dentibus suis:* *Ps. 34. 16.* & Iob, *Infremuit contra me dentibus suis hostis meus, terribilibus oculis intuitus est me, aperuerunt super me ora sua:* & ad ostendendum fœdum horrendumque impiorum aspectum, quẽ exhibebunt impij in die iudicij, nimia perturbatione confecti, dixit Dauid (sicut exponunt Hieronymus, & Augustinus) *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.* *Iob. 16. 10.* *Ps. 111. 10.* Iratus enim, similitudinem bestiæ, ac rabidi canis, deposita figura hominis rationalis assumit, vt ex professo Basilius, & Chrysostomus ostendunt. *Locis cita.* Ita quidem iracundi, & furore perciti homines. Sed vide Stephanum illum, qui inimicorum amore flagrabat, inter illos positum. *Intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* *Act. 6. 15.* Vide, inquit Chrysostomus, Beatum Stephanum non cum furore loquentem, quoniam non erat ira in corde: aspectum propterea expressit, quod viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. In ipso Stephano, inquit Hilarius Arelatensis, abundantiam cordis transisse in decus corporis; & in exteriori gloria, candorem interius exundasse, & abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiasse: & cùm haberet in se Spiritum sanctum os præse gestasse angelicum. *Hem. de B Stephano.* Ex interna itaque pace, talis splendor externam eius faciem repleuit. Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. In amico angelorum, inquit Sanctus Augustinus, angelicam similitudinem apparuisse, & in pedissequæ ouis Christi fronte, signum gestasse, cui sint patefactæ portæ cœlorum. *Serm. 99. diuers.* Quomodo, inquies, viderunt faciem eius, tanquam faciem angeli? Gregorius Nyssenus inquit, quia in angelicum decorem, & angelicam formam mutata fuit eius facies. Augustinus insinuat, cœlesti lumine *Orat. de B. Stephano.* *Serm. 99. diuer.*

faciem

faciem eius irradiatam fuisse, redditamque splendidam, sicut quondam faciem Moysi. Alij credunt, noua quadam claritate, & pulchritudine faciem eius effulsisse, aut pulcherrimam apparuisse, quo pacto Nabuchodonosor dixit iuxta Septuaginta, vt Beatus Hieronymus annotauit, faciem illius quarti, quem videbat, fuisse sicut faciem angeli, id est, pulcherrimam. Vtcumque sit, hoc certè liquidò constat, qua pace interius, exteriusq; is, qui dilectionis præceptum seruabat, frueretur. (?)

QVARTA PARS,

IMPLICITAS RATIONES PROPTER QVAS TALE SIT PRAECEPTVM EXPENDENS.

§. 1. *Ordinatissimè Christus procedit, euangelizans pacem, cuius singula verba sunt fenestræ quædam ad contuendam Sapientiam, & parietes, quibus figendus est palus mentis.*

¶ 119. EXplicauimus iam tria illa prima, quę de præcepto dilectionis inimici explicanda proposuimus, nũc accedamus ad quartum, expendentes rationes, propter quas tale præceptum datum sit, quę verè illud reddent facile, & ad obseruandum suaue. Et nunc in hac quarta parte rationes considerem us, quas Christus proponens, præceptum ibidem inculcat: hoc enim maximè necessarium est. Obseruat Paulus locum illum Euangelici Prophetę: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum* (Septuaginta *euangelizantis bona*) *prædicantis salutem*: additque Apostolus: *sed non omnes obediunt Euangelio*. Quem locum, etsi Paulus de Apostolicis prędicatoribus intelligat, supponit tamen, de eorum capite Christo, omnium Apostolorum magistro, primo intelligendum, vt obseruarunt Origenes *a*, Tertullian. *b* Ambros. *c* & alij. Pedes autem non corporales, inquit Origenes, accipiendi sunt, sed metaphoricè, & significare possunt, inquit D. Thomas, *d* processus, aut progressus super montes, quasi dicat: Quàm ordinatè procedit super montes. Et verè id Christo conuenit, quem Propheta considerat pulcherrimè procedentem super montes, nam tota nocte in montis altitudine permansit, pernoctãs in oratione Dei: deinde cùm dies factus esset, processit in monte, eligens duo-

Rom. 10. 15. *Esai.* 52. 7.

a *In ca.* 10. *Epist. ad Roman.*
b. *Li.* 3 *cont. Marcion.*
c *Libr. de Isaac, & anima, c.* 4.
d *In ca.* 10. *ad Roman. lect.* 2.

duodecim, quos Apoſtolos nominauit: hinc proceſſit ad prædicandum eis, & docendum, quodnam munus illis committebat, dicens: *Vos eſtis ſal terræ, &c.* Luc. 6. Inde proceſſit ad demiſſiorem partem montis, quam Lucas *locum campeſtrem* appellat, vbi ſtetit, & omnia ſanitatum genera impertiuit: *ſanabat enim omnes.* Vide quàm pulchri, quam formoſi proceſſus, & progreſſus huius cœleſtis prædicatoris, & euangelizantis, qui poſtquam hæc præmiſit, ſe pulcherrimum omnibus exhibens, quem omnis turba quærebat, vel ſaltim tangere, cœpit prædicare pacem, annuntiare bonum, & annuntiare ſalutem. Primò enim prædicat pacem talem, vt eam etiam erga inimicos ſeruemus, quos præcipit diligere, & eis benefacere; deinde annuntiat bonum, aut vt Paulus iuxta Septuaginta, euangelizat bona, quia hoc lætiſſimum nuntium exponit, quod poſſumus eſſe filij Dei, quod bonum tale eſt, vt in eo omnia quæ Deus dare poteſt, bona contineantur: & tandem annuntiat ſalutem, quæ eſt per remiſſionem peccatorum, dicens: *Si remiſeritis fratribus veſtris, remittet vobis Pater peccata veſtra.* Verè pulcherrimus prædicator, pulchri pedes eius, aut progreſſus, pulchra doctrina, puchræ promiſſiones. Videtur iam nihil amplius deſiderandum, & quod omnes qui hoc audiunt, ſummo gaudio affecti, conuertere ſe debeant ad infinitas gratias tali prædicatori tribuendas. Quod, & Propheta Nahum viſus eſt indicaſſe: poſtquam enim ſimilia verba propoſuit: *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem*, ſubdit: *Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua*: quaſi alludens ad illud Dauidis, qui ingenti beneficio à Deo effectus dicebat: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? vota mea Domino reddam in conſpectu populi eius.* Quia tanto beneficio te Deus affecit, inquit Propheta, tu ſimiliter redde Domino vota tua. Quamuis autem hoc ita ſit, inquit Paulus, *ſed non omnes obediunt Euangelio*: quamuis id, quod nobis cœleſtis euangelizator propoſuit, fuit pax, bonum, & ſalus; non omnes obediunt Euangelio. Id dicebat Paulus de ijs, qui Euangelicam prædicationem non recipiebant: ego verò id dico de illis, qui Euangelio recepto, non obediunt Euangelio: quamuis enim Chriſtianos ſe profiteantur, & Euangelicæ legis cultores, ſed Euangelicæ doctrinæ præcipienti, diligere inimicos, & remittere offenſas, quamuis pacem, bonum, & ſalutem contineat, nolunt obedire, iudicantes præceptum difficile, contrarium honori, &c. Cœleſtis tamen euangelizator pulchrè procedit, pulchri eius pedes: ſic enim prædicat pacem erga inimicos, quod in ipſomet progreſſu, rationes euidentiſſimas indicat, quibus ad Euangelio obediendum inducat. Pedum itaque eius nomine, poſſumus, vt dictum eſt, proceſſum eius intelligere: tam pulchrè ſiquidem procedit, hanc ferens legem, vt ſimul rationes illius diuinas, & egregias inculcet, quas oportet ſingillatim expendere. Hoc autem exequemur, ſi ſingula verba quibus illud proponit, expendamus. Ita namque cœleſtis magiſter, & diuinus legislator hoc mandatum promulgat, quod in vnoquoque verbo rationes varias efficaciſſimaſque ad hoc ipſum incluſit: cui propterea illud egregie conuenit, quod dixit Dauid: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Lucidum quidem eſt, quoniam præceptum eſt dilectionis, quam qui ſequitur, in luce eſt, qui namque non diligit, in tenebris eſt, vt Diuus Ioannes ſæpè clamat. Aut verò lucidum eſt, quia clarè. & ſine aliqua amphibologia nobis proponitur. Sed ipſummet illuminat oculos: tam ipſummet rationes claudit, quibus intellectus quilibet illuminatus remaneat, & illuſtratus. Singula igitur verba expendenda ſunt, & attendenda, vt veram diuinam ſapientiam capiamus. Sapientiam, inquam, id eſt, ſapidam ſcientiam, quæ intellectum illuſtret, & voluntatem afficiat. Id quod non obſcurè docuit Spiritus ſanctus, huius diuinæ Sapientiæ autor, & donator, exponens, quiſnam

Nahum. 1. 13.

Pſ. 115. 12

¶ 120.

Pſal. 18. 9.

1. Ioan. 2. 9. 10. 11.

nam eam inueniat, *vadens post illam, quasi inuestigator.* Quis est iste? *Qui respicit,* inquit, *per fenestras illius, & in ianuis illius audiens qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum.* Multis vtitur Spiritus sanctus metaphoris, sed duas earum expendamus. Prima est; fenestræ. In domo fenestræ fiunt, vt qui illa incluſus est, per fenestras seipsum videndum exponat ijs, qui foris sunt. Ita mater Sisaræ *a*, & Michol *b*, quando arca Domini portabatur, & Iezabel *c*, illa, quæ ad fenestram se exposuit, videndam à Iehu, ornatam stibio. Secundò, vt qui foris sunt, interiora videant domus: & ad hoc præcipuè fenestræ seruiunt, qui amore alicuius mulieris pulchræ intra domum incluſæ tenetur, qui semper per fenestras respicit: quomodo cœlestis Sponſus, *erat respiciens per fenestras.* Sponſam ſuam videre gestiens, quę clauſam intra domum ſe continebat. Latebat quidem diuina Sapientia in mente diuina, vbi tam abſcondita erat, vt ſanctus Iob maxima anxietate teneretur ad eam inueniendam. *Habet,* inquit, *argentum venarum ſuarum principia, & auro locus est, in quo conflatur, &c. Sapientia vero vbi inuenitur? Abyſſus dicit, Non est in me, &c. abſcondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet.* Hæc tamen fuit Dei misericordia, quod fecit multas variasq; fenestras, per quas diuina Sapientia ſe nobis manifestaret, & nos per eaſdem illam poſſemus intueri. Fenestræ ſunt diuina verba, quæ Deus loquutus est per Prophetas ſuos, & præcipuè verba, quæ Chriſtus Dominus loquutus est. Sunt quidem conceptus in mente tua, quos nemo niſi tu ſolus, potest cognoſcere; ſed per verba, quę aperto ore profers, illos manifestas, & alteri demonſtras, qui per eadem verba, quæ latebant in mente tua, videt. Hac analogia vtitur Apoſtolus, ad oſtendendum, impoſſibile fuiſſe diuinam Sapientiam nobis manifestam fieri, aut nos poſſe eam cognoſcere, niſi Deo per diuina ſua verba interne, aut externe illam reuelante. *Quæ ſunt enim hominis, nemo nouit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo est: ita, quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei, qui in ipſo est, nobis autem reuelauit, &c.* Verba ergo Chriſti Domini fenestræ fuerunt, per quas diuinam Sapientiam oculis noſtris cõtemplandam proponebat, *quibus eruſtauit abſcondita à conſtitutione mundi*; & id facere voluit quando ſedens in monte, *aperuit os ſuum, & docebat, &c.* Qui ergo cupit diuinam, cœleſtemque iſtam Sponſam, diuinam, inquam Sapientiam videre, & contemplari concupiſcit, reſpiciat per fenestras illius, id est, per verba illius. Singula verba expendat, & attentiſſimè circumſpiciat. Hæc prima metaphora. Secunda est, *de figente palum ad parietes illius.* Proprium est viatorum, deferre palum, aut baculum, cuius auxilio varia terrarum ſpacia percurrunt: ſed cum quieſcere volunt, accedunt iuxta parietes alicuius domus; ibi ſedent, & palum figunt ad parietes. Est homo viator; qui vtitur intellectu, tanquam palo, & baculo, per quem rerum naturas proprietateſque percurrit: ſi vult veram Sapientiam inuenire, quieſcat, & ſedeat ad parietem illius, & in illis figat palum. Parietes, intra quos diuina Sapientia clauditur, est Scriptura ſacra, cuius ſingula verba ſunt, tanquam lapides, ex quibus illi extruuntur. Qui ergo illam deſiderat conſequi, ſedeat, id est, humilietur: ſedere enim in Scriptura ſacra, vt inquit ſæpè Diuus Auguſtinus *a*, humiliari est. Humiliare tu, nam Deus myſteria ſua reuelat humilibus *b*, & à ſuperbis abſcondit, de quo dicitur *c*, quod *intellectum dat paruulis.* Deinde intellectu figet ad parietes illius, diuina verba conſiderando, non pertranſeundo ea legendo, ſed figendo mẽtem omnem, circa quoduis verbum: ita enim Sapientiam inueniet. *Singula Scripturæ verba* (inquit ſanctus Petrus Chryſologus) *ſi libris ſingulis mandarentur, nec ſic myſteria, quæ in ipſis ſunt audientibus perlucerent.* Figamus ergo intellectus noſtri baculum ad hũc parietem, quem Chriſtus ex diuinis ſuis verbis extruit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, etc.* & per ſingula verba, tanq; per ſingulares

Eccl. 14. 23

a Iud. 5. 18
b 2. Re. 6. 4.
c 4. Reg. 9. 30.

Cant. 2. 9.

¶ 121.

Iob 28. 1.

1. *Cor.* 3. 11

a In Pſ. 126

b Mat. 11. 25.
c Pſa. 118. 130.

Serm. 64.

feneſtras, conemur latentem Sapientiam contueri, quam per ea Chriſtus nobis manifeſtat: & in ſingulis verbis tanquam firmis lapidibus, figamus mentis palum.

§. 2. *Chriſtianus vetuſtatem exuat, lunam ſub pedibus ponat, & ſacrificet Deo, quæ mũdani colunt.*

¶ 122. *AVditis, quia dictum eſt antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros, &c.* Primam rationem, illamque efficaciſſimam legis, quam promulgat, his verbis indicat Chriſtus. Dices, præceptum videri durum, ac difficile, propriæ inclinationi contrarium, & è diametro, huius mundi, in quo viuimus, decretis aduerſum. Reſpondet tibi: quamuis hoc ita ſit, illis tamen, quibus eum audire, ex ipſius gratia datum eſt, hanc primam eſſe tenendam curam, antiquorum carnalium decretis ſe opponere, mundi iudicia contemnere, vetuſtatem ex Adam exuere, & ea, quæ ſunt ſecundum carnis inclinationem conculcare. Annotauit Beatus Gregorius inſigne Sacramentum, illo hieroglyphico expreſſum, quo apparuit mulier habens Lunam ſub pedibus ſuis. Eſt quidem mirabilis viſio, quæ Beato Ioanni oſtenſa eſt, quam breuiter ille proponit, breuiſſimè à nobis nunc expendenda. *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim.* Non dubium quin ſecundum literalem ſenſum, Eccleſia Chriſti huius mulieris typo fuerit adumbrata, vt paulo ante ex ſanctis Patribus dictum eſt. Meritò illa ſub mulieris figura exhibetur, quia eſt Sponſa Chriſti, ex qua ſpirituales filios, ipſe, qui *Pater eſt futuri ſeculi*, per regenerationis Sacramentum generat, cuius propterea typum illa prima mulier ex oſſibus viri extracta, tenuit, vt Apoſtolus, tanquam magnum Sacramentum annotauit, & ex profeſſo Auguſtinus explicauit. Vnde, & ipſe Apoſtolus monet viros, diligere vxores, *ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.* In cœlo aũt eſſe perhibetur, propter cœleſtem vitã, cœleſtes mores, & leges, propter præſidentiam Regis cœleſtis, Angelorum cœleſtium aſſiſtẽtiam, & propter eandem cauſam, qua idem Ioãnes vidit illam de cœlo deſcendentem, de quibus ſupra. Huius Eccleſiæ figuram tenuit tabernaculum illud antiquum, quod ex Dei ordinatione coopertũ erat pellibus hyacinthinis, hoc eſt, cœleſtis coloris: ideoque cuius à longe tabernaculum ſpectanti, quaſi in quodam cœlo poſitum videbatur, vt Ioſephus annotauit. Sed quod in ea præcipuum eſt, expreſſit Ioannes, illam perhibens amictam Sole, ſub qua ſola figura, plura myſteria, quam dici poſſunt, expreſſa ſunt. Certum eſt Chriſtum Dominum vocari Solem: quod concordi ſenſu omnes ſancti Patres docent, explicantes illud: *Vobis timentibus nomen meum oriatur Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*: Hieronymus *a*, Ambroſius *b*, Cyrillus *c*, Auguſtinus *d*, Gregorius *e*, Euſebius *f*, &c. Hoc Sole perhibetur amicta Eccleſia, emittere radios lucis, quos pennas vocat, in quibus eſt ſanitas. Antiquitus legem tulit Deus, per quam illuminaret Eccleſiam veterem, ſed non erat ſanitas in illis radijs, quia lex illa nullam virtutem præſtabat ad operandum, nec vim aliquam ad naturam ſananda habebat, nec virtute viuifica præſtabat, vt ex profeſſo Apoſtolus demonſtrat. At Chriſtus radijs clariſſimis legis Euangelicæ Eccleſiam ſuã illuſtrat, in quibus ſanitas eſſe perhibetur, quia lex hæc, non ſolum mentem illuminat, ſed naturam ſanat, voluntatem adiuuat, vires ad operandum præbet, & viuificam virtutem habet, per quam à morte reuocat. Et dicitur Eccleſia hoc Sole amicta, vel veſtita, ſingulari myſterio, ad deſignandam abundãtiam donorum Chriſti, quibus perfuſa eſt. In Scriptura enim ſacra, indutum eſſe aliqua re, ſignificat ſummã illius rei, abundantiã participare. Ità dr Deus *indutus lu-*

Matt. 5. 43.

34. Mor. c. 7.

Apoc. 12. 1.

Eſa. 9. 6. ad Eph. 5. 31.

Libr. 2. de ſymb. ad Cater.

Apoc. 3. 12. & 21. 12.

Exod. 36.

Lib. 3. antiq. c. 7.

Mala. 4. 2.

a *In cap. 4. Malac.*
b *4 Hexaë. cap. 1.*
c *Lib. 1. in Ioa. c. 6. & lib. 4. c. 28.*
d *Ep. 119.*
e *8. Mor. c. 33.*
f *Libr. 5. de demonſ. Euan. c. 29.*

¶ 123.

Pſ. 103. 1.

mine.

mine, ſicut veſtimento, quaſi vndique circundatus lumine. Ita,& Dauid, ad ſignificandam abundantiam gregum,
Pſ.64.14. *induti*, inquit, *ſunt arietes ouium*: Hieronymus legit, *veſtientur greges agnis*, id eſt, magna, & abundantiſſima copia agnorum cumulabuntur oues: & quod ſequitur in noſtra Vulgata, *Valles abundabunt frumento*, in Hebræo legitur, *Valles veſtientur frumento*, vt idem ſit, veſtiri, & abundare. Ideo, & Iob abundantiam iuſtitiæ, & bonorum operum, quam tenebat, hoc loquendi genere expreſſit:
Iob 29.14. *iuſtitia indutus ſum*. Meritò igitur Eccleſia, induta, & amicta Chriſto perhibetur, quia non auarè Chriſtus ſua ei contulit dona, ſed magna cum abundantia, cui dedit omnia ſua ſacramenta, merita, vitam, mortem, ſanguinem, carnem, ſignanter in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto, in quo omnes diuinitatis ſuæ diuiSeſſ 13.c.2 tias, vt ſacrum dixit Tridentinum Cõcilium, abundantiſſimè profundere viſus eſt. Et vt videas Scripturarum cohærentiam, alluſionem credo faciam, ad illud Eſaiæ Prophetæ, qui poſtquam induxit Chriſtum venientem in mundum, ſua bona hominibus largientẽ,
Eſa.61.1. & dicentem: *Spiritus Dominus ſuper me, eo quod vnxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, &c.* inducit eius Eccleſiam, tanquam ipſius Spõſam, tanta donorum copia abundantiſſimè perfuſam, verbis lætitiæ, & gaudij exul
Eſa.61.10 tantem, & dicentem: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi Sponſum decoratum corona, quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis*. Quæ verba, Sancti Patres ſecundum literam ad noſtrum explicant inſtitutũ Cyrillus *a*, Auguſtinus *b*, Euſebius Cæſarienſis *c*, ſed præcipuè Diuus Hieronymus *d*, qui annotat hebraicè eſſe, Ieſum, vt iuxta vim hebræi ſermonis vertere poſſit, *Quia induit me veſtimento Ieſu*: aut, *Induit me veſtimentum Ieſu, & indumento iuſtitiæ*. Quod Vulgatus legit, veſtimentum ſalutis, Hebræi legunt, veſtimentum Ieſu, quia ipſe eſt indumentum ſalutis, quo qui veſtiuntur, veram conſequuntur ſalutem, quique eſt veſtimentum iuſtitiæ, quia *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, vt Paulus ait, quod Theologi explicant. Et verè, vt annotat Cyrillus, his alludere voluit idem. Apoſtolus, dicens: *Quotquot baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis*: & iterum: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, Huiuſmodi veſtimento Eccleſia amicta eſt, quæ omnia illius dona, gratias, fauores, abundantiſſimè participat, quæ meritò (inquit Euſebius Cæſariẽſis) propterea exultat, & canit: Gaudens gaudebo in Domino, &c. quàm proptrerea Dauid, *amictam varietate mirabili celebrat*. Quod autem Eſaias eam gaudentem videt, quod videat ſe decoratam corona, idem eſt cum eo, quod Ioannes vidit, *In capite eius corona ſtellarum duodecim*: vt enim myſterium prætermittamus, quod ſæpè Beatus Auguſtinus, circa Prophetæ verba expendit, id certum eſt, ſtellarum duodecim figura, duodecim Apoſtolos intelligi, quibus ſacræ huius mulieris caput, tanquam diademate ornatur. Caput namque Eccleſiæ Chriſtus eſt, vt ſæpè Apoſtolus clamat. Hoc ornatur, tanquam diademate, & corona, duodecim Apoſtolorum choro, qui infima mundi elegit, vt confundat fortia, & eos qui erant in mundo, quaſi omnium peripſema, tam illuſtres glorioſoſque fecit, vt in eis, & per eos, & ex eis, gloriam ſibi conſtituere videatur. Quos propterea Paulus vocat, Gloriam Chriſti, dicens: *Fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, Gloria Chriſti*. Beatus Thomas legit in plurali, *gloria Chriſti*, quia per eos ſibi gloriam, ſplendorem, & decorem, in mundo ſibi comparare decreuit, quos tanquam cœleſtes micantiſſimaſque ſtellas, ad Eccleſiæ illuminationem ſtatuit, quibus ſibi egregiam gloriam, & pulchritudinem parit, Quãta erat Chriſti gloria, quando in monte ſedens, circũdatus erat corona duodecim Apoſtolorum, quos paulo ante per Spiritum Sanctum elegerat? Non ita ſplendebat ſummus ſacerdos, duodecim lapidibus fulgentiſſimus, in humeris, & pectore illius conſtitutis, quã Chriſtus duodecim Apoſtolis, quos

1.Cor.1.30

Gala.3.27
Rom.13.14

¶ 124.

Pſ 44.10.

Epiſt. 120. ad Honor. & libr. de vnit. Eccl. c.7. & li.3. de doctrin. chriſt.c.31.

2.Cor.2.21

a Lib de recta fide ad Theodoſ. & lib.9. in Gen. in pri.
b Lib.3. de doct. chriſtian. c.33.
c Li.10.hiſtor. Ec.c.4
d In ca.61. Eſai.

in humeris, & corde portabat, quia eis vires præbebat, summaque dilectione prosequebatur. Sed cum ipse sit Sol, qui Apostolos sibi, tanquam coronam stellarum copulauit, non ille ab eis, sed ipsi ab eo lumen recipiebant. Itaque inducuntur Apostoli circa caput Ecclesiæ, nõ quidem illuminantes caput, sed lumen ab eo recipientes, quod mulieris Sanctæ pulchritudinem mirum in modum augebat. Quid actura est mulier tali vestimento induta, tali luce perfusa, talibus donis ornata, quæ tota cœlestis videtur? *Lunam habet sub pedibus suis*, quasi eam calcans, & terens pedibus, & primus, quem agit gressus est, ad lunam conculcandam. Notum est, vt Diuus Gregorius obseruat, quid lunæ nomine significetur, quod, & concordi sensu Sancti Patres tradunt. Est luna, vt annotat Caietanus, infima, & vt ipse dicit, fex cœlestium corporum: nec enim tota diaphana est, quæ plene lucem capere valeat, sed partibus constat quibusdam, quæ nunquã integrè possunt luce perfundi, vnde procedunt maculæ, quibus perpetuò apparet respersa; quia nec illæ proueniunt ex vaporibus à terra insurgentibus, vt quidam contendunt; nam si ita esset, reliqui planetæ, & stellæ ipsæ, similibus maculis apparerent obscuratæ, & ipsa aliquando aere vaporibus ventorum vi purgato, nullas præ se ferret maculas, quas tamen tunc clarius ostendit, quando ac serenior, purgatiorque est. In seipsa igitur imperfectas continet partes. Est præterea symbolum instabilitatis, quæ nec in luce, nec in tenebris firmitatem tenet, quippe cum à luce ad tenebras, perpetua alternatione procedat. Mundum propterea omni instabilitate, & imperfectione respersum indicat, eiusque iudicia ac decreta: carnem insuper exprimit, perpetua appetitum varietate instabilem. Hanc cœlestis mulier calcat, quia Ecclesia Christi, aut fideles, in Christi Ecclesia congregati, induti Christo, eius veritate, donis, sacramentis, virtutibusque illustrati, primum quem debent gressum agere est, ad cõculcandum Lunam, ad contemnenda hominum iudicia, mundi decreta, carnis appetitus, & inclinationes. Et quia inter seculi leges, hæc primatum tenet: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & inter carnis appetitus, ille potentior est, qui ad inimicos persequendos insurgit, hanc Lunam primò præcipuèque calcare oportet. Nec enim existimet Christianus, sibi secundum mundi leges viuendum, & secundum appetitum carnis agendum. Vetera iubet Christus calcare, & primum omnium contemnere, & conculcare, quæ primas in mundo, & carne tenent. Aptissimè ad hoc institutum explicat Sanctus Cyrillus Alexandrinus, quædam Moysi verba, quæ multis videntur valde difficilia. Petierat ille à Pharaone, vt dimitteret populum egredi Ægypto, vt sacrificaret Domino in solitudine; cũque Pharao ex vna parte plagarũ: verberibus, ex altera cupiditate retinendi populum in sui obsequio vrgeretur, medium proposuit, vt Caietanus annotat, concedens quidem populo sacrificare, sed quod terra illa non egrederetur. Vnde dixit: *Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac*. Cui respondit Moyses: *Non potest ita fieri; abominationes enim Ægyptiorum sacrificabimus Domino Deo nostro? quod si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent*. Varijs modis verba hæc à diuersis leguntur, & intelliguntur, vt Beatus Augustinus ex professo annotat. His tamen alijsque omissis, dico, Cyrillum clarissimum tradidisse sensum, qui pluribus Sanctorũ Patrum placuit. Vocat Moyses, Abominationes Ægyptiorum, oues, boues, arietes, & huiusmodi animalia, quæ Ægyptij, tanquam Deos adorabant, & colebant, primum præcipuumque deitatis cultum exhibentes vitulo, quã Apim vocabant. Vnde, & Israelitæ ipsi, ex Ægypto egressi, volentes in deserto Deum facere, quem adorarent, vitulum conflauerunt, ad similitudinẽ illius, quem in Ægypto, tanquam supremum Deum coli, & adorari viderant. De quibus egregiè Diuus Augustinus. Hinc quasi res quasdam diuinas, & Deo maximè propinquas, æstimabant Ægyptij boues, oues, arietes: ideo,

Lib. 34. tit.

In cap. 25. Iob vers. 5. ecce luna etiam non splendet.

¶ 125.

Lib. 10. de adoratio.

In cap. 2. Exod.

Exod. 8. 2.

Lib. qq. in Exod. q. 28

Lib. qq. in Exod. q. 28 cit.

ideo, & abominabile ducebant eas occidere, & comedere: id enim erat in oculis eorum, quasi Deos ipsos occidere, & comedere, aut deuorare. Qua etiam de causa dictum est, quod *Ægyptij pastores ouium abominantur*, illos qui carnibus ouium vescebantur, quos interfectores, & comestores Deorum vocabant. In cuius confirmationem illud Poetæ dictum adducit Caietanus:

Gen.46.34

Inc.8.Exo.

¶ 126. Lanatis animalibus abstinet ois mensa. Vocat ergo Moyses huiusmodi animalia, abominationes Ægyptiorum, aut quia Hebræi Deos Ægyptiorum, sicut, & aliarum gentium abominationes vocabant, vt Diuus Cyrillus ex diuina Scriptura demonstrat, aut quia Ægyptij, tãquam rem abominabilem, & detestabilem ducebant, huiusmodi animalia, quibus diuinos deferebant honores, occidere, & mactare. Hæc autem erant, quæ primum omnium populus Dei sacrificaturus, & occisurus erat. Moyses enim, aut peculiari reuelatione diuina, aut memor illius sacrificij, quod ex Dei decreto obtulit Abraham, ex ariete, capra, vacca, & quod postea obtulit ex ariete, intellexit quod hæc erant primum omnium sacrificanda. Hanc intelligentiam tradit clarissimè Paraphrastes Chaldæus, qui ita verba Moysi ad Pharaonem, legit: *Non decet ita fieri, quoniam animal, quod Ægyptij colunt, nos immolabimus, vt sacrificemus coram Domino Deo nostro. Quod si immolauerimus animal, quod ipsi colunt, ipsis videntibus, lapidabunt nos.* Hoc igitur agit fidelis Dei populus, primum omnium occidit, immolat, & in Dei obsequium mactat, quæ Ægyptij summa veneratione colebant. Qua in re significatum est, oportere Christianum populum similiter agere. Debet Christianus Deo sacrificare, & ei aliquid offerre, qui spiritualis sacerdos à Deo constitutus est, eo modo quo Scripturæ asserunt, & sacri Theologi explicant: debetque esse solicitus sicut Propheta, dicens: *Quid dignum offeram Deo, pro omnibus peccatis meis?* Venit Christus, offerens, ignem, & gladium: vno enim in loco dicit *a*, *Non veni pacem mittere, sed gladium*: alio autem *b*, *Ignem veni mittere in terram*. Hæc quo sunt, quibus sacrificaturi egebant, quæque cum quis deferebat, hoc ipso indicabant se ad sacrificandum progredi. Ita intellexit Isaac, videns Abraham deferentem ignem, & gladium. Christus venit ponens in manibus nostris ignem, & gladium: vult igitur nos sacrificare, & aliquid offerre. Sed statim dicere pōt quiuis, id quod dixit Isaac: *Pater mi, ecce ignis, & gladius, vbi est victima holocausti?* Christus offert cuiuis ignem, & gladium; vbi est victima mactanda, & absumenda? Certè ipse, qui gladium, & ignem cuique offert, non exhibet victimam occidendam, & absumendam; hæc enim apud nos est, quia id sacrificandum, & mactandum est, quod Ægyptij, tanquam Deos colunt. *Sunt*, inquit Paulus, *in mundo Dij multi*: est pecunia Deus auari: *est* namq; *auaritia idolorum seruitus*: est voluptas, & commessatio Deus eorum, de quibus Paulus: *Quorum Deus venter est*. Honor ab ambitiosis, & mundanis, tanquam Deus habetur, quem summopere colunt, & æstimant. Hæc sunt mactãda igne, & gladio Euangelicæ legis, & in Dei obsequium absumenda. Hæc sunt à Christiano, legis Euangelicæ gladio, & igne amoris, quo illa ardet occidenda, voluptas, delitiæ, diuitiæ, mundanus honor, mundi iudicia, & decreta. Ita faciebat Paulus, qui cum antea magna in æstimatione haberet honorem mundi, & cætera quæ in mũdo æstimari solent, *sed quæ prius mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum arbitratus sum detrimenta, & tanquam stercora, &c* Non rectè cohærent, esse populum Dei, & colere, quæ Ægyptij in summa habent in veneratione. Vnde Christus Dominus, docens quomodo se quiuis deberet examinare, an ad eius scholam, & Rempublicam pertineat, postquam multa dixit, de computatione sumptuum ad ædificandam turrim, & de exercitu cogendo, ad resistendum Regi, in contrarium venienti, tandem subintulit: *Sic ergo, omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Gen.15.9.

Gen.22.13

In caten. Lippoma.

Mich.6.6.

a *Matth.* 10.34.

b *Luc.*12.49

Gen.22.6.

1.Cor.8.5. ad Gal.5.20. ad Philip. 3.19.

ad Philip. 3.8.

Luc.14.33

§. 3. *Antiquos debet transcendere Christianus, quem Dominus in suprema arcæ mansione locauit.*

¶ 127. AD altiora Christus discipulos suos & populum suum trahit, quibus veterum, & antiquorum iustitiam transcendere iubet. Innumera sunt, quæ circa arcam Noè, obseruant Sancti Patres, circa eius quantitatem, figuram, longitudinem, latitudinem, contignationem, de quibus Beatus Augustinus
15. *De ciui.* 6. 26. & 27 latè disputat. Id ad nostrum institutũ primò obseruandum est, illam in tres mansiones, aut cameras esse diuisam; quod nec Augustino displicet, & est conforme textui hebræo. Quod enim in nostra Vulgata legimus, Deum præ-
Gen. 6. 16. cepisse Noe: *deorsum, cænacula, & tristega facies in ea*, in hebræo habetur: *Inferiora secunda, & tertia facies in ea*, vt apud Pagninum: tribus enim habitationibus erat distincta, infima, media, & suprema. In infima ex vna parte erant animalia, ex alia cibus pro eorum sustentatione seruatus. In media erant aues ex vna parte, & alia quæ ad eam victum erant necessaria. In suprema erat Noe, & vxor eius, cum filijs, & vxoribus eorũ. Et hæc arcæ diuisio conformior est tum textui sacro, quem citauimus, tum ei, quod dicitur finito di-
Gen. 8. 13. luuio, Noe *aperuisse tectum arcæ*, cui ille proximus sine dubio erat: cui etiam feneſtra, quæ in superiori parte arcæ erat extructa, erat propinqua, ex qua emisit columbam, & coruum. Et certè, ita secundum rectam rationem videtur disponendam fuisse habitationẽ, quod animalia quadrupedia in imo, & alites in medio, homines in superis manerent, quo minorem ab animalibus, & auibus molestiam sentirent. Secundo obseruandum est, arcam cõstructam fuisse ad modum pyramidis, quãtum ad hoc, quod in inferioribus latissima erat: quo autem altius eleuabatur, erat strictior. Vnde quæ iubetur ita construi, vt in imo haberet trecentos cubitos latitudinis, iubetur consummari in cubito, dicente Domino. *In cubito consummabis eam.* Ex quo licet considerare, quantò in arctiori loco compressi tenerentur Noe, & cæteri homines, in summo arcæ constituti, quam animalia, quæ erant in imo. Tertiò obseruandum est, omnia illa, quæ de arca facta, & scripta sunt, in typo Sãctæ Ecclesiæ, & ciuitatis Dei, facta, & scripta fuisse, cuius illa erat manifesta figura, vt Dinus Petrus dixit: facilè namque erat Deo, Noe, & eius filios, & animalia, 1. *Pet.* 3. 21 seruare absque tantæ molis cõstructione, sed noluit, nisi per arcam sub tot mensuris, & mansionibus factam, vt in ea Ecclesiæ suæ Sanctæ imaginem præberet descriptam, vt latè Beatus Augu- 15. *De ciui.* stinus prosequitur, annotans hoc in mẽ *cit.* te perpetuò retinendum, cum de illa arca agimus, quæ figura erat peregrinãtis in seculo ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ, quæ sit salua per lignum. Constans enim veritas est, nullum à mundi exordio salutem fuisse cõsecutum, qui hanc arcam non fuerit ingressus. Semper namque vera est propositio, quod extra Ecclesiam, nũquam alicui patuit salus. Quomodo Ecclesia fuerit ab initio, quo etiam modo ad illam homines pertinerent, & quinam eam ingredierentur, non vacat nunc explicare: dicemus quæ communiora, & manifestiora sunt, illam scilicet secũdum tres mansiones distributam, & diuisam, iuxta triplicem statum, naturæ, legis, & Euangelij. In illa mansione status naturæ, fuerunt homines in magna latitudine viuentes, quos nulla positiua lex constringebat; sed per illam gubernabantur, quam in eorum cordibus Deus indiderat, quam quia propria concupiscentia satis offuscabat, & vnusquisque secundum appetitus sui impetum agebat, animalibus quadrupedibus similes dicebantur, suos tãtummodo affectus sequentes; de quibus Apostolus latè loquitur. Sequutus fuit postea status legis, per quem homines ad altiorem gradum euecti sunt, quos Deus ¶ 128. ita extulit, vt dicat Moyses: *Nõ est alia natio tam grandis, &c.* & Dauid: *Non fe-* *Deut.* 4. 7. *cit taliter omni nationi, & iudicia sua* *Ps.* 147. 20. *non manifestauit eis.* Hi magis strictam profiteri vitam tenebantur, quibus per legem multa prohibebantur, quæ ante illam licebant. Status tandem Euangelij,

gelij, tanquam vltimus, & perfectus ſequutus eſt, qui quo altior, eo eſt etiã
Matt. 7.14 arctior, & *arcta* prædicatur à Chriſto *via* Euangelica, *quæ ducit ad vitam*. Debet enim Chriſtianus, qui ſupremæ perfectionis legem profitetur, perfectiora agere, & excedere eos, qui in ſtatu, & naturæ, & legis vixerunt, tanto diſcrimine, quanto homo excellit a-
Li. de virg. c 83. to. 5. ues, & quadrupedia, vt Beatus Chryſoſtomus proſequitur. His tribus ſta-
In Pſ. 108. tibus, illi tres modi, quibus ſe habere poteſt quis, cum offendentibus ſe inimicis, correſpondent, quos tradit Diuus Auguſtinus. Primus eſt, reddere mala pro malis, ſecundus, non reddere mala pro malis, tertius, reddere bona pro malis. Primus videtur pertinuiſſe ad ſtatum legis naturæ, in quo quia homines communiter ſuos affectus ſequebantur, & multa tenebantur ignorantia, tanquam animalia, offendentes ſe offendebant, & malefaciẽtibus ſibi, malefaciebant. Secundus, ad ſtatum legis ſcriptæ, in quo quia expreſſe pro-
Leu. 19. 18 hibita erat vltio, dicente Domino: *Non eris vltor, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, id communiter credebant ſibi ſufficere, non reddere malum pro malo. Tertius autem legi Euangelicę congruit, reddere bonum pro malo, & benedictũ pro maledicto, & dilectionem pro odio, & id facere quod Dominus ad eos, qui huiuſmodi legem profitentur, dicit: *Ego autem dico vobis Diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos*. Debet itaque Chriſtianus perfectiora, & excellentiora agere, quam qui in ſtatu naturæ, aut ſcriptæ legis. Hæcque eſt ratio, quam Chriſtus inſinuat dicens; Auditis, quia dictum eſt antiquis, &c. ego autẽ dico vobis, &c. quaſi dicat: qui in ſupremo loco arcæ conſtitutus eſt, propinquior cœlo factus, & ad altiora eleuatus, abundantiori iuſtitia præſtare debet, quam qui in medio, & infimo locati fuerunt. Si diligitis tãtum eos, qui vos diligunt, non eos exceditis, qui in lege naturæ fuerunt, quales ſunt etiam ethnici, & publicani, qui naturæ impulſu eos diligunt, à quibus diliguntur. Si contenti eſtis, non malefaciendo inimicis, non eſtis perfectiores antiquæ legis obſeruatoribus. Oportet, vt abundantior ſit veſtra iuſtitia, diligere ſcilicet inimicos, benefacere ijs, qui vos oderunt, & odium dilectione, & offenſas beneficentiæ operibus compenſare. Hoc eſt vitam euangelicam profiteri. Ex quo argumentum conficit Beatus Auguſtinus contra multos, qui de Chriſtiano nomine gloriantur. Debet ſanè Chriſtianus, hunc vltimũ ſtatum tenere; qui autem necdum ad primum illum peruenit, quam longè erit à vita Chriſtiana cõſtitutus? Sunt enim multi, qui nondum verè diligũt diligentes ſe, nec amicitiam vera amicitia compenſant, nec beneficijs receptis beneficia, ſed potius mala rependunt, pro bonis mala referunt. Huiuſmodi tanquam deſperatos pronuntiat Dauid, qui quod imprecãdi phraſi proponit, prædicentis ſpiritu accipiendũ eſſe docuit Auguſtinus; *Poſuerunt*, inquit, *mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*. Quid huic annũtias euenturum? *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius, &c.*

Li. 1. de ſer. Dom. c. 21.
Pſ. 108. 5.

§. 4. *Chriſtus amorem ſibi debitum, inimicis conſignat, ad modum, quo ignem altaris in terram Angelus miſit.*

¶ 129. EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros Pronomen illud *Ego*, quod ſupponit, validam efficaciſſimãque rationem indicat, per quam præceptum redditur rationabile, facile, & valde proficuũ. Et verè viſus eſt Chriſtus Dominus alludere voluiſſe, ad illa verba, quæ longè ante per Eſaiam prædixerat. *Attendite ad me populi mei, & tribus mea me audite, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum*. Septuaginta, *in lucem gentium requieſcet*: vbi tam euidenter inducitur Chriſtus, legem Euangelicam promulgaturus, vt Beatus Auguſtinus hęc verba expendens, tandem rem concluſerit, dicens: Quis tam ſurdus, quis tam demens, quis tam mente cæcus, vt iſtis tam euidẽtibus teſtimonijs obloquatur,

Eſa. 51. 4.
Lib vnic. ae in. Ec

quatur, nisi qui nescit quid loquatur? *Lex*, inquit, *à me exiet*. Manifestissimum est, inquit Chrysostomus *a*, non esse sermonem de lege antiqua, quæ iam multo ante à se prodierat: quo eodem argumento vsus fuerat Cyprianus *b*. De nouo igitur testamento sermo est, de quo idem Esaias dixerat *c*: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, quia Dominus aliquando in monte, quem Sionis nomine intelligit, aliquando in Ierusalem, aut circa eam prædicans, legem Euangelicam tradidit, indeq; Apostolos ad eam gentibus prædicandam destinauit. Quod, & alij antiqui Patres similiter obseruarunt, Hilarius *d*, Augustin *e*, Eusebius Cæsariensis *f*, Tertullianus *g*. Quâ autem primo appellat legem, deinde vocat iudicium: *Iudicium meum in lucem populorum requiescet*: familiare enim est Scripturæ sacræ, diuinas leges vocari iudicia Dei, vt apud Dauid *h*: *Auferuntur iudicia tua à facie eius, & ei, Didici iudicia iustitiæ tuæ, & iudicia tua iuecũda, &c.* & alibi *k*: *Populus meus non cognouit iudicium Domini*, ideſt, legẽ. Et meritò, quia diuina lex, iustitiæ debitum fundat, vt eam seruantes dicere possint *l*: *Reposita est mihi corona iustitiæ*. Insuper, quia per legem Deus nobis manifestum facit iudicium, & sensum suum, quidve ille agendum, aut cauendum, tanquam lata sententia iudicet, & decernat. Hoc iudicium daturum se dixit, in lucem populorum, aut gentium, quia Euangelica lex ad illuminandas omnes gentes erat ab eo tradenda, cui dictum fuerat: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, &c. dedi te in lucem gentium*. Lucis nomine bonum intelligit, metaphora sumpta à Sole, qui per lucem quã emittit, mundum fouet, & cõseruat: est enim lux, qualitas quædam vnifica, calorem salutiferum continens, sine qua nihil boni generari potest. Aptè autẽ dicit, quod requiescet hæc lex, quæ nullo vnquam tempore erat mutanda, sicut antiqua. In hebræo enim habetur verbum *Ragagh*, quod significat cum perseuerantia, & permanentia quiescere, quomodo dicitur *a*, *Inter gentes illas non quiesces*: & iterum *b*, *Ibi cubauit lamia, &c.* Hanc autẽ legem laturus, & promulgaturus, præmittit: *Attendite ad me*: Personam meam considerate, & videte, quis est qui legem fert: ex eo enim vobis constabit, præceptũ esse rationi conforme, facileq; & suaue, & in magnum vestri commodũ. Hanc personam attendendã Christus exposuit, legem promulgans, dicens: *Ego autem*. Si enim attẽdas, quis est, qui tibi præcipit diligere inimicos, facillimum erit tibi, illud exequi, & valdè rationi consonum intelliges. Hæc explicare possumus, cõmuni familiariq; exemplo ducto, ab vsu earũ pactionum, quas cõsignationes vocamus: nihil enim commune, quam quantitatem alicubi debitã, consignari ab eo, dandam alteri, aut in totũ, aut in partem. Hæc consignatio, rationẽ inducit, propter quam, quantitatem consignatam soluere alteri teneris. Debes Regi, aut tẽporali Domino iure dominij, vel alio titulo, mille aureos: si ille tibi præciperet, vt ex illa quantitate sibi debita, partẽ aliquã homini tibi penitus ignoto pẽderes, nullam tibi irrogaret iniuriã: quin potius teneris, partem consignatã persoluere quãuis enim nihil illi homini ratione sui debeas, debes tamen ratione consignationis regiæ, cui illa, & alia major quantitas erat debita. Est Deus, Dominus noster, cui iure dominij, alijsq; multis titulis, debet homo totũ amorem cordis sui; ideoq; iure statutũ est: *Diliges Dominũ Deum tuũ, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua, & ex omnib. viribus tuis*. Tantum amorẽ ei debet, vt si posset habere infinitũ, totus esset Deo debitus. Illa autem ex ea quantite amoris sibi debita, iubet, inimico partem aliquã impendi, qui hanc legẽ promulgãs: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos, quasi consignationis chartam, vel chirographum conficere videtur. Teneris igitur istum amorem persoluere illi, cui impendendũ consignauit, non quia illi tu debeas amorẽ, sed quia is, cui totũ amorem debebas, partem illi soluendam consignauit. Quærit B. Augustin. cur sæpè teneatur homo facere proximo, cui nihil debet: omnis enim obligatio ab aliqua ratione debiti oritur. Si ego nihil debeo vicino,

¶ 103.

a Li. de cognitio. Dei quẽ alij D. Greg. Nyss. tribuunt.
b Li. 1. ad uers. Iud. cap. 10.
c Isa. 2. 3.
d In Ps. 52. & 121.
e Tract. 6. in Ioan. & erat. adue. Iud.
f Lib. 1. de demonst. cap. 10.
g L. 2. & 4 cont. Mar.
h Ps. 9. 26.
i Ps. 118. 7 43.
k Ier. 8. 7.
l 2. ad Tim. 4. 8.
Esa. 49. 6.
Forer. in c. 51.
Esa. v. 4.
a Deut. 28.
b Is. 34. 14
¶ 130.
Deut. 6. 5. & Matth. 22. 37.
Serm. 142. de tempor.

cino, aut conciui, aut homini mihi ignoto, cur teneor, ſæpè ei beneficia impendere? Reſpondet Auguſtin. iure teneri, non ratione alicuius debiti erga illam, ſed ratione debiti erga Deum, quod Deus in beneficium proximi conſignat. Tenetur enim homo omnia quæ poteſt in Dei obſequium facere: cetera quia Deus nullo indiget, ea quæ ſibi debita ſunt. conſignat in homines indigentes: Eſt tua pecunia Deo debita, ſed quia illa ipſe non eget, conſignat in bonum pauperis, viduæ, captiui, &c. Eſt tua cura, ſolicitudo, & virtus, Deo debita: quia tamen illi non eſt neceſſaria, conſignat in vtilitatem proximi, vt erga illum facias, quod poteris, cum neceſſitate premitur. Hoc demonſtrat D. Auguſtin. ex hiſtoria illa, qua Chriſtus Petrum ter interrogauit: *Ioan. 21. 15* *Simon Ioannis diligis me plus iis?* Reſpondente enim Petro: *Tu ſcis Domine, quia amo te*, Chriſtus ſemper adiunxit *Paſce agnos meos, paſce oues meas*: dicens: Dilectionem quam erga me habes, conſigno, vt oſtendas erga oues meas: & quod diligendo me, facere debueras mihi, volo, vt ouibus meis præſtes. Ita Petrus obligatus manſit, omnem ſuam curam impendere ouibus, non ratione illarum, ſed quia Deus, id quod debitum ſibi erat, in bonum ouium conſignauit. Hæc refert S. Ioannes, qui quantum exiſtimo, hinc illam *1. Ioan. 4. 21.* traxit doctrinam: *Hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem ſuum*: Deus enim, ex dilectione ſibi debita in proximum conſignat partem, & idio tota ratio propter quam tenetur quis ex charitate diligere proximum, eſt, quia tenetur diligere Deum. Optimè ergo hanc legem ¶ 131. ſtatuens clamat: *Attendite ad me populeus*: Ego enim, cui totum amorem debes, inimico partem conſigno, dicens: *Diligite inimicos veſtros*. Et verè huic *1. ad Theſſ. 4. 9.* rationi alluſiſſe videtur Apoſtolus, ad *Hom. 6. in 1. ad Theſſ.* Theſſalonicenſes ſcribens, cuius verba ſolita ſua eloquentia S. Chryſoſt. expendit. *De charitate autem fraternitatis*, inquit, Paulus, *non neceſſe habemus ſcribere vobis, ipſi enim mandatum habetis à Deo, vt diligatis inuicem.* Multa, inquit Chryſoſt. dixerat Apoſtolus, ſuadens Theſſalonicenſibus, caſtitatem, plurima hortans eoſdem ad bonorum operum executionem magna etiam de fide, & ſpe docens, mortuos non ſicut ab infidelibus lugendos. Qui de his moribus tam latè dixit, de eo quod ſupremum ipſe diffinierat, ſcilicet de charitate, nihil iudicauit ſcribendum aut dicendum? *Non*, inquit, *neceſſe habemus, vt ſcribamus vobis*. Sed quia ita loquitur, ad maiorem huius curam eos excitat: primo quidem, rem iſtã tam neceſſariam eſſe docens, vt ne doctrina quidem opus habeat: nam quæ vehemẽter magna ſunt, omnibus patent. Deinde quia addidit: *Vos ipſi à Deo docti eſtis?* quibus verbis magis charitatis præceptum cõmendat, quam ſi ipſe illud propoſuiſſet: Deum enim huius præcepti doctorem commemorat. Et verè non tantum voluit Apoſtolus dicere, præceptum charitatis à Domino eſſe traditum: nam etiam ab eodem tradita erant præcepta ſpei, fidei, caſtitatis, & aliarũ virtutum, de quibus nihilominus Paulus, latè paulo ante differuerat: ſed indicare voluit rationem, propter quam ad opera charitatis tenebantur, quę ex ijs, quæ Dominus præcepit tam manifeſta eſt, vt non egeant commendatione. Præcipiens enim charitatem, & amorem, nihil aliud facit, quam ex eo quod ſibi debitum erat, partem conſignare. Hac facta conſignatione, non cenſuit Paulus neceſſarium, aliquid ſcribere, ſicut facta à Rege conſignatione eius, quod ei debes erga alterum, non neceſſe eſt, aliquid tibi vltra dici, vt intelligat, te ad id illi perſoluendum, eſſe obligatum. Hinc intelligimus factum illud celebre Moyſi, quod Origenes expendit. Rebelli, ac dura ſuperbia Chore Dathan, & Abiron, contra Moyſen, & Aaron, inſurrexerunt: quam Dominus euidenti mulctauit vltione: nam *diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis*. Populus etſi tunc timore fuerit correptus, *die tamen ſequenti murmurauit omnis multitudo filiorum Iſrael cõtra Moyſen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.* In tantumque orta eſt ſeditio, & tumultus increbuit, vt compulſi fuerint Moyſes, & Aaron fugere ad tabernaculũ fœderis. Iratus propterea Dominus cõtra populũ, plagam *Hom. 9. in lib. Num.* *Nu. 16. 11.*

gam immisit, quæ vniuersos absumebat. Tunc Moyses dixit Aaron : *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, vt roges pro eis.* Quod cum fecisset Aron, cessauit plaga. Origen. maximè laudat Moysen, & Aaron, propter excellentem charitatem erga inimicos, qui illorum persecutionem insigni beneficio compensarunt; & soliciti fuerunt pro seruanda vita illorum, qui sibi mortem totis viribus conabantur inferre. Sed mysterium altius expende. Voluit Moyses, vt Aaron ad orandum, & offerendum sacrificium pro inimicis, se conuerteret: propterea partem ignis illius, qui in altari erat, iubet accipi, quam in bonum inimicorum profundat. Erat ignis ille sanctus, diuinus, ac Deo dicatus; qui propterea charitatis erga Deum tenebat typum, vt omnes sancti patres annotarunt. Dicere ergo voluit : Nullum amorem tuum illis impendere debes, nec peculiari affectu tuo naturali, illos quos inimicos experiris, teneris diligere : ideo non peto, vt ignem tuum peculiarem, in eorum bonum conuertas, sed de igne diuinæ charitatis, qua Deum teneris diligere, in illos partem effunde : hæc
¶ 132. enim est voluntas Dei, qui inimicis consignat partem amoris sibi debiti. Hinc aliqua ratione explicare possumus visionem illam, varijs difficultatibus implicatam, beati Ioannis, qui vidit Angelum, habentem thuribulum aureum in manu sua, & accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud *de igne altaris, & misit in terram.* Non
Apoc. 8. 5. misit Angelus in terram, nisi partem ignis de altari acceptam. Alludit Ioannes ad altare holocausti, in quo tanquam in proprio loco, ignis ille sanctus diuinus, quem Deus supernaturali virtute accenderat, ardebat, qui charitatem, & amorem significabat, vt sancti Patres docent; quæ ignis quidam est diuinus, diuina, supernaturalique virtute accensus, quem naturæ vis
ad Rom. 5. 5. accendere non potest: est enim *charitas Dei diffusa in cordibus nostris, per Spiritum sanctum.* Hic ardet in altari, quo nomine Deus ipse intelligitur, erga quem tanquam circa proprium obiectum, charitas ardoris sui flammas emittit, cui totus talis amor debitus est. Habet quidem vnusquisque thuribulum suum, propriam videlicet voluntatem quæ sedes est amoris vel ignis. Quantumcunque quis Angelus sit, non mittit in terram ignem de thuribulo proprio, idest, amorem naturalem suæ voluntatis, sed ignis partem de altari desumptam. Terræ nomine, peccatores, & inimici intelliguntur, qui qualitates habent. Sunt graues per offensionem, quam inferunt, frigidi, per odium, quod tenent, & ficci, atque aridi, quibus deest humor charitatis, & beneficentiæ : nec enim ab aliquo quantumcunque sancto Deus exposcit, vt amorem naturalem voluntatis suæ erga inimicum profundat. Talis namque amor cum sit vnicuique proprius, tantum impendendus est ijs, quibus homo ratione sui deuinctus est, & obligatus : sicut quæ tibi propria sunt, non teneris elargiri, nisi quibus obligatus existis. Præcipit tamen, vt de igne altaris, de amore scilicet ipsi Deo debito, qui est amor charitatis, partem sumas, quam in thuribulo voluntatis tuæ positam, profundas in inimicos. Iure igitur id agere teneris. Hæc omnia fient manifesta, si expendas, quod Paulus ad Philemonem scripsit, rogans, vt seruum quendam, qui se offenderat, ad sui gratiam reciperet. *Tu illum,* inquit, *vt mea viscera suscipe. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu : Ego reddam, vt non dicam tibi, quod, & te ipsum mihi debes.* Quasi dicens : Tu teipsum mihi debens hoc ipso absque alio præmio tenereris agere, quæ ego erga seruum tibi impono. Sed verè ego peculiariter tibi, quod pro illo feceris, satisfaciam : suscipe illum sicut me ; quod pro illo egeris, pro me egisse, intellige, qui his verbis subscribo, &c. Certè omni reprehensione dignus fuisset Philemon, si quod Apostolus petebat, non exequeretur erga seruum. Et verè nullus est apud nos, qui si similem Apostoli epistolam reciperet, non reciperet ad sui gratiam inimicum. Quid igitur agere debes dū Christum audis, ore proprio dicētem, præcipien-

ad Philem vers. 12. 17 18. 18.

tem,

tem, mandantem: *Ego autem dico vobis?* Ex hac consideratione Dauid animam suam continebat, ne contra inimicos per vindictam procederet, il-
Ps.61.2.6. lam sæpè repetens vocem: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim patientia mea* Quasi respondet militibus excitantibus ipsum, vt Saul occideret, aut inimicos suos interimeret. *Ab ipso patientia mea*: à Deo scilicet, secundum multa genera causarum eius patientia procedebat, singulariter autem in genere causæ exemplaris, quasi dicat. Ipse me docet, qualiter patientiam tenere debeam, quomodo
S. Antoni, 3.p. histor. tit.23.c.6. Christus Dominus Beatum Petrum martyrē, quem quidam infamauerant, consolatus fuit. Pijs namque querimonijs agens coram Crucifixi imagine: Mi Domine, inquit, tu scis in causa illa innocentiam meam, cur permisisti me ita iudicari? respondit de cruce Dominus: Et ego Petre quid malefeci, vt cum tantis opprobrijs ad crucem damnatus fuerim: ex meo exemplo patientiam discе, &c. Sed eleganter verba intelliges, si dicas: Ab ipso patientia mea, id est, Deo debita est omnis patientia, quam tenere debeo: quicquid hostis agat contra me. Ille mihi imponit, vt huius patientiæ portionem inimico impendam: illam igitur inimico impendo, quam Deo debitam confiteor.

§.5. *Exemplo Laban, & B. Stephani, res explicatur, & cur Stephanus dixerit: Domine Iesu.*

¶139. HVius rationis vim percepit Laban ille, quamuis idololatra, & infidelis, quando contra Iacob generum suum furore succensus, fratribus, & cognatis suis comitatus procedebat, vindicaturus offensam, quam sibi ab illo iudicabat illatam, quod se inscio, filias suas secum ducebat, & quem, & Deos suos furatum suspicabatur. Furijs enim
Gen.31.24 inuecto procedēti, apparuit ei Deus in somnis, dicens ei: *Caue, ne quicquam aspere loquaris contra Iacob.* Cum igitur cōsequutus fuisset Iacob, cēpit eius, probare facta dicens? *Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas, quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti? Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue, ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* Duo sunt circa hæc verba annotanda, primum est, aptè Laban expressisse appetitum vindictæ, quo ardebat, dicens: *Valet manus mea reddere tibi malum.* In hebræo est participium, *Leel*, id est, ad fortitudinem, aut ad impetendum, ad modum arietis: quia enim aries vocatur *Ail*, à fortitudine, sub eius metaphora describitur, qui potens est, & excitatus aliquem impetere, sicut aries ille erat, quem vidit Daniel, habentem cornua excelsa, & ventilantem cornibus contra occidentem, qui Regem Darium exprimebat gestientem impetere Alexandrum Magnum, quem sub hirci figura ibidē Daniel vidit. Voluit ergo Laban dicere, quod manus eius iustar arietum impetere cupientium gestiebant, & iam erant excitatæ ad percutiendum. Doctrina est Aristotelis, iram in corde ardentem, mouere exteriora mēbra ad vindictam sumendam; illaque est, quæ vires excitat, & quæ gladium manibus imponit. Voluit dicere Laban: Ira, qua excandesco, iam acuit manus meas, vt ad agendum contra te, non minus quā aries ad impetendū excitatus, gestiēs, & gliscēs, sim excitatus. Alterum est: Laban nequaquam verum Deum coluisse, qui idololatra erat: ideoq; nō dixit, Deus meus, sed *Deus patris vestri, dixit mihi*. Idololatra ergo, qui erga Deum impie erat dispositus, manum iam eleuatam, & excitatam ad vindictam, gestientem illam inferre, continet, odium deponit, propositum, quo malum inferre decreuerat, mutat, seq; tandem ad amorē, dilectionem, beneuolentiam, & beneficientiæ opera cōuertit, quia Deus ille, quem ipse nō colebat, ita faciendum præceperat, quem cognouerat fortem cōtra contemptores verborum suorum: quanto potiori iure Christianus, qui Deum verum colit, cui omnia sua debita agnoscit, continere debet irā, deponere odium, & ad amorem se erga inimicū conuertere, cum Deus, qui pleno iure omnibus dominatur, id præcipit, & statuit,

לאל

לוא

Bsix.to.1. fol.22. Dan.8.4.

vt inimico partē eius amoris, & beneficentię, quam ſibi te debere gloriaris, impendas? Quando ergo aliquis te iniuria affecit, iram excitauit, furorem ſuccendit; attende ad Deum loquentem tibi: *Ego dico vobis*; Diligite, &c.

¶ 314. & dicito: *Valet manus meæ reddere illi malum, ſed quia Deus meus præcepit mihi, &c.* Non ille meretur à me diligi, nec beneficentiæ opera ſibi exhiberi, ſed Deus cui omnia debeo, amorem, & beneficentiam ſibi debitam, erga illum conſignauit. Et verè etiam viſus eſt Apoſtolus, voluiſſe nos inſtruere, vt ad attendendum Deum in huiuſmodi occaſionibus nos conuertamus, id facientes, quod ille verbis ſuperius inductis petit, legem promulgans: *Attendite ad me populo meus.* Id namque hortari voluit, dicens: *Per patientiam curramus aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Quid petis ò Apoſtole, vt per patientiam curramus? Et quiſnam patientiam tenere poteſt, erga illum, qui pro beneficijs à me collatis, maledicta rependit? Quæ patientia erga illum teneri poteſt, cui cum ego non ſolum nō nocuerim, ſed beneficus extiterim, me gratiſſima iniuria affecit? Patientiam tenere iubes; & non quomodocunque, ſed vt per eam curramus? Vtinam lento teſtudineoque greſſu, patientiæ viam ambularemus per patientiam, inquit, curramus: id enim iuſtum, & facile agnoſces, ſi aſpicias ad authorem fidei, & conſummatorem Ieſum: ſi id facias, quod ipſe faciendum tibi impoſuit, dicens: *Attende ad me populo meus.* Verè quantum exiſtimo, Paulus hæc dicens, memoria tenebat, quæ ipſo vidente Stephanus fecerat, qui patientiam non ſolum tenuit, ſed omnem eius viam cucurrit, & quaſi volādo peregit: nam dilectionem pro odio rependit, & lapides, quos inimici contra eum mittebant, vt vitam crudeliter adimerent, oratione pro illis fuſa, vt viuerent, compenſabat. Et quænam huius cauſa? Non lapides, inquit Chryſoſtomus, conſiderabat, nec quæ lapidantibus ipſe debebat, attēdebat, ſed oculos leuauit, aſpiciens in authorē fidei Chriſtū, quē vidēs à dextris Dei, clamauit. *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Expende vim verborum, & quod aptè nunc Chriſtum vocat Dominum: *Domine Ieſu.* Conſiderauit enim eum eſſe Dominum, cui totus amor noſter debitus eſt, erga quem patientiam tenere debemus, etiam ſi nos occidat, & lapidibus obruat. Recordatus eſt prēterea, hunc Dominum, partem amoris, & patientiæ ſibi debitæ, conſignaſſe erga inimicos noſtros. Optimè Auguſtinus agens de Stephano; Proba, inquit, Sācte, dilectionem tuam, videamus ſi reddis duritiam cordis lapidibus duris, lapidibus, qui te lapidabāt, lapides enim mittunt lapides, dura duri: qui in lapide legem acceperunt, lapides mittunt. Videamus chariſſimi, ſpectemus magnum ſpectaculum. Ecce Stephanus lapidatur. Sit conſtitutus ante oculos noſtros. Primò beatus Stephanus, ſtās orauit pro ſe, & ait: *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum*: deinde poſitis genibus, pro lapidantibus orans, *Domine*, inquit, *ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quaſi igitur id, quod à Domino conſignatum erat pendens, & ſoluens, patientiam erga lapidantes tenet, & amorem illis impendit, & benefica oratione illos proſequitur;

ad Hebr. 12. 1. 2.

Ser. 2. 37. de temp.

Ho. 22. ad popul.

Act. 7. 58. 59.

§. 6. *Facilè iram continebis, ſi non inimicum, ſed Chriſtum attendas, nec feſtines in tempore obductionis, vt dixit Sapiens. Ita Dauid, & Alexander.*

¶ 135. Dicens Chriſtus, *Ego autem dico, &c.* non ſolum præmittit perſonam ſuam attendendam, vt inde intelligas te obligatum, ad impendendum amorem inimico, ſed vt id facillimum reddat Paulus, vt patientiam tam facilem nobis faciat, quod per eam curramus, nos hortatur, vt aſpiciamus in authorem fidei, Chriſtum, ſicut paulo ante dictum eſt. Obſeruāda eſt ſiquidem B. Auguſt. doctrina, quam ad Pollentiū tradidit, rem difficillimam illi ſuadens; videlicet, fidem non tantum eſſe neceſſariam ad ſupernaturalia dogmata credēn-

Libr. 2. ad Pollen. c. 6.

credenda, ſed vtiliſſimam, vt quæ dura, difficilia, & aſpera nobis videtur, reddantur facilia, dulcia ac ſuauia. Ideoque ſi fides, inquit, adſit, nihil erit durum, per illam enim Chriſtum, quē diligimus, ibi aſpicimus, vbi oculi corporis nihil niſi quod nobis diſplicet vident. In paupere verbi gratia, ſanioſo, & fœtente, nihil vident oculi, quod non cogat faciem diuertere, ſed ibi fides videt Chriſtum, qui in illius ſe conſtituit perſona, recepturus quæ erga illum contuleris. Scit Chriſtus nos eſſe auaros, & quod noſtra nobis ita ſeruamus, vt nihil alicui, niſi ſub alicuius lucri ſpe tribuamus. Quid facit, vt nos miſericordes efficiat, & in eum bona tua profundas, à quo nihil ſperas? Se in illius perſona tibi per fidem conſpiciendum proponit, & ſeipſum exhibet recipientem, quæ pauperi dederis, & promittentem abundantiſſimè illa perſoluere, qui clamat; *Matth.25 30.* *Quamdiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Præcipit prælatis obedientiam, & reuerentiam exhibere; iſti aliquando tales ſunt, in quibus nihil oculi aſpiciunt, quod non ſit vilipēdio, & contemptu dignum: ponit ſe ille in eorum perſona, & in prælato impio ſeipſum exponit attendendum, *Luc.10.16* præcipientem, & dicentem; *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hac conſideratione facile eſt, reuerentiam ei exhibere, quem ratione ſui contemptu iudicas dignum: illam enim non ei, ſed Chriſto potius te exhibere profiteris. Hoc ſimiliter erga inimicum intelligendum eſt: ſi in illo tantum conſideres offenſam, & iniuriam, quam oculi corporis vident, ad odium, & vindictam prouocaberis: ſed attende Chriſtum per fidem, qui ſe in illius perſona conſtituit, & dilectionem, quam inimico exhibes, tanquam ſibi exhibitam profitetur: ſi illum aſpicias, cui res per patientiam. Et verè ita intelligi poſſe, indicat Beatus Ambroſius, quod Sponſus ad Sponſam, dixit: *Li.4.de inſti.vir.c 17* *Cant. 8.6.* *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, metaphora ſumpta à ſagittante, qui in nulla re alia oculos collocat, nec aliud aliquid intendit, ſagittam mittens, niſi ſignaculum. Duo cęleſtis Sponſus petit ab homine erga inimicum, dilectionem ſcilicet, quæ eſt actus cordis, & beneficētiam, quæ eſt actus brachij. Quomodo hæc exequetur homo facile; Pone me (inquit) vt ſignaculum, &c. non attendas ad illum, nec ad ea, quæ cōtra te fecit, ſed ad me, qui in illo ſum, tanquam ſignum, quod petere debes, recipiens dilectionē, & benefica opera, quæ erga illum cōtuleris, qui illa præcepi, & remuneranda promitto. Egregia ſine dubio, efficaciſſimaque eſt Pauli conſideratio ad Epheſios, quos poſtquam hortatus eſt, ad manſuetudinem, & iracundiam deponendam, rem totam vrgentiſſima ratione concludere volens, ſubdit; *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis, cum omni malitia: eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Singula verba expendenda ſunt. Primò petit tolli amaritudinem; hæc inquit Diuus Thomas, eſt prima radix, generaturque ex conſideratione & memoria offenſæ, inde procedit ira, quæ eſt appetitus vindictę, & indignatio, ſecundum quam homo non vult admittere excuſationem facti, & exterius prorumpit in clamoroſas voces, aut incompoſitos motus. Omnia hæc, inquit Paulus, tollantur à vobis, & eorum loco in viſceribus veſtris collocate benignitatem, & miſericordiā, per quas remittatis iniurias, & benefici ſitis in offendentes vos. Et quo modo res hæc, quę tam difficilis apparet, fieri poterit; *Donantes*, inquit, *inuicem, ſicut, & Deus in Chriſto donauit vobis.* Profundam Theologiam tradit Paulus, quam ſæpè ipſe docuit. Erant omnes homines inimici Dei, ei inuiſi, & odio ab illo habiti, nec erat in eis aliquid quod Deum ad remittendam, & donādam offenſam exercitaret. Venit tamen filius Dei, humanam naturā aſſumpſit, & habitauit in nobis, nobiſque coniunctus eſt, & hominum cauſam tanquam propriam aſſumpſit, & ſeipſum pro illis offerens, rogauit Patrem pro illorū delictis. Quo factum eſt, vt omnem Pater deponeret iram, & indignationem, quam contra homines concepe-

ad Epheſ. 4.& 5.

¶ 136. *In cap.4. ad Epheſ. lect.10.*

rat, propter eorum offensas: non quidem attendens ad illos, hoc enim potius eius ira accenderet, sed attendens ad Christum filium suum, qui hominibus iunctus, pro illis intercessit. Hocque est, quod dicit Apostolus: *Deus in Christo donauit vobis.* Quod, & Pater æternus non obscurè testatus
Mat. 17 5. est, dicens: *Hic est Filius dilectus, in quo mihi bene complacui.* In eo sibi cõplacuerunt peccatores, qui ratione sui merebantur odium. Hocque vt S. Ambrosius annotauit, idem Paulus explicare voluit, loquens de Patre æterno,
ad Eph. 1.3 & dicens: *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo.* Maledictionem homo ratione sui merebatur, sed propter Christum, qui pro illo intercessit, & sanguinem fudit, benedixit nos omni benedictione spirituali, quasi alludens, inquit Ambrosius, ad factum Isaac, qui nullatenus Iacob benediceret ratione sui, qui minor erat natu, nisi sensisset fragrantiam vesti-
Gen. 27.27 mentorum Esau, quibus erat indutus, & nisi in illo speciem filij maioris attẽdisset. Ita quidem Deo facillimũ fuit, iram deponere, & indignationem cõtra homines acceptam, & se erga ipsos exhibere benignum, et beneficum, parcens illis, quia non eorum demerita, & offensas, quas sibi intulerant, attendit, sed Christum pro illis intercedentem, & orantem. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi*, inquit Paulus, *donantes vobismetipsis, sicut Deus donauit vobis in Christo* Fateor, si attendas, ad inimicum, & offensam quam intulit, non meretur, vt eum diligas, ei condones, sis in illum benignus sed esto imitator cœlestis Patris, attende in illius persona Christum præcipientem, deprecantem, clamantem: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Hæc causa est totius damni, hac in parte, quod non attendis Christum, sed tantum oculos conijcis in illum, qui te offendit: ideo exardescis ira, succenderis furore. Diuinum est
¶ 137. consilium illud, quod Spiritus sanctus præbet homini, per iniuriam prouocato. *Deprime cor tuum, & sustine, &*
Eccl. 2.2. *inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis.* Quando aliquis te affecit iniuria, deprime cor tuum, & sustine, ne frena laxes, nec permittas cordi tuo, vt tanquam effrenis equus procedat: certissimum enim tibi imminet præcipitium, magis quam si indomito equo, calcaribus puncto, insideres: sustine, detine illud, & suscipe verba intellectus: attende, quid fides tibi proponat, quid Christus præcipiat, quid tibi absolutè sit expediens; da locum, inquit
B silius, cogitationibus sanctis: *Et ne-* *Hom.* 10. *f stines in tempore obductionis.* Attende *de ira.* egregiam metaphorã, qua vtitur Spiritus sanctus. Tempus obductionis dicitur, cum nubes densæ, & obscuræ, ad aeris regionem ascendentes, se expandunt, & lucem Solis obnubilant, & obscurant. Id quod accidit homini irato. Propter offensam sibi illatam, ascendunt cogitationes, à corde excitatæ ad caput, quæ vindictam suadent, & odium conciliant, quæ obscurant lucem rationis, & intellectus qui tanquã
Ps. 30.16. Sol est in anima, *conturbatur enim in ira oculus*, vt dixit Dauid. Ne festines tũc, sed id intellectui repræsenta, quod potest illustrare: suscipe verba intellectus, vt dum per iræ affectum obtenebratur, per id, quod repræsentas, luce clara illumineur. *Ne festines.* Videtur alludere ad illud, quod de cerno, & coruo communiter asseritur. Est corvus inter aues callidissimus, & astutissimus, de quo propterea Plinius caput *Li.* 10.*c.*43 peculiare scripsit, de intelligẽtia coruorum. Est præterea rapacissimus, & voracissimus, vt D. Basilius *a*, & Beatus Chrysost. *b*, expẽdunt. Est insuper cer- *a Hexa. in* uus, qui inter omnia animalia velocio- *diuit mua.* ri cursu in præcipitium fertur, adeo vt *b Hom. de* apud Ægyptios *c*, ceruus fuerit sym- *Elia.* bolum hominis præcipitati, & absque *c Apud* consideratione in præceps se dantis. *Pierii. l.* 7. Cũ igitur coruus fame vrgetur, vultque cerui carnibus saciari, primò per arenam reptat, cuius pulueres intra pennas alarum suarum concludit: deinde supra caput cerui consistens, rostro illum validè ferit, & pungit: conuertit se ceruus, ad videndum pungẽtem se, tunc coruus alas excutiens, pulueres in oculos cerui emittit; quibus illos obscurat, persistitq; pungẽdo, cuius ictibus excitatur ceruus, oculis pulueres obtenebratis, cursum arripit, et

ten-

rendens, quo dolor, & passio ducit; nesciensque quo tendat, præcipitium incurrit, & se interimit: sicque tandem cervi efficitur esca. Tota ruinæ cervi causa fuit, oculos convertere ad pungentem se, & eo tempore, quo oculos habebat pulvere obtenebratos, festinatum cursum tenere. Hoc sæpè accidit hominibus. Venit inimicus tuus, & verbo, aut facto, tanquam duro acriq ie rostro te pungit: oculos converteris statim ad illum videndum, attendens quis ille sit. quam iniustè te offenderit, quam dignus sit vltione, & multa, &c. Sed dum ita agis, in oculos cadit pulvis iracundiæ, qui illos obscurat, & tenebris offuscat. Excæcat enim ira etiam sapientes, vt alibi latè dictum est, si tunc festinas, currisque per odium, maledicta, indignationem, clamorem, certum tibimet inducis præcipitium, & mortem animæ. Ne igitur ad cervum oculos convertas, qui inde ex consideratione offensæ tenebris obscurabuntur, sed ad Christum, qui lux est, mentem eleva, illum attende præcipientem, & dicentem: Ego autem dico vobis. Ex his explicat D. Gregorius illud Apostoli:

¶ 138. 16. *Moral. cap. 8.* 1. *Cor. 13. 5* *In cap. 13. primæ ad Corinth.* *Charitas non irritatur, non cogitat malum.* Quamvis enim communis sensus sit, quem tradit Diuus Thomas, & placuit B. Anselmo, quod de nullo cogitat malum, sed bene de omnibus suspicatur: tamen Gregorius intelligit, hoc ideo etiam fuisse, quia cum malum ab inimico patitur, non ad illud cogitationis oculos convertit. Videturque verè Paulum hoc intendisse. Tota causa quare quis contra inimicum irritatur est, quia attentè considerat, & cogitatione percurrit iniuriam illatam.

2. *Reg. 15.* *Psal. 38.* Vnde, & Dauid, agens de iniuria, quam sibi intulit Semei, manifestè asserit, quod cogitans, succensus fuit vlciscendi ardore: id enim indicant illa verba: *Cum consisteret peccator aduersum me, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis*, vt alibi annotauimus. Charitas autem cogitationem auertit à malo, & iniuria recepta, & in Deum conuertit: ideoque facit, ne propter illam homo irritetur. Non cogitat malum, quia charitatis obiectum Deus est, hunc attendit, hunc considerat, ad illum conuertit oculos: ideoque patiens est, benigna est. Commune satis est, & visitatum, cum puer, amici sui filius, lapidem iaciens te acriter læsit in pede, continere teipsum à percutiendo illum, dicendo ei: Hoc considero quod filius es talis amici mei: hoc tibi suffragatur, quod es illius filius, quem ego amicitia prosequor. Id quod similiter facimus, cum seruus alicuius amici tui, tibi fuit ingratus: iram enim, quam contra illum in te ipso excitari sentis, comprimis, cõsiderans amicum, cuius ille seruus est. Et hanc reddit causam B. Chrysostomus, cur Dauid pepercerit Saul in spelunca; quem postea *inclinans se Dauid pronus in terram adorauit*. Id namque in illo tunc considerauit, quod paulo ante attendit, quando militibus suis excitantibus, vt Saulem occideret, respondit: *Viuit Dominus, non extẽdam manum meam in eum, quia Christus Domini est*. Nihil in illo vidit Dauid, quod posset se continere ab occisione eius: ideo non illum considerauit, sed Deum, à quo ille, hoc ipso quod in Regem fuerat sublimatus, commendatus erat. CHRISTVS, inquit, Domini est, quasi dicens militibus, inquit Chrysostomus: Contemnitis conseruum vestrum? reuertimini Dominum: aspernamini electum? metuite eum, qui elegit. Idipsum egit Iacob erga Esau fratrem suum, qui *eius fuit inimicus sempiternus*: nam videns eum venientem *ipse progrediens, adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius*. Non illum adorauit ratione sui, sed Deum, quem in illo conspiciebat. præcipientem sibi, diligere eum, quem sentiebat inimicum. Nota est historia quam refert Iosephus, de Alexandro Magno: qui quantumuis tanquam infidelis, & idololatra, nullum honorem sacerdotibus Iudæorum sibi impendendum putaret, videns tamen aliquãdo summum illorum sacerdotem Iaddum, vestibus sacris indutum, equo descendens, pronus adorauit: cuius actum mirantibus, causam reddidit, dicens, in illo sibi visum fuisse, videre Deum quendam, qui antiquis temporibus per visum in somnis,

Hom. 1. de Dauid, & Saul. *1. Re. 24. 9.* *1. Re. 24. 7.* *Exec. 31. 5.* *Gene. 33. 3* 11. *Antiq. cap. 8.*

ei maiestatem ad quam se euectum videbat, prædixerat. Potuit ille infidelis, non considerata hominis persona, Deum in illo considerare, qui somniando locutus sibi fuerat: quãto magis Christianus, qui luce fidei illustratum habet intellectum, per quem Deus, non in somnis, sed in veritate Euangelica clarissimè loquens, seipsum in inimico repræsentat, dicens: *Ego autem dico vobis:* Diligite inimicos vestros.

§. 7. *Vtilitates ingentes ex inimicis capere, Christus docet, seipsum exponens attendendum in dilectione, & beneficentia erga illos.*

¶ 139. NOn tantum pronomen illud, *Ego*, quod Christus legi præponit, demonstrat, præceptum esse rationabile, & illud reddit facile, vt dictum est, sed, & valde proficuum ostendit: expresse enim Christus seipsum exponit, nomini suo adscribens, quam inimico impenderis dilectionem, & beneficentiam, quam præcipit. Nullus, inquit B. Chrysostomus, dat opes suas ei, cui nihil debet, quem videt cunctis bonis spoliatum, nisi sub alicuius diuitis fidelisque mercatoris subscriptione, qui per chirographum manu sua subscriptum, illud sibi datum, & à se persoluendum fatetur. Quomodo Christus voluit obligare diuites, vt pauperibus bona sua tribuerent: nam seipsum, tanquam sub chirographo subscripsit, qui quod illis datum fuerit, à se receptum, & remunerandum promisit. Hoc ipsum nunc Christus præstat: videns enim, neminem esse, qui inimico velit dilectionem suam, & beneficia præstare, cui nihil debitum agnoscit, seipsum exhibet, qui dilectionem, & beneficia nomine suo recipiat, & persoluenda promittat. Edidit Plutarchus tractatum illum famige ratissimum, de vtilitate ab inimicis capienda: & expendit eleganter, quid circa feras factum sit. Nulla namque Prouincia est, quæ ab eis sit libera: hanc infestant leones, illam tigres, hanc serpentes, illam lupi, & vulpes, &c. Et quidem primi homines fœlices se reputabant, ex hoc solum, quod modum inuenierant, quo ab illis se defenderent; hæcque vnica eorum erat cura, bestiarum illarum lasionem euadere: ad hunc finem cum eis congrediebantur, & illas persequebantur. Qui tamen postea consequuti sunt, videntes impossibile esse, omnes huiusmodi bestias exterminare prudentissimè meditati sunt, non tantum se ab eis defendere, sed ex illis capere, vt non solum iam non inimicas, & noxias sed vtilissimas iudicent, & propter sua ipsorum commoda requirant, aut vt earum vescantur carnibus, in apris; aut vtantur vestibus, in tigribus, & pardalibus, aut felle vel pinguedine ad medicamina, vt in serpentibus, & vrsis, aut cornu vel vngue, in Rhinocerote, & vnicorne, aut ossibus, vt in equo marino. Ingentes vtilitates ex ceto inuenerunt, vt formidandam bestiam non fugiant homines, sed requirant, vt pinguedinem ad oleum, carnes ad pastum, ossa ad varios vsus extrahant. Viperam ipsam, & scorpionem, ad varia efficaciaque medicamenta requirunt. Sapienter quidem fecerunt, inquit Plutarchus: nam dato quod necessarium est huiusmodi feras sustinere, & impossibile penitus est illas exterminare. prudentissimæ sagacitatis est, ex ipsis vtilitatem capere, & earum rabiem in nostri commodum conuertere. Hinc probat, necessarium esse inuestigare vtilitates, quas ex inimicis capere possumus. Etenim impossibile est, omnino illis carere, & prius bestiæ in prouincia, quam inimici in Republica deficient. Sub hoc fundamento procedit, ad operis sui ædificium construendum, docens auditores suos, quomodo, & quas vtilitates ab inimicis, & persecutoribus possunt trahere. Illis tamen ¶ 140. relictis, Philosophis certe consideratione dignis, ad alium Magistrum, omnibus modis superiorem auscultandum nos conuertamus, Christum, qui no-

Hom. 5. de Panit.

Plutarch.

noſtræ ſaluti prouidens, ſciens nunquâ inimicos defecturos, melius quàm Plutarchus nos inſtruit, docens quomodo ex illis ingentem vtilitatem capiamus. Non dubium, quin ingentes ſint diuitiæ, & vtilitates, quas ex inimicis poſſumus reportare. *Nunquid theſauros grandinis aſpexiſti?* dixit Deus ab Iob. Nunquid, inquies, in grandine theſauri eſſe poſſunt? Imò deſtructio eſſe videtur: nam grandine aduenire abſumuntur omnia, & ideò Deus volens terram Ægypti depopulari, grandinem miſit: *& grando vaſtabat omnia*. Sed verè ſi ex grandine theſauri extrahi non poſſent, quos Deus videbat, non diceret: Nunquid theſauros grandinis aſpexiſti? Inimicus perſequens grandini ſimilis eſt, quia omnia vaſtare videtur, honorem quietem, diuitias, & vitam: ſed ingentes theſauri ex eo poſſunt extrahi. Extrahes igitur primò, ſi vt Chriſtus docere vult, dum inimicum pateris, non illum conſideres, ſed Chriſtum, qui ſicut dilectionem, & beneficentiam erga illum præcipit, ita ſeipſum primò exhibet, tanquam is cui dilectionem, & beneficentiæ opera ſibi exhibita, & à ſe perſoluenda profitetur, verbis illis ſupra explicatis: *Attendite ad me populo meus*. Inter omnes infirmitates grauiſſimam iudico rabiem, non tantùm quia crudeliſſimè torquet, ſed quia difficile, & quaſi impoſſibile eſt, ei mederi: vnicum enim illius remedium eſt aqua, quam bibat, in qua, & lauetur qui rabie laborat, quoniam ex nimio calore ſuccedente cor illa prouenit: id tamen miſer agere non poteſt, quoniam rabies non ſolùm cruciat cor, ſed, & talem humorem ad oculos mittit, vt hoc ipſo quod infirmus aquam videt, illum canem rabidum, qui ſe momorderat, contra ſe dentibus ringentem, in aqua conſpicere videtur; idcircò non minus aquâ ipſam, quam carnem auerſatur. Nullum propterea ſibi remedium ſupereſt niſi auertere oculos, ne vlla ratione canem conſpiciat, tantum illos conuertens ad eum, qui aquam porrigit. Qui ab inimico tanquam à rabido cane mordetur, rabiem incurrit, & furorem contra illum, qua vehementer torquetur. Huius mali remedium in hoc poſitum eſt, vt clariſſimam aquam Euangelicæ doctrinæ bibat, dicentis: Diligite inimicos veſtros: hæc ſiquidem rabiem tollit: nam *lex Domini immaculata conuertens animas*, aut vt alij legunt, quietans animas. Hoc tamen malum eſt, quod in ea videris te conſpicere canem, qui te momordit; dicis namque; Quomodo diligam eum qui me odio proſequutus eſt, & iniuria affecit? Quomodo beneficiam illi, qui mihi grauem intulit offenſam? Hoc tuum exitium eſt, oculos à cane auerte, & in illum tantummodo conuerte, qui tibi aquam ſubminiſtrat, & ad tui ſalutem exhibet, qui propterea ſe ipſum contuēdum ſtatim exponit, dicens; Ego autem dico, quaſi dicens: Hanc aquam Euangelicæ legis bibiturus, non illum conſideres qui te læſit, nec in illum dilectionem profundas, & beneficia, quaſi in eum ſolummodo exhibita, ſed vide, & attende me eſſe, qui dilectionem, & beneficia tanquam mihi præſtita æſtimo, & perſoluenda promitto. Ita faciebat Dauid, qui inimicos quaſi rabidos canes ſe mordentes videbat: *Factus ſum illis in parabolam, aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum*. Et quid tu agebas? in quoſnam oculos cōuertebas? Quidnam conſiderabas? *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus, in multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.* Idem eſt, inquit Auguſtinus, ac ſi dicat; Ego autem ad te eram. Et quomodo? Orando. Oratio eſt eleuatio mentis in Deum, vt ſacra Theologia diffinit. Orabam, inquit, id eſt, mentem meam ad te eleuabam, nequaquam illos conſiderabam, quorum contuitus rabiem poſſet augere, ſed te, qui mihi te exhibes contemplandum, quique meam erga inimicos dilectionem tanquam tibi exhibitam magnifacis, & prædicas, quam, & à te perſoluendam profiteris. Vnde aptè ſubdit: *tempus beneplaciti Deus.* Vocatur tēpus beneplaciti illud, quo Deus ſe exhibet placidum, & benignum ad ſupplicationes audiendas, & be-

Iob 38.22.

Exod.9.25

Pſal.118.8.

¶ 140.

Pſal.68.12.

In Pſal.68

ne-

beneficia conferenda, de quo Apostolus illud Prophetæ intelligit, *in tempore placito exaudiui te*: qui propterea hortatur, vt tali tempore accedamus ad supplicandum Deo, metaphora sumpta ab ijs, qui contendentes singularia beneficia à regibus obtinere, expectẽt tempus, quo illi se placidos, & benignos ostendant, sicut fecit Esther, quæ petere quod optabat noluit à rege, quousque illum lætum post comestionem vidit. Tempore ergò beneplacito supplicationes ad Deum dandæ sunt Et si quæras, quodnam illud sit. Respondeo cum Beato Gregorio, illud esse, cùm inimicum diligis, pro illo oras, eique benefacis. Quoniam enim Deus hæc omnia, tanquam à te in semetipsum collata suscipit, seipsum ita propter illa exhibet placidum, & benignum, vt facillimè misericordiam, quam tibi impendendam postulas, largiatur. Quando ergo Dauid dilectionem, & orationem inimicis impendit, tempus beneplaciti iudicat, vt misericordiam petat, & ideò subdit: *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me*. Non paruam peto misericordiam, sed multitudinem miserationum tuarum, innixus *in veritate salutis tuæ*. Quoniam tu fidelis es, & verax, qui quod promittis, adimples & qui promissis veniam illis, qui eam inimicis concedunt, & misericordiam exhibentibus illam offensoribus suis, veniam, & misericordiam mihi concede. De ijs latius infra, nam tantum nunc intendimus demonstrare, quomodo ex inimicis vtilitates ingentes capias. Ex illis certè hoc modo martyres sancti infinita sibi commoda pepererunt. Quis ¶ 142. enim tam acres, rabidosque inimicos modo ferr, quales tulerunt illi, quos carceribus horrendis includebant, flagris verberabant, in equuleo torquebant, membratim discerpebant, affigebant, crucibus, quorum cruebant linguam, &c. Et quis explicare valeat, quas inde vtilitates traxerunt? quam gloriæ coronam? quam triumphi palmam? Deum refert Ioannes, *abstergentem lacrymas ab oculis eorum*, &c. Quomodo tantum commodum ex inimicis reportarunt? Quia id fecerunt, quod Dominus dixit: *Attendite populo meus*. Erga inimicos inuictam tenuerunt patientiam, dilectionem admirandam, & beneficentiæ opera. Quidam pro illis orabant, vt Stephanus; alij bona sua eis impartiebantur, vt Cyprianus, & signanter Eusychius, qui in Cæsarea Cappadociæ, sub Adriano Imperatore accusatus, quòd Christianus esset, in carcerem coniectus est: & Paulò post inde emissus, patrimonium statim vendidit, & pretium partim pauperibus, partim accusatoribus distribuit. Sicut enim cùm pauperibus bona dabat, Christum in eis accipientem considerabat, ita, & beneficia in inimicos distribuens, tanquam Christo exhibita considerabat. Alij salutaribus monitis instruebant, &c. Hæc enim, non tam inimicis, quàm Christo se exhibere considerabant: cui Apostolus nomine suo cæterorumque Martyrum dicebat, illud Prophetæ: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*. Quam vtilitatem eduxit Baptista Ioannes, ex illa vulpe falsaci Herode? Quam Petrus, & Paulus, ex crudelissima bestia Nerone? Quam Andreas, ex terribili apro Ægæa? Quam agnus mitissimus Ioannes Euangelista, ex lupo tetro Domitiano? Quam Vincentius, & Laurentius, è tigribus Daciano, & Decio? Quam Catharina, ex rabido cane Maxentio; cæterique sancti Martyres, ex acerrimis inimicis, & tyrannis? Nunquam nisi tales bestiæ fuissent, tantam cepissent vtilitatem, nec tales coronæ eorum tempora redimerent, nec tam excellenti gloria fulgerent.

Esai. 49. 8. 2. Cor. 6. 2.

Esther. 5. 3 & cap. 7. 3.

35. Moral. cap. 7.

In Martyrologio die. 7. Septem.

Rom 8. 16. Ps. 43. 23.

Apoc. 7. 17

(·.·)

§. 8. Per-

§. 8. *Perſecutor deſeruit ei, quem perſequitur, & cooperari dicitur in bonum, quem ſancti inter benefactores cõputant.*

¶ 141. EX his explicat Beatus Auguſtinus *a* (cuius mentem ſuo more ſequutus eſt Diuus Thomas *b*) quæſtionem illim grauem, circa verba quæ Apoſtolus expendit *c*, dicta ad Rebeccam, quando conſulens Dominum, quoniam ſentiebat, quod in vtero ſuo collidebantur paruuli : *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & maior ſeruiet minori*. Quomodo hoc, aut quando impletum fuerit, inquirit Auguſtinus : nec enim videmus Eſau, qui maior natu fuit, ſeruiſſe Iacob minori, quem potius perpetuò perſequutus fuit, qui propterea, vt diximus, dicitur *Inimicus ſempiternus*. Id Sanctus Auguſtinus eloquenter explicat, & Diuus Thomas breuiſſimis verbis complexus fuit. Eſau, inquit, ſeruiuit Iacob, non directè, & ex intentione, ſed occaſionaliter ; in quantum illum perſequens, dedit ei occaſionem, vt inde innumera bona Iacob traheret. Illo vtique modo, inquit Auguſtinus, ſeruierunt perſecutores Martyribus, quomodo lima vel mallei auro, quomodo molæ ſeruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, illi conſumantur. Quomodo in fornace aurificis palea ſeruit auro, vbi ſine dubio palea conſumitur, aurum probatur. Dices : Hoc non erat Eſau ſeruire ipſi Iacob, ſed potius lædere, & nocere. Reſpondeo, hoc nihilominus in ſcriptura vocari ſeruire. Expendenda eſt illa collocutio, quam Deus habuit cum Prophera Ezechiele, quam, & expendit Diuus Thomas : *Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum, & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam : Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonoſor regẽ Babylonis in terra Ægypti, & accipet multitudinem eius & depradabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi, quo ſeruiuit aduerſus eam*. Expende vim illius verbi, *ſeruiuit mihi* : certè nihil minus curauit Nabuchodonoſor, quam ſeruire Deo, quem potius Idololatra ille contemnebat : ſuæ auaritiæ, & cupiditati, ac ſuperbiæ potius inſeruiebat, quibus excitatus exercitum congregauit, quo contra populum Dei egit, quem tanquam crudelem inimicum Dei, & populi ipſius, Habacuc Propheta de medio tollendum petebat : de illo enim loquebatur, quando dicebat ad Deum : *Quare taces, conculcante impio iuſtiorem ſe ?* Quomodo ergo Deus dicit, ſibi ſeruiſſe, & ſibi operatũ fuiſſe cuius opera cum mala eſſent, potius Deum offendebant ? Non ſeruiuit ille Deo, ex intentione, & directè, ſed occaſionaliter, quia ex illius ſæuitia, & crudelitate, qua contra populum Dei, & Tyrum, & Ægyptum egit, occaſionem Deo præbuit vindicandi iniurias, & puniendi populum ſuum, & Tyrũ, & Aegyptum, propter peccata ſua ; & quantumuis Rex ille ſuperbus hac ſolũmodo ratione Deo inſeruierit, mercedem illi cõſtituendã decreuit Deus : cuius loco bona eorum, qui caſtigati ſunt, eidem conceſſit, ſicuti iudex carnifici, veſtes illius, quem ſuſpendit, aut gladio ferit, vice mercedis donat. Ita ergo Eſau ſeruiuit ſancto Iacob, & Tyranni ſeruierunt Martyribus : ita, & impij homines ſanctos perſequentes, ſeruiũt ſanctis ipſis, quos perſequuntur, inquit D. Auguſtinus, quia occaſionẽ dant illis, innumera bona comparandi. Quis non dicet illum inſeruire cupido pecuniæ, qui occaſionem eidem offert, vt ingentem diuitiarum copiam comparet ? Quis non dicet, eũ inſeruire honorem ambienti, qui occaſionẽ dat, vt ad ſupremam perueniat ſedem ? *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*, inquit Apoſtolus. Expende verbum, *Cooperantur* : quaſi enim tibi cooperatur, qui perſequendo te, occaſionem tibi dat, vt ſupremũ bonum conſequaris. Et vere alludere viſus eſt Apoſtolus ad verba diuina paulò

a Serm. 78. de temp.
b In cap 9. ad Rom. lect. 2.
c ad Rom. 9. 10.
Gen. 25. 23
Ezec. 35. 5
Habac. 1. 13.
¶ 144.
Ezech. 19. 28.
2. 2. quæſt. 114 ar. 1 o ad 2.
ad Rom. 8. 28.

paulò ante citata, in quibus Deus Nabuchodonoſorem, & eius exercitum, tanquam ſibi cooperantem, in puniendis illis, quos Deus punire volebat, videtur inducere: *Operi*, inquit, *quo ſeruiuit mihi*, quamuis hoc nec Nabuchodonoſor, nec illius exercitus vlla ratione intenderent. Idipſum de Chaldæorum exercitu dixit: *Ipſi adiuuerunt me in malum*, id eſt, in vltionem quam inferre populo meo decreui. Certè illi nihil minus curabant, quam adiuuare Dei iuſtitiam; ſed ſuam explere cupiditatem, & rapere Iudæorum facultates intendebant: & tamen quia eorum malo opere Deus quod volebat perfecit, punire ſcilicet peccata populi ſui, vocat eos adiutores ſuos. Hinc Baſilius iudicat, inimicis tanquam benefactoribus impendendam dilectionem, quia ingentis boni nobis occaſionem parant. Nunq̃ ex opere amici (inquit Baſilius) talia bona poſſunt oriri, ac ex inimici perſecutione, ex qua illud ſi oritur, vt ſis filius Dei. Quod eſt tandem, quod ab amico magnum adeò beneficium poſſit proſiſci, quantum, & hoc quod ab inimicis nobis datur, quorum opera fit vt beatitudinem illam aſſequamur, de qua Dominus loquens ait: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines*, &c. Hinc iſta celebris Auguſtini ſententia agens de ſanctis Innocentibus, quos Herodes ad mortem vſque perſecutus fuit: Nunquam illis infantibus ita potuiſſet Herodes prodeſſe obſequio, quantum profuit odio. Hinc etiam Sanctus ille Stephanus Monachus (de quo alibi Diuum Gregorium loquentem induximus) perſecutores, & inimicos, ſuos adiutores vocabat, & Euſychius Martyr, quem paulò ante commemorauimus, quos accuſatores, & calumniatores ſentiebat, benefactores reputabat, & illorum perſecutiones, beneficia ſibi exhibita, mercede digna dicebat, quibus propterea bonorum ſuorum partem diſtribuit. Beatus Cyprianus bonam pecuniarum quantitatem iuſſit dari carnifici, iugulanti ſe tanquam ſuo benefactori: & ſancta Ioanna de Oruieto ordinis noſtri, iniurias illatas, ita beneficia reputabat, vt pro iniuriatoribus, & offenſoribus, tanquam pro benefactoribus longam quotidie orationem faceret, communeque erat prouerbium, illam magis ſibi beneficos reputaſſe inimicos, & calumniatores, quam qui beneficijs ipſam proſequebantur. Tota ratio odij in nobis contra inimicos oritur ex eo, quod nos ipſos, & temporalem vitam, ac temporalia bona diligimus, in quibus inimicus nos lædit. Qui perfectione Euangelica pollent, ſeipſos odio habent, carnem ſuam ſibi inimicam reputant, temporalia omnia contemnunt; idcircò eos, qui contra ſe agunt, conſiderant agentes contra rem, quam ipſi proſequuntur odio. Ita ſancti Martyres Tyrannos irridebant, illis gratias referentes, quod illam ſibi vitam auferebant, quam ipſi contemnebant; & eam affligebant carnem, quam ipſi tanquam inimicam verberare ſoliti erant; & quod ea agebant, quæ illis in ſummo pretio erant. Ita Beata Lucia, iudici comminanti ſibi tormenta, reſpondit: Niſi diligenter feceris corpus meum à carnificibus vulnerari, non poſſum cum palma martyrij ad cœlum introire. Certè Rex Hiſpaniarum gaudet, quod Perſarum Rex perſequatur Turcam, non curans qua intentione illud faciat, ſed tantùm attendens, quod ſuum perſequatur inimicum, & eum comprimit, ne ſibi poſſit inferre bellum. Ita Sancti conſiderabant tyrannos, & inimicos agentes contra carnem ſuam, ſibi inimicam, quam mortificabunt, ne poſſet contra ſpiritum inſurgere. Non ergo conſiderant ſancti iniquam inimici intentionem, ſed occaſionem, quam illis præbent mortificandæ carnis, & merendi, & acquirendi magnam gloriam coram Deo; ideò eorum perſecutionem beneficium reputant, & beatam vocant, ſicut Eccleſia dixit fœlicem culpam, quæ tantum, ac talem meruit habere redemptorem. Poſſent hoc pacto quidam recentiores Baſilij doctrinam expendere, & abeius reprehenſione abſtinere. Ecce igitur modum, quo ingentem de inimicis perſequentibus capies vtilitatem. Attende ad Chriſtum, & amorem

De reg. Ire. reſp. 176. & 117.

Hom. 35. Euang.

¶ 145.

Tolet. in c. 6. Luc. an. not. 38.

rem, ac beneficium in inimicum, tanquam in Christum collatum existima. Quod, & clarum manifestumque reddet, factum illud, quod de Beato Ioanne Gualberto legimus. Cum ille victionem expeteret cuiusdam, qui cognatum patris sui iniustè occiderat, obuiam illi fuit hostis, & inermis quidem, in loco tam angusto, vt nulla declinandi via pateret. Humi propterea prostratus, iunctis manibus, pro crucifixi amore sibi veniam postulauit. Illam concessit Ioannes, Christum attendens, & ei obsequi intendens, qui iubebat, inimicis parcere, & diligere. Progressus inde, & quandam Ecclesiam sibi obuiam ingrediens, flectens genua coram Crucifixi imagine, vidit caput Christi in cruce pendentis, ad se inclinari, tanquam gratias ipsi agentis, pro sibi exhibita reuerentia, & amore, non tam inimico, quam sibi collato.

Apud Sur. 12.

§. 9. *Illud : Ego dico, silendum indicat à facie tanti Dei, vt docuit Sophonias, exemplumque Iob aptè comprobat.*

¶ 146. RAtionem aliam, illamque efficacissimam, illud pronomen *Ego*, adiunctum verbo *Dico*, indicat : sufficientissima enim ratio ad intelligendum, aliquid sine mora, aut iubere. Efficacissima ratione Propheta Amos, demonstrauit, iure se prophetandi munus assumpsisse, quia id sibi Dominus dixerat. *Erat ille Pastor, aut armentarius vellicans Sicommoros*, in quem subitò insiluit spiritus Domini, cui præcepit, vt ad Prophetandum in curiam Regis se conferret: mirati sunt omnes, cur ille in regia curia Prophetare auderet, homo qui nunquam nisi bobus pascendis intenderat. Quibus ille respondet, *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit?* Quasi dicere volens: Leoni emittenti rugitum, nullum animal se opponit, aut vox alicuius missitare audet: Deo igitur emittenti vocem, nihil opponendum est, sed tantum ei obediendum. Si ergo Dominus loquitur, iubens alicui Prophetare, id agendum est, absque eo, quod quis causam aliam requirat. Ita verba hæc possunt exponi, vt Prophetandi verbũ, significet prædicere futura, quæ agenda sunt : quasi dicat : Ad vocem, & rugitũ Leonis, scit omne animal, quid faciendum sit, scilicet timere, & fugere, eo enim ipso, quod vox Leonis est, qui omnibus præualet, nullatenus ei obsistendũ omnes intelligunt, sed submittendam cuiusque animalis ceruicem: multo igitur magis, ad vocem Domini loquentis, & præcipientis aliquid, poterit quiuis diuinare, quid facere oporteat, se scilicet tali voci submittere, & nullatenus ei contraire. Si enim leonis voci nullum animal quantumcunque validum, se opponit, multo minus Dei voci, & præcepto, licebit vel leuiter se opponere, aut contradicere: sed eo ipso, quod ille loquitur, facile est diuinare, quid agendum sit; illud .s. sine contradictione opere cõplere, quod ille præcipit. Simili ratione egit Propheta Habacuc, cuius verba sunt multa expẽsione digna. Præuiderat ille impiũ Nabuchodonosor, cũ exercitu grandi venientẽ, magnas victorias obtinentẽ, & de regibus omnibus triumphantẽ, & quod id tribuebat Idolo suo, cui sacrificia offerebat. Ne autem populus Iudæorum, ad Idololatriam pronus, illo deciperetur errore, assumit, Propheta demonstrandum, nullatenus Idolum potuisse, vel minimum fauorem præstare. *Quid*, inquit, *prodest sculptile, quia sculpsit illud factor suus. Væ qui dicit ligno : Expergiscere; Surge, lapidi iacenti*. Expergiscere, & surge, verba sunt eius, qui aliquem in sui aduocat auxilium. Væ ei, qui ab Idolo auxilium, vel fauorem postulat, quod nullatenus potest præstare. Hoc probat Propheta, quia nec loqui potest. *Nunquid ipse*, inquit, *docere poterit?* Verba præstare nõ põt; quanto minus fauorẽ? Nihil .n. facilius est, quã verba dare

Amos 7. 14.

Amo 3. 8.

Habac. 2.

Haba. 2. 18.

dare, quæ, & qui nulla potentia fulgent, abundantissimè solent impartiri. Hoc, quod minimum est, Idolum non potest dare, nec consulere, præcipere, vel docere agenda. Qua de causa, vt Apostolus Idolis exprobraret, ea
1. Cor. 12. 2. vocauit *simulachra muta*, quia tam infirma sunt, vt nec vocem possint præstare: *os enim habent, & non loquentur.* Nec mirum, quia etsi *iste*, inquit Habacuc, *coopertus est auro, & argento: omnis spiritus non est in visceribus eius*: id est nullum habet spiritum, aut vitam; eo modo, quo Christus dixit: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret saluus omnis caro*, id est nullus homo saluus fieret. Lôgè ab illis distat verus Deus, qui Dominus est, cuius voci nullus potest resistere. Ideo subdit: *Dominus autem in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra.* Silere, est nulla ratione se opponere, sed cum timore, & reuerentia obedire. Ita dicitur de
2. Mac. 1. 8. Alexandro Magno: *Et accepit spolia multitudinis, & siluit omnis terra in conspectu eius*: quamuis omnia deprædaretur, & quicquid sibi liberet, ageret, & imperaret, nullus ausus fuit contradicere, aut coram eo mussitare, voci imperij sui nullus, vel leuiter contradicere tentauit, propter timorem, quem conceperant à maiestate, & fortitudine eius. Talis est Deus noster, tanta eius Maiestas, vt dum sedet in templo suo, & præcipit aliquid, iustum sit, vt omnis terra sileat coram eo, & omne os obstruatur, & fiat omnis mundus subditus Deo. Et verè videor mihi Prophetam Sophoniam cõtemplari, quasi audientem Christum Dominum in monte sedentem, & aperto ore hæc proferentem: *Ego autẽ dico vobis*: qui statim ad nos, qui illum audimus, se conuertere videtur, di-
Sopho. 1. 7. cens: *Silete à facie Domini*: idest, reuerenter, & absque aliqua contradictione hoc illius verbum recipite. Mirum est, quod Christianus, qui hanc Christi vocem audit, audeat opponere vocem mundi, dicens: mundum leges suas tradidisse ijs, qui in eo viuunt, & esse multos, qui vindicandum asserunt, nec inimico parcendum. Silete, inquit, Propheta, à facie Domini. Voci diuinæ, quam magna assenerationc, expensione, & maturitate profert, (quam indicauit Matthæus præmittens, *Aperiens os suum docebat eos*) vocem mundi stulti, & hominũ insipientium opponis? Silete à facie Domini. Alludit Propheta ad illam doctrinam Salomonis, exponentis, quanta sit authoritas Regis, sapientia præstantis. Hoc enim ipso, quod Rex Sapiens aliquid præcipit, omnes sine contradictione obediunt, & idcirco sibi sapientiam à Deo postulat, id sibi promittens futurum: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores. Tacentem me substinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.* Vide quid Rex sapiens habeat, cum loquentem respiciunt, benеuolum animum oculorum conuersione demõstrantes, signum enim benеuoli animi auditoris, inquit Plutarchus, est, oculos in magistrum conuertere. *Et manus ori imponent.* Vim locutionis extende. Non contentus est dicere, tacebunt, sed quoniam accidit sæpenumero, vt is qui tacet, non aduertens aliquando, vocem aliquam emittat, manus imponẽt ori, vt nullatenus verbum egredi possit, loquente Rege sapiente: *Dispenam populos, & nationes mihi erunt subditæ, timebunt me audiẽtes reges horrendi.* Non potuit aptius significari, quanta sit præstantia Regis sapientis, cuius verba omnes summa acceptione digna indicant, & absque vlla suscipiunt contradictione, Populi, Nationes, Seniores, Principes, & Reges etiam horrendi. Si tam potens est Regis sapientis locutio, tanta acceptione dignum illius verbum, vt omnes coram eo taceant: *Silete*, inquit Propheta, *à facie Domini*, ecce enim plusquam Salomon hic. Quid ei loquenti opponis verba nationum, & populorum? Aut verò alludere videtur, ad sanctum Iob. *Erat ille vir magnus inter omnes Orientales*, sapientia, quia disertissimus, potentia, quia Rex diuitijs, quia ditissimus. Hæc illum ita celebrem reddiderunt, vt summa eum reuerentia eius verba omnes susciperent, quam ille disertissimis ver-

Sap. 8. 10.

¶ 148. *Opusc. de audi.*

verbis exponit dicens: *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* Duo loca exprimit, portam ciuitatis, & cathedram, vt duos actus suos declaret. Erat enim iudex, sententiam in litibus ferens; erat itidem doctor, quæ agenda erant decernens. Porta ciuitatis, sedes erat iudicis, vt alibi dictum est, sicut cathedra sedes est doctoris: vultque dicere, quid fieret, quando iudex sententiam pronunciabat, & quando doctor, quæ agenda erant decernebat. *Principes*, inquit, *cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* Illi qui potestatem habebant, quibus, & loqui propterea datum est, tanta veneratione, quæ iudicabam, & docebam prosequebantur, vt ora tenerent, digito labia comprimentes, ne vel per inconsiderationem aliquid in contrarium opponerent. *Vocem suam cohibebant duces.* In Hebræo, Vocem suam abscondebant, metaphora sumpta ab eo, quod dicere solemus, fœdum, & turpe abscondendum coram pulchro. *Et lingua eorum gutturi suo adhærebat*, id est, manebat immota, non solum verba non proferebat, sed nec, vel leuiter mouebatur. *Qui me audiebant, expectabant sententiam meam, & intenti tacebant ad consilium meum.* Sedebat, Iob, inquit Caietanus, in cathedra, aut eminenti loco, circundatus auditoribus multis, & multa, vt inquit Philippus, tanquam præcepta, & firmam sententiam proponebat, alia tanquam consilia perfectioribus addebat. *Verbis meis nihil addere audebant, & super illos stillabat eloquium meum.* Aptè stillandi verbo vtitur, inquit Diuus Gregorius, quia doctrina præceptoris, similis esse debet pluuiæ quæ ita omnibus virgultis accommodatur, vt cuique tanquam peculiariter sibi traditæ conueniat. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.* Non potuit aptiori metaphora explicare, quanta susciperent eius auditores benevolentia, & affectu, verba eius, quam sub ea metaphora, qua terra arrida, & sicca (hæc enim est quæ pluuiam expectat, & exoptat) aquam è cœlo fluentem. Hæc & alia, sanctus Iob refert, quæ qui attentè considerare voluerit, dicet, rectè quidem factum esse: erat enim Iob sapientissimus, & sanctissimus, qui nec per errorem intellectus, aut prauitatem voluntatis, aliquid suis subditis, & auditoribus erat traditurus incongruum, aut indecens. Meritò propterea omnes coram eo tacebant, illius verba auscultabant, præcepta audiebant, consilia venerabantur, & cuncta, quæ de illius procedebant ore, tanta auiditate, quanta arida terra pluuiam stillantem, suscipiebant. Hæc considerans Propheta, tanquam ex his rationem constituens, rectè infert: *Silete à facie Domini*, sedentis in monte tanquam in cathedra, & docentis, ac dicentis: *Ego autem dico vobis*: Diligite, &c. Sapientior enim, & sanctior est ipso Iob, cuius intellectus nullo potest decipi errore, sicut nec voluntas aliquo, vel minimo affectu corripi. Quod ò Christianæ profers munuum loquentem, & leges duelli proferentem, coram Deo docente, & decernente, quæ agenda sunt?

Iob. 29. 7.

¶ 149. *Incatena.*

Conferto magistrum cum magistro, doctorem cum doctore, doctrinam cum doctrina, sapientiam cum sapientia, bonitatem cum bonitate. *Silete*, igitur *à facie Domini.* (?)

§. 10. *Sa-*

§. 10. *Sophonias ex discipulis Pythagoræ videtur, Christianos velle confundere, qui verbis Christi, leges duelli opponere audent.*

¶ 150. *Soph. 1. 7.* VT profundius ex ista Sophoniæ Prophetæ sententia, validum ad nostrum institutum trahamus argumentum, expendamus Pythagoræ Philosophi authoritatem, nec extra rem: fuit enim (quantum existimo) hic philosophus illi Prophetæ contemporaneus. Prophetare namque Sophonias cæpit, vt ipse dicit: *In diebus Iosiæ filij Amon Regis Iuda*: & credo prophetiã eius perduraſſe vsque ad Sedechiam Iosiæ filium. Constans namque est B. *Soph. 1. 1.* *18. de ciui. cap. 33.* Augustini sententia, Sophoniam, & Ieremiam, synchronos fuisse, & eodem tempore prophetasse: & certum est, Ieremiam viuente etiam Sedechia, *18. de ciui. cap. 25.* fuisse vaticinatum, quo tempore (vt idem Augustinus annotat) Romanum regnum tenebant Ancus Martius, & Tarquinius Priscus illius successor: quo etiam tempore floruerunt illi famigeratissimi sapientes Græciæ, vt idem Augustinus ex Eusebio tradit, quem in temporum digestione sequi consueuit. Inter omnes autem, qui tunc floruerunt, primatum tenuit Pythagoras Samius, vt Augustinus tradit, ex quo, inquit, cœperunt appellari philosophi. Vt enim ipsemet Augustinus annotauit, Pythagoras non *14. De trinit. c. 1.* ausus, se sapientem profiteri, sicut vsq; ad illud tempus alij consueuerant, sed se philosophum, ideſt, amatorem sapientiæ, vocari voluit, à quo id nomen exortum, cæteris probatum est. Illius autem philosophia celeberrima fuit, quam idem Augustinus *a*, vocat venerabilem, prope diuinam, vereque probatam: & hunc virum. Diuus Ambrosius *b*, omnibus philosophis facit superiorem, à quo vt tradit Diogenes Laertius *c*, & Beatus Augustinus *d*, ex professo pertractat genus philosophiæ Italicum, duxit originem, sicut à Thalete Milesio genus philosophiæ Ionicum. Philosophus igitur iste insignis, quasdam insignes habebat propositiones, quas tanquam vulgatissima prouerbia discipulis inferebat, vt annotat Sanctus Clemens Alexandrinus, præter communem hominum consuetudinem, quæ non à se, sed à Scriptura sacra hauserat, cuius noticiam per frequentem cum Hebræis communicationem, habebat: quod, & cæteris philosophi, & Poetis commune fuisse, demonstrat, inde concludens omnia quæ eleganter, lepidèque dicta ab illis fuerunt, à Scriptura sacra suffuratos fuisse, in qua elegantiora symbola, tropi, prouerbia, phrases que dicendi, quam in quouis scriptore inuenimus, quod similiter obseruauit Ambrosius *e*, priusque obseruat Philo *f*. Tantam autem authoritatem sibi apud discipulos Philosophus hic conciliauerat, vt quicquid de ore eius prodiret, tanquam rem diuinam, suscipiendam profiterentur, nulla alia quæsita ratione, apud quos illa erat suprema: *Ipse dixit*. Inter cætera verò illius prouerbia, illud inquit Plutarchus, erat frequens: Solem non occidendum super iracundiam: nec enim homo iracundia agitatus, & furore commotus, quietam noctem dicere potest, cuius somnium impedit ipsa ira, cuius, & mentem torquet, & cogit multa tota nocte in sui ipsius exitium, & damnum machinari. Vnde, & eius discipuli, si aliquando ad cõuitia propter iracundiam procedebant, priusquam Sol occumberet, dexteras amplexi, & exosculati conciliabantur. Ex quibus intelligemus, cur Apostolus volens Ephesios obligare, ad deponendam iram, hoc illis prouerbium proposuit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Vt namque D. Chrysostomus annotauit, Ephesus Asiæ erat metropolis, in qua vitam multi philosophi egerunt, inter quos celebrior fuit Pythagoras Samius, qui in illa ciuitate cathedram suam præcipuè tenuit constitutam, cuius memoria, maxima apud illos celebrabatur veneratione, cuius verbis, vel solo auditu absque alia ratione obtemperandum credebant. Ex his clarissimum argumentum construere possumus ad nostrum

Li. 5. Strom. p. 566.

e Li. de bono mort. c. 5. & 1. offi.

f Li. de vita Mosis, in princ.

¶ 151. *In Philadelph.*

Ad Ephes. 4. 26.

In arg. ep. ad Ephes.

a Lib. 2. de Ord ad fi.

b Epist. ad Irenæum.

c Li. 1 & 8. de vitis philosoph.

d Lib. 8. de ciu. c. 2.

ſtrum inſtitutum. Si tanta fuit autoritate præſtans purus homo, quoniam Sapiens iudicatus eſt, quamuis verè fuerit peccator, multiſque ignorantijs plenus, vt eius nudum, purumque dictum, cenſeretur ſufficiens, vt ſine contradictione fieret, quod ipſe faciendum decernebat, nulluſque in contrarium vel leuiter loqui audebat: quanto magis ſufficiens eſſe debet, verbum illius, qui Deus eſt verus, Sapientia Patris, doctor è cœlo miſſus, & deſignatus, cuius tanta eſt potentia, vt illud ſolum ſufficiens fuerit, ſtabilire cœlos, fundare terram, extendere maria, ex nihilo angelos producere, totum veniuerſum ſuſtentare, vt id fiat, quod faciendum ſtatuit? Rectè propterea Sophonias Propheta. Pythagoræ Philoſophi ſynchronus dicere potuit: *Silete à facie Domini.* Hinc patet impudens inuerecundia Chriſtiani, qui ab obſeruantia præcepti CHRISTI ſe excuſat, opponens dictum, vocemque mundi. Heus tu, qui ita loqueris, expendiſtine, quis ſit mundus, & quis CHRISTVS? quænam autoritas vocis mundi, & quænam vocis Chriſti? Nunquid non tibi compertum eſt, id quod ſæpè D. Auguſtinus explicauit, mundum iſtum quem opponis, non eſſe aliud quam mundanos homines, ſecundum carnis affectum viuentes? Quidnam verbum hominis, ad verbum Dei? *Clama*, inquit Dominus ad Prophetam. *Et dixit: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, quia* Eſa. 40. 6. *Dominus inſufflauit in eo.* Omnis homo fœnum eſt, tam paruæ aut nullæ ſubſiſtentiæ erga Deum, vt minimus Dei flatus, illum ad nihilum deducat. Si homo totus talis eſt, qualis erit ſubſiſtentia verbi illius? Si homo totus, minimo flatu Dei abſumitur, quid de hominis verbo producto, coram 1. Pet. 1. 25. Dei verbo? *Verbum autem Domini manet in æternum.* Hæc Prophetæ verba expendens Petrus Apoſtolus, volens explicare, quodnam hoc verbum ſit, ſubdit: *Hoc eſt autem verbum, quod euangelizatum eſt in vos*: Hoc eſt verbum Dei, quod permanet in æternum, verbum Euangelij. Et quodnam Euangelij verbum magis expreſſum quam hoc: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros?* ¶ 152. Nota eſt differentia Dei, & hominis, & rerum diuinarum, & humanarum. Tanta eſt diuina bonitas, vt ex ſanctis Patribus, Dionyſio, Auguſtino, Gregor. cæteriſque Patribus. Theologia docet, quod coram eo omnis bonitas, potius malitia dicenda ſit: tantum illius eſſe beneficium: vt coram eo omnia quæ ſunt, verius non eſſe dicantur: talis eius ſapientia coram quo omnis ſapientia ignorantia dicenda eſt; talis potentia, vt eius reſpectu omnis potentia, verius ſit infirmitas appellanda; tale verbum Dei, coram quo, omne verbum, vanum futileque eſt. Quomodo ergo coram diuino verbo, audet homo hominum verba & decreta producere? Et vt ſub manifeſto exemplo rem expediamus, ſicuti Deus rem totam concludere volens, agens cum B. Iob, ſub interrogatione egit, ita, & ego, *interrogabo te, reſponde mihi.* Si litem haberes magni ponderis, ac momenti, in qua de illuſtriſſimo regno obtinendo, vel amittendo ageres, habereſque ex vna fideliſſimum amicum, cuius amorem euidentibus ſignis comprobaſti, cuius tam probata eſſet vita, vt nullus de re mala eum potuerit conuincere; tam peritus iuris, vt omnes, qui eius ſequuti fuerunt conſilium, perpetuò cauſam obtinuerint. Haberes ex altera inimicum, virum impium, ignorantiſſimum, ſtultum, cuius conſilium qui ſequuti ſunt, perpetuò cauſam perdiderunt, de quo noſti, quod tuæ perditionis eſt cupidiſſimus. Si amicus ille te admoneret, aliquid à te agendum erga cauſam tuam, quod ſi feceris, certiſſimè obtinebis; ſin minus ſine dubio cauſam perdes: inimicus præterea, oppoſitū tibi perſuaderet, dicens. id tibi expedientiſſimum: dicito mihi, cuius conſilium ſequereris? cuius dictum teneres? forte ne retrahereris ab agendo, quod amicus fidelis, iuſtus, bonus, ſapientiſſimuſque ſuadet; opponens id, quod inimicus tuus impius, ſtultus, mendax, conſulit? Certè nullus eſt, qui non illam intelligat Spiritus ſancti veram ſentētiam: *Ne credas* Eccl. 12. 18.

inimico tuo in æternum: ideoque, quantumcunque expers esses iudicij, nequaquam relicto amici consilio, inimici dictum sequendum à te contenderes. Quod si faceres, quanta esses reprehensione dignus? & quam iustam amicus ille de te querimoniam haberet, quod inimicum tuum ei præposueris? Causam gerimus grauem, in qua, non pro regno corruptibili, sed æterno litigamus. Dubius sanè est causæ successus, & oportet vt diligentem agas litigatorem: huiusmodi enim dubium, sãctos, & graues viros sæpissimè torsit, & clamare coegit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Vt rectè procedas, oportet te litigatoris more, consilium à Iurisperitis quærere. Habes amicum Christum, tam sapientem iuris, vt totius iuris autor sit, cuius dilectionem probatam euidenter habes, illo supremo signo, quod animam suam pro te posuit, *& maiorem hac dilectionem nemo habet*. Eum auscultandum admonet Pater clamans: *Ipsum audite*, de quo Paulus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondit.* Dicere solemus, laudantes Iurisperitum aliquem, esse puteum sapiẽtiæ: sed verius de CHRISTO, quod est ipsamet sapientia, talis vt Deus nec minimum quid amplius illo sciat, cuius propterea consilium, omnes qui sequuti sunt, in causa obtinuerunt. Adest inimicus tuus, stultus, & ignorantissimus, mundus. Hunc à primæua ætate inimicum tuum professus es, qui tui perditionem exoptat, qui stultissimè de rebus iudicat, & malum dicit bonum, & bonum malum, iustificat impium, & iustum condemnat. Consilium tibi ambo præbent. Inimicus dicit: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Non poteris tibi conuenienter prouidere, nisi honori tuo secundum duelli leges prospicias: Amicus autem ita loquitur: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, quioderunt vos, vt sitis filij*, & hæreditatem regni obtineatis: si hoc non feceris, regnum nulla ratione poteris obtinere. Cuius dictum sequendum censes? Num iudicas, posse te refutare consilium amici, vt inimici dictum sequaris? Et verè grauissima iniuria Christum afficit, qui eius dicto, dictum mundi opponit, & amplectitur; & veluti genus quoddam blasphemiæ est, dictum mundi ipsius dicto æquiparare. Ex his licet consilium egregium educere, quod indicat. D. Augustinus quodque salutiferum est cuiuis Christiano, quo vti debet, quando ab inimico prouocatus, vel offensus, venit mundus clamans, suadens, & proponens vindictam, & vltionem, & legem duelli sequendam. Expendit enim egregiè Augustinus, victoriam Dauidis, quando Golias ille superbus, & arrogans, & qui ex illius parte erant Philisthæi, verba superbiæ iactabant, & contra Dauidem agebant: Dauid namque solius lapidis iactu quem in fronte inimici infixit, illum deiecit, prostrauit, sensu, & viribus priuauit. Goliam magnum, & robustum, inquit Augustinus, solus puer pauper, & inermis, vno lapidis iactu prostrauit, totaque Philisthæum castra turbauit, atque fugauit. Notum siquidem est, Goliam mundi tenuisse typum, qui superbissimus est, & arrogãtissimus: habet nihilominus quam plurimos in sui societate, infinitus est enim stultorum numerus, qui mundi sequuntur vexillum. Et verè, aliquando Dei populum tenet Gigas iste oppressum, & timentem: sed facilè est illum eiusque affectus superare, Quomodo? emittendo contra eum lapidem iactum à Dauid. Quis lapis à Dauide missus (inquit D. Augustin.) nisi Christus; quem Deus per Prophetam lapidem vocauit dicens: *Ecce pono in Sion lapidem angularem, pretiosum, &c.* Apostolus similiter dixit: *Petra autem erat Christus.* Hunc lapidem dicitur mississe Dauid, quoniam in mundum venit, qua si à Dauide missus, & genitus, quia *factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Hunc lapidem mitte, & infige capiti mundi. Quando is, qui se amicũ tuum vocat, mundi tenens personam, venit, & te ad vindictã de accepta iniuria sumendam excitat, quia mundus id petit, & consuenit, oppone ei Christum dicentem: Ego autem dico vobis: Diligite

1 Cor. 4. 4.

Ioan. 15. 15. Mat. 17. 5. ad Col. 2.

Orat. cont. quinque hæres. to. 6. in princ.

¶ 154.

Isa. 8. 14. & 28. 26. Rom. 9. 33. 1. Cor 10. 4.

Rom. 13.

veſtros, Et quando nobilis, te ſecundum leges duelli agere oportere dicit, ei tu oppone Chriſtum, qui te ſapientiorem, & vtiliorem legem tibi tradidit; Diligite inimicos. Certè namque tunc ille ſtupidus, ſine capitis, aut rationis viribus, quibus vlterius contra te agere poſſit remanebit: neque enim aliquis erit tam vecors, qui cum tu Chriſtum proponas ad agendum, contra illum te excitet. Poſſumus tandem ad hoc inſtitutum annotare, quod alibi obſeruare cœpimus de Balaam. *Num. 22.* Cum enim aſina vidit coram ſe Angelum ſtantem, euaginato gladio, quantumcunque puncta calcaribus, & baculo percuſſa, non fuit auſa vlterius progredi, ſed gradum tenuit, & ſtetit. Balaam ſimiliter, quamuis quando Angelum nõ videbat, progredi niteretur; cum tamen illum vidit, ſibi oppoſitum, diſtrictum gladium pectori ſuo opponentem, ſtetit, & adorauit. Erat Balaam magus, ariolus, homo arreptitius, quem diabolus ducebat. Quantumcunque ſit quis à diabolo excitatus, & alter Balaam, non poterit non contineri, ſi attendat coram ſe Angelum euaginato gladio ſibi oppoſitum, pectus intendentẽ. Quid *ad Eph. 6. 17.* Chriſtus, niſi *Magni conſilij Angelus*, cuius gladius, eſt verbum ipſius, quod Apoſtolus, *Gladium ſpiritus* vocat: eſt ſiquidem viuus ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, nunc quaſi ſtat contra te, qui in inimicum furis, & vindictam ſequeris, euaginato gladio, dicens: *Ego autem dico vobis*: Diligite, &c. Quis eſt qui non ſe contineat? Hunc Angelum gladium diſtringentem, oppone ei, qui te ad vindictam prouocat, & excitat.

(?)

§. 11. *Nullatenus eſſe contra honorem ſed pro illo, inimicum diligere, & ei parcere, verba Chriſti oſtendunt.*

¶ 155. PRæcepti huius alia ratio extrahi poteſt, ex illo pronomine, & verbo, *Ego dico*: inde enim manifeſtè inferre licet, id quod præcipitur, eſſe expediens ad noſtrum honorem, & decus. Hæc ratio eſt ex profeſſo expendenda: nihil enim magis homines ab huius præcepti obſeruatione retrahit, quam ſibi habere perſuaſum, id quod mundus clamat, dimittere inimicum inuitum, & parcere, non iraſci contra illum, non furere, & percutere, rem eſſe inhonorificam, & quæ magnum homini decus inducit. Verè tamen ex his Chriſti verbis: *Ego autem dico*: oppoſitum euidenter licet inferre: conſtans eſt namque Sapientis ſententia: *Honor, & gloria in ſermone ſenſati*, *Eccl. 5. 15* id eſt: Quidquid homo ſenſatus, re mature conſiderata, & expenſa dicit, & contulit, honorem, & gloriam inducit. Conſtans itidem eſt, Chriſtum hominem eſſe ſenſatum, in cuius capite, vt ita dicam, omnis diuinus ſenſus clauſus eſt, & rem atteutè expenſam, & conſideratam, meditatamque nobis proponit. Quamuis enim nihil ille non oculatum, & ſumma ſapientia diſpoſitum, vnquam fuerit loquutus; hæc tamen quę nunc propoſuit, voluit, vt nos intelligeremus, magna meditatione fuiſſe ordinata. Volens ſiquidem Apoſtolos eligere, & quæ ab eis agenda, ordinare, tota nocte præcedente ſolus permanſit in oratione feruentiſſima, quam Lucas *Orationem Dei* vocat. Cum autem *Luc. 6. 12.* dies factus eſſet, *duodecim elegit, quos Apoſtolos nominauit*, quos, & cæteros, qui aderant, volens inſtruere, quæ (vt ita dicam) fuerat meditatus: *Sedens in monte, aperiens os ſuum*, docebat. Inter alia autem, hoc vnum fuit, quod illa emphatica protulit locutione: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Sermo igitur huius ſenſati, non

quæ contra honorem, & gloriam, ſed potius quæ pro honore, & gloria, ſtatuit. Expende verba illa diuinæ Sapientiæ, quæ CHRISTVS eſt. *Ego* *Eccl.24.23* *quaſi vitis, fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Quæ verba intelliges, ſi racolueris, quæ ſupra annotabamus, aduentum CHRISTI dici in Scripturę tempus vernum, quando flores qui tota hyeme in radice tenebantur abſcõditi, luce, & calore Solis extrahuntur. Multa ſiquidem præcepta iam in antiquis præceptis Decalogi, tanquam in radice latebant, quæ Phariſæi non videbant, quæ tamen CHRISTVS aduenies, tanquam flores, ore ſuo produxit, qui propterea de- *Cant.2.12* aduentu ſuo dixit ad Sponſam: *Flores apparuerunt in terra noſtra, vinea florentes dederunt odorem ſuum.* Vitis itaque hæc cœleſtis flores protulit, quando quæ in antiqua lege latebant, in lucem produxit. Sed quales hi flores? *Flores mei, fructus honoris, & honeſtatis:* hæc enim præcepta, quæ tanquam flores Chriſtus emiſit, honorem inducunt, & gloriam. Venit in mundum ipſe, vt hominem ad ſtatum illum excellentem, imò, & excellentiorem, quo exciderat, reſtitueret. Homo autem cecidit à ſtatu honorifi- *Pſ.48.13.* co: qui, *cum in honore eſſet, & comparatus iumentis inſipientibus ſimilis factus eſt.* Non igitur erga hominem ea debebat diſponere, quæ ab honoris ſtatu illum deturbarent, & dedecus inducerent, ſed quæ honorem priſtinum, imò, & *In cap. 61. Eſaiæ.* maiorem inferrent. Quod vt Cyrillus, & Procopius annotant, explicauit per Eſaiam, cum poſtquam induxit ſeipſum dicentem: *Spiritus Domini* *Eſa.61.1.7* *ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me &c.* ſubdit: *Pro confuſione veſtra duplici, & rubore, laudabunt partem eorum.* Vocat confuſionem duplicem, Hebræorum more, confuſionem grandem, & ſupremam: quomodo *contri-* *Ier.17.17.* *tionem duplicem* appellant, quæ magna *1.Tim.5.* eſt: & *duplicem honorem*, qui eſt *17.* excellentiſſimus. Magnam itaque confuſionem, & verecundiam, quam homo incurrerat, vocat duplicem, qui ab honorifico ſtatu ad infimum vilitatis gradum ſe demiſerat. Sed venit Chriſtus hanc confuſionem, & ruborem tollere, & illius loco ſummum honorem inducere, & eleuare hominem ad magnum ſplendoris ſtatum, & vt laudabilem faceret portionem eorum, & illuſtrem. Qui ergo venit tollere confuſionem, & ruborem, & ponere portionem hominis honorificam, ab omnibus laudatam, non ita agere debebat, vt honorem velle contemni; nec leuem erat traditurus, per quam confuſio, & rubor induceretur. Hoc clarius intelliges, ſi diligenter, quæ ille iuſſit contemnere, attendas. Cuncta eius verba expende, & quamuis inueneris, eum requirentem à ſequentibus ſe, quod contemnant, relinquant, & odio habeant, patrem, matrem, fratres, ſorores, vxores, adhuc, & animam ſuam, nunquam reperies requirentem, contemnere, aut odio habere honorem: primò quidem, quia vt probauimus, verus honor non poteſt eſſe contrarius virtuti, aut ſanctitati Euangelicæ; qui potius ſine vera virtute, & ſanctitate conſtare non poteſt. Secundò, quia Chriſtus nobiliſſimus eſt, nec vult in ſui obſequiũ gentem admittere vilem, & ignominioſam: huiuſmodi enim ſeruos, dimittit obſequentes carni, mundo, & & diabolo, de quibus omnibus dixit: *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* *1.Reg.2.30* Non ergo ab eis, qui legem Euangelicam profiteri volunt, expoſcit Chriſtus honorem relinqui, aut contemni; quin potius, amicos illius vidit Dauid nimis honore fulgentes. *Pſ.148.17.* *Nimis*, inquit, *honorificati ſunt amici tui Deus.* Honorauerat Deus populum illum antiquum, tanquam ſeruum, quem propterea fecit illuſtrem vt verè iactari poſſet dicens: *Quæ gens* *Deut.4.8.* *ita inclyta, &c.* Sed Chriſtianum populum, honorificat tanquam amicum, adeò vt in eo honorificando nimius appareat. Mirum eſt enim, in lege Euangelica, quanta cura procurauerit, vt eius profeſſores nihil facerent, vnde, vel leuiter eorum honor poſſet lædi, quibus dixit: *Sic* *Matt.4.5.* *luceat lux veſtra coram hominibus.* *16.* Vocat quidem omnes ad ſe dicens: *Matt.11.* *Venite ad me omnes.* Qui antea tan- *28.* tum electum populum vocauerat,

¶ 156.

nunc

nunc vocat omnes, inquit Paulus, *Non tantum ex Iudæis, ſed ex gentibus.* Nec vocat vt honore priuet, ſed vt magnifico cumulet decore, & gloria. Talem ſe exhibet, dicens: *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos.* Omnes complecti volens, ad omnes extendit ramos doctrinæ, omnes enim inſtruendos aſſumpſit, diuites, & pauperes, nobiles, & ignobiles, ſapientes, & indoctos, &c. quæ vnicuique agenda ſunt, præſcribens. Sed quales rami? *Et rami*, inquit, *mei, honoris, & gratiæ*, qui inducunt honorem, ſplendorem, ac decus: id namque ſæpè in Scriptura ſacra gratiæ nomine intelligitur. Hæc omnia Summus Pontifex Petrus ita diſſiniuit, vt rem totam relinquat manifeſtam. Hortatur fideles inprimis deponere omnem malitiam, dolum, inuidiam, iram, &c. & *vt ſint tanquam modò geniti infantes, concupiſcentes lac rationabile, & ſine dolo*, quo nomine doctrinam Euangelicam, eiuſque Sacramenta intellexit, per quæ quis *creſcit in ſalutem*, melius quàm puer per lac, quod ab vberibus matris ſugit. Deinde excitat, vt accedant ad Chriſtum, tanquam ad firmum fundamentum, inducens locum Iſaiæ inſignem: *Ecce pono in Sion lapidem ſummum; qui credit in eum non confundetur.* Quem locum etiam citauit Paulus, & in Hebræo habetur verbum *Hhos*, quod ſignificat feſtinare, aut currere. Vnde Vulgatus legit: *Qui credit in eum non feſtinet.* Petrus tamen, & Paulus ſenſum tenentes Prophetæ, tranſtulerunt, *Non confundetur*, aut non pudefiet. Feſtinare enim, ſæpè hoc ſignificat, ex quo phraſi. Hiſpana proceſſit, ſecundum quam illum qui confunditur, aut pudefit, dicimus. *Que ſecorre.* Et quidem multa poſſemus circa hunc locum obſeruare, quæ annotant Auguſtinus *a* Cyprianus *b*, & Euſebius Cæſarienſ. *c.* Hæc tamen tantum verba ad noſtrum faciunt inſtitutum: *Qui credit in eum, non confundetur.* Ille in eum credere dicitur, qui illius Euangelicam legem, prout decet, profitetur, & ſeruat. Hic non confundetur: nec enim ex eo, quod quis legem Euangelicam ſeruat, confuſione ſuffunditur, aut honorem amittit, aut dedecus incurrit. Ex hac præmiſſa, manifeſtam infert Petrus concluſionem: *Vobis igitur credentibus honor, non credentibus autem, &c.* Verum igitur honorem ſolum habent credentes in eum. Poſitus ſiquidem eſt Chriſtus tanquam fundamentum firmum: *Non eſt ille baculus arundineus confractus Ægypti, cui qui innitur*, confuſionem incurrit; nam *perforatam manum ex eo tandem inuenit*: ſed eſt lapis pretioſus, & firmus: vnde qui illo nititur, non confundetur, non incurret aliquid, ex quo poſſit pudefieri. Honor ergo manet credenti in Chriſtum. Quod, vt clarius adhuc Petrus comprobaret, addidit: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, &c. Qui vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Quaſi dicat: Qui vos vocauit in ſplendidiſſimum lumen ſuum, nõ tenebris confuſionis reſpergere vult, ſed illuſtriſſimos, & clariſſimos reddere, eligens vos in Reges, & Sacerdotes. Et his nominibus egregiè vtitur Petrus, non tam alludens ad aliqua antiquæ Scripturæ loca, quibus Deus populum illum, quem voluit honorare, dicitur elegiſſe, *in Regnum Sacerdotale*, quam exprimere volẽs, ſupremum honorem, ad quem per Chriſtum ſumus euecti. Rex ſiquidem ſupremum honorem habet in temporalibus? Sacerdos autem in ſpiritualibus. Quo duplici nomine vti ſolent Scripturæ. Ita Ioannes ſemel, & iterum: *Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes.* Ex quibus legitima horum verborum intelligentia eruitur: nec enim volunt Scripturæ docere, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, ordine ſacro ſacerdotali, ita vt nulla ſit in Eccleſia ordinum diuerſitas, hoc enim hæreticum eſt, & ipſis Scripturis, ac ſanctis Patribus contrarium: ſed dicuntur Sacerdotes, id eſt, ad magnum honoris, & gloriæ ſtatum euecti, & eleuati, eo modo quo in Scriptura Sacerdotis nomen eſt ſignũ honoris: quomodo *filij Dauid Sacerdotes* fuiſſe dicuntur, & *Zabud filius Natan Sacerdos, amicus Regis*, id eſt, maximo honore præſtans, & ad amicitiã Regis admiſſus. Ita, & *Ira Iairites, Sacerdos Dauid*, dicitur, i.e. amicus, & fa-

ad Rom. 9. 24. — *Eccl. 42. 22.* — ¶ 157. — *1. Pet. 2.* — *Eſa. 28. 19.* — *Rom. 9. 33.* — *Brix. to. 1. fol. 229.* — *Eſa. 36. 6.* — ¶ 158. — *Exod. 19. 6* — *Apoc. 1. 5. & c. 5. 10.* — *2. Reg. 8. 18* — *3. Reg. 4. 5.* — *2. Reg. 20. 26.*

a *in Pſ. 94. & 111. & tract. 7. in Ioann.*
b *Lib. 2. adu. Iud. cap. 15.*
c *Lib. 2. de demonſt. Euan. c. 5.*

& familiaris, & in pretio habitus. Quā uis etiam dici possint sacerdotes spirituales, offerentes spirituales hostias, mortificationis, laudis, & gratiarum actionis, vt Basilius *a*, Ambrosius *b*, Augustinus *c*, Leo Papa *d* declarant. Si ergo Christus contendit hominem ad supremum honorem eleuare, nullatenus credendum est, ipsum velle Christianum pessumdare honorem, & contemnere. Imò vt rem concludamus, ille solummodo verè, & propriè sibi honorem parit, qui legem Euangelicam seruat. Quod elegantissime citata B. Petri sententia, quam ex prophetico dicto intulit, *Vobis igitur credentibus honor*, declarat. Videtur enim Sanctus Petrus tāquam Summus Pontifex, & supremus iudex, in re dubia sententiam protulisse, inducendo Scripturam sacram, similis Salomoni, qui legitimum filium, legitimæ matri gladio inducto adiudicauit.

a *Ser. 2. de Baptis. c. 8.*
b *Lib. 4. de Sacr. c. 1.*
c *Lib. 10. de ciu. c. 16.*
d *Serm. 3. in anniuers. assum. sua.*

§. 12. *Summus Pontifex Petrus, melius quam Salomon legitimam honoris matrem inducto gladio definit, manetq; iam lingua maris Aegypti desolata.*

¶ 159. *Libro 2. de virg.* 3. *Reg. 3.*

EXpendit aliquo modo ad hoc institutum Beatus Ambrosius historiam. Erant duæ mulieres, quæ contendebant, & disceptabant pro infantulo, quem vna quæque sibi tanquam filium dandum prætendebat. Rem totam concludere volens Salomon, iussit gladium afferri, quo inducto, veræ matri filium applicauit, quem eius esse cognouit. His mulieribus similes sunt duæ viræ; vna secundum mundi leges, alia secundum legem Dei, & Euangelij. Vtraque earum contendit, honorem à se progenitum, & natum. Mundi enim vita clamat, & proponit, honorem nasci ex gestis fortioribus, occidendo, mactando, vulnerando, capiendo, vinciendo inimicos, & eos conculcando: quomodo Romani Imperatores, Principes, & triumphatores, honorem pepererunt, qui vsque in hunc diem celebres facti sunt. Vita tamen secūdum Deum, & Euangeliū, suum potius filium esse honorem profitetur, quoniam verus honor non nascitur nisi ex veris, & perfectis virtutibus, quarum actus vita Euangelica tenet. Hæc igitur est legitima mater honoris, & gloriæ. Quis sententiam melius proferre poterit, quam is, cui summa iudicandi potestas tradita est, Petrus, qui sapientior est Salomone, cui cœlestis Pater altiora reuelauit Sacramenta, cui propterea conuenit veritates diffinire, & dubia dirimere? Hoc facit Petrus, educto gladio Propheticæ illius vocis: *Qui credit in eum: non confundetur*. Ex hoc enim veram agnoscit matrem honoris, cui honorem tanquam filium adiudicat, dicens: *Vobis igitur credentibus, honor*. Euangelica vita, quæ sicut decet in Christum credit, & eius præcepta custodit, mater honoris est, ex qua ille tanquam ex legitima matre oritur, & nascitur: *gloria enim, & honor omni operanti bonum*, dixit Paulus: *non credentibus autem*, & contra legem Euangelicā viuentibus, confusio, & dedecus, tanquam filius designatur. Non igitur est tibi honor, qui vindicandis iniurijs te totum tradis, nec ex tuis operibus, quæ contra inimicum moliris, hic nascitur filius, ex odio scil. maledictione, ira, furore; sed potius pudor, cōfusio, & verecundia. Iam ergo res hæc diffinita à summo Pōtifice Petro, sicut cætera fidei dogmata appareret, adimpletaq; videtur illa magnifica promissio, quam Christi temporibus adimplēdam pronunciauit Esaias in illo celebri capite vndecimo, in quo Christi victorias prophetat, quarū hanc vltimam ponit, quod *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum à septem riuis, ita vt tranjeant per eum calceati, & erit via residua populo meo*. Linguam maris Ægypti vocat oram illius maris, quod iuxta Ægyptum est, quod vocatur mare Suph, aut Rubrum: fluuium autem intelligit Nilum, qui ibidem per septem alueos influit in mare Mediterraneum. Ex his duobus, vt annotat Strabo, inexpugnabilis fere Aegyptus iudicabatur: per orā

ad Rom. 2. 10.
Esa. 11. 15.
Lib. vlt. Geograp.

enim

enim, aut linguam maris erat Ægyptus inacceſſibilis, quoniam cœnoſa erat tota plena paludibus, & lacunis, repletis cœno, luto, limo, lemis, & voragi nibus profundiſſimis. Similiter per a-
¶ 160. liam partem, qua Nilus in ſeptem alueos diuiſus fluebat, profundiſſimos, rapidiſſimoſque, ideoque impertranſibiles. S. Patres Hieronymus, Cyrillus, &
In cap. 11, Eſai. Procopius credunt hanc prophetiam adimpletam quidem fuiſſe in cortice tempore Auguſti Cæſaris, qui perſequens Antonium, qui cum Cleopatra in Ægyptum, tanquam munitiſſimum locum ſe receperat, Deo miraculosè exiccante oram cœnoſam maris, lacus, & paludes eius, & extenuante alueos Nili, vt exigua aqua fluerent, Ægyptum intrauit, & ſibi ſubiecit: quam hiſtoriam toto orbe celebratam meminerunt Plutarchus *a*, & Dion *b*, alijque
a *In vita M. Anton.* ex Prophanis, quam, & citati S. Patres tradunt. Secundum autem ſpiritum creb *Lib. 51.* duntipſimet S. Patres, adimpletam in Apoſtolis, quibus Deus totum orbem fecit peruium, ad Euangelij prædicationem, quorum iter, nec maria, nec flumina impedirent, aut retardarent. Quod, & placuerat Origeni, & probauit Euſebius Cæſarienſis. Poſſumus
Lib. 2. cont. Celſ. nihilominus, nec ineptè ad noſtrum inſtitutum prophetiam declarare. Ægy
Libr 1. de præp. Euangel. ptus ſiquidem mundi typum perpetuò in Scriptura Sacra geſſit, cuius fortitudo poſita erat in lingua maris, cœnoſa, & lutoſa, voraginibus plena, & in alueis fluentibus. Lingua ſiquidem illius erat implicita delicijs, & voluptatibus carnis, ideoque prædicabat beatos diuites, & eos qui temporalibus bonis redundant, fœlices illos, qui ſemper ſunt in riſu, qui voluptatibus indulgẽt, & ventri honoratum, qui nihil à quocunque patitur: qui leui malo recepto, graue rependit: infœlices pauperes, & eos, qui eſuriunt, & ſitiunt, quique perſecutionem vbique patiuntur, illos eſſe ſine honore, qui vindicandis iniurijs non attendunt, &c. Hæc lingua erat maris Ægypti. Aluei erant Philoſophi, doctrina ſua philoſophica fluentes, qui nihil à ſapiente credendum dicebant, quod ratio non probaret: qui Deum mori impoſſibile tradebant, & mortuum reſurgere poſſe, omnino negabant, & huiſmodi alia. Hos alueos Chriſtus extenuauit, dum Philoſophorum doctrinam, quam celeberrimam illi credebant, ita fecit communem, vt plus ſciat nũc puerulus de rebus altiſſimis, quam tota illorum Philoſophorum ſchola, quorum doctrinam ita extenuauit, vt nec pueros, nec puellas iam illa poſſit ſuſtinere; imò vt puellæ ipſos philoſophos ſuperarent, vt in hiſtoria S. Catharinæ Virg. & Martyris, aliarumque Sanctarum videre licet. Linguam tamen Ægypti deſolandam nũc aſſumpſit, in fotitudine ſpiritus ſui: ſedens enim in monte, *aperiens os ſuum*, ſpiritum validiſſimum emittere volens, de quo ab eodem Propheta, eodem capite, paulo ante dictum erat, *Eſa. 11.* quod *ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*: cœpit linguam mundi cœnoſam exiccare dicens: *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui eſuriunt, beati qui perſequutionem patiuntur, &c. Væ vobis diuitibus, væ qui nunc ridetis, &c.* ¶ 161. Deſolat: directè enim, & à fundamento linguam mundi euertit. Signanter autem in eo, quod ad inimicos pertinet, deſolandam aſſumit linguam cœnoſam mundi. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros, &c.* quibus verbis non ſolùm, vt dictum eſt, quod faciendum eſt præcipit, ſed, & id quod mundi lingua clamat, rem eſſe inhonorificam inimicis parcere, deſtruit. Et verè per ſuum vicarium Petrum omnino linguam mundi deſolat, ſuam interponẽs diffinitionem: *Vobis igitur credentibus honor.* Hoc enim ita diffiniens Petrus, verè deſolat linguam mundi, eo modo quo Propheta intelligebat. Eſt ſiquidem in Hebræo verbum *Herem*, quod ſæpè in Scriptura ſacra ſignificat, rem חרם ita deſtruere, vt nulli liceat eam vel ex *Brix. to. 1. fol. 260.* parte erigere, quod in Scriptura dicitur, ponere in anathema, aut maledictionem. Quomodo voluit Iosue ciuitatem rebellem Iericho *ponere in anathema*, quam ita deſtruxit, & maledictam declarauit, vt nulli liceret, vel rem minimam illius appetere, vel eam aliquo tempore reædificare, qui in ſignum anathematis publico præconio *Ioſ. 17.*

clamare feci.: *Maledictus vir coram Do-*
Ios.6.26. *mino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho.* Vnde, quia Achan tulit aliquid leue *de anathemate*, malum magnum toti populo fuit inductum, & ipse lapidibus obrutus perijt. Et quia
3. Reg.16. Hiel de Bethel, ciuitatem anathematizatam reædificare tentauit, maledictionem comminatam incurrit. Hoc verbo
34. vtitur Propheta: & ideo quidam ita trāstulerunt: *Anathematizabit Dominus linguam.* Id fecit Christus per seipsum, vt ex Euangelica patet historia, condēnans mundi placita, decreta, & dicta: & tandem per Vicarium suum Petrum illud dogma anathematizat, quod mundi lingua inter primarias assertiones profitetur, honorem seruari non posse, nisi secundum legs duelli quis agat, & nisi vltionem de inimico offendente ita sumat, vt vindicta iniuriam superet. Definit Petrus, verum honorem non esse, nisi ijs qui legem Euangelicam seruant, & eo ipso anathematizat linguam mundi, & declarat maledictum illum, qui eam vel ex parte erigit, & reædificat. Nunc considerate quid dicendum sit de ijs qui in medio Christiani populi constituti, leges duelli excitant, & linguam mundi resuscitant, expendentes grauitatem iniuriæ; vt secūdum illa, quænam sit vltio sumenda, decernant, qui directè contra hanc definitam veritatem lingua mundi personant, & clamant. Liquido igitur ex his constat, præceptum à Christo traditum, pro honore, non contra honorem, aliqua ratione esse, & illum solummodo verum honorem sibi parere, qui tale obseruat mandatum.

(.·.)

§. 13. *Non est inhonorificum, inimico parcere, quia non est contra honorem eius, secundùm suæ Reipublicæ agere leges, & debet collo equi circundari hinnitus.*

¶ 162. *Dico vobis.* Quāuis ex verbis Christi manifestè ostenderimus, huius præcepti obseruationem, non contra, sed pro honore esse, quoniam tamen hoc paradoxum omnibus mundi cultoribus difficile est, libet tam euidentibus rationibus, ex eisdem verbis erutis, id ipsum demōstrare, vt cuique id fiat euidentissimum. Estque egregia in primis, quam pronomen illud, *Vobis* insinuat, quod Christus posuit, indicās se ad Christianos loqui, siue Reipublicæ Ecclesiæ ciues, & habitatores. Vnaquæque ciuitas, & Respublica leges suas habet, quibus disponuntur, quæ à ciuibus agēda sunt, sine quibus nec stare, nec conseruari potest. Est enim ciuitas, vt dixit B. Augustin. ciuium vnitas sub peculiaribus legibus dispositā. Et certè nullus ciuis tam indignè de suæ ciuitatis aut Reipublicæ legibus sentit, vt suo honori contrarium iudicet, apud ciues suos illas obseruare, quas qui honoratiores sunt, honorificentissimas iudicant, & seruant. Ille solummodo posset de obseruantiā legum pudefieri, qui rem pudendam duceret, inter illius Reipublicæ ciues adscribi. Hinc illud Apostoli: *Scimus, quoniam quæcūque lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur.* Lex impositā in ciuitate Cæsaraugustæ, ijs qui illam incolūt, qui sub tali lege sunt, loquitur, non extraneis, per quam omne os obstruitur. Si enim aliquis extraneus veniens ad istam ciuitatem, miraretur, videns te aliquid agere contrarium eius, quod in illius ciuitate fit, ei aptissimè responderes, te id exequi, quod tuæ ciuitati legibus est conforme: hocque omninò os illius obstrueret. Ita Laban, quærenti Iacob, cur Liam sibi tradidisset, cùm de Rachel tradenda

Epist.5. ad Marcelli. & Epist. 52. ad Macedon.

Rom.3.19.

tradenda actum prius fuiſſet, reſpon-
Gen.29.26. dit: *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.* Similiter, & Ioſeph quãdo fratres ſuos excepit hoſpitio, noluit Aegyptios cogere, vt cum fratribus ſuis comederent, ſed ſeorſum illis parari men-
Gen.43.32 ſam voluit, *quia illicitum erat Aegyptijs, comedere cum Hebræis, & profanum putant huiuſmodi conuiuium.* Id exemplo familiari patet. Videbis duos fratres ex eiſdem parentibus genitos, & gemellos, quorum vnus manet in Republica ſeculari, alter, ad Rempublicam Eccleſiaſticam ſe tranſtulit; ille enſe accingitur, precioſis induitur, barbam nutrit, armatus incedit, hocque ſibi reputat honorificum: iſte enſem deponit, communibus veſtitur, barbam radit, arma nullatenus defert, & hoc ſibi iudicat decorum. Si quæras, cur iſte ita, cur ille aliter? Reſpondebo, quia in diuerſis Rebuſpublicis viuunt; & vnuſquiſque ſecundum ſuæ Reipublicæ leges viuit. Hæc ratio adhibita omne os obſtruit, nec aliquid vltro manet requirendum. Eſt Eccleſia, Chriſti Reſpublica, & ciuitas admiranda, quam ille ædificauit, de qua *gloriosa dicta ſunt*, quam Ioannes *vidit deſcendentem de cœlo, &c.* Eius ciues ſunt Chriſtiani, quibus Apoſtolus loquitur, dicens:
Pſal 86.3. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.*
Apoc.3.12. *&* 21.1. Hæc eſt ciuitas, cuius, vt inquit Paulus,
Ad Epheſ. 2.19. *vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* Vnus Deus, Rex illius ſupremus, quem adorat; vnum baptiſma, per quod homines in eius ciues admittuntur, &
Ad Epheſ. 4.5. adſcribuntur; vna fides, aut Euangelica lex, quæ illius ciuibus agenda præſcribit. Qui igitur huius Reipublicæ ciuis eſt, hoc debet ſibi honorificum reputare, ſecundum huius legis præcepta viuere. Inter alia huius legis decreta hoc tenet ſupremum apicem, vt Beatus Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus demonſtrant: *Ego*
In cap.5. Matth. *autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Non igitur poteſt aliquis, qui ſe ciuem huius ciuitatis gloriatur, iudicare rem ſibi pudendam, & indecoram, opera ſua ſecundum huius legis diſpoſitionem ordinare: & hoc ipſo, ꝙ ſe huius Reipublicæ ciuem profitetur, & ſe agere ſecundum ſuæ Reipublicæ leges, omne os obſtruit, vt nullus illi legis obſeruantiam poſſit cauſare, aut iudicare ſibi incongruam, aut inhonorificam. Expendit S. Chryſoſtomus *Hom.67. in Geneſ.* verba illa, quæ S. Ioſeph reſpondit fratribus ſuis, qui videntes patrem ſuum mortuum fuiſſe, timentes, & mutuo colloquentes: Ne fortè memor ſit iniuriæ, quam antiquitus paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, dixerunt ei: *Pater tuus præcepit* *Gen.50.15* *nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, vt obliniſcaris ſceleris fratrum tuorum,* &c. Quibus ille reſpondit: *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Chryſoſtomus ſequitur lectionem, quæ ita habet: *Ne timeatis, Dei enim ſum ego:* id eſt, ſeruus ſum Dei, do meſticus illius, ad illius domum pertineo. Nullus ſeruus adeò eſt vecors, vt leges domus Domini ſui non cuſtodiat, & non honorificum ducat, eas ſeruare. Ideoque hoc, tanquam rem decoram, & honorificam duco ſeruare leges, quas eius domeſtici ſeruant. Huiuſmodi, autem lex eſt, diligere inimicos, benefacere ijs, qui oderunt vos: hanc legem ſeruare iudico decorum, & mihi honorificum. Ioſeph hæc agens, quamuis ante legem ſcriptam, iam ad Euangelicam ſecundum ſpiritum pertinebat, vt Diuus Auguſtinus, & Beatus Hieronymus conſi- *Ser.168.de tempor.* derant. Et qui tam de longinquo ad *Epiſtol. ad* hanc Dei ciuitatem pertinebat, tam *Demetriã.* honorificum ducebat eius leges ſeruare, quanto potiori iure Chriſtianus honorificam ſibi debet reputare huius præcepti obſeruationem, qui tam ſingulari fauore iſtius ciuitatis eſt ciuis effectus? Huius rationis vis magis intelligitur ſub familiari exemplo iam ſupra indicato. Si aliquis eques nobiliſſimus ex ſeculari Republica ſe tranſferret ad Rempublicam monaſticam, ſicuti B. Dominico, D. Thomæ Aquinati, & alijs multis accidit: hoc ipſo renunciaret legibus ſecularis Reipublicæ, & monaſticas amplecteretur. Vnde quod prius ſibi reputabat honorificũ, poſtea indecorum ſibi iudicaret, & è diuerſo. Manẽs enim in Republica

ſecu-

seculari, gloriabatur in veste pretiosa, & anulis, in capillorum crispitudine, armorum vsu, hastiludio, & his similibus, tuncque sibi rem illusione dignam iudicabat, tonsuram, vestem vilem, cucullum, humiles actus, &c. quia illud legibus Reipublicæ secularis congruũ, hoc incongruum est. Translatus tamẽ ad Rempublicam monasticam gloriatur in veste vili, armorum depositione, contemptu diuitiarum, &c. & sibi indecorum reputat arma deferre, hastiludio intendere, &c. quia hoc secundùm leges Monasticæ Reipublicę indecens est, illud autem decentissimum.

¶ 146. Cùm autem videmus aliquem ad monasticam Rempublicam translatum, appetentem, quæ priori vitæ congruunt, congaudentem sibi in rebus seculi, & honorificum ducentem ornatum vestium, capillorum crispitudinem, &c. dicimus illum non æstimare religiosũ statum, ad quem se transtulit, & indignum se esse statu monastico, qui viuere secundùm leges monasticas ducit indecorum. Ita de nobis philosophandum est. Erat homo in Republica Adæ, cui diabolus dominabatur, qui Adam, & omnem eius posteritatem sibi fecit subiectam. Huius Reipublicæ leges sunt, quæ carni, & appetitui congruunt: *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt, ira, impudicitia, contentiones, homicidia, &c.* Quid facit Christus? Ex illa Republica, te in suam transfert, cui dominatur ipse. Excellentissima certè gratia, qualem expendit Apostolus: singularissimũ Dei donum, omnem commendationem excedens. *Cum gaudio*, inquit, *gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, per quem habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.* Magnum donum, eruere Israelitas de potestate Pharaonis, à quo captiui tenebantur, & inducere illos in terram illam, vbi rerum omnium abundantia perfruerentur. Sed sine comparatione maius donum nobis est collatum, cùm Deus nos ex diaboli Republica, in qua captiui ab illo tenebamur per peccatum, transtulit in hanc suam ciuitatem, vbi omnium gratiarum, & donorum abundantia perfrui possumus. Ex his argumenti propositi vis fit manifesta. Quando quis in Republica Adæ subditus dæmonis imperio viuit, gloriatur illa agẽs, quæ suæ Reipublicæ sunt conformia: ita gloriantur infideles in Idolorum cultura, in vindicta, comessationibus, & ebrietatibus, &c. tuncque indecorum, & pudendum ducunt, viuere secundùm leges Reipublicæ Christianæ, quæ suæ Reipublicæ legibus sunt contrariæ. Quando in Christi Rempublic. se videt ex Dei gratia translatum, agere secundùm eius leges, debet sibi decorum, & honorificum reputare, incongruum autem viuere, secundum leges præcedentis Reipublicæ. Sicut ergo gentilis, & infidelis gloriatur, vindictam de inimico sumens, quia id suæ Reipubl. legibus est conformetita cùm Christianus effectus est, gloriari debet in dilectione, & beneficentia erga inimicos. Hanc rationem expendit Apostolus, volens hortari Ephesios ad patientiam, mansuetudinem, & mutuã charitatem. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis, vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate:* id est, vt exponit Anselmus, vt alter sustineat alterum in ijs, quæ sunt gratia, & aspera, quales sunt iniuriæ, & offensa. Vocatus es ad Ecclesiam Christi: debes igitur iam ambulare digne, id est, ea agere quæ digna sunt, & conformia huic Reipublicę. Hoc vt efficaciter persuadeat, postquam expendit Apostolus huius Reipublicæ vnitatẽ, ex capite, & spiritu viuificante, sacramentis, lege, &c. subdit: *Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris habentes obscuratum intellectum, alienati à vita Dei.* Translati estis à Republica dæmonis, in qua gentiliter secundùm illius leges vitam agebatis, ad Christi Rempublicam: non igitur iam vos docent quæ gentiles agunt, nec vobis congruunt, quæ sibi decora, & conuenientia illi iudicant: *Deponite vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem,*

ad Galat. 5. 19.

ad Col. 1. 12.

ad Ephes. 4. 1.

In cap. 4. ad Ephes.

¶ 615.

minem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Reliquiſtis veterem Rempublicam Adam, exuite illius mores veteres, & induite mores conformes Chriſto, in cuius Rempubl. eſtis deducti: Idipſum proſequitur Apoſtolus ad Corinth. ſcribens: *Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes.* Expendit Diuus Thomas illum loquendi modum, *prout ducebamini euntes.* In eo enim quod dicit, *euntes*, ſignificat promptiſſima ac diligentiſſima mente currentes: in eo autem quod ait, *prout ducebamini*, indicat illos proceſſiſſe quaſi ductos ab alio. Aquonam ducebantur? A dæmone, vel ab ipſa lege, & conſuetudine Gentilium: viuentes enim in Republica Gentilium, ab ipſa lege, & conſuetudine Gentilium ducebantur, vt id ſine reſiſtentia, imò cum maxima promptitudine agerent, quod ſuæ Reipubl. legibus erat diſpoſitum. Vult ergo dicere Apoſtolus; Cum eratis gentiles, peculiaribus legibus ducebamini, quibus obtemperare tam gratum vobis erat, & honorificum, vt ſine aliqua difficultate, imò cum maxima diligentia ageretis. Et quidem id agebatis, quod execrandum eſt, & irrationale, idola ſcilicet muta adorare, multò igitur magis nunc ad Rempubl. Chriſti translati, ab ipſa lege eius ducti, id agere cum diligentia debetis, quod ipſi legi eſt conforme: idque vobis honorificum reputare debetis. Et mirum certè eſt, quod omnis homo honorificum ducit, viuere, & agere ſecundum ſuæ Reipublicæ leges, & de eis gloriatur; Gentiles in idolorum cultura; Iudæus *requieſcit in lege, & gloriatur in Deo*, ſibi illa tradente; Mahumetanus in lege Mahumeti, &c. ſolus Chriſtianus eſt, qui tanquam rem indecoram, & pudēdam æſtimat, legis Reipublicæ ſuæ obſeruā tiam. Difficilia ſunt verba, quæ de generoſo equo dixit Deus ad Iob, ſed re conditum myſterium continent, quod Beatus Gregorius indicauit. *Nunquid*, inquit, *probabis equo fortitudinem, & circundabis collo eius hinnitum.* Quid ſibi hoc vult? quomodo hinnitus equi poteſt collum eius circundare? nunquid ex hinnitu poteſt catena valida confici, qua collum eius circundetur, & ligetur; Notum eſt, hinnitum eſſe vocem equi, quam quaſi ſuam nobilem fortitudinem iactans, à longè adhuc poſitus, emittit, ad terrendum hoſtem in bello, ad quem quaſi ſe natum agnoſcit: quomodo dixit Ieremias: *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt vniuerſa terra.* Fremitum vocat hinnitum, quia equus hinniens ad bellum fremere videtur, & hinnitu quaſi fremitu terrere. In Hebræo habetur dictio *Raghamh*, quæ hoc tantummodo loco in ſcriptura ponitur, quæ ſignificat, tonitruum, aut ſtrepitum terrentem, à verbo *Ragham*, quod tonare, aut tonitruum emittere ſignificat. Generoſus enim equus hinnitum tam validum emittit, vt tonitruum effundere videatur. Hunc hinnitum circundat Deus collo eius. Certum eſt enim, ſub huiuſmodi equo Deum voluiſſe Chriſtianum deſcribere, cui ille tanquam fideli equo inſidet, vt Rupertus proſequitur. Huic Deus fortitudinem dat; Nam *mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem.* Nec enim poſſet ſine illa inimicos ſuos vincere. Huius equi hinnitus vox valida eſt, qua magno cum gaudio exultans, ſe eſſe Chriſtianum, & Chriſti ſeruum, eiuſque Euangelicam legem colere profitetur. Hoc hinnitu tanquam tonitruo valido, antiqui illi martyres terrebant tyrannos, Imperatores, iudices imò, & omnem inferni exercitum. Hunc hinnitum collo eius circundat Deus, quia illo tāquam fune, & catena valida obligat eius voluntatem. In Scriptura, collum ſignificat voluntatem, quæ inſtar colli lege tanquam fune ligatur, cui eiuſdem legis iugum imponitur: qui eam recuſant, vocantur: *Dura ceruicis dirumpētes vincula, & proijcientes iugum.* Hinnitum ergo collo circundat Deus, vt Beatus Gregorius explicare videtur, quia voce quā ab intimo pectore Chriſtianus hinniens, & exultans profert, Deus ipſum ligat, & obliga: nā ex hoc ipſo,

1. Cor. 12. 2

In ca. 12. 1 ad Corint. lect. 1.

ad Rom. 2. 17.

¶ *166. Iob 39. 19.*

Ier. 8. 16.

כעמה

Brixi. to. 2. fol. 181. Libr. de vict. verbi Dei. cap. 4. Pſ. 67. 36.

Exo. 32. 9. & 33. 5. & Act. 7. 51. Pſ. 2. 3. Mora. c. 19

ipso, quod gloriaris te esse Christianum, intelligere debes te obligatum ad tenendam vitã Christianis præscri
Iacob.2.14 ptam: *Quid proderit fratres mei, si fidè quis dicat se habere, opera autem non habeat? Ostende mihi fidem tuam ex operibus.* Quomodo demonstrabis te gloriari in fide, cuius præcepta seruare indecorum, & vile tibi æstimas? Ore proferre se Christianum, & collum legibus duelli submittere, indecẽtissimum est.

§. 14. *Christianus ligatus est, idcò non est illi inhonorificum, non se mouere contra offendentem, qua consideratione continebat Dauid seipsum.*

¶ 167. In Ps.101. cant.2.

ALiam rationem, quam indicat Beatus Augustinus, possumus ex dictis eruere, qua pateat, non esse inhonorificum Christiano, ab vltione, & persecutione inimici abstinere. Christianus eo ipso quod talem se esse gloriatur, profitetur se Christi legibus ligatum; id enim est, Christianum esse. Considera hominem vndique ligatũ, manus compressas manicis ferreis, pedes compedibus inclusos, os vecte ferreo occlusum. Si hic ita ligatus, ab aliquo percuteretur, nec moueret contra percussorem manus, aut pedes, aut linguam, nunquid hoc illi esset inhonorificum? Nequaquam certè, quoniã ligatus tenetur. Ecce statum hominis Christiani; ligatur enim ille vndique, & omni ex parte Euangelica lege. Proprium namq; est cuiusuis legis ligare quæ à ligando dicitur, singulariter aũt id Christianæ leges efficiunt. Vnde, &
a Li. de vera Relig. cap.15. Sanctus Augustinus *a*, intulit, Christianum vitam excellenter vocatam Religionem. Religionis namque nomen
b 10. Etymolo c.17. variè deducunt Authores Sanctus Isidorus *b* sequutus Ciceronem *c*, existimat dici à relegendo ea quæ sunt diuini cultus, quia huiusmodi sunt frequẽter in corde legenda, relegenda ac re-
c 2. de nat. Deo. uolenda, iuxta illud Sapientis *d*: *In omnibus vijs tuis cogita illum*. Alij credunt religionẽ dici à reeligendo, quia per illam Deum, quem dereliquimus, aut amisimus per negligentiam, iterũ eligimus, quod aliquando ipsi Augustino e placuit. Aliam etymologiam tra-
d Prou.3.6 e 10. De ciuit.cap.4. dit Ambrosius *f*, quasi religio dicatur, quod per eam homo Angelus efficitur. Cæterùm Augustinus *g* ipse, seipsum corrigens illam censet aptiorem etymologiam, qua religio dicitur à reli-
f Libr.1.de Virgin post medium. gando, quod qui illam profitetur, ligatus ac religatus est peculiaribus legibus, ritibus, & cæremonijs. Quod, &
g1. Retract.cap.13. ad finem. placuerat Sancto Hieronymo *h*, qui explicans illud Prophetæ *i*, vocantis Ecclesiam Dei *Fasciculum*: Iste fasciculus, inquit Hieronymus, vt à Domini
h In cap.9. Amos ante medium. religione constrictus est. Vnde, & ipsa religio à religando, & in fascem Domini vinciendo, nomen accepit. Hæc
i Amos 9.6 omnia egregiè S. Thom. *k* prosequitur. Hinc igitur egregio discursu Sanctus Augustinus *l* infert, inter omnes
k 2.2.q.81. art.1. l Libr. de vera Relig. cit. professiones excellenter Christianam vocari religionem, neque enim vnquã Respublica aliqua, ita omni ex parte ciues suos legibus ligauit, sicut Christiana Respublica ligat Christianum, corde, mente, voluntate, oculis, manibus, pedibus, imò, & ore, vt nec minimum verbum ociosum proferat, nec aliquid faciat non congruum, & rectum, & legi conforme. Vnde Christus Dominus eos, qui in hanc Rempublicam admitti voluerunt, admonuit, rem esse grauem quam intendebant, & magna expẽsione dignam: sicut enim prælatus religionis, iuuenem qui ad illã admitti petit, admonet, vt videat quid agat, & rem maturè expendat, nec existimet religiosam vitam esse delicioſam, aut voluptuosam, sed quæ grauia continet multa, & oportere illum, qui eam profiteri vult, ex corde renuntiare omnibus, quæ sunt seculi: ita ille, cum venirent multi cupientes ad eius scholã admitti, conuersus dixit ad illos: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, &c. non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Quam doctrinam duabus subiunctis parabolis declarat, docens
Luc.6.14. 25.
¶ 168.

cens quanta expenſione opus eſſet. *Quis ex vobis*, inquit, *volens turrim ædificare, non prius ſedens* (id eſt attenta conſideratione) *computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt ſi habeat ad perficiendum, vt poſtquam poſuerit fundamentũ, & non potuerit perficere omnes qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Aliam addidit parabolã, de rege volente committere bellum contra alium regem, qui ſi prudens eſt, prius computat, & confert vires, ſumptus, milites, copias, attendens, an vincere poſſit inimicum, &c. Quibus parabolis id Chriſtus docere voluit, eum qui Eccleſiam ſuam, & diſcipulatum aggreditur, oportere intelligere, vitam Chriſtianam non eſſe delicioſam, aut voluptuoſam, aut in Eccleſia viuẽdum eſſe ſine lege, quin potius rem eſſe arduam. Eſſe namque Chriſtianum, eſt ſe hominem ligatum lege comprimente, & alligante appetitum, iram, concupiſcentiam, oculos, manus, pedes, vt nihil fiat niſi iuxta legis diſpoſitionẽ. Hocque ſingulariter operari debet Euangelium in Chriſtiano. De S. Alexãdrino ſene, refert Caſſianus, quod cum turbis infidelium circumfuſus, non ſolum maledictis, verum etiam grauiſſimis impellentium eum, vrgeretur iniurijs illique à ſubſannãtibus diceretur: Quid miraculi Chriſtus veſter, quem colitis effecit? *Vt ijs* (reſpõdit) *ac maioribus ſi intuleritis, non mouear nec offendar iniurijs.* Expende excellentiſſimam Theologiam, quã breuiſſimis verbis complexus fuit. In huius confirmationem expendit Diuus Auguſtinus illam ſententiam Spiritus Sancti, excitãtis hominẽ, vt diuinæ Sapientiæ Scholam ingrediatur. *Audi*, inquit *fili mi, & accipe conſilium intellectus: injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Hortans, vt homo diuinæ ſapientiæ efficiatur diſcipulus, petit, vt pedes mittat in compedes, & collum in torquem, aut catenam. Et bene dicit: Accipe conſilium intellectus: non enim hæc, corporis ſenſibus, & ſecundum viſionem oculorum ſunt expendenda: quis namque non refugeret compedes, & catenas? Id intellectu, & illuſtrato quidem cœleſti lumine, quo agnoſcat, eſſe diſcipulum Chriſti, nihil eſſe aliud, quam injicere pedem in compedes, manus in manicas, collũ in catenam, & vndique eſſe ligatum. Ideò (inquit Auguſtinus) Dauid ſæpè vocat Sanctos compeditos: *Intret*, inquit, *in conſpectu tuo gemitus compeditorum*: & iterum, *vt audiret gemitus cõpeditorum*. Quinam iſti compediti ſunt? De martyribus loquitur Dauid, & vnde martyres (inquit Auguſtinus) dicuntur compediti? nonne catenati potius, quam compediti? Ductos enim Sanctos Dei martyres poſt iudices, per prouincias, &c. Compediti tamen, & catenati dicuntur, non propter illos cõpedes, & catenas, quas tyranni pedibus, & manibus eorum inferebant, à quibus facile poſſent liberari, ſi tyrannis conſentirent, ſed compedibus, & catenis, ac manicis, diuinæ legis. Quis enim ligatam tenebat manum, ne thus idolis offerrent? quis pedes cõtinebat, ne ad idolorum cultum tenderent? quis linguam, ne maledicerent perſecutoribus? quis corpora ne à tormentis duris ſe ſubtraherent? Alligauerat eos Dominus, inquit Auguſtinus, iſtis cõpedibus, duris quidem, & moleſtis, ad tempus, ſed tolerãdis propter promiſſa eius, cui dicitur: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Ligati ergo, & conſtricti tenebantur, euangelicæ legis præceptis, & promiſſionibus, de quibus ſtatim Spiritus ſanctus ſubdit: *Vincula illius, alligatura ſalutis.* Non ligat te, vt perdat te, ſed vt ſaluet te. Signanter autem Euangelica lex erga inimicum, tenet hominem vndequaque ligatum; cor, ne illum odio habeas; os, ne ei maledicas, manus, & pedes, ne illi malefacias: quin potius ſtatuit, vt corde diligas, ore benedicas, & ores pro eo, manibus illi benefacias. Non igitur contra honorem tuum erit, non mouere manus feriendo, pedes perſequendo, os maledicendo, aut cor odio habendo inimicum, qui vndique ligatus contineris. Hæcque conſideratio deberet eſſe viri Chriſtiani, qua ſæpè vſos fuiſſe Sanctos viros agnouimus. Ita de Beato

Chri-

Collat. 12. c. 13.

In Pſ. 101. con. 2.

Eccl. 6. 24.

¶ 169.

Pſal. 78. 11.

Pſ. 101. 21.

Pſal. 16. 4.

Eccle. 6. 31 cit.

Christophoro refertur, quod cum alapa à ministro esset percussus, illum respiciens, tantummodo dixit; Nisi Christianus essem: ac si diceret: Nisi ligatum me teneret lex Euangelica, quam profiteor, non impunè euasisses. Ita respondendum docuit Chrysostomus.

Homi. 3. in 1. Ioan. Dic, inquit, te vrgenti: Quid faciam tibi? alius mihi dextram, & linguam cohibet, & ligatam tenet. *Hoc profectò verbum, & tibi, & illi fiet Philosophiæ materia.* Et certe hac dicendi phrasi vsus fuerat Dauid, cũ magnam ab inimicis persecutionem passus fuisset, cuius occasione edidit psalmum vigesimum sextum, cuius titulus est, *Psalmus Dauid priusquam liniretur.* Ter, inquit Diuus Basilius, vnctus fuit Dauid, primò in Bethleem à Samuele, secundò in Hebron à tribu Iuda, tertiò ab omnibus tribubus in Hebron. Non est intelligendum, editum esse psalmũ, ante primam vnctionem, sed ante secũdam, & tertiam, per quam pacificè sedem regni accepit, eo scilicet tempore, quo grauissimas iniustissimasque persecutiones passus fuit à Saule, eiusque ministris, tales quales ipse ibidem refert. *Insurrexerunt*, inquit, *in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Demonstrauimus superius nihil esse grauius ad ferendum calumnia, & testimonio mendaci. Hanc iniuriam inferebant Dauidi, inimici eius, qui firmiter, & constanter insurgentes, testimonium iniquum contra eum ferebãt apud regem Saul: neque id solum, sed mendacia composuerunt, & attente meditati sunt calumnias, quas illi imponerent. Id enim illud significat, *Mentita est iniquitas sibi*, aut apud se. Hieronymus legit, *Surrexerunt contra me testes falsi, & apertum mendacium* (iubde) loquuti sunt. Quid fecit Dauid? *Credo*, inquit, *videre bona Domini in terra viuentium.* In Hebræo: *Nisi credidissem videre bona Domini.* Est figura aposiopesis, quando oratione imperfecta, magno animi affectu prolata, volumus aliquid, quod non exprimimus, declarare: quomodo dixit Christus, videns ciuitatem: *Si cognouisses, & tu.* Quomodo dicere solemus, volentes aliquem admonere: Nisi tibi attendas, subintelligendum relinquentes: malum magnum tibi eueniet. Ita Dauid; Nisi credidissem videre bona Domini, reliquit subintelligendum, vt annotauit R. Iacob, Vindictam sumerem tali iniuriæ conuenientem: Nisi credidissem, nisi fidelis essem, nisi me ligatum diuinis legibus, & promissionibus vidissem. Et hoc ipsum in similibus euentibus nos agere hortatur subdens: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Speran tes in Domino sunt fideles, & Christiani, nam *fides est substantia sperandarum rerum.* Omnes qui estis fideles, diuinis legibus vos ligatos attendite, & quod talia vincula sunt alligatura salutis, per quæ vobis æternam vitam comparatis. Speras in Domino, speras videre bona Domini in terra viuentium? Viriliter age, & confortetur cor tuum per patientiam, & tolerantiam. Similem discursum indicat Beatus Anselmus, expendens illud Apostoli; *Existimate, vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu* Nulla ratione esset contra honorem alicuius mortui, si percussus ab aliquo, non illum repercuteret, aut maledictis insequeretur: non enim habet animam, quæ est principium sentiendi, & mouendi. Baptizatus, debet se mortuum existimare: vt enim Apostolus ibidem demonstrat, in baptismo homo moritur vitæ carnali, & in nouam vitam secundum Christum surgit, vt supra dictum est. Vnde nullo modo potest sibi esse indecorum, aut pudendum, quod non vindictam sumat de offendente se: hic enim motus procedit à spiritu carnali, & mundano, qui iam mortuus esse debet in baptizato, qui tantum viuere debet secundum Christũ: ideoq; tantũ debet moueri secundũ eius impulsũ, ad id ipse illũ excitat, dicẽs: *Ego aũt dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos.* Ita agebat Paulus ipse, qui mortuũ se vitæ mũdanæ, & viuẽtẽ secũdũ Christũ æstimabat, dicẽs; *Viuo ego, iã nõ ego, viuit in me Christus.* Viuo ego, nõ tamẽ ego secundũ vitã carnalẽ, sed secũdum vi-

Psal. 26. Scholia in Psal. 26. 1. Reg. 16. 13. 2. Reg. 2. 4. 2. Reg. 5. 1.

Inc. 6. epi. ad Rom. Rom. 6. 11. Hebr. 11. 1.

Rom. 6.

¶ 170.

Genebrar.

Luc. 19. 42

Ad Heb. 11. 1.

Gal. 2. 20.

vitam Christi. Quod inde sequutum fuit? Quod nec inimicos odio habebat; nec maledictis prosequebatur, nec vltionem sumebat; hæc enim procedunt à spiritu carnali: sed potius eos diligebat, & cupiebat esse anathema pro fratribus suis, qui illum immani odio prosequebantur; maledicentibus sibi benedicebat, pro persecutoribus orabat, &c.

§. 15. *Christianus non debet erubescere Euangelium, quod est virtus Dei salutem asserens, & Magorum Pharaonis virgas deuorans.*

¶ 171. *In Ps. 101. cont. 2.* QVæ dicta sunt, fient manifestiora, si cum Beato Augustino expendamus verba, quæ loco citato subdit Spiritus sanctus. Postquam enim hortatus est, vt pedes mittamus in compedes sapientiæ diuinæ, & collum in torquem, aut catenam eius, quoniam timere poteramus, quod ex compedibus redderemur inepti, & infirmi ad ambulandum, & ex catena collo circundante, similes nos exhiberemus seruis, & mancipijs vilibus catenatis, subdit, iuxta lectionem Græcã, quam *Eccl. 6. 30.* sequitur Augustinus: *Erunt compedes eius in protectionem fortitudinis, & torques illis in stolam gloriæ. Decus enim aureum est in illa, & vincula illius fila hyacinthina.* Ne putes huiusmodi compedes, & catenas, similes esse materialibus: nam compedes ferrei hominem debilitant, & detinent, ne possit rectè ambulare; illi autem compedes, erunt potius in protectionem fortitudinis; nam per hos poteris rectos facere gressus, & ambulare fiducialiter in via Domini Catenæ quibus homines vinciuntur, sunt illis ad verecundiam: cæterum hæc catena, aut torques diuinæ legis, erit tibi potius in stolam gloriæ, in qua decus aureum est: aut vt alij legunt, ornatus aureus. Nec enim ita ornauit collum Ioseph *Gen. 42.* *torques aurea*, quam Pharao *circumposuit collo suo*: *Dan. 9. 29.* neque ita gloriosus redditus est Daniel, per torquem auream, qua Rex Baltassar similiter collum eius circamdedit, sicut ornat, & gloriosam reddit animam huiusmodi torques, cũ affectum suum ea circumdat. Et vincula eius, dicuntur fila hyacinthina, metaphora sumpta à virgine pulcherrima, variis nexibus hyacinthinis, aut purpureis circumdata, quibus pulchritudinem suam auget: ita, & anima, huiusmodi præceptis, aut nexibus liuinæ legis. Non itaque confusionem, aut verecundiam inducunt, sed gloriam, decorem, & honorem. Conqueritur Deus semel, & iterum apud Ieremiam, aut potius nostro modo loquendi, miratur hominum insciti- *Ierem. 6. 15 & c. 8. 12.*
am, & ignorantiam, qui nesciunt erubescentiam, id est nesciunt de quibus debeant erubescere, & in quibus debeant gloriari. Erubescunt namque de ijs, de quibus gloriari, & gloriantur de ijs, de quibus erubescere debeãt. *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Fecerunt abominandas res, & ideo confusi sunt, id est, confundi debuerunt; sed nullatenus confusione sunt affecti, qui nesciunt, erubescere, id est, nesciunt de quibus erubescere, aut gloriari debeant. Abominationem fecerunt, & non sunt confusi, quin potius gloriari solent, de quibus dictum est: *Gloriantur cum malefecerint, & exultãt in rebus pessimis.* Dauid morti proximus, præcepit filio suo Salomoni, vt impium Ioab facinus non relinqueret impunitum. Illud fuit, quod non solum occidit illos duos Principes sibi inimicos. Abner filium Ner, & Amasa filium Iether, sed illud tanquam rem sibi gloriosam exhibuit, quod *posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos suos, & in calceamẽto, quod erat in pedibus eius.* Erat baltheus, ornatus militaris, quem tãquam signum nobilitatis milites ostentabant; ideoque erat id quod oculis omnium offerebant conspiciendum. Hunc Ioab tinxit sanguine eorum, quos occidit, omnium oculis volens proponere factum glorioſum; & similiter calceamenta sanguine respersit, vt omnibus indicaret, quã forti vulnere inimicum percusserit, ex quo tã abundan- *3. Reg 2. 5.* ¶ 172.

ter

ter, sanguis effluxit, vt, & illius calceamenta respersit. In hoc gloriabatur ille, qui tamen potius inde deberet confundi, qui proditorie viros illos occidit. Impius Absalon gloriabatur in eo, quod vxores patris sui polluebat, inde, & extendi sibi fecit *tabernaculum in solario*, totius ciuitatis oculis expolito, in quo tantum facinus commisit. Huiusmodi sunt multi in mundo, qui gloriantur in fornicatione, in dolis, & fraudibus, quibus alios decipiunt, in superbia, fastu, contemptu proximorum: & sæpè id ad sui gloriã magis proferunt, quod ad maiorem illorum confusionem esse deberet. Hi nihilominus confunduntur de ijs, de quibus verè possent gloriari: nihil enim est, quod maiorem gloriam inducat, quam opera bona, & Sancta, quæ lucis nomine in Scriptura sacra describuntur, quia illustres, & glorioſos reddunt authores suos: & de ijs confunduntur, de humilitate in subiectos, de misericordia in pauperes, &c. Et ea magis reputant inhonorifica, quæ in Euangelica lege primatum tenent, Crucem Christi, patientiam in persecutionibus, & tolerantiam offensæ ac iniuriæ. Optimè Paulus: *Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est, in salutem omni credenti*. Expende in primis, quod dicit: Non erubesco Euangelium. Non dixit: Non timeo Euangelium, aut euangelizare, quamuis propterea mortis periculum sibi imminere præsentiret, sed non erubesco; quoniam prima fronte, Euangelium ea statuere videbatur, quæ inhonorifica erant, & pudorem ac confusionem afferebant. Iulianus apostata, vt Diuus Gregorius Nazianzenus refert, doctrinam Euangelicam, tanquam vilem, contemnendam dicebat; & Celsus Iudæus, vt tradit Origenes, Euangelium quasi doctrinam irrationabilem irridebat, & multi, rubore se putant afficiendos, seruantes Euangelicam legem. Quos omnes irridens Paulus. Non, inquit, erubesco Euangelium; nulla ratione rubore, pudore, aut confusione afficit. Quod efficaci ratione comprobat, subdens; *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti*. Quibus verbis, videtur primò alludere voluisse, ad eam differentiam, quam ipse statuit inter legem antiquam, & Euangelicam, vbi, vt Diuus Thomas annotat, Apostolus loquitur profundè; legem enim antiquam vocat, *Ministrationem mortis, & damnationis*, ita quod, Deus illam legem dans, visus est dare mortem, & damnationem, non directè, sed occasionaliter, vti ipsemet Paulus, & Theologi declarant; lex siquidem illa, nec salutem, nec vires, nec gratiam præstabat, & vt breuissimis verbis ait Anselmus, occidebat, & damnabat lex illa transgressores suos, quos statim morti tradendos decernebat, non reseruans eos ad pœnitentiam: legem autem Euangelicam vocat, *Ministrationem spiritus*, vitæ, & salutis, quia eam dans Christus, dedit simul Spiritum sanctum, eiusque gratiam, per quam homo potens esset, ad eius obseruantiam, & æternam consequeretur salutem. Et quamuis talis esset lex antiqua, nihilominus tamen (inquit Apostolus) illa fuit *in gloria*; tantam siquidem lucem, & claritatem conferebat Moysi, qui illam portabat, & sustinebat, & tam splendidum illum reddebat, *vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam*. Ex quo argumentatur Apostolus: Si lex illa, ministratio mortis, & damnationis tam glorioſum faciebat deferentem, & portantem se, *quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria*. Quomodo non magis lex Euanglica, quam Christus ministrauit in salutem, & vitam, glorioſos eos faciet, qui illam ferunt, seruant, & custodiunt. Non erubesco Euangelium, quia virtus est, in salutem. Ita Paulus. Non erubescebant Iudæi legem illam, ministrationem damnationis, & mortis, sed in illa gloriabantur, & illam obseruare, sibi honorificentissimum reputabant, quantò minus debet Christianus] erubescere Euangelicam legem, ministrationem spiritus, & vitæ. Sed & aliam rationem videtur Apostolus indicare, dicens, Euangelium esse virtutem Dei. Videtur enim alludere ad virgam Moysi. Nota est historia.

2. Reg. 16. 22.

Rom. 1. 26.

Cont. Iuli.

Lib. 2. cont. Celsum.

173.

In 2. ad Cor. cap. 3. lect. 2.

2. Cor. 3. 7.

Rom. 7.

In cap. 3. 2. ad Cor.

2. Cor. 3. 7. cit.

Quam-

Quando Moyſes comparuit coram Pharaone, vt populum Dei ab eius captiuitate liberaret, virgam proiecit in terram, quæ in ſerpentem ſubito conuerſa, terrorem aſtantibus incuſſit. Magi, & ſapientes Pharaonis, virgas ſimiliter proiecerunt in terram, quæ in ſerpentes itidem conuerſæ fuerunt; quibus tota Pharaonis aula replebatur *Exod.7.12* *ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum,* quam omnes in ſuum corpus traiecit. Serpentes erant, quas vocat virgas, ab eo quod ante fuerant. Lex quæuis, apte virgæ, aut regulæ, & ſerpentis typo exprimitur: nam quæuis lex imponitur, vt tanquam virga dirigat, & tanquam regula ordinet, & rectificet. Deinde debet eſſe ſumma prudentia referta, quam ſerpentis effigies apud omnes nationes exprimit. Signanter autem lex Euangelica virga vocari poteſt, quo nomine Scriptura ſacra eam deſcribit: *Virgam* *Pſal.109.2* *virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion:* *Pſal.44.7.* & iterum, *Virga directionis, virga regni tui.* Eſt etiam ſerpentis tenens effigiem, quia prudentiſſima eſt, conformis non prudentiæ carnis, ſed ſpiritus ab illo capite procedens, in quo tota Dei ſapientia clauſa eſt: & prima facie terret. nihil enim magis ad primum conſpectum pauorem incutit, quam lex Euangelica, quæ paupertatem laudat, humilitatem extollit, Crucem prædicat, perſecutiones optandas proponit, propriam vitam odiendam, & mortem appetendam clamat. Hanc ¶ 174. virgam proiecit, & in medium miſit Dei Filius, erepturus hominem de poteſtate infernalis Pharaonis; cuius tota aula repleta ſimiliter fuit ſerpentibus, ſuis ſapientibus confectis: totus enim mundus plenus erat varijs legibus, quas qui ſapientes habiti ſunt, promulgarunt. Mirum eſt, quot quantæquæ leges in mundo eſſent, à diuerſis legislatoribus conſtitutæ, Solonis, *Li.5.Ethimol.* Licurgi, Triſmegiſti, Appollonij Tianæi, Zoroaſtris, Platonis, Zenonis, Py- *Lib.7. cap. Moyſes.* thagoræ, & aliorum, quos Beatus Iſi- *Lib.18. ca. 19.* dorus recenſet, & ex illo Gratianus, & ex vtroque Cœlius Rhodiginus. Merito tamen vocata eſt lex Chriſti, *Virga virtutis tuæ*: nam diuina virtute ita egit, quod omnes alias virgas deuorauit, & in corpus ſuum traiecit: nam Euangelium omnes leges ſibi ſubiecit, & ad ſibi obtemperandum reduxit, & vt Diuus Chryſoſtomus ex profeſſo demonſtrat, Crux, in qua Euãgelium totum clauditur, quæ omnibus legibus erat maledicta, & pedibus conculcata, ac ſupremum abominationis ſupplicium, omnes coronas Regum, diademata Imperatorum, tiaras, Pontificum, ſibi nunc ſubdidit: & quam omnes abhorrebant, nunc eius figuram tantopere quærunt, vt vbique ea inueniatur, apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, &c. Omnes ea ſe ſignant, *inſcribendo in nobiliſſima parte faciei,* &c. Quod, & latè ipſemet pro- *Ora.2.cont Iud.tom.5.* ſequitur, expendens quomodo lex euangelica in mundo à Chriſto emiſſa, omnes alias leges deuorauit, & aboleuit, & ſibi concorporauit, vt iam illæ non appareant. Vbi nam leges Solonis? Quidnam factum eſt de legibus Pythagoræ, tanta æſtimatione celebratis? Quonam abierunt leges Zenonis, Tyanæi, &c. Omnes illas Euangelica lex abſumpſit, & illa ſola manet firma immobilis, & ſecura. Et quidem hæc nondum erant Pauli tempore completa, nec enim adhuc tunc hæc virga, ſapientum virgas deuorauerat, nondum ſibi omnes leges ſubiecerat, nec Euangelicam Crucem omnibus reddiderat glorioſam: quia tamen hoc futurum præuidebat Paulus, iam in Euangelio gloriabatur, & in Cruce; iam clamabat: Non erubeſco Euangelium: Virtus enim Dei eſt, &c. Nunc autem iam huius legis virtutem oculis conſpicimus, cui omnes leges ſubiectas videmus, cuius Cruci omnia diademata ſubiecta manent. Poſſibile igiturne eſt, quod apud nos maneat adhuc virga mundanæ legis, & liber duelli? Et quod Chriſtianus erubeſcat Euangelium, & reputet ſibi in confuſionem, illius magnum præceptum ſeruare? Quod confuſionem adducebat, fecit, vt eſſet in gloriam, & quod etiam apud Philoſophos honorificũ fuit, parcere ſcilicet inimicis non glorioſum, & honorificũ faciet; Sed verè ſapiẽs Legislator, cordis noſtri duritiam

ritiam agnoſcens, nos admonuit dicens *Qui me erubuerit, & ſermones meos*, hûc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in gloria Patris ſui, & ſanctorum Angelorum. *Luc. 9. 26.*

§. 16. *Vexillum erigit Chriſtus, quod qui ſequi contemnit, potius inimicus quam eius miles dici debet.*

¶ 175. *Hom. 8. in Ezech.*

EGO *autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Ex doctrina D. Gregorij aliam poſſumus rationem annotare, in his Chriſti verbis contentam, qua non ſolum probatur, hoc præceptum rationabile, ſed etiam honorificum. Ego, inquit vobis. Attende quis eſt qui præcipit, & quinam ſunt illi, quibus præceptum imponit. Qui præcipit, Chriſtus eſt: quibus hoc præceptum imponit, ſunt fideles in Eccleſia ſua viuentes. Si autem adhuc inquiras: Qui ille ſit, reſpondebunt Prophetæ, eſſe ducem populi Chriſtiani. Ita Deus apud Eſaiam: *Dedi eum ducem: Et* apud Michæam: *Bethelem, ex te exiet Dux, qui regat populum meum.* Similiter autem ſi preſſius quæras: Qui ſunt fideles: Reſpondebunt Scripturæ ſacræ, eſſe milites, quorum vita eſt *militia ſuper terram*, qui perpetuis congreſſionibus inimicorum vrgentur, & impugnantur, vt ſæpè Paulus clamat. Quod ſummè neceſſarium eſt militibus, inquit Gregorius, eſt vnionem ſeruare, & nullatenus contra ſeipſos dimicare: ſi enim vnius exercitus milites à ſe diuiſi ſunt, aut mutuis impugnationibus ſe cædunt, erunt, ſimiles Madianitis, *qui mutua cæde ſe truncabant*, & ſine externo perſecutore, victi fuerunt. Idcirco Chriſtus Dominus, tanquam Dux ſapientiſſimus, id perpetuò ſuis militibus iniunxit, vt pacem ſeruarent, vnitatem tenerent, & ne contra ſe inuicem manus conuertant, aut inimicitias gerant. Hæc omnia explicat beatus Gregorius, expendens verba illa, quæ de famigeratiſſimis Ezechielis animalibus dicta ſunt. *Cum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, & quaſi ſonus caſtrorum.* Rectè quaſi ſonum caſtrorum tenent ij, ad quos Apoſtolus clamat: *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ.* Sanctorum ergo multitudo, caſtra ſunt, quæ bellum contra aereas poteſtates ſuſceperunt. Vnde ſancta vniuerſalis Eccleſia, ita ſub ſpecie dilectæ deſcribitur, vt dicatur: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Dicitur Eccleſia ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem, quia autorem ſuum diligens, ad eius viſionem ſperans ſe venturam, ſpe gaudet, vt inquit Apoſtolus. Quoniam tamen perpetuam, grauemque inimicorum ſentit impugnationem, cõſtituitur terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Quid eſt, inquit Gregorius, quod ſancta Eccleſia ab hoſtibus ſuis, vt caſtrorum acies ſit timenda? Non enim à magno intellectu vacat iſta cõparatio, & idcirco eſt ſubtiliter intuenda: ſcimus enim, & cõſtat, quia caſtrorum acies, tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit cõſtipata, atque denſata, vt in nullo loco interrupta videatur: nam ſi ita diſponitur, vt locus vacuus, quem hoſtis poſſit ingredi dimittatur, profectò iam ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Et nos ergo cum contra malignos ſpiritus, ſpiritualis certaminis aciẽ ponimus, ſummopere neceſſe eſt, vt per charitatẽ ſemper vniti, atque conſtricti, nunquam interrupti per diſcordiã inueniamur; quia ſi quælibet bona in nobis opera fuerint, ſi charitas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur, vnde ad feriendos nos hoſtis valeat intrare. Antiquus verò inimicus, caſſitatem in nobis ſi ſine charitate fuerit, non timet, quia ipſe nec carne premitur, vt in eius luxuria diſſoluatur. Abſtinentiam non timet, quia ipſe cibo nõ vtitur, quia neceſſitate corporis non vrgetur. Diſtributionem terrenarũ rerum non timet, ſi eidem operi charitas deſit, qã diuitiarũ ſubſidijs nec ipſe eget. Valde autẽ in nobis charitatẽ

Ad Epheſ. 6. 11.

Cant. 6. 3.

¶ 176.

Eſai. 55. 4. Mich. 5. 2. Matt. 2. 6

Iob. 7. 1.

Iud. 7. 22.

veram,

veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra, quem ipse tenere nolens, amisit in cœlo. Bene ergo dicitur: *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*, quia electorum multitudinem, eò maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiâ munitos contra se, & conglobatos aspiciunt. Ita Gregorius. Ex quibus patet primò, quare Apostolus suadens vnitatem, & pacem, & deponendam iracundiam, & inimicitiam, tanquam rationem adhibuerit; *Nolite locum dare diabolo*: per discordiam enim, & separationem militum à se inuicem, datur locus inimicis ingrediendi, & expugnandi. Nota est enim historia, quam Scriptura sacra refert, quando Holoferne occiso à Sancta Iudith, milites illius fugere cœperunt: *& quoniam Assyrij non adunati in fugam ibant præcipites, filij autem Israel vno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos inuenire potuissent*. Inimici nostri vniti sunt, de quibus Dauid; *Qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum persequimini, & comprehendite eum, &c.* Si nos non vnitatem tenemus, facilè vires nostras eneruabunt. Patet secundò cur idem Apostolus, tanquam rem primo loco necessariam iniunxerit, dicens: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*. Expende illud, *solliciti*, quasi hac in re debeamus summam adhibere solicitudinem, & aptè quidem, sine qua cætera non timentur ab inimicis, vt Diuus Gregorius dixit. Patet tertiò, cur Christus Dominus tâta cura commendauerit vnitatem, dilectionem, & pacem quia videlicet, qui contra hostes nos muniebat, id præcipuè commendabat, quod magis necessarium nobis intelligebat. Patet tandem, cur tam stricte prohibuerit inimicitias, & vetauerit discordias, vt non contentus præcipere, quod non persequamur inimicos, iussit eos diligere, & eis benefacere: sicut enim ex vnione militū prouenit fortitudo exercitus, ita nihil est, quod facilius illius vires eneruet, & absumat, quam mutua inter se militum discordia, & pugna, vt de Madianitis dictum est, & proculdubio, tanquam rem certam conclusit Apostolus: *Quod si inuicem mordetis, sine manu aduersariorum ab inuicem consumemini*. Hinc intelligemus, quod sibi voluerit Christus Dominus, illud tam iteratis vicibus repetens *a*: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem b*. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem c*. *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem d*. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Tanquam enim Dux populi Christiani, voluit proprium vexillum militibus suis erigere, sub quo vnirentur. In hunc siquidem finem vexilla inuenta sunt. Cum namque summè necessariam intelligant duces vnitatem militum, hanc sub vno vexillo conseruare intendunt. Est vexillum diminutiuum à velo, vt inquit Paulus ex Festo, videntur namque vexilla primitus fuisse vela, aut flâmulas quasdam expansas, & vt sub illis vnirentur, vnitique tenerentur milites, nomen ducis in vnoquoque scribebatur, vt patet ex illo versu Senecæ Tragici *e*: Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt. De qua re multa Alexander *f*, agens de signis militaribus, & Beatus Gregorius Nazianzenus *g*, agens de Labaro, magno illo Imperatorum Romanorum vexillo, & alij authores innumeri. Dimissis tamen ijs, quæ apud scriptores seculares de secularibus militibus dicuntur, id ex Scriptura sacra possumus demonstrare. Quando filij Israel in terram promissionis proficiscebantur, militari ordine incedebât, & ad seruandum tabernaculum, militum more circa illud castra metabâtur. Vt autem omnes, qui ad vnam tribum pertinebant, vniti possent seruari, quę uis tribus proprium vexillum ferebat, peculiaribus insignijs depictum. Ita statuit Deus: *Singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum suarum castra metabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi fœderis. Ad Orientem tribus Iuda, cuius Princeps fuit Naasson*, ferebat vexillum viridis coloris, qualis erat color lapidis rationalis, in quo nomen Patriarchæ Iudæ scriptū erat, cuius insigne erat Leo, cui

Ad Ephes. 4.27.

Iudit. 15.4

Psa 70.10

Ephes 4.3.

Loco cit.

Gala. 5.15. ¶ 177.

a *Io. 13.34.*
b *Io. 15.12*
c *Ioan 5.17*
d *Ioan. 13. 35.*

Vide nostrum Sot. maiorē in c.2.cant.

e *In Thebaide act.2*
f *Li. 4. Genial c.2.*
g *Orat.1. cont.Iul.*

Num.2.2.

Iacob comparauit illum dicens: *Catulus Leonis Iuda*. Ad meridiem erat tribus Ruben, *cuius Princeps fuit Elisur, filius Sedeur*: ferebat vexillum rubri coloris, qualis erat color lapidis rationalis, in quo scriptum erat nomen Patriarchæ Ruben, cuius insigne erat hominis effigies, propter id, quod ei dixit Iacob: *Ruben primogenitus meus*. Sicque de cæteris Deus disposuit, vt vnaquæque tribus sub peculiari vexillo sociata contineretur, excubiasque ageret ad tabernaculum, de quibus lõgè, lateque disputant multi authores, longissimè verò Abulensis multa ad hoc institutum obseruans. Cum igitur Christus Dominus Dux sit exercitus Christiani, necessarium fuit, vt aliquod erigeret vexillum, ad quod omnes milites, conuolarent, & sub quo vniti tenerentur, & incederent. Huiusmodi autem vexillum, quodnam sit, expressit cœlestis Sponsa: *Introduxit*, inquit, *me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*. Cellæ vinariæ nomine, intelligit Diuus Ambrosius mysteriorum intellectum, & spiritualem lætitiam, & gaudium, ad quæ Ecclesia se introductam profitetur. Cui (loquendo de ea, qua parte iustos continet) data est notitia cœlestium sacramentorum, quam diuinus amor tanquam vnum suaue, & feruens tenet lætam, iucundam, & quasi madentem, vt Beatus Dionysius egregiè de effectibus diuini amoris, agens explicat. Quod autem dicit; *Ordinauit in me charitatem*, multi ex Hebræo vertunt: *Vexillum eius super me charitas*. Ita Agathius, Pagninus, & translatio antiqua Hispanica. Ecce vexillum Christi, dilectio, charitas, & amor. Idcirco toties illud erexit, & leuauit dicens; *Hoc est præceptum meum, &c. Hæc mando vobis, &c.* Adeo hoc verum est, vt ex hoc Diui Ioannis comprobari doceat, an aliquis ad Christi exercitum pertineat, an verò ad exercitum diaboli, vt sæpè expositum est. Imò, & Christus Dominus expressè docuit, ex hoc milites suos cognoscendos, vt Diuus Gregorius colligit ex illo: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*.

Gen.49.5.

In 6.2. nu. 4.5. & seq.

¶ 178.

Cant.2.4.

Li.3. Hex. c.10. & in Ps.118. ser. 5.

Li. de diui. nom. c.4.

1. Ioã. 3.10

Hom.17. in Exech. ad nam.

Hoc vexillum in suæ prædicationis exordio leuat, & erigit: ita enim factura prophetauit Esaias, illius victorias excellentissimas prædicens; *Et leuabat*, inquit, *signum in nationes*, metaphara sumpta à duce, qui bellum acturus, primum omnium erigit, leuatque vexillum, sub quo milites congregentur. Vexillo opus est, dicebat Cicero, & conuolabunt. Et vt illud milites agnoscant, leuabit, & extendet suum peculiare insigne, omnibus illud manifestum faciens. Eodem siquidem modo egressurus erat Christus (& verè egressus est) ad pugnam, qua dæmonem, mundum, & carnem vinceret, & omnes nationes suo erat subditurus Euangelio: primò vexillum erigit, & leuat. In monte namque constitutus, quasi gentem, & exercitum congregare volens, eligens in primos tribunos, & Centuriones Apostolos, vexillum erigit, & vt omnibus pateat ipsius insigne, illud extendit. Vexillum enim, quod erigit, & leuat, est dilectio, & amor, tam extensus, vt vsque ad inimicos peruenire debeat; *Ego autem dico vobis*: *Diligite inimicos vestros, &c.* Noua *bella elegit Dominus*, dicebat Sancta illa Prophetissa: nouos milites requirit, nouum vexillum erigit: depositio siquidem antiquo illo signo: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, nouum dat signum, *Ego autem dico vobis*: *Diligite inimicos vestros*. Ex his reuincitur intolerabilis error, quẽ supra proposuimus, aliquorum Christianorum, qui sibi inhonorificum iudicant, & pudendum, patienter iniurias ferre, & inimicis parcere. Quis vnquam miles iudicauit sibi indecorũ, sequi vexillum Regis, & ducis sui? Et quis miles, nisi transfuga, proditorque fuerit, contempto ducis sui vexillo, ad sequendum inimici signũ se transfert? Erigit mundus, inimicus Christi, vexillum suum: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: Christus illum expugnaturus, suum erigit vexillum; *Ego autem dico vobis*: *Diligite inimicos vestros*. Quis tam impius miles Christi esse potest, qui ex eo ad inimici vexillum sequendum se conuertat, quod iudicet, sequi Christi vexillũ, in-

Esai.11.12.

Lib. 10. ad Atticum. ep.15.

Iudic.5.8.

¶ 179.

ducere

inducere confusionem, & ruborem, & sibi esse potius rem honorificam, sequi vexillum inimici? Quod inimicum sequaris, relicto Christo, malum est: quod tamen non solum illum sequaris isto relicto, sed etiam iudices, illud tibi esse ad honorem, & gloriam, & sequi huius signum, esse ad pudorem, & confusionem, hoc est intolerabile, & maximè Christo iniuriosum. Hos vocat Paulus: *Inimicos Crucis Christi*, qui annotat multos esse, qui se amicos Christi gloriantur, qui tamen inimici sunt Crucis illius. Qui autem isti sint, intelliges, si consideres, quænam sit Crux Christi. Hoc enim nomine, vt supra diximus, non tam lignum materiale, in quo Christus tribus horis pependit, intelligendum est, quam hoc, quod est, patienter ferre persecutiones, & opprobria, & benefacere inimicis crucifigẽtibus, pro eis rogare, sanguinem dare pro effusoribus illius, & vitam pro ipsismet interfectoribus absumentibus illam. Qui his rebus sunt inimici, iudicatur à Paulo inimici Crucis Christi, & contra eos agit, demonstrans esse intolerabile, contendere, esse amicum Christi, & de illo gloriari, & esse inimicum Crucis eius, & illam contemnere: Nec enim potest quis amicus esse Christi, qui Crucis eius fuerit hostis, & aduersarius. Rationẽque illam Paulus indicat, quam sæpè expendit D. Bernardus, quia Christus affixus est Cruci, & nõ inuenitur Christus in mundo sine Cruce. Vnde Paulus *Christo*, inquit, *confixus sum Cruci*: non possum Christo copulari, nisi Cruci fiam, propinquus, & cum illo simul confixus sim; nec possum illi fieri proximus, fugiens Crucem, in qua ille manet confixus. Vnde quia Paulus gloriabatur in Christo, simul etiam gloriabatur in Cruce, & vocem illam edidit: *Mihi autẽ absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Quæ verba expendens Chrysostomus: Talem, inquit, oportet esse Christianum, & hanc vocem semper habere in ore: Gloriari in Cruce Christi est, gloriari in persecutionibus, & tribulationibus, & angustijs, patientiam tenendo, &c.

Ad Philip. 3.18.

Ad Galat. 2.19.

Ad Gal. 6. 14.

In epist. ad Galat. ad fin.

§. 17. *Christus his verbis sibi assumit curam honorificandi eum, qui à vindicta se continet.*

EGo autem dico vobis: *Diligite inimicos vestros*. Horum verborum emphasim alio modo licet expendere, in quo nouam alteram rationem eiusdem inuenimus. Deus verè nos amat, nec vult vt bonorum nostrorum iacturam patiamur. Ideoque cum aliquid præcipit, quod nostris commodis videtur contrarium, simul exponit, & exhibet seipsum, qui nos indemnes seruaturus sit. Præcepit antiquitus Israelitis, vt quolibet anno omnes viri ascenderent ad locum, in quo tabernaculum locatum esset. *Tribus*, inquit, *temporibus anni, apparebit omne masculinum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel*. Quoniam autem latrum timere poterat vnusquisque, quod relicta domo sua, sequi longè ab ea constituto, possent latrones liberè bona omnia suffurari, addidit: *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendẽte te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno*. Nec enim volebat, vt proprijs ciuitatibus, & domibus relictis, ita ad se adorandum, & colendum proficiscerentur, quod damnum propterea incurrerent: ideò perenni miraculo id agebat, quod ipse remanebat custodiens illorum bona. Similiter præcipiens iusto, vt mentem eleuet, & tantum attendat ad supernam legem suam, quia poterat iustus timere, ne aliquis coram se laqueum poneret, aut pedibus suis se aliquod offerret offendiculum, in quo impingeret, sicut accidere solet ijs, qui tantum cœlo intendentes progrediuntur; vt omnem timorem deponat subdit: *Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris*. Nec enim vult, ita sua à nobis attẽdi, vt damnũ inde possit nobis euenire. Similiter, vt diximus supra, sæpèq; annotauit Chrysost. cũ præcepit diuitibus de bonis suis eleemosynã facere, ne crederent diuites, Deũ velle, vt bonorũ suorũ iacturã faciant,

¶ 180.

Exo. 34.23

Prou. 3.26.

ciant, perpetuò addidit, se esse qui centuplum esset redditurus. Hoc est quod dixit Sapiens, agens de ijs, qui
Eccl.2.12. secura spe ei obtemperant: *Quis*, inquit, *permansit in mandatis eius, & derelictus est?* Derelinqui dicitur à Domino, cui malum euenit, à quo Deus cum non defendit, & liberat: ac si dicat: Quis malum incurrit, ex eo quod Dei mandata seruauerit? Quis cuperet seruare mandata Dei, qui à Deo derelictus sit incurrere mala, & incõmoda? Et subdit: *Va duplici corde*. In Græco: *Va cordibus timidis*: cui al-
Iaco.1.6.8 lusisse visus est B. Iacobus, qui *virum duplicem animo* vocat, *timidum, & hæsitantem*, & infirma fide postulantem. Duplex animo, idẽ est quod timidus, & hæsitans. *Va timidis cordibus*, hominibus inquam, qui timent malum sibi euenturũ, si legem Dei seruent. Hos tanquam damnationi destinatos ostendit Angelus dicens: *Timidis autem, &*
Apoc.21.8 *incredulis, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Bene autem timidos, iunxi incredulis, qui enim timet malum sibi euenturũ ex obseruãtia mandatorum Dei, incredulus videtur verbo eius, quo promittit, omnia prosperè euentura obtemperanti diuinæ legi; nec enim vult Deus, vt illam cum tui perditione, & dispendio serues, quam potius tuæ vtilitati, & commodo consulens, tradidit. Præ-
¶ 161. cepit nunc Christus id quod contra hominis honorem esse videtur: si enim inimicus, & qui mihi iniuriam intulit, & offensam, abstulit honorem, si ego prohibeor contra illum id agere, quod necessarium videtur ad honorem recuperandum spoliatus honore permanebo. Propterea Christus hac loquẽdi forma, & emphasi: *Ego autem dico vobis*, nos securos reddere vult, quod non honorem amittemus, quippe cum se ipsum exponat, quæ ad nostrũ pertinent honorem curaturum. Et videtur loqui eadem forma, qua locuta fuit Rebecca ad Iacob, quando illa præcipiens ei, vt se loco fratris sui supponeret, & illius assumeret personam, rem sanè, per quam Iacob iudicabat, magno periculo se exponendum fore,
Gen.27.12 ideoque recusans dixit: *Timeo, ne putet me sibi illudere voluisse, & inducat super me maledictionem pro benedictione:* respondit illa: *in me sit*, ait, *maledictio ista fili mi, tantum audi vocem meam*. Quæ Rebecca præcipiebat, erant Dei ordinatione dispositæ, quam illa agnouit, *cum ad consulendum Deũ* Gen.25.22 *se contulit*, cum pueros in vtero collidentes senserat, vt sancti Patres sæpè annotant. Sciebat autem illa, Deum non ea præcipere, ex quibus homo maledictionem reportet: sed hoc ipso, ac aliquid mandat, quod videtur maledictionem inducere posse, ipsemet se exhibet ita acturum, vt non maledictio, sed benedictio sequatur. Hoc intelligens illa; in me sit, inquit, maledictio ista fili mi, &c. Recole doctrinam D. Augustini: Ad rectè intelligendam *Epist.59.ad* vim aliquorum verborum sacræ Scri- *Paulinum* pturæ, adhibendam esse quandam pro- *post med.* nuntiationem in vultu, & modo vocis, qui exprimi literis non potest, ex qua totius sententiæ intelligentia pendet. Id quod, & sæpè in loquendi communi phrasi obseruãdum est. Suadet tibi amicus, vt aliquid facias, vnde tu times damnum incurrere: ille manum pectori suo applicans: Fac, inquit, quod dico, nec aliud quæras: tali gestu, & pronuntiatione, vt securum te reddat de successu. Ita Rebecca ita, & Christus loqui videtur. Præcipit inimicos diligere, patienter ferre: quia times honorem tuum inde absumi posse, tali modo, & forma id præcipit, vt te securum reddat de futuro successu; ipse enim se exhibet ita acturum, vt i tibi in magnum decus, & honorem cedat, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite, &c.* Sæpè admonuit Christus, se nobiscum agere, sicut Pater cum illo egerat. *Sicut misit me Pa-* Ioa.20.21. *ter*, inquit, *& ego mitto vos: Sicut di-* Ioan.15.9. *lexit me Pater, & ego dilexi vos*. Quomodo egit Pater æternus cũ Christo? Præcepit ei, vt id aggrederetur, quod videbatur suo honori omninò, & directè contrarium: pati. s. & sustinere ignominiosissimam mortẽ Crucis, inter duos latrones, quasi illorum maximus, Cæterum noluit Deus, vt Filius eius, quem vnicè, & infinitè, diligebat, hoc faceret, quo sine honore confusus re-

maneret,

maneret, qui potius propterea aſſumpſit, ita illius honorē procurare, vt ex eo quod cōfuſionem inducere videbatur, exaltationem ſupremam eliceret. Hocque eſt, quod Apoſtolus annotauit: *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Verè enim Pater illi præcepit, vt mortem Crucis ſubiret: nec enim obediens eſt, niſi is, cui aliquid præcipitur. Hocque erat illud mandatum, quod ille ſæpè expoſuit: *Propter, quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, &c.* Ex eo quod Chriſtus id fecit, quod Pater præcipiebat, quodque videbatur ad confuſionem, & dedecus, quaſi obligatus manſit Pater, honori eius conſulere, ſicuti reuera cōſuluit, ſummum illi tribuens honorem, & gloriam. Similiter igitur Chriſtus nobiſcum egit, qui præcipiens id quod videtur nobis confuſionem, & ruborem inducere, ſufferre ſcilicet patienter inimicum, ita loquitur, vt ſeipſum exhibeat acturum, quatenus inde honorem potius, & gloriam trahamus. Ita intelligi poſſunt illa ipſius verba apud Eſaiam: *Pro eo quod fuiſti derelicta & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te ſuperbiam ſeculorum gaudium in generatione & generationem: & ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & ſcies, quia ego Dominus ſaluans te Redemptor tuus fortis Iacob* Ad Eccleſiam hæc verba dicta fuiſſe docent ſancti, Baſilius *a*, Cyrillus *b*, & Patres in ſecunda Synodo Nicæna *c*, quomodo intellexerat Origenes *d*. Et verè de illa poſſunt intelligi iuxta regulam Ticonij, quam tradit Auguſtinus *e*, qua ex parte bonos, iuſtos, obedientes diuinis legibus continet, qui patienter tribulationes, & perſecutiones ferunt, & offenſas, & mundi contemptum, quales ſignanter fuerunt Martyres ſancti. Si eos attendas, derelicti fuerunt à proprijs, odio habiti ab omnibus, nec erat qui eis ſe coniungere auderet: inimicorum tamen perſecutione gaudebant, & tanto alacriores ſe eſſe putabant, quanto maiori contemptu deſpectos ſe videbant. Sed quid factum eſt? Sicut Pater æternus, quia Chriſtus patienter tulit Crucem, quæ confuſionem inducere videbatur, eum extulit, & nomen dedit illi ſuper omne nomen, ab omnibus adorandum, ita ille fecit cum martyribus: pro eo quod ea paſſi fuerunt, quæ ipſis præcipiebat, exaltauit eos tali honore, vt Reges, & Principes proſtrati iaceant ad eorum ſepulchra, illorum interceſſionem eflagitantes. Ita enim acturus erat, qui ſalutem noſtram, non mortem, qui honorem noſtrum, nō confuſionem quærit, & exoptat. Quis honor ſimilis ei, quem Apoſtolorum Principi detulit, Crucem quam illi ſuſtinendam præcepit, paſſus fuit, ad cuius ſepulchrum Reges diademata deponunt? Qualis honor cuiuis viro ſancto collatus, qui patientiam, prout ille iuſſit, tenuit, quē omnes nunc adorant, & coram eo procumbentes venerantur.

Phil. 2. 9.

¶ 182.

Eſai 60. 15

a In Pſ 44.
b In Eſai.
c Act 2.
d In illud Ioa. 2. Dicebat de templo corporis ſui.
e Libr. 3. de doct. Chriſtian. c. 23.

§. 18. *In Ioſeph oſtenditur cura, qua Deus honorificat non vindicantes ſe. Eius auris reſpondet pro ſuorum honore, ſicut pro Moyſe.*

ALudere viſus eſt Eſaias, verbis prædictis, ad hiſtoriam ſancti Ioſeph, quem ex carceribus, vinculis, & grauiſſimis offenſionibus, quibus videbatur honor eius abſumptus, ad ſupremum Regium honorem extraxit, quia patienter tulit offenſas, remque totam Dei manibus committebat. Ex quibus illa verba ſancti Iacob patris illius, quæ alioquin difficilia ſunt, explicat Rupertus: *Filius*, inquit, *accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: ſed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuiderunt que illi habentes iacula.* Quidam legunt: *Filius fructeſcens Ioſeph*, quibus verbis Iacob eximiam illius patientiam cœpit indicare, per quam ingentem retulit fructuum: vt enim Chriſtus docet, illi abundantius fructificant, *qui fructum referunt in patientia.* Erat autem Ioſeph decorus, qui à Patre plus amabatur; ideò exaſperā-

¶ 183.

Libr. 9. in Gen. ca. 36. Gen. 49. 22. Regia.

Luc. 8. 15.

perauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes iacula, id est, fratres eius. Videntes namque quod à Patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui; idcircò asperè, & iurgando loquebantur, & exasperabant eum, qui, & excitante odio non poterant quicquam pacificè, nec sine iurgio loqui. Habentesque iacula in ore suo, *Psal. 56. 5.* *Dentes quippe eorum arma, & sagittæ*, dicentium: Venite occidamus eum, venite venundemus eum, inuiderunt, & inuidiam suam opere compleuerunt Pagninus legit: *Amaricauerunt*, aut *a maritudine affecerunt*. Quod etiam intelligi potest de calumnia, qua Domina sua calumniata fuit eum, propter quam in carcerem coniectus fuit; talique afflictione tētus, qualem declarat Dauid: *Ps. 104. 18.* *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius.* Sed quid fecit Ioseph? *Sedit*, inquit, *in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum eius, per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est, lapis Israel.* Fratres inuiderunt, habentes liuoris sagittas: Domina amaricauit, calumniam eidem inferens horrendam, verum hic, inquit Rupertus, arcum suum, & arma pugnandi in Deo posuit, qui fortis est pugnator: nihil contra inimicos iaculantes egit, nullam sagittam contra eos iecit, nec contra fratres, quos posset de venditione, accusare, vel minimum protulit verbum; nec Dominæ suæ scelus aperuit: tantum in carcere rentus dixit: *Furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* *Gen. 40. 15* Arcum quidem habebat, & sagittas, poterat enim ille vindictam sumere, si fratrum impietatem accusaret, & improbæ fœminæ declararet luxuriam: sed nec minimam sagittam iecit, nec verbum contra eos loquutus est, qui arcum suum posuit in manu Dei: quasi dicens: Possum ego pro honore meo respondere, & sagittas emittere, quibus inimicos meos configam, rem tamen totam tibi Domine committo. Hoc significat illud: *Sedit in forti arcus eius.* Arcum namque vocat potentiam, quam habuit Ioseph, agendi contra inimicos, cuius sagittæ erant verba, quæ contra illos poterat proponere, & probare. Hæc arma, quibus poterat vindictam sumere, in manu Dei, tanquam in proprio loco, & sede reposuit, primò quidem intelligens, iam ante legem, quod postea in illa Deus explicauit, sibi esse reseruatam vindictam, dicenti: *Mihi vindictam.* Hoc, inquit Chrysostomus ¶ 184. fidelis, & vrbanus seruus agere solet, *Hom. 50. in Ioan.* cum à conseruo offenditur, in manu Domini, & potestate vindictam relinquere, quo ipse charior Domino redditur, & vindicta plena offendenti infertur. Si enim conseruus ipse de conseruo vindictam sumat; & offenditur Dominus, & nulla iam amplius vindicta conseruum censet puniendum. Secundò timens sibi ipsi, ne excederet, si vindictam ipse de inimicis sumeret, aut contra eos loqui, vel agere inciperet. Qui habet arcum, timetque manibus suis, ad subitam ferè præsentiam commotus, ne erret iaciendo in eam sagittam, arcum ponit in manibus sapientis sagittarij, qui certè, & securè sagittas ita dirigat, vt fera certò capi possit. Arcum habebat Ioseph, & sagittas, vt dictum est: poteratque contra fratres suos, & Dominam suam agere: timebat tamen sibi, iniurijs excitato, ne fortè minus bene sagittas mitteret, & sibi potius quàm illis damnum inferret. Ita enim, vt supra demonstrauimus, timent sancti viri, vltionem sumentes, ne fortè potius appetitu vindictæ, quàm zelo iustitiæ ferantur, ne excedant modum, &c. Idcircò arcum posuit in manibus sapientissimi sagittarij, Dei scil. qui eas habebat potentissimas, quas vocat *manus potentis Iacob*, quia illarum potentiam, & vim, ad fauendum ijs, qui se totos illis committunt, sæpè in ipso Iacob demonstrauerat, qui quod agendum erat ad bonum ipsius Ioseph, melius quam Ioseph ipse exequuturus erat: ideò rem totam in manu eius posuit. Quo etiam modo sapientissime fecit Rex Ezechias, qui excitatus verbis iniuriosis, & blasphemis Regis Sennacherib, quæ ore, & scripto protulerat, ascendit in domum Domini, *& literas expandit coram Domino, &c. Audi*, inquit, *omnia* *4. Reg. 19.*

verba

verba Senacherib, &c. Nihil ipse respõ dit, imò iussit, ne quis impio Sennacherib vel minimum verbum respõderet, sed rem totam ad Deum retulit, dicens: *Audi Domine, &c.* intelligens, Deum multo melius scire expendere grauitatem iniuriæ, quã inferebat Sennacherib, & quid ille iustè merebatur, rependere. Ita ergo, & Ioseph prius fecerat, nihil contra inimicos agere volens, arma sua manibus fortis Dei tradidit. Sed quid factum est tandem? *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum eius, per manus potentis Iacob.* Deus qui est potens Iacob, id est, qui in Iacob magnam potentiæ suæ fecit euidentiam, cui se suumque honorem commiserat, ex vinculis, & carceribus soluit, & non è carcere eduxit ad rem quamcunque sed supremam, *vt esset pastor, & lapis Israel.* Hæc sunt
Sap. 10.14 quæ Sapiens exposuisse visus est; *In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerant illum, & dedit illi claritatem æternam.* Cuncta verba expensione digna sunt, signanter illa: *Mendaces ostendit*, quod non solum de adulterij crimine intelligo, sed de omnibus, quæ contra illum loquuti fuerant fratres; quamuis enim in Genesi hæc non dicantur, noluit tamen Spiritus sanctus, quod maxime ad gloriam Ioseph faciebat, silentio præterire. Illud itidem, *& dedit illi claritatem æternam*, quod dicit propter illam gloriam, ad quam in regno Pharaonis fuit euectus, & illam quam in omnium memoria perpetuò tenebit. Hæc Iacob expressit illis verbis: *Inde*, ex carcere scilicet, *egressus*
¶ 158. *est pastor, lapis Israel.* Duplici nomine, honorem ad quem illum Deus euauit, exprimit, Pastoris, & Lapidis. Egressus est Ioseph, vt esset pastor, id est, Dux, Princeps, & Rex, quem fratres adorarent super terram: & vt esset lapis, id est, fortitudo, robur, & firmamentum, tenens locum supremum, sicuti lapis, qui est totius ædificij fundamentum. Et verè nescio, quid in lapide præuidebat Iacob, qui perpetuò ad rem grandem, & excellentem designandam, lapide vtebatur. Ita cum in deserto quiescere voluit, lapidem *Gen.* 28.11 capiti suo supposuit: & cum celebrem illam scalam vidit, quam portam cœli *Gen.* 28.15 appellauit, & Dominum magnificũ sibi promittentem audiuit, erexit lapidem in titulum: & cum iterum Deus ei apparuit, res grandes illi promittẽs, iterum *erexit lapideum titulum, libans* *Gen.* 35.14 *super eum libamina.* Et nunc rem grandem de Ioseph dicere volens, eum appellat lapidem Israel, Christum forte in lapide præuidit, & in Ioseph designare, voluit, quod Dauid intelligẽs, ex his quæ in Ioseph præcesserunt, explicauit, quæ in Christo fuerunt subsequuta, sub eadem lapidis metaphora: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Sicut *Ps.* 117.22 Ioseph, qui reprobatus à fratribus factus est lapis, supremo in loco collocatus, à quo totus eorum honor, salus, & vita penderet, sicut à lapide in fundamento posito, omnium aliorum ordo, & compositio. Ex his aptissimè explicari posse credo, sententiam illam Sapientis, qua homines voluit à murmuratione, detractione, & contumelia continere, & eos qui murmurationem, & detractionem patiuntur, à vindictæ appetitu temperare. *Quoniam* *Sap.* 1.10. *auris*, inquit, *zeli audit omnia, & tumultus murmurationem non abscondetur.* Genitiuus apud Hebræos, habet vim superlatiui; idemque est *auris zeli*, quod auris zelosissima, sicut *filius dilectionis*, filius dilectissimus, filius perditionis, filius perditissimus. Aurem autem Dei vocat zelosissimam, id est, acutissimam, attentissimamque ad audiendum quicquid dicitur de seruis suis: nihil enim magis aures alicuius attentas facit, ad auscultandum, quam zelus: sicuti cum vir nimio zelo sponsam diligit, attentissimè auscultat, quidquid de ea dicitur: & qui honorem alicuius magno zelo desiderat, auditu attentissimo auscultat, quidquid dicitur, vt pro illius respondeat honore. Deus magno amore seruos suos diligit, eorumque zelat honorem. *Zelatus*, inquit, *sum Ierusalem & Sion zelo magno.* Propterea attentissimè au- *Zach.* 1.15. scultat, quidquid contra eorum honorẽ dici-

dicitur, vt respondendi munus susci-
Sap 1, 11. piat. Ideò subdit statim Sapiens; *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Sermo obscurus vocatur ab
Li. de Mẽdac. c. 16. Augustino, murmuratio, aut detractio clandestina, in abditis, & obscuris facta, intra priuatos parietes. *Hæc in vacuum non ibit*, aut vt Vatablus legit, *non abibit impunè*: nam Deus attentissima aure audit, zelans seruorum honorem, qui propterea debitam pro murmuratione vindictam rependet. Si autem quod clãdestinè, & in abditis dicitur contra alicuius honorem, Deus puniendum assumit, quanto magis quod apertè dicitur contra aliquem, qui rem totam Deo ipsi vindicandam committit? Aut verò, *sermo obscurus* ¶ 186. vocatur, quidquid dicitur ad obscurũ alterius honorem, & gloriam; illud Deus zelotypa aure audit, ideoque debitam vindictam inferet. Alludit ad illud, quod de Moyse scribitur, cœpimusque alibi expendere. Murmuratunt cõtra Moysen fratres eius, Maria,
Num. 12. & Aaron, & eius honori detraxerunt: imò vt probat Oleaster, in facie Moysi verba contumeliæ conieceruntjerat enim ibi, vt textus indicat, Moyses cum eis. Murmurantibus autem illis, quid factum fuerit facer textus egregiè describit. *Quod cum audiisset*, inquit, *Dominus (erat n. Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra) statim loquutus est*, &c. Expendẽda sunt multa: primò aptè Spiritum Sanctum, Moysi mansuetudinem expressisse, vt intelligamus, Deum maximè curare honorem eius, qui mansuetus est, & non irratur contumelijs, & esse accinctum ad illum defendendum. Secundò noluit indicare, Moysem nihil respondisse fratribus suis murmurantibus contra se, imò ita se habuisse, ac si esset homo non audiens: ideoque Deus audiuit, quod ipse nõ audire visus fuit. Tertiò voluit explicare aurem Dei zelosissimam, quæ eo ipso quod murmurauerunt Maria, & Aaron cõtra Moysen, oĩa murmurationis verba audiuit, & quia zelabat honorẽ Moysi,
Hom. 7. in Num. ad respondendum pro eo se accinxit. Ideoque, vt Orig. annotat, duo fecit, separans, & ad partem trahens murmuratores: primò vt Aaron reprehenderet, tot tantaque magnifica de Moyse retulit, vt nunquam maioribus laudibus fuerit ipsum prosequutus, eum maiorem Prophetis alijs vocans, & fidelissimũ inter omnes seruos suos appellans, cui loquebatur non sicut ad alios in visione, vel per somnium, sed ore ad os, &c. Deinde vindictam grauissimam intulit, ingenti lepra Mariam percutiens, vt alibi expendimus. Hoc ergo vult dicere Christus Dominus, dum ait; *Ego dico vobis: Diligite inimicos*: Sedeat in forti arcus vester, rem totam manibus meis credite. Est siquidem Christus fortis, cuius hoc nomen proprium tradit Esaias; *Vocabitur nomen eius fortis*, qui potens est superabundantius, quam petimus, honori nostro prospicere, & quæ in dedecus cedere videntur, conuertere in honorem, & gloriam. *Esa. 9. 6.*

§. 19. *Nouus legislator, nouam legem promulgans, nouum exposcit populum, exuentem veteres pannos, infantiæ, & induentem vestes, virum decentes.*

REm concludamus, & eam rationẽ ¶ 187. vltimo loco præcepto inclusam annotemus, quam ipsa sua prima facie, Christi verba indicant, quam, & oẽs annotant: ideò breuiter erit expẽdenda; illa est, Euãgelium quod ipse promulgat, legem esse nouam, & idcircò iustum esse, aliquid nouum statuere. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuũ.* Hoc ad vetusta decreta, prout vobis à Scribis, & Pharisæis proponuntur pertinet. *Ego autem*, qui legem nouam promulgo, nouum etiam mandatum impono, dicens: Diligite inimicos vestros, &c. Venit Christus ad auferendam vetustatem, & innouare omnia, adeo vt eius fuerit vox illa, quam Ioannes audiuit *a*, *Ecce ego noua facio omnia*, quod per Esaiam prædixerat *b*, *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria prisca*: quãuis enim hæc verba Augustinus *c*, Athanasius *d*, Tertullianus *e*: & Ambrosius *f* intelligant de statu resurrectio-

a *Apo. 21. 5.* et *Is. 43. 19*
b *Es 65. 17*
c *Li. 20. de ciu. c. 21.*
d *Lib. 1. de Fid. vn. & Trin.*
e *De Resurrect.*
f *In c. 1. ep. ad Heb.*

rectionis, sed Theodoretus *g*, de eo, q̃ Christus fecit, veniens in mũdum, exponit, de quo, & præcedentia verba intellexerant Hierony. & Cyrillus. Et obserua regulam Scripturæ sacræ, quæ dum extrema commemorat, media ẽt subintelligit: sicut cum dicit Christus; *Data est mihi potestas, in cœlo, & in terra*, etiam quæ inter cœlũ, & terrã continentur, hoc nomine expressit. Dicẽs ergo: *Ego creo cœlos nouos, & terrã nouam*, omnia etiã alia noua creasse, aut produxisse, intelligendus est. Et meritò: condidit enim nouum sacerdotiũ, nouum sacrificium, noua sacramenta, nouos ritus, nouas cæremonias, nouã Ecclesiam, noua promulgauit mysteria, nouas, pmissiones, nouas phrases, noua dogmata propoluit, vt verè dicat Apostolus: *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.* Signanter autẽ his verbis: *Ego autem dico vobis*, tria noua ponit, primò nouum legislatorẽ: *Ego*, non quia non ipsemet fuerit, qui legẽ antiquã dedit, sed quia nouo se nũc exhibuit modo: eratq; nouus homo, qualis nunquã fuit. Secundò nouam legẽ, *Dico.* Hoc nomine ab antiquo iam tempore vocata est lex Euangelica: apud Ieremiam dicitur, *fœdus nouum*, quod Christus ipse vocat, *nouum testamentum*. Tertiò nouum populum, aut nouam Rempublicam: *Vobis.* Noua enim Respublica necessaria erat, nouusque populus, vt nouum legislatorem audiret, nouamq; legem reciperet, qualis est Respublica, aut populus Christianus, quem vocat Deus, *populũ suum electum, quem formauit sibi*, de quo prædixerat: *Et vocabũt eos Populus sanctus, redempti à Domino.* Manifesta est illa doctrina Christi Domini, qua docere voluit, cuiq; ea esse demandanda, quæ eius captui congruunt, *Nemo* inquit, *mittit commissuram panni rudis*, id est, noui, & fortis, aut grossi, *in vestimentũ vetus: tollit enim plenitudinẽ eius à vestimento*, id est, quod integrum erat, lucebat, *& peior scissura fit, neq; mittũt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt, sed vinum nouum in vtres nouos mittũt, & ambo conseruãtur.* Comparat legem Euangelicam panno nouo, & forti, & vino nouo feruenti, & bullienti, propter plenitudinem spiritus, & charitatis: homines autem antiquos, vestimento veteri, & vtribus veteribus. Nõ erat congruum, legem Euangelicã nouam, spiritualem, in homines veteres, carnales, mittere: rumpuntur enim illi, & doctrina deperditur. Cœpit Christus in Iudæos nouæ legis Sacramenta prædicando profundere, sed rupti sunt: *Et dissecabãtur cordibus*, sicut, & postea prædicãte *a*, Stephano *b*, *scandalizabantur* audientes verbum Euangelij, & aliquando dicebant *c*: *Durus est hic sermo, et quis potest sustinere eum?* Aliquando autẽ doctrinam non sustinẽtes, dicebant *d*, *Quanã doctrina hac noua?* Aliquãdo verò *e*, *irridebant eum diuites, qui erãt auari*, audientes eum Euangelicam paupertatẽ prædicantem, & diuitiarum iactantiã damnantem. Hæcq; causa est, propter quam voluerunt eum occidere. *Vultis*, inquit, *me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Ideò de noua doctrina accusarunt: vnde *Pontifex interrogauit eũ, de discipulis eius, & de doctrina.* Noui propterea homines requirebantur, quibus hæc doctrina traderetur, & verè ad hoc venit Spiritus sanctus, quando Euangelica lex erat plene cordibus Apostolorum infundenda, vt illos faceret nouos quosdam homines. *Emittes*, inquit Dauid, *Spiritũ tuum, & creabuntur.* Per creationem res tota nouiter producitur: nam quasi in nouos homines fuerunt commutati, depositis vetustate carnis, & literæ. Spiritualia enim (inquit Augustin.) non capit carnalis: *& animalis homo*, vt dixit Apost. *non capit quæ Dei sunt.* Hinc ea verba Christi, quæ supra induximus, explicantur. Calumniabantur quidam Christum, quod discipulis suis grandia ieiunia non imponeret. Respondit Christus, non fuisse adhuc tempus congruum: quia erant adhuc discipuli carnales, & exiguis viribus, ideò expectandum tempus, quo noui homines fierent, vt ieiunia, aliaque grauissima mortificationis opera subirent. Nouus igitur cum sit legislator, noua etiam lex, nouus itidem populus; vetera abijcienda sunt, & noua tenenda. Hoc fuit argumentum præcipuum, quo Apostolus refellit eos, qui

g In c. 65.
Matth. 28. 18.
2. Cor. 5. 17.
Ier. 31. 31.
Mat. 26. 28.
Mar. 14. 24.
Luc. 22. 20.
Esa. 43. 7.
Esa 62. 12.
Mat. 9. 16.
a Act. 7.
b Matt. 25 12.
c Ioã 6. 61
d Mar. 1. 27.
e Luc. 16. 14.
Ioan. 8. 37.
Ioã. 18. 19.
Ps. 103. 30
Ser. 186. de Temp.
1. Cor. 2. 15
Mat. 9. 14.

¶ 188.

Galatis persuadebant, adhuc tempore
Leu.26.10 legis Euangelicæ, seruanda fuisse, quæ antiquis præcepta erant. Iam enim lex ipsa statuerat: *Vetera nouis superuenientibus proijcietis*. Quæ non præcipuè dicta sunt de fructibus, de quibus in cortice loqui Deus videbatur, sed de Sacramentis, sacrificijs, lege,
In Prolog. ep. ad Gal. doctrina moribus, vt Diuus Thomas in prologo super eandem Epistolam annotat. Hoc eodem argumento vsus est Apostolus, ad Colossenses scribens, qui postquam ostendit, legem veterem deponendam, quam Christus antiquauit per Euangelica decreta, vlterius
In c.2. Epi. ad Colos. lect.1.et 2. ad Col.3.8 progreditur, inquit Diuus Thomas ad demonstrandum, etiam veteres mores deponendos esse, & nouos tenendos, congruentes legislatori nouo, legi nouæ, & hominibus nouis. *Nunc autẽ*, ait, *deponite vos omnia, &c. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum*. Expende
¶ 189. aduerbium temporis, *nunc autem*: alludere enim videtur ad id, quod de Ioseph dictum fuit. In carcere ille constrictus, veste, & capillos habebat carcerato congruentes? eductus tamen, vt staret coram Pharaone, *totonderunt eum*, & veste antiqua deposita, nouis vestimentis indutus fuit, nec enim decens erat, quod illam vetustatem conseruaret, ad nouum excellentem, & Regium statum eleuandus. Antiquitus homo carcere culpæ inclusus, & vinculis legis tenebatur alligatus: *tenebamur* (inquit Apostolus) *conclusi*
ad Gal.3. *intra legem*. Tunc, non mirum, quod homo opera carnalia, & mores secundum carnis, & literæ vetustatem teneret. *Nunc autem*, quando per Christũ eleuatus est, vt stet coram Deo, quando de statu serui, euectus est ad sta-
ad Rom. 8. 17. tum filij, *hæredis quidem Dei, cohæredis autem Christi*, noua vita, nouique mores, depositis veteribus, tenẽdi sunt. Vnde, & subdit Apostolus, tanquam conclusionem, quæ ex præmissis manifestè sequitur; *Induite vos ergo sicut electi Dei, Sancti, & dilecti Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportãtes inuicem, & donantes vobismetipsis*.

Aut verò illudit Apostolus, ad magnum illud mysterium, quod Deus Beato Iob proposuit. *Quis conclusit ostijs* Iob 38.8. *mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Cum ponerem nubem indumentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?* Notum est secundum literæ corticem, Deum de illo opere loqui excellenti, quo cum creasset aquas, terram operiẽtes, illis tenebris circumfusas, de quibus dicitur; *Tenebræ erant super faciem abyssi*, illas in vnum locum abire præcepit, quem mare vocauit, in quo tanquam in carcere visus est concludere. Sed aliquid profundius sub ista littera Beatus Gregorius contemplatur. Ma- 28. Moral. ris nomine, populus ille antiquus meritò exprimitur, qui non minus huc, illucque suis affectibus excitantibus ducebatur, quam mare ventorum impulsu. Erupit autem quasi de vulua, quando de Ægypto egressus est. Sicut enim mulier suscepto semine, illud multo tempore retinet, vt crescat, formetur, & efficiatur puer, postea verò illud magnis, doloribus enititur, ita Ægyptus suscepit illos primos Patriarchas, tanquam semen, quos sub paruo numero *Septuaginta duarum animarum* Scriptura sacra expressit: ibi que creuit, & populus formatus est talis, vt timorem incuteret Pharaoni, & habitatoribus Ægypti, dicentibus: Ecce populus iste Israel magnus est. Tunc ipsomet Ægypto enitente (*Vrgebant enim Ægyptij filios Israel, vt egrederentur de Ægypto*) magnis, & ingentibus doloribus, quos Ægyptus sustinuit, per plagas, & submersionem Pharaonis, & exercitus illius, erupit populus, tanquam de vulua procedens. Vnde, & sæpè in Scriptura sacra egressio illa vocatur natiuitas, aut partus Ægypti, signanter apud Ezechielem, dies qua synagoga egressa fuit de Ægypto, vocatur *dies natiuitatis, aut ortus illius*: quæ propterea ab eodẽ depingitur tanquam puella, ex vtero matris nata, adhuc sanguine natiuitatis fœdata. Tunc populum illum cõclusit ostijs, præceptis scilicet antiquæ legis: nam post quinquaginta dies ab egressu ab Ægypto, lex data fuit in mõte Sina. Egregia verò metaphora expri-

Gen.1.2.

Gen.46. 27. & Exod.1.5.

Ezec.16.4.

¶ 190.

primis legis præcepta, quibus populum tunc constrinxit. *Cum ponerem*, inquit, *nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluerem*. Puer statim ac ex vtero prodijt, vestitur ab obstetrice, vestibus quidem à patre pueri traditis, illi ætati conuenientibus, pānis scilicet, & fascijs stringentibus, & colligentibus brachia, manus, crura, pedes, & totum corpus. Quoniam namque tener tunc est, oportet omnia membra, vt seruentur, colligari, & inuolui. Moyses obstetricis officium gessit, & vestimentis à Deo datis, præceptis in quam legis, quæ Deus Moysi tradidit, totum puerum omni ex parte exterius colligauit. Mirum est enim, quot quantaque præceperit: nulla siquidem res externa est, circa quam præceptum non fuerit impositum. Præcepit enim circa cibum, potum, vestes, domos, agros, lectos: quomodo, & quid comedere deberēt, quomodo, & quid bibere, quomodo domus essent extruendæ, quomodo, & quibus seminibus agri essent serendi, quibusue iumētorum generibus essent colendi, quomodo, & qui fructus essent colligendi, quomodo segetes metendæ, & vt vno verbo concludam, quomodo per secreta naturæ secessus esset emittendi; & quamuis hæc videantur Deo indigna, sed omnia ista insignia excellentissimaque continebant sacramenta, quæ propterea vocat nubem, & caliginem: *Vmbram enim habebat lex futurorum bonorum*: nihilque erat quod non mysterium aliquod, sub illa caligine reseruaret. Sicut autem illa pannorum, & fasciarum obuolutio, congrua est puero, dum tempus pueritiæ durat, cum tamen is in virum euasit, illa puerilia vestimenta deponit, & viriles vestes induit, congruentes ætati, & actionibus viriita lex illa, eiusque præcepta, congruentia fuerunt illi populo, qui puerilem tenuit ætatem: at quando per Christum ad virilitatē fuit perductus, iam illa omnia erant deponenda, & assumendæ vestes virili ætati conuenientes. Id quod sub proprijs terminis idem Apostolus dixit, illa proferens verba, quæ rationem possunt reddere, cur antiquas deposuerit *traditiones*, quarum tam acerrimus æmulator prius extiterat, quia *cum essem paruulus sapiebam vt paruulus sentiebam, vt paruulus, iudicabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli*. Rectè igitur his alludens Apostolus dixit: *Nunc autem deponite vos omnia, &c. Exuentes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, &c.* Hancque rationem indicat Christus, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis; Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: Hæc ad antiquam vitam pertinent, antiquis Iudæis carnalibus lex ista congruit, qui carnis affectibus ducebantur; *Vobis autem*, quos in nouum populum creaui, quos tanquam nouas creaturas noua generatione regeneratos in Ecclesia mea constitui, alij mores, aliæque leges tenendæ sunt: Diligite inimicos vestros, & benefacite, &c. His mire illa concinit Apostoli exhortatio ad Romanos, qua visus est, ad hoc pronomen, *Vobis*, alludere voluisse. *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Et postquam, vt hoc explicaret, egregiè probauit, homines per Christum solutos fuisse obligatione legis subdit: *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorū, quæ per legem erant, operabatur in membris nostris, vt fructificarent morti, nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur: sita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ*. Apud Paulum, communi phrasi, esse in carne, significat viuere, & iudicare de rebus secundum iudicium, & affectum carnis, vt Chrysostomus *a*, Augustinus *b*, Hieronymus *c*, & Cyrillus *d*, demonstrant, signanter ex illo, quod ad eosdē Romanos dicit *e*, *Vos non estis in carne*. Adhuc carnem tenebant, sed non secundum carnales oculos, & affectus, iudicabant, & agebant. *Cum essemus*, inquit, *in carne*, id est, cum viuebamus secundum legem carnalem, de rebus tantum carnaliter iudicantes, passiones, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris. Sæpè Apostolus repetit, legem antiquam tantum ostendisse, & prohibuisse malum, nullas autem vires ad illud cauendum præstitisse: & quo-

niam

ad Hebr. 10. 11.

1. Cor. 13. 11

¶ 191.

Rom. 6. 14.

Rom. 7. 5.

a Hom. 22. in Gen.

b 11. Conf. Fau. c. vlt.

c Epist. c. 3.

d 14. De Adorat.

e ad Rom. 8. 9.

niam priuatio acuit appetitum, ex illa lege prohibente, potius appetitus excitatus est, vt maiori conatu vetita procederet. Ideò dicit, passiones per legem illam operatas fuisse, & produxisse peccata, tanquam fructus mortis. Non mirum, quod apud illos id pro lege haberetur: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, cum viuerent in carne, id est, de rebus iudicarent secundum oculos carnales, & affectus carnis sequerentur. Non mirum, quod illis passio, ira, & furor dominata fuerint, qui carnalia sequebantur, & ea non transcendant. Vobis autem, qui non estis sub lege, sed sub gratia, qui ad nouitatem spiritus translati estis, peccatum dominari non debet: non ira, aut indignatio, aut affectus carnis, quibus incongruum reputandum est, quod ad antiquos pertinebat: *Dico vobis, Diligite inimicos vestros*. Hæc igitur Christi ratio, quam manifestè verbis propositis indicat, quam sub breuitate proponere volo. Quæro abs te: An intelligas, fideles solutos ita esse ab antiqua lege, & ad legem Euangelicam translatos, vt iam tanquam indecorum, & sibi pudendũ reputent, seruare quod ad illius professores pertinebat; & certè, nullatenus dubito, te libenter id asseueraturum. Hoc igitur ipso, faceri teneris, iam iram, & odium erga inimicos esse deponendum, & vltionem relinquendam: nam hæc omnia ad illorum vetustatem pertinent, quibus hoc erat commune dogma: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

QVIN-

QVINTA PARS,

RATIONES PRÆCEPTI A CHRISTO EXPLICITE TRADITAS, EXPENDENS.

§. 1. *Digna ratio potentiæ, ſapientiæ, & veritati Chriſti, Eritis ſicut dÿ, & breui compendio omnem legem, & omne præmium concludens, vt Eſaias dixerat.*

¶ 192. VT ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Quamuis rationes, quas Chriſtus indicauit, promulgans præceptum de diligendis inimicis, ſufficere poſſent ad illius iuſtificationem, & inducẽdum ad ipſius obſeruantiam; voluit tamen alias rationes ad idipſum explicitè proponere. Prima, & principalis eſt, quia hoc opus dilectionis, & beneficentiæ erga inimicos, tale eſt, per quod homo ad ſupremam dignitatem eleuatur, vt ſcilicet dicatur, & ſit filius Dei: bonum igitur eſt opus, & appetendum. Et quidem Chriſtus Dominus ſapientiſſimum legislatorem ſe comprobat, dum legem proponens eximiam, & nouam, eximium ei, & nouum præmium deſignat, longè diuerſum ab illo, quod conſtituit, obſeruantibus legem veterem. Hoc optimè explicat Diuus Thomas, annotans, ad ſapientem legislatorem pertinere, proponere præmia congrua. Sicut enim in ſcientijs ſpeculatiuis, vt doctor inducat audientes ad aſſentiendum concluſionibus, quas perſuadere nititur: proponit eorum intellectui media opportuna, & congrua cognitioni audientium; ita legislator, vt populum excitet ad obſeruandas leges, quas proponit, debet eorum voluntati repræſentare præmia, vel pœnas eis conuenientes. Antiquus populus erat *puer paruulus* in virtute, & ſanctitate, vt ſæpè Beatus Paulus loquitur: pueri autem puerilibus promiſſis, & præmijs inclinantur, ad id agendum, quod eis præcipitur: idcirco puerilia præmia eis propoſuit, bona ſcilicet temporalia, & terrena; pœnas itidem corporales, & ſenſibiles, vt patet pluribus in locis, ſignãter in Deuteronomio, vbi explicitè præmia, & pœnæ obſeruantibus, & tranſgredientibus legem proponuntur. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, venient ſuper te benedictiones iſtæ: Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructuſque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum: benedicta horrea tua, &c.* Et huiuſmodi bona temporalia multa promittit. *Quod ſi nolueris audire vocẽ Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mãdata eius, maledictũ horreum tuum, maledictus fructus vẽtris tui, &c. Percutiet te Deus egeſtate, & febre, &c.* Quoniam autem populus Chriſtianus ad ætatem virilem per Chriſti gratiam, & Euangelium peruenit, vt idem Paulus ſæpè loquitur, non inducendus erat per promiſſiones pueriles, ſed grandes, & ingentes: idcirco ei Chriſtus propoſuit Regnum cœlorum, beatitudinem æternam, & quod erunt filij Dei. Hinc idem Diuus Thomas ex Diuo Auguſtino annotat, hanc inter vetus, & nouum Teſtamentum differentiam, quod illud tantum promittebat carnalia, & tẽporalia præmia, hoc autem ſpiritualia, & æterna: Inter hæc autem primũ, & ſupremum hoc tenet, quod nũc Chriſtus proponit, hoc præceptum

Deu. 27. 28.

1.2.qu.99. art.6.

ad Gal.4.

1.2.q.107. ar.1 arg.2. & ad 2. Lib.4.cont. Fauſt. c.2.

ceptum seruantibus, esse scilicet filios Dei: *Vt sitis*, inquit, *Filij Patris vestri,* Luc.6.35. *qui in cœlis est*. Apud Lucam: *Et eritis*, inquit, *filij altissimi*. Archangelus Gabriel ad turbationem sedandam, quam *in sermone eius* conceperat Beatiss. Virgo, rem magnam, ac supremã, ad quam nuntiãdam venerat, expressit Luc.1.31. dicens: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c. hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Supremum Christi esse, supremamque altitudinem, & excellentiam voluit explicare: ideò coniunctio, *Et*, vim habet causalis, iuxta Scripturæ morem, redditque rationem eius, quod dicit: *Hic erit magnus*, quia Filius altissimi vocabitur: nihil namque altius esse, aut cogitari potest, ad quod quis possit peruenire, quam vt Filius altissimi sit, & dicatur. Hoc est in Christo magnum, & supremum, dici, & esse Filium Dei per naturam; hocque est supremum, quod puro homini potest conuenire, dici, & ¶ 139. esse filium Dei per gratiam. Probat Apostolus supremum donum ab æterno Patre nobis collatum fuisse eius filium. Qui enim illum pro nobis tradidit, Rom.8.32. *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quæ ratio etiam demonstrat, supremum donum, quod Deus puro homini concedit esse, dici, & esse filium Dei: cum hoc enim, omnia, quæ Deus habet, donat, regnum, bona, hæreditatem, imò, & seipsum. Rom.8.17. *Si enim filij, & hæredes* omnium bonorum. Meritò autem huic operi dilectionis tale proposuit præmium. Obseruauit Apostolus verba Esaiæ, ad Rom.9.28. probandam excellentiam Euangelicæ legis, quæ gratiam, salutem, & vltimam perfectionem potest præstare. Esa.10.22. *Verbum consummans, & abbreuians in æquitate, aut iustitia, quia Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Citauit Apostolus locum, more suo, iuxta translationem Septuaginta: Vulgatus ita legit: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituũ faciet in medio omnis terræ*. Quoniam Apostol. de lege Euangelica locum intelligit, omnes S. Patres de eadem similiter intelligunt. Act.15.10 Erat lex antiqua longissima, ac latissima, *quam neque nos, neque patres nostri portare potuimus*, inquit Petrus. Propterea promittit Deus, se facturum verbum abbreuiatum super terram. Hoc fecit tradens Euangelicã doctrinam, breuissimam, in qua, vt inquit D. Thomas, dixeratq; prius Eusebius Cæsarienſis, tam innumera variaq; sacrificia, in vno sacrificio breuiauit; & tã multa præcepta, vnico dilectionis præcepto conclusit, dicens: *Hoc est præceptum meum*, &c. Vide quantã breuiationem fecerit: quam rationem expendunt SS. Patres voluit, inquit Augustinus, Euangelium apertum esse, & breue, breue, ne non vacaret legere, apertum, ne nõ liceret intelligere. Breuiauit (inquit alio in loco *b*) legem, & Prophetas, Euangelio continente præceptum vnicum dilectionis. Compendiatum est Euangelium, inquit Tertullianus *c*, & legis laciniosis oneribus expeditum. Ita Cyrillus *d*, Ambrosius *e*, Hieronymus *f*, & cæteri Patres, qui optimè annotant, Euangelium vocari consummationem, & abbreuiationem, aut verbum consummans, & abbreuians: consummans enim dicitur, id est, perficiens, ad differentiam legis, quæ prima tantum rudimenta pueris tradebat, & *neminem ad perfectum adduxit*: abbreuians autem, quia breuissima sunt, quæ continet, vt dictum est. Et rectè, inquit D. Thomas, de Euangelico verbo loquens Propheta, hæc duo coniunxit, consummationem, aut perfectionem, & abbreuiationẽ, quia quãto aliquod verbum est perfectius, tanto est altius, & per consequens simplicius, & breuius. Quanto Angelus aliquis perfectior est, tanto perfectiora verba producit, ideoque simpliciora, & breuiora: & quia verbum, quod Deus producit, perfectissimum omnibus modis est, vnicum simplicissimumque illud est, per quod omnia intelligit, & loquitur: & illud verbum apud homines perfectius est, quod simplicius, & breuius plura sub maiori breuitate continet. Verbum Euangelicum perfectum est, consummans, perficiens, & complens omnem veterem legem, & perfectionem supremã inducens, vt dixit Christus ad iuuenẽ: Matt.19. *Si vis perfectus esse*, &c. Ideoq; tã breue 22. ¶ 149.

a *Lib.1.de discipl. Chri. to.9.*
b *Tract.16 in Ioan.*
c *Lib.4.cõ. Marc. in prin.*
d *In c.10. Esa.*
e *Libr. de Tobi. c.22.*
f *In c.10. Esa.*
In ca 9. ad Rom. lect.5
Lib. 2. de Domonstr. Euã. c.40.

est,

est, vt vnicum sit, quia omnis Euangelica lex, *vnico verbo instauratur; Diliges.* Quomodo, & Diuus Hieronymus illud intelligit *Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Si verba hæc ad Saluatoris referantur aduentum, panis arctus, & aqua breuis, iuxta Apostolum Paulum, & hunc eundem Esaiam, Euangelicus, sermo prædicatur, qui pro laciniosis legis obseruationibus, atque mandatis, in vno verbo recapitulauit omnia: *Diliges.* In cuius confirmationem obseruauit Chrysostomus, id quod Patriarcha Iacob, ad Christum, in persona filij sui Iudæ loquens, dixit: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinam suam.* Asinæ, & pulli nomine, intelligit Ecclesiam Christi, in quam conueniunt Iudæi, quos asina, quæ oneribus erat lassa, & Gentiles, quos pullus qui nullo subditus fuerat iugo, exprimunt. Alligat quidem, quia legem obligantem suis imponit: sed non alligat ad cratem, aut fornacem ferream, sicut Pharao in Ægypto, aut ad quercum duram, aut arborem infructiferam, & intractabilem, sed ad vitem, plantam omnium suauissimam, cuius fructus, vt dixit ille, *lætificat Deum, & homines*, & ad palmitem (ita enim legit iuxta Septuaginta Chrysostomus) teneram, vuisque abundantem, ad dilectionem scilicet, ad hanc ligat, & obligat, quæ vino apud autores tam sacros, quam prophanos, comparatur, propter suauitatem, & dulcedinem. Ad breuissimam itaque arbusculam ligat. Et obserua ex nostro Oleastro, dictionem hebræam *herechac*, non vitem quamcunque, aut quomodocunque significare. Quidam enim dicunt significare vitem optimam, & electam cuius vuæ non habent acinos, quales in Candia esse dicitur: alij dicunt significare vitem ferètem vuam subrusam, quæ suauiorem fructum producit, vt illa, quæ apud nos vocatur, *Morate.* Ad breuissimam ergo plantulam, omniumque dulcissimam ligat, quia vnico dilectionis præcepto, quod breue suauissimumque est, obligat. De hac autem Euangelica lege dicit Propheta: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Consummatio, id est, perfectio legis, abbreuiata, id est, reducta in breuissimum Euangelij compendium, inundabit iustitiam, id est, plenam reddet iustitiam, id est, Plenitudinem inducet bonorum. Inundare dicitur fons, quando aquarum copiam profundit super abundantissimã, quam aluei ripæ cõprehendere non possunt. Deus fons est totius iustitiæ, sanctitatis, & gratiæ: inundare que tunc dicitur iustitiam quando gratiæ, & sanctitatis dona, quæ omnem captum excedunt, profundit. Per legem autem Euangelicam huiusmodi dona in nos effudit abundè gratiam, dona Spiritus sancti, Regnum cœlorum, æternam beatitudinem, de quibus dixit Propheta: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Id est, legem Euangelicam seruantibus, qui spiritu timoris depositio, spiritu dilectionis, & amoris abundant. Sicut autem omnia præcepta antiqua, vnico præcepto dilectionis breuiauit quod nunc exponit Christus; ita omnia gratiarum dona, & præmia, sub vnico breuiauit, & concluſit; *Vt sitis filij patris vestri*, sub hoc enim, omnia alia comprehenduntur. Hocque promittit dilectionem Euangelicam tenenti illam, quæ non tantum ad amicos, sed ad inimicos se extendit. Verè modò de Christo dici potest: *Qui replet in bonis desiderium tuum*: Id est, abundanter confert, quidquid potes desiderare. Desiderium, quod homo habuit, fuit se esse Deum quendam, aut similem Deo, & vt D. Thomas docuit, peculiariter desiderauit similẽ esse Filio Dei, nam nam singulariter appetijt similem esse Deo in sapientia, & tenere sapientiam diuinam, quæ filio in diuinis tribuitur. Tanto autem huius similitudinis diuinæ ardsit desiderio, vt per huius promissionem diabolus eum traxerit, ad faciendũ quidquid vellet. Dicens enim: *Eritis sicut dij scientes bonum & malum*, ad grande facinus induxit. Et quidem, qui promittebat, diabolus erat. in figura serpentis callidissimi loquens, promissio mendax erat, id quod pro ea petebat, erat malũ, omnibus modis

Libr. 9. in Esa.

Hom. 67. in Genes.

Gen. 49. 11

Iudic. 9. 13

Esa. 64. 6.

¶ 195.

Ps. 102. 5.

3 p. qu. 3. art. 1.

Genes. 3. 5.

dis execrandum, & horribile, transgredi scilicet mandatum Dei, & illum offendere, à quo innumera bona paulò ante homo receperat. Nihilominus quia audiuit: Eritis sicut dij, ad tantum bonum etiam mendaciter promissum, nihil cunctatus, non hæsit, non difficilem se exhibuit, sed subito id omne exequutus fuit, quod diabolus postulabat. Ita quidem tunc. Quanto igitur magis nunc, homo debet id facere, quod Christus proponit, cum veraciter, & certissimè, & clarè promittat: Eritis filij altissimi? Miratur Rupertus, quomodo fieri potuerit, quod mulier tam pacificam teneret collocutionem cum serpente, cui notum erat, illum ex sui natura nō potuisse loqui, ideoque ab aliquo superiori moueri os eius, & linguam, & quia Deus esse non poterat, qui quæ contra Deum erant, proponebat, necessariò futurus erat diabolus. Et nihilominus, neque hoc attendit, nec consideravit, sed familiare ducit colloquium, interrogans, & respondens, & toto affectù se illi coniungens, ex ore illius pendens & ad illius nutum obediens. Quō hoc fieri potuit? Quia rem grandē serpēs promittebat, & supremam. Nihil est, quod ita hominem pacificum teneat, ēt coram serpente, quam quod inde aliquod bonum speret prouenturum. Videbis in regijs curijs homines adorantes eos, à quibus nimiā ingratitudine tenentur offensi, seruientes placidè illis, quos videre vellent in patibulo suspensos, patienter ferre eos, qui grauissimum iugum imponunt; quia aliquid ab eis expectant, aut verò quia promittūt aliquid se facturos, quia tamen reuera nihil præstare possunt, mendaci spe tenentur, vt res durissimas agant, & sustineant. Serpentem mulier tulit pacificè, & affectuosam conuersationem cum illo tenuit, quia sperauit se obtenturam, quod promittebat: *Eritis sicut dij*. Si primi parentes cum serpente amicitias contrahunt, & ei afficiuntur, & coniunguntur, propter promissionem mendacem, quanto magis debes inimico per dilectionem coniungi, & eum patienter ferre, audiens illum, qui veritas est, & mentiri non potest, promittentem, si id facias, quod eris filius Dei? Sed verè homo perpetuò in contrarium suæ salutis agere nititur: & rem appetit, quando non licet; & quando licet, eam contemnit. Condidit Deus honorem, & voluit, vt ita se hominem esse intelligeret, quod nullatenus crederet, se Deum esse posse. Ideò condidit *illum de limo terræ*, quæ inter omnia creata vilior est, vt intelligeret, quam longè à nobilitate, & excellentia naturæ diuinæ, humana natura distaret. Ideò etiam, & præceptum illi imposuit, vt intelligeret, inquit Augustinus, quod non esset æqualis Deo, sed sub Deo, cuius sub præcepto viuere deberet. Tunc cum Deus voluit, vt nullatenus diuinum esse affectaret, illud toto pectore concupiuit, & cum diabolus ei proposuit, quod esse poterat sicut Deus, nihil intentatum reliquit, vt id consequeretur, etiam illud agēs, quod extremum corporis, & animæ sibi intulit detrimentum. Volens autem Deus, illum ad meliorem frugem reducere, & reparare, per Euangelicam legem suauissimam, & dulcissimam, visus est (vt more nostro agamus) considerasse, nulla re magis induci posse hominem ad eam seruandam, quam si id illi proponeret in præmium, quod tantopere concupierat, esse scilicet Deo similem. Idcirco legem Euangelicam promulgans, hoc proponit; *Eritis filij altissimi*. Et nunc quando verè Deus vult, vt homo hoc concupiscat, & procuret imò vult in veteri vtilitate se continere, subiectum legibus dæmonis, carnis, & mundi. *Filij hominum, vsque quo graui corde? Sciote quod mirificauit Dominus sanctum suum*, eum qui legem Euangelicam seruat, quem ad supremam euehit dignitatem.

Lib. 2 in Genes. 3.

¶ 196.

(..)

§. 2. *Aptè*

§. 2. *Aptè diligentibus inimicos, & pacificis datur esse filios Dei, cuius faciem legitimam referunt, quam vidit Iacob, per quam à filijs diabolì discernuntur.*

¶ 197. a 1.2.q 69 art. vlt. b *Libr. de bono pati.* c *Serm. de mansuetu. tom. 5.* *Mat. 5. 19.*

VT *sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Explicat D. Thomas *a*, quod tradiderant Cyrianus *b*, & Chrysostomus *c*, cur Christus hoc posuerit, & designauerit pacificis præmium, quod dicendi essent filij Dei. Pauperibus spiritu, regnum cœlorum promisit, satietatem esurientibus; consolationem lugentibus, &c. *Sed beati*, inquit, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et ratio huius est, quoniam filius alicuius dicitur, qui similis est illi in propria natura. Natura autem Dei est, bonitas, pax, & dilectio *a*: *Deus enim charitas est*, & *b ipse est pax nostra*, & communi voce dicitur, *c Deus pacis, & vnitatis*. Hanc ostendit, omnes diligens, & amans, & cunctis benefaciens, de quo dictum est *d*: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Et Christus Dominus id ad hoc institutum obseruauit, qui naturam Patris cœlestis exprimere volens, cui similes esse debemus, vt filij eius dicamur, subdit: *Qui solem suum oriri facit, super bonos, & iniustos*: qui cum inimici essemus, sic dilexit nos, vt Filium suum vnigentum daret. Qui ergo eam dilectionem, & pacem tenet, vt cum ijs, qui oderunt pacem sit pacificus, & diligat odientes se, & benefaciat persequentibus se, & in præmium datur, quod dicatur, & sit filius Dei. Multa sunt annotanda circa luctam Iacob cum Angelo, quam propterea sæpè inducimus: nunc rem grauissimam expendendam censeo. Luctatus fuit Iacob cum Angelo tota nocte. Quid autem tunc factum fuerit grauissimis verbis declarauit Oseas: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum.* Dirigi in Scriptura sacra significat, prosperum, & ad votum, ac desiderium habere successum. Ita dicitur. *Rectè a Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ*, id est, ad votum, & concupitum, quæ cogitasti succedent. Et iterum, *qui abscondit scelera sua non dirigetur*. Vt ergo indicaret Propheta, quod Iacob prosperum, & pro vt desiderare potuit habuit in luctæ successum, dicit, in fortitudine sua directum fuisse. Quod sequenti verbo amplius declarauit, dicens: *Et inualuit ad Angelum*. Vidit itaque: vnde, & nomen Iacob traxit, quod significat vincens, aut prævalens in Deum, vt Hieronymus ex professo demonstrauit. Multi existimarunt, Iacob significare, videtem Deum, vt Philo *a* Origenes *b*, Eusebius *c*, Chrysostomus *d*, Augustinus *e*: sed quâuis grâdis authoritatis sunt, inquit Hieronymus *f*, & eloquentiæ, & ipsorum vmbra nos opprimat, qui Israel virum, siue mentem videntem Deum transtulerunt, nos magis Scripturæ, & Angeli, vel Dei, qui ipsum Israel vocauit authoritate ducimur, &c. Vicit ergo Iacob Angelum: tuncque confortatus est. Verè credo, vsum esse Prophetam metaphora à luctatoribus sumpta, inter quos, qui colluctatorem deijcit, statim se ipsum huc illucque circumagit, quasi roborans seipsum, & confortans, vel potius iactans suum robur, & fortitudinem, qui colluctantem iactat, & proiectum in terra tenet. Tunc autem fleuit, & rogauit eum, id agens quod in Genesi scriptum est, petens benedictionem illius: quam cum obtinuisset, dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*. Miranda historia, nec sine magno Sacramento factum est (vt annotat, sæpè D. Augustinus, cæteriq; sancti Patres) quod verè luctans Iacob cũ Angelo, in eum prævaluisse, & quasi luctando deiecisse dicatur: & quod ab illo, quem vicit, cum benedictionẽ petat, & à victo benedici desideret. Et verè ab illo obtinet benedictionẽ, pro qua rogat, tuncque se Deum facie ad faciem vidisse profitetur. In magni siquidem mysterij signum, hæc omnia facta fuisse, idem Augustinus sæpè demonstrat. Vt enim ille, cæteriq; Patres obseruant, Iacob in hoc opere, typum tenuit populi Israelitici, cuius ipse pater erat. Angelus autem tã expressam,

Prou. 19. 3

Lib. tradi. Hebrai. in Genes.

a *Libr. de Abraham.* b *Ho. 2. in Num. & Prolog. in Can. & to. 11. in Mat.* c *Lib. 7. de præpar. Euan. c. 3.* d *Hom. 16. in epist. ad Rom. ante med. & Hom. 14. in Ioan.* e *16. d ciu. cap. 29. & serm. 20. de verb. Do.* f *Libr. nomin. Heb. Gen. 32. 30.*

Genes. 32.

Ose. 12. 3.

¶ 198.

figuram filij Dei tenuit, vt Concilium Syrmiense, ipsummet Dei filium fuisse decernat, de quo alibi. Luctatus est autem Iacob cum Angelo, quando populus Iudæorum contra Christum agere cœpit, tempore passionis illius. Sæpè manus cum eo conferere voluerunt, sed non dabatur eis locus: iat tandem ipsomet Dei filio permittente, & dicente: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, ad manus ventum est, & luctа valida incœpta. Et bene dicitur, luctam toto nocte factam fuisse, cum omnia tenebris essent obscurata. Cum enim contra Christum Iudæi egerunt omnia tenebris erant obuoluta. Tenebræ erant in illo decreto diuino, ad quod capiendum nulla mens potuit pertingere: Tenebræ in Sacerdotum consilio, cui præerat Caiphas, omnes namque obcæcati erant malitia: Tenebræ in discipulis scandalizatis, in Petro negantes, in Iuda vendente, in Iudice condemnante, in militibus crucifigentibus. Bene in huius signum *obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Sicut autem qui luctam commisit, vt colluctantē deijciat, nunc in hanc, nunc in illam partem trahit, impellit, & agitat ita illi, vt Christum omninò deijcerent, & prosternerent, nunc ad Pilatum, nunc ad Herodem, nunc iterū ad Pilatū impellebat. Tandem in fortitudine sua directus est, *& inualuit ad angelum*, quia tam fortiter agere cœperunt omnes vna voce, tanquam vnius luctatoris vicem tenentes, vt inualescerent. Et verè his visus est alludere sanctus Euangelista Lucas, qui enarrās quomodo Pilatus volebat Christum dimittere: *Illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum.* Inualuit ergo populus Iacob contra Christum: & eum vicit: quia verè occidit, & morti tradidit, & in Caluariæ monte reliquit extinctum. Et ex his patet, cur verè dicatur Iacob ad Angelum inualuisse, & eum vicisse. Tuncque confortatus est: postquam enim Christum in Crucem adegit, in illum multa blasphemiæ, & contumeliæ verba iactabat, quasi de victoria sua se iactans, & post illum occisum, quasi firmam victoriam tenere cupiens, oēs vniti *venerunt ad Pilatū, dicentes: Domine recordati sumus, quod seductor ille*, &c. Hæc in illa luctа præuidit Iacob, & sibi tunc a Deo fuerunt offensa. Qua propter videns filiorū suorum perditionē, & offensam contra Deum commissam tam ingentem, propter quam meritò extremæ perditioni tradendi videbātur, ad preces cum lacrymis se conuertit, rogans pro illius peccati remissione. *Flevit, & rogavit eum.* Hocq; fuit benedictionē postulare, aut rogare sibi impēdi. Quā libentissimè angelus concessit: Christus .n. resurgens à mortuis, iubēs Apostolis prædicare in nomine suo pœnitētiam, & remissionem peccatorum, statuit, vt *primò inciperent ab Ierusalē.* Benedictionē ille obtinuit à patre omnibus hominibus per mortem: hanc autem primum omnium voluit exhibere Iacob, id est, populo Iudæorū, illis qui se paulò ante occiderāt, & crucifixerant, eisdem primò redemptionis suæ fructum offerens, gratiam suā, & peccatorum remissionem spondens. Hoc considerans Iacob; *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem.* Non vidit clarè diuinam essentiam, nec habuit visionē illam, quam Theologi facialem vocāt; vt D. Thomas ex omnium sanctorum Patrum doctrina definit: cur igitur dixit, se vidisse Deum facie ad faciem; quia in Deo vidit quod peculiarem eius faciem vocaret, illique tam proprium esset, vt geminam, ac legitimā faciē referret, diligere scilicet inimicos, qui rabido furore, & odio ipsum prosequebantur, benefacere ijs, qui tot sibi intulerant mala, tormenta, iniurias, Crucem, mortem. Hæc propria facies Dei, hoc illius naturæ propriū, vt inde eius facies exprimatur. Facies alicuius est, in qua, quæ magis propria sunt cuiusq; personæ patent. Hæc igitur Dei est facies. Ex quibus patet, curijs qui in huiusmodi dilectione Deo assimilantur, tribuitur esse Dei filios: tanto enim magis aliquis se alterius filium comprobat, quanto magis faciei eius similitudinē tenet, aut ei similis est i facie. Obseruāt Hebræi, vt annotat Lyranus, causā cur Dauid filiū, quē suscepit ex Abigail, vocauit Cheleab. Dux erat .n. ille Abigail, quæ fuerat

Luc. 22. 53.

Gen. 32. 24

Luc. 23. 23.

Mat. 27. 63 ¶ 199.

Luc. 24. 43.

1. p. q. 12. art. 11. ad primum.

In c. 3. lib. 2. Reg. 2. Reg 3.

rat vxor Nabal Carmeli, & ex ea filiũ genuit; quoniam autem multi erant inimici Dauidis, qui omnia, quæ ad eum pertinebant calumniabantur, & dicere poterant, infantulum illum non Dauidis fuisse filium, sed Nabal, qui moriens vxorem Abigail prægnantem dimiserat; Dei opere factum est, vt puer natus, faciem haberet simillimam faciei Dauidis, quem propterea vocauit Cheleab, ideſt, similem patri: hoc enim, statim ac puer nascitur, considerare solent omnes, cuius
¶ 200. faciem facies pueri referat. Hinc colligit discipulus dilectionis Ioannes, qua ratione cognoscendi sint filij Dei. Loquiturque de cognitione coniecturali, qualis in hac re haberi potest. *In*
1. *Iob.* 3. 10 *hoc*, inquit, *manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli*: Filij enim Dei, similes illi, in natura bonitatis, & dilectionis se exhibent, & in eo quod Deo proprium est, misereri scilicet, & parcere: sicut filios diaboli se comprobant, qui illi similes sunt in malitia, per quam odio prosequitur homines. Ita quidam explicant verba Christi Domini, dicentis: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, ideſt, vt vos comprobetis filios Patris cœlestis, de quo in præcedenti tractatu. Videturque examinare filios Dei, quemadmodum aquila examinat pullos suos, legitimine sint, vel adulterini. Quod tradi-
Li. 5. *Hex.* dit B. Ambrosius pertractans, cur aqui-
cap. 18. la aliquos pullos ex nido proijciat: nõ enim id facit auaritia nutriendi, sed examine iudicandi. Fertur namque probare, quos genuit, ne generis sui inter omnes aues quoddam regale fastigium, degeneris partus deformitas decoloret. Itaque asseritur, quod pullos suos radijs solis obijciat, atque in aeris medio pio paruulos vngue suspendat, ac si quis repercussus Solis lumine, intrepidam oculorum aciem inoffenso, intuendi vigore seruauerit, probatur, quod veritatem naturæ sinceri obrutus constantia demonstrauerit: sin verò lumina sua perstrictus radio Solis inflexerit, quasi degener, & tanto indignus parẽte reijcitur, nec æstimatur educatione dignus, qui fuit indignus susceptione. Ita Ambrosius: quod, & similiter asseruerunt. Hieronymus *a*, Augustinus *b*, & inter seculares Plinius *c*. Sicut ergo ex acie visus erga radios Solis, aquila legitimos filios examinat, ita ex acie, & robore voluntatis, aut dilectionis, docet Christus examinandos filios Dei: qui enim cum inimicus offendens se offert, tali voluntatis robore præstat, vt patienter ferat radios offensæ, & iniuriæ, diligens offendentem, & ei benefaciens, legitimum se Dei filium comprobat: sicuti qui tunc voluntate deficit, quæ quasi sustinere non volens inimicum, ab eo per odium auertitur; filium adulterinum se demõstrat, quippe qui à natura Dei, & conditione valdè degenerat.

a *In cap.* 40 *Esa. ad fin.*
b *Tract.* 36 *in Ioan.*
c *Li.* 10. *c.* 8

§. 3. *Christus comprobatus est Filius Dei, diligendo offendentes, quem apertius cognouit diabolus patientem, quam miracula agentem, cuius passio Glorificatio dicitur.*

¶ 201. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Sæpè Christus Patrem cœlestem, suum vocare consueuit dicens *a*: *Videns faciem Patris mei*, & *b*, *Sic faciet Pater meus cœlestis*: & *c*, *Pater meus vsque modo operatur*. Nunc inducere nos volens ad remittendas offensas fratribus, dixit: *Vt sitis filij Patris vestri*, quasi alludens ad illud, quod sapienter fratres Ioseph, volentes eum obligare, vt iniuriam antiquam dimitteret: dixerunt: *Pater tuus præceptit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus*. Erat quidem Iacob, pater etiam illorum, sed totam paternitatem erga illum referre visi sunt, vt Ioseph totam obligationem filiorum omnium erga patrem, in seipso collectam consideraret, & quod tenebatur facere, quod sibi illius nomine dicebatur, qui peculiariter pater appellabatur ipsius. *Pater*, inquiunt, *tuus*. Ita Christus Dominus, Patris sui nomine loquens, suprema vult nos obligatione vincere; ideo quasi

a *Matt.* 18. 10.
b *Matt.* 18 35.
c *Iob.* 5. 17.
Gen. 50. 16

omnem paternitatem diuinam ad nos referre videtur, vt omni obligatione, quam vniuersi filij Dei habent, nos intelligamus deuinctos. Duplicem sensum possunt hæc Christi verba habere: primus est, quod illud, *vt sitis*, significet, vt comprobemini vos, vt demonstretis vos filios Dei. Secundus est, vt velit dicere, per dilectionem, & beneficentiam erga inimicos hanc dignitatem excellentissimam obtineri, hominem scilicet esse filium Dei. Et quidem hic secundus sensus allicit voluntatem ad tale opus, per quod tam ingens bonum homo consequitur de quo statim dicemus: primus autem conuincit intellectum, vt agnoscat, rem esse bonam, excellentem, & omnibus modis iustam, quam Christus præcipit, cum per illam homo se Dei filium demonstret, & comprobet. Hûc sensum paulò ante indicauimus, & nunc expendendus est, annotando, inter omnia quæ homo agere potest, vt se filium Dei ostendat, hoc opus tenere primas. Ita Diuus Augustinus *a*, & ex professo Tertullianus *b*, observans inter ea, quæ magis offenderunt Christum filium Dei, fuisse patientiam, & dilectionem, quam erga inimicos tenuit, ex qua magis cognouit eum diabolus, quam ex omnibus alijs. Venit filius Dei *abscónditus*, vt dixit Esaias, & ita oportuit venire: nam *si eum cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Oportuit nihilominus, vt ipsum manifestaret, quatenus credere possent in illum. Id fecit varijs modis. Et verè ex multis potuit illum diabolus suo perspicacissimo ingenio cognoscere, ex conceptione, & natiuitate: nec enim eum latuit matris integritas: ex miraculis talibus, vt diceret: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me*: ex eo quod *in potestate ipsismet spiritibus immundis imperabat*: Ex remissione peccatorum, quæ solius Dei est opus. Hæc, & alia vidit, & nunquam certò cognouit Christum esse Filium Dei. Vnde, & ad inferendam ei mortem, toto conatu processit: si enim cognouisset, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, aut crucifigi fecisset. Attamen, qui non cognouit Christum mira operantem, cognouit eum ita patienter mortem sustinentem ab inimicis, vt nec opere, nec verbo, nec motu, aliquid contra offendentes fecerit. Tam excellens patientia erga inimicos, in tam ingentibus iniurijs, & offensis, clarius illi ostendit, Christum fuisse Filium Dei. Vnde quem prius vehementissimè desiderabat morti tradere, postea conatus fuit à morte liberare; & qui primò Sacerdotes, & iudices excitauit, vt Christo inferrent mortem, postea procurauit ab incœpto reuocare. Hinc illas visiones in somnijs vxori Pilati ingessit, persuadens, vt de Christo dimittendo ad Pilatum scriberet. Hæc difficilia videntur, sed quæ clarissima reddentur ex doctrina B. Chrysostomi, scribentis ad virginem Olympiadem, vbi quæstionem pertractat, quãdo diabolus magis cognouerit veram sanctitatem Beati Iob, quando excellentissima opera agebat, an quando grauissima damna patientissimè ferebat: vtro tempore esset infignior, cum filiorum causa sacrificium offerebat, eosque inter se conciliabat; an cum ipsis domus ruina oppressis, atque obrutis, & acerbissimo mortis genere de medio sublatis, patienter casum tulit? Cum de ipsius ouium velleribus, nudorum humeri calefiebant, an cum allato nuncio, ignem de cœlo cecidisse, & vniuersum gregem vnà cum pastoribus assumpsisse, minimè perturbatus est? Cum firma valetudine iniustè persecutionem patientibus subueniebat, an cum corpus suum à vermibus corrodi conspiciebat? Illic virtutis opera agebat, hic patiebatur: & tamen hæc maiorẽ splendorem, quam illa attulerunt: hoc enim acerbissima prælij pars erat, maioremque fortitudinem, animi firmitatem, mentis sapientiam, & charitatem in Deum, requirebat. Eaque de causa, cum illa fierent, imprudenter quidem, & improbè oblectabatur diabolus, dicens: *Numquid Iob frustra colit Deum?* At cũ hæc accidissent, pudore suffusus, terga dedit, ac fecessit, vt q̃ ne impu-

¶ 202.

Epist. 2. to. 5. ad finem

Iob 1.10.

a Trac. 5. in 1. can. Ioa.

b Li. de patien. cap. 2.

Esa. 53. 3. 1. Cor. 2. 8.

Ioa. 10. 25. Mar. 1. 27.

impudentis quidem vllius obiectionis vmbram aliquam haberet, quam prætenderet. Hoc namque coronarum colophon est, hoc summus virtutis apex, hoc perspicuum virtutis argumẽtum, hoc certissimum Philosophiæ signum. Ita Chrysostomus, qui hanc doctrinam sæpè prosequitur. Sicut igitur diabolus, quamuis excellentissima fuerint opera, quæ viderat Iob agentem, non ita tunc eum cognouit, sicut quando vidit illum patientiam inuictam tenentem; ita Christum non ita cognouit miracula operantem, sicut quando vidit illum inimicis, & hostibus vndique circundatum, & innumeris grauissimisque iniurijs ab illis offensum, & nulla contra eos ira, aut indignatione; odio, vel maledicto, commotum: hoc enim magis eum manifestabat Filium Dei, similem Patri. Ex quibus sancti Patres illa Christi Domini verba, explicant, quibus imminente passione orauit ad Patrem, dicens: *Pater venit hora clarifica filium tuum.* Aliquis clarificari dicitur, vt annotauit Diuus Cyrillus, expendens vim nominis, & verbi Græci, non tantum cum noua aliqua dignitas ei confertur, quomodo Pharao clarificauit Ioseph, sed cum alij illustrem de eo opinionem concipiunt: quomodo dixit Salomon: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas & honorem apud seniores, & in conspectu Principum admirabilis ero.* Idem est ergo, Clarifica filium tuum, vt omnes cognoscant, me filium tuum esse. Nec id semel tunc postulauit, sed iterum: statim enim subdidit: *Et nunc clarifica me, tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Claritas quam Christi persona habuit, antequam mundus fieret, erat ipsum esse Filij Dei: nam id sibi ad æterno conuenit. Petijtque, vt sicut ipse ab æterno agnoscebat eum filium suum, ita nunc fierent, vt mundus similiter filium suum esse agnosceret. Ita multi sancti Patres censent, claritatem, quam Christus petijt, fuisse quod homines eum Filium Dei esse cognoscerent, Ambrosius *a*, Cyprianus *b*, Cyrillus *c*, Basilius *d*, Hilarius *e*, & alij. Dubium est autem, quomodo id CHRISTVS petat instante morte, & passione, nam tunc non ea erant agenda, quibus ille clarus, illustris, & Dei Filius appareret; sed illa quibus eius vultus maximè absconderetur, vt adimpleretur illud *f*: *Quasi absconditus est vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum.* Hoc petendum videbatur, quando transfigurari volebat: tunc enim gloriam suam ostendit, apparuerunt Moyses, & Elias, testimonium illustre, & clarum illi reddentes, & vox Patris innotuit, *Hic est filius meus dilectus, &c.* Incongrue autem videtur petere moriturus, quod tunc Pater eum clarificaret, & demonstraret filium suum, quando ita actutus erat, vt eum deserere visus fuerit, adeo vt clamaret Christus: *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* S. Augustinus credit loqui, de clarificatione Christi, ratione humanæ naturæ, aut de gloria, ad quam humana natura in Christo fuit ab æterno prædestinata, quam per mortem erat consequutura. Alij de clarificatione nominis Christi intelligunt, quod homines eum cognoscerent esse Filium Dei, non tamen quæ ipso tempore mortis fieret, sed quæ statim post mortem erat futura, per eius Resurrectionem, & Ascensionem, quando Pater in præmium obedientiæ vsque ad mortem, exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomẽ: quod & multi sancti Patres similiter interpretantur. Origenes tamen expendens illud Exodi: *Gloriose magnificatus, seu honorificatus, est*, de clarificatione ipso mortis tempore fienda intelligit: quomodo etiam B. Ambrosius, & Hilarius intellexerunt. Duas namque Christi clarificationes, aut glorificationes distinguit Origenes, alteram gloriosam, alteram non gloriosam. Gloriosa est, eius Resurrectio, Ascensio in cœlos, Sessio ad Patris dexteram: non gloriosa est, passio eius, & mors. In vtraque clarificatus est, & demonstratus Filius Dei in illa per gloriam, in ista per ignominiam. Clarificatus quidem est Filius Dei per gloriam, resurgendo à mortuis, ascendendo propria virtute in cœlum, &c. sed clarificatus est etiam per ignominiam mortis, per quam mortem destruxit, diabolum

Eide Ho. 1. ad pop.

f Esa. 53. 3.

Mat. 17. 5.

Matth 27. 46.

Tract 104. in Ioan.

¶ 203.

Ioan. 17. 1.

Li. 10. Thesau. c. 9.

Gen. 41. 40

Sap. 8. 10.

Hom. 6. in Exod.

Lib. 4. Hexa. cap. 2.

Libr. 3. de Trin.

¶ 204.

a Lib. 4. de fid. c. 6.
b Libr. de dupl. mar.
c Li. 11. in Ioan. c. 14.
d Li. 4 con. Euno. prope finem.

e Lib. 5. de Trin.

vicit, peccatum aboleuit, hominem Deo reconciliauit, ianuam cœli aperuit. Signanter autem clarificatus est per illam insuperabilem patientiam in offensis, & iniurijs, per illam charitatem erga inimicos, à quibus cum acerbiora pateretur, in crucem actus, totum se ad orandum pro illis conuertit. Tunc cognouit eum latro, qui simul cum eo crucifixus erat: tunc cognouerunt eum Centurio, & qui cum eo erant, dicentes: *Vere filius Dei erat iste*: tunc qui ipsum crucifixerant, *Reuertebantur percutientes pectora sua*. Quod optimè annotauit Chrysostomus, perpendens, manifestè Christum se filium Dei tunc comprobasse, & similem Patri se exhibuisse: sicut enim Pater offensus à suis inimicis, cum posset vindictam sumere, non sumit, sed beneficia eis præstat Solis, & pluuiæ, ita, & ipse faciebat. Nec enim casu factum est, inquit Chrysostomus, vt ipso Domino in crucem acto, Sol obscuratus fuerit, terra mota, petræ scissæ, monumenta aperta, sed vt ostenderet, se etsi manibus, ac pedibus confixis, potestatem habuisse, per quam posset facere, inimicos suos à terra deglutiri, à sepulchris deuorari, à lapidibus conteri, & obrui, à cœli fulminibus feriri, vt discerent omnes, inquit Chrysostomus, qui impias manus intulerant Domino, quam non fuisset difficile ipsos punire, qui tam facilè terram commouit, & Solem repente obscurare præcepit. Qui tamen, non solum mansuetè crucifixores tulit, sed, *& proipsis rogauit, ne perirent*. Hinc est quod Christi mors sæpè in Scriptura sacra vocatur glorificatio, & exaltatio: non solum quia via fuit ad eam gloriam, & exaltationem, quam postea in Resurrectione, & Ascensione obtinuit, sed etiam quia vere tunc Christus clarificatus est. Ita Ioannes: *Nondum spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*: Chrysostomus, id est crucifixus: in ipsa enim crucifixione, glorificatus est. Similiter, & Euthymius, & ex professo Hieronymus, post multa concludens, & dicens: *Glorificatio igitur est patibulum triumphantis.*

Matt. 27. 45. Luc. 23, 48

Serm. de mansuet. qui incipit, omnibus vobis tom. 5.

Isa. 51. 12.

Ioan. 7. 39. Hom. 50. in Ioan.

In c. 7. Ioa. epist. 150. ad Hedib. quæst. 9.

§. 3. *Christus viuens ostendit se filium Dei per radios potentiæ, moriens autem per splendores patientiæ, tam claros, vt propter illos dixerit Ioannes: Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre.*

NOn ineptè iuxta hoc institutum explicari potest, quod Dauid in spiritu præuidens cecinit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Loquitur de tempore mortis Christi, per quam promeruit sedere ad dexteram Patris, omnibus inimicis sibi subditis, & subiugatis, & positis scabellum pedum suorum: tunc exhibuit se Christus Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, quando abolendo Sacerdotium secundum ordinem Aaron, seipsum primo in cœna velatum sub speciebus panis, & vini, deinde in propria specie in cruce *se obtulit immaculatum Deo*. Tunc eius principium cum illo fuit, Principium Filij, Pater est: quamuis secundum portionem inferiorē clamauerit Christus, *Vt quid dereliquisti me*, tamen secundum superiorem rationem, dixit: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum*. Aut verò principij nomen, in Græco, significat principatum: ideo quidam legunt: Tecum Principatus in die virtutis tuæ. Dies illa vocatur aptè dies virtutis eius, quia tunc per *mortem, destruxit eum, qui mortis habebat imperium*, occidit mortem, soluit hominis captiuitatem, aboleuit peccatum, aperuit cœlum. In illa die ostendit, quod secum haberet Principatum, dominium, & imperium, quippe qui, vt annotat Chrysostomus, tunc obscurauit Solem, commouit terram, sepulchra aperuit, rupes, & lapides cōcitauit, mortuorum multitudinem suscitauit,

¶ 205. Psal. 109.

Matt. 27. 46. Ioan. 8. 29.

Ad Heb. 2. 14.

Hom. 1. in Ioan.

tauit, vt verè se omnium viuorum, & mortuorum Principem, & dominum comprobaret, quem vt talem agnouit latro, qui tanquam à supremo Principe, ac Rege, qui in semetipso habebat Principatum, & potestatem Regiam, petijt vt sui memoriam haberet, veniens in Regnum suum. Tunc que ostensus est genitus à Patre, aut Filius æterni Patris, *in splenderibus Sãctorum*. Vox, splendor accipienda est, vt significet radios charitatis, quales emittere solet Sol, dum clarissimus ac serenus illucet: Vox autem, Sanctorum, in Hebræo singularis est, *Kodes*, quæ significat sanctitatem. Vnde in splendoribus Sanctorum idem erit, quod in radijs clarissimis, & fulgentissimis Sanctitatis. Christus enim per radios clarissimos sanctitatis, quo semisit in passione, seipsum demonstrauit. Filium ab æterno Patre genitum; quamuis enim Sol ille diuinus in cruce eleuatus, aliqua ex parte retraxerit radios potentiæ, quos viuens emittebat, resuscitans mortuos, mundans leprosos, illuminans cæcos, faciem suam exhibens resplendentem sicut Solem, & vestimenta sua alba sicut niuem, sed radios tunc emisit fulgidissimos Sanctitatis, & omnium virtutum, quarum actus in heroico gradu demonstrauit, patientiæ, mansuetudinis, pietatis, religionis, benignitatis, sapientiæ: signanter autem charitatis, qua omnium virtutum, & totius Sanctitatis summa continetur: *Qui enim cùm maledicerentur, non maledicebat, cum paterentur, non comminabatur*: Et *sicut ouis ad occisionem ductus, cùm malè tractaretur, non aperuit os suum*, & cùm crucifigeretur, sanguinem suum offerebat, & seipsum, pro crucifixoribus, & vitam illorum operabatur, qui inferebant mortem, ac primum quod in cruce eleuatus egit, fuit, pro illis orare, qui se crucifigebãt. Hi splẽdores sanctitatis fulgentissimi, ita illum ostenderunt Filium à Deo genitum, vt illis latro illustratus, eius innocentiã primò professus, deinde ad eum tanquam ad Filium Dei deprecandum se conuerterit: Centurio, & ij qui cum eo erant, huiusmodi splendidissimis clarissimisque radijs illuminati, clamauerunt: *Verè Filius Dei erat iste*: cæterique, qui mortem ei intulerant, ibique adstabant, his splendoribus conspectis, reuerterentur percutientes pectora sua. Hinc Beatus Augustinus annotat, cur cùm Iudæi clamabant: *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei*, descendere noluerit. Videbatur enim conueniens id facere quod petebant, vt ad credendum illos compelleret. Nequaquam tamen, inquit Diuus Augustinus hoc decens fuit, varijs enim temporibus varios modos tenuit Christus ostẽdendi se Filium Dei. Dum vixit, ostendit se Filium Dei per splendores, & radios potentiæ, qui sufficientes fuerunt illuminare omnes: ideoque inquirentibus, vt diceret illis, si ipse esset Christus, respondit: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*: & iterum: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Tempore autem mortis ostendit se filium Dei, per splendores, & radios sanctitatis, quæ in charitate, & patientia posita est. Nec minoris efficaciæ isti, quàm illi, vt Tertullianus contra Pharisæos agens demonstrat: sed qui per malitiam non cognouerunt Christum per radios splendidissimos potentiæ, quin potius tanquam aues nocturnæ magis excæcati remanserunt, nec per splendidissimos radios sanctitatis, & patientiæ illustrati fuerunt. Iam tempus præterierat, quo splendores potentiæ emitteret, in cruce autem erat tempus, quo splendoribus sanctitatis, & patientiæ fulgeret, ideo non fuit decens, vt hos retraheret, per quos vniuersum orbem illustrauit, ideoque nec decens fuisset, quod de cruce descenderet, in qua, & ex qua radios Sanctitatis clarissimos emittebat. Egregiè illos contemplatus fuit Ioannes, cœlestis aquila, qui peculiariter ex illis Christum Filium Dei ostensum exhibet. Ita enim intelligit D. Chrysostomus illud quod ait: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*. Annotat inprimis aduerbium illud, *Quasi*, nõ similitudinem, sed veritatem indicare:

Luc. 23.

Genebrar.

1. Pet. 2. 23

Esai. 53. 7.

¶ 206.

Matth. 27. 54.

Tract. 37. in Ioan. ad fin.

Matth. 27. 42.

Ioan. 10. 25

Ioan. 15. 24

Libr. de patien. cap. 3.

Hom. 11. in Ioan.

Ioan. 1. 14.

care: vt velit dicere, vidimus gloriam eius, qualem decet, & conuenit Filio vnigenito Patris: Ioannes enim sequutus est communem loquendi morem. Qui Regem aliquando preciosissimo cultu ornatum, precioſisque vndique fulgentem lapidibus conſpicati, alijs ſpeciem illam, ac maieſtatem enarrare volunt, purpureum florem, gemmarũ magnitudinem, albas mulas, auratos currus, ſolium adſtantium oculos nimio fulgore perſtringens, pro viribus enarrant. Cùm verò, & his, & alijs collectis, cultum illum omnem, maieſtatemque verbis comprehendiſſe ſibi non videantur, continuò addunt: Quid multis opus eſt? vno verbo dicam, Quaſi Rex, cùm ex hoc verbo, Quaſi, non ſimilem Regi, ſed ipſum Regem velint ſignificare. Ita hoc loco Euangeliſta, *Quaſi*, inquit, ad gloriæ maieſtatem, & incomparabilem excellentiam ſignificandam. Ita Chryſoſtomus, qui deinde explicat, quando Chriſtus offenderit iſtam gloriam ſuam, de qua dicit Ioannes, *vidimus gloriam eius*: & dixit, verè eam oſtendiſſe multis modis: quando recenter natus, *facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium*: *Gloria in altiſſimis Deo*; quando ſtatim ac natus eſt, *venerunt Magi ab Oriente*, qui eum adorauerunt: quando ſuper eum, *Cœli aperti ſunt, & vox Patris intonuit*: *Hic eſt filius meus dilectus*; quando aquam in vinum commutauit, *oſtendens diſcipulis gloriam ſuam*, quando miracula fecit ſtupenda, quando transfiguratus fuit in monte, ſed an notat, ſignanter hoc dictum eſſe à Ioanne pro tempore paſſionis ipſius, cùm affixus fuit cruci, flagellis, & alapis cæſus, & conſputus ab ijs, de quibus tam bene merebatur. Si quidem in ijs ipſis, quæ probri, & ignominiæ plena eſſe videbantur, ipſum rurſus verbũ clariſſimum apparuit. Hoc Ioannes gloriam appellauit; tunc enim mors abolita eſt, maledictum perijt, dæmones confuſi ſunt, & de ijs triumphatum eſt, &c. tunc ardentiſſimæ charitatis præbuit indicia, cùm pro inimicis rogauit, pro eis ſanguinem fudit, & vitam dedit. *Vidimus gloriam eius, qua, ſi vnigeniti à Patre.* Viderat primò Ioannes Chriſti gloriam, quaſi vnigeniti à Patre per radios clariſſimos potentiæ, dum Chriſti miracula vidit, quæ ſolus Deus poterat operari, ſignanter in myſterio transfigurationis. In morte tamen vidit eius gloriam per radios ſplendidiſſimos Sanctitatis, & charitatis, quam ipſe contemplari cœpit in cœna, quando vidit Chriſtum diligentem, & amantem vſque in finem, tales radios charitatis ardentiſſimæ, quales decebant vnigenitum à Patre. Videturque memoriam tenuiſſe, Chriſti doctrinam, quod tunc aliquis ſe oſtendit Filium Dei, cùm diligit inimicos, & benefacit ijs, qui ſe perſequuntur, & orat pro calumniantibus ſe, & ſimilem ſe exhibet Patri cœleſti, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Hæc omnia ſtans iuxta crucem, vidit in actu heroico, & ſupremo à Chriſto præſtita, illum enim conſpexit diligentem inimicos, & eis benefacientem, qui ſe perſequebantur, quippe qui pro illorum peccatis patiebatur, ianuam cœli illis aperiebat, eos Patri reconciliabat, quantum in ſe erat: vidit orantem pro calumniantibus, imò, & crucifigentibus ſe, & tandem vidit illum ad inſtar Patris cœleſtis, Solem ſuum effundentem ſuper bonos, & malos, & mittentem pluuiam ſuper iuſtos, & iniuſtos. Cum enim *venit vnus militum, & lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua*, Ioannes attentis oculis id conſpicebat: *Et qui vidit*, inquit, *teſtimonium perhibuit*; ideoque vidit diſtinctè, & aquam, & ſanguinem à Chriſti latere promanantem. Sed alta mente contemplabatur, quod hoc ipſo, Chriſtus ſimilem ſe Patri cœleſti exhibebat, qui riuulo ſanguinis tanquàm rubicundos Solis radios, & aquæ fluenta, tanquam cœleſtem, & ſalutiferam pluuiam effundebat ſuper bonos, & malos, & ſuper iuſtos, & iniuſtos. Nec enim ſanguinem ſolummodo pro amicis dabat, & aquam pro ijs, qui ſibi obſequebantur, ſed, & pro impijs, & pro his, qui ipſum ſanguinẽ effundebant, eundem ſanguinem offerebat in pretium, & in eos, qui ipſum vulnerauerunt,

Luc. 2. 14.

Matt. 2. 2.

Matt. 17. 5.

Ioan. 2. 11.

¶ 207.

Matt. 17. 5.

rauerunt, effundebat aquam in lauacrum. Qui tam vnice se Patri similem exhibuit, vnigenitum se illius hoc ipso demonstrauit. Hæc videns Ioannes dixit; *vidimus gloriam* splendores sanctitatis eius, *quasi vnigeniti à Patre.* Tuncque se exhibuit plenum gratiæ, & veritatis: *Gratiæ*, quia per illam mortẽ gratos nos reddidit Patri, *cui reconciliati sumus per mortem filij eius*: *Et veritatis*, quia tunc omnia quę de se dicta erant, vera comprobauit, & opere compleuit, vt explicat Beatus Augustinus. Hoc ergo dicere vult Christus: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, id est, vt ei similes existentes, illius vos comproberis filios. Hoc enim quod est, ex charitate diligere inimicos, & eis benefacere opus est tale, per quod aliquis se Filium Dei probat.

ad Rom. 5. 20.

Tract. 37. in Ioan. ante fin.

§. 5. *Vt homo Filius Dei efficiatur, eget remissione peccatorum: ad hanc necessarium est, vt ipse offensas contra se commissas remittat.*

¶ 208. VT *sitis Filij Patris vestris*. Est secundus sensus horum verborum, vt velit Christus hoc proponere tanquam præmium, obseruantibus mandatum istud, quod erunt Filij Dei, vt hoc ipso ad illius obseruantiam homines excitet. Quando voluit Deus rem aliquam, quam præcipiebat, maximè commendare, & facere, vt libenter illam homines opere complerent, præmium grande solitus fuit proponere. Ita cum præcepta Decalogi promulgauit, volens inducere filios, vt liberaliter, & hilariter patribus honorem impenderent, grande præmium illis statim in ipsamet lege assignauit, dicens: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus daturus est tibi*: cum tamen nulli alteri præcepto tunc præmium proposuerit. Volens itaque nũc Christus homines indicare ad huius præcepti obseruationem, & eos impellere, vt hoc opus arduum, & difficile affectui carnis, hilariter, & diligenter exequerentur, præmium statim ei designauit, grande sine dubio: *vt sitis*, inquit, *filij Patris vestri, qui in cœlis est*. Quid autem huiusmodi præmium contineat, & quomodo quadret in eos, qui hoc præceptum obseruant, explicandum est: Homo efficitur filius Dei, ex duplici dono ex remissione peccati, & ex infusione gratiæ. Hæcque duo promittuntur à Christo illi, qui hoc præceptum, sicut decet, seruauerit, quod Pater cœlestis ei dimittet peccata, & suam in illum gratiam profundet, per quam particeps sit naturæ diuinæ, & ius habeat ad gloriam: possitque propterea ore pleno filius Dei dici. Explicemus nunc primum, postea explicatũri secundum. Primum igitur sub hac promissione Christus promittit remissionem peccatorum. Ita intellexit Chrysostomus: Non solum (inquit) facti difficultatem charissimè cogites, sed prius intra te reputa, quanto sis decorandus honore, & honoris occasio, licet sit graue quid, & onerosum, leue tibi reddetur: imò gratias referre teneris, quod per beneficium inimico collatum, tanta possis obtinere, quod apud Deum fores tibi fiduciæ referentur, & peccatorum tibi fiat absumptio. Hoc Beatus Augustinus ex professo explicandum suscepit, duplicique declarat propositione. Prima neminem esse, qui non coram Deo multis peccatis sit constrictus, propter quæ timere debet, & orare Deum, vt sibi remittantur. Hanc probat multis Scripturæ sacræ locis, signanter ex illo Iob: *Homo natus de muliere, breuis vitæ, & plenus iræ*. Ita ille legit, iuxta Septuaginta, quod nostet Vulgatus, *Repletur multis miserijs*. Et Diuus Augustinus hoc quod dicitur, *plenus iræ*, præcipuè credit dictum propter peccatum originale, de quo dixit Apostolus: *Eramus, & nos natura filij iræ, sicut, & cæteri*: quod quia omnium miseriarum, & peccatorum initium est, dicitur qui illud contraxit, plenus iræ, aut repletus multis miserijs. Sed, & de actualibus peccatis potest intelligi, propter quæ puniri homo mere-

Exod. 20. 12. Deut. 5. 16

Hom. 71. ad popul.

In Enchir. cap. 33.

Iob. 14. 1.

ad Eph. 2. 3

meretur, quam punitionem, iram vocat Iob, quomodo & Dominus Iesus, Ioan. 3. 36. inquit Augustinus, dixit: *Qui non credit in Filium, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet super eum:* Omnis ergo homo est plenus iræ, quia *etiam iusti septies in die cadunt:* & quia merentur à Deo puniri, dicuntur pleni ira: quomodo Iob ipse iustus, & sanctus dicebat: *peccata mea, quibus iram merui:* & apud Michæam, *iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Et rectè Vulgatus, quod Septuaginta transtulerunt iram aut peccata, vocat *miserias*, quia nulla maior miseria est ipso peccato, dicente Spiritu sancto: *Miseros facit populos peccatum.* Aut verò, quia summæ humanæ naturæ miseria est, peccatis perpetuò implicari, vt nullus inueniatur liber à sorde. Semper cùm ita loquitur Augustinus *a*, Christum excipit & beatissimam Virginem, de qua cum de peccatis agitur, nullam vult fieri mentionem *b*. Alij legunt *plenus tremore*: & rectè, vnum namque sequitur ex alio. Si enim plenus est ira, aut peccatis, pro quibus iram promeretur, & pœnam, iusto tremore & timore terretur, & pauet. Id ipsum demonstrat Augustinus, ex eo quod frequenter, inquit, cantauimus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Locus est, quem Apostolus peculiariter induxit, vt probaret, omnes esse peccatores, & egere diuina gratia ad peccatorum remissionem. Non enim dixit, inquit Augustinus, Beati qui non fecerunt peccata, sed, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: si enim quæris, qui non fecerit, non inuenies. Vnde ergo quisquam erit beatus, nisi remittatur quod fecit, nisi regatur quod commisit? Inuehitur hac occasione D. Augustinus in eos, qui se iustos iudicantes, aspernantur cæteros tanquam peccatores, qui sæpè maioribus peccatis coram Deo tenentur, quam illi quos ipsi peccatores iudicant: sicuti Pharisæus, qui Publicanum iustiorem se, tamquã maximum peccatorem contemnebat, & Simon qui absolutè Magdalenam peccatricem iudicabat, quæ iam amore diuino ardebat, & sanctior illo fuerat effecta. Hinc colligit Augustinus, omnibus necessarium esse orare pro peccatorum remissione, quibus Christus statuit vt dicerent, *dimitte nobis debita nostra.* Quem locum sæpè ipse Matth. 6. expendit signanter contra Donatistas & Pelagianos, qui dicebant, hominem Lib. 2. conc. ad eam posse vitæ perfectionem deuenire, vt nullo vel leui maculatus esset peccato. Qui enim omnibus imposuit, vt dicerent: Dimitte nobis debita nostra, omnes debitis obligatos supposuit, quæ debita, peccata esse (inquit Augustinus) quamuis manifestum sit, postea tamen manifestius declarauit, dicens. *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet & vobis Pater vester peccata vestra.* Secunda propositio Augustini: Nullum medium à nobis efficacius præstari posse (exceptis sacramentis ad obtinendam peccatorum remissionem, quã remittere gratis propter Deum offensas contra nos commissas. Hanc demonstrat ex eo, quod Christus eleemosynam designauit in magnum peccatorum remedium, qui dixit: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* & Propheta eã suasit, vt grauissimorum peccatorum Rex iniquus remissionem obtineret dicẽs: *Peccata tua eleemosynis redime.* Scriptura sacra sæpè dixit, *Fide & eleemosynis purgari peccata.* Multa autem cum sint eleemosynarum genera, quæ cum facimus, admonemur, vt nobis nostra dimittantur peccata, sed ea nihil est malus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit: minus enim magnum est, erga eum pauperem esse beneuolum, siue etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecit: istud multo grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis, audiens dicentem Iesum: *Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, &c.* Hanc eleemosynam esse summã probat Augustinus, quia est eleemosyna cordis. Scitote, inquit, fratres charissimi, quia duę sunt eleemosynæ, vna cordis, alia pecuniæ: eleemosyna cordis est, dimit-

¶ 209.

a *Lib. de pecc. meri. & remiss. c. 13. & alibi sæpè.*

b *Lib. de natura, & grat. c. 36. Lib. 50. Homil. homil. 6: Psal. 31. 2.*

Rom. 4. 7.

¶ 210

Lib. 10. Homil. hom. 6.

dimittere ei, à quo læsus es: eleemosyna pecuniæ est, tua temporalia bona indigenti largiri: & quantò cor præstat pecunijs, & exterioribus facultatibus, tanto eleemosyna cordis superat eleemosynam pecuniæ. Vnde postquam longo sermone ad hanc cordis eleemosynam fuit hortatus, subdit: Non vobis ergo graue sit, per ipsius Domini misericordiam, vos obtestor, quia spes nobis alia non est, nisi dimiserimus, quicquid nos læserint homines, nemo vos fallat, aliud maius sacrificium non est, quod debeamus Deo, nisi quidquid boni est, etiàm malis hominibus fecerimus. Dicit tibi Deus: Ego non ex te cresco, sed tu ex me, sacrificium volo, quod prosit homini: sic ad me peruenit, quod tibi prosit. Ita Augustinus, rationem egregiam prosequens qua, misericordiam Dei erga nos magnificat. Deus vt nobis remittat peccata, vult vt aliquid faciamus, quo eum ad id inclinemus: ipse in se nullo eget, propterea in proximos aliquid fieri vult, quod tanquam sibi collatum acceptat. Ad remissionem peccatorum, non congruè sola eleemosyna pecuniæ esset designata: omnes enim sunt peccatores, & egent remissione, nec tamen omnes habent pecunias, ex quibus eleemosynam tribuant, quærenda igitur erat eleemosyna maior, Deoque gratior, quam omnes possent impendere. Hæc est eleemosyna cordis, cum quis gratis remittit offensas. Omnes sumus peccatores, omnesque hanc eleemosynam possunt facere: nullus siquidem est, qui aliquos non patiatur inimicos, aut aliqua ab alijs lædatur offensa. Vnde, dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes, indulgere peccanti, quantum volueris, redundabit tibi. Aurum, & argentum, vestem, frumentum, vinum, & oleum, fieri potest, vt aliquoties non habeas, vnde pauperibus tribuas; vt autem omnes homines diligas, & hoc alijs, quos tibi ipse velis, & inimicis tuis indulgeas, nunquam te poteris excusare: quia si in cellario, vel in horreo non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre, quod tribuas. Et quia sicut ipsi videtis, fratres charissimi, ad remissionem omnium peccatorum, si substantia terræ non fuerit, charitas, & dilectio inimicorum satis, abundèque sufficiunt, nulla nobis excusatio de hac re in die iudicij remanebit, nec dicere aliquis poterit, non se habuisse, vnde sua peccata redimeret, &c. Ita Augustinus, qui rem totam alibi concludit, dicens: Multa sunt genera miserationũ, quæ cum facimus adiuuamur, vt dimittantur nobis peccata nostra, sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod quisque peccauit. Vt autem Christus hoc nobis manifestum, & certissimum faceret, cum de hac re egit, illam proposuit, quasi expressum pactum, & fœdus iniens inter nos, & Deum: *Dimittite*, inquit, *& dimittemini: si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater peccata vestra*: Et *Sic faciet Pater vester cœlestis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Nulla alia de causa, vt notat Tertullianus, Deus, qui nulli potest obligatus manere, se magis voluit exhibere ex pacto à se constituto, obligatum, quam ex remissionæ iniuriæ, & offensæ, qui expressè professus est, & promisit, se dimissurum non dimittenti. Recenter baptizatos assumpsit instruendos Sanctus Basilius, & explicat difficultatem quandam; An ea quæ Christus præcipit, nulla pœna expressa, teneantur baptizati seruare. Sæpè enim simpliciter, & sine alicuius pœnæ expressione, aliqua iussit, vt *Date mutuum nihil inde sperantes*: & *Nolite iurare*, & *sit sermo vester, Est, est, Non, non*: aliquando autem manifestè pœnam impositam designauit, sicuti cum dixit; *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui verò non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum*. Quando enim pœnam non expressit, non visus est voluisse eam inferre in transgressores. Sine dubio tamen, inquit Basilius, sub pœna grauissima, omnia quæ ille præcepit obseruare tenemur, primò quia ipse diffinitè pronũtiauit, de lege loquens antiqua: *Iota vnum, aut vnus apex*

Ser. 20. de temp.

Mat. 5. 14. Luc. 6. 37. Mat. 18. 35

Li. de pat.

¶ 211.

Serm. 2. de bap. c. 5. & 6. p. 245.

Ioan. 3. 36.

Matt. 5. 18.

apex non præteribit à lege. Si quæ legis sunt ita habent, quantò magis quæ sunt Euangelij, sicut, & ipse Dominus sæpè affirmauit? Deinde, quia sicut antiquitus data lege, quamuis non in singulis præceptis fuerint pœnæ expressæ, tamen ex Dei decreto ascenderunt quidam in montem Hebal,
Deu. 27. 12. alij in montem Garizim, ad benedicendum in communi omnes obseruantes legem, & maledicendum omnes transgredientes quoduis illius præceptum, ex quo pœna expressa manfit contra transgressores cuiusque præcepti legis, ita promulgante Christo Euangelium, adfuit Ioannes, quo nemo maior est inter natos mulierum, sua diffinitione contestans, & dicens: *Qui filio non credit, vitam non habebit, sed ira Dei manet super ipsum.* Quamuis itaque Christus mandata ore suo proferens, pœnam sæpè reticuerit, intelligendus est tamen Ioannes adesse, ad omnia, & singula Christi verba, hanc suam addens diffinitionem. Quin, & Christus ipse expresse, postquam multa statuit nulla mulcta explicite
Mat. 7. 24. declarata, tandem addit: *Omnis ergo, qui seruat verba mea assimilabitur viro sapienti, &c. Qui autem non seruat assimilabitur viro stulto, &c.* Quod ad sermones suos addendum voluit, sicut, & omnibus antiquæ legis præceptis, addita est generalis aduertus transgredientes maledictio à Moyse, tandem subinferente: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius*: ex qua pateret, pœna, cuiusuis præcepti transgressori imposita. Quamuis autem hoc ita sit, singulari tamen cura, vt annotat Sanctus Basilius, quæ circa inimicos iubet, voluit declarare, vt omnem penitus dubitationem, & prætextum excusationis repellat: nec contentus fuit sub communi commination, aut promissione, quam in obseruantes, & transgredientes tradidit, illos comprehendere, sed expresse præmium proposuit, hoc mandatum seruantibus, & expressissimè pœnam illud transgredientibus: Apertissimè siquidem, præcipiens diligere ¶ 21.
Matth. 5. inimicos, præmium expressit; *Vt sitis filij Patris vestri*, & iterum: *Dimittite, & dimittemini*; Et *si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis pater, &c.* & pœnam similiter circa trãsgressores minutatim declarauit, dicens; *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui dixerit, Racha, reus erit concilio, qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis*: Et, *Sic faciet Pater vester cœlestis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo, &c.* Nullaque res est, in cuius mandato præmium, & pœnam per doctrinam, rationes, parabolas, & similitudines magis expresserit. Ad cõfirmanda (inquit Basilius) corda nostra in fide sana, volens nos iudiciorum Dei timorem docere, non solum per verba, sed, & per exempla propterea quod ipsis rebus veritatis nobis persuasio penitus infigitur. Ex his, concordi sensu omnes Sancti Patres obseruãt doctrinam Scripturæ Sanctæ, quæ semper, & vbique nos docet, eum qui orare vult pro peccatorum suorum remissione (& tales debent esse omnes) oportere prius, remittere offensas contra se commissas. Id singulariter prosequitur Beatus Cyprianus, toto fere illo insigni opere, quod de vnitate Ecclesiæ scripsit. Supponit ille necessariã esse vnitatẽ, vt orationes nostræ exaudiantur. Hinc oratio puerorum illorum missorum in caminum ignis ardẽtis, efficacissima fuit, qui inter se vnanimes permanebant, absque eo quod ardens flamma eos combureret, aut diuideret. De quibus dicitur: *Hi tres quasi ex vno ore laudabant, & benedicebant, &c.* Hæc vnitas sub Apostolis fuit charitatis mandatum seruantibus, de quibus dicitur: *Et erant perseuerantes vnanimiter in oratione*; & ideò efficacioribus precibus orabant, & impetrare potuerunt cum fiducia, quodcunque de Domini misericordia postulabant. Et optimam huius indicat Cyprianus rationem. Orationes nostræ efficaces sunt ex Spiritu sancto agente, & impellente nos ad orandum, nam *nos quid oremus nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, facit nos postulare: Spiritus autem Sanctus non est *Deus dissensionis, sed pacis*, qui ideo in specie colum-

Lib. de vnit. Eccl.

Dani. 3. 51.

Act. 1. 14.

Rom. 8. 26.

1. Cor. 14. 13.

Luc. 3. 22.

columbæ super Christum venit, quæ animal est diligens vnitatem, felle carens, longeque ab illis abest, qui dissensionum, & odiorum amaritudine sunt affecti. Deinde rem magis in particulari Cyprianus considerans, annotat, hoc singulariter curandum ei, qui ad orandum pro peccatorum suorum remissione se confert, quod prius remittat ipse inimicis offensas: quod probat ex ipsius Saluatoris verbis:

Mar.11.5. *Cum steteritis*, inquit, *adorationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt, & Pater remittat vobis peccata vestra.* Nec enim rectè procedit ad orandum, qui dissensionem à fratre in corde gestat.

§. 6. *Necessarium esse deponere odium, vt Deo reconciliemur, ostendit Christus dicens: Si offers munus tuum ad altare, &c.*

¶ 213. OCcasione horum, expendit Beatus Cyprianus, doctrinam illam

Li. de vni. Eccles. cit. Christi: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tũc veniens offeres munus tuum.* Rem totam voluit Christus concludere, ideo que notam illam resoluendi, & concludendi, *Ergo*, posuit, quasi dicens: Hæc

Mat.5.23. sit certa, diffinitaq; resolutio, sicut Hi

Li.2.cont. Pela.to.2. pag.214. spane dicimus: *En resolution digo.* Grauissima autem est hæc Christi sententia, quam non solum Cyprianus, sed, & omnes Sancti Patres expendunt, multa circa illam obseruantes. Hieronymus, vt demonstret falsam esse Pelagianorum doctrinam, dicentium, nihil difficile in Euangelio cõtineri, hunc locum expendit, annotans, rem magnę difficultatis nobis imponi. Meæ, inquit, est potestatis, vt non habeam aliquid contra fratrem meum: vt autem ille aduersum me habeat, aut non habeat, in illius voluntate consistit. Quid ergo faciam, si ille reconciliari noluerit? Obseorem? Flectam genua? sed audire contemnet. An obtorto collo nolentem in ius amicitiæ traham? Et quæ est maior inimicitia, quam amicitias necessitate sociare? Neque enim dixit: Roga eum, vt tibi concilietur, sed Reconciliare primum fratri tuo, & sic offeres munus tuum ad altare. Et alio in loco: Vide (inquit) quid dicat. Non dixit; Si habes aliquid contra fratrẽ tuũ, sed si aliquid frater tuus habet contra te. Rem quasi iniustam nobis videtur imponere. Si enim dixisset: si habes aliquid contra fratrem tuum, in nostra erat potestate, quod habeamus. Quid dicis? Si habet aliquid aduersum te, Respondeo ei: non est hoc in mea potestate Domine. Si frater meus habet aliquid aduersum me, ego nihil habeo contra eum. Et quare non vis suscipere munus meum, sed dicis, vade ad illum? Ecce ego nihil habeo: si ille habet, ad me quid pertinet? Hæc Hieronymus: qui respondet primò, Deum non præcepisse aliquid impossibile, in tantum tamen patientiæ necessitatem extollere voluisse, vt prope impossibile pro difficultate præcipere visus sit. Respondet secundò, hoc præcepto voluisse Christum docere, tanta nos charitate debere flagrare erga proximos, vt non solum curemus cor nostrum liberum ab odio seruare, sed si agnoscimus cor fratris, contra nos commotũ, & excitatum, curramus ad iram illius extinguendam, similesque simus Prophetæ dicenti; *Cum ijs, qui oderunt pacem eram pacificus.* Si ergo iram de corde alterius eradicare iuberis, antequam sacrificium offeras, & non est acceptũ sacrificium tuum, si non prius cor alterius sedas, quantò magis oportebit, te prius de corde tuo iram, & furorem remouere, & ad quietem illud reuocare erga fratrem tuum, remittendo quæ contra te ille commisit? Ab altari (inquit Cyprianus) vult reuocare, cum dissensione ad sacrificium venientem. Quod similiter Beatus Hieronymus infert. Nec immeritò: non potest namque vulnus, quod transfigens pugio, aut gladius intulit, curari, nisi primum omnium pugio extrahatur, ac foras mittatur. Notum est, odium esse gladium

In Psa.119. Cũ ijs qui oderunt pacem.

Psal 119.6.

Lib. de vni. Eccl. cit. Epist.36.

Pſ. 36. 14. dium transfigentem cor. *Gladium*, inquit Dauid, *euaginauerunt peccatores, vt trucident, & gladius eorum intret in corda ipſorum*. Gladium, quem homo contra inimicum diſtringit, cordi ſuo immittit. Vitam ſane animæ (inquit ¶ 214
10. *Moral.* Gregorius, quælibet culpa polluit, ſeruatus verò contra proximum dolor, occidit, dicente Ioanne: *Qui odit fratrem homicida eſt.* ſui planè ipſius mentis namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipſa viſcerum occulta perforantur: qui ſi à transfixo corde prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur; quia & vulneratis membris imponi ſalutis medicamenta nequeunt, niſi ferrum à vulnere ante ſubtrahatur: niſi enim remiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis. *Sibi*, inquit, *recordatus fueris*. Hac dicendi phraſi, inquit Hieronymus, hoc ipſum CHRISTVS maximè commendatum reliquit, ac ſi dicat: Ibi in ipſa ara, ibi ſtans iam coram Deo, iam ſacrificio inceptо, illud inchoatum relinque. *Recordatus fueris*. Non mirum eſſet, quod ab altari iuberet recedere eum, qui accederet cum mala conſcientia, conſcius, & memoria tenens, ſe fratrem offendiſſe; ſed quod is, qui cum ſana mente proceſſit, & ex obliuione reliquit reconciliari fratri, præcipatur relicto ſacrificio, quod inchoauerat, ire ad ſedandum animum fratris, res eſt admiratione digna: nec enim apud nos, qui iam coram altari eſt genuflexus, ſacram Euchariſtiã ſuſcepturus, moreque fidelium generali confeſſione præmiſſa, iam in omnium conſpectu illam recipere parat, ſi tunc recordetur ſe aliquem offendiſſe, non tenetur relinquere ſacram Euchariſtiam in manu parochi, ſed ſufficit, quod ea ſuſcepta, id agat, quod agere tenetur erga fratrem. Deinde, apud omnes nationes actus, qui minus patitur interruptionem, eſt ſacrificium: actus eſt enim, quo homo negotium agit cum Deo: etſi nullus intercidere audet orationem, quam alloquens Regem cœperat, minus intercidendus eſt actus, cum Deo ipſo incœptus. (Quando inuenit Moyſes hircum, quem obtulerant filij Aaron, Eleazar, & Ithamar, combuſtum, & quod non illum comederant ſacrificantes, iratus eſt, quoniam ſacrificium incompletum reliquerant, quod in comeſtione rei oblatæ terminabatur: quia non licebat ſacrificium inchoatum relinquere, & oportuit, vt Aaron ei ſatisfaceret, exponens, ſe filioſque ſuos in tali luctu fuiſſe, qui comeſtioni vacare non potuerunt. Nota eſt hiſtoria, quam Valerius Maximus refert, de adoleſcente illo aſſiſtente Alexandro ſacrificanti: quo tenente vas, in quo erat thus, quod offerebat Alexander, cum circa illum ita flamma arderet, vt neceſſe fuiſſet recedere, ſi vellet ignem euadere, paſſus fuit ſibi brachium exuri, ne Alexander ſacrificium interrumperet, ipſeque reus intercepti ſacrificij teneretur. Prophanam reginam inducit Poeta, quæ volẽs remanere ſola, vt liberè ſibi mortẽ inferret, ſororem ſuã à ſe miſit, cõfingens, ſe ſacrificium inchoaſſe, neceſſariumque ſibi eſſe illud perficere:

Sacra Ioui Stygio, q̃ ritè cœpta paraui,
Perficere eſt animus,

Et huiuſmodi multa, tam apud ſacros, quam prophanos authores inuenimus. Nihilominus tamen, quando odium ira, vel diſſenſio intercedit, iubet CHRISTVS relinqui ſacrificium inchoatum, nec procedendum vlterius, donec animus ſedatus ſit, & ira depoſita: quia nec ſacrificium aliquod illi gratum eſſe poteſt, quod cum corde irato, & à fratre diſcordante per odium, aut iram offertur. Beatus Chryſoſtomus hæc expendens, miratur primò, & exclamat: O admirabilem benignitatem, & ineffabilem Dei erga homines amorem. Honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit. Quid enim his verbis mitius eſſe poſſit? quid leuius? interrumpatur, inquit, miniſterium meum, vt tua charitas integretur. Propterea quippe non dixit, Poſtquam obtuleris, priuſquam offeras: ſed munere ipſo iam poſito, & inchoante ſacrificium, reconciliandum mittit ad fratrem,

Leu. 10. 16

Lib. 3. ca. 3.

Virgil. 4. Æneid.

Hom. 16. in Matth.

¶ 215

trem, &c. Quam igitur ob cauſam iſtud fieri iubet? Duo ſunt quæ per iſta deſignat, & conficit: vnum, oſtendere volens, quod honorat maximè charitatem, & hanc acceptiſſimum eſſe ſacrificium ducat: abſque iſta verò, nec illud profectò ſuſcipiat. Aliud verò, quo irrefutabilem quandam reconciliationis neceſſitatem imponat: qui namque iuſſit, non prius munus offerri, quam reconcilietur offenſio, etiamſi non ob proximi charitatem, ſaltem ne ſacrificium maneat imperfectum, currere ad contriſtatum iubet, inimicitiaſque diſſoluere. Ita Chryſoſtomus. Ecce, inquit Gregorius, à diſcordantibus non vult accipere ſacrificium, holocauſtum recipere recuſat. Hinc ergo perpendit, quam ſit malum diſcordia, propter quod & illud abijcitur, per quod culpa laxatur, &c. Ad idem inſtitutum obſeruat Cyprianus, meritò ſacrificium Cain fuiſſe à Deo repulſum: nec pacatum habere poterat Deum, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quod poſtea latius annotauit Diuus Hieronymus, exponens, cur Deus non aſpexerit, aut acceptauerit ſacrificia ieiuniorum & mortificationis, quæ quidam offerebant, qui corde erga proximos erant duro, aſpero & diſſono. Obliti, inquit Hieronymus, erant veteris hiſtoriæ, cur non reſpexerit Dominus ad Cain, & ad munera eius; qui rectè quidem offerebat, ſed non rectè diuidebat cùm fratre. Alludit Hieronymus ad id, quod iuxta Septuaginta, dixit Dominus ad Cain: *Nonne ſi rectè offeras, male autem diuidas, peccaſti?* Male diuidebat Cain, quia mala diuiſione à fratre, ſe per odium & iram ſeparabat, & ſacrificium quod in ſe rectum eſt, & bonum, vtpotè verò Deo oblatum, vitioſum redditur, & à Deo reſpuitur, ſi offerens à fratre ſuo ſit hac mala ſeparatione diuiſus. Tollenda igitur primò ad ſacrificium & orationem hæc eſt, per charitatem, quæ eſt vinculum perfectè vniens & ſocians. Ita Beatus Auguſtinus idipſum exponit, obſeruans, rectè dictum eſſe: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*: non quia ſacrificium Deus abſolutè reſpuat, ſed illud, quod eſt ſine miſericordia. Noli propterea ſacrificium offerre ſine miſericordia, inquit Auguſtinus, quia non remittuntur tibi peccata, niſi offeras cum miſericordia, & charitate, quam erga offendentem exhibeas. Obſeruat autem Chryſoſtomus, ſatrificij nomine non tantum intelligendum illud, quod ex ouibus, vel bobus, vel alijs animalibus, offerebatur, ſed & de oratione, quæ ſacrificium in Scriptura ſacra dicitur. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me*, & iterum, *Immola Deo ſacrificium laudis*: Et, *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*. Itaque ſi orationem offeras, ſciens quod frater habet aliquid aduerſum te, melius eſt orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc venies ad orationis ſacrificium offerendum: neque enim oratio grata eſſe poteſt, niſi remota ira, & odio relegato, & depoſito. Debilis, & immaculata eſt noſtra oratio (inquit Hieronymus, explicans illud: *Maledictus doloſus, qui offert debile*) quando ira, inuidia, inimicitijs, & alia quacunque perturbatione corrumpitur; ſi offerentes munus ad altare, & recordati, quod aliquid habeat frater aduerſum nos, nõ ante pergimus, & ei ſatisfacimus: apertè enim Apoſtolus præcipit: *Volo viros orare in omnibus, leuantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione*. Quæ verba expendens Ambroſius, pacificum, inquit, animum in oratione eſſe debere docet. Egregiè tamen Chryſoſtomus annotat primo Apoſtolum in omni loco orationem fieri velle, vt excellentiam Euangelici temporis inſinuet: Iudæis namque fas non erat, niſi vno in loco ad Deum accedere, atque libare hoſtias & cætera legis obſequia inferre, atque ad ipſum locum, vndique ex toto orbe concurrere neceſſe erat, omnemque expiationis ritum in templo perficere. Non eiuſmodi noſtra ſunt: nam iam in omnibus locis orare optimum eſt, &c. Annotat

Hom. 8. in Ezech. ante med.

Lib. de vnit. Eccl. & li. de or.

Lib. 16. in c. 58. Eſai. Eſai. 58.

Geneſ. 4. 7.

Ser. 170. de tempor.

Oſea 6. 6. Mat. 6. 15.

Hom. 16. in Matt. ait.

Pſ. 47. 14. 23.

Pſ. 140. 6. ¶ 216

In cap. 1. Malach. Mal. 1. 24.

1. Tim. 2. 8 In cap. 2. 1. ad Timot. Hom. 8. in 1. ad Cor.

secundò, quid sit, *leuantes puras manus*, id est, non aqua lotas, sed mundas, *absque ira, & disceptatione.* Iræ, inquit, nomine, prophanam iniuriarum memoriam significare voluit: munda sit orantis intentio huiusmodi memoriæ peste: nec vllus adeò audax sit, vt inimicitias exercens, ad Deum orandum pergat. Nemo cum angore animi, ac disceptatione orans, exaudiri se putet: non licet prorsus ambigere, si puras leuemus ad Deum preces, nos exauditum iri: *Quæcunque enim petieritis*, inquit, *credite quia accipietis: & cum statis ad orandum, dimittite & dimittetur vobis.* Hoc nempè est, absque ira & disceptatione orare. Ita Chrysostomus: quod & similiter annotauit Anselmus, & Diuus Thomas, alijque sancti Patres. Ex his infert Beatus Hieronymus, qualimente, quamque quieto animo debeat Christianus ad sacram Eucharistiam sumendam accedere. Si munera nostra absque pace offerre nõ possumus, imò nec ad orationem permittimur accedere, nisi deposita omni ira, odio, & disceptatione; quanto magis hæc deponenda sunt, ad illum cœlestem panem sumendum, quo Christus vnitatem, & charitatem maximè voluit commendare? Audiant hoc (inquit Chrysostomus) qui cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt. Sed de ijs alibi. Hoc exploratum maneat, eum qui accedere vult ad orandum pro peccatorum remissione, oportere omnem iram, & odium deposuisse.

Marc. 11. 24. 25.

In cap. 2. prim. ad Timoth. Epist. 62.

Idem ho. 16.

§. 7. *Deus non dimittit, non dimittentibus; qui dicendum tradidit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c.*

¶ 217

QVam sit necessarium, qui sibi remissionem peccatorum cupit, prius remittat offensas contra se commissas, explicauit egregiè Petrus. *Estote*, inquit, *prudentes, & vigilantes in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Medium necessarium ad obtinẽdam remissionem peccatorum, est oratio. Vnde in illa parabola dixit Rex: *a Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.* Et *b Pro hac* remissione videlicet, inquit Dauid, *orabit ad te omnis Sanctus:* Et Petrus ad Simonem Magũ, hoc suasit: *Roga Deum, si forte remittatur tibi, &c.* Ideo quia *non exorauerunt pro peccatis suis antiquis Gigantes, destructi sunt.* Quoniam igitur oẽs sumus peccatores, frequenter nobis orandũ est, & postulanda peccatorum remissio. Sed hac in parte, inquit Petrus, oportet esse prudentes, & vigilantes, i. oculatos: primũ enim omnium præmittenda est charitas, & dilectio. Videtur alluisse ad illud, quod paulo ante induximus Christi verbum: *Cũ steteritis ad orandum, primũ remittite, &c.* Et verè visus est Petrus hæc dicẽs, memoria tenuisse factum Ioseph, quando fratres suos, quibus incognitus erat, de proditione accusabat: qui hoc pactum cum eis fecit, vt si vellent pacificè à se recipi, cum coram se venirent, secum deferrent fratrem minimum, quem tunc domi reliquerant. Vnde cum postea Iacob ad eos diceret: Reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum, respondit Iudas: *Denuntiauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria: sin autem non vis, non imus. vir enim, vt*

1. Pet. 4. 6.

a Matt. 18. 32.

b Psal. 31. 6 Actor. 8. 22.

Eccl. 16. 8.

Mar. 11. 25

Gen. 42. 33

sæpè

sæpè diximus, denuntiauit nobis dicens; Non videbetis faciem meam, absque fratre vestro minimo. Prudenter certè respondit Iudas. Pactum à viro semel, & iterum statutum est, quod sicut si fratrem minimum nobiscum adduxerimus, pacificè nos recipiet; ita sceleris conuincer, si sine illo coram ipso præsentes nos exhibuerimus: nullo igitur pacto possumus ad eius conspectum venire, quin fratrem nostrum minimum, in nostra feramus societate. Estote, inquit, prudentes in orationibus, & attendite, ac vigilantibus oculis, quæ præmittenda sunt perficite. Necessarium nobis est, coram Deo præsentes nos dare per orationem, vt quæ ad vitam animæ necessaria sunt, comparare possimus: id namque est orare, coram Deo nos exhibere præsentes, per mentis eleuationem, vt ab illo obtineamus, quæ vt animæ vitam seruandam conducunt. Pactum tamen expressum à viro illo nobilissimo statutum est: *Cum steteritis ad orandum, prius remittite*, hoc est, fratrem vestrum minimum, videlicet inimicum, in corde vobiscum adducite; aliter non videbitis faciem meam, nec pacificè suscipiam, sed sceleris reos conuincam. Imprudenter ergo ad orandum accedit, qui non prius per charitatem, fratrem suum minimum, ideſt, inimicum in corde suo reponit, eum diligens, ei parcens, & pacem cum illo tenens. Aut verò recordatus est Beatus Petrus illius parabolæ, quam occasione cuiusdam interrogationis suæ, Dominus proposuit. Quæsierat Petrus: Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Respondit Dominus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Huius occasione illâ celebrem subintulit parabolam Regis, remittentis seruo immensæ quantitatis debitum, ad humilem illius supplicationem: quem tamen, quia noluit conseruo remittere centum denarios, iussit in carcerem mitti, & venundari eius vxorem, & filios, & omnia, quæ illius erant, dicens: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: non ne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut ego tui misertus sum?* Et rem totam concluſit Christus, dicens: *Sic faciet Pater meus cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo, de cordibus vestris.* Hanc parabolam perpetuò Petrus mente retinuit, tanquam ad se peculiariter dictam. Ex qua primò intellexit, per humilem orationem remitti peccata, sicut debita dimissa fuerunt illi deprecanti. Secundò agnouit, cuncta quæ contra nos committere potest inimicus, parua esse, quæ omnia, etiam si septuagies septies nos offendat, sub exigua quantitate centum denariorum claudūtur: & quam paruæ sint quantitatis offensæ, quas proximus contra nos commisit, agnoscemus, si eas cum illis conferamus, quas nos contra Deum committimus. Tertiò grauem illam, acerbam, & acrem increpationem, quam considerauit Origenes, mente perpetuò retinuit: *Serue nequam*. Nouerat Christi suauitatem in loquendo, cui ipse Petrus dixit: *Quo ibimus, quia verba æterna vitæ habes?* Erat siquidem, vt Sponsa asserunt, *guttur illius suauissimum*: recordabatur, eum, quem inuenit in nuptijs veste nuptiali carentem, cum increparet, vocasse amicum; *Amice, quomodo huc intrasti?* Iudam itidem, qui se horrenda proditione tradebat, simili voce reprehendisse: *Amice ad quid venisti?* Hunc autem conseruum, contumeliæ, & opprobrij voce reprehendens, iram quam contra illum conceperat ostendere volens, *Serue*, inquit, *nequam*. Illam tandem conclusionem, quam Christus intulit: *Sic ergo faciet vobis Pater meus, &c.* perpetua recordatione Petrus versabat, & tanquam statutam legem cōsiderabat; idcirco nos admonet, vt procedētes ad orandū, ne tam imprudētes simus, vt nobiscū causam repulsæ, & increpationis feramus, si cū odio & ira contra fratres procedimus, propterea charitatem, per quam inimicos diligamus, & remittamus offensas, extendendam, per quam peccata nostra operiantur, & remittantur. Aut tandē voluit B. Petrus alludere, ad id, quod Christus Dominus, modum orandi tradens, docuit, vt:

Hom. 7. in c. 18. Matt.
Ioan 6. 69.
Cant. 5. 16.
Matt. 22. 12.
Mat. 26. 50.

Mat. 18. 21. ¶ 218.

dicemus: *Dimitte nobis debita nostra,*
Mat.6.12. *sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.* Circa quam sententiam multa annotant Sancti Patres. Cyprianus
Tract. de oratio. obseruat, multas petitiones ante istam positas fuisse, absque aliqua conditione, & moderatione, quales illæ: *Adueniat Regnum tuum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* Regnum absolutè petendum, & panem similiter docuit: remissionem tamen peccatorum, cum hac moderatione: *Sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.* Adiunxit plane, ait Cyprianus, & addidit legem, certa, nos conditione, & sponsione constringens, vt sic nobis delicta dimitti postulemus, secundum quod, & ipsi debitoribus nostris dimittimus: scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus nisi, & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco, & in
Matt.7. 2. eodem sermone dixit: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur, & vobis.* Excusatio igitur nulla tibi in die iudicij superest, cum secundum tuam sententiam iudiceris; & quod feceris,
¶ 219. hoc, & ipse patiaris. Ita Cyprianus.
Hom.29. de pœnit. Te fecit (inquit Basilius idipsum expendens) esse medicum tui ipsius: in manu tua posuit mensuram, qua ille tibi remetiatur. Et verè nulla ratione magis tuo poterat satisfacere desiderio, quam in tua voluntate dimittens modum, quo tibi remissionem ipse concedat. Multa dixit Christus
Matt.8.13 Centurioni, illis verbis: *Sicut credidisti fiat tibi*: maiora, Chananæx, di-
Mat.15.28 cens: *Fiat tibi sicut vis*, voluntatem enim suam visus est, in illius voluntate collocare: idem tibi proponit, qui iubet dicere: Dimitte nobis, &c. sicut, & nos dimittimus. Beatus Gregorius
Lib. de ora. dom. cap. 5. Nyssenus, magni Basilij frater, integrum tractatum in horum verborum obseruationem edidit. Supponit primò, immensam Dei in nos bonitatem, qui humanam naturam conditione diuina quodammodo mutat, & vt dij fiant homines, sancit. Debitorum namque remissio, proprium, ac peculiare Dei munus, & officium est:
Luc.7. quia dictum est, quod *nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus.* Hoc
Mat.6.14. nihilominus homini concedere videtur, cui dicendum tradit; *nos dimittimus debita nostra*: nam hæc debita esse peccata, paulò infertus ipsemet exprel sit, subdens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* Nobis ergo concedit peccata contra nos commissa, remittere, ideoq; hoc dicturus bene præmisit, dicens, vt Deũ vocaremus Patrem, ad cuius nos similitudinem tenendam euexit. Qua autem ratione homo dicatur peccata contra se commissa dimittere, alibi expositum est: Annotat secũdò nulla ex re potuisse hominem magis extolli, quam ex hac, per quam sui ipsius, iudex constituitur: vt videas, Deum nolle te acriter iudicare, qui tui iudicium tibimet agendũ cõmittit. Licet (inquit) tibi, quidquid ex Deo cõmodum est, animo ingenuo atq; libero ad arbitriũ habere: ipse tibi sis iudex, ipse te tua sentẽtia absolue, ac serua: remitti tibi à Deo debita desiderans, tu dimitte, & Deus decreuerit, atque sententiam tulerit, nam iudicio de proximo q̃ in tua potestate est, qualecunque fuerit, sententia par erit, & respondebit quæ enim apud te statueris, hæc tibi per diuinum iudicium confirmabuntur. Obseruat tertio, temerarium esse, velle mente concipere omnia, quæ his verbis cõtinentur. Deus ad bene agendũ imitandus semper proponitur, cuius voluntas ipsius rectitudinis est regula; ideo dicit Paulus; *Imitatores Dei estote sicut filij charissimi.* Ipse perpetuò seipsũ ad imitandũ proponit; quia ex eius imitatione bonũ omne perficiendũ est; nunc autem nos positi sumus, quorum facta Deus imitetur: vt tu item ad Deũ dicas; Quod ego feci, fac; imitare seruum tuũ tu Domine, pauperem, & egenum, qui rerum vniuersarum regnũ obtines, remisi debita, ne tu quidem exigas supplicem repellere veritus sum, ne tu quidem supplicantem submoueas atque repellas, latum, & alacrem dimisi meum debitorem talis irẽ tuus fiat, ne tuum debitorem: meo debitore tristiorẽ reddas: ambo pariter, & æqualiter exigentibus gratias agãt, par ab ambobus remissio decernatur.

Ephes.5.1.

tuo

tuo simul, & meo debitori. Ille meus est debitor, tuus autem ego: quo animo ego sui aduersus hunc quamque de eo sententiam sequutus sum, hæc item apud te obtineat: solui, solue, dimisi dimitte magnam ego proximo exhibui misericordiam, imitare tu Domine serui tui humanitatem. Ita ille. Obseruat tandem, non dixisse; Dimitte nobis debita nostra, quæ, aut qualia nos dimittimus debitoribus nostris, breuissima enim esset regula, & mẽsura: nam quæ nos erga Deum contraximus debita, immẽsi infinitique sunt põderis, quia sunt peccata; quorũ minimũ tota natura hominũ, & Angelorum creata, & quæ creari potest, persoluere suis viribus ad perfectum non potest. Quæ autem nobis debita sunt, leuissima esse, vel hoc manifestè comprobat, quod omnis homo viuens, vanitas est: quanto igitur vaniora erunt, quæ ad eum spectant? Quod ergo dici iubemur, hoc est: Dimitte nobis debita nostra, magna, grandia, ingentia, sicut nos dimittimus debitoribus nostris, parua, leuissima, ac aerij ponderis. Si quis propter crimen proditionis, aut læsæ maiestatis, damnatus esset ad mortem, & accederet ad Regem, rogans, & dicens: Remitte mihi pœnam, quam promerui, si quidem ego remitto cuidam seruo tuo acum, aut paleam, quid diceret Rex? Quomodo tam insolentem posset ferre petitionem? Et nihilominus Rex supremus hoc nobis, qui crimina læsæ maiestatis cõmisimus, statuit orandũ: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos debitoribus nostris: vide si potest hæc misericordia vel Angelorum linguis pro dignitate commendari. Tu legem (inquit Chrysostomus) scribis de venia, & pœna, tu in tui causa fers sententiam, & an Deus peccatorum tuorum recordetur, tui iuris est, tu Dominus. Alij vigilando, inuda humo dormiendo, carnem assiduis laboribus macerando, delent peccata: facilior tibi exhibetur via: Dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus. Vide quid dicis, ne contra te ensem vt insanus, & furens stringas, &c. Diuus Augustinus sæpissimè hæc

¶ 220.

Hom. 38. in Ioan.

Serm. 170. de temp.

verba meditatus est. Expendit in primis magnam Dei misericordiam, qui quoniam quid oremus nescimus; ipse orationem, quam proferremus aptissimam, composuit, & docuit. Docuit (inquit) te pauca verba, quæ quiuis idiota potest tenere, & dicere: & in eis constituit tibi causam tuam. Docuit te ius cœleste, quomodo preceperis; nunc aduocatus tuus est, tibi supplicationem componens. Secundò obseruat, voluisse Christum nobis indicare sacrificiũ gratissimum, quod Deo offerre possimus, præstantius eo sacrificio, quod Noè obtulit, cuius odore ita Deus delectatus est, vt dixerit: *Nequaquam vltra maledicã terra, &c.* Imò, & id indicauit, quod quocunque sacrificio est Deo gratius, misericordia scil. & charitas, de qua clamat: *Misericordiam volo, magis quam sacrificium*. Quia ergo aduocatus noster Christus est; & nos agere causam nostram egregiè docuit, quia sciebat, nobis petentibus: Dimitte nobis debita nostra, illum dicturũ: Quid mihi das, vt ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers, quale sacrificium cõscientiæ tuæ imponis altaribus meis continuò docuit te, quid petas, & quid offeras. Pete: *Dimitte nobis debita nostra*, & offer *sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*. Tandem his verbis legem quandam, & pactum constitutum obseruat Augustinus: idem est enim, ac si dicat Deus: tu debitor meus es, ille debitor tuus. Hoc facio ego tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo. Quod alibi excellenter exposuit. Cum vita, inquit, ita mortalis, & fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, & orat, ne submergatur, non potest esse in quouis iusto fine qualibuscunque peccatis. Vnum est remediũ, per quod viuere possumus, quia docuit nos magister Deus, dicere in oratione: *Dimitte nobis debita nostra sicut, & nos dimittimus debitoribus nostri*. Pactum, & placitum cum Deo facimus, & conditionem soluẽdi debiti in cautione subscripsimus: Dimitte nobis, plena fiducia petimus, si & nos dimittimus: si aũt nõ dimittimus, dimitti nobis peccata

Gen. 8. 21.

Osee 6. 6.

Lib. 50. hom. homil. 40.

non putemus. Non nos ipsos fallamus. Homo se non fallat, Deus non fallit, &c. Eadem verba considerans
Serm 203. de tempo. idem Augustinus, magnam misericordiam sonare ex eo probat, quia ex nostro iudicio, & voluntate iudicat nos Deus, & quodammodo in potestate nostra collocat, quomodo iudicemur à
¶ 221. iudice. Si iudex aliquis ita à se te iudicandum decerneret, vt non nisi eo modo quo tu velles, sententiam proferendam diceret, summo te beneficio, quo nullo maius posses desiderare, afficeret. His addit Augustinus,
Ser. 137. de tempo. excellentem Dei misericordiam, qui ad remissionem peccatorum non à nobis exigit, quod fortè aliquando in nostra non esset potestate. Si peteret diuitias tradi, quid ageret pauper? Si ieiunia, quid ageret infirmus? Tantum petit quod quiuis præstare potest, scilicet dimittere. Idipsum obseruauit Chrysostomus. Vide, inquit, à
Hom 20. in Matth. nobis tota hæc res sumit exordium, futurumque de nobis in nostra est potestate iudicium. Nec enim, vel irrationabilis quispiam, aut in magno aliquo, aut exiguo delicto de iudicio Dei conqueri posset: ipsum reum, dominum illius fecit esse sententiæ. Quemadmodum, inquit, tu tibi ipse iudicaueris, ita enim tibi iudicabo: nam si dimiseris conseruo tuo, à me quoque eandem gratiam consequeris. Posset absque hoc omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista conferre, mille tibi occasiones pietatis suæ ministrans, & quod in te belluinum est de pellens, iram, furorem, &c. Beatus Leo Papa hoc quod
Serm. 5. Dom. 1. Quadrag. Christus dici iubet, vocat sacratissimum pactum, & hortatur, ne exactor sis vindictæ, qui petitor es veniæ. Dicentes enim: Dimitte sicut dimittimus, durissimis nos vinculis illigamus, nisi quod profitemur, impleamus. Hæc ferè omnia Diuus Gregorius eleganti stylo complexus est. Ecce, inquit, in nos grauiter inimicus deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persequutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent: aduocatus etenim noster, precem nobis in causa nostra compo-
Hom 27. in Euang. ad fin.

posuit; & ipse eiusdem causæ iudex est qui aduocatus; preci autem quam, cõposuit, conditionem inseruit, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris, vt nosmetipsos hoc dicendo amplius ligemus. Aut fortassis conditionẽ hanc in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem, quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio, quam feci. Ita ille. Itaq; singulari consilio Christus nobis tradidit modum, quo remissionem peccatorum peteremus, vt simul nos ipsos obligaret, ita petere, remitti debita nostra, vt simul ore proprio profiteremur, nos debitoribus nostris remisisse. Multa alia obseruant sancti Patres, sed hæc sufficienter ostendunt, ad obtinendam peccatorum remissionem, necessariam esse dilectionem inimici, & remissionem offensæ, quam nobis intulit. Cæterum obseruandum est ex B. Augustino, aliquos perperam intellexisse hãc doctrinam, existimantes per solam remissionem offensæ, omnia peccata ita dimitti, vt quamuis homo per totam vitam in eis permaneat, censeantur nihilominus sibi dimissa vniuersa, si offensas contra se commissas ille dimiserit. Putant, inquit Augustinus, eis qui perditè vixerint, donec claudant diem huius vitæ extremum, per hanc orationem qualiacunque, quantacunque fuerint, omnia quotidie peccata dimitti, sicut ipsa quotidie frequentatur oratio, si hoc tantummodo custodisse meminerint, vt quando ab eis veniam petunt, qui eos peccato qualicunque læserint, ex corde dimittant. Hunc errorem euidenter confutat Diuus Augustinus, demonstrans, intelligendum esse, quod Christus docet, dimitti peccata, dimittentibus, quia non dimittit Deus non dimittentibus: sed vt ijs dimittat, necessarium est, vt à peccatis desistant, & faciant fructus dignos pœnitentiæ. Vult ergo Christus dicere: quod dimittentibus dimittetur, nisi aliudi impediat ex alia parte. Huius occasione multa dicit tibi Diuus Augustinus suo ingenio digna, ibi videndа:

Lib. 21. de ciui. c. 22.

Eod. lib. c. 27.

quod

quod autem peculiari consideratione dignum tradit, statim erit exponendum.

§. 8. *Quæ, & quomodo remittantur delicta, remittentibus offensas, factum, & verba Dauidis aptè declarant.*

¶ 222 VT quæ tradere cœpimus; fiant manifestiora. explicandum restat, quænam peccata homini dimittantur, ex eo quod ipse debitoribus suis remittit offensas, & de quibus peccatis id intelligendum sit: *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet & vobis Pater vester peccata vestra.* Videtur nam q; Diuus Augustinus censere, tantum venialia, quæ quotidiana dicuntur, remitti: nam respondens ijs, qui dicebant, per solam offensæ remissionem omnia peccata dimitti, etiam nulla alia pœnitentia addita, imò permanente homine in peccato, postquam id falsum comprobauit, addit: Oratio verò quotidiana, quam docuit ipse Dominus, vnde & Dominica nuncupatur, delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidie dicitur: Dimitte nobis debita nostra. Idque duobus argumentis confirmat ex ipsis Christi verbis desumptis: nam ipsa verba tanti magistri & Domini nostri vigilanter intuenda sunt: primum, quia non dicit: Quæcunque debita, sed absolutè, debita, aut peccata, quo nomine absolutè prolato, ea intelliguntur, sine quibus nec Sancti vitam agunt. Secundum, quia verba intelligenda sunt, conuenientia ijs, quibus Dominus loquebatur, qui erant eius discipuli iusti. Considerantes igitur quibus loquebatur, & audientes absolutè dictum, peccata vestra, nihil aliud debemus existimare, quam parua, quoniam talium iam non erant magna. Ita ille, cuius doctrina explicanda est: quia videtur prima facie falsa. Ipsemet tamen Augustinus si attentè legatur, ita explicat, vt verissima sit, & obseruatione maximè digna: vult namque docere, vnde habeat Dominica oratio vim, quam illi Theologi tribuunt, remittendi peccata venialia: & docet, ex eo, quod illam dicentes, actum facimus, quo communes offensas contra nos commissas remittimus. Et ideò obseruat Augustinus, hanc orationem verè istum habere effectum, si quod ore profertur, corde perficitur, & id fit, quod dicitur; cum videlicet ita oramus, vt verè actu interno dimittamus propter Deũ offensas, contra nos commissas, quales quales illæ fuerunt. Sicut ergo cũ communiter oramus, generaliter loquẽdo, communes offensas intelligimus, quas communis vita fert, etiam à familiaribus & amicis; ita per illum communiũ peccatorum, sine quibus vita ista non agitur, remissionẽ obtinemus. Ex quibus, explicat Augustinus, quo affectu oratio Dominica dicenda sit, quã tanquam antidotũ Dominus tradidit, quotidie dicẽdam, vt quia quotidiana sunt peccata, quotidiana medicina purgentur. Ita enim oratio proferẽda est ore, vt dicere possimus cum Dauide: *Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis*, idest (ait Augustinus) quã effundo, non in labijs mendacibus. Labia mendacia sunt, quæ cõtra id, quod in corde est, proferunt verba. Multi dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, in labijs orant dolosis: illis debita non remittuntur, sed qui fidelibus labijs deprecantur, ore id proferentes, quod corde perficiunt. Itaque peccata venialia quotidie per hanc orationem tolli, docet Augustinus. Non tamen vult negare, etiam peccata grauia, & particularia dimitti, cum quis propter Deum, particulares, grauesque offensas remittit. Absolutè namque Christus loquitur, & qui absolutè, & simpliciter dicens: *Si dimiseritis hominibus peccata*, voluit nõ solum leuia, & communia, sed grauia, & particularia comprehendere: absolutè dicens: *Dimittet vobis Pater vester peccata vestra*, etiam

Matt. 6. 14
Lib. 21. de ciuit. c. 27.
Psal. 16. 1. iuxta Ps. 16.

particularia grauiſſimaque peccata voluit exprimere. Vnde expreſsè idem Auguſtinus, ſi attentè legatur, paulò inferius ſatis manifeſtè tradit, grauiſſima etiam peccata dimitti dimittẽtibus offenſas, ſi alia ex parte impedimentũ remiſsioni nõ opponant. Itaque remittẽti tibi ex corde offenſas quotidianas & cõmunes, à familiaribus & quibuſuis contra te commiſſas, remittet tibi Deus offenſas familiares, & cõmunes fragilitati humanæ, qualia ſunt peccata venialia: remittenti tamen tibi aliquam grauem, magnamque offenſam contra te factam, graues magnaſq; offenſas, quas contra Deum commiſiſti, remittet ille, ſi aliàs impedimentũ non apponas. Et verè ita docent Scripturæ ſacræ, quæ, vt D. Chryſoſtomus obſeruat, remiſsionem offenſæ vocant iuſtitiam (ita intelligit illud: *Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam*) non quod homo per illã de iuſtitia mereatur remiſsionem culpæ: hæc enim non cadit ſub meritum, ſicut nec prima gratia, quæ gratis confertur, vt ex ſacris Scripturis & Patribus demonſtrant Theologi, cũ D. Thoma; ſed quia quando remiſsio fit propter Deũ, & eo modo quo fieri debet, maximè adiuuat, vt dixit D. Auguſt. & mirificè ad remiſſionem peccatorum obtinẽdam, & magnam fiduciam præſtat ad illam petendam, & impetrandam ratione diuinæ promiſsionis, quam S. Leo Papa pactũ ſacratiſsimum vocat; ratione cuius, id quod ait Auguſtin. dicere Deo poſſumus: *Redde quod promiſisti, quia facimus quod iuſſisti.* Vnde apud Lucam, ita Chriſtus dixit, à nobis dicendum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſiquidem et nos dimittimus omni debenti nobis.* Aduerbium enim illud *ſi quidem*, vim obtinet cauſalis, & motiui, vt velit dicere: Dimitte nobis, quia nos dimittimus. Ita idem Auguſtinus expreſsè docuit, cuius ſententiam alibi citauimus, qui poſtquam tradidit, ſæpè dæmonẽ nos in peccata conijcere, indicat remediũ, quo illorum remiſsionẽ obtinere poſſimus. Omnia, inquit, delentur, cùm ex vero corde, & plena fiducia dicimus. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Dic toto corde, dic tota fiducia, dic ſecurus: Dimitte nobis, ſicut: & nos dimittimus, &c. Vis, inquit, vt dimittam? dimitte. Aliquid & cõtra te, teneo, aliquid & tu cõtra alterũ tenes dimitte, & dimitto. Aliquid petis à me, aliquid petit alter à te. Da, & do, &c. Hinc intelligemus Pſalmum Dauidis ſextumdecimum, quẽ, vt Baſilius cenſet edidit, cùm duras, & acres perſecutiones, ac iniurias à Saule pateretur, quas quam libenti animo propter Deũ remiſerit, ſacra narrat hiſtoria. Ad Deum igitur conuerſus primo petit, vt ad inſtar iudicis recti, rectum ergà id quod prætendit iudiciũ proferat. *Exaudi*, inquit, *Domine iuſtitiam meam.* In Hebræo, non eſt pronomen, *meam*, ſed tantum: *Exaudi Domine iuſtitiam.* Quaſi dicat: Id peto fieri, quod iuſtitia ipſa expoſcit: eo modo, quo is, cui ſua eſt explorata iuſtitia, iudicem interpellat dicens, vt id pronũtiet, quod iuſtitia ipſa ſuggerit & clamat: *Intende deprecationem*, quia id fieri peto, quod iuſtum eſt. *Auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis*, ſubde, proponentem res confictas, aut dolo excogitatas, ſed quas verè, & ſyncero corde exequutus ſum. *De vultu tuo iudicium prodeat*: omnia nuda, & aperta ſũt oculis tuis, in quos nullus error, aut deceptio cadere poteſt: vidiſti quæ promiſiſti, vidiſti itidem quæ feci: ſicut res ipſas oculis, & vultu agnoſcis, iudicium proferto. *Oculi tui videant æquitatem*, id quod iuſtum & æquũ eſt pronũcia. Hæc procemij loco ſubiecit Dauid: & deinde ad rem ipſam exponendam progreditur, & quidnã ſit, in quo iudicium fieri poſtulet, exponit: *Probaſti*, inquit, *cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas, vt non loquatur os meum opera hominum.* Nox vocatur in ſcriptura, tempus afflictionis & perſecutionis. *Nocte* (ideſt, tempore afflictionis, & tribulationis) *tacere feci matrem tuam*, dixit apud Prophetam. Illud propterea vult exprimere tempus, quo grauiſsimas à Saule paſſus eſt perſecutiones, quas quomodo tulerit, exemplo auri explicat, quod tunc clariores radios emittit, quando maioribus ignis flammis exurendum videtur: ita

Dauid,

In Pſal 7. *Pſal. 7. 9.* *1. 2. q. 114. art. 5.* *In Enchir. c. 71. & 72* *Serm. 5. Domin. 2. Quadr.* *Luc. 11. 4.* *In illud Pſal. 143. Miſeri. mea.* *Scholaſt. in Pſ. 16.* *Pſal. 16.* *Oſee 4.* ¶ 224

Dauid, cum maiores persecutiones passus fuit à Saule, maioribus charitatis radijs ardentissimis, & splendidissimis, illum prosequebatur; ei remittebat offensas, quas ingentibus beneficijs compensabat, vitam seruans illius, & honorem illi supremum exhibens. In grauissima igitur persecutione positus, nullatenus in me inuenta est iniquitas odij, aut persecutionis erga illum, imò nec verbum malum de ore meo prodijt. Ita enim me gessi, vt nec *os meum loquutum fuerit opera hominum*. Attendè egregiam dicendi phrasim. Opera hominum communiter vocamus, vindictam, & vltionem erga inimicos. Dicimus namque, hoc hominum opus, diligere amicos, & odio, & persecutione prosequi inimicos; & communiter eum hominem reputamus, qui vltionem de inimico sumpsit. Hæc hominum opera, inquit Dauid, non solum non re ipsa perfeci, sed nec ore loquutus sum: quia nunquam, vel minimum verbum de vltione sumenda protuli. Quid igitur fecisti? *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*. Similiter considera optimum loquendi modum. Vias faciles, & appetitui suaues vocat, amare amantem, benefacere benefacienti, benedicere benedicenti, odire odientem, persequi persequentem, maledicere maledicenti, at diligere odientem, benefacere persequenti, benedicere maledicenti, vias duras, quia contra carnis inclinationem sunt, meritò vocat. Has, inquit Dauid, custodiui, & perambulaui, non ab eis, vel leuiter deflexi. Id autem feci: *Propter verba labiorum tuorum*, quibus præcepisti, & promisisti remissionem peccatorum, & veniam, illa seruantibus. Hæc præcepisti sub promissione, hæc ego perfeci sub spe: iudica ergo, & sententiam profer to: redde quod promisisti, quia feci quod iussisti. 1. *Reg.* 26. Et verè visus est Dauid alludere ad factum illud insigne, quando Saulem se persequentem, quem dormientem inuenit, potuit occidere, contentusque fuit solummodo hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput illius, secum ferre, hoc ipso euidenter demonstrans, potuisse tam liberè illum perimere, & vitam eripere, sicut potuit, quæ illi erant proxima auferre. Possumusque annotare, iuxta Beati Chrysostomi institutionem, quam alibi cœpimus indicare, Dauidem voluisse appropinquare Sauli, & manum extendere ad lanceam, & vas, quæ ad caput Saulis erant, vt mortificaret cor suum, & appetitum carnalem irascibilis: sicut qui magna siti exardescit, & ad aquam labia appropinquat, quam bibere eis non concedit: sicut etiam ipsemet Dauid fecerat, quando quam summopere eius appetitus concupierat, tenuit quidem, manu appetitui suo eam repræsentans, sed illum magna mortificatione affecit, non concedens illam bibere, quam Domino offerebat, ipsam effundens, & non bibens, quam facilè bibere poterat. Non dubium, quod appetitur inferior Dauidis, vehementer ¶ 225. optabat Saulem interficere: Dauid volens eum mortificare, ad Saulem accessit, iuxta illum se constituit, manus liberè circa eum mouit, auferens quæ voluit auferre, hoc ipso proponens appetitui suo Saulis vitam, quam facillimè poterat auferre, & quod eius persona erat suæ dispositioni subiecta, quem tamen nec leuiter voluit contingere, sed appetitum suum, & motum, ac affectum carnis suæ mortificabat, vitam Saulis nolens tangere, sed Deo illam tanquam gratum sacrificium offerre. Propter verba enim Dei has vias duras custodiuit. Positus deinde Dauid ex aduerso in vertice montis, vocansque Abner, excitatus est Saul. *Vox*, inquit, *hæc tua fili mi Dauid?* Et ait Dauid; *Vox mea Domine mi Rex. Quam ob causam Dominus meus persequitur seruum suũ? Ecce hasta Regis, & Dominus aũt retribuet vnicuiq; secundum iustitiam suam, & fidem: tradidit te enim Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini, & sicut magnificata est hodie anima tua in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini*. Omnia verba singulari animaduersione sunt digna, primò illa: *Retribuet vnicuique Dominus secundũ iustitiam, & fidem*. Fidem enim

vocat

vocat illam quam habebat, dum in Rege impio, quem videbat, Deum quem non videbat recognoſcebat, & venerabatur; ideoque vt Beatus Chryſoſtomus annotauit, eum vocauit *Chriſtum Domini*, Dominum in illo reueritus. Diximus ſupra, quomodo ſecundùm fidem agendum ſit cum inimico, in ipſo Chriſtum, & eius promiſſiones viua fide contemplantes. Aut verò fidem ſumit pro fidelitate, quæ in pactis tenetur, vt velit dicere, Deum redditurum cuique iuxta ea, quæ fecerit in legum ſuarum obſeruatione, quam propterea iuſtitiæ copulauit, dicens, *ſecundùm iuſtitiam, & fidem*: Vocat enim iuſtitiam, meritum quod ſibi quis comparat, ſeruans quæ Deus ſub promiſſionibus præcipit, hoc ipſo illas ſibi debitas de iuſtitia faciens. Secundò obſerua illa verba; *Sicut magnificata eſt anima tua in oculis meis, ita magnificetur anima mea in oculis Domini*. Exprimere namque vult, quid ſibi ex opere ſuo acquiſierit; quia ex eo quod ipſe propter Deum Saulem ita magnifecerat, vt eum occidere poſſet, potius ſeruaret, & vitam ei concederet, & incolumitatem, ita ſe à Deo æſtimandum, & ſeruandum inferebat, quia nota iam ſibi erat, quæ poſtea Chriſtus clarius expreſsit dicens, eadẽ menſura, qua menſi fuerimus, remetiẽdos eſſe, & imponens nobis dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris*.

Hom. 2. & 3. de Saule & Dauide

§. 9. *Remittere offenſas, diſponit ad peccatorum remiſſionem, vt Dauid oſtendit, & Chriſtus orans pro inimicis in Cruce mirificè explicauit.*

¶ 226. In Pſal. 38 Pſal. 38. 9.

IDipſum annotauit Beatus Chryſoſtomus, expendens illa eiuſdem Dauidis verba: *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me, opprobrium inſipienti dediſti me, obmutui, & non aperui os meũ*. Loquitur Dauid de eo, quod factum eſt, quando ipſo fugiente rebellem filium ſum Abſalon. Semei inſ occurſum eius egreſſus, verbis factiſque acri perſecutione, & continuelijs afflixit. Volentique Ioab vltionem ſumere, dixit Dauid: *Dimitte, vt maledicat, iuxta præceptum Domini, ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*. Verba omnia conſidera. *Dimitte*, inquit, *vt maledicat, iuxta præceptum Domini*. Annotabamus ſupra illa verba Domini ad Iob: *Nunquid theſauros grandinis aſpexiſti, quos præparaui in diem pugnæ, & hoſtis?* Cõſultò non dixit Deus, ſed grandinem congelare, aut efficere, ſed quod eo vtitur ad pugnam contra hoſtes, ex quo ingentes theſauros extrahit: grandinis enim nomine impios perſequentes, & impiè agentes intelligit. Deus illorum voluntatem non facit prauam, nec quod in frigidiſſimum grandinem concreſcat: id ſiquidem operatur malitiæ frigiditas, quæ in illa reperitur, ipſa tamen Deus aptè vtitur ad victoriam de inimicis ſuis reportandam. Sæpè namque per impios, tanquam immiſſo grandine omnia vaſtante, illos qui ſe offenduut, punit: quomodo per Reges Chaldæorum Ieroſolymam, eiuſque populum caſtigauit, qui, & Aſſur propterea vocauit *Virgam furoris ſui*. Hoc grandine agit contra offendentes ſe, inde magnos thesauros trahens; nam per huiuſmodi flagella, virgam, & perſecutiones, eos qui peccauerant, ad pœnitentiam adducit, culpas eorum pœnis excutit, & trahit vt conuertantur ad Deum punientem, quem benignè agentem contempſerant. Hoc ergo conſideranit Dauid, videns Semei verba contumeliæ eiſutientem, & lapides contra ſe mittentem, quod quamuis Deus illius voluntatem non fecerit iniquam, eatamen vtebatur ad vindictam de peccatis ſuis ſumendam: ideò non attendebat illa, quæ Semei faciebat, & loquebatur, tanquam ab ipſo prodeuntia, ſed tanquam flagella per quæ Deus illius delicta caſtigare intendebat. Hocque, inquit Baſilius, debet is qui inimicos patitur conſiderare: excitantur enim Dei peculiari permiſſione,

2. Reg. 16. 7.

Iob 38. 22.

Eſai. 10. 5.

Hom. de Ira 10.

sione, vt puniant offensas contra illum commissas, & peccatores à peccatis, quibus se tradiderant, auertat. Nam inter alias pœnas, quibus Deus eos, in quos aduertere vult, vti solet, non infimum locum, imò supremum tenet persecutio inimicorum. Eo ipso quod Salomon à Deo defecit, *Suscitauit Dominus aduersarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio.* Insuper *suscitauit quoque ei Dominus aduersarium. Razon filium Eliada.* Deinde *Ieroboam quoque filius Nabach Ephrataus leuauit manum suam contra Regem, &c.* Ita intelligi potest illud Dauidis, qui quid ageret, cùm inimici eum persequebantur, exprimit, *Surgentes testes iniqui retribuebant mihi mala pro bonis: ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam.* Hæc omnia signa sunt animi pœnitentis, quia eo ipso quod Dauid inimicos patiebatur, timebat ne pro peccatis talia sustineret, ideoque tunc ad agendam pœnitentiam se conuertebat. Deinde expende illud: *Si fortè respiciat Dominus*: quamuis enim, *fortè*, vt Beatus Ambrosius annotat, sæpissimè aduerbium sit dubitantis, aliquando tamen est nota certissimè confidentis. Et verè Dauid, ex eo quod dimittebat propter Deum offensam, grauissimam contra se commissam, quam poterat iustè punire (quia Rex erat, & Semei ei subditus) certissimam concepit fiduciam, sibi à Deo dimittenda peccata, aut pœnam peccatis debitam. Idcircò statim post illud factum, Psalmum edidit orans; *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me, opprobrium enim, & contumeliam*, qua me affici voluisti, patienter tuli, *obmutui, & non aperui os meum*, non vltus sum, nec vltionem de illo sumi permisi. Ad omnium ergo peccatorum remissionem, mirificè disponit alicuius grauis iniuriæ, aut offensæ propter Deum remissio. Et certè si vera est illa beatæ Sarræ nurus Tobiæ loquentis ad Deum, sententia: *In tempore tribulationis peccata dimittis ijs, qui inuocant te:* nulla maior tribulatio, quam illa, quam excitat persecutio grauis, & calumnia inimici. Quando illam quis patitur, tempus est inuocandi Dominum, & petendi remissionem, quam *tempore opportuno*, petendam dixit Dauid. Hinc rationem colligo eius, quod Christus egit; qui in Cruce eleuatus, primum omnium, antequam ad dilectissimam matrem, & discipulum electum verba faceret, antequam spiritum suum patri commendaret, se totum, ad orandum pro inimicis conuertit, dicens: *Pater ignosce illis, &c.* Cuius rei varias Sancti Patres rationes meditati sunt: duas ad nostrum institutum sæpè consideraui. Prima, quia id opere voluit perfectissimè complere, quod sermone docuerat. Dixerat eum, qui oblaturus est sacrificium, ita cor suum ab ira, & dissensione purgatum habere debere, vt si ante altare recordetur, fratrem suum aliquid contra illum habere, antequam sacrificium offerat, reconciliandum fratri. Accessit Christus ad altare Sanctissimæ Crucis, ad offerendum supremum illud infiniti valoris sacrificium, posset que aliquis, qui non nouerat eius charitatem existimare, se vehementer contra inimicos commotum, iraque succensum, à quibus tot tantaque iniustissimè patiebatur: primum omnium ostendere voluit, cor suum tam liberum ab ira, & odio contra illos, vt nihil illi esset charius salute ipsorum, quam tam grandi affectu exoptabat, quanto eius orationis verba ostendebant. Secunda, certum est Christum Dominum nullum habuisse peccatum proprium, omnium tamen hominum peccata super seipsum assumpsisse, pro illis satisfacturum. *Posuit enim Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Vt autem plenè pro illis satisfaceret, ita illa assumpsit, ac si sua essent; vnde vt annotauit Beatus Augustinus, & sua ille vocauit, dicens: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, qua de causa dicitur *factus pro nobis maledictum.* In Cruce autem iam eleuatus, pro illis patiens, omnium illorum remissionem obtinere parabat; doctrinam proinde, quam verbo docuit, opere exercuit. Vt sibi peccata remitterentur, quæ tanquam sua sibi imposita erant, primò quæ contra se com-

3. *Reg.* 11. 14. 23. 26. ¶ 227. *Psal.* 34. 2. *De pœnitent. c.* 5. *Tob.* 3. 13. *Psalm* 31. *Luc.* 23. 34 ¶ 228. *Esa.* 53. 6. *Epist.* 120. *ad Honoratum.* *Psal.* 21. 2. *ad Gal.* 3. 13.

commissa erant, quantum erat ex se, remisit, & remitti à Patre postulauit. Vnde, & Esaias in illa famigeratissima prophetia, qua Euangelistam se exhibere videtur, hæc duo coniunxit: *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Expende vim illius adiectiui, *multorum*. Ponit, inquit Diuus Augustinus, aliquando Scriptura, pro omnibus, *multos*, propterea, & Abrahæ dictum est: *a Patrem multarum gentium posui te*, cui tamen, & alio loco: *b In semine, inquit, tuo, benedicentur omnes gentes.* Ita, & Daniel *c*: *Multi dormientium in terra aggere exurgent*, quod dixit Apostolus *d*, *Omnes quidem resurgemus*, & Christus *e*, *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem, &c.* Cæterum Hebræa vox grande mysterium indicat. In Hebræo habetur vox *Rabim*, quæ sæpè in Scriptura non solũ multos, sed infinitos significat, qui nullo numero comprehendi possunt: imò, & quod omnem numerum excedit, quæ vox habetur, cùm dicitur, *Vincitur numerus magnitudine*. Itaque idem est, peccata multorum, quod omnium, & plusquam omnium: non enim solum satisfecit pro peccatis omnium hominum, qui sunt, sed qui esse possunt, etiam si infiniti darentur mundi. Si ergo Christus ad remissionem peccatorum obtinendam, promittit remissionem offensarum contra se commissarum, quantò magis nos id agere tenemur, vt ad omnium peccatorum dimissionem adiuuet, & disponat?

Esa 53.12.

Lib. 20. de ciuit c. 23. ad finem.

a *Gen. 17 4*

b *Gene. 22. 18.*

c *Dan. 12.*

d *1. Cor. 15. 51.*

e *Ioã. 5. 28.*

1. *Paral. 22. 14.*

§. 10. *In Esau ostenditur reprobatio vltorum, quam exposuit Christus, explicuit Esaias, & Amos in scelere Edom.*

¶ 229.

HIs adde, nihil magis congruum esse diuinæ bonitati, & conditioni, quam charitatem, per quam dimittuntur offensæ, & diliguntur inimici: *Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; nihilque magis contrarium illi, quam odiũ, per quod vltio de inimico expetitur. Et sicut nihil magis inclinat Deum, ad remittendas contra se offensas, quam nos remittere contra nos commissas, ita nihil magis continere eius bonitatem, ne nobis indulgeat, quam nolle nos alijs indulgere. Hoc satis euidenter demonstrat illa parabola sæpius inducta de Rege, qui seruo, cui omne debitum iam dimiserat, iterum voluit sibi integrè persolui, & remissionem factam, irritam fecit, & debitum extinctũ iterum reintegrauit, quia ille postea noluit conseruo suo sibi debita remittere. Et quidem hæc non ideò à Christo Domino dicta sunt, quasi Deus, peccata quæ semel dimisit, iterum integrè persolui, & puniri velit: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei*, & peccata dimissa, per sequens peccatum, absolutè loquens nõ reuiuiscunt, vt Theologi cum D. Thoma docent, sed argumentum euidentissimum voluit proponere, ad ostendendum, nulli qui non remittit, expectandam esse remissionem; si namque Rex debitum iam dimissum, & extinctum voluit in pristinum statum restitui, ac si non dimissum esset, quia post dimissionem seruus conseruo non remisit, certissimum est, quod si seruus prius remittere nolens conseruo, sui debiti remissionem ab illo exposceret, nullatenus eam Rex concederet, nec debitum condonaret. Et hoc tanquam certissimũ de Deo nobis tradidit, subdens: *Sic faciet Pater meus cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Et verè in hunc mundum ideò venit

1. *Ioan. 4. 16*

Matth. 18.

ad Rom. 11. 29.

vt

In Ps. 102. Faciens misericordias Dominus. (vt obseruat Beatus Augustinus) vt peculiariter demonstraret, vindicatori non esse remittenda peccata, nisi à vindicta desistat. Ideò, inquit, venit Christus, de quo tanto ante dictum est: *Ex ore infantium, & lactentium, perfeciſti laudem, vt deſtruas inimicum, & vindicatorem*, id est, eum qui se voluit vindicare, vt non illi dimittantur peccata sua. Est vehemens animaduersor, & punitor eorum, qui dilectionem inimicorum contemnunt, inquit Chrysostomus. In huius confirmationem annota, in Scripturis Sanctis, Deum erga nullum peccatorum genus, se acriorem, & duriorem exhibuisse, quam erga vindicatores, & osores inimicorum. Mirum est, quanta ira excandescentem, se Deus ostendat perpetuò contra Esau, & eius progeniem. Illum ponit typum reproborum Apostolus, sicut Iacob prædestinatorum, illud inducens, quod dictum est; *Iacob dilexi, Esau odio habui*: in illo enim, reproborum mores, sicut in isto electorum, videre licet, vt annotauit Diuus Augustinus. Ideò, & Iacob, dicitur filius repromissionis, cui hæreditas seruata est, & mansit in domo in perpetuum: Esau autem illa electus est, paterna hæreditate priuatus. Similiter Esau figuram peculiarem vindicatorum tenuit, de quo dicitur, quod ex vtero *egressus, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus*: qua de causa postea vocatus est *Sehir*, vt ait Diuus Hieronymus, quia pilosus erat, & hispidus, ex quo montes, quos incoluerunt Idumæi, qui ab illo orti sunt, vocati sunt *a Monte Sehir*, de quibus Ezechiel; cuius illa fuit perpetua, & perennis vox *b*: *Occidam fratrem meum*. Iacob autem *c*, *Vir simplex, habitans in tabernaculis*, id est in societate, & *lenis* typum tenuit eorum, qui benignos, & misericordes, & lenes se exhibent, diligentes omnes, etiam inimicos. Hinc factum est, totam Scripturam sacram plenam esse promissionibus, & benedictionibus in Iacob, & eius filios, aut imitatores, & minis ac maledictis contra Esau, & eius successores. Benedictiones, & promissiones in Iacob notæ sunt, tam in libris historicis, quam propheticis. Mirum est, quibus promissis Deum illum prosecutus fuerit, quando timens iram fratris sui, pacem seruare cupiens, quasi exul à paterna domo secedens, in desertum venit, & affectus tristitia, somno se tradidit, vidit scalam illam celebrem, Angelos ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, quo, vt annotat Rupertus, prouidentiam, quam erga illum habebat per se, & per Angelos suos voluit Deus demonstrare, & magnificis promissionibus eum consolatus est: *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, terram in qua dormis dabo tibi, & semini tuo, eritque semen tuum quaſi puluis terræ, &c. Et benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ, &c.* Vere iam tunc ostendit, quod postea dixit; *Beati mites, quoniam poſſidebunt terram*. Et iterum apparens ei, benedixit ei dicens: *Creſce, & multiplicare, &c. Reges de lumbis tuis egredientur, &c.* Et huiusmodi sunt innumera. Similiter apud Prophetas loquentes de eius successoribus, aut imitatoribus, de quibus Dauid *a*: *Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quem dilexit*, & *b*, *Exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael*, & *c*. *Filij Iacob electi eius*. Et apud Esaiam *d*: *Miſerebitur Dominus Iacob*, & *e*, *Tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, &c. Ne timeas quia ego tecum ſum, &c.* Et *ſuſcepit te dextera iuſti mei: ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te, &c.* Comminationibus similiter plenæ sunt Scripturæ sacræ, contra Esau, & eius filios, aut verius imitatores, qui inimicitias tenent, inimicos odio, maledictis, & malefactis perpetuò insequuntur. Aliqua loca breuiter, expendo. Primus est ille Esaiæ, vbi iuxta Sanctorum sententiam, signanter Diuus Hieronymi, de extremo iudicio verba facit. Incipit propterea omnes conuocare, vt omnes pariter audiant, quod ad omnes spectat. *Accedite gentes, & audite, & populi attendite audiat terra, & plenitudo eius &c. Quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, &c.* Hæc in cõmuni præmittit; statim autem inducit Deum summa ira commotum, gladium acutissimum ferentem, exprimentemque

In ca. 1. Amos, & in Abdiam.

a Ezec. 35. 2.

b Gene. 27. 41. & Abd 1. 10.

c Gene. 25. 27. 27. 11.

¶ 230.

Hom. 16. in Matth.

Rom. 9. 11. Mal. 1. 2.

Lib. 16. de ciu. cap. 32. 35. 42.

Gen. 25.

Gen. 28. 13

Matt. 5. 4.

Gen. 35. 10

a Pſ. 46. 5.
b Pſ. 52. 7.
c Pſ. 104. 6.
d Eſa. 14. 1
e Eſa. 41. 8

Eſai. 34. 1. 2.

In cap. 34. Eſai. & ex profeſſo lib. 2. cont. Pel. 30. 2.

camque contra quem sit magno furore acturus. *Inebriatus est*, inquit Deus, *in cœlo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ ad iudicium, &c. Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Magnam emphasim habent illa verba: *Inebriatus est in cœlo gladius meus.* Idumæa, aut Edom, erat terra, quam incoluit Esau, cuius habitatores erant eius filij, quos appellat *populum interfectionis meæ*, ideſt, quem peculiariter interficiendum assumo, contra quem gladium meum singulariter distringo. In Hebræo, populum anachematis mei, aut populum anathemizatum. Diximus supra, Christum peculiariter venisse ad anathematizandum vindicatores, & leges duelli: contra hos omnes, gladij sui vires conuertet, ita vt *gladius Domini repletus sit sanguine*. Idumæa, inquit Hieronymus, interpretatur sanguinaria: erat namque Esau sanguinàrius, non solum colore, quia rufus, sed animo implacabili: contra sanguinarios gladius Domini ita desæuiet, quod repletus sit sanguine. Et quamuis tunc contra omnes peccatores terræ, gladium sit conuersurus, sed *victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*. Edom ipsa Idumæa erat terra Esau, & sectatorum eius. Bosra duplex est, altera in Moabitarum regione, de qua Ieremias, altera in terra Idumeæ, de qua sæpè Esaias, quæ erat ciuitas præcipua illius. Bosra enim Hebraicè, idem est quod munita. Victimam autem vocat, inquit Theodoretus, iugulationem, & stragem magnam. Contra omnes peccatores procedet Deus, sed vbi magna erit strages, vbi gladius tanquam in proprium obiectum procedet, erit in vindicatores, de quibus peculiariter illud Diuus Augustinus intepretatur: *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Secundus locus sit, ex Propheta Amos. Erat ille ex pastoribus Tecuæ, quem Deus Prophetam elegit, & misit, vt illum, tot tantisque hominum peccatis offensum, prædicaret iam vindictam parantem, & diceret: *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam*: id est de templo, quod monti Sion adiacebat. De Ierusalem, vbi Deus sedem suam habere dicebatur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.* Et quamuis hoc ipso, quod dixit, Dominus rugiet, & dabit vocem suam, satis explicarit horrorem, quem omnes possent concipere: rugire enim dicitur, metaphora sumpta à leone, quo rugiente omnes timent: & *Vox Domini confringit cedros, & comminuit eas, &c. Concutit desertum, &c.* & mortem fortissimis infert, cum increpat: *Ab increpatione* namque *eius dormitauerunt qui ascenderunt equos*, id est, fortissimi Duces, equites, & milites: tamen exprimere voluit Amos, quam fuerit horribilis Dei rugitus. *Luxerunt*, inquit, *speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli*. Carmelus erat mons, non ille, in quo vixit, & sacrificauit Elias, qui est in tribu Zabulon, longè distans à Tecua, in qua Amos morabatur, sed is, in quo Nabal pascebat pecora sua, à quo, & Carmelus vocatus est, qui fertilissimus erat, Tecuę propinquus. Tam horrendus fuit sonus vocis, & rugitus Dei, vt pascua speciosissima omnem amiserint pulchritudinem, & vertex Carmeli fuerit siccatus, metaphora sumpta ab homine, rubro colore fulgente, qui ad vocem horrendam, colorem pulchrum amittit, & pallidum contrahit. Et si quæras: contra quem peculiariter, vocè istam horribilem Deus profundet? Id exponit dicens; Deum iratum contra Damascum, Gazam, vbi erant Philisthæi, & Tyrum; quorum nomine infideles intellexit. Signanter autem eum contra Edon, exhibet vehementi furore concitatum dicentem; *Super tribus sceleribus Edon, & super quartum non conuertam eum.* Et quodnam hoc quartum est? *Eo quod persequutus est in gladio fratrem, violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.* Erant habitatores Edom, aut Idumæi, descendentes Esau, non solum filij illius secundum carnem, sed verius secundum mores; nam sicut Esau odio perpetuo, & implacabili persequutus fuit Iacob fratrem suum, ita Idumæi sem-

per

Forerius,

Li. 2. cont. Pelag. cit.

¶ 231.

Ier. 4. 8.

in cap. 34. Esai.

Lib. 21. de ciu. ca. vl. Iacob. 2. 13

Amos. 1. 2.

Psal. 47. 1.

Psal. 28. 5.

Psal. 75. 7.

3. Reg. 11.

1. Reg.

per se exhibuerunt crudeles hostes populi Israelitici. Tria autem singulariter commisit scelera, quæ Deo valdè displicuerunt: primum cum procedentibus Israelitis ex Ægypto in terram repromissam, misit Moyses nuncios ad
Num.20. Regem Edom, qui dicerent. *Hæc mandat*, id est, ad te mittit dicenda, *frater tuus Israel: Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos, quomodo descenderint patres nostri in Ægyptum, &c. Obsecramus, vt nobis liceat transire per terram tuam: non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, &c.* At ille non tantum transitum non
¶ 232. concessit, *sed statim egressus est obuius, cum infinita multitudine, & manu forti, &c. quamobrem diuertit ab eo Israel.* Secundum cum ipse primus extitit, qui contra regnum Israelis suscitatus fuit. Subiecerat Dauid omnes fere inimicorum prouincias, signanter autem Idumæam, aut Edom, quæ vniuersa facta est seruiens Dauid, qui hoc
2.*Reg.*8 14. peculiariter prætendebat: *In Idumæam*
*Psa.*59.10. *extendam calciamentum meum, mihi*
& 107.10. *alienigenæ subditi sunt*: sicque totum regnum magna in pace compositum reliquit Dauid filio suo Salomoni, cui, vt
a 3.*Reg.*10 Scriptura ait *a*, omnis terra, omnesque
25. Reges deferebant munera. Primus
b 3.*Reg.*11 qui excitatus est contra hoc regnum
14. *b, fuit Adad Idumæus, qui erat de terra Edon.* Expende illud: *Qui erat de ter-*
9.*Reg.*8. *ra Edon*: quasi dicens: De illa debebat esse terra, qui primus Israelis regnum vellet perturbare. Tertium, cum adhuc
1.*Para.*21 subiectus teneretur Edom Regibus Israel, & videret res Iudæorum afflictas, cum iure fraternitatis teneretur ei fa-
4.*Re.*8.20. uere, non solum non fauit, sed tunc re-
2.*Par.*22. *cessit Edon, ne esset sub Iuda, & constituit*
10. *sibi Regem*: &, *rebellauit Edom, vsque in diem hanc.* Hæc tria peculiaria crimina Deum prouocare potuerunt, vt iratum se exhiberet contra Edom. Sed si ibi ille stetisset, finemque imposuisset furori, & iræ suæ, adhuc videretur, quod sperare posset misericordiã, & remissionem. Cæterum vlterius processit, ita enim persequutus est fratrem suum, & leges charitatis fraternæ violauit, quod vltra progressus est; *& indignationem suam seruauit vsque in finem.* Decreuit, non desistere, donec plenam vltionem, ad mensuram sui desiderij consequutus fuisset: Et verè ita fuit: nam Idumæi, memoria semper tenentes, quod Iacob pater Israelitarum, fecit Esau, patri suo odium, quod cœpit tenere Esau contra Iacob, prosequuti sunt. Et his concinit illud, quod per Ezechielem eidem dicitur: *Ezec.*35.5.
Eò quod fueris inimicus sempiternus. Propter hoc, inquit, *Non conuertam eum.* Certè si Deus non conuertit eum, non conuertetur ipse: certa est siquidè sententia Prophetæ: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: & iterum: *Con-* *Thre.*5.21
sidera, quod nemo possit corripere, quem ip- *Eccl.*7.14.
se despexerit. Hoc Deus contra eos, qui inimicitias tenent, pronunciat, se non præstiturum auxilium, vt vere à peccatis conuertantur, sicque in illis vitam finiant, & in perpetuum pereant. Annotauimus in præcedentibus, non mirum, quod quis iræ, & furoris passione victus, aliquid contra inimicum agat, cum recens est iniuria, & dolor, quem illa excitat. Sed quod quis indignationem seruet vsque in finem, hoc adeo intolerabile est, vt Deus illum de peccatorum remissione desperantem reddere videatur. Indignationem, & furorem Simeon, & Leui maledictum vocauit Iacob: *Maledictus*, inquit, *fu-* *Gen.*49.7.
ror eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Quod quis furore succendatur, cum iniuria læditur, non mirum: sed quod tam pertinacem teneat furorem, vt perpetuò duret, & iam duram indignationem, quam nec tempus, nec ratio, nec preces possunt emollire, maledictus furor eorum.

§. 11. *Vltorum damnationem Moyses egregiè in facto Amalecitarum demonstrauit.*

¶ 233. *Exod. 17.* SIt tertius locus ille, quo Deus iurauit, se perpetuum bellum acturum contra Amalec. Nota est historia. Quando Amalecitæ populo Israelis ex Ægypto ad terram promissam progredienti, occurrerunt, magno exercitu coacto, ad iter impediendum, orante Moyse, & pugnante Iosuè, deuictus fuit Amalec. Re tota confecta, dixit Dominus ad Moysen: *Scribe hoc ob monumentum,* ad perpetuam rei memoriam, *in libro, & trade auribus Iosuè,* vt non solum res sub scriptura contineatur, sed per traditionem seruetur, *quia delebo memoriam Amalec de sub cælo. Ædificauitque Moyses altare,* iubente Domino, *& vocauit nomen eius, Dominus exultatio, mea, dicens: Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem,* id est perpetuò. Vatablus ex Hebræi sermonis proprietate, explicat, his verbis significari, Moysen erexisse altare, super quod eleuauit manum, id est iurauit (id namque apud Hebræos est leuare manum) & iuramentum Dei nomine protulit quia manus solij Domini, & perpetuum bellum futurum sit contra Amalec. Obserua locutionis phrasim: Manus solij Domini. Solium siquidem Domini, significat sedem eius regiam, excelsam, supremam, & primam, & quando Deus aliquid magnum acturus est, inducitur sedens in solio suo. Ita apud Esaiam; *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c.* reprobationem Iudæorum pronuntiare volebat. Vnde, Manus solij Domini, est manus potentissima, regia, valida: nec enim cõtra Amalec acturus est leuiter percutiẽdo, sed potentissimam super eum manũ mittendo: idemque propterea est, in manu solij ac in manu potenti; nec id tantum per diem, aut annum, sed in perpetuum. Duo hæc sunt, quæ supremam vltionem aptè exprimunt. Nunquã contra aliquam nationem Deus tam iratũ, & acrem se exhibuit. Quænam ista natio est, quæ ita Deum misericordem prouocauit? Amalec, inquit Strabo, significat, & idem est, ac populus bibens vel lambens sanguinem. Annotat Caietanus, non esse vertendum in dubiũ, populum Amalecitarum, originem habuisse ab illo vindictæ patre Esau, cuius nepos fuit *Amalec,* in cuius familia ille sanguinolentus animus Esau conseruabatur. In hunc igitur Deus se iratum exhibet, & à se perpetuò bello impetẽdum iurat, vt viuens, qua spe, & fiducia possint esse, qui secundum spiritum ad huiusmodi populum pertinent, qui perpetuò odia seruant, iniuriam memoria tenent, vltionem expetunt. Huiusmodi multa alia loca induci possent. Sed, vt Diuus Augustinus annotauit, sufficere deberet similitudo, aut parabola illa, quam ipse, Valde terribilem vocat, de Rege remittente seruo decem millia talenta, &c. quem tam acriter puniuit, quia conseruo remittere debitum noluit. Ad nostram institutionem, inquit Beatus Augustinus hanc parabolã proposuit, & admonendo perire nos noluit: *Sic,* inquit, *& vobis faciet Pater meus cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ecce fratres, res in aperto est, admonitio vtilis, & valde salubris. Ita Augustinus. *Sic,* inquit, *faciet Pater meus.* Non dixit, inquit Chrysostomus, pater vester, sed meus, non enim digni sunt isti, quorum Pater Deus vocetur, cum ita nequam sint, vt homines odio prosequantur. *Memento igitur nouissimorum, & desine inimicari.* Vide quod in nouissimis ad iudicium vocandus es, & quod rationem de debitis illis es redditurus, quæ omnem tuam facultatem in immensum superant, ad quorum remissionem, id singulariter videndum est an remiseris parua, & inania debita: *Sic enim faciet Pater meus cœlestis, &c.*

In cap. 17. Exod.

Esai. 6. 1.

Apud Lip. poma in Caten. Exod. 17. fol. 145. In cap. 17. Exod. Genes. 36.

Ser. 15. de verb. dom. Hom. 2. in Matth. Eccl. 28. 6.

§. 12. *Æternam hæreditatem Filij Dei nemo obtinebit sine charitate, & pace, quam, tanquam conditionem necessariam testator constituit.*

¶ 234. VT *sitis Filij Patris vestri, qui in Cœlis est.* Vt filij Dei efficiamur, non tantum nobis imponit Christus, remittere offensas, sed &, vt dilectionem, & beneficentiæ opera inimicis impendamus. Enimuerò, vt homo Filius Dei efficiatur, non solum requiritur formaliter loquendo (vt Theologi loquuntur) quod Deus ei peccata remittat, sed & vt gratiam suam conferat, per quam *efficitur diuinæ consors natura*. Propterea meritò (inquit Beatus Augustinus) duo Christus exigit ab ijs, qui filij Dei effici voluerint: *Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis.* Non tantum contendit homo, sibi peccata dimitti, sed sibi donari gratiam. Est gratia qualitas quædam diuini ordinis, per quam Deus suam naturam diuinam homini communicat, hominem diligit, & illi ius ad æternam hæreditatem confert: ideo non tantum homo contentus esse debet, dimittendo, sed debet etiam dilectionem & beneficentiæ opera inimico impendere, vt sicut adiuuatur, & disponitur per remissionem, ad remissionem obtinendam, ita adiuuetur per dilectionis & beneficentiæ largitionē, ad hoc, vt sibi Deus gratiam suam largiatur. Vt igitur homo gratiam recipiat, per quam filius Dei, dilectus Deo, & hæres æternæ beatitudinis efficiatur, suos debet diligere inimicos, & benefacere ijs, qui se oderunt. Expendunt ad hoc institutū sancti Patres, verba illa Apostoli, magna expensione digna. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniā, sine qua nemo videbit Deum; contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Pax effectus est dilectionis & charitatis, vt sæpè docet Apostolus, & nomine effectus causam intelligit. Non tantum cum amicis, & his, qui no biscum tenent pacem, pacem tenere debemus, sed cum omnibus hominibus, quod alio in loco idem Apostolus dixerat: *Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et extende, inquit Diuus Thomas, non dicere: Pacem habere, sed sequimini, id est, persequimini, alludens ad illud: *Inquire pacem, & persequere eam.* Quando propter offensas, & iniurias, quas tibi inimicus intulit, pax videtur fugere, & non eam in te ipso inuenis, persequere eam, & quære, donec inuenias. Paci adiunxit sanctitatem. *Pacem*, inquit, *& sanctimoniam.* Etsi Beatus Chrysostomus, & multi ex Græcis patribus, intelligant sanctimoniæ nomine, castitatem, sed Gregorius *a*, Diuus Anselmus *b*, & Diuus Thomas *c*, intelligunt puritatem vitæ, & perfectionem morum, quam communiter sanctitatem vocamus: sine charitate enim, & pace vera sanctitas constare non potest. Quantumcunque namq; quis eleemosynis, ieiunijs, vigilijs, & bonis operibus intendat, nunquam veram sanctitatem habebat, nisi illis sit adiuncta charitas. In cuius confirmationem explicat Beatus Gregorius illud: *Laudate eum in tympano, & choro.* Tympani nomine mortificationis opera intelligūtur, per quæ caro comprimitur: in tympano namque ficca & percussa pellis resonat. Quoniam autem in choro, vxores sociatæ concordant, chorus pacem & charitatem designat. Non sufficit laudare in tympano, sed oportet etiam in choro, quia vt homo sanctus sit, non tantum opera mortificationis debet habere, sed & charitatis. Ad idem institutum expendit Beatus Gregorius illud Sancti Iacobi: *Si contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem, &c. vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Non igitur vera sanctitas esse potest, cum contentione: ideoque rectè eam sociat Apostolus paci. Annotat itidem illud, quod per semetipsam veritas dixit. *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Non sal solum sufficit, sed pax ei adiungēda est. Salis nomine

Serm. 15. de Verb. Do. cit.

Heb. 12. 14

Rom. 12. 18

In cap. 12. ad Hebr. lect. 3.

Ps. 33. 15.

In cap. 12. ad Hebr.

a Pasto. 3. p. admoniti. 23. et hom. in Ezech.

b In ca. 12 ad Hebr.

In Psal. & in Ezec. & li 7 ep. 193 ad Anastasium

Ps. 150. 4.

Iacob 3. 14

¶ 235.

Mar. 9. 41

sapientiam significat: quia quantumcunque quis sit sapiens, si charitate & pace sit destitutus, sanctus non erit. Et
1.Cor.13.1 rem Apostolus concludit. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. Si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Si sine charitate nihil est, non vtique sanctus sine charitate esse poterit. Iure igitur charitatem, & pacem postulat Apostolus, *sine qua nemo videbit Deum*, id est, sine qua sanctimonia, & sine qua pace. Videre Deũ est, beatitudinis hæreditatem obtinere: nullus sine pace, & charitate hæres æternæ beatitudinis erit, sine qua nec sanctus, nec Dei filius esse poterit.

Orat. cont. quinque hæres. tom. 6. Obseruat Beatus Augustinus contra Arrium agens, neminem posse hæreditatem, sibi iure testamentario conuenientem, obtinere, quin conditiones à testatore decretas custodiat. Si quis enim contra voluntatem testatoris facere voluerit, hæreditate carebit. Nobis æternæ hæreditatis possessio conuenit iure testamentario, quia per Christum hæredes sumus instituti: antiquato namque veteri testamento, in quo ad terrena possidenda vocabantur homines, nouum condidit, nos regni cœlestis hæredes instituẽs. *Hæc,*
1.Ioã.2.25 inquit Ioannes, *est repromissio, quam pollicitus est nobis, vita æterna.* Ratione huius noui testamenti Christi Domini, ius habemus ad hæreditatem regni cœlorum. Quod mirificè Beatus Bernardus morti proximus, dæmoni respondit, quærenti, quomodo ipse cum homo esset vilis, & inutilis, præter dere posset tam excelsum regnum, quale est Regnum cœlorum: Dominus, inquit, meus Iesus Christus, illud duplici iure possidet, & quia Filius est Dei naturalis, & propter meritum Crucis: illo ipse contentus, istud hominibus tradidit, & testamento legauit. Hanc tamen hæreditatem sub conditione reliquit, quod pacem teneremus & dilectionem ad inuicem. Hancque multis modis seruandam expressit. In primis ingrediens mundũm, pacis prœconia fieri voluit: cum enim primò Angelus illius Natiuitatem annũ-
Luc.2.14. tiauit. *Subito facta est cum Angelo, multitudo militiæ cœlestis, laudantiũ Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Erat qui nascebatur pax, de quo Ephe.2.14
Apostolus: *Ipse est pax nostra.* Lege (inquit Augustinus contra Arrium agens) & inuenies. Prophetam de do- Mich.5.4.
mino loquentem; *Magnificabitur vsque ad terminos orbis terræ, & erit ipse pax.* Illorum sententiam verissimam credo, qui hanc Angelorum multitudinem, visibilem apparuisse censent, sicut & Angelus, qui Natiuitatem annũtiauit, visibilis apparuit. Sensibilia namque erant, quæ hominibus sensibilibus tradebantur. Vnde & cantus fuit sensibilis. Et obserua Euangelistam non dixisse: Multitudo Angelorum, sed *multi-* ¶ 236.
tudo militiæ cœlestis, ad magnum indicandum mysterium. Nullum potest esse maius argumentum, & indicium temporis belli, quam si videres clericos & religiosos, qui nunquam de bello egerunt clamantes, & personantes bellum, & arma, & mortes inimicorũ, & depositis breuiarijs, & rebus sacris, manus ad arma conuertentes. Nec aliquod potest esse argumentũ certius tẽporis pacis, quã si videres milites clamantes, & vociferantes, pacẽ & dilectionẽ, & depositis armis omnibus, assumentes musica instrumenta, & cantilenis amœnis, & pacis resonantes. Voluit ostẽdere, & demõstrare Christus, se veniẽte in mundũ, tempus pacis incepisse, tã manifesto argumento, quod milites suos, per quos bellum hominibus inferebat, iam exhibet vociferantes, personantes, & clamantes pacẽ, & harmonico cõcentu, cantilenis sensibilibus, eã decantantes. Hæc quidẽ fecit Christus mundũ ingrediens. In eo viuẽs, dici non potest, quot verbis, rationibus, parabolis, similitudinibus, hanc pacẽ & charitatem commendauit. *Hoc*
Ioan.15.1. *est præceptum meũ, vt diligatis inuicẽ. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c.* Signanter obseruat Beatus Gregorius Nazianzenus, id quod Orat. 14.
morti proximus Christus dixit: *Pa-* Ioã.14.27
cem relinquo vobis: phrasi enim testamentaria loqui videtur, nam verbum *Relinquo*, testamentorum proprium est.

est. Vnde, & Dauid de diuitibus testamentum agentibus dixit: *Relinquent alienis diuitias suas*: quia hanc peculiariter nobis testamento legauit, & hæreditario iure reliquit, vt intelligamus, quanti à nobis facienda sit. Sufficientissima ratio fuit, vt Naboth, etiam ipsi Regi petenti vineam suam, denegaret, quia parentum suorum testamento sibi erat legata. *Non*, inquit, *dabo tibi hæreditatem patrum meorum.* Et eadem sufficere deberet, vt pacem seruare curaremus, quam pater noster Christus testamento legauit. Sed obserua, nobis pacem relictam tanquam conditionem necessariam ad hæreditatem: est namque hæreditas, quam nobis relinquit, Regnum cœlorum, vredictum est: sed sub hac expressa cõditione, quod pacem, & charitatem erga omnes teneamus. Idcirco Euangelici prædicatores dicuntur *Annuntiatores*, & commendatores *pacis* ab Esaia, quia hoc eorum munus, suadere pacem, & charitatem, per quã homines repromissam hæreditatem consequantur. Et huius obligationis memor Apostolus (vt annotat Tertullianus) in omnibus Epistolis, primum omnium eam commendat, dicens: *Gratia vobis, & pax.* Hæc tanquam inuiolabilis conditio posita est à testatore, ei qui ad hæreditatem est admittendus. Annotat Augustinus propositionem fuisse Ciceronis: *Silent inter arma*; sed hic silere non possunt, vbi tam manifestè testator arma silere iussit, pacem commendauit, & charitatem, per quam homines Filij Dei efficiuntur, & hæreditatis iura obtinent, qui apertè clamat, & dicit: Diligite inimicos, &c. vt sitis filij. Non poteritis hæreditatem possidere, nisi filij efficiamini, quibus solummodo hæreditas legata est: filij autem sine charitate esse non poteritis.

¶ 237. Rectè ergo dixit Apostolus: Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Vide conditionem necessariam. Aut ergo hæreditari renuntiandum tibi est si non vis pacem, & charitatem, & dilectionem erga inimicum tenere, aut hanc amplecti debes, si hæreditatis iura vis conseruare. Egregia est historia libri Ruth. Erat quædã agri pars, quæ fuerat quondam Elimelec, cuius fatica, & optio, iure propinquitatis ad virum illi propinquiorem spectabat, sub hac tamen conditione, quod si possidere agrum vellet, tenebatur ducere in vxorem Ruth Moabitidem, quam si respueret, transibat ius agri ad Booz, virum illum insignem, qui post illum propinquior erat ipsi Elimelec. Vnde *Ascendit Booz ad portam*, id est, locum iudicij, & interpellauit coram probatis testibus virum, cui primò ius competebat, dicens: *Partem agri fratris nostri Elimelec vendet Noemi, &c Si vis possidere iure propinquitatis, eme, & possside: sin minus, indica mihi, vt sciam quid facere debeam: nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es, & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum, &c. Ruth quoque Moabitidem debes vxorem accipere, vt suscites nomen propinqui tui.* Qui hoc audiens, grauem iudicans conditionem, respondit: *Cedo iuri propinquitatis.* Sunt multi, quibus exposita cœlestis hæreditas placet, eam appetunt, & dicunt se eam velle, & quod acceptant hæreditatem sibi à Christo relictam: sed attende, hæreditatem esse sub conditione legatam, quod debes ducere Ruth Moabitidem, pacem scilicet, & charitatem: *Sine hac enim nemo videbit Deum.* Et verè, vt B. Augustinus annotat, visus est Apostolus memoria retinuisse illud Dauidis, quo ipse Augustinus eloquentissime protequitur, idquod nobis, & suauiter resonat, vocans terribile. Illud (inquit) fratres charissimi cum grãdi tremore cõsiderare debemus, quod in psalmo terribiliter Spiritus sanctus dixit. Cum enim illam cœlestem Ierusalem, idest, congregationem omniũ Sanctorum, quæ cum Christo est regnatura, ad laudandũ Dominum prouocaret, cum dixisset: *Lauda Ierusalem Dominũ*, addidit: *Qui posuit fines tuos pacem.* Ergo, vt ipsi videtis, Ierusalẽ illa cœlestis, muros de pace constructos habet; qui nãque talem pacem, & charitatem habet vt omnes homines diligat, & pro bonis oret, vt meliores fiant; pro malis supplicat, vt citò se corrigãt, de qua parte voluerit intrare illius cœlestis Ierusalẽ,

Psal. 48. 12.

1. Reg. 22. 4.

Isaiæ 52. 7.

Lib. 5. cont. Mar. c. 4.

Ruth 4.

Ser. 168. de Temp. Psal. 174.

portas apertas merebitur inuenire. Qui autem non vult habere talē charitatem, qualem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte Ierusalem portas clausas inueniet, & quia oleum charitatis habere noluit, clausis ianuis Sponsi, cum illis fatuis virginibus, illam metuendam audiet
Mat. 25. 12 vocem: *Amen dico vobis, nescio vos.* Quomodo namque illis quinque virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt, illa cœlestis Ierusalem aperiet ianuas suas, vt intrent in gaudium Domini sui, sic illis è contrario, qui sine charitate veniunt, claudet, & æterna à se separatione repellet, & implebitur illud, quod in psalmo dicitur de Ierusalem: *Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Clausis portis, & confirmatis seris, nunquam exiet amicus: nunquā intrare poterit inimicus, quia sicut iustus nunquam erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquam poterat liberari à pœna. Er ideo si volumus
¶ 238. vt ab istis malis, nos dignetur diuina pietas liberare, vt feliciter ad illam cœlestem Ierusalem mereamur intrare, totis viribus laboremus, vt in nobis
Rom. 8. 35. impleatur illud, quod Apostolus dixit: *Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Et iterum: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Potestates, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Ecce, sicut audistis, beatum Apostolum, & Apostolicos viros, tanta ac tam terribilia à charitate Dei separare non poterant. Vnde nimis dolendum est, quod cum illi, nec tormentis à charitate Dei poterant separari, nos interdum otiosis fabulis separamur, & nonnunquam ob paruissimum conuitium, & cuiuscunque miseri hominis detractionem, ita derelinquimus charitatem, vt non solum cum eo multis diebus, sed etiam multis mensibus, fortassis & annis, nec loqui, nec ad conuiuium peruenire velimus, & non attendimus, quia dum inuicē nos odio habemus, ita muros ciuitatis Ierusalem contra nos claudimus, vt nullus nobis aditus remaneat, per quem intrare possimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet, dicente Ioanne Euangelista: *Deus charitas est*, qui *1. Ioā. 4. 16* charitatem habere noluerit, qua fronte, vel qua conscientia, ad Dominum, qui est charitas, præsumet accedere? Hæc omnia fratres charissimi, dum vobis paterna pietate frequenter insinuo, absoluo apud Deum conscientiam meam, & quia nullus vnquam erit, qui se in veritate valeat excusare, quod veram pacem, & veram charitatem tenere non possit; totis viribus misericordiam Dei deprecemur, vt nobis illam charitatem, *sine qua Deum nullus vnquam videbit*, insinuare ac donare dignetur. Ita Augustinus. Ex his patet, quam aptè Apostolus, charitatē & pacem commendauerit, *sine qua*, inquit, *nemo videbit Deum*, siue Propheta sit, siue Martyr, siue Doctor, siue virgo, siue etiam Apostolus. Propterea ad insinuandam summam curam, quam ad eam habendam, & conseruandam tenere debemus, subdidit: *Contemplantis, ne quis desit gratiæ Dei, neque radix amaritudinis sursum germinās impediat.* Nō simplicem inspectionem postulat, sed contemplationem, Cōtemplari est, attentissimis, apertissimis, ac immobiliter defixis oculis, rei alicui attendere. Contemplantes, inquit, ne quis desit gratiæ Dei. Gratia Dei est, per quam filij Dei efficimur, & ius ad æternam hæreditatem possidendam obtinemus, vt dictum est. Hanc Deus gratis offert, omnibus facientibus quod est in se, & nullum impedimentum apponentibus, vt D. Thomas annotat, & Theologi explicant: ideo Apostolus hoc petit, ne impedimentum apponamus. Voluit autem, vt idem Diuus Thomas obseruat, explicare singulare impedimentum gratiæ: illud est, *Radix amaritudinis*: hæc est, odium, dissensio, ira, aut vindictæ appetitus contra proximum, quæ sursum germinans dicitur: nec enim tam certò, & breuiter noxia radix germinat herbam venenatam, quam odium, & ira, verba inordinata, & inordinatos, ac incompositos motus, &c. Hæc singulariter impe-

In cap. 12. ad Hebr. lect. 3.

impedit, inquit D.Thomas, quia Deus noster, *non est Deus dissensionis, sed pacis*, cuius *in pace locus factus est*. Hoc impedimentum singulariter auferendum est nequis desit gratiæ Dei, quam Deus offert: ad quod, inquit B. Augustinus, vt misericordia Dei adiuuet, instantissimè est deprecanda.

1. *Cor.* 14.

Ser. 168. *de temp.*

§. 14. *In Sapricio & Dauide apparet, signum reprobationis esse, non remittere, & signum prædestinationis, remittere.*

¶ 239. *Refert Surius in vita S. Nicephori Martyr. 9. Febru. ex Metaphrast.*

QVæ diximus, confirmat Sapricius presbyter, qui Antiochiæ tempore Valeriani Imperatoris, multis operibus sâctis celebris, & Christi confessione mirabilis, iussu tyranni têtus est: habebat tamen in corde radicem amaritudinis contra Nicephorum hominẽ secularem, à quo aliquando offensus fuerat. Persistente igitur Sapricio in Christi confessione, ideoque morti adiudicato, cùm ad supplicium duceretur, obuiam ei venit Nicephorus, veniam petens, & dicens: Martyr Christi, ignosce mihi, quia peccaui. Noluit illum audire. Iam genua flexerat, & carnifex euaginato gladio ceruicem abscindere nitebatur: redit iterum Nicephorus, denegatam veniam iterum exposcens: quam nec tunc voluit concedere Sapricius. Res omni tremore, & horrore digna. Subitò Sapricius ad carnificem conuersus: Expecta, inquit, ne me iugules, quia Christo renuntio, eũ abnego, & ei anathema dico. Tunc Nicephorus ad eundem carnificem: Ego, inquit, Christum confiteor, quem Deũ meum adoro, & idola anathematizo. Statim è fœliciſſimo illo loco, dimisso Sapricio, qui iam iam ad coronam martyrij manum extendebat, & apostata facto indutus fuit eius loco Nicephorus, illam reportans, & per martyrij palmam ad Deum conuolans. Expende immensitatem iudiciorum Dei, quam ad hoc instituerat tremens Beatus Cyprianus. Attende itidem

Libr. de Lapsis.

meritò Deum permisisse, vt is qui inimico parcere noluit, ad æterni regni coronam, quam iam capere videbatur, non perueniret: quam iustè acciperet alius. Vnde inter certiora reprobationis signa illud est, nolle inimico reconciliari, aut offensam remittere: ac inter certiora prædestinationis indicia præstat, dimissis offensis, beneficentiæ ei opera impendere. Factum Dauidis in spelunca, tam excellens est aurifodina; vt semper nouas auri particulas offerat, quas D. Chrysostomus tribus Homilijs, ingenij sui acie extractas proponit: qui, obseruat primo nullam habuisse Saul occasionem persequendi Dauidem, quem potius affectuosissimè tenebatur diligere, quia, vt ei dixit filius suus Ionathas. Dauid pro salute eius, & totius regni & populi *posuit animam suam* odio cœpit eum habere, quia vidit mulieres illum laudasse, canentes: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*: nam ab illa, non rectis oculis eum aspexit. Iniustè certè iratus est, inquit Chrysostomus: plus namque laudatus est Saul, cui mille dederunt, quàm mereretur: nam si ille ad bellum finiendum, vel paululum aliquid momenti contulisset, rectè tunc dictum fuisset: *Saul percussit mille*: at si ipse pauidus ac tremens domi sedit, in singulos dies mortem expectãs, hic autem totum facinus peregit: si indignandum erat. Dauidem potius conueniebat indignari, quod cùm scius totum gessisset, alterum haberet laudis participem. Obseruat secundò, quam liberum seruarit Dauid animum ab odio, & ita contra Saulem, in quo amaritudinis radix nequaquam inseri potuit, nec à militibus suadentibus, vt Saulem occideret, quem tunc in manibus tenebat, nec ab occasione, quæ se offerebat, nec à molestijs, quibus iam delassus tenebatur: sed illa fuit sibi perpetua vox: *Non extendam manum meam in eum, quia Christus Domini est*. Vnde non solum remittebat offensas, sed & dilectione & beneficentia eum prosequebatur, tanta perfruens pace, quantam ostendit egrediens de spelunca post Saulem, cui pepercerat.

1. *Reg.* 24.

De Dauid, & Saul.

1. *Reg.* 19.

1. *Reg.* 18. 7

¶ 240. *Hom.* 2. *de Dauid. & Saul.*

Egressus est, inquit Chrysostomus, ex spelunca, tanta cum gloria, cum quãta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. *Daniel.3.* Nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non flagrauit iræ incendio. Et illis quidem foris nihil ignis, in quo versabantur, nocuit: hic verò cum intus haberet accensos (offensas scilicet quas corde sentiebat sibi illatas) cum foris videret diabolum caminum incendentem, idque varijs modis ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, à facilitate perficiendi cædem, à solicitudine eorum, qui Sauli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu: siquidem hæc, & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonis incendebatur, ardentiorem, ac lucidiorem excitabant flammam: tunc non exarsit Dauid, nec vllo pacto fuit sic affectus, quemadmodum consentaneum videbatur affici hominem, tot modis irritatum. Tertiò expendit verba *Ead.hom. 3.* Dauidis. Vocauit ille Saulem, dicens: *Domine mi Rex: & respexit Saul post se*, *1.Reg.24. 9.* quem Dauid inclinans se pronus in terram, adorauit, & dixit: *Quare audis verba hominum dicentium, Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea, in spelunca, &c. & dixi: Ne extendam manum in Dominum meum*, &c. Id imprimis aduerte, optimè Dauidem causam odij, & iræ Saulis reiecisse in id, quod audiebat verba eorum, qui sibi referebant, illum multa loquutum fuisse contra se. Ita annotat Basilius, *Scholia in Psal.34.* expendens illud: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me*: id est, imposuerunt mihi: qualis fuit *Psal.34.* Doeg Idumæus, & Ziphæi, & alij multi, qui videntes animum Saulis contra Dauidem commotum, rem gratam illi agere volentes, calumnias coram eo contra Dauidem sine intermissione consuebant, & concinnabant dolos. Hæc communis sæpè apud homines causa odij, & dissensionis audire verba hominum dicentium: Ille quærit, *Hom.2.de Dauid & Saul* aut dicit malũ aduersum te: quos merito B. Chrysostomus comparat ministris Regis Babylonis, qui *succendebãt fornacem naphta, stupa, pice, & malleolit: & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem*. *Dan.3.46.* Quid mirum, quod tam ingens flamma succensa fuerit, quam ministri Babylonici Regis talibus nutrimentis acuebant? Tales sunt, qui ad te deferũt, quæ alter contra te dixit, aut fecit, sæpenumero mentientes, aut addentes verbis illius in substantia, aut in modo: remque ita tibi proponunt, vt ita accendatur in fornace cordis, & se effundat flamma exterius per inordinata verba, & incompositos motus. Miraris sæpè, quomodo talis vir, sapiens, & circumspectus, se maximè incompositum exhibuerit, verba indecentissima proferens, & motus indecoros edens. Sed non mirum: talia namque, ac tãta sibi ministri diaboli retulerunt, quod accensus est ignis furori, & flammæ, se effundentis in verba, & motus inordinatos. Huiusmodi homines sunt, quos maledictos Spiritus sanctus vocat: *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes*. ¶ 241. *Eccl.28.15* Et alludere videtur ad id, quod ipsemet Dauid dixit ad Saulem, de huiusmodi loquens: *Filij hominum excitant te aduersum me, maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie*, &c. *1.Reg.26. 19.* Non in Saule retulit, quod eiectus esset à Saulis amicitia, & domo, sed in huiusmodi susurrones, & bilingues, qui ad Saulẽ ea deferebant, quæ iram illius accenderent contra Dauid. Propterea admonet Spiritus sanctus, non credere his, qui talia ad nos deferunt; aut verò nullas aures præbere. *Qui citò crédit*, inquit, *leuis est corde, & minorabitur, & qui deliquit in animam suam, insuper habebitur* id est, habebitur quasi qui delinquit in animam suam, quomodo multi legũt. Minorari dicitur, qui decidit ab honore, aut bonis quæ possidebat, quod Hispanè dicimus, *Venir à menos*. Qui enim quæ sibi susurrones, & detractores dicunt, credit, præterquam quod seipsum leuem comprobat, sibimet inducet dedecus, & damnum per iram, quam concipit contra alterum. Subdit autem Sapiens: *Qui odit loquacitatem, extinguet malitiã*. *Eccl.19.6.* Malitiã vocat, odium, & irã contra proximũ, qui

vult

vult hãc in semetipso extinguere, odio habẽt loquaces, & susurrones, qui quæ
Prou. 26. 20. alij contra se dixerunt, deferunt. *Cum defecerint ligna*, inquit Salomon *extinguetur ignis, & susurrone detracto iurgia*
Leuit. 22. 20. *conquiescunt*. Ad victimam pacificorũ, ouem, aut bouem offerri statuit Deus, *amputata tamen aure*, qui namque animum suum cupit Deo in pace offerre, & cordis quietem, pacem, & charitatem seruare, ita amputata debet esse aure, vt non audiat susurrones, & eos qui verbis suis iram, & furorem succendũt: ex his si quidem oritur odium & ira.
2. Reg. 27. *Quare* (inquit Dauid) *audis verba hominum dicentium: Dauid quærit malũ aduersum te*: Meritò Spiritus sanctus huiusmodi susurrones, vocat: *Filios Belial*,
3 p. Pastoral. c. 1. admonit. 24. id est, diaboli. Si namque, inquit Gregorius iure filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, & conciliant, proculdubio Satanæ sunt filij, qui pacem turbãt, & inimicitias excitant. Aptè propterea inter eos, quos Deus habet inuisos in vltimo, & supremo loco ponit eos idem Spiritus sanctus, qui cõnumerans illos sex, quos Deus detestatur, tandem con-
Prou. 6. 19 cludit: *Et qui seminat inter fratres discordias*. Tandem obserua, quod Saul viso opere Dauidis, dixit: *Nũc scio, quia certissimè regnaturus es, & habiturus in manu tua regnum Israel*. Multa argumẽta habere potuit Saul, quæ illud sibi certum facerent. Nam in primis Samuel Propheta, qui eum vnxerat in Regem, apertè Dei decretum illi intimauit, di-
1. Reg. 15. 28. cens: *Scidit Dominus regnum tuum, & tradidit proximo tuo meliori te*. Deinde quia Dauid vnctus fuit ab eodem Samuele in Regem, & quamuis procurauit Samuel ita illum vngere, vt id Sau-
1. Reg. 16. 13. lem lateret, vnxit tamen *eum in medio fratrum suorum*, qui multi erant, & impossibile videtur, quod res tandẽ Sauli non fuerit nota. Nihilominus fortius argumentum, ac firmius, ad id credendũ fuit, videre Dauidem remittentem offensas grauissimas, & diligentem ac benefacientem crudeli inimico. Nunc, inquit, *scio, quia certissimè regnaturus es*. Ille de regno temporali loquebatur, sed res ad Regnum æternum trãsferri potest. Certiora iudicia, quod homo obtenturus sit Regnum cœlorum, sunt opera charitatis, inter quæ præcipuum obtinent locum, quæ erga inimicum fiunt, remittendo offensas, eas beneficijs, & dilectione compensando: magnum certè argumentum præstant, vt credamus verè regnaturum, qui talia operatur, cui Christus ipse hoc singulariter promittit, quod filius Dei erit: *Si autem filius, & hæres*.

§. 14. *Homo efficitur filius Dei, imitando Christum, quem Esaias attendendum dixit, lapidem ab hominibus effossum, & cauernam lati perforatam.*

¶ 242. COmplet Christus Dominus id, cuius gratia, venerat in mundum, facere homines filios Dei. Deus & homo eundem finẽ prætendere visi sunt, sed diuersa media apposuerunt. Homo voluit effici filius Dei: voluit namque simi lis Deo fieri, quod filij proprium est. Id ipsum & Deus voluit, qui illũ creauit, vt Regnum suum hæreditate possideret, ad quod oportebat, ipsum filiũ Dei fieri. Idem ergo, Deus & homo intenderunt: sed media diuersa fuerunt. Homo namque hoc prætẽdens, elegit medium à diabolo sibi propositum, illud, quo idem diabolus volens *similis esse altissimo*, vsus fuit, superbiam scil. per quam nollet esse sub Deo, aut sub præcepto, vt sæpè B. Augustin. exponit. Per tale medium, non solum non fuit consecutus homo esse filiũ Dei, sed potius diaboli seruus, & inimicus Dei effectus est. Deus autem medium suæ sapientiæ & bonitati congruum statuit, vt. s. homo curaret se similem exhibere Filio Dei naturali. Ille siquidem primam, veram, naturalem, & præcipuam rationem habet Filij Dei; ideoque qui se illi similem exhibuerit, filius Dei effectus erit. Hoc est quod dixit Apostolus: *Quos præscijt, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quos *Rom. 8. 29.* præscijt scientia, & notitia approbationis, quos elegit ad hæreditatem

cœlestem obtinendam, & vt sint filij eius, prædestinauit, & præordinauit, vt similes fierent filio suo naturali, vt sit ipse primus inter omnes. Primum in vnoquoque genere, vt Aristoteles docuit, est causa exemplaris cæterorum: sicut Sol est primum quid in genere lucidi, ideoque est causa exemplaris omnium lucidorum, quia in tantũ aliquid lucidum est, inquantum Soli assimilatur: & Paulus verbi gratia causa est exemplaris omnium figurarum, quæ de ipso pinguntur, & in tantum aliqua figura aut imago speciem Pauli habebit, in quantum ei similis fuerit. Est ille primus in ratione filij Dei, cui conuenit esse filium Dei per naturã: & propterea est causa exemplaris cæterorũ, qui intantum sunt filij Dei, in quantũ ei similes se exhibuerunt. Ex his intelligitur illud quod Ioannes dixit, explicans aduentum Verbi æterni in mundum, venit enim, & *dedit potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius.* Homo per naturam est vilis vermiculus, creatura corruptibilis, *de genere terreno illius, qui primo formatus est pater orbis terrarum*: filius Dei fieri non potest, nisi per gratiam & participationem: & quoniam nihil quod est in potestate tale, reducitur ad actum, nisi per id quod est actu tale, iuxta Philosophorum dogma (non enim quod potest fieri calidum, fiet actu calidum, nisi per id quod actu calidum est) ita homo, qui potest esse filius Dei, nunquam erit filius Dei, nisi per illum, qui actu & naturaliter erat filius Dei. Idcirco ergo venit in mundum, vt homines filij Dei efficerentur. Ad hoc primum omnium necessaria est fides, per quam primum gressum homo mittit, accedens ad Deum: *quia accedentem ad Deum oportet credere.* Sed hæc non sufficit, vt vera Theologia docet, principium Fides est coniunctionis hominis ad Deum: & ideo etiam principium iustificationis dicitur. Propterea non dixit Ioannes, illos esse filios Dei, qui credunt, sed quod ijs qui credũt, dedit potestatem filios Dei fieri: illi namque solummodo filij Dei esse possunt qui credunt in nomine eius. Ita annotant sancti Patres, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, hæc verba expendentes. Per quid igitur efficiuntur filij Dei credentes: Ex hoc quod fiunt conformes filio Dei naturali Christo per gratiam, & bona opera. Vt autem id fieri posset. *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, inquit Ioannes. Dictio, *Et*, vt annotant Augustinus *a*, Chrysostomus *b*, & Theophylactus *b*, non coniunctionis, sed causalis vim tenet. Voluit namque dicere: Ad hunc finem, propter hanc causam, Verbum caro factũ est; vt homo filius esset Dei. Voluit siquidẽ Deus hominem filium Dei fieri per gratiã, ex hoc quod se exhiberet similem filio suo naturali. Vt autem hoc agere posset homo, oportebat, vt filius Dei se illi videndum, imitandũ, & sequendũ proponeret. Nec enim pictor, quantumcunque fit Appelles, figuram similem, alicui efficiet, nisi prototypum, ad cuius similitudinem est effigienda, corã oculis positũ videat. Idcirco Verbũ, quod in se inuisibile erat, & latebat in mẽte. corde, & sinu Patris, nobis se visibile exhibuit, & coram oculis nostris apparuit, & habitauit in nobis, cuius vitam sequeremur, actiones imitaremur, gratiã participaremus. Inter alia autẽ, quæ filius Dei omniũ oculis expositus, tanquam prototypus cui assimilaremur, egit, per quod seipsum demõstrauit filiũ Dei, fuit actus singulariſſimæ charitatis erga inimicos, quem, vt inquit B. Hieron. imitari possumus, sed adæquare non possumus. Illis namque remisit offensam, & dilectione tali dilexit, quod pro eis orauit, sanguinem suum in remissionem eorum, à quibus effundebatur, obtulit; vitam suam in redemptionem illorum, qui eam auferebant, exhibuit. Hunc propterea oportet imitari. Vnde ipse, qui prius ascendens in montem, verbo docuit, & præcepit diligere inimicos, & benefacere ijs qui oderunt nos, vt filij Dei efficiamur, tandem ascendens non solum in montem, sed & super Crucem, monti tanquam cathedram superpositam: coram oculis nostris, tanquam prototypum, quem imitemur, expositi, per eius imitationem disponendi, vt filij Dei efficiamur.

Ioan. 3. 12. *Sap. 7. 1.* *Ad Hebr. 11. 6.* *q 243.* *In c. 1. Ioã.*

a *Epist. 120 ad Honor.* b *In cap. 1. Ioan.*

Li. 3. cont. Pelag. to 2. pag. 226.

mur. Possumus in huius rei explicationem, insignem locum obseruare Esaiæ, clamantis: *Audite me, qui persequimini, quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis.* In præcedenti capite sermonem finierat Propheta, aut Deus per Prophetam, diuidens populum Iudæorum in duas partes, in eos videlicet, qui recepturi erant Christum, & in eum credituri, & eos qui reprobaturi erant lapidem illum pretiosum, de quo idem Esaias loquutus fuerat. Hos perpetuò igni, flammis malitiæ, & furoris sui succensos tradendos relinquens, ad illos instruendos se conuertit. *Audite*, inquit, *me, qui persequimini, quod iustum est.*

Esa.51.1. Esa.50.10. For. in c.51 Esa.28.16.

¶ 244. Persequi hoc loco, non est aduersari, sed sequi, cum desiderio apprehendendi rem: quo modo dixit Dauid; *Inquire pacem, & persequere eam*: quo etiam modo dictum est supra ex Apostolo, *pacem sequimini*, aut persequimini, vt eam teneatis, tanquam rem pretiosam, vobis summè necessariam. *Attendite ad petram, &c.* Communis sensus est, Deum velle mentem Iudæorum reuocare, vt Abraham, & Saram à quibus processerant, contemplarentur, & illorum insignem fidem sequerentur. Septuaginta tamen ita legunt: *Inspicite in solidam petram, quam excidistis, & in foueam laci, quam fodistis.* Quam lectionem qui sequi voluerit, inquit Hieronymus de Saluatore nostro poterit intelligere, qui solida petra est, quam Deus apud eundem Esaiam repromisit, *in fundamentis Sion mittendam*, vt Diuus Petrus explicauit; quomodo doctus nostri temporis author *a*, intelligendum ex Origene *b*, & Procopio *c*, contendit, annotans in Hebræo haberi verbum, quod significat dolare, vt possimus transferre: *Attendite ad petram, quam dolastis.* Habetur itidem verbum, quod significat perforare, vt legere possis: *Et ad cauernam laci, quam perforastis.* Quo supposito, apta erit intelligentia, si rem totam ad Christum referamus: est siquidem ipse petra illa, aut lapis celebris, quem apud Zachariam posuit Deus *coram oculis Iesu, filij Iosedech*, dolandum manibus Iudæorum, & militum, de quo alibi. Attendite ad petram, quam dolastis colaphis, sputis, flagellis, &c. Illius cor erat cauerna, aut lacus cœlestium Sacramentorum, quem perforarunt, dum *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.* Annotat Forerius in hebræo haberi *Nakdetthen*, quod significat perforationem aut effossionem oculorum. Oculus aût, communi sermone significat orificiũ, per quod fons limpidissimis scaturijt. Sic dicere solemus: *Vn ojo de agua.* Sensus propterea erit: Perforastis oculum illum aquarum viuentium, latus vi delicet Saluatoris, ex quo scaturijt fons ille diuinus, & viuificus, sanguinis, & aquæ, vnde Sacramenta dimanarũt. Venit igitur filius Dei, vt ijs, qui credidere*int* in nomine eius, daret potestatem, vim, modum, & formam, filios Dei fieri. Hos præuidens Propheta credentes in Christo, quærentes filios Dei fieri, instruendos assumit, medium per quod id, quod persequuntur, id est, desiderãt tenere, consequantur. Audite me, qui persequimini, id est, sequimini, desiderantes obtinere iustitiam, per quam iusti, & grati, & Dei filij efficiamini. Attendite ad petram: Septuaginta, *Inspicite*, eodem verbo, quo Deus loquutus est ad Moysen, quod eleganter annotauit Paulus, & Stephanus: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Ascendit Christus montem Caluariæ, & Crucem, vt seipsum præberet exemplum, & typum, cui similes nos reddere contenderemus. Ibi quidem, vt supradictum est, omnis splẽdor Sanctus fulget, omnis virtus micet, singulariter autem charitas splendet, quam voluit ostendere, & declarare erga inimicos, talem, vt per eam cognitus sit filius Dei, vt dictum est. Inspice igitur, & fac secundũ exẽplar, q̃ tibi in monte monstratũ est. Antea datus tu ipse eras regula dilectionis proximi, cui dictũ fuit: *Diliges proximũ tuũ sicut teipsum*: aliud nũc tibi exẽplar ꝓponitur imitãdũ, cui cõformari teneris, q̃ ꝓpter ea dixit: *Hoc est præceptũ meũ, vt diligatis inuicẽ, sicut dilexi vos*: nõ sicut vos diligitis vos ipsos, sed sicut ego dilexi vos. Huic imagini similis fieri debes. Hoc ¶ 245.

Exo.25.40 ad Heb 8.5 Acto.7.44. Ioan.19.34 Forer. Ioan.15.12.

In c.51.Esa. Esa.28.16. 1.Pet.2.6. a Leo Castrens. b Ho.12. in Num. c In cap.51 Esa. Zach.3.9.

ele-

Ser.170.de temp. eleganter prosequitur Beatus Augustinus, qui postquam suasit remissionem offensæ, & dilectionem inimici, quibusdam dicentibus, se quidem dimissuros, si is qui læsit eos roget, & supplex veniam petat: Attende igitur, inquit, magistrum tuum, & Dominum Deum, nó in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, circunspectis vndique turbis inimicorum, & dicentem: *Pater ignosce illis.* Nunquid tunc Dominus, pro rogantibus rogauit, & non potius pro insultantibus, & interficiētibus? Nunquid deseruit medicus officium suum, quia phreneticus sæuiebat? Ignosce, inquit, quia nesciunt quid faciunt. Attende vbi hoc fecit, in Cruce, non in cœlo, semper namque in cœlo cum Patre, in Cruce autem pro te homo, vbi se imitandum præbuit omnibus, pro te emisit ipsam vocem, vt ab omnibus audiretur. Nam potuit orare pro illis in silentio, sed tu non haberes exemplū.

Serm.11.ex 25.var.to. 5. Ita Augustinus. Hoc idē tradidit Chrysostomus, annotans, quomodo Christus in cruce terram mouit, Solem repente fecit obscurari, vt intelligerent illi, quam facile posset vindictam sumere, si vellet, & tamen pro inimicis orat, ne cœlestibus aduersus impios telis Pater vteretur. Videndus est Sanctus Ber-

Tract. de pass Dom. cap.8. nardus: Fecit, inquit, bonus Doctor, & iusserat; orat non solum pro persequē tibus, sed etiam pro occidentibus se, dicens, Pater ignosce illis. Reconde in thesauro cordis tui hoc verbum, vt quotiescunque sæuiunt inimici, memoriam abundantiæ suauitatis Iesu valeas eructare, hoc clypeum contra inimicorum insultus opponens. Ibidem expendit, cur Christus orans, Patris nomen vsurpauerit, dicens: Pater ignosce, vt magis Patrem flecteret: nam solent pueri, aliquid affectuosius orare volen-

Mat.29.39 tes, nomen Patris vsurpare, &c. Et obserua, quod cum orauit pro seipso, conditionem oppositit: *Pater si possibile est*, &c. cum pro inimicis orat, absolutè, &

a Libr. de lon patien tia ad fin. b Ho 10. de Hom 70. in Ioan. sine conditione toto affectu clamat: *Pater ignosce illis, &c.* Quod similiter prosequuti sunt Cyprianus *a*, & Basilius *b*, cæterique Patres. Adhoc Christus in Crucem ascendit, vt si verbo simplici, quæ facturus es, non intellexisti, discas exemplo. Hæc omnia excellenter prosequutus fuit Beatus Chrysostomus, ex pendens connexionem quorundam verborum Christi Domini. Postquam enim pedes discipulorum lauit, cœnaque perfecta, dixit eis: *Exemplum dedit vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita. & vos faciatis.* Subditque rationem: *Amen amen dico vobis: Non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum.* Quibus verbis voluit docere, quod qui ipsius erāt discipuli, & serui, debebant ipsum imitari. Vt autem scirent, in quo essent imitaturi, subdidit loquens de Iuda, prophetiam Dauidis inducens completam; *Vt adimpleatur Scriptura. Qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum.* Quibus verbis apertè demonstrat, se nullam occasionē dedisse Iudæ, vt contra se ageret, qui nihil mali erga illum fecit, nisi tantummodo beneficia ei conferre, & tam peculiaris amoris signis prosequi, vt cibum, quo ipse reficiebatur, dederit ei, quod Hispane rectè transferes, si dicas; *Quit auame el bocado de la boca, para darselo à Iudas.* Hoc namque ille significat: *Qui edebat panes meos, &c.* Quasi dicat; Nullam causam persequendi, & prodendi me habuit, nisi quod eodem cibo, quo meipsum, reficiebam illum, quem nihilominus Christus ad mēsam secum sedere fecit, pedes lauit, amicum vocauit, remissionem offensæ obtulit, si ille acceptare vellet. Hæc optimè coniunxit Dominus, inquit Chrysostomus videtur enim mihi (inquit) illam particulam; *Non est seruus maior domino suo*, ob hoc dictam esse, vt si quando à seruis, vel ab alijs quibusdam vilibus, & abiectis, quicquam mali paterentur, non perturbarentur, ad Iudæ exemplū respicientes, qui multis à Iesu beneficijs affectus, male beneficium acceptum remuneratus est. Et in hoc opere Christus se imitandum exhibet.

Ioan 13.15 16.

Ps.40.10.

§. 15. Ar-

§. 15. *Arcanum decretum, de prædestinatis filijs Dei, extrahit Christus per Crucem, quem imitari debemus, & Sanctos, signanter Stephanum.*

¶ *246.*

OBseruauit Beatus Irenæus *a*, ad hoc institutum, circa factum Eliſæi, ad ferrum ſecuris extrahendum, myſterium inſigne, quod ex illo mutuatus videtur Tertullianus *b*, & poſtea Auguſtinus *c*, & Eucherius Lugudunẽſis *d*. Cum illi, qui cum Eliſæo erant, inquit Irenæus, concideren̄t, ligna ad fabricationem tabernaculi, & ferrum excuſſum de ſecuri cecidiſſet in Iordanem, & non inueniretur ab ipſis, veniens Eliſæus ad ipſum locum, cum didiciſſet, quid factum eſſet, lignum in aquam miſit. Hoc autem cum feciſſet, ſupernatauit ferrum ſecuris, & de ſuperficie aquæ ſumpſerunt illud, qui ante amiſerant. Ferrum ſecuris verbum Dei eſt, per quod exſcindimus, quæ neceſſaria ſunt, vt æternitatis tabernaculum nobis conſtruamus. De hoc enim loquebatur Ioannes, dicens: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*; & Ieremias ſimiliter ait: *Verbum Domini, quemadmodum bipennis, aut ſecuris cædens petram*. Ita Septuaginta tranſtulerunt, quorum translationem ſequitur Irenæus, vbi noſter Vulgatus tranſtulit: *Nunquid non verba mea ſunt, quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras?* Quomodo verbum hoc occiderit, latuerit, & extractum fuerit facilè poſſumus explicare ex his, quæ ſæpè annotata ſunt. Verbum namque Dei, decidit ſæpè, abſconditumque tenetur ſub aquis, quia ſæpenumero diuina verba, obſcura redduntur, & latent, propter hominum malitiam, aut fragilitatem, aut inſipientiam. Apertè ſatis Deus, diligendum inimicum antiquitus dixerat, cuius verbum ſub aquis abſconditum tenebatur, Phariſæorum malitia, dicentium, dictum eſſe antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et huiuſmodi multa Dei verba, ſub impijs Phariſæorum traditionibus, quaſi ſub aquis, tenebantur abſcondita. Huiuſmodi ferrum, aut ſecurim venit Chriſtus manifeſtare, & omnium oculis manifeſtè exponere. Et quamuis id verbo prius præſtiterit, poſtea perfecit per lignum Crucis, Crucem aſcendens, & ibi manifeſto opere omnium oculis expoſito, docens, quid Deus verbis ſuis dicere voluerit. Vnde qui non intelligit verbum Dei de patientia, religione, pietate, & ſignãter de inimicorum dilectione, oculos ad Chriſti crucem conuertat, & ibi illi fiet manifeſtum verbum illud: Diligite inimicos veſtros, &c. vt ſitis filij Patris veſtri. Hæc congruentia ſunt: ſed profundius Irenæus myſterium expendit, quo, quæ ex Apoſtolo ſupra induximus, fient manifeſta. Securis typum tenuit verbi, ac decreti diuini, illius præcipuè, quod ab æterno locutus fuit Deus, prædeſtinans, & eligens homines in filios, qui æternæ ſuæ beatitudinis hæreditatem obtinerent, quos Paulus dicit *electos ante mundi conſtitutionem*. Appellatur autem hoc verbum, aut decretum, ferrum, propter eius firmitatem: *Firmum enim fundamẽtum Dei ſtat*, vt dixit Apoſtolus, quod tota mundi machina non ſoluet. Appellatur verò ſecuris, quia hominem à ſtatu terreno, & ab eſſe filij Adæ excindit, & transfert in ſtatum diuinum, & eleuat ad eſſe filij Dei, per gratiam, & participationem. Securis hæc cecidiſſe, & deperdi viſa eſt, quando homo peccauit: qui enim electus erat, vt eſſet filius Dei per gratiam, factus eſt illius inimicus per culpam, & qui approbatus erat ad æternam gloriam hæreditate poſſidendam, damnatus eſt, qui perpetuos vermes, & æternam pœnam hæreditaret. Sub peccatorum ergo colluuione, quaſi ſub aquis, hoc tenebatur decretum, & verbum abſconditum, & quaſi deperditum. Illud tamen Sancti viri reſtaurandum orabant, & ſupplicabant. Ita Eſaias; vbi noſter Vulgatus legit; *Feciſti cogitationes tuas antiquas fideles*, Septuaginta legunt; *conſilium tuum antiquum verum ſiat*. Quaſi dicens. Tuo æterno ſapientiſſimoque con-

a *Li. 5. con. hæreſ. c. 17.*
b *Lib. cont. Iud. ad fin.*
c *Ser. 210. de temp.*
d *In lib. 4. Reg. 4. Reg 6.*
Matt. 3. 10 Ier. 25. 29.
ad Eph. 1. 4
2. ad Tim. 2. 19.
¶ *247.*
Eſai. 25. 1.

consilio decreuisti, vt homo filius tuus effectus, hæreditatem tuam obtineret: hoc videtur deperditum, quia homo consilium diaboli sequutus, quod intẽdebat amisit: verum igitur verbum tuum fiat. Et certè verum factum est, & securis deperdita, fuit restituta per lignum, per Crucem namque Christi, homo iterum admissus est, vt filius Dei effici posset, & sit. Expendit autem peculiariter Irenæus, illa verba, quæ in historia habentur, quod misso
4. Reg. 6. 7. ligno in aquam, *extendit manum suam*: ipse legit; Extendit manus tuas, annotans, à quodam de senioribus, mysterium obseruatum fuisse. Erat (quantum existimo) senior iste, beatus Polycarpus, Ioannis Euangelistæ discipulus, & ipsius Irenæi magister, qui in hac manuum extensione, extensionem manuum Christi in Cruce, per quam duos copularet populos intellexit, quam rẽ mirè prosequuti sunt Sancti Patres, Iu-
a *Apolo. 2.* stinus martyr *a*, Ambrosius *b*, Athana-
b *Serm. 55.* sius *c*, Gregorius Nazianzenus *d*, Chry-
c *Libr. de Incarn.* sostomus *e*, Damascenus *f*, & alij innumeri. Per hoc igitur lignum, securis extracta est, & dictum cuilibet: *Tolle*, quia per Crucem Christi reconciliati sumus Deo, & ad æternam hæreditatẽ admissi sumus, & datum, vt Filij Dei effici possimus. Non potest homo esse
d *Orat. 1. Apol.* e *Tribus Homilijs de cruce.* f *Li. 4. c. 12.* Dei hæres, nisi sit filius illius. Non potest esse illius filius, nisi ad imaginem primogeniti Dei seipsum depingat, & conformet. Ad hoc adhibitum est lignum, ad hoc in illo manus suas extẽdit, seipsum conspiciendum proponens, tanquam exemplar, cui conformemur, cuius iam dicit, *Tolle securim.* O insigne beneficium, cuius iam homini conceditur, posse tollere hanc dignitatem suprema, quod sit filius Dei, sed per lignum non solum per meritum Christi morientis in ligno, sed ex eo, quod illius figuram, & effigiem homo in semetipso describit, & conformis efficitur imaginis filij Dei, per veram imitationem. Quid autem ibi imitandum peculiariter proposuerit, manifestum est ex his, quæ ipse viuens di-
Ioan. 13. 35 xerat: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicem*. Hanc singulariter à nobis tenendam, hanc moribus nostris delineãdam ostendere voluit. Illum igitur imitare, & similis effici procura, vt filius Dei esse possis. Communis tamen hominũ responsio est, vt inquit Chrysostomus, Christum fuisse Deum, ad cuius opera nemo potest peruenire; *Quid enim*, inquit Ecclesiastes, *est homo, qui possit sequi Regem factorem suum* quasi non hæc ratio potius contra, quam pro illis esset. Si enim Deus, qui Dominus est supremæ maiestatis, grauissimas offensas, tibi vermiculo misericorditer remittit: nonne, & tu fratri tuo, tibi æquali, & simili, inania, & leuia, & nullius ponderis debita remittes? Verè hæc consideratio deberet omnem inimicitiam abfumere; de hac namque etiam possumus intelligere illud Apostoli, de Christo in Cruce morientes; *Interficiens*, inquit, *inimicitias in semetipso*. Quænam enim inimicitia non eradicetur, dum videmus Deum, ita inimicis tam immensas offensas remittentem? Meritò tunc sunt, *sepulchra aperta sunt*: quia morienti Christo, sepelienda sunt iam peccata, dum pro peccatis mori illum videmus, & sepeliendæ sunt inimicitiæ, & odia, dum videmus, ipsum ita inimicos dilexisse, & talia beneficia eis præstitisse, qui sanguinem suum, & vitam suam, & seipsum pro eis offerens, clamabat: Pater dimitte illis, &c. Quid tandem tale perpessus tu es, (inquit Chrysostomus) quale tuus, imò omnium Dominus, vinctus loris, verberatus flagellis, palmis ora temeratus, conspútus à seruis, ad mortem vsque deductus, & mortem turpissimam, & infensissimã, ad hoc postquam beneficia mille eis contulerat? Hoc exemplum sufficere posset, & deberet. Nihilominus tamen, vt plenè nobis satisfaciat, inquit Chrysostomus, nobis homines nostri similes proponit, qui ipsum imitati fuerunt, & filij Dei effecti, nunc æternæ beatitudinis hæreditate perfruũtur. Quod signanter factum videmus in Stephano, inquit Cyprianus, qui cum à Iudæis vi, & lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus veniam postulabat, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*. Sic

Hom. 2. de Cru. & Latro. *Eccle. 2. 10.* *ad Ephes. 2. 16.* *Hom. 18. in Matth.* ¶ 248. *Hom. 2. de Cruce. cit.* *Li. de bono patient.*

esse

esse oportuit primum martyrem Chri-
Act.7.59. sti, qui martyres secuturos gloriosa morte præcurrens, non tantum Dominicæ passionis prædicator esset, sed, & patientissimæ lenitatis imitator. Ita Cyprianus. Si imitari non vis Dominum, inquit Augustinus, imitare saltem seruum eius Stephanum. Quemadmodum Christus inter crucifigentes se, relinquens Crucem, relinquens pro priam persecutionem, pro crucifigentibus se deprecabatur patrem, ita, & seruus eius, inter lapidantes se, suscipiens iacula saxorum, & dolores, qui ex ipsis fiebant, dicebat: *Domine ne statuas illis, &c.* Et vt discas, quoniam cum omni solicitudine orauit; *Positis*, inquit, *genibus orabat*. Ita Augustinus. Et iterum: Si non Dominum, saltem imitare seruum Stephanum, positis genibus orantem; *Domine ne statuas, &c.* Disce, & vide, quomodo pro se stans orauit, & pro illis genua flexit. Putamus fratres, quia plus eos dilexit, quam seipsum? Pro se stans, tanquam iustus, facilè exaudiebatur, pro iniquis genu figendum erat. *Et cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino*: obdormiuit in requie dilectionis, pacem pinguissimam inuenit, quia pacem inimicis optauit, &c. O somnum pacis, inquit idem Augustinus. Quid illo somno tranquillius? Quid illo somno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat inimicos. Et iterum. Felix somnus, & requies vera. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare. Et iterum: positis inquit, genibus clamauit, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Videte dilectissimi affectum beati viri, videte magnam, & admirabilem charitatem, in persecutione positus erat, & pro persecutoribus deprecabatur, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuisci poterat etiam charissimos suos, tunc ille Domino commendabat inimicos. Plus tunc illorum dolebat peccata, quam sua vulnera, plus illorum impietatem, quam suam mortem dolebat, & rectè plus sin illorum quippe impietate erant multa, quæ plangi potuissent, in ipsius autem morte non erat, quid debuisset doleri: illorum impietatem mors sequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo fratres tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatem. Ita Augustinus.

Ser.103. de temp. & ser.1. & 4. de Sanct.

Serm.171. de temp & ser.1. & 2. de Sanct.

Act.7.59.

Serm.1. de Sanct.
Serm.2. de Sanct.
Serm.5. de Sanct.

§. 9. *Deus Solem suum oriri fecit super bonos, & malos, qui sic dilexit mundum, vt daret Filium suum vnigenitum, qui aptè Sol suus dicitur.*

¶ 249. *QVi Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Nouum argumentum hæc verba continere possunt, inducens ad propositi præcepti obseruationem. Si enim Deus sic amat, & benefacit inimicis suis, cuius operatio, regula nostrum actionum esse debet, hoc ipso, idem nos agere debere, est manifestū. Verius tamen continent rationem eius, quod præmiserat: *Vt sitis filij Patris vestri*: Filiorum enim est, parentibus esse simile. Quod expressius S. Lucas indicasse visus est, notam causalem apponens: *Eritis*, inquit, *filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*. Ratio filij, est ratio similitudinis, & in tantum aliquis dicitur filius alterius, in quantum ei assimilatur. Dicebantur antiquitus *filij Prophetarum*, ratione morum, & professionis, quia in moribus, & professione se illis exhibebāt similes. Dicitur itidē filius magistri, discipulus, ratione doctrinæ, quia in ea debet discipulus magistro similis fieri. Et Paulus dicitur pater, *& generare filios per Euangelium*, quatenus auditores in fide Euangelij sibi similes producebat. Magna differentia est inter Christum, & nos, in ratione filiationis diuinæ, vt annotant sancti Patres, Athanasius *a*, Cyrillus *b*, Ambrosius *c*, Augustinus *d*, & alij innumeri, quorum doctrinam explicat Diuus Thomas *e*. Nam ille filius Dei est per naturam, & intellectu;

Luc.6.35.

4 Reg 2.3. 5.7.15. & 4 38.

a *Ser cont. Arian.*
b *Libr. in Ioan. c. 4.*
c *Lib. 4 de Fid. cap. 4.*
d *Lib 2 de conf Euā. cap 3 & epist. 20. ad Honor.*
e *3 p. q. 23 art. 4.*

quia

quia producitur naturali generatione, per actum intellectus: idcirco similis debet esse Patri, in natura substantiali, & intellectu, cuius verbum, & expressa species est, & conceptus mentis. Homines autem iusti, sunt filij Dei, per voluntatem liberam, quos *elegit secundum consilium voluntatis suæ*, per quam eos diligit, & sibi adoptat ad æternam hæreditatem. Ideò dicitur; *Voluntarie genuit vos*. Idcirco debent ei similes esse in voluntate recta, id volentes, quod diuinæ voluntati est conforme, vt explicauit Beatus Augustinus, & in tantum filij Dei dici poterunt, in quantum diuinæ voluntati fuerint conformes. Vnde Christus Dominus, cupiens nos filios Dei efficere, exprimit nobis, qualis sit diuina voluntas, vt ei nos exhibeamus similes. Talis illa est, vt diligat amicos, & inimicos, & illis omnibus benefaciat. *Qui solem suum*, inquit, *oriri facit, super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos*. Duobus autem modis, iuxta Augustini mentem, hæc verba intelligi possunt: primò de Sole isto visibili, & pluuia materiali, per quæ Deus temporalia subsidia omnibus confert, amicis, & inimicis, quem sensum præcedenti tractatu sequuti sumus. Secundò, de Sole iustitiæ Christo, & pluuia doctrinæ veritatis, & hunc sensum nunc expendemus, quem Augustinus ex eo probat, quod Christus in Scriptura sacra vocatur Sol, de quo dicitur *Candor* (id est splendor) *est lucis æternæ*; & iterum: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol, &c.* Quod, & Beatus Gregorius ex professo obseruauit, expendens illud Dauidis: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Quærit Gregorius, cur Dauid Solem hoc in loco dimiserit, & tantum mentionem fecerit lunæ, & stellarum: Et respondet, quoniam sermonem suum ad Christum qui verus est Sol dirigebat, & ad eum loquebatur, Vnde non de ijs exterioribus loquutus est Propheta, inquit Gregorius, nec enim luminare maius prætermisisset, quod ante lunam, & stellas expressisset. Dicendo itaque lunam, & stellas, & tacendo Solem, qui factus est, indicauit, quia ad illum Solem loquebatur, qui non tantum solem, & lunam, atque stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam, atque stellas homines sanctos, spiritualiter fecit. Ipse ergo Christus Sol est, quem Pater oriri fecit, de quo verius quam de materiali Sole, id dici potest: *Vas admirabile, opus excelsi: magnus Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter*. De quo alibi. Pluuiæ etiam nomine, doctrina veritatis sæpè vocatur. *Concrescat vt pluuia doctrina mea*, dicebat Moyses. Aut verò Christus ipse exprimitur, de quo dictum est *a*, *Descendet sicut pluuia in vellus*. Et *b*, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: & *c*, *Quasi diluculum præparatus est egressus eius, et veniet, quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*. Vide qualiter Deus dilexerit inimicos, qui Solem suum, Filium suum oriri fecit super bonos, & malos. Et bene Solem suum: est Sol principium lucis, lætitiæ, & totius boni. Est filius Dei, in quo omnis lux, sapientia, lætitia, gloria, bonumque Patris situm est: vnde, & illud pleno ore vocauit; *Omne bonum meum*. Aptè Christus ostendere volens, diuinum amorem erga inimicos, hoc induxit, quod eis dedit filium suum, Solem suũ, ad eorum lucem, vitam, salutem, & profectum. Hoc enim supremum, & maximum est diuini amoris opus, & argumentum, quod propterea illa tam ingenti emphasi proposuit Christus Nicodemo dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Hoc argumentum maximum, & excedens testimonium est diuinæ charitatis. Annotanda sunt illa Esaiæ verba. *Ecce testem populis dedi eum*, quæ Septuaginta legunt: *Ecce testimonium gentibus dedi eum*. In Hebræo habetur nomen *Ghad*, quod significat testem, & testimonium, vt cum dicitur. *Tumulus iste testis erit*: & *Non loquaris contra proximum falsum testimoniũ*. Quidam existimant, Christum dici testem, aut testimonium passiue, quia ille est, de quo testimonia omnia Prophetarum loquuta sunt, *cui omnes Prophetæ testimonium perhibent*. Ita Beatus

Ad Ephes. 1. 11.

Iacob. 1. 18

Libr. 1. de ser. Dom. in monte.

Libr. 1. de ser. Dom. in monte, & serm. 50. de temp.

Sap. 7. 26. Mala. 4. 2. Hom. 13. in Ezech.

¶ 250.

Eccl. 43. 2.

Deut. 32. 2

a Psal. 71. 6

b Esa. 45. 8

c Ose. 6. 3.

Exo. 33. 19

Ioan. 3. 16.

Esai. 55. 4.

Gen. 32. 48 Ezech. 2. 16.

Act. 10. 43.

tus

In Psa. 118 serm. 5. tus Ambrosius, qui propterea Christū Dominum: *Magnum testimonium*, vocat, quē omnes Prophetæ testati sunt, & in quo omnia eorum testimonia cōplentur. Ita, & Isychius. Alij id intelligunt, quoniam verè Christus est in mundum missus, *vt testimonium perhiberet veritati*: ipse namque solus esse poterat oculatus testis mysteriorum fidei, de quo dictum est; *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, & ipsemet, *Amē dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*. Cæterum Sanctus Augustinus, suo dignam ingenio intelligentiā indicat, docens, cur Christus verè, & propriè possit appellari via testimoniorum Dei, & testimoniū.

In Leui. in princ. *Ioā. 18.37.* *Ioan. 1.18.* *Ioan. 3.11.* *In Ps 118. cont 6.*

¶ 251. Testimonia quippe sunt Dei, quibus quantum nos diligat nobis probare dignatur, nulla autem re magis, aut apertius testificari potuit, quantum nos diligat, quam per ipsam Filij sui personam, quam dedit nobis. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Magnum testimonium, Iesus (inquit Ambrosius) nulla enim re alia, potuit magis suum erga nos amorem testari. Ecce ergo testem paternæ charitatis, aut testimonium diuini amoris. Et visus est Propheta, ad locum quem insinuabamus alludere. Quando Iacob, & Laban fœdus inierunt, *tulit Iacob lapidem, quem erexit in titulum*, cui iussit omnes lapides aggregari, qui in circuitu erant, ex quibus magnus lapidum aceruus effectus est, quem Laban vocauit. *Tumulum testis*; & Iacob, *Aceruum testimonij, vterque, iuxta proprietatem linguæ suæ*. Dixitque Laban: *Tumulus iste erit testis, inter me, & te hodie*. Lapides tunc pro testibus substituebantur, vt ex historia diuina patet, quantò alicuius rei maius testimonium inducere volebant, maiorem lapidum aceruum faciebant, quasi plures testes ibi includentes. Ideò transmisso Iordane, & maiores lapides voluit Deus congregari, & substitui in testes, qui aceruum facerent, testantes fauorem, quem Deus Israelitis tūc diuidendo aquas Iordanis præstiterat.

Ad Rom. 5. 8. *In Ps. 118. cit.* *Gen. 31. 46* *Ioſue 4.*

Quando omnes lapides, qui circumstabant, coaceruabantur in vnum tumulum, supremum testimonium dicebatur, quod omnes testes in se claudere videretur. Obseruabamus itidem supra, Iacob sæpè lapidibus, in rebus maioris momenti exprimendis, vsum fuisse, quippe qui in lapidis typo Christum præuidebat; Idcirco, & lapidem suppositum tanquam fundamentum, in titulum, cui omnes lapides circunstantes iussit aggregari, quia lapis à Iacob erectus in titulum, expressam Christi gerebat figuram, in quo omnes lapides, qui testes esse solebant, congregati sunt, vt verè dicatur. Aceruus testium, aut tumulus testimoniorum, quia omnia, quæ Dei amorem erga homines testari possunt, in illo continētur, & claudūtur. Testes amoris sunt dona: Christus autem tale donum est, in quo omnia, quæ Deus dare potest includuntur, nec habet ipse, etiam secundum suam omnipotentiam, aliquid, quod alicuius sit valoris, quod in Christo non contineatur. Ecce ergo testimonium magnū diuini amoris. Et verè id egregiè ipsimet Nicodemo explicauit, in loco, quē paulo antè citauimus: *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Singula verba, Dei amorem excellenter expendunt, & magnā inducunt admirationem. Primò enim expendit Christus, quem Deus amauerit: *dilexit mundum*. Deo naturale est amare, & sicut esse non potest sine intellectione, ita nec sine amore. Sine amore inquam, illo, quo seipsum amat, vt Beatus Augustinus demonstrat, à quo cessare non potest, sicut nec ab intellectione, & cognitione sui. Hic amor Deo naturalis, congruusque est, in quo omne bonum continetur, & nihil bonum, quod in illo clausum non sit, vt idem Augustinus egregiè demonstrat, docens, Deum tale esse bonum, in quo omnia bona, quæ in rebus sunt, & esse possunt, perfectissimè continentur. Quod ergo Deus se amet, naturale, & congruum est, cui conuenit diligere omne bonum, sed quod diligat mundum, qui est extra se, mirabile est: nam aut bonus est, aut malus, si bonus, iam omne bonum in ipso est, si malus quo-

Ioan. 3. 16. *Libr. 15. de Trin. c. 20.* *Libr. 8. de Trin. c. 3: ¶ 252.*

modo

modo potest malum Deus diligere? *Dilexit*, inquit, *mundum*, qui extra se erat, imò qui malus erat, quia *totus mundus in maligno positus est*, imò qui ipsi erat inimicus: *Commendat enim charitatem suam, quia cum inimici essemus, &c.* Quæ ratio dilectionis esse potuit? Nunquid quia illi necessarius, aut vtilis? Si totus mundus bene egerit, quid dare ei potest? An quia meruit amari? Sed potius sibi iram promeruit, per peccata. An quia agnoscebat eum gratum futurum? Sed summam hominum ingratitudinē agnoscebat, qui maiora beneficia maiori erant ingratitudine compensaturi, vt Diuus Chrysostomus annotat. Dices: Videtur igitur amor irrationabilis, & ex consequenti temerarius: ille enim talis amor dicitur, qui nulla ratione ducitur. Non est amor temerarius, quia quamuis ex parte eius, quod diligitur, nulla sit causa, tamen ex parte amantis, motiuū inuenitur, summa scilicet bonitate charitas: ideoque nulla ratio dilectionis, inquit Chrysostomus, nisi ipsamet bonitas Dei. Vides homines tam bonæ, quod dicimus naturæ, qui etiam sibi ignotos diligunt, & omnibus benefaciunt. Tam bonus est Deus, vt mundum sibi inimicum, nulla ratione nisi sua bonitate motus dilexerit. Vlterius tamen Christus progreditur, vt ostendat quantitatem amoris. Non mundum dilexit quomodocunque, sed sic vehementiam, & magnitudinem diuini amoris ostendit: *Vt filium suum vnigenitum daret.* Censuit Origenes, illa Dei verba ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum Isaac*, ita expendi debere, vt nullum sit, quod singularissimam vim, & emphasim non habeat. Multò magis hæc Christi verba expendi possunt: *vt Filium.* Annotant verbum Chrysostomus *a*, & Cyrillus *b*: non oues, aut boues, quæ sacrificarentur, sicut antiquitus in lege, non homines infideles, aut idolorum cultores, quos minus æstimat, non aliquem ex Patriarchis amicis suis, aut aliquem Angelum ex innumeris, qui ei assistunt, sed Filium; & non quemcumque, sed *suum*. Nullus pater habuit filium, quem omni ex parte suum esse dicere possit. In primis enim nihil est, quod totaliter sit hominis: omnis siquidem res Dei est, à quo omne bonum procedit, qui quantumcunque donet, non potest à seipso supremam dominij rationem abdicare. Ideo omnia, quæ homo habet, dicuntur à Christo, data. *Si vos*, inquit, *nostis bona data dare filijs vestris*, id est, nostis dare bona, quæ vobis à Deo data sunt. Deinde in cuiuslibet hominis filio, Deus maiorem partem habet, quā parentes, qui eum genuerunt, non solùm ratione animæ, quæ est præcipua pars, sed etiam ratione corporis, quod ipse compingit, ordinat, & organizat. Id quod sancta, & sapiens illa Sanctorum Machabęorum mater dicebat: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi sed creator mundi, qui formauit hominis natiuitatem.* Ipse est, inquit Beatus Paulus, *qui dat vitam, inspirationem, & omnia*. Idcircò Christus volens hoc docere, dixit: *Nolite vobis vocare Patrem super terram, vnum est enim Pater vester, qui in cœlis*. Magis enim pendent ab illo omnes filij, quam à Patre, qui illos genuit. Tandem, quamuis substantia filij à Patre procedat, & sua sit, tanquam à principio, sed postquam filius illam susceperit, ita filii est, vt realiter sit distincta à patris substantia; ideoque iam non est matris Deus autē omnibus modis potuit filium *suum* vocare: quia ita *suus*, vt nullo modo sit alterius; Non est Filius, qui procedat ex patre, & matre, vt partim patris sit, partim matris, sed totus à solo patre procedit, & ita illi suam substantiam dedit, quod verè eadem sit substantia Patris, nec alia sit substantia Patris, nisi illa, quam Filio dedit. Ideò dans illum, verè totam suam substantiam dedit, & totum quod suum est. *Vnigenitum*. Vocatus fuit Isaac, vnigenitus Abrahæ non quia alium non haberet, verè namque alium habeat, Ismael, sed quia ex libera, solum Isaac susceperat. At Deus filium habet, ita vnigenitum, vt nullum alium naturaliter ge-

1. Ioā. 5. 19. ad Ro. 5. 8.

Homil. 26. in epist. ad m.

Hom. 7. in e ad Tim.

Hom. 8. in Genes.

a Hom. 26. in epist. ad Rom.

b Lib. 2. in Ioan. c. 51.

Luc. 11. 13.

2. Macha. 22.

Actō 17. 25.

Mat. 23. 9.

¶ 253.

Gen. 22. 2.

gẽnuerit, nec generare possit, in quo omnem suam generandi potentiam exhausit, cui omnem substantiam tradidit. Meritò hunc loquens ad Moysen. *vocauit omne bonum suum*, vt dictum est. Hunc filium mundo *dedit*: non vendidit, non pro aliquo bono commutauit, non spe alicuius recompensæ tradidit, sed liberè omninò dedit. Et ad quid? Ad crucifigendum: de illo enim mysterio agebat, cum Nicodemo, figurato per serpentem elevatum in ligno *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam*: ad bonum inimici, ad vtilitatem peccatorum. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres filium tradidisti. Hoc ergo est, quod Christus dicit: *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos*. Quibus concinit Apostolus: *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Pro iniustis quidem tradidit illum, non pro iustis, qui tunc essent, vt Diuus Augustinus expendit, imo, & Apostolus: quia omnes eramus inimici, & filij iræ, sed pro iustis, qui per illum erant futuri. Nec tantum pro istis, *forsitan enim pro bono quis audeat mori*, sed, & pro ijs, qui tanto bono erant futuri ingraci, compensaturi illud maioribus offensis: nec enim, vt Catholica veritas contra impium Caluinum demonstrat, tantum Christus pro prædestinatis, & saluandis datus est à Patre. & traditus in mortem, sed pro omnibus hominibus, vt quantum in se est, etiam pro Antichristo passus fuerit. Ex his infert Beatus Ambrosius contra Nouatianos, impium esse dicere, denegandam pœnitentiam peccatoribus, quos ita Deus dilexit, vt pro illis Filium suum vnigenitum daret in mortem, vt non perirent. Indeque argumentum Christi efficacissimum apparet. Qui namque filius Dei futurus est, illius debet charitatem, & amorem imitari. Vide autem quam longe sit illius amor ab inimicorum odio; qui ipsis inimicis talia dilectionis argumenta demonstrat: Qui Solem suum oriri facit, &c. Quæ de sole dicta sunt, possunt etiam de pluuia similiter annotari. Nomine namque pluuiæ, vt dictum est. CHRISTVS intelligitur: sicut enim descendit pluuia de cœlo, non in bonum pluuiæ ipsius, sed in vtilitatem terræ aridæ, & siccæ, quæ sic pluuiam recipit, vt eam absumat, bibat, ac deglutiat, sic missus est filius vnigenitus Patris, tanquam pluuia, quomodo Beatus Cyrillus illud intellexit: *Sicut descendit imber de cœlo & inebriat terram, sic erit verbum quod egredietur de ore meo*. Descendit sicut pluuia, non in bonum ipsius, sed terræ aridæ, humanæ scilicet naturæ, quæ tamen hanc pluuiam recipiens deglutiuit; quia occidit Christum, & sub terra condidit in sepulchro. Hæc autem pluuia, missa est super bonos, & malos, &c. Videndus Beatus Gregorius in illud, quo dixit Deus ad Iob: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, &c vt plueret super terram absque homine in deserto, &c vt impleret inuiam & desolatam & produceret herbas virentes? Quis est pluuiæ Pater, &c.* Quamuis enim Gregorius de verbo diuinæ prædicationis intelligat, de verbo æterno in terram misso similiter intelligi possunt.

Exo. 33. 10

ad Ro. 8. 32

In Enchri. cap. 31.

ad Ro. 5. 7.

Libr. 1. de pœn. c. 10.

In c. 55. Esa. Esa. 55. 10.

29. Moral. cap. 15. & seqq. Iob. 38. 25.

§. 17. *Vt templum animæ Deum capiat, extruendum est sub mensura sex cubitorum, & palmi, non tantum debita, sed, & indebita præstando.*

¶ 254. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne, & Publicani hoc faciunt? Et si saluaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne, & Ethnici hoc faciũt?* Alteram rationẽ, illamq; efficacissimã addit Christus Dominus, qua obligat nos ad diligendum, non solum amicos, sed, & inimicos. Oportet siquidẽ Christianos, qui maiora intendunt, quam Publicani, & Ethnici, maiori cordis dilatione extendi: ideoq; non tãtum ea ergà homines agere debent, quæ hominibus ipsis sunt debita, quæq; agunt Ethnici, & Publicani, sed, & vlterius aliqd, propter Dei mandatũ. Hanc rationẽ intel-

ligemus, si conuertamus oculos ad illam visionem grauissimam Ezechielis, quam à capite quadragesimo vsque ad finem prosequitur. Mirabiles fuerunt Ezechielis visiones, quem propterea, vt alibi diximus, Chrysostom. a, Admirabilium visionem speculatorem, & Gregorius Nyssenus b, Magnarum visionum spectatorem vocant. Inter illas autem prima, & vltima tot, difficultatibus implicantur, vt apud Iudæos prohibitum fuerit, illas legi ab eo, qui trigesimum annum nondum expleuerit, vt annotât Origenes c, Gregorius Nazianzenus b, & Hieronymus c. Vtramque visionem Diuus Gregorius d, ex professo explicâdam assumpsit, qui tamen vltimam explicaturus, præmittit se nocturnum iter agere, & procedere palpando, illius difficultatem indicans. Eam consideremus, non quidem illius intima scrutantes, sed quæ faciliora sunt expendentes. Vidit igitur Ezechiel in illius visionis exordio, *Virum cuius species erat, quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mẽsuræ in manu eius.* Quantæ autem esset longitudinis calamus ille, paulò post explicat, subdens: *In manu viri calamus mensuræ, sex cubitorum, & palmi.* Veniebat ad metiendum templum sanctum, quod Dei sedes erat futurum, quod vndique sub mensura illius calami extructum erat. Hoc visionis initium, quod nostro instituto sufficit: certum siquidem est, virum illum typum tenuisse Christi Domini, cui Scripturæ perpetuò viri nomen tribuunt. *Fœmina circundabit virum,* inquit Ieremias: *Ecce vir oriens nomen eius,* inquit Zacharias. Habere aũt dicitur speciem æris, inquit D. Gregorius, propter doctrinæ excellentiam, & resonantiam, cuius sonus in omnem terram erat audiendus. Æs siquidem, inquit Hieronymus, inter omnia metalla volaciſſimum est, ideoq; & apud Græcos ex excellentis doctrinæ symbolum fuit. Venit vir iste ædificare templum Domino, in quo Deus habitaret, quod sine dubio de Ecclesia sancta, quam ædificaturus Christus aduenit, intelligendum est. Quoniam autem omnipotẽs Deus, inquit Gregorius, sic de toto simul Ecclesia loquitur, ac si de vna anima loquatur, & sæpè quod ab eò de vna anima dicitur, nihil obstat si de tota Ecclesia intelligatur, ita ædificationem Ecclesia in templum Dei describit, vt id de vnoquoque nostrum possimus intelligere. Quam regulam intelligens Paulus, quæ Deus de Ecclesia prædixerat, ad vnumquemque accommodat. Dixerat Deus: *Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos.* Paulus hinc probat, vnumquemque nostrum esse templum Dei. *Vos* inquit, *estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis.* Ita ergo venit Christus ædificare Ecclesiam, quæ templum Dei sanctum sit, vt simul vnumquemque templum efficiat capax, in quo Deus possit habitare. Ædificaturus templum ferebat in manu funiculum lineum, & calamum mẽsuræ: nec enim tẽplum, in quo Deus habitaturus est, debet nisi sub certa mensura, ordine, & proportione, esse dispositum: *qui omnia disposuit in numero, pondere, & mensura.* Funiculi linei nomine, aptè doctrina Euangelica exprimitur. Funiculus lineus, inquit Gregorius, subtilior est, quã qui ex canape, stuppa, aut ex alia conficiuntur materia. Antiqua lex funiculus fuit non lineus, sed crassus, quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per pœnæ sententiam, non peccata cogitationis, sed operis resecabat. At Euãgelica lex, funiculus lineus, sub tilissimusq; est, cordis intimas cogitationes pertingens, & ligans. *Audistis,* inquit Dominus, *quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Calamus mensuræ typum tenet charitatis, & dilectionis, vt alibi dictũ est. Et rectè lineus funiculus, calamo copulatur, quia Euangelicæ legis proprium est charitatis præceptum, dicẽte Domino: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et notandũ, inquit Gregor. quia funiculus, & calamus in manu est, id est, doctrina in opere: ipse namque ostendit opere omne quod docuit sermone, sicut scriptũ est: *Quæ cœpit Iesus facere, & docere.* Templum extructurus Deo, Christus funiculum lineum,

a *Li 1. con. vitam vitæ Mon to 5. & Ora. 3 de R. surr.*

b *In Proœm. hom. in Cant.*
c *Epist. ad Paulin. & proleg. in Ezech.*
d *Præf. in hom. 13. in Ezech.*

Ezec. 40. 3.

Ier. 31. 22.
Zach. 5. 12.

In c. 1. Dã.

Hom. 14. in Ezech. ad fi.

Luc 26. 12
2. Cor. 6. 16

Sap. 11. 21.

¶ 255.

Matth. 5.

Ioan. 15. 12.

Act. 1. 1.

lineum,

linæum, & calamum mẽsuræ applicat, quia, vt quis templũ tam amplũ, & spacioſum fiat, quod Deum capiat, Euangelica legis præcepta, quæ in præcepto charitatis, & dilectionis includuntur, debet ſeruare. Quod egregiè
Ioan.14.23 Chriſtus expreſſiſſe viſus eſt: *Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Non tenet doctrinam Euangelicam, qui non tenet charitatem: funiculo enim iunctus eſt calamus menſuræ. Qui ſub huiuſmodi menſuris fuerit diſpoſitus, templum erit tale, in quo tota Trinitas manſionem facere poſſit. Expendit Gregorius, quomodo poſſibile ſit, totum Deum intra vnius minimi hominis cor includi, ibique tanquam in ampliſſimo maieſtatis ſuæ templo habitare. Qui fieri poteſt, vt tota Dei in paruo corde, tanquam in ampliſſimo templo, & palatio habitet? Certum eſt, tale eſſe debere palatium, qualis eſt Rex, qui illud habitaturus eſt; taleque templum, qualis Deus, qui in illo eſt includendus. Dijs illis gentium, qui nihil aliud erant, quam fruſtum ligni, lapidis, auri, vel argenti, templa à ſuis cultoribus extructa, ſufficientiſſima erant, imò, & excedentia. Sed qualis quantuſve eſt Deus noſter? Egregiè ille amicus Iob Sophar Naamithes; *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari.* Singula verba expenſione ſunt digna: ſecundum enim omnes dimenſiones Deum exprimere viſus eſt. Eſt excelſior cœlo.
Iob 11.8.
Eſa.66.1. Eſaias eum deſcribit *ſedentem in cœlo*, maiorem ſui partem, noſtro intelligendi modo ſupra cœlum tenentem,
3.Reg 8. 27. de quo Salomon dixerat: *Cœli cœlorum te capere non poſſunt.* Signanter autem id obſerua, quod dicit: *Longior terra menſura eius.* at ille totam terram longo excedit interuallo, quanto magis hominem, qui ex pugillo terræ conditus fuit? Quomodo ergo homo totum illum capere poterit? Dilatando hominem. Hoc differunt amor, & timor, quod timor anguſtat, & comprimit cor: amor autem dilatat, & extendit, vt S. Anſelm. docuit, & Diuus Thomas proſequutus eſt. Antiquitus homines per veterem legem habebãt ſpiritum timoris, ideoque anguſtum; ſed per legem Euangelicam acceperunt Spiritum dilectionis, quam propterea Chriſtus defert, volens templum latum ædificare: ferebat enim funiculum legis Euangelicæ, *per quam nobis pretioſa promiſſa donauit, vt ſimus conſortes diuinæ naturæ*, & calamum charitatis. Ideircò, inquit Gregorius, vocatur mandatum charitatis, *latum nimis*, quia tantum dilatat cor, vt totum Deum capiat, iuxta illud quod dictum eſt: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Nec mirum, quia *Deus charitas eſt*; & ideò cor, quod capit charitatem, Deum ipſum capit, & tantum capit de Deo, quantum de charitate. Quare non capere poteſt Deum cor, quod charitatem ipſam non capit. Sub hac menſura Chriſtus templum extruit, & dilatat. Vnde, & Apoſtolus, dicturus: *Vos eſtis templum Dei viui*, cœpit Corinthios hortari ad cordis dilatationem. *Os noſtrum patet ad vos, ò Corinthij, cor noſtrum dilatatũ eſt*: ideſt, ex ijs, quæ ore loquor, vobis patere poteſt, quam dilatatum ſit cor meum. Non cor anguſtum ferebat Paulus, ſed latiſſimum, nec mirum, quia charitate totus ipſe erat ſuccenſus, qui clamabat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, &c.* Quoniam autem Corinthi, aliquos pſeudoapoſtolos audiebant, qui antiquam legem ſeruandam proponebant, quos libenter audiebant, ſubdit Apoſtolus: *Non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.* Nõ legem ego prædico, quæ anguſtet cor, quia legem Euangelicam propono, quæ illud dilatat: ſed vos affecti antiquæ legi, anguſtiam cordibus veſtris infertis. Quid igitur agẽdum eſt? *Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico, dilatamini, & vos.* Tanquam pater ad filios loquebatur, inquit Anſelmus, quibus exponebat, eandem illis repoſitam remunerationẽ, ſi eãdem tenerent cordis latitudinẽ: Dilatamini, & vos, amplitudine charitatis, vt oẽs homines piè diligatis, & nõ p timoris

In 6. 2. ad Corint.

Hom. 16. in Ezech.

Pſ. 118. 96
1. Ioa. 4. 16

¶ 256.

2. Cor. 6. 16.

2. Cor. 6. 11

ad Rõ. 8. 35

angustiam, sed per amoris latitudinẽ, bona faciatis. Hoc supposito illos hortatur, vt infidelium opera fugiant, qui in Dei templum extructi sunt. *Vos estis templum Dei viui*, non idolorum, quæ virem non habent, sed Dei viuentis. Dilatamini igitur, & vos, per charitatem, quæ cor ita dilatat, vt totum Deum capere possit. Vt autem templum hoc decentem latitudinem habeat, non cuiusuis mensuræ calamo metiendum est, sed *calamo mensuræ sex cubitorum, & palmi*. Mirum est, cur palmus sex cubitis addatur: senarius enim ab omnibus iudicatur numerus perfectus, de quo multa Mathematici, & Philosophi disputant. Cur igitur perfectæ mensuræ additur palmus? Ad egregium mysterium indicandum. Numerus senarius apud Mathematicos, & Philosophos significat id, quod iustum est, ex eo quod omnis ratio numerica, iustè senarium efficit. Tria namque sunt, quibus omne quod ad numeros pertinet continetur: vnitas, quæ est principium numeri; & numerus par, & impar. Hæc omnia iũcta iustè senarium conficiunt: nam vnitas, & primus numerus par, scilicet dualitas, & primus impar, scilicet ternarius, efficiunt senarium. Hac certè ratione discurrendum circa istum numerum numerum docuit Macrobius *a*, docentque Augustin. *b*, & Gregorius *c*, multa annotantes. Qua de causa significat charitatem, quam quasi ex lege iustitiæ homo tenere debet, diligens non solum Deum, sed, & amicos, & eos à quibus diligitur, quibus amorem rependere tenetur. Sed breuis angustaque esset mensura, si solum ad sex cubitos se extenderet, oportuit, & superaddere palmum, quia angustus est amor, qui Solis amicis, quasi ex debito iustitiæ rependitur: requiritur vt vltra id, quod debitum est, progrediatur. Id fit, cum vsque ad inimicos amor se dilatat. Volens igitur Christus, templum dilatare, mensuram sex cubitorum, & palmi extendit, secundum quã templum ampliari debet. *Audistis quia dictum est: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Amor iste angustus est, quia tantum mensuram numeri senarij tenet, solum enim se extendit ad id, quod omninò debitum est, diligere scilicet diligentem, & amare amicum. Vlterius progreditur mensura, nam, & palmum superaddit senario, quia non ille amor sufficienter dilatat, qui debitus amicis exhibetur, sed ille requiritur, qui non debetur, & vltra debitum se extendit, qualis est amor inimici. Hocque Christus euidenti ratione comprobat: *Si enim tantum diligitis eos, qui vos diligunt, quã mercedem habebitis? Nonne, & Publicani hoc faciunt?* Illi qui angusto sunt corde, rebus terrenis contenti, ad hanc latitudinem perueniunt, vt diligentes se diligant: dilatandum est igitur amplius cor, &c. Et verè rationem hanc egregiè prosequitur Ioannes, magnus istius præcepti prædicator. Supponit, quod Deus per veram charitatem habitat in nobis. *Deus*, inquit, *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ecce aliqualem proportionem, & quomodo cor tuum aliquo modo diuinam magnitudinem æquabit, & illam capiet. Deus charitas est: ideoque rectè cõuenit, & quadrat cũ corde, in quo charitas manet, & miro nexu iungitur illi. Sed qualis charitas? Illa quæ non tantum ad amicos, sed ad inimicos vsque protenditur: illa quæ neminem odit, quantumcunque offendentem, & iniuriantem: *Nam si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Vide efficaciam rationis. Homo quiuis est tibi æqualis, & quantumcunque sit magnus, tanquam Golias, totũ illum visu comprehendis, & cadis: si igitur tanta est cordis tui angustia, vt nõ capiat hominem tam paruum, quem totum illum parua pupilla oculi tui concludis, Deũ qui infinitè omnes homines excedit, quomodo capere poterit? Hanc rationem etiam indicasse visus est Apostolus, illis verbis supra citatis: *Eandem remunerationem habentes tanquam filijs dico, dilatamini, & vos.* Homo expectat gloriam immensæ, & infinitæ magnitudinis, quã vocat ipse Paulus, *Æternũ gloriæ pondus*: qua de causa, inquit Augustin. oportet dilatari cor per chari-

a *De somno Scip.* 1.
b 1. *De ciuit.* c. 30. & 4. *de Genes. ad lit.* c. 2. & 7.
c 30. *Mor.* c. 24. & *Hom.* 14. *in Ezech.* & 31. *in Euang.*

¶ 257.

1. *Ioan.* 4. 16

1. *Ioan.* 4. 20

1. *Cor.* 6. 13

charitatem: si tam angusto, & infirmo
1. Cor. 4. 17 cordes es, vt non possis sustinere leue pondus iniuriæ, & offensæ ab inimico illatæ, quomodo poteris æternum immensumque pondus gloriæ sustinere? Qui talem remunerationem expectatis, *Dilatamini, & vos.* Exijs infertur, ei
Ho. 14. & 15. in ep. ad Ephes. qui intendit seipsum exhibere templum Dei, ad quod inhabitandum Deus maiestatis veniat, & quod aptus sit, qui totam diuini regni gloriam in se capiat, & includat, singulariter per dilectionem inimici, & beneficentiam erga eos, qui se offenderunt, esse disponendam, omneque odium, & deponendam. Ex his explicat Beat. Chrysostom. doctrinam Apostoli, scribentis ad Ephesios: qui postquam eos hortatus est, abstinere ab omni verbo inordinato contra proximum, subdit:
ad Eph. 4. 30. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, id est, baptismi. Dices: Quid est contristare Spiritum sanctum? Nam in eo tristitia cadere non potest. Respondet Diuu. Thom. hoc intelligendum quantum ad effectum, quia sicut
In ca. 4. ad Eph. lec. 10 quando aliquis contristatur, recedit à contristante, ita Spiritus sanctus ab eo, qui illum offendit. Ita vult dicere: Nolite expellere à vobis Spiritum sanctum, aut ne agatis id, propter quod compellatis Spiritum sanctum, quem recepistis in baptismo, à vobis recedere. Quid igitur agendum est? *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, cum omni malitia, tollatur à vobis, &c. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, &c.* Videtur, vt
¶ 258. annotat Chrysostomus, loqui Apostolus, metaphora sumpta ab apibus. Illi qui apum studio tenentur, cupientes ad sua alueoria opes trahere, intelligentes eas fugari rebus immundis, & amaris, attrahi autem dulcibus, & odoriferis, primo omni amaritudine vasa aut calathiscos mundant, deinde vaporationibus, & virgultis bene olentibus, bonaque fragrantia, locum apibus deputatum commodum reddunt; melle vinoque fraganti vasa, & calathiscos liniunt, sicque apes ad eos summa celeritate conuolant, fauos ibi componunt, & melle dulcissimo replent. Ita sanè Spiritus sanctus, *mundus* est, vt Sapiens dixit: est itidem *super dulcis, & suauis*. Idcirco nihil illi magis contrarium, quam immunditia, & amaritudo. nihil magis illi conforme, quam munditia dulcedo, & suauitas. Idcirco si vultis ad Spiritum sanctum ad cordis vestri alueare aut calathiscum adducere, qui tanquam argumentosa apis fauos plenos dulcedine, & suauitate gratiæ, & donorum suorum conficiat; *omnis amaritudo & ira, & omnis malitia tollatur à vobis*: hæc enim non solum non trahunt Spiritum sanctum, sed existentem expellunt: & limite vas cordis, benignitate, misericordia, remissione, & condonatione offensæ. Quando igitur te disponere paras per Sacramentorum susceptionem, vt Spiritum sanctum ad te trahas, illius adiuuante gratia, hoc tibi summe curandum est, mundare cor ab omni amaritudine. odio, & ira (Omnis, inquit, amaritudo, & ira tollatur à vobis) & te exhibere benignum, remittentem offensas, diligentem inimicum, & orantem pro eo: quia tanto cum maiori plenitudine, & abundantia veniet ad te quanto magis liberum ab odio, & benignum te præstiteris. Considera Scripturas sanctas, & videbis, in ijs plenius habitasse, qui maiori erga inimicos amore erant succensi. Vide Christum Dominum, de quo Prophetæ prædixit: *Requiescet, super eum Spiritus Domini*: & vere corporaliter, *in columba specie* super caput illius manet, vt oltenderetur, cum quanta plenitudine in illo esset, de quo dixit Ioannes: *Non ad mensuram datum spiritum*, qui in cruce, *semetipsum obtulit per Spiritum sanctum, immaculatum Deo*, quam liberum ab amaritudine erga inimicos habebat cor, & qua dilectione eorum flagrabat, qui in cruce positus primo de illis habens curam, quasi vulnerum & dolorum suorum oblitus, ad rogandum pro illis se conuertit? Stephanus itidem templum fuit, in quo cum magna donorum abundantia habitauit Spiritus sanctus, de quo semel, ac iterum dicitur, quod *erat plenus Spiritu sancto*. Non mirum, erat enim cor illius mundum, & ab omnia amaritudine, & odio circa inimicos liberum; tantoq; ad eos amore inflammatū, vt eum

Sap. 1. 23. Ecc. 24. 27. Sap. 12. 1.

Sap. 11. 2. Luc. 3. 22. Ioan. 3. 34.

ad Heb. 9. 14.

Act. 6. 5. & 7. 54.

proſe orauerit ſtans, genua poſuerit ad orandum pro ijs, qui ſe lapidibus obruebant. Eſt Spiritus S. *qui replet orbem terrarum*: nec anguſti cordis vaſculo poteſt comprehendi: oportet igitur illud ita dilatare, vt non ſolum capias amicos, ſed etiam inimicos; ſi namque tantum diligis eos, qui te diligunt, quam habebis mercedem? *Sap. 1. 7.*

§. 18. *Chriſtianis, quibus nouus eſt legislator, nouaque lex imponitur, nouum exẽplar, quod imitentur, exhibetur.*

¶ 159. *Estote ergo perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Rem totam concludit Chriſtus concluſionemque, quam intendit, ex prædictis infert, vt eam Chriſtiani, quibus Euangelicam legem tradit, perfectionem teneant, quam non Phariſæis, aut Scribis, aut cæteris hominibus ſimiles ſint, ſed Patri cœleſti. Iudæis ſufficere videbatur ſequi doctrinam, & exempla maiorum ſuorum, Scribarum ſcilicet, & Phariſæorum: Chriſtianis altior doctrina ſequenda eſt, altiuſque exemplum imitandum, quibus Chriſtus dixerat: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vt diſcipulus aliquid rectè operetur, tradenda eſt auribus lex, & regula, quæ facienda deſcribat, tradendumque oculis exemplar, cui opus ſuum conformari ſtudeat: debetque exemplar legi, & regulæ reſpõdere, vt qualis lex eſt, tale exemplar ſit. Iudæis imperfectis, & in virtute pueris legem Deus tradiderat imperfectam, quæ doceret, ab illis agenda, quibus, qui reputabantur illius tẽporis ſanctiores homines, quales erant legis Doctores, Scribæ, & Phariſæi, ſe tanquam exemplar imitandum proponebant. Chriſtianis altior doctrina traditur à Chriſto, ſcilicet Euangelica: altius etiam exemplar tradendum erat, quod imitarentur. Id Chriſtus facit: propoſito enim Euangelico præcepto, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, exemplar imitandum proponit dicens: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Perfectionem maiorem expoſcit à Chriſtianis, perfectius exemplar imitandum eiſdem exhibet, & proponit. Antiquitus petierat Deus à ſuis, vt ſancti eſſent, id ſemel, & iterum replicans, quod B. Petrus dixit: *Sancti eſtote, quoniam ego ſum Dominus Deus veſter.* Odit Deus iniquitatem, ab illa mundos vult ſeruos, quos in domo ſua tenet. Et ſi Dauid; eũ qui habitaturus erat in domo ſua, talem volebat, vt non faceret iniquitatem. (*Non*, inquit, *habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*, id eſt peccatum) multo magis Deus optabit ſanctos eſſe, qui in domo ſua eſſent habitaturi. Nunc autem non ſolum petit à ſuis, vt ſancti ſint quomodocunque, ſed vt ſint perfecti, imitantes Patrem cœleſtem. Hinc colligit B. Chryſoſtomus, Chriſtianos perfectiores eſſe debere, & poſſe, omnibus antiquis, etiam illis famigeratiſſimis Patriarchis: nam habemus legem perfectiorem, ſcilicet Euangelium media perfectiora, Sacramenta ſcilicet, & ſanguinem Chriſti fuſum; & perfectius exemplar, quod nobis imitãdum proponitur, Pater ſcilicet cœleſtis, illi, inquit Chryſoſtomus, perfecti fuerunt, non abſolutè, ſed ſecundum illius temporis conditionem, & ſecundum media, quibus illo tempore vti poterant: quomodo intellectum pueri, aut iudicium eius laudare ſolemus, non quod abſolutè magno diſcurſu ſit præditus, ſed magno ſecundum pueritiæ ætatis rationem. Ita expendit illud, quod de Noe dictum fuit: *Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit, in generationibus ſuis.* Quo loco (inquit Chryſoſtomus) diuina Scriptura Noe miratur, non ſimpliciter, ſed cum appoſitione quadam; non quod omninò perfectus eſſet, ſed vt illa ætate. Multi nãque perfectionis modi, temporũ varietate diſtinguuntur, ſicque imperfectum procedente tempore, quod olim abſolutum videbatur. Olim perfectæ laudi dabatur, ex lege viuere: *Qui enim fecerit hæc, viuet in eis.* Verum quæ tunc fuerunt abſoluta, Chriſtus aduẽtu ſuo imperfecta eſſe docuit, dicẽs: *niſi abundauerit iuſtitia veſtra &c.* Iunctum videbatur prohibita cædes, nunc etiã cõtumelioſe periurij, modò iura-

Sap. 1. 7. — *Leu. 11. 44 & 19. 2. & 20. 7.* — *1. Pet. 1. 16.* — *Pſ. 100. 7.* — *Li. de Vir. ca 83. to. 5.* — *Gen. 6. 9.* — ¶ 160. *Leu. 18. 5. & ad Gal. 3. 12.*

men-

mentum: nec ijs, qui in veteri Testamento, erant præmia, quæ nobis proposita sunt; non abundans Spiritus sancti gratia, quæ nunc effusa est. Erat repugnans *lex in membris, quam sentiebat* Apostolus, nec tunc *gratia per Iesum Christum, qua ille liberabatur*, illis eadem aderat. Nunc autem *filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati de peccato damnauit peccatum in carne &c.* Ideò nunc minus excusationes possumus prætexere: nec qui ad nuptias sine veste nuptiali ingressus est, potuit respondere. Ita Chrysostom. quæ non ita accipienda sunt, quasi velit obligare vnumquemque Christianum, vt sit perfectior omnibus antiquis, etiam sanctis Patriarchis, & Propheris: quia indecens esset, nec Christus iussit nos debere superare illos in operatione iustitiæ, sed Scribas, & Pharisæos. Non enim dixit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Patriarcharum, & Prophetarum, sed plusquam Scribarum, & Pharisæorum. Id ergo vult Chrysostomus docere, vnũquemque Christianum habere legem, media, instrumenta, & exemplaria ad perfectionem tenendam, altiora, & excellẽtiora, quam omnes antiqui, ideo ijs confideratis, perfectiorem illis esse posse, qui talibus caruerunt: qui *iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & A longe vidit Abrahã Christum, & gauisus est*, quem nos præsentem habemus, cuius corpus manducamus, sanguinem bibimus, sacramentis vtimur, quibus dicit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.* Et si Abrahæ, tãquam rem magnam proposuit dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus*: vnicuique nostrum dicitur: Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est iuxta hoc exemplar Christianus actiones suas examinet, signanter eas, quæ ad proximi dilectionem pertinẽt; nec contentus sit imitari Duces, & Imperatores, quos antiquitas celebrat, aut Philosophos, quos vetustas omnium ore commendat, sed Deum ipsum, cui Apostolus dicit: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut, & Christus dilexit vos.* Est tandem circa hæc Christi verba annotandum, Christum docere voluisse, perfectionem Euangelicam, nullum habere terminum, & cuique quantumcunque perfecto dici posse: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc*: dedit enim legem infinitæ perfectionis, quantum est in se: nam continet lex Euangelica gratiam Spiritus sancti, quæ nullum habet terminum. Contulit itidem sacramenta infiniti valoris, quæ gratiam sine termino producere possunt, in hoc sensu, quod cuiuis data, possunt maiorem inducere. Proposuit tandem exemplar infinitæ perfectionis, Patrem scilicet cœlestem, cuius perfectio tanta est, vt quantumcunque homo in perfectione profecerit, adhuc habeat quo vlterius progredi possit. Ex quibus hæresis eorum, qui dicebant, posse hominem ad tantam perfectionem in Euãgelico statu deuenire, vltra quam progredi non possit, refutata manet, & conuicta. Atque hæc de inimicorum dilectione dicta sufficiant.

(.·.)

SEXTA PARS,

DE RATIONE IVSTITIÆ FACIENDÆ.

§. 1. *Quomodo sint agenda opera bona, docuit in typo vir metiens frontem templi, & Christus dilucide.*

¶ 261. ATtendite, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Post quam docuit Dominus iustitiam abundantem, & excedentem iustitiam Phariſæorum, & à ſuis agendam, modum quo illam agere tenentur, his verbis tradere incipit, quæ non rem omninò facilem continent. Beatus Hieronymus diſputans contra Pelagianos, dicentes nihil difficile Euangelicam legem continere, vt eos reuincat, multa ex eadem lege profert, quæ magnam continent difficultatem, quæque ſine diuinæ gratiæ fauore ſeruari non poſſent. Inter ea autem hoc CHRISTI mandatum tam difficile iudicat, vt poſtquam præcedentia expenderat, addat: Quod autem ſequitur: *Cauete ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ne videamini ab eis*, neſcio quis poſſit implere. Homo namque ſuapte natura, ita honoris, & laudis cupidus eſt, vt nihil præſtantius ducat: verus autem honor, bonorum operum fulgore, ad ſpectantium oculos perueniente comparatur. Si hæc ergo abſcondenda ſunt, præcluſa videtur homini via ad rem, quam ſummè exoptat comparandam. Idipſum, ex natura ipſius boni operis, difficilè probat Beatus Petrus Chryſologus. Sunt enim opera bona lucidiora, & ſpiendidiora ipſis radijs Solis, clariorque eſt iuſti bonum operantis ſplendor, quam Solis. Impoſſibile autem eſt, Solem radios ſuos ab omnium hominum aſpectu celare. Deus in mundi exordio condens luminaria, non iuſſit vt lucem abſcondita tenerent, ſed vt lumen ſuum in omnem terram effunderent. Iuſtos autem voluit, & poſuit Chriſtus, *tanquam luminaria in mundo*, vt luceant operum ſanctorum fulgore, *in medio nationis praua, & peruerſa*. Quomodo ergo fieri poterit, vt lucem ſuam teneant abſconditam, & quæ omnium oculos lateat? *Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Si tamen aliquis diligenter expendat, inquit Chryſoſtomus, multam hoc præceptum continet cautionem, & ineffabilem quandam Dei erga homines curam, id vtique prouidentis, ne alicuius operis illi mercedem amittant. Noſtrum commodum intendit Chriſtus, & quod vnicuique rei, id quod ſibi propriũ eſt tribuamus. Obſeruat B. Gregorius, bene a Domino antiquitus per Moyſen dictum fuiſſe: *Iuſte quod iuſtũ eſt exequeris.* Nec enim ſufficit iuſtitiã, id quod iuſtum eſt facere, niſi illud iuſtè fiat. Tunc iniuſtè iuſtum fit, quando id quod illi debitũ eſt, ab eo auferimus:

Lib. 2 con. Pelag. to. 2.

Serm. 9.

Hom 19. in Matth.

Li. 9. Mor. cap. 19. Deu. 16. 10.

tunc

tunc autem iustè, cum quod illi debetur damus. Iniustè ergo iustum fit, cùm illi detrahit præmium, quod ex sui natura debitum est, & ad minimam mercedem contrahit. Sicut faciebant Scribæ, & Pharisæi, qui opera iusta ad mercedem corruptibilem, inanemque contrahebant, tantum quærentes per illa gloriam humanam. Iustè propterea vult Christus iustitiam à suis agi, vt illam per eam intendant mercedem, cuius ipsa est capax, & digna, scilicet æternam, & perpetuam apud Patrem cœlestem. Aptè propterea subinfert Dominus, explicans modum, quo opera Sancta agere debeamus, dicens: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ecce modum faciendæ eleemosynæ, & cuiusuis iustitiæ, aut operationis studiosæ, solum intendere videri à Deo, placereque illius oculis. Cœpimus supra annotare visionem illam difficilem Ezechielis, qua offensus est sibi vir ille singularis, mensuram deferens, qua totum templum metiretur. *Et eduxit me* (inquit) *ad viam australem, & ecce porta quæ respiciebat ad austrum, & mensus est frontem eius.* Templum illud Ecclesiam Sanctam iudicabat, cuius porta australis (inquit Gregorius) dicitur Sanctorum congregatio, qui charitatis calore succensi sunt. Horum frontem metitur Christus, frontis siquidem nomine intentio designatur, quam ad id fortiter conuertimus, quo tendimus. Mensuram adhibet Christus huic fronti, hoc etiam maximè curandum est, vt intentio rectam teneat mensuram, à qua si deficiat, inutilia reddantur omnia, quæ fiunt. Solum modo ergo iustus intendere debet placere Deo. Et quoniam opus, quod in omnium oculis fit, periculo maximo subest deficiendi ab hac mensura (latenter enim vanæ laudis appetitus excitatur) Christus illud ita in abscondito fieri statuit, vt te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua. Quam sententiam exponendam arbitror, eo modo quo Sancti Patres illam, quam in hoc eodem sermone in monte præmiserat Christus Dominus, omninò prohibens iuramentum. *Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non periurabis ego autem dico vobis: Non iurare omnino, neque per cœlum, &c.* Noluit Christus Dominus in omni euentu iuramentum prohibere, quod si fiat cum debitis circumstantijs, opus est Sanctum, & religiosum, & dictum fuit à Dauid, quod *laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Imò hæresis fuit antiqua, quam tempore Diui Augustini quidam Syracusani tenuerunt, vt Hilarius Syracusanus ad eundem Augustinum scripsit, nullo modo licere iurare Christiano, quam tenuerunt postea Vuiclephistæ, & nostro tempore Anabaptistæ, de qua re cum Diuo Thoma Theologi disputant. Sed tam grandi emphasi loquens Christus, & per hyperbolem indicauit, tanta circumspectione opus esse, vt iuramentum vndequaque rectè fiat, quod frequentissimè, qui iurant peccant, aut ex defectu veritatis, aut necessitatis, aut deliberationis. Ita communiter Sancti Patres, Clemens Alexandrinus *a*, Basilius *b*, Ambrosius *c*, Augustinus *d*, Hieronymus *e*, & frequentissimè Chrysostomus, cuius est illa communis sententia: Nisi iuramentum interdicatur, non possunt amputari periuria, quem ferè in omnibus Homilijs ad populum, & alibi sæpissimè prosequitur. Et verè ita interpretari visus est Beatus Iacobus, qui dicens: *Ante omnia fratres charissimi nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum*, addidit: *Sit sermo vester, est, est, non, non, ne sub iudicio decidatis*: id est, ne in condemnationem incidatis, res enim periculosa est iuramentum, & qui ei assuefit, difficile euadit. Similiter in proposito dicendum est. Non vult Christus præcipere, vt semper opera bona in abscondito fiant, qui nouit oportere sæpè in publico ea fieri: qui discipulis suis dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Sed quoniam ipse, cogno-

¶ 262.

Ezech. 40. 24.

Hom. 19. in Ezech.

Matt. 5. 33

Ps. 62. 12.

Est epist. 88. inter epist. August.

2. 2. q. 189. art. 2. 4. 10

a Lib. 7. stromat.
b in Ps. 14.
c Ser. 14. in Psal. 118.
d Lib. 1. de ser. Domi. & lib. de menda. ad Consen.
e In cap. 8. Zach. in c. 5. Matt. Iacob. 5. 12

Matt. 5. 16

cognouit figmentum noſtrum, ſcitque quam facilè homo appetitu humanæ laudis vincatur, & quod in occaſione gloriæ, & laudis poſitus, vix, ac ne vix quidem intẽtionem puram, & immaculatam conſeruat, idcircò vt hoc periculum indicet, omneſque circumſpectiſſimos reddat, abſolutè ſtatuit, ita in abſcondito faciendam eleemoſynam, vt quam dat dextra, lateat ſiniſtram. Quas vires nocendi habeat, humanæ gloriæ amor (inquit Auguſtinus) non ſentit, niſi qui ei bellum indixerit; quia etſi cuique facile eſt laudem non cupere, dum negatur, difficilè tamen eſt, ea non delectari cum offertur. De quibus in præcedentibus abundè ſatis dictum eſt. Omnia igitur in Dei gloriam facere debemus, quæ ipſi ſit in perpetuum, & beatiſſimæ Virgini, in cuius ſacri Rolarij die feſto, ac beatiſſimo Chriſti vexillifero Franciſco dicato, hæc dicta ſint.

Lib. 2. ſent. Proſp. & refertur à D. Thom. in cat.

(?)

Tractatus Sextus ſtudio omiſſus eſt ab Authore, quem in altero Tomo pollicetur.

TRA-

TRACTVS SEPTIMVS

DE IEIVNIO,

ET TENTATIONIBVS CHRISTI DOMINI,

de quibus Sacer Apoſtolus, & Euangeliſta Matthæus ſic ſcribit.

TVNC Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens Tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit; Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Matth. 4. Deut. 8. 3. Pſal. 90. 11. Deut. 6. 16. Deut. 6. 13.

Argu-

ARGVMENTVM TRACTATVS SEPTIMI, QVI EST PRIMVS, DE IEIVNIO, ET TENTATIONIBVS CHRISTI.

1. Ioan. 3. 8

QVONIAM, vt Sanctus Euangelista, diuinusque Apostolus Ioannes dixit: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*, quando se mundo manifestare voluit, & munus exequi, cuius gratia à Patre missus fuerat, cum illo congredi voluit, & pugnare, non tam, vt totaliter superaret, quàm vt inimici vires soluere, ac infringere incipiens, nobis pugnandi, & vincendi exhiberet magisterium. Huius inimici astus, callidas machinas, fortissimasque vires, antiquitus occultè, sub metaphora duorum animaliũ, Elephanti, qui inter terrestria, & Ceti, qui inter aquatica, primas tenent, descripsit, & à se vincendum, obscuris verbis, & speculatiuè, ac theoricè tantum, sub eadem metaphora promisit. Ipsum inimicum, nunc apertè ostẽdit, eius vires, machinasque clarè demonstrat; & in praxi, ac exercitio illum superandum assumit: eum vincendi modũ opere tenens, & oculis nostris manifestè exponens; quem obscuris tunc verbis prædixerat. In hoc primo tractatu ostendemus, quomodo, quæ antiquitus de dæmonis viribus, calliditate, machinis, deque modo, quo vincendus erat, sub typo Elephanti proposuerat, ipso opere nunc compleat, & ostendat: idipsum in sequenti tractatu de ijs, quæ de eodem sub typo ceti prædixerat, demonstraturi. Hæc autem in primo isto tractatu exponuntur.

§. 1. *ETsi dæmon insuperabilis videatur, esse tamẽ facile ipsum reuincere, ostendit Deus, depingens illum sub typo Elephanti, & Balænæ.*

§. 2. *Deus mundum, in quo hominem creaturus erat, prius dæmonibus repleuit ad superbiam draconis conterendam, quem creauit ad illudendum si.*

§. 3. *Deũ resistere superbis confundendo illos, cognouerunt Philisthym, & ideo hominẽ opposuit dæmoni, vt confunderet Behemoth, quem ne timeamus, victum nunc exhibet.*

§. 4. *Deus dimittens dæmonum millia in mundo, voluit hominem obligare ad perpetuam vigiliam, & vt illius fauorẽ semper quæreret.*

§. 5. *Deus*

§. 5. *Deus creauit Angelos, quos præsciebat futuros dæmones, vt nobis victoriæ materiam ministrans, vnusquisque illam obtineat coronam, quæ diabolo, quem vicerit, erat parata.*

§. 6. *Deus sub nomine, & typo Behemoth, dæmonem ad literam excellenter describit, quem dimisit in mundo ad maiorem gloriæ nostræ coronam.*

§. 7. *Christus cum dæmone congrediens, nobis videndus exponitur, vt animosiores ad similes cõgressus reddamur sicut primogenitus Gedeon, & pulli aquilarum.*

§. 8. *Duo antiquitus à Deo promissa, quod nos erat doctrus ad prælium, & inimicum nostrum enerauaturus, nunc per Christum exhibentur, cui tenemur referre gratias.*

§. 9. *Apertio cœlorum, & vox Patris, instar ttiinnabulorum sacerdotis, excitant ad considerãdos Christi gressus, qui prius opere quam sermone nos docet.*

§. 10. *Docet Christus, baptizatos debere à terrenis ad cœlestia mentem extollere, qui sicut aues ex aquis regenerati, in altum volent.*

§. 11. *Hæresis fuit aliquorum, baptizatos non posse tentari, quæ contra rationẽ ipsius baptismi est, in quo homo designatur miles, vngitur, & armatur ad pugnam.*

§. 12. *Efficaci ratione Samuel obligauit Saul, præliari contra inimicos Dei, ex eo quod ad hoc vnctus fuit à Deo in Regem.*

§. 13. *Ex ipsamet baptismi natura, nascitur obligatio ad opera mortificationis, & virtutum, quæ sunt arma lucis, contra Principem tenebrarum.*

§. 14. *Christus primò vicit tentationes cõtra se, deinde contra alios excitatas, vt Prædicatores Euangelicos, similiter facere doceret superare.*

§. 15. *Deus homines ducit, vt tententur, quo virtus diuini spiritus fiat manifesta, qua qui muniuntur, supremas mundi potestates possunt superare.*

§. 16. *Vtiles sunt tentationes, vt homo, an veram vel solum fucatam habeat virtutem agnoscat; ideo diabolus vocatur Malleus, & Aquilo.*

§. 17. *Vtiles sunt homini tentationes, vt per eas elaboretur, sicut aurum, & argentum, & propter alias rationes à B. Chrysostomo traditas.*

§. 18. *Christus ductus dicitur, vt tentaretur, quia per dona potius actus fuit, quam ageret per regulas virtutum.*

§. 19. *Homo tentationum loca, & occasione fugiat, nec nisi à spiritu ductus ad illa procedat, sicut fecit Paulus.*

§. 20. *Christus validũ arripuit ieiunium, contra diabolum pugnaturus, docens nos arma, quæ ad illum reuincendũ accipere debemus.*

§. 21. *Ieiunium, etsi contra carnẽm esse videatur, verè occludit ostia dæmoni, quod Angelus dum de piscis corde, & iecore comburendis egit, docere voluit.*

§. 22. *Dæmon dicitur serpens, gradiens super ventrem, vt sciremus, quia ex ciborum abundantia vires sumit ad tentandum.*

§. 23. *Docuit Deus sub Elephanti figura, diaboli impugnationem, & fortitudinem ex ventris robore procedere.*

§. 24. *Gladius Dei ad vincẽdum Behemoth, est validum ieiunium, quo non minus vincitur, quam Elephantus pugione, ventrem transfigente.*

§. 25. *Vsque ad completum ieiuniũ, Christus non sensit famem, quæ tandem grauissimè excitata est, ad incitandum tentatorem.*

§. 26. *Ita Christus ieiunauit, vt famem vehementissimam tandem sentiret, qui opera pœnitentiæ, eo modo egit, quo maiorem dolorem incuterent, ostendens quomodo à nobis agenda sit.*

§. 27. *Dubius fuit satanas de Christi persona, quam velabat infirmitas, sicut in Sancta Sanctorum, & animali Ezechielis.*

§. 28. *Tentator fuit Lucifer, quẽ Christus Principem mũdi, Augustinus Principem dæmonum, Chrysostomus, Archi-*

Archidæmonem, Habacuc Reſeph, & caput impietatis, Iob magnum vocant: ipſemet cetum, qui parentes noſtros ſuperauerat.

§.29. *His tentationibus intendit diabolus Chriſtum inducere, vt ſi verus erat Deus, ſe proderet, ſi purus homo, peccaret, cuius propter eã nerui ramificati dicuntur.*

§.30. *Diabolus tẽtauit Chriſtum ſolũmodo extrinſece, quadraginta diebus, ſub varijs ferarum figuris, poſt illos aũt, primò ſub ſpecie hominis ſancti.*

§.31. *Probabile eſt, toto quadraginta dierem ſpatio, Chriſtum varias dæmonum tentationes paſſum, certum autẽ, poſt illud, tribus fuiſſe impetitũ.*

§.32. *Illum diabolus in tentationibus tenuit ordinem, quem Matthæus deſcripſit, & tres tentationes tales fuerunt, quæ oẽs alias comprehenderẽt.*

§.33. *Exploraturus dæmon, an Chriſtus filius naturalis Dei eſſet, opus Deo proprium, quantum ad ſubſtantiam, & modum, poſtulauit.*

§.34. *Diabolus Chriſtum de gula tentans primò Deum, quod illum dimitteret fame conſumi: meritò vocatur diabolus, id eſt, accuſator.*

§.35. *Voluit diabolus ſuadere, falſo dictum fuiſſe: Hic eſt filius meus dilectus: ſed inſipienter argumẽtatus eſt.*

§.36. *Nondum erat Chriſtus in neceſſitate extrema conſtitutus, quamuis id diabolus more ſuo perſuadere fuerit conatus.*

§.37. *Chriſtus ſimilis eſt labro lucido, ad cuius conſpectum omnes debent vitã ſuam componere illi ſingulariter, quos diabolus ex fame tentat.*

§.38. *Diuini verbi gladio Chriſtus tentatoris ictum repercuſſit, quo ſi muniamur, illius tentationes eludemus, qui idcirco curauit ſcripturam ſacram abolere.*

§.39. *Merito Sancti Patres ad legendam ſcripturam ſacram inuitant, quam vtilius vulgares homines ex Catholicorum prædicatorum ore audire debent.*

§.40. *Aptè Chriſtus reſpondet, diuini verbi potentiam inducens, cuius virtute poteſt homo ſine pane, imò, & per ipſum etiam ieiunium ſuſtentari.*

§.41. *Diabolus exactor eſt pro carne, cuius vox exaudienda non eſt.*

§.42. *Per verbum procedens de ore Dei, quidam Sancti Patres Chriſtum intelligunt, qui ſeipſo ſine pane viuificaturus erat hominem.*

§.43. *Non omnes tentationes Chriſti in deſerto fuerunt: nam verè inductus eſt in Ieruſalem, & deinde in montem excelſum.*

§.44. *Chriſtum aſſumpſit, & duxit diabolus, ſicut Angeli homines, vt transferant de loco ad locum, ad quod transfigurauit ſe in Angelum lucis.*

§.45. *Ieruſalem vocatur ciuitas Sancta, & terra promiſſionis, vocatur Sancta, & Sacramentum Dei, & terra Deo chara.*

§.46. *Pinnaculum templi, ala erat, aut ſubgrunda, ſuper præcipuum templi parietem, locus toti ciuitati manifeſtè patens.*

§.47. *De inani gloria diabolus Chriſtum tentat, quæ præcipuè ſolet excitari poſt aliquam de Principe tenebrarũ victoriam.*

§.48. *Diabolus expertus Chriſti fiduciam in Deum, ad nimiam illum excitat confidentiam, de extremo ad extremum ſe transferens.*

§.49. *Viam difficillimam, & periculoſam conatur diabolus facilem, & ſecurã repræſentare, qui, & præcipitium, tanquam rem glorioſam proponit.*

§.50. *Promiſit Deus Angelos, qui cuſtodiant iuſtum ambulantem in vijs ſuis, non autem in præcipitijs.*

§.51. *Tentare dicitur Deum, qui potens aliquid obtinere per media ab ipſo cõſtituta, miraculosè vult exhiberi.*

§.51. *Oſtendit euidẽter Chriſtus dæmoni, ſe eius comprehendiſſe mentem, quod ad reuincendum illum, eſt medium efficax.*

§.53. *Loca ſicut Balaam mutat diabolus; qui tandem duxit Chriſtum ad altiſſimum*

simum montem, non temerè diffiniẽdum, quis hic mons fuerit.

§.45. *Regna mundi, & eorum gloriam ostendit Christo diabolus in momento, quæ non vera, sed phantastica fecit apparere.*

§.55. *Violenta fuit vltima tẽtatio, vt diabolus, quod intendebat perficeret.*

§.56. *Vltima tentatio fuit ambitionis, & auaritiæ, quæ suprema est, vt diabolus ad sui adorationem trahat, vt in Aaron, Balaam, & Antichristo patet.*

§.57. *Promissione bonorum temporalium diabolus ab hominibus obtinet, quod vult, qui cuique accommodata bona proponit.*

§.58. *Diuinos honores sibi exhiberi voluit diabolus, qui in sui principio voluit similis esse altissimo, maiora postea ambit.*

§.59. *Magna diabolus promittit, qui minima præstare non potest, cuius est loqui sublimia, sermones grandes, & verba ventosa.*

§.60. *Quod diabolus offert, non est vtile, quippe cum minima promittat, & magna requirat.*

§.51. *Christus diabolum, tanquam Elephantem acri vulnere percussit, omnia eius crimina vnico satanæ nomine eidem exprobrans.*

§.62. *Adimpleuit Christus illud: Percussisti caput de domo impij, & denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*

§.63. *Aptè Christus legem citauit, vero Deo adorationem, & supremo Domino seruitium statuentem.*

§.64. *Recessit diabolus, cuius pharetra fuerat exhausta, & euacuata, relinquens Christum in monte excelso.*

§.65. *Exhibet iam Euãgelista Behemoth, aut Elephantum vinctum, quem irrident Angeli, quorum innumeram multitudinem Christus habuit ad sui obsequium deputatam.*

§.66. *Angeli variis modis ministrarunt Christo, signanter autem deferentes cibum, quo reficeretur.*

R.P.F.

R. P. F.

HIERONYMI BAPTISTÆ DE LA NVZA,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS,

TRACTATVS SEPTIMVS EVANGELICVS,

Quieſt primus de ieiunio, & tentationibus Chriſti, circa illam ſacram Euangelicam lectionem, Matthæi quarto;

DVCTVS EST IESVS IN DESERTVM, ETC.

§. 1. *Et ſi dæmon inſuperabilis videatur, facilè eſſe ipſum reuincere, oſtendit Deus, depingens illum ſub typo Elephantii, & Balænæ.*

¶ 1. a *In orat. pro eius ſeſti.* b *Epi 103. ad Paulin.*

SANCTVS Hieronymus (cui Catholica Eccleſia *a*, in exponendis ſcripturis, primas defert) cum de ſingulis libris ſacris cenſuram tulit *b*, librum Beati Iob, tot tantiſq; myſterijs cẽſet refertũ, vt ſingula eius verba, plena profundis ſenſibus affirmet: quos ita 55. Patres, ab initio naſcẽtis Eccleſiæ obſeruarũt, vt quãuis B. Gregorius, ſe primũ huius libri expoſitorẽ pronuntiet, forte quod nullus ex latinis tãto ſtudio, & meditatione illum aſſumpſerit exponendũ; certum eſt tamen, nullum librũ Sacrũ, plures ex antiquis Patribus expoſitores ſorti- *Epi. ad Leandrum Hiſpa. Epiſcop.*

fortitum fuiſſe. Nam ex Græcis, viginti quatuor fuerunt, longè D. Gregorio antiquiores, qui cum ſuis Commentarijs illuſtrarunt, ex quibus omnibus, Olympiodorus Diaconus Græcus celebrem, & antiquam concinnauit catenam. Illi autem omnes (quibus & Latini conſentiunt) etſi totum librum mirabilem cenſeant, duo tamen penultima capita, ſumma obſeruant diligentia, quod in illis Deus, pijs querimonijs Beati Iob ſatisfacere volens, *Iob 40. 41.* proprijs coloribus diabolum, ſub typo Elephanti, & Balænæ aut Cœti aſſumpſerit deſcribendum. Multas emiſerat Iob querelas: inter quas, hæc videbatur præcipua, quod Deus illum tradiderit in manus Satanæ, vt de eo faceret quidquid vellet, abſque vitæ tamen exitio. *Iob 2. 6.* *Ecce*, inquit, *in manu tua eſt*. Hoc quidem viſum fuit beato illi viro tam aſperum, & durum, vt ex eo ſuam præcipuam inſtitueret querimoniam. Vnde reſpondens amicis ſuis, qui eum reprehendebant, quod de Deo conqueri videretur: id in primis docet, eos idcircò tot contra ſeipſum multiplicaſſe verba, quod bona valetudine fruerentur, neque experimento didiciſſent, quam grauia, & acerba eſſent, quæ pateretur ipſe. Sui propterea doloris cauſas expoſiturus, quid egerit Satanas, in cuius manus traditus fuerat, expo- *Iob 16. 9.* nit. *Suſcitatur*, inquit, *falſiloquus contra faciem meam, contradicens mihi*. *Iob 8. 44.* Falſiloquum, vocat dæmonem, *qui mendax eſt, & pater mendacij, & cùm mendacium loquitur, ex propriis loquitur*. Qui peculiariter falſum teſtimonium loquutus fuerat contra Iob, quando Deo laudanti ipſum, *Iob 1. 10.* dixit: *Nunquid fruſtra Iob timet Deum? Tu vallaſti eum, &c. Veruntamen tange cuncta, quæ poſſidet, &c.* Hic falſiloquus, volens comprobare verum, quod dixerat, ſuſcitatus eſt contra ipſum. In Hebræo verbum *Kum*, quod ſignificat inſurgere animo inimico, & hoſtili: ita a, *Sicut* a *Deut. 22 26.* *latro conſurgit contra fratrem ſuum*: b *Pſ. 43. 6.* & b. *In nomine tuo ſpernemus inſur-* c *Pſ. 108. 18.* *gentes in nobis*: & c. *Qui inſurgunt in me confundantur*. Suſcitatur ergo, inquit, animo hoſtili, & inimico contra me, non occultè bellum indicens, ſed aperto Marte: id enim illud ſignificat, *Contra faciem meam*. Inſuper *collegit furorem ſuum in me*. Habebat furorem ſuum ſparſum, & diuiſum in varios homines, & tanto minor erat erga vnumquemque, quanto illi plures erant, ſed omnibus illis relictis, vt fortius ageret, totum furorem, & rabiem collegit, quem contra me vnicum effunderet. Videtur enim diabolus, inquit Diuus Thomas in illum locum, totum furorem ſuum contra Iob collegiſſe, dum qui peculiaribus modis contra diuerſos homines agebat, illos omnes ſimul contra vnum Iob conuertit. *Et comminans infremuit contra me dentibus ſuis*. Loquitur, inquit D. Tho. in illum locũ, metaphora ſumpta à beſtijs, quæ homini comminando, dentes contra ipſum ſtringunt, & concutiunt, vt patet in cane rabido, vel apro, qui ſtringentes, & concutientes dentes, terrifico ſonitu immanem & crudelem mortem comminantur. *Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit*. ¶ 2. Iniqui nomen principaliter diabolo conuenit, qui auctor & inuentor eſt totius iniquitatis, vt Gregorius annotauit. In Hebræo pro verbo *Concluſit*, habetur verbũ *Sagar*, quod propriè dicitur, quando quis ita clauditur cum aliquo, vt nõ pateat alicui aditus aut ingreſſus ad fouendũ, vel egreſſus ad fugiendum. Ita ponitur, cũ dicitur a. *Clauſit à foris hoſtium Dominus*: & b. *Angeli ingredientes domum, introduxerunt ad ſe* a *Gen. 7. 16* *Lot, & clauſerunt oſtium*: Et peculiariter b *Gen. 19.* ipſe Iob dixerat, eodem verbo vtens: *Si* *10.* *incluſerit hominẽ, nullus eſt qui aperiat.* *Iob 12. 10* Loquitur ergo metaphora ſumpta ab his, quos tyranni includebant in circo, vel foro cum leone crudeli, quibus nullus fugiendi patebat aditus, nec verò alicui concedebatur ingredi, vt opem ferret incluſis, ſed erant poſiti, ſpectaculum facti conſpicientibus. Aut verò, eſt verbum *Sigar*, quod ſignificat, aliquem tradere alicuius voluntati: ita dicitur: *Concluſit Dominus inimicum* *1. Reg. 26. 8* *tuum hodie in manus tuas*: & alibi ſæpè. Iuxta hunc ſenſum, ſecunda pars erit explicatio primæ. *Concluſit*, in-

quit, *me Deus apud iniquum*, id est, ma- Trac. 2: & 3. in Iob. nibus impiorum (non enim solus vnus erat dæmon, qui contra Iob agebat, vt ostendit Origenes) *me tradidit*. Alludit ad illud, quod dixerat Deus: *Ecce in manu tua est*. Ex his, quod consequutum fuerit, explicat subdens: *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum*. In Hebræo verbum *Pur*, à quo fortè Hispana phrasis qua dicimus; *Quedo apurado*, quod sine substantia & viribus remanserit, metapho ra sumpta ab acino, qui torculo comprimitur: quasi dicens; Concludit me Deus, & tradidit manibus dæmonis, quibus ille ita me contriuit, & expressit, vt remiserim sicut acinus omni humore expresso: relictus sum enim sine ouibus, & camelis, sine facultatibus, & diuitijs, sine vxore, familia, & amicis, sine domo, sine filijs, siue salute. *Tenuit ceruicem meam, & confregit me, & posuit me sibi quasi signum.* Loquimur metaphora sumpta a luctatoribus, inter quos qui potentior est, manu iniecta ad ceruicem alterius, eũ ad terram allidit, prosternit, & confringit, sicut testam ad lapidem: quasi dicat: Quebrantome todo. *Et posuit me sibi quasi signum*. Nam etsi diabolus visus sit, iacula misisse contra oues, camelos, seruos filios; in me tamen tanquam ad signum, omnia illius iacula ferebantur. Has ergo, & similes querimonias Iob sæpè expenderat. Cui tandem apparuit Deus, vt illi satisfaceret: & post magnam attentionem excitatam, de turbine loquutus est, demonstrans in primis insufficientiam humani ingenij ad opera diuina perscrutanda, quod neque ad percipienda ea, quę oculis patent, pertingit. Huius occasione proponit varia suæ potentiæ opera, creationem scilicet mundi, cœli, & terræ productionem, cõstitutionem stellarum, extensionem maris, quod quasi carcere inclusit, naturam lucis, qua orbem illustrat, influxum astrorum, ordinem, motumque cœlorum, à quo omnia inferiora pendent: varia insuper genera metheororum, pluuiæ, grandinis, gelu, niuis, tonitrui, fulguris, & fulminis: naturam præterea auium, aquilæ, corui, vulturis, galli, struthionis, accipitris, &c. proprietates deinceps aliquorum animalium, leonis, lezæ, onagri, equi, rhinocerotis, caprę, cerui, &c. quæ omnia, vt Iob à Deo audiuit, cœpit confiteri, se leuiter loquutum fuisse, & sui ingenij paruitatem profiteri. Deus tamen his non contentus, maiorem attentionem ab eodem captans, tandem ex professo Elephantis, & Balænæ magnitudinem ingentem, naturam formidabilem, proprietates horrendas, & immites, ac feros mores describit, sub eorum typo diabolum proprijs coloribus ita depingens, quod etsi magnus, insuperabilis, & horribilis videatur, sicut Elephas & Balæna, non tamen verè, & realiter tanta sit eius potentia, & vis, quantam exterius præ se fert: quinimo facillimum esse iustis, Dei auxilio munitis, hanc magnam beluam superare: idque fecit, vt demonstraret, non habuisse Iob iustas querelæ rationes, dum iudicauit asperum, & intolerabile, quod Deus eum concluserit, quasi in circo, aut stadio, pugnaturum contra talem inimicum, quem cum magna sui gloria posset facilè reuincere, & superare. Vnde sic primò describit diabolum sub specie Elephantis, vt quamuis exterius eum depingat, quasi summè formidabilem, reuera tamen demonstrat, esse facilè, illum superare, & ea, quæ ad hoc institutum dicit, in hoc tractatu persequemur, relinquentes in sequentem, quæ de Balæna similiter proponit. *Ecce*, inquit, *Behemoth, quem feci tecum, fœnum sicut bos comedet*. Nomen Behemoth, Elephantem significat, sub quo egregiè dæmonem demõstrare incipit, vt dicemus. Loquitur autem (vt Annotauit Augustinus) non de productione dæmonis secundum naturam, hæc enim præcessit hominis conditionem: nam dæmon primo die creatus est, homo verò die sexta: sed de eo, quod Deus dæmoni concessit, vt in mundo remaneret cum homine, toto tempore, quo homo viueret super terram, vt sit sensus: Ecce diabolus, quem feci tecum, id est, cui concessi, vt tecum in mundo

Iob 40. & 41.

¶ 3.

Iob 40. 10.

11. De ciui. c. 13.

mundo maneret, cui, & permiſi, vt tecum congrederetur tecum gereret bellum, & omnes vires ſuas in te conuerteret. Non tamen propterea iniquum aliquid egi, quoniam etſi crudelis, immanis, & inſuperabilis hæc beſtia videatur, fœnum tamen tantummodo comedit, & conſumit. Quæ verba duobus modis exponi poſſunt, ſicut, & vox fœni duo ſignificat, primò bona terrena, diuitias, facultates, ſalutem, valetudinem corporis, & quæ ad mundi gloriam, & proſperitatem pertinent, quæ omnia fœnum dicuntur, propter inconſtantiam, inſtabilitatem, breuitatem, & modicum valorem. Ita *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* De qua re videndus eſt Auguſtinus *a*, & Gregorius *b*, qui ſupponit, neminem eſſe, qui neſciat, quam tenera, & fragilis herba ſit fœnum, & quam expers fructus, qui in horrea poſſit cõgregari: ita, & Hieronymus *c*, & Ambroſius *d*. Iuxta hunc ſenſum, vult Deus reſpondere querimonijs Beati Iob (vt inquit Philippus *e*) dicens; quod quamuis ipſe tradiderit eum in manus inimici, ſolummodo potuit ille bona temporalia auferre, & conſumere: non in perditionem ipſius Iob, ſed vt virtus animi ipſius creſceret, ac ſplendidior appareret: ac ſi dicat; Verum quidem eſt, à me hoc eſſe diſpoſitum, aut potius peculiari prouidentia permiſſum, vt Elephas iſte horribilis tecum ageret, in te irrueret, & totam ſuam rabiẽ contra te conuerteret, non tamen ad tui exitium, aut interitum, qui tantum potuit ſubſtantiam, & facultates tuas, quæ fœno comparantur deuorare, & ſolummodo vilia quæque, & temporalia tua auferre; nullatenus autem potuit, me adiuuante, quæ magna, & grandia ſunt, id eſt, animæ ornamenta, vel leuiter attingere. Ex quibus explicari poteſt, quod Deus dæmoni dixit; *Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua.* Tantum ergo poteſt bellua hæc exteriora deuorare. Secundò ſumitur fœnum, pro hominibus carnalibus, qui externa tantum gloria nitent, nullumque intrinſecus fructum referunt. Ita dicitur: *Cum apparuerint peccatores ſicut fœnum*, & iterum: *Fiant ſicut fœnum tectorum.* Ita explicat Gregorius illud: *Verè fœnum eſt populus.* Vult igitur Deus dicere: Non eſt, cur tu, ô Iob, tot multiplices querimonias, quod te tradiderim, in manus Satanæ, & quod ei conceſſerim, vt tecũ pugnet, teque ſagittis ſuis venenatis impetat: ille namque tantum deuorat, & abſumit homines carnales, dilitijs deditos, fragiles, ſimiles fœno, qui præſentia tantum cogitant, & externam ſolummodo gloriam affectant, interius autem vacui ſunt robore, ac virtute: non tamen vires habet contra viros ſtrenuos, qui pœnitentiæ operibus tradi-

Refert Athanaſius vitam ſcribens.

ti, non ſolum non ſuperantur ab eo, ſed illum potius facilè ſuperant, & reuincunt. Hunc ſenſum ſequi viſus eſt, qui exploratam habebat Satanæ fortitudinem Antonius, qui monachis ſuis dicere ſolitus erat, illis, qui recto corde Deum diligunt, vigilias ſacras agunt, ieiunia amant, orationi intendunt, non eſſe hanc beſtiam timendam; qui non ſolum non vincuntur ab ea, ſed potius egregias de illa victorias reportant. Hoc ſanè Chriſtus Dominus oſtendere nititur, nititur, in campum cum Satana deſcendens, qui Spiritu ſancto plenus, ieiunio valido, & orationibus feruentiſſimis intentus, ita eum ſuperauit, vt oſtendat, facillimum nobis eſſe, diuino fauore munitis, ſuperare eundem, quantumcunque inſuperabilis videatur. Idque intendens Eccleſia Sancta, ſtatim initio temporis, quo militia Chriſtiana agenda eſt, hoc ſingulare certamen ante oculos noſtros ponit, animos faciens, vt timorem deponamus, & intelligamus, non tam fortem eſſe leonem, ſicuti depingitur, nec tam inſuperabiles eius vires, ſicut exterius præ ſe fert: quem Deus Elephanti ſpecie diuino consilio voluit indicare, Summum namq; timorem, imò, & terrorem antiquitus Elephanti incutiebant, adeo, vt ſupremi duces eos vehementer formidarent, victoſque ſe exhibere ad illorum præſentiam, quos videbant tam ingentibus viribus præſtare, vt fortiſſimum quemque militem, tuba (quam quidam proboſcidem, alij pro-

Pſal. 91. 8. Pſal. 128. 6. 32. Mor. c. 10. hom. 3 in Euang. ad finem. Eſa. 40. 8.

Eſai. 40.

a In Pſ 71. b In Pſ 101 c in Pſ. 118 q Li. 3 Hexaem. c. 4. e in Catena.

Iob. 2. 6.

¶ 4.

muſcidem vocant) capientes, ita ad parietem, vel ad terram alliderent, ac ſi leuis molliſque cucurbita fuiſſet: imò tantâ vi præſtant, quod, ſicut dixit Plinius, eadem proboſcide arbores capiunt ingentes, quas radicitus euellunt, & in terram proſternunt, vt earum fructum deuorent. Lapides magnos ſimiliter Elephantus proijcit, & *Ibidem.* allidit, imò, vt Plinius ait, eos integros deuorat, & arborum truncos, *Lib. 5.* quaſi dulcem cibum comedit. Lucretius eos vocat Anguimanos, eo quod tuba illa, quam ad modum ſerpentis, aut anguis, hac, & illac ſumma celeritate reflectit, tanquam valida manu accipit quidquid vult. Hinc factum eſt, quod ſicut idem Lucretius aſſerit, *Ibidem.* magnas Martis ſoleat turbare cateruas: eo enim ipſo, quod milites alicuius exercitus videbant Elephantes ab inimico exercitu adduci, turbabantur, & omnem animum deponebant. Proſternunt acies, inquit Plinius, proſternuntque armatos, de quibus infra. Omnis tamen timor depulſus eſt, quando, vt idem inquit Plinius, in *Loco cit.* bello, quod Phyrrhus agebat, miles *Lib. 8. c. 7.* quidam valido gladio, aut enſe vſus, proboſcidem, aut tubam illam ſorrem, vnico ictu abſcidit, quo facinore iam omnibus fuit manifeſtum, facile eſſe, Elephantum ſuperare, ſi quis valide pugnare, & gladio vti voluerit. Sed, *Lib. 8. c. 5.* & hoc obſeruat idem Plinius, Elephantum eſſe animal, quod vehementiſſimè afficitur verecundia, & pudore, adeò vt abdita, & ſecretiſſima loca quærat ad libidinis actum, non minus, quam verecundiſſima mulier: mirum eſt enim, quantum de ratione participare videatur: & huius occaſione admiranda refert Plinius. Vnde, & *Ibidem.* *In Phyſiol.* Diuus Epiphanius affirmat, illum cum *c. 4.* ſe comprehenſum, alligatum, ac ſuperatum videt, dum ſolus manet, flere, & triſtes querimonias, lamentabili, ſubmiſſa tamen voce, edere, quas, cũ aliquis ſpectator adeſt, ſimul, & lacrymas ſubito comprimit, quaſi eum pudeat, quod appareant in eo ſigna animi dimiſſi, & infirmi. Qua propter ſupremum ſupplicium, quo ille affici poteſt, eſt, conuitijs, & contumeliæ verbis in eum agere, & verbis infamibus obiugare, & dehoneſtare; magis enim torquetur, & affligitur verbis contumeliæ, quàm quibuſcunque verberibus. Ita ſanè diabolus ingentem terrorem antiquitus ingerebat hominibus, quoniam videbant illum potentiæ ſuæ vi egregios deieciſſe viros, & exturbaſſe, ac quaſi colliſiſſe, veluti Adamum, Sampſonem, Dauidem, Salomonem, &c. cuius propterea congreſſum reformidabãt omnes. Nunc autem Chriſtus Dominus, cœleſtis militiæ dux, in arenam cum hac ſeuiſſima beſtia deſcendit, & vſus gladio verbi Dei, eius tubam, aut proboſcidem abſcidit, dum omnes machinas euerſauit. Timorem igitur deponere poſſumus, qui eodem gladio diuini verbi vtentes, facilè eundem Elephantum ſuperare poterimus; qui quoniam ſuperbiſſimus eſt, dum ab homine mortali victum ſe conſpicit, & contumelioſis verbis dehoneſtatum, tanta afficitur verecundia, & pudore, vt fugiat, & per multum tempus non audeat eundem impetere, à quo ſemel victus fuit, vt Beatus Ambroſius dixit. Quomodo, & Chriſto Domino accidit, qui poſtquam eum deiecit, contumeliæ, & exprobationis verbis eum confudit, dicens, *Vade Satana*, receſſit ab eo vſque ad tempus, id eſt, per dies multos, quibus omnibus, non ſolum auſus non fuit coram illo comparere, ſed potius vehementiſſimè eius refugiebat præſentiam, de quibus infra. *Lib. 4. in Luc.*

§. 2. *Deus*

§. 2. *Deus mundum, in quo hominem creaturus erat, prius dæmonibus replevit, ad superbiam draconis conterendam, creauit ad illudendum ei.*

¶ 55. PRofundius tamen mysteria, quæ in præfatis verbis clauduntur, expendere libet, vt gradum nobis faciamus, ad ea omnia, quæ in hoc tractatu dicturi sumus. Quæstio sanè fuit celebris apud Sanctos Patres: cur Deus tam ingentem multitudinem dæmonum reliquerit in hoc mundo, aut (vt Augustinus *a* loquitur, & D. Thomas *b*) in hoc aere caliginoso, qui, vt dicit Hieronymus *c*, per istum volitant aerem, & vt dixit Bernardus *d*, inter cœlum, & terram ventosum hoc medium tenet, vnde, & potestates huius aeris nominantur. Creauit sanè Deus statim in mundi exordio angelos, in magno, & quasi immenso numero, excedente omnem multitudinem rerum corporalium, vt ex Beato Dionysio *e* probat, & explicat D. Thomas *f*. Illorum quam plurimi, suapulchritudine naturali, ac supernaturali nimis delectati superbè in suum creatorem agentes, cœlo deiecti sunt, remanentibus ibidem Angelis sanctis, qui humiliter suo se subdiderunt conditori. Quod putat Augustinus à Moyse subobscurè iudicatum, illis verbis: *Dixit Deus: Fiat lux*, idest, Angelica natura: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris*. Quamuis autem certum sit apud sacros Theologos, tunc plurimos dæmonum proiectos fuisse *vsque ad profundum laci*, id est, inferni, qui tũc conditus fuit à Deo; tanquam locus proprius, & carcer, in quo omnes damones suæ iniquitatis pœnas darent, in quo post mundi finem includentur, vt Ioannes dixit, qui propterea dicitur à Christo Domino: *Paratus diabolo, & angelis eius*; certum est etiam, eorum quam plurimos; & penè innumeros, in hoc mundo à Deo derelictos fuisse, in quo homines condere, & locare decreuerat: propter quod non dicuntur in Apocalypsi, in infernum missi: *sed in terram*, inquit, *missi sunt*. Quærunt ergo sancti Patres, cur non omnes dæmones in infernum tunc miserit Deus, & incluserit carceri, quem eis parauit; sed potius ingẽtem, copiosamque multitudinem in hoc mũdo reliquerit: nam præterquam quod videtur iustitiæ ipsius hoc derogare, secundum quam, spiritibus illis malignis hæc pœna conuenientissima videbatur, vt in profundum mergerentur, in quo humiliarentur, qui super astra exaltare se voluerunt: videtur etiam contrarium paternæ dilectioni, pietati, ac prouidentiæ, quibus Deus erga homines se agere sæpissimè profitetur. Quis etenim prius pater, dilecto filio domum præparans, in qua nasciturus est, & vitam acturus, priusquam in ea nascatur, illam replet serpentibus, scorpionibus, regulis, venenatisque animantibus, qui nihil aliud, quàm venenum effundere procurent? Quisnam pastor ouibus suis, quas comparare intendit, caulas, & pascuas, quæ prius præparat, replet lupis, leonibus, vrsis, vulpibus, alijsque animalibus crudelissimis, quorum perpetua sit cura, ones ipsas, & agnos deuorare? Quisnam agricola volens triticum seminare in agro, vt inde impleat horrea sua, prius replet agrum totum locustis, brucho, & rubigine, quæ triticum eo ipso quod nascitur, corrodere, & deperdere nitentur? Produxit quidem cœlestis pater hunc mundum, tanquam domum, quam præparabat homini, quem statim erat in eo conditurus: quod obseruauit Chrysostomus, explicans cur Deus antequam crearet hominem, mundum cum ijs omnibus, quæ ad eius pertinent ornatum, condiderit: id enim, ait, factum fuisse, vt offenderet quanti hominem faceret, quem quasi regio honore prosequatur. Regi enim ingressuro ciuitatem, prius paratur palatium, aut domus, in qua recipiatur. Produxit similiter mundum diuinus pastor, tanquam caulam, & locum pascuæ ouium suarum, quas ad dexteram suam aliquando collocaret; & tãquam agrum,

a 3. *Super Gen. ad litt. c. 10. to. 3 & lib. de natur. boni. ca. 33. to. 6.*
b *p. p. q. 64.*
c *Epist. 146 ad Damas.*
d *Ser. beati Martini.*
e *c. 14. de cœlest. Hier.*
f *1. p. q. 50. art. 3.*
11. *de ciui. c. 19. & 20*
Genes. 1.
Isai. 14. 15.
Apo. 20. 9.
Mat. 25. 41
Apoc. 12. 8
Hom. 8. in Genes.
Matth. 29.

in quo tot tritici grana omnipotentiæ suæ manu erat seminaturus, quot animas rationales erat *p*ducturus, vt inde horrea cœlestia repleret, de quibus Ioannes Baptista. Quomodo igitur congruit pietati paternæ, prius hoc palatium dæmonibus replere, qui non minus nitantur venena effundere, quam rabidæ viperæ, & venenati reguli, & immites serpentes? Quid mirum si homine condito, statim serpens vnus ad eum occidendum se conuertat, & crudele virus in totum humanum genus effundat? Cur is, qui pastor bonus vocatur, oues suas in hoc mundo, tanquam in caula, & pascuæ loco constituturus, prius huiusmodi caulã replet malignis spiritibus, quorum rabies, & crudelitas longo interuallo superat leonum, luporum, & omnium animalium crudelium immanitatem? Cur cœlestis agricola, mundum, quem ipse agrum vocauit, antequam triticum animæ rationalis seminaret, repleuit locustis illis venenatis, quarum venenum, rabiem, & crudelitatem Ioannes descripsit, quibus, & illud mirificè congruit, quod de quibusdam locustis dicitur: *Dentes eius, vt dentes leonis: posuit vineam in desertum*, & quidem *misit Deus ignitos*, & venenatos *serpentes*, qui in populum virus suum effunderent: sed id fecit postquam Hebræi se ipsos rebelles contra eum exhibuerunt. Similiter misit leones, qui Samariæ prouinciam replerent, qui crudeliter agerent contra illius habitatores; sed id fecit in vindictam impietatis eorum. Terram itidem Aegypti locustis innumerabilibus repleuit Deus, quæ omnem herbam viridem, lignumque pomiferum corroderent; sed id exequutus fuit, vt in obstinatam Pharaonis duritiem aduerteret. Quod autem in mundi exordio, antequam homo ipsum offenderet, imò, & antequam cõditus esset, mundum quem homini parabat, tanquam suæ habitationis locum, prius serpentibus, leonibus, locustis infernalibus repleret, indecens videtur, & incongruum suæ pietati, ac benignitati. Quæstionem hanc multi sancti Patres ex professo agitarunt. Signanter Hieronymus *a*, Augustinus *b*, & Chrysostomus *c*, tribus integris libris, quos de Dei prouidentia inscripsit, & in oratione peculiari, similiter de prouidẽtia edidit, quæ nuper in Latinum fuit conuersa, incipitque: quam ob causam non ab initio Deus inimicum deleuit. Videndusque est Diuus Thomas *d*, qui egregiè eam diffinit, iuxta sanctorum Patrum doctrinam: qui omnes manifestè demonstrant, hoc non solum non fuisse contra Dei paternam prouidentiam; sed potius eidem valdè conformem. Ad cuius expositionem id in primis, inquit Chrysostomus supponendum est, Deũ non hoc ordinasse ad nostri exitium, & perditionem, manifestè enim sacræ Scripturæ clamant, illum nostram cupere salutem, non solum in communi, sed cuiusuis hominis in particulari. Quod probat ex illo *a Non est voluntas coram Patre meo, qui in cœlis est vt pereat vnus de pusillis istis*. Et Paulus ait *b: Qui vult omnes homines saluos fieri*: & ipse *c: Qui pluit super bonos, & malos*. Si inimicis, inquit Chrysostomus, tanta cura, & prouidentia prospicit fideles suos, qui diligenter ei seruiunt, quomodo contemnet? *Capilli*, inquit ipse *d, capitis vestri, numerati sunt*. Et, *Quomodo miseretur pater filiorum*, inquit Dauid *e*, *misertus est Dominus timentibus se*. Et Isaias aliquid maius docuit, qui matris exemplo potius vsus est, quæ erga natos suos longè misericordius afficitur, quam pater. *Nũquid obliuisci potest mulier, vt nõ misereatur infantulo vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui*. Imò ipse Dei filius, cum Iudæis loqueretur, aiebat: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bonum petentibus se?* Non ergo nostram intendit perditionem, de quo dixit sancta illa fœmina, *Non delectaris in perditionibus nostris*. Cur igitur ita egit? Huius instituti varias indicant sancti Patres rationes. In primis, inquit Chrysostomus, id fecit Deus ad sui gloriam, vt dæmonis superbiam deijceret, & puniret, & in hominis infirmitate suam potentiam demonstraret. Tanta namque

Mat.3.12. ¶ 6.

Ioan.10.11

Matth.13. 38.

Apoc.9.3. Ioel.1.6. Num.21.6

4.Reg.17. 25.

Exo.10.13

a *Lib.* 1. *in c.*1. *Habac.*

b 11. *de ciuitat c.*15. *vsque ad* 22.

c *Lib. de prouident. & orat de prouident. tom.*5.

d 1.*p q.*64 *art.*4.

a *Matt.*18 14.

b 1. *ad Timoth.*2.4.

c *Matt.*5. 45.

d *Matth.* 10.30. *&* *Luc.*12.7.

e *Ps.*102. 14.

Isa 49. 15.

*Mat.*7.11. *Luc.*11.13

Tob 3.22. ¶ 7.

*Lib.*1. *de prouid.*

namque fuit dæmonis ſuperbia, vt contra Deum ipſum agere velle viſus ſit, cuius cor dicitur, *exaltatum ſicut cor Dei*, dixitque: *Aſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo.* Hanc ſuperbiam elationem, debita vltione volens Deus punire, non ſeipſum ei oppoſuit, ſed hominem vilem vermiculum è terra conditum, longè ſecundùm naturam, dæmone ipſo inferiorem: hunc ei deſignauit congreſſorem, à quo eſſet vincendus, deijciēduſque. Superbè exaltauit ſe ipſum Goliath contra Deum Iſrael, cui tamē non ſemetipſum Deus ipſe oppoſuit: nec enim magna eſſet illius ſuperbi gigantis deiectio, ſi à Deo ipſo vinceretur, cuius potentia infinitè excedebat gigantis vires, ſed minimū filium Iſai, paruulum, cōtemptibilemq; inter omnes fratres ſuos, qui nec enſem euaginare, nec verò arma portare nouerat, quem propterea Goliath ipſe, tanquam ſibi longè minorem, & imbecilliorem deſpicerer, & irrideret, cùm ſibi oppoſitum vidit. Et certè ſi Goliath cùm victus fuit à Dauide, viuus remanſiſſet, & conſpicere ſe ipſum poſſet ad pedes illius pueri deiectum, illumque de ſe ipſo triumphantem, ſuperponētem pedem ceruici, & capiti ſuo; nihil durius, grauius, & infœlicius poſſet ad ſuæ ſuperbiæ pœnam euenire. Hoc ergo modo voluit Deus dæmonis ſuperbiā frangere, ac punire, qui in ſe ipſo ſuperbiēti non Deus ipſe ſe oppoſuit; ſed hominem infirmum, inter omnes creaturas intellectuales è terra conditum, qui cum eo congrederetur, ei reſiſteret, & illum vinceret. Et propterea nihil contumelioſius, ac magis indecorum poteſt ei euenire, quàm videre ſe ad pedes tam vilis vermiculi, qualis eſt homo, deijci, proſterni, conculcari. Hanc rationem ex profeſſo notauit Chryſoſtomus *a*, & Auguſtinus *b*, qui in hunc ſenſum explicare videtur illud *c*: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei:* quod pœna, ad quam poſt peccatum ſuum ordinatus eſt diabolus, intelligendum cenſet; qui poſitus eſt in mundo, & in eo relictus, ad illudendum ei, ſicuti illuderemus homini, & irrideremus, volenti ſe contra fortiſſimum regem, aut gigantem erigere, quem puer infirmus, & paruulus penitus deijceret, & conculcaret. Id ipſum ex profeſſo ſequutus eſt Beatus Hieronymus, virum illuſtriſſimum Iulianum conſolaturus, qui innumeras grauiſſimaſque calamitates, tanquam alter Iob ſubitò incurrerat. Cuius occaſione hiſtoriam ipſius Iob expendit. Certè cùm ſuperbus, viliſque homo contra ſupremum ducem ſe ipſum erigere contendit, nequaquam dux ipſe in eū per ſe ipſum agit: nec enim honorificum reputat cum eo congredi, quem omnes inferiorem agnoſcunt: ſed infimo ſeruo domus ſuæ imponit, vt vilem illum ſuperbum puniat, & cum eo congrediatur, & baculo percutiat. Sicut autem in maximum ducis honorem cedit, quod minimus eius ſeruus, aut miles, ſui inimici potentiam deijciat, & ſuperet; ita in talis inimici ſuprenum dedecus, & pœnam cedit, quod à minimo ducis ſeruo conculcetur & vincatur. Ex hac doctrina explicat Beatus Baſilius illud, quod Deus ad ſerpentem, aut verius ad dæmonem ipſum, qui in ſerpente agebat, dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſum conteret caput tuū.* Eleuauerat ſe dæmon, & quaſi victoriam contra Deum ſe obtinuiſſe gloriabatur, dum hominem, quem Deus creauerat ad poſſidendas ſedes, quibus ipſe pulſus fuerat, à diuina gratia exturbarat, & mortis captiuum, imò & ſui ſeruum reddiderat. Deus autem, inquit Chryſoſtomus, dæmonem non dimiſit, de quo Apoſtolus ait: *Deus ſuperbis reſiſtit*, vt eius ſuperbiam comprimeret, non illi oppoſuit Angelum fortem Michaelem, cuius iam vires ſatanas maximo ſui detrimento expertus fuerat; neque aliquem alium ex cœleſtibus militibus, *ſed inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Ecce, quem tibi deſigno expugnatorem, mulierem infirmam, fragilem, ac debilem, *& ſemen illius*, filios huius, qui erunt homines nati de muliere, id eſt, ex fragilitate, & infirmitate: iſti infirmi, & debiles conterent caput tuum, &

Epiſt. 24. ad Iulian.

Exech. 27. 6.

Eſa. 14. 14.

1. Reg. 17.

¶ 2. *Homil 9. quod Deus malorū nō eſt auctor. p. 163. Gen. 3. 15.*

Hom. 1. de Ozia. Iacob. 4.

a Libr. cit. de provid.
b 11. de ciuit. ca. 15.
c Pſ. 103. 26.

semen tuum, id est, angelos apostaticos euincent, & superabunt. Et certè ita Deus perpetuò agere visus est cum ijs, qui superbè contra ipsum se erexerunt, quibus opposuit infimæ sortis milites, per quos deijciat superbos, quo sui gloriam, & illorum
1. Reg. 17. 1. Iud. 4. & 5. pœnam promoueat. Ita circa Goliath factum diximus: ita & circa Sisaram principem exercitus Iabin; cui Debboram opposuit, qui propterea tam illustrem reportauit victoriam, qualem ipsamet suo celebrauit cantico:
Iudith 16. similiter, & superbissimo Holoferni, eiusque *quadrigis & equitibus, & sagittarijs, qui operuerunt faciem terræ, sicut locustæ*, mulierem imbecillem opposuit, quæ postquam eum turpiter
Ibidem. occisum deuicit, canere potuit, dicens: *Non cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi sed Iudith filia Merari dissoluit eum.* Hoc eodem modo agere visus est, vt
Epist. 24. indicat Diuus Hieronymus, tempore sancti Iob, quando satanas, interroganti Deo: *Vnde venis?* superbè re-
Iob 1. 7. spondit: *Circuiui terram, & perambulaui eam:* Quibus verbis, suam contra Deum visus est iactasse potentiam, quam ita extulit, vt voluerit dicere, se omnia in sui potestatem redegisse, & in vniuerso mundo, tanquam in domo propria, & prædio suo agere, quem propterea liberè, tanquam dominus circuibat, & perambulabat. Hanc superbiam punire & deijcere volens Deus, non se ipsum, aut aliquem ex supremis Angelis suis ei opposuit, sed hominem designauit, de terra conditum, in terra habitantem, Iob scilicet, *qui erat homo in terra Hus*: de terra scilicet ortus, terram inhabitans, & hoc, inquit Hieronymus, indicauit Deus subdens: *Nunquid consideraſti seruum meum Iob?* quasi eum illi opponens, cum quo congrederetur: quo tandem factum est, vt satanas ab infimo homine deuictus, & superatus, irrideri posset à Deo, eiusque Angelis.
Iob 1. 8.

¶ 9. Hinc Hieronymus infert, in magnam Dei gloriam cedere, cum diabolus ab hominibus vincitur, & in ingentem eiusdem diaboli pœnam, & contemptum: ideoque exultat Deus, inquit Hieronymus, in victoria famuli sui, & illius patientiam, suam dicit triumphum: dieique exultationis est in cœlo (nostro modo loquendi) cum homo diabolum superat, & eius acies reuincit. Idcircò Deus, omnesque cœlestis curiæ ciues, tunc quasi talis certaminis spectatores in cœlo exponere videntur, vt expressit Paraphrastes Chaldæus, qui ita legit: *Venit dies mangi iudicij, & astiterunt Angeli, &c.* diem magni iudicij vocat illum, quo Deus superbam dæmonis arrogantiam, qui totius orbis dominium superbè sibi vendicabat, per hominem infirmum, vlceribus plenum, in sterquilinio iacentem, tanquam per vilem vermiculum erat deiecturus. Quod & D. Athanasius similiter obseruauit, de Beato Antonio agens, annotans, Deum singulari sapientiæ suæ consilio permisisse, vt tot, tamque innumeræ dæmonum acies, virum illum etiam in prima adolescentia vexarent: ad confusionem, inquit, diaboli: qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente, vt miserrimus deludebatur: & qui contra carnem, & sanguinem sæuiebat, ab homine, qui carnem portabat, elisus est. Et quibus omnibus inferre licet, Deum aliquo modo posuisse honorem suum in manibus nostris, sicuti antiquitus gloriam populi sui in manibus Dauidis, quando ei commissum est certamen cum gigante insolentissimo; sicut etiam tota regis gloria posita esset in manibus militis, quem opponeret superbo inimico, contra se ipsum insurgenti: & idcircò. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*: Deusque, vt ait Hieronymus, victoriam nostram, suum ducit triumphum. Ex quo relinquitur, qua obligatione teneamur strenuè contra dæmonem dimicare, saltem propter ipsius Dei gloriam; intelligentes, nos Deum, & cælestes eius spectatores certaminis lætificare, quando dæmonem vincimus, & occasionem eis dare, vt irrideant ipsum, delictum à vili puluere, & verme: sicuti

Iob 1.

In Vita Antonij.

1. Cor. 4. 9. Epist. 24. cit.

etiam

etiam quando ab eo vincimur, occasionem ille arripere videtur, vt in Deum, & cœlestes ciues possit superbire, & vires suas iactare, vt Augustinus aliquando considerabat.

Lib. Solilo. cap. 27.

§. 3. *Deum resistere superbis, confundendo illos, cognouerunt Philisthym, & ideò hominem dæmoni opposuit, vt confunderet Behemoth, quem ne timeamus, victum nunc exhibet.*

¶ 10. *Hom. 1. de Ozia.* BReui subtilique discursu, hæc eadem exposuit Beatus Chrysostomus, expendens illam Sancti Apostoli Iacobi sententiam, quam ex Salomone iuduxit? *Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, qua S. etiam Petrus Apostolus similiter vsus fuit. Circa quam obseruat primò Chrysostomus, quod latius Diuus Thomas explicat, non dictũ fuisse, quod Deus dimittit superbos, quomodo de quibusdam peccatoribus dixit Dauid: *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum* & de alijs dixit Paulus: *Dimisit gentes ingredi vias suas*, sed quod *superbis resistit*, eisque se opponit, vt deijciat, confundatque illorum fastum, & conterat caput, ac superbiam illorum. Obseruat secundò idem Chrysostomus, Deum non quocunque modo resistere superbis, sed illo, quo eos relinquat confusos penitus, & delusoriæ irrisioni expositos. Hoc fiet manifestum, si locum, quem Sanctus Iacobus Apostolus citat, profundè expendamus. Habetur ille in libro Prouerbiorum, & quamuis iuxta Septuaginta Interpretes, quorum lectione Sancti Apostoli vti sunt, legatur eisdem verbis, quibus ab Apostolo citatur: *Deus superbis resistit*: in Hebræo tamen legitur eo modo, quo Vulgatus transtulit: *Ipse deludet illusores.* Nec vlla est repugnantia: nam Vulgatus sequutus fuit propriã nominis Hebræi significationem, quia habetur nomen, *Laetzim*, quod propriè illusores, aut derisores significat: quoniam autẽ hoc proprium est superborum, qui per superbiam tumentes, cæteros contemnunt, derident, & illudunt, quos Vulgatus transtulit, illusores, vt derisores, Septuaginta transtulerunt superbos. Similiter, in Hebræo habetur verbum, *Lats*, quod propriè significat deludere, illudere, irridere, ideò Vulgatus transtulit, *Deludet*: nihilominus eleganter Septuaginta transtulerunt, *Resistit*, hoc ipso indicantes, Deum non quouis modo resistere, aut se opponere superbis, sed tali, vt illos deludat, confundat, grandique irrisioni exponat; hæc enim superbis pœna congruens est, vt qui superbientes alios contemnere, irridere, & deludere consueuerunt, irrisi, confusi, ac delusi maneant. Hoc patet ex Oziæ historia, quam Chrysostomus expendit. Superbia tumens Rex Ozias, voluit se supra id quod sibi licebat extollere, restitit illi Deus, nõ quomodocunque, sed deludens eum: percussit namque illum fœdissima lepra, nõ in quauis parte corporis, sed præcipuè in fronte, per quam tam cõfusus, & irrisioni expositus mansit, vt non solum non ausus fuerit vltra inter homines se extollere, sed nec inter illos apparere, qui propterea confusus, se ad domum extra ciuitatem recepit, in qua ab humano consortio relegatus, mãsit vsque ad diem mortis suæ, vitamque misere finiuit. Idipsum videre licet in superbissimo illo Babyloniorum monarcha Nabuchodonosor, qui consideratis ciuitatis suæ excellentiam, magna elatus superbia, se quasi contra Deum erigere voluit: cui tamen subito restitit Deus, non quomodocunque, sed deludens illum, cui figuram bestiæ tribuit, irrisioni, & insuper exponens, ex hominum consortio pellens, & vt fœnum tanquam bestia comederet, ac inter feras ab omnibus delusus, ageret. Sic, & superbo Sennacherib, summa contra Deum superbia tumido, execrandasque blasphemias contra illum iactanti restitit, omnem illius exercitum, ad vnius militis sui, Angeli videlicet, ictum perdens, & tam grandi confusione afficiens, vt omnes ciues Ierusalem possi-

Brixia to. 1. fol. 344.

Pſal. 80. 13

Prou. 3. 34.

Dan. 5. 28.

sent

sent illum irridere: hoc enim, vt quidam volunt, significat illud: *Post te mouit caput filia Ierusalem*: nam mouere caput post aliquem, est illum deludere, irridere, & subsannare, quomodo de quibusdam impijs dictum fuit, quod volentes Christum subsannare, *praetereuntes mouebant capita sua, dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, &c.*

4. Reg. 19. 21. & Isai. 37 27.

¶ 11. Sic ciues Ieroſolymitani mouebant capita ſuper Sennecherib fugientem, exprobrantes illi ſuam, quam iactauerat contra Deum, potentiam. Iuxta hoc inſtitutum conſiderat Chryſoſtomus, excellenter Deum ſuperbo Herodi reſtitiſſe, cuius ſuperbia talis erat, vt etiam Dei ordinationem voluerit diſſoluere, interficiendo Chriſtum, quem natum Regem Iudæorum à Magis audierat, ne aliquem haberet in regno conſortem. Huic illius tumenti ſuperbiæ ſe oppoſuit Deus, non quomodocunque illi reſiſtens, ſed diſponens, vt deluſus, illuſus, ac deriſus maneret, ſicuti de facto manſit, quando Deo diſponente, Magi *per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam*: qua de cauſa grandi exarſit ira, & *videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: & mittens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius*: eſt enim diuinitatis verè dignũ, inquit Chryſoſtomus, non modò huiuſmodi conterere inimicos, verum etiam cum omni facilitate decipere, confundere & confundenti irriſioni expoſitos relinquere. In huius confirmationem eleganter expendit Chryſoſtomus rationem illam, qua ſacerdotes, & diuini Philiſthinorum vſi ſunt, quando illorum populus contra Deum ſuperbiebat, arcam Dei, aut Deum Iſrael, quem in illa reſicere credebant, voluerunt ſubijcere Deo ſuo Dagon, & illum retinere apud ſe, quaſi captiuum, & ſubiectum. Superbis enim illis Deus reſiſtit, percutiendo illos plaga quadam fœdiſſima, confuſione, & pudore grandi illos afficiente: *Percuſſit enim in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius, & ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius: & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate*. Vide quomodo illis ſuperbis illuſoribus, qui Deum Iſrael deridere voluerunt, reſtitit, deludendo illos, & ſummæ cõfuſioni, & irriſioni exponendo, primò, per fœdiſſimam plagam, quam Dauid vocat, opprobrium ſempiternum, *Percuſſit*, inquit, *inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis*. Ioſephus credit fuiſſe diſſenteriam, per quam non ſolùm feces, ſed, & inteſtina ipſa corrupta egerebant. Morieban tur, inquit, crudeli paſſione dyſenteriæ, & inteſtina eorum corrupta, corporis putredine ferebantur. Ioſephum ſequuntur Theodoretus *a*, Procopius *b*, & Sanctus Athanaſius *c*, qui hiſtoriã refert, & expendit, exponens quomodo Deus confuſum relinqueret quendam ſuperbum inanem Arrianum, qui ſellam ligneam, ex qua Athanaſius docere ſolitus erat, conuellere volens, fragmento ligni, inde in ventrem ipſius reſiliente, inteſtina ſua perforauit, & rupto aluo, inteſtina effudit. Sic enim irriſores, & deluſores deludit, & irriſioni exponit Deus. Brixianus credit, percuſſos fuiſſe grauiſſima hæmorrhoidum plaga, nam in Hebræo habetur, *Ubapholim*: huiuſque rationem ex verbo Hebræo tradere contendit. Caietanus cenſet percuſſos mariſcis, quæ ſunt tabercula, quædam vlceroſa, & fœtida circa partes obſcœnas, & immundas, quas ficus alij vocant, à ſimilitudine, quam cum fici fructibus habent. Sed ſiue hoc, ſiue illo modo dicas, conſtat, fœdiſſima, confuſiſſimaque plaga illos fuiſſe in corporibus ſuis percuſſos. Deinde, percuſſit terram illorum muribus, animalibus viliſſimis, & immundiſſimis, qui ita contra illos agerent, vt penitus eos vincerent, & tenerent confuſos. Cùm ergo Philiſtijm ſic percuſſi, adhuc in ſua perſiſtere vellent perfida ſuperbia, dixerunt ad illos ſacerdotes, & diuini, aut ſapientes ipſorum: *Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum. Nonne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt*. Sequitur Chryſoſtomus lectionem Septuaginta Interpretum: qui verbũ, *Hithghalul*, quod paſſiuũ eſt, &

Matth 2.

Hom. 8. eit.

a In 1. Reg. q. 13.
b in 1. Reg. habetur in gloſ.
c Epiſt ad agentes, vitam ſolitariam.

Tom. 2. fol. 53 p 2.

¶ 12.

1. Reg. 5.

Vul-

Vulgatus tranſtulit, *percuſſus eſt*, tranſtulerunt ordine: *Nonne poſtquam illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum, & abijt?* Quomodo legit etiam Regia: ¶ 21. cui conſcribit lectio Caietani: *Nonne poſtquam illuſit eis*, ſeu *irriſit in eis*. Certè modum intellexerunt illi ſapientes Philiſthinorum, inquit Chryſoſtomus, quo Deus ſuperbo Pharaoni contra Deum ſe extollenti, & Aegyptijs ſe oppoſuit, quibus non quouis modo reſtitit; ſed illa agendo, quibus remanerent illuſi, deluſi, & ſuprema confuſione affecti. In primis enim non Angelos, aut vrſos, aut leones eis oppoſuit, ſed cinyphes (quos multi credunt fuiſſe pediculos, & muſcas, puluerem etiam, & cinerem, per quæ illos miſera confuſione pudefecit. Deinde eiſdem, inquit Chryſoſtomus, voluit illudere, & irriſioni exponere, quando lepido ſtratagemate bonis ſuis illos ſpoliare conſtituit, iubens, vt mutuo Iſraelitæ vaſa, & alia ab eiſdem poſtularent, quo factum fuit, vt iuſti ferrent ſpolia impiorum. Potuit quidem Deus potentes bonis ſuis, quibus ſuperbè ſe extollebant, ſpoliare: noluit tamen, niſi quaſi per luſum, & iocum id agere, vt deluſi remanerent Aegyptij. Tandem, non quouis modo reſtitit Pharaoni, ſuperbè contra ipſum incedenti in curribus, & equitibus, ſuamque potentiam iactanti, & dicenti: *Perſequar, comprehendam, & implebitur anima mea*, &c. Sed voluit illudere illi, & quaſi in muſcipula capere inter medias maris vndas. Vnde, & congruè iuſti canere potuerunt; *Exod. 15. 1.* *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem dejecit in mare*. Hoc ſiquidem modo Deus gloriose magnificatur, quo non ſolum vincit ſuperbos, & deprimit illorum elationem, ſed ita, vt remaneant confuſi, & pudendæ irriſioni expoſiti, quibus propterea dicitur illudere. Hoc, inquit, Chryſoſtomus, intellexerunt ſapientes Philiſthinorum, iudicaueruntque Deum eodem modo illorum ſuperbiæ ſe oppoſuiſſe, qui illos fœdiſſimis plagis, viliſſimiſque animalculis percutiebat, quaſi deludens illos, & irriſioni exponens: ex quo inferebant, nequaquam amplius in ſuperbia perſiſtendum, ſed humiliter reducendam Dei arcam in locum ſuum. Hoc igitur modo Deus ſuperbis reſiſtit. Si autem ita cum omnibus ſuperbis agere ſolitus fuit, nonne potius cum totius ſuperbiæ principe, & illo, *qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, Similiter debebat agere? Illi quidem ſuperbienti, & contra Deum ipſum ſe extollenti, voluit reſiſtere: ſic tamen agere decebat, vt illum relinqueret confuſum, deluſum, contemptiſſimæ irriſioni expoſitum, & ſumma confuſione illuſum. Hac de cauſa noluit Deus ſemetipſum illi opponere: non enim grandis eſſet diaboli confuſio, quod ab ipſomet Deo vinceretur, cuius potentia infinitè cuncta diaboli vires ſuperat. Neque verò contentus fuit, Angelum aliquem illi opponere, conſtat ſiquidem Sanctos Angelos, fortiores diabolo exiſtere. Voluit propterea puluerem, & cinerem ei opponere, hominem inquam, non ex quacunque terra, ſed ex viliſſimo puluere formatũ, vt cùm ab illo vinceretur, ſumma remaneret confuſione confectus, irriſionique ſupremæ expoſitus, & deluſus. Hac igitur de cauſa dæmones in mundo poſuit, in quo hominem erat conditurus, vt mundus eſſet tanquam circus, aut ſtadium, in quo cum dæmone congredi poſſet, & illi ſe opponere: vt dæmon ab homine vili puluere ſuperatus, ſumma confuſione maneret affectus. Ex quibus manifeſta relinquitur illa Dauidis ſententia, quam antea induximus, inducemuſque poſtea, explicatque Beatus Auguſtinus: *Draco iſte, quem formaſti*, id eſt, quem in mundũ reliquiſti, *ad illudendum ei*. Quæ ſimiliter Deus ipſe ad Beatum Iob prædixerat de dæmone, ſub typo Behemoth, aut balenæ agens, cuius ſententiam ad hoc inſtitutum eleganter idem expendit Auguſtinus. *Hic eſt initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis ſuis*. Sic enim habet textus, iuxta lectionem Septuaginta interpretum, quorum Dydimus, & Græci Patres ſequuntur, vbi noſter Vulgatus legit. *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius*. Angelorum autem *11. de ciui. c. 15. & 17* *Iob 40.*

nomine, homines intelligendos, demonstrat Augustinus, quibus imposuit, & commisit dæmonis potentiæ, & tentationibus se opponere, ad ipsius dæmonis confusionem, & vilipendium. Hæc igitur Dei mens, hoc sapientis illius profundum consilium. ¶ 13.

Quoniam autem timere poteramus congredi cū tali hoste, cuius vires tam vigentes sunt, vt dixerit Deus ipse. *Iob.41.24.* Non est potestas super terram, quæ ei possit cōparari, cuius elatio, & superbia varijs triūphis, quos de viris primoribus cōparauit, aucta est, Christus Dominus postquam in Iordane baptizatus fuit, & aquas suæ mundissimæ carnis contactu sanctificauit, cum illo congreditur, vt illius vires frangat, & fortitudinem eneruet, quo iam possimus nos facilè eum superare. Videturque nunc illud verissimè euenisse, quod in antiquo populo fuit præfiguratum, cecinitque Dauid in Psalmo, cuius titulus est: Intellectus Asaph, quia vt ibi obseruat Augustinus, Asaph Latinè, congregatio est, vt illam Synagogam, aut congregationem considerantes, intellectū ad Ecclesiam, quæ est congregatio fidelium eleuemus. *Tu*, inquit, *confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis, tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum*. *Exod.14. 29.* Confirmauit quidem Deus antiquitus in virtute sua mare, quando aquas eius fluidas diuidens, solidauit, vt instar muri firmissimi, à dextris, & sinistris Israelitarum starent. Ibi autem contribulauit capita draconis in aquis: quia Pharao, & eius duces, videntes mirabilia, quę ibi fiebant, stupefacti sunt. Nihilominus quia tunc insequuti sunt Israelitas, confractæ sunt eorum vires, & robur, adeò vt factæ fuerint esca populis Æthiopum, id est, dicti sunt in consumptionem populo domus Israel, vt exponit paraphrastes Chaldæus. Nam in Scriptura sacra, cùm quis inimicum facilè vincit, & dejicit, dicitur eum comedere, aut in escā accipere. *Num.14.9* Ita Iosuè, & Caleb dixerunt: *Ne timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita possumus eos deuorare*. Vocat autem Israelitas, populum Æthiopum, non quod illi verè essent Æthiopes, sed quia vox, *Sjm*, quam Septuaginta transtulerunt, Æthiopes propriè significat, aridos sine humore, sine viribus, quales erant Israelitæ, quando ex illa misera seruitute Ægypti egrediebantur: Superueniat nunc Asaph, id est, intellectus transiliens illam congregationem, & pertingens ad populum Christianum, & videat, quomodo Deus confirmauit in virtute sua mare, id est, congregationes aquarum, cùm Iordanem ingressus sanctificauit aquas, quibus dedit virtutem sanctificandi animas per baptismum, quem expressit ille transitus maris, vt dixit Paulus. *1.Cor.10.11.* Ibi quidem contribulauit capita draconis: quoniam cùm diabolus eiusque satellites attenderunt, ex vna Christum accedentem ad baptismum inter peccatores, ac si vnus esset ex illis, & ex alia viderent apertos super eum cœlos, & Spiritum Dei descendentem super eum sicuti columbam, & Patrem intonantem: *Hic est Filius meus dilectus*, *Mate.3.17. Luc.3.22.* contribulata sunt eorum capita, nescientes quid hoc esset: propterea diabolus cum suis satellitibus insequutus est Christum, & accessit, vt eum tentaret. Tunc autem confregit capita draconis. Intelligimus, inquit Augustinus, dracones, omnia dæmonia sub diabolo militantia, quorum caput superbia est; quam ita Christus confregit, vt iam Æthiopes, id est, homines infirmi, aridi, & sine virtute propria, eum facilè iam dejiciant, & vincant, & pueri ac mulieres infirmæ, insignes victorias de eo reportent. Quod egregiè idem ipse Augustinus annotauit, expendens illud: *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me*. *In Psal.60 Psal.60.3.* Anxius equidem reddebatur homo, dum sibi cum diabolo congrediendum considerabat, cuius timebat vires, fraudes, & machinas: *sed in petra exaltatus est*. Modò, inquit Augustinus, in Euangelio legebatur, quia Dominus Iesus Christus in eremo tentabatur à diabolo: in Christo enim tu tentaberis, quia Christus de te sibi habebit carnem, de se tibi salutem, de te sibi mortem, de se tibi vitam, de te sibi contumelias, de se tibi honores: ergo

de

Genesar. Brixian. to.2.fol.112

de te ſibi tentationem, de ſe tibi victoriam. *Si in illo nos tentati ſumus, in illo nos diabolum ſuperamus, &c.* Et ſi quæras: Quomodo mihi vincendi viâ fecit? *In petra*, inquit, *exaltaſti me*. Quis factus ſit petra, inquit Auguſtinus, audi Apoſtolum, dicentem: *Petra autem erat Chriſtus*: in illo ergo ædificati ſumus. Propterea petra illa, in qua ædificati ſumus, prior percuſſa eſt ventis, fulmine, pluuia, quando Chriſtus à diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit ſtabilire. Hæc igitur prima cauſa eſt, cur Deus voluit tot dæmonum multitudinem conſtitui in mundo, in quo erat hominem conditurus. 1. Cor. 10. 4

§. 4. *Deus dimittens dæmonum millia in mundo, voluit hominem obligare ad perpetuam vigiliam, & vt illius fauorem ſemper quæreret.*

¶ 14. *Li. 1. de prouid. & orat. de prouident. cit.*

ALiam cauſam adhibet idem Chryſoſtomus, cur Deus, tot dæmonum millia in mundo reliquerit, in quo hominem conditurus erat: vt ſcilicet Deus compelleret hominem, perpetuò ad ſe confugere, & ita ſibi adhærere, vt nunquam ſe ab eius latere ſepararet. Videbis (inquit Chryſoſtomus) matres, vt paruulos ſecum adhærentes retineant, laruas agere, aut phantaſmata quædam repræſentare, & tempore, quo ciuitates laruis replentur, pueri à matrum lateribus non diſcedunt, ſemper attendentes, neceſſarium ſibi eſſe matris præſidium, ſi hac, vel illac laruæ occurrant. Similiter commune eſt ſatis, & familiare parentibus, ſeruos in domo ponere, qui phantaſmata agant, qui paruulos filios terrefaciant, quo eoſdem tandem compellant, ad ſe venire, & ſuum patrocinium quærere, ſibique perpetuò adhærere. Propterea Deus mundum dæmonib. quaſi laruis repleuit, tanquã ſernis, qui phantaſmata agant, vt nunquam ab eius latere ſeparemur, & timentes, eos vbique nobis poſſe occurrere, vbique nobis eſſe neceſſarium diuinum patrocinium intelligamus. Huic ſimilis eſt illa communis ratio, quam ad idem inſtitutum ſæpè Sancti Patres expendunt, dicentes, hoc ideo à Deo ordinatum fuiſſe, vt homo perpetua cura, & vigilantia ſibi proſpiciat, qui attendens, ſe vndique inimicis circumſeptum, qui omni tempore, omni loco, & in omni opere ſibi inſidiantur, vigilet, ſibique attendat, & nunquam pedem moueat, aut verò aliquid aliud agat, niſi timens, & prouidens, ne circumueniatur à Satana, vt dixit Paulus, qui perpetuò cogitat, quomodo poſſit nobis nocere. Certè ſi quis ſciret, ciuitatem, in qua habitat, repletam hoſtibus crudeliſſimis, qui omnes vias occupant, & plateas, & omnia loca ingredi poſſunt, quique necem ſuam ſummopere intendunt, cupiunt, & procurant, ſumma vigilantia ſibi proſpiceret, & eorum præueniret incurſus, & arma nunquã deponeret. Huius rationis vim, eloquenti oratione proſequitur Chryſoſtomus, expendens illa verba, quæ ille iuxta Græcum ita legit: *Agnoſce, quod in medio laqueorum tranſis, & ſuper propugnaculis vrbium habitas*. Qui ſciret vbique inimicos adeſſe, inſidias agentes, & laqueos tendentes, & qui poſitus eſſet in propugnaculo vrbis circundatæ inimicis, maxima vigilantia ad omnia attenderet. His proxima eſt ratio deſumpta ex Beato Auguſtino, qui annotat, prudens conſilium, quod Publius Cornelius Scipio Naſica tradidit Romanis. Hunc virum laudat Titus Liuius, & eum vocat Auguſtinus, Pontificem Maximum Romanorum, qui totius Senatus iudicio, vir optimus fuit deſignatus, quando ſub terrore belli Punici, in ſuſcipiendis ſacris Phrygijs vir optimus quæreretur. Cum ergo Legati Romani, qui Carthaginem adierant renuntiaſſent, ingentem ſe naualis materiæ vim Carthagine inueniſſe, & propterea in Senatu propoſita fuiſſet quæſtio: An Carthago inimica, & æmula Romæ eſſet penitus diruenda, quo Romani abſque hoſtibus quietam agerent vitam,

2. Cor. 4. 18

Hom. 15. ad pop.

Eccl. 9. 20.

1 *De ciuit. c. 30. & 31.*

Lib. 29.

tam, & Marcus Portius Cato decerneret diruendam, & funditus euertendam, illi se opposuit Scipio Nasica, dicens: nullum maius damnum Romæ posse euenire, quam quod inimicis omnino careret; metus enim hostis, ciuitatem in bonis artibus continebat, & ciues in vnitate conseruabat, & agebat ne torperent ocio, & inimicitias domesticas in hostes conuertebat: Et idcirco necessarium esse terrorem, tãquam tutorem idoneum pupillis ciuibus, qui eos in officio contineret, & vigilantes efficeret. Quod, & Appium Claudium dicere solitum, scribit Valerius. Nec eum, inquit Augustinus, fefellit sententia: nam re ipsa probatum est, quam verum diceret. Deleta quippe Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ Reipublicæ depulso, & extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuò subsequuta sunt, vt corrupta diruptaque concordia, prius sæuis cruẽtisque deditionibus, deinde mox malarum connexione causarum, bellis etiam ciuilibus, tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum, ac rapinarum ferueret immanitas, vt Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate vitæ, crudeliora paterentur à ciuibus. Hæc prosequitur Augustinus, quæ, & Sallustius scripserat: nam ante Carthaginem deletam, Populus, & Senatus, Romanus, placidè modestèque Rempublicam inter se tractabant, neque gloriæ certamen, neque dominationis inter ciues erat, qui tantum intenti erãt, de inimicis gloriam, & victoriam reportare, sed vbi formido à mentibus discessit, torpor, & ocium Romanam Rempublicam plurimis vitijs infecit. Hanc rationem obseruauit Diuus Thomas in illud: *Virtus in infirmitate perficitur*, nomine infirmitatis, intelligens etiam persequutiones, & inimicorum congressus, sicuti & Chrysostomus intellexerat, de quo alibi. In cuius confirmationem id etiam obseruat, quod sæpè legitur in Sacra pagina, quod Dominus noluit destruere omnes habitatores terræ inimicos Israelitarum, sed aliquos reseruauit, vt ici-

In bello Iugurthino, vt Viues ibi. tradit.

In ca. 12. 2. ad Cor.

licet filij Israel exercitarentur, pugnando cum eis, & ne desidia, & ocio torperent: quin etiam locum obseruat idem Diuus Thomas, explicans dubium illud, cur baptismus non auferat omnia, quæ pœnam inferunt, & concupiscentiam, quæ bellum nobis indicit: *Hæ sunt gentes*, inquit, *quas Dominus dereliquit vt erudiret in eis Israelem & posteri ediscerent filij eorum, certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.*

3. p. q. 69. art. 3.

Iudic. 3. 1.

§. 5. *Deus creauit Angelos, quos præsciebat futuros dæmones, vt victoriæ materiam nobis ministrans, vnusquisque illam obtineat coronam, quæ diabolo quem vicerit, erat parata.*

¶ 16.

HIuismodi rationes, & causas variàs reddunt Sancti Patres, communis tamen, & suprema illa est, quam Diuus Thomas, ex Sanctis Patribus, & signanter ex Beato Augustino reddit, dicens; dæmones relictos in mundo, ad nostram vtilitatem. Diligit enim Deus hominem, et dictum est, cuius salutem intendit, vultque omnes homines saluos fieri: non igitur in malum illius posuit dæmones in mundo, sed in bonum, vt scilicet possit eidem regna cœlestia iure conferre. Producere equidem voluit Deus hominem, non vt in mundo permaneret, cui cœleste regnum dare ab æterno constituerat, sed vt illum, tanquam illius regni Regem, gloria, & honore coronaret. Ad coronam autem necessaria est victoria: ad victoriam verò necessaria est concertatio, & pugna: nam tanquam commune prouerbium dixit Paulus; *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Bellum autem consistere nõ potest, nisi sint inimici, & hostes, contra quos illud agatur. Propterea ergo Deus mundum producens, tanquam stadium, in quo homo victoriam reportare posset, simul inimicis repleuit illum, vt tot victoriæ coronas homo sibi compararet,

1. p. q. 64. art. 4.

2. ad Tim. 2. 5.

quot

quot in eo hostes inueniret, cum quibus congrederetur. Hinc rationem sequitur Beatus Hieronymus *a*, & Beatus Ambrosius *b*, sequutus fuerat, ex professo illam tradit Diuus Cyprianus *c*, vt annotauit D. Pontius *d*, assumens conclusionem probandam, quod nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria, quam cum quis consequutus fuerit in pugnæ congressione, datur vincenti corona. Cyprianum imitandum suscepisse videtur Augustinus edens peculiarē librum de Agone Christiano *e*, cuius fundamentum est, quod corona victoriæ non promittitur, nisi certantibus. Hanc eandem conclusionem ex professo demonstrat Ambrosius *f*, ex celebri Apostoli sententia *g*. Meritò Paulus, *Certamen*, inquit, *bonū certaui, cursum consummaui, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* In illa, inquit, die reddet, non hic. Hic autem in laboribus, in periculis, in naufragijs, quasi athleta bonus decertabat: quia sciebat, quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis præmium accipere, nisi legitimè certauerit: nec est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina. Ita Ambrosius, qui idem institutum prosequens obseruat, Christū non promisisse in Euangelio gloriæ coronam, nisi illis, qui in præsenti vita legitimè certauerint, laboresque subierint. Vnde præproperè, inquit Ambrosius, coronam exigis, antequam vincas. Iure propterea illorum exposa fuit petitio, qui sedes excellentes, & coronas in Regno Christi petebant, antequam pugnarent, & vincerent, quos propterea Dominus à tali petitione reuocat, inducens prius ad pugnam, & calicem, dicens: Potestis bibere calicem? Ex hoc principio explicat Augustinus, difficilem quandam quæstionem, quam quidam contra Dei bonitatem mouebant. Postquam enim Augustinus ostendit, Deum creasse omnes Angelos in gratia, & sanctitate, eorum tamen plurimos in veritate non stetisse, sed sua culpa malos, ac impios factos fuisse, quærit: cur Deus, illos produxerit, quos nouit futuros malos, & ex Angelis Sanctis in impios dæmones conuertendos. Et respondet, id à Deo in cōmodum, & bonum factum fuisse. Neque enim (inquit) Deus, vllum, non dico Angelorum, sed vel hominum, crearet, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret. Statuit itaq; Deus ab æterno homines cōdere, quibus gloriam suam impartiret, quam illi actibus suis meritorijs, diuina gratia, & fauore roboratis, compararet. Vt autem haberet homo materiam ad tales actus producendos, voluit permittere, vt multi Angelorum, sua ipsorum malitia à bono deficerent, quam contra homines conuerterent, quatenus sic homo varias occasiones ad excellentes actus meritorios edendos haberet posset. Sicut enim Deus, inquit Augustinus, naturarum bonarum est optimus conditor, ita malarum voluntatum est iustissimus ordinator, vt cum illi malè vtuntur naturis bonis, ipse benè vtatur etiam voluntatibus malis. Ideoque sicut diabolus vsus est male natura bona sua ad malum, ita voluit Deus benè vti illius voluntate mala, ad bonum nostrum. Ex his explicat Augustinus illud: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, aut vt sæpe legit, *Ad ludendum cum eo.* Certum si quidem est, diabolum à Deo fuisse creatum, & formatum: nulla enim natura est, etiam in infimis bestiolis, quam non ille constituerit. Sed qui illum condidit qui se sua voluntate fecit malum, voluit vti malitia eius in bonum nostrum, illum statuens in mūdo, vt illudatur à iustis, aut vt iusti cum eo ludant. Itaque fecit, inquit Augustinus, vt diabolus, institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus, illuderetur ab Angelis eius, id est, vt prosint tentationes eius Sanctis, quibus obesse desiderat. Et quoniam Deus, cum eum conderet, futuræ malignitatis eius nō erat vtique ignarus, & præuidebat, quæ bona, de malo eius esset ipse facturus, propterea Psalmus ait; *Draco hic, quem formasti ad illudendum ei*, vt in eo ipso, quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, iam per suam præsciētiam præparasse intelligatur, quomodo ille

a *Tom. 2. l. 3. dial. cōt. Pelag. pag. 227.*
b *Lib. 4. in Luc. cap. de receſſu diabol.*
c *Libr. de mortal.*
d *In vita Cyprian.*
e *To. 3. libr. de Agone Chriſtia.*
f *Lib. 1. offi. c. 15. & 16.*
g *2. ad Tim. 4. 7.*

Matth. 10. 22.

Libr. 11. de ciu. à cap. 11. ad 22. ¶ 17.

11. De ciu. c. 17. & ep. 120. ad Honor. cap. 2.

Pſ. 103. 26.

Ibidem.

ille vteretur, & malo. Ita ille, qui id ipsum alibi repetit. Non illum, inquit, Deus malum condidit; sed quia cum faceret eum, ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret, creauit eum ad hoc, vt de illo, bonis ipse prodesset: hoc est enim, vt illudatur ab Angelis, quoniam sic illuditur, cum Sanctis prosunt tentationes eius, quibus eos deprauare conatur, vt malitia, in qua ipse esse voluit, eo nolente sit vtilis seruis Dei, qui hoc præuidens, finxit eum. Ita Augustinus: iuxta quem hæc est notanda sententia, quod verè Deus ad hoc creauit Angelos, quos futuros nouit dæmones, vt per eorum tentationes, hominum salus, & gloria pararetur: & idcirco dicitur diabolus, draco creatus *ad ludendum cum eo*, vt videamus, quàtum æstimet victoriam nostram. Quæ verba duobus modis exponi possunt; primus, vt ludere idem sit, quod pugnare, aut bellare. Ita dicitur. *Surgant pueri, & ludant coram nobis*. Ludum, ait Theodoretus, appellauit eorum congressum. Et de Dauide dicitur: *cum leonibus lusit, quasi cum agnis.* Ita accepit Acatius *a*, illud: *b Vidit Sara Ismaelem ludentem cum Isaac*, id est, persequentem Isaac, satis consone Paulo *c*, qui ludum illum pro persecutione accipit. Secundus sensus est, vt idem sit ludere, aut illudere, quod irridere, aut irrisionibus aliquem prosequi per contemptum. Ita dicitur: *Venit ad me seruus Hebraus, quem introduxisti, vt illuderet mihi*. Et Esaias, *super quem lusistis?* Loquitur de impijs irridentibus iustos, & pios. Iuxta primum sensum facilis est loci intelligentia: vult enim dicere, draconem positum in hoc mari magno, ad pugnandum cum eo, & vt iusti qui Angeli dicuntur, cum illo perpetuum bellum agant, de quo reportantes victoriam, æternæ gloriæ coronam percipiant. Sed iuxta secundum sensum, insigne mysterium hæc verba continent, & declarant: nec enim tantum indicant bellum, quod cum diabolo agendum est, sed, & modum exprimunt, quo tale bellum agere oportet. Duplex siquidem est inimicorum genus: quidam viribus corporeis agunt, brachia, manusque mouentes, quorum arma sunt omnibus manifesta: quomodo Romani agebant contra Carthaginenses, & Philisthijm contra Israelitas, quando Goliam præficiebant, hominem ingenti corpore, viribusque præstantem, armis validissimis munitum. Huiusmodi bellum non est proprium hominum, aut creaturarum rationalium, quippe cum belluæ etiam contra se ipsas illud agant, sicuti draco cum elephante, canis cum lupo, leo cum equo; inter quas, quæ viribus præstant corporis, vincunt: ideoque victoria, quæ per tale bellum comparatur, non valdè est digna laude: comparatur enim viribus, quas quis à natura habet, & naturalibus, neque vituperationem, neque laudem promeremur, vt dixit Aristoteles, Alij sunt inimici, qui potius agunt viribus rationis, & intellectus, stratagemata inuenientes, laqueos struentes, machinas componentes, quibus inimicos arte potius, & rationis discursu, quam viribus superant. Ita Rex Syriæ contra Israelitas agere parauit: ita, & Iosue habitatores Hai superauit. Hoc genus bellandi proprium est creaturæ rationalis, quæ intellectu, & ratione agit: ideoque, qui victoriam hoc modo cõparant, maximè celebrantur apud omnes, quippe qui seipsos comprobant maximo intellectu, & discursu præstare. Hinc prouenit, quod cum quis inimicum in huiusmodi bello superauit, illum irrideat, & subsannet, demonstrans se maiori intellectus acie præstare, qui illius laqueos præuidit, & machinas aperuit, & suæ rationis discursus illusit: ideoque illum subsannat adeo, vt, & passerculi videantur irridere venatores, quorum laqueos effugerunt. Bellum ergo, quod cum diabolo gerimus, non est corporale, sed spirituale: non viribus corporis agendum, sed rationis, & spiritus: ita ille nobiscum pugnat. Vnde vocatur *Draco*, quia capite nititur, ratione monetur, & machinis agit, instruit technas, laqueos tendit, insidias parat, vt annotauit Augustinus, imò, & Paulus sæpè expressit, signãter cum ad-

11. de Gen. ad lit. c. 22.

2. Re. 2. 14. In li. 2. Re. q. 9. Eccl. 47. 3. a Apud Lyppo, in cate. Gen. 2. b Gen. 21. 9 c Gal. 4. 29 Gen. 39. 14 Isa. 57. 4.

4. Reg. 6. Iosue 8.

¶ 18.

monet, quod caueamus, *vt non circumueniamur à Satana: non enim*, inquit, *ignoramus cogitationes eius*, id est, non ignoramus illum nobiscum bellum agere, cogitando, quomodo decipiat, irretiat, & illaqueet. Ecce draconem capite agentem, qui propterea si victoriã reportat, capitque nos laqueis, aut foueis, quas abscõdit, nos irridet, & subsannat. Quod Dauid timebat: *Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei.* Deficere quidẽ corporis viribus, non confundit hominẽ, deficere tamẽ ratione, & intellectu, illum erubescentem reddit, adeò, vt videamus non erubescere eũ, qui luctando succubuit, aut à fortiori deiectus fuit; erubescere autem eũ, qui scachorum ludo victus est, quia illud ad vires corporis, hoc ad rationis discursum pertinet. Quia ergo diabolus positus est, vt cõtra nos pugnãtem vincamus, & talis victoria obtineatur, ex hoc, quod eius laqueos euadimus, machinas detegimus, stratagemata eludimus, tunc is ille manet illusus, & erubescẽs, dicit Dauid, eum positũ *ad illudendum ei*, aut, vt à iustis illudatur, qui hoc ipso, quod eum diuina fauente gratia vincunt, superiores ratione, & intellectu, se cõprobant, illudque euenit, quod dixit Isaias: *Et erit, cum requiem dederit tibi Dominus*, id est, cum bellum fuerit finitum, & victoria iam parta, requieueris, *à labore tuo, & à conclussione tua*, id est, operibus virtutis, quæ labore exercentur, & quibus carnis concupiscentia conteritur, *& à seruitute tua dura*, id est, à pondere corporis, quo quasi captiuus tenetur spiritus: *sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, &c. detracta est ad inferos superbia tua, &c. Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, &c. veruntamen ad infernum detraheris. Nunquid non iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Tu proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta lati, quasi cadauer putridum.* Ecce

Tract. 10. in Ioan.

2. Corin. 2. 11.

¶ 19.

Psal. 24. 1.

Isai. 14. 3.

verba, quibus sancti irrident diabolũ, quando victoriam de illo reportant, illudentes ei. Et quis poterit explicare verecundiam, & confusionem, quæ ille superbus, communisque inimicus afficitur, cum videt se illudi, & deridẽri à puella tenera, & homine infirmo, qui dicere ei potest: Nunquid tu es, qui te extollere, & sedere iuxta Deum voluisti? qui perdidisti Adamum, & totum orbem tibi subiectum gloriaberis? Ecce te vilis vermiculus superauit, vicit, deiecitque. Est ad hoc institutum, optimus locus apud Isaiam. Postquam namque Deus fatetur se dæmonem creasse, quem fabri nomine describit, vt exponit Hieronymus, subdit iuxta translationem Septuaginta: *Ego autem creaui te non in perditionem interficere, omne vas factum contra te non prosperabitur.* Vt ait hoc loco Cyrillus, ad hominem loquitur, dicẽs: *Creauit te*, non quidem ad interitum, id est, ad corruptionem, & mortem, sed ad longæuam, & æternam vitam. Leo etiam Castrensis, *Creauit te*, non vt perdam, sed vt te gloria afficiã immortali. Optimè Chrysost. si in hoc Deus nos creasset, vt perderet, iure dubitasses de propria salute: cæterũ, quia non ob aliud, quam propter bonitatem suam, quo bonis fruamur sempiternis, atque in hoc omnia facit, & omnia mouetur, vt salui simus, quis dubitationi relinquitur locus? Ita ille. Et quia posset quis obijcere. Cur igitur creasti fabrum, id est, dæmonem, qui tot machinis, & tentationibus niteretur perdere me? respondet: *Omne vas factum contra te, non prosperabitur.* Vasis nomine intelligit instrumenta, quibus dæmon contra nos agit, quæ sunt tentationes, quas in conflatorio mentis suæ, sua malitia agente, conficit, & præparat. Tales tentationes non solum non prosperè illi succedent, sed potius in tuum commodum conuertentur: tunc enim non prospere succedit homini agenti aliquid contra inimicum, cum id quod agit, potius in inimici vtilitatem cedit: In bonum ergo nostrum dæmones in mundo dimissi sunt à Deo, vt cum eis pugnantes, & victoriam de eisdem reportantes,

Isai. 14. 17.

In cap. 54. Isaiæ.

Paræneſis ad Theodo. lapſum, ep. 15.

¶ 20.

regni cœlestis corona digni efficiamur. Quam rationem etiam prosequitur idē Chrysostomus, docens, hac in parte Deum honori nostro consuluisse, dum voluit, & statuit, vt Regnum cœlorū, non nisi interuenięte manuum nostrarum opera, ac diligentia obtineremus. *Hom. 16. in Matt.* Honorificentius enim est, obtinere regnum, quando quis ab inimicis proprio labore, & industria illud comparat, quam, cum illud per liberam, & meram alicuius principis donationem consequitur: & ideo Deum similem esse dicit Regi, qui filio suo hæredi, ad maiorem eius honorem imponit, vt cū inimicis suis pugnet, quo triumphum de illis reportans, sibi coronam regni debitam faciat, quamuis omnia perficiat adiutus à Patre, & ipso ministrante illi sumptus, copias, exercitum, &c. Ita sanè voluit Deus, vt Cœli regnum, ad quod obtinendum creati sumus, nobis compararemus per bellum, & certamina, quod & nobis non obscurè intimauit, dicens: *Matth. 11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, indicans armorum vi, & confertione manuum illud esse acquirendum, ac propterea solum consequuturos illud, qui strenuè pugnauerint, & fortissimos milites se exhibuerint. *Hom. 1. in lib. Iosue.* His concinit discursus ille Origenis obseruantis illa verba, quæ dixit Dominus ad Iosue, quæ & prædixerat Moysi: *Omnem locum quē calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam*: vbi ita legit Origenes: *Omnis locus, quem subdideritis vestigijs pedum vestrorum, erit vester.* Et annotat in primis, bellum contra inimicos his verbis expressum, & indictum Israelitis, quibus ille locus tantummodo concedebatur, quem armorum vi conquirerent, & occuparent, vincentes, & pellentes inimicos illos, Chananæos, Pherezæos, Iebusæos, cæterasque illas barbaras nationes, quæ loca terræ promissionis occupabant: non enim locum concedit eis, nisi quem armorum vi obtinerēt, quia id significat vox illa: *Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri*: quod clarius offendit translatio Masij ex Græco: *Omnem locum in quem ingressi fueritis, vestigio pedum vestrorum.* Obseruat deinde allegoriā, sub hac litera latentem, vt intelligamus, quid nobis Deus per huiusmodi verba repromittat: idque docere vult, nobis intelligendum, quod non per ocium & negligentiā, oscitantes, & dormitantes, cœlestem hæreditatem possumus obtinere, sed deuictis prius istis inimicis, quibus talis hæreditas erat concessa. Sunt enim quædam aduersarum potestatum gentes diabolicæ, aduersum quas certamen nobis agendum est, & agones sustinendi. Fuerunt illi aliquando Angeli in Regno Dei magnifici, de quorum vno dixit Isaias: *Quomodo occidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Sine dubio qui de Cœlo cecidit, sedem, inquit Origenes, in cœlo habebat. Postquam verò factus est Angelus refuga, si eum vincere potuero, & subijcere pedibus meis, si meruero, vt Dominus meus Iesus conterat Satanam sub pedibus meis, consequenter locum Luciferi habere merebor in cœlis. Ita quidem Origenes: cuius verba non ita accipienda sunt, vt credamus, angelos malos aliquando sedē gloriæ obtinuisse: nunquam enim beatitudinem cœlestem obtinuerunt, sed quod verè extiterunt in cœlo empyreo, in quo ornati eximijs gratiæ donis, creati fuerunt, & ad beatitudinem ordinati, quam meruerunt propter actum bonum, quem in primo instanti produxerunt: & sicuti inæquales fuerunt in gratia, ita & in merito: quapropter maior gloria vni, quam alteri erat præparata: qua de causa per Ezechielem dicitur; Foramina illius tunc iam esse præparata, aut aperta, de quo alio in loco. Quoniam tamen in secundo instanti, non solum non perstiterunt in bono, sed potius à Deo defecerunt per superbiæ peccatum, omnibus cœlestibus donis fuerunt spoliati, & ex illa cęlorum sede deturbati, vt Theologi in materia de Angelis explicant. Hanc autem Origenis sententiam, multi sancti Patres secuti sunt, asserentes, esse creatos homines, vt adimplerent sedes illius, quæ vacuæ remanserunt, cum Angeli, qui ad eas debebant peruenire, cęlo fuerunt

Iosue. 1. 3. Deut. 11. 24.

¶ 21.

Isai. 14. 12

Ezech. 28. 13.

runt pulsi. Statuitque propterea Deus, vt illius Angeli sedē aliquis accipiat, quem vicerit, pedibusque subdiderit suis. Quo fit, vt quo fortiores, altiores, excellentioriſque naturæ dæmones quis superauit, altiorem locum, & excellentiorem sedem sibi debitam faciat, diuina gratia sibi opem ferente: & in cœlo eo aliquem sanctum altiorem locum obtinere, & sedem sublimiorem, quò sublimiores angelos malos vicerit, in terra viuens. Qua doctrina niti potest illud, quod de Seraphico Frāciſco reuelatum fuit cuidam ex fratribus suis, cui ostensa fuit sedes præclariſſima, nimisque sublimis, quā superbus angelus perdidit, quæque illi beatiſſimo, feliciſſimoque viro erat parata, qui profundiſſima humilitate ingentem illius superbiam vincebat: locus enim victi, cedit victori. Ita Diuus Bonauentura refert. Ex quibus tandem, & illud infertur, non solum esse contra bonum noſtrum, quod dæmones in mundo fuerint relicti, nobiſcum pugnaturi: sed eò potius maius à Deo beneficium alicui conferri, quò maior, difficiliorque pugna cum fortioribus inimicis peragenda committitur, & tanquam singulare beneficium accipiendum est, quando de aliquo dici potest, quod de Sancto Iacob: *Certamen fortè dedit illi, vt vinceret.*

In vita Beati Frāciſci cap. 6.

Sap. 10. 12.

§. 6. *Deus sub nomine, & typo Behemoth, dæmonem ad literam excellēter deſcribit, quem dimiſit in mūdum ad maiorem gloriæ noſtræ coronam.*

¶ 22. OMnia hęc breuiſſimis illis verbis, quæ supra expendere cœpimus, voluit Deus docere B. Iob, explicareque cur permiſerit, vt ille beatus vir traditus fuerit manibus Satanæ, & innumeris eius satellitibus impugnandus, & affligendus: *Ecce*, inquit, *Behemoth, quem feci tecum, fœnum ſicut bos comedet.* Diximus nomen Behemoth ſignificare Elephantem, ſub cuius typo voluit Deus diabolum manifeſtè deſcribere. Quoniam autem hæc difficilia ſunt, myſteriaque diuina continent, breuiter à nobis ſunt explicanda. Omnes quidem, tam Græci, quam Latini patres, & authores ſummo conſenſu intelligunt, nomen Behemoth, esse nomen plurale apud Hebræos, quod beſtias in plurali ſignificat. Quid autem harum beſtiarum nomine ſignificetur, varie ipſi declarant. Quidam enim ex Græcis patribus, vt tradit Diuus Iulianus Græcus credunt ſignificare multitudinem vermium, qui ipſi Sancto Iob adhærebant, quos propter voracitatem, & edacitatem carnium illius, beſtias vocat Deus, qui quoniam tantum comedebant carnem illius, quam fœni nomine intelligendam dixit Deus, & eius ſolam pulchritudinem deuorabant, animam autem eius, & ſpiritualem illius pulchritudinem, non ſolum non abſumebant: ſed ſplendidiorem reddebant, dicuntur comedere fœnum: quod, & Olympiodoro non diſplicuit. Alij itidem ex Græcis, vt idem Olympiodorus recenſet, beſtiarum nomine dæmonum innumeram multitudinem intelligūt, quo Dauid beſtias vocat, dicens: *Ne tradas beſtijs animas cōfitētes tibi*, quod ex profecto proſequutus eſt Origenes, ſecundum quem ſenſum voluit Deus indicare, magnam dæmonum congeriem, & ingentem exercitum eorum fuiſſe, qui ad beatum Iob expugnandum proceſſerunt. Ita etiam cenſent aliqui ex Latinis, vt Caietanus [a], imò, & Diuus Auguſtinus [b]. Alij nomine Behemoth abſolutè intelligunt Satanam, quem Deus vocat in plurali, Beſtiæ, quia etſi ipſe vnus ſit, omnium tamen beſtiarum feros, & immites cōtinet mores. Ita ex Græcis Origenes [a], Olympiodorus [a], Gregorius Nazianzenus [a], Athanaſius [a], Didymus [a], & ex Latinis Auguſtinus [b], Gregorius [c], Iſidorus [d], Vrbanus Papa [e], & alij. Multi intelligunt nomine Behemoth beſtiam aliquam terribilem, in qua tāquam in typo, & figura coram oculis noſtris exprimeret Deus diaboli tyrānidem,

Iob 40. 10.

In Catenis SS. Græcorum.

Iſai. 40. 6.

In catena Græca.

In eadem Catena.

Pſa. 73. 19.

Ho. 16. quæ eſt vltima in Leuit.

[a] *In lib. Iob* [b] *11. De ciuit. c. 15. & ſeqq.*

[a] *In catena Græca.* [b] *11. De ciuit. c. 15. & ſeqq. & 11. ſupr. Gen. ad lit. cap. 20. & ſeqq.* [c] *In ca. 40. Iob.* [d] *8. Ethi. c. 11. & lib. 3. Sen. c. 50.* [e] *In Pſ. 10. to. 1. bibli. SS. PP. coll. 524.*

nidem, nequitiam, fraudes, fallacias, machinas, Ita Chrysoſtomus *a*, ſentit. Quænam autem ſit talis beſtia, difficilè eſt ad explicandum. Mirabiles quaſdam fabulas Rabbini confingunt, vt eam explicent, indignas, quæ à nobis referantur, de quibus Hieronymus à ſancta Fide *b*. Diligens quidam noſtri temporis author *c*, multa congerit, vt id declaret. Sed verè Diuus Thomas *d*, viſus eſt ſcopum attigiſſe, cuius ſententiam ſequuntur omnes Latini, imò, & credo eandem eſſe, quam ſancti Patres citati tenuerunt. Ad illam explicandam ſupponẽdum eſt in primis, Deum, vt ſatisfaceret B. Iob, & ea doceret, quæ nobis erant ſcitu neceſſaria, voluiſſe dæmonem coram oculis noſtris exponere proprijs coloribus depictũ, vt illum non tantum in cute; ſed intus etiam cognoſceremus. Iſte ſanè ſuperbus tyrannus, non tantum contendit dominari in terra; ſed etiam in mari: qua de cauſa, quando cœlo expulſus dicitur, clamauit Angelus; *Va terræ, & mari, quia diabolus deſcendit ad vos, &c.* Voluit ergo terram, & mare, tanquam ſua poſſidere. Idcirco iuxta probabilem ſententiam, idolum illud Dagon, quod Philiſthæi tanta veneratione colebant, ſuperius animalis terreni, inferius verò immanis piſcis tenebat effigiem, qua diabolus ementitam diuinitatem in terra, & mari dominantem voluit exprimere. Vnde, ſicuti Deus poſtea ſuperbum Pharaonem deſcribens, qui in terra, & mari ſe dominari iactabat, nomine duplicis animalis expreſſit, vnius terreni, alterius marini: *Leoni*, inquit, *gentium, & draconi qui eſt in mari aſſimilatus es*: ita loquens cum Beato Iob, dæmonis ſupremam ſuperbiam deſcripturus, ſub duorum animalium typo eum depingit, quorum vnum primas tenet in terra, alterum quod ſupremum eſt in mari. Hæc duo ſunt Elephantus, quem vocat Behemoth; & Cetus, quem vocat Leuiathan. Secundò obſeruat Diuus Thomas, Deum quidem in cortice, horum animalium naturas, deſcribere voluiſſe, non tamen de eis præcipuè agere intendiſſe; ſed de dæmone ipſo, ſicuti ſæpè in Scriptura ſacra agere conſueuit: dum ſecundum corticem, & ſuperficiem, de re aliqua loqui incipiens, verius alteram in illa deſcribere intendit: ideoque multa ſæpè dicit, quæ rei, de qua loqui cœperat, non videntur poſſe conuenire, quæ egregiè quadrant in eam, ad quam exprimendam conuertit ſermonem. Huius ſunt innumera exempla in Scriptura ſacra, de quibus alibi. Et ſi ergo de his duobus animalibus ſermonem videatur inſtituiſſe, verius tamen diabolum deſcribendum aſſumpſit, quod, & ipſemet, ita clariſſimè manifeſtat, vt non credam, aliquam ſubeſſe poſſe dubitationem. Nam de Behemoth agens, volens explicare quiſnam eſſet, ſubdit; *Ipſe, eſt principium viarum Dei*: quo nomine dæmonem poſtea apud Ezechielem deſcripſit: De Leuiathan ſimiliter agens, tandemque volens manifeſtare quiſnam eſſet, de quo præcipuè loquebatur: *Ipſe*, inquit, *eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*: quod ſoli dæmoni conuenire manifeſtum eſt. Quod ergo veritas per ſe ipſam expoſuit, inquit Diuus Gregorius, hoc aliter humana fragilitas explicare non præſumat. Tertiò, eſt obſeruandum, optimè nomine Behemoth, Elephantum circumſcribi, cuius in Scriptura non habetur nomen proprium: Behemoth enim, eſt nomen Hebræum plurale, quod ſignificat beſtias, per quod ideo aptè Elephantus circumſcribitur, quia vnus cum ſit, omnium beſtiarum in ſe claudit quantitates, & qualitates: quantitatem quidem, quia vt Ariſtoteles *a*, & Plinius *b*, dixerunt, eſt omnium animalium maximum, cuius ingentem magnitudinem Aelianus *c*, deſcripſit. Imò, & Beatus Iſidorus *d*, propter eam à Græcis Elephantem vocari aſſerit, quaſi montem: Græcè enim Eliphio, dicitur mons: ideoque Beatus Gregorius Nazianzenus *e*, Elephantum vocat, carnis vaſtam molem. Qualitates autem, & proprietates, quia vt idẽ Ariſtoteles *f* indicat, hẽt dẽtes fortiſſimos ſicut leo, quos eboris natura demõſtrat, cornua valida, ſicut taurus, nõ à capite, ſed ab ore prædẽtia, ſerpentis agi-

a In catena Græca.
b Li. 1. cõt. Iudæos ca. 9. to. 4. bibli. SS. PP. col. 106. 3.
c Camarẽ. li. 4. de anim. c. 12. & ſeqq.
d In ca. 40 Iob.
¶ 23.
Apoc. 12. 12.
Iud. 16.
Exec. 32. 2.
Ibidem.
Ibid.
Iob 40. 14.
Ezech. 28.
Iob. 41. 25.
Hom. 15. in Euang.
¶ 42.
a Lib. 4. de hiſt. ani. c. 4.
b Li. 8. c. 1.
c Lib. 1. c. 2 & 31.
d 12. Ethi. cap. 2.
e Orat. aduerſ. eos, qui agre fẽrũt repreh. pag. 607.
f 2. de part. ani. c. 16.

agilitatem, in proboſcide, aut tuba, (quam huc illucque verſat; ideò anguis à quibuſdam vocatur) lupi, & vrſi voracitatem, nam ingentem cibi copiam abſumit, ceruorum viuacitatem (cui Ariſtoteles ducentos annos vitæ concedit, Plinius trecentos, Strabo[a] quingentos) tigridum iram, & furorem, ſummè enim excandeſcit in offendentes, ouium in paſtorem, & eum qui ſe ſibi ſibijcit, & illum ſuperiorem agnoſcit, mãſuetudinem: qua de cauſa Ælianus duplici corde, & ſenſu illum præſtare confirmat, quorum vno ira accenditur, altero mitigatur: vt verè nihil aliud Elephas eſſe videatur, quàm congeries quædam beſtiarum. Idcircò ergo ab Hebræis vocatur Behemoth, id eſt, beſtiæ, iuxta eorum phraſim, qua rem aliquam ſupremam, naturas inferiorcs continentem nomine plurali illarum vocitare ſolent. Certè vnus eſt ſplendor Chriſti, vnaque claritas, quæ fulgebit, cum veniet cum maieſtate iudicaturus orbem, quem tamen Dauid iuxta Theodoretum, vocat in plurali ſplendores: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum*: quia illa claritas, & ſplendor, omnem ſplendorem purum, ſanctum, illuſtrem, & mundum, vt Solis, Lunæ, Stellarum, &c. in ſe continebit. Similiter peccatum originale, vnum cum ſit, vocatur in plurali peccata, & iniquitates: *In iniquitatibus*, inquit Dauid, *conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: quoniam illud quaſi in radice, & ſemine omnia peccata continere videtur. Hac de cauſa Deum Scriptura ſacra vocat, *Elohim*, ideſt, *iudices* in ſe contineat omnes iudices, ideſt, omnem poteſtatem iudicandi. Qua eadem phraſi vocatur, *Adonim*, ideſt, Domini, quia omnem continet dominandi rationem. Ex quibus aptè explicat Vatablus illud: *Egreſſus eius à diebus æternitatis*. Vox *egreſſus*, in Hebræo, & apud Septuaginta, pluralis eſt numeri: *Egreſſiones eius*. Sermo quidem eſt de vnica Chriſti natiuitate æterna, ſecundum diuinita em, vt veteres Patres volunt. Hieronymus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Euſebius, Theodoretus, & alij, quæ vna cum ſit, in plurali vocatur, Egreſſiones, quod hæc vna, omnium natiuitatum, egreſſionum, aut productionum, con tineat perfectiones, vt ſplendoris à ſole, fructus ab arbore, filij à patre, floris à virga, radij à Sydere, &c. Simili ergo phraſi Elephantus, vocatur in plurali Behemoth, id eſt, beſtiæ, quod vnus cum ſit, omnium beſtiarum congeriem in ſe claudere videatur, quaſi dicas, *Es vna muchedumbre, o vn monton de beſtias*. Et diuinæ ſapientiæ conſilio, ita vocat Elephantum, quia non tam elephantum, quàm dæmonem voluit deſcribere, cui mirè quadrat nomen Behemoth, ideſt, beſtiæ in plurali, quia in ſe vna omnium beſtiarum mores ferinos, & crudeles, immites continet. Vnde in Apocalypſi deſcribitur, *habens capita ſeptem*, ideſt, innumera, iuxta phraſim Scripturæ, vt vincat Herculis hydram, quam Lernam lacum inhabitaſſe volunt Alcæus, Heſiodus, Aratus, Horatius, de quibus recens, doctuſque auctor, quæ apud aliquos ſeptem, apud alios octo, apud Alcæum quinquaginta, apud Symonidem nonaginta capita habebat. Omnium ergo beſtiarum feros continet mores: ideoque in Scriptura omnium beſtiarum nominibus deſcribitur; vocatur enim leo, regulus, tigris, ſerpens, aſpis, baſiliſcus, &c. Certè Antichriſtus, in quo tota diaboli malitia clauderur, hac de cauſa à Ioanne deſcribitur, ſub typo non vnius beſtiæ, ſed plurium. *Et vidi*, inquit, *beſtiam*, &c. & *beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut vrſi, & os leonis*, &c. quod egregiè Maluenda noſter tractat. Vbi id in primis annotandum eſt, quod Arethas innuit, non vocari animal; ſed beſtiam: animalis enim nomen ſæpè in Scriptura tribuitur mitibus, & pacificis animantibus, vt apud Ezechielem, & Ioannem in Apocalypſi: tamen beſtiæ nomen, non niſi pro noxia, & fera bellua frequentius vſurpari ſolet, quę veneno, aut morſu, aut vnguibus nocet, quales ſunt leones, lupi, viperę, ſerpentes, &c. ideò vipera mordens Paulum, beſtia vocatur. Hinc etiam apud Latinos beſtiarij dicti ſunt, qui miſera-

[a] *Lib.15.*

Lib.1.c.39

In Pſ.109.
Pſ.109.3.

Pſal.50.7.

In Mich.c.5.
Mich.c.5.

Apud Riberam.
Mich.5.

¶ 25.
Apoc.12.

Camarēſ. lib.4.c.17.

Apoc.13.2.

Lib.4. de Anti c.18. & li.5.c.7.

Ezech.1.5.
Apoc.3.6.

Act.28.4.

bili tristiq; spectaculo, ad bestias in circo proiecti, cum illis pugnare cogebãtur, à quibus momento discerpebantur, vt apud Ciceronem *a*, Suetonium *b*, Iulium Capitolinum *c*. Hinc etiam sæpissimè in actis Sanctorum inducuntur ab bestias damnati, de quo egregiè Chrysostomus *d*: ejusmodi est, quod de se Paulus ait: *Ad bestias pugnaui Ephesi*: ibi namq; Paulum bestijs obiectum; sed singulari miraculo ereptum, sentiunt Ambrosius *e*, Theodoretus *f*, & Nicephorus *g*. Quamuis alij bestiarum nomine intelligant, homines habentes ferinos animos, & mores. Ioannes ergo Antichristum vocat bestiam, inquit Arethas, ob crudelitatem, feritatem, & sanguinis auiditatem: & quoniam non sufficit vnica bestia ad eius noxios mores exprimendos, vnam ex varijs bestiarum differentijs compositam vidit Ioannes: *Et bestia*, inquit, *quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut vrsi, & os eius sicut os leonis*: quo eius sæuitia, insatiabilis crudelitas, & sanguinis auiditas ostenderetur. Optimè ergò diabolus, Behemoth, id est, bestia, vocatur, qui vnus cum sit, omnium bestiarum feritatem præhabet. Habet enim crudelitatem tigris, voracitatem vrsi, rabiem leonis, astutiam vulpis, calliditatem serpentis, virus reguli, venenum viperæ, mordacitatem rabidi canis, petulantiam vituli. Hinc intelligere possumus, quod Procopius annotauit, explicans illud: *Onus*, aut visio *iumentorum*, aut bestiarum (in Hebræo Behemoth) *austri, in terra tribulationis, & angustiæ, leæna, & leo, ex eis vipera, & regulus volans*. Ita ille puncluandum censet, iuxta Septuaginta. Iudæi ea spe depositi, quam in Deo habere debebant, totam suam fiduciam collocarunt in Aegypto, cuius regem vt gratum sibi redderent, ingentes thesauros ad eos miserunt. Hoc reuocare contendit Propheta, dicens: *Visio iumentorum*, aut bestiam, *in terra austri, in terra tribulationis, & angustiæ*. Quo nomine Aegyptum intelligit; quam vocat terram austri, quia erat Iudææ ad austrum. Terram autem angustiæ, & tribulationis, quia ibi Hebræi acerbas tribulationes passi fuerunt, volens hoc ipso explicare, Hebræos, ab Aegyptijs non nisi tribulationes expectare debere, vt supra late exposuimus. Quid autem in tali terra videret Propheta, exprimit subdens: *visio Behemoth*. Ita habetur in Hebræo, idest, visio bestiarum, quasi velit prouocare Hebræos vt videant, apud Aegyptios, diabolum coli, & venerari, quê nomine bestiarum describit, quia vnus cum sit, est leo, & leæna, & regulus, & vipera, & serpens volans: vnus enim idemque damon, sub plurium bestiarum crudelium specie in Aegypto colebatur, sub specie scilicet leonis, leænæ, viperæ, reguli, serpentis violantis, aspidis, vt Herodotus alijque tradiderunt, de quibus diligens nostri temporis auctor. Hac eadem de causa volens dæmonem sub typo supremi animalis aquatilis, quod est cetus, describere, quamuis hoc animal proprium habeat in scriptura nomen, noluit vocare nisi Leuiathan, quo nomine cetus circumscribitur: significat enim additamentum eorum, quia cetus habet magnitudinem talem, vt addat ad magnitudinem omnium aliorum piscium, vt alibi dicemus. His ergò statutis intelligendum est, Deum voluisse B. Iob respondere, & ostendere se non crudeliter cum illo egisse, dum tam atrocem inimicum illi designauit, cui concessit, vt toto agmine, & quasi signo dato beatum virum impeteret, quod non ad sui exitium, sed potius ad ingens bonum, & excellentissimam coronam fuisset ordinatum. *Ecce ergo*, inquit, *Behemoth, quem feci tecum*. Neque loquitur de creatione dæmonis secundum naturam, vt supra diximus; sed de ordinatione diuina, quâ malitiam dæmonis ordinauit in bonum nostrum, vt exposuit Augustinus *a*, & exposuerat Origenes *b*, eo modo quo dicitur, *Deus qui fecit Moysen, & Aaron, & eduxit patres nostros de Ægypto*: id est, ordinauit, vt Moyses, & Aaron vires suas, & cogitationes conuerterent ad hoc, vt populum de Aegypto educerent. Ita fecit Deus Behemoth, idest, satanã, aut dæmonũ multitudinem cum homine, quia, vt ait Augustinus, ordinauit, vt dæmones in mundo remanerẽt, qui

a *Orat. pro Sestio.*
b *In Claudio. ca. 34.*
c *In M. Aurelio.*
d *Peculiari hom. de S. Ignatio ad fin. to. 5.*
e *In 1. Cor. 15*
f *Ibidem.*
g *Lib. 2. hist. c. 25.*
Apoc. 13. 2.
In cap. 30. Isai.
¶ 26.
In Euterpe.
Leo Castr. Isai. 30.
Vide tract. 8. nu. 3.
a *Lib. 11. ciuit. cit.*
b *In catena p. 229. 1. Reg. 12. 6*
Ibidem.

bellum

bellum agerent cum homine, vt tãdem eius malitia in bonũ hominis cederet, qui dæmon residendo, imò & eum vincendo, coronam victoriæ posset reportare. Et huc tendere videntur verba, quæ inferius Deus subiunxit, de dæmone sub typo Leuiathan, aut Balænæ agens: *Nam quasi crudelis suscitabo eũ.*

Iob 41. 1. Verbum suscitandi, in Scriptura sacra sæpè militare est, quando quis, Deo permittente, vel agente, contra alterum mouetur: vt, *Suscitauit Dominus*

3. *Reg.* 11. 14. *aduersarium Salomonis*: Et Isaias: *Suscitabit super eum Dominus exercituũ flagellum.*

Isa. 10. 26. Conquestus fuerat Iob, dicens:

Iob 16. 9. *Suscitatur fabuloſus contra faciem meam, &c. tenuit ceruicem meam, & confregit me, &c.* Deus eodem verbo suscitandi vsus respondet: *Non quasi crudelis suscitabo eum*, sed tuum intendens commodum, & vtilitatem: *feci enim Behemoth tecum*, id est, in tuum

¶ 27. profectum. Et fortè allusio quædam videtur facta ad verba quædam, quæ Deus ipse dixerat. Creauerat Deus hominem, vt ab illo tanquam à capite & principio innumera hominum prodiret multitudo: hoc autem fieri non poterat, si homo solus in mundo permanfisset. Idcircò, inquit:

Gen. 2. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Hebræi legunt: Faciamus adiutorium coram eo, aut iuxta eum, aut cum eo, quasi dicat: Faciamus adiutorium cum eo. Et dicitur quidẽ Heua facta cum Adam, non quidem quod facta fuerit simul cum illo. nam

1. *Tim.* 2. 13. *Adam primum formatus est*, vt ait Paulus, *deinde Heua*, sed quoniam fecit vt Heuæ cohabitatio cum Adam, esset in ipsius Adæ adiutorium, vt scilicet id consequi posset Adam, habens Heuam in sui societate, ad quod productus fuerat, quod sine illius societate nullatenus perficere posset. Ita quidem creauit Deus hominem ad vitam æternam consequendam: quoniam autem non erat eam consequuturus: nisi strenuè pugnando, & victoriam obtinẽdo; hoc autem præstare non poterat, si solus esset in mundo, & inimicos nõ haberet, de quibus posset victoriam reportare, disposuit, vt diabolus simul remaneret in mundo cum homine, tanquam in stadio. Hocque vult exprimere, dicens: *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, id est, in tuum profectum, ad tuum commodum & vtilitatem: feci iuxta te, id est, ad tuos vsus, vt sit tibi in adiutorium, non quidem secundum eius intentionem, aut voluntatem, sed vt tu mea gratia adiutus, illum reuincens, excellentiorem victoriæ coronam merearis. Ita B. Augustinus expendit, obseruans, Deum non fecisse, vt Angelus factus fuerit diabolus, id enim per eiusdem Angeli malitiam factum est: neq; fecisse, vt dæmonis voluntas esset mala, & procliuis ad hominis impugnationem, nam id ex illius inuidia, & malitia oritur: sed hoc sua omnipotẽti virtute ordinasse, vt malitia dæmonis, & impugnatio in bonũm hominis cederet, sicuti medicus, non facit voracitatem sanguisugæ, appetitumque humani sanguinis insatiabilem, quem habet, vtitur tamen eo, ad salutem hominis procurandam: & idcirco facit, vt sanguisuga sit cum homine, et adhæreat, vt dum os suum ipsa in illum conuertit, & eum mordet, & cruciat, sanitatem ille consequatur. De qua re egregiè D. Thom. quam & breuissimis verbis S. Basilius exposuit. Postquam, inquit, ab authore suo defecit inimicus Dei, inimicus etiam hominis ad imaginem ipsius constituti factus est: nam ideò Misanthropos exiſtit, & ideò Deo rebellis: nos verò, vt opus Dei odio prosequitur, vt eius imaginem insectatur. Ille tamen sapientissimus, & prouidentissimus rerum humanarum dispensator, eius malignitate ad nostram vtilitatem, quem admodum Medicus viperæ veneno, ad salutarem medicamentorum præparationem vtitur. Ita ille.

Loc. citat.

1. *p. q.* 114. *art.* 1. *Homil.* 9. *quòd Deus nõ sit causa malorũ. pag.* 1083.

§. 7. *Christus cum dæmone congrediens, nobis videndus exponitur, vt animo rosiores ad similes cõgressus reddamur: sicut primogenitus Gedeon, & pulli aquilarum.*

¶ 28. EX his sumitur ratio, propter quam Christus Dominus nunc bellum cum dæmone aggreditur, cum Behemoth pugnat, cum dracone ludit, aut potius ei alludit, vt animos nobis faciat ad certandum cum eo. Positus quidem est homo in mundo, tanquam in stadio, vt cum dæmone congrederetur, manumque consereret. Poterat autem timere. Cuique namque homini, etiam fortissimo videtur dici posse, quod Saul dixit ad Dauid, quando cum Goliath congredi nitebatur: *Non valebis resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* 1. Reg. 17. 33. Valet diabolus ingenio, quippe qui angelicum habet intellectum; præstat viribus, qui fortissimus est, consuetudine etiam prævalet, qui à mundi initio pugnare non cessat, nunquam, vel ad minimum tempus arma deposuit. Aduersarius, inquit Cyprianus, vetus est, & hostis antiquus, cum quo prœlium gerimus. Sex millia annorum iam penè complentur, ex quo hominem impugnat, omnia genera tentãdi, artes, atque insidias deijciendi, vsu ipso veterator edidicit, circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Ita Cyprian. Est inimicus noster bellator ab adolescentia sua, id est, à mundi exordio: & quasi à prima sui conditione, à veritate deficiens, factus est homicida, & primos illos, cum quibus congressus est, quamuis viribus, sapientia, & originali iustitia perfectos; primo certamine subiugauit: Dauidem, qui cum leonibus quasi cum agnis ludebat, qui gigantes ad primum fundæ ictum deijciebat, & insignes, validosque hostes superabat, in terram deiecit, conculcauit, & compulit, vt clamaret: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnãs tribulauit me, conculcauerunt me inimici mei,* &c. Psal. 56. 7. Salomonem supremo sapientiæ dono præditum, ad idolorum insanam culturam adegit. Petrus vocat eum, *Leonem rugientem*, quem fortissimum omnium bestiarum dixit Salomon, *ad nullius occursum pauẽtem*: sic enim, *factus est, vt nullum timeret*, sicut dixit Deus describẽs illum sub typo Leuiathan, aut Balenæ, singularissimas fortitudinis illius circumstãtias, quas toto capite prosequitur, qualem à se visum diabolum asserebat Sãctus Antonius, vt Beatus Athanasius refert. *Oculi eius quasi species luciferi, ex ore eius procedunt lampades incensa, crines quoque incendys sparguntur, & ex naribus eius fumus egreditur, quasi fornacis æstuantis ardore carbonum halitus eius, vt pruna flamma verò ex eius ore glomeratur.* Cum huiusmodi terroribus, inquit Athanasius, visus est ab Antonio princeps dæmonum, qui superba elatione omnia contemnere videbatur. *Arbitratur enim ferrum, vt paleas: æramentũ, vt lignum putridum; maria vt sata erasa, abyssum vt deambulatorium non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Et tanta superbia videbat Antonius ipsum elatum, vt sicut ipse retulit, dicere videretur verba illa, quæ superbissimus Rex Senacherib dicebat: *Persequens, comprehendam, & omnem terrarum orbem manu mea, vt nidum tenebo, & vt ova derelicta auferam.* Aspice terrarum orbem, & vbique videbis egregios viros ab illo superatos fuisse, de quo sub typo regis Babylonis dixit Deus: *Sagitta eius acuta, & arcus eius extenti*, id est, in omnem partem directi: quem hac ex parte non vulnerat, vulneret ex illa. Innumeri sunt quos per carnem superauit; *Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique ab ea interfecti sunt.* Prou. 7. 26 Qui hos carnis laqueos euadit, alijs sagittis configitur. Iudam rapuit per auaritiam, cui non profuit in Collegio Apostolico fuisse educatum, & virtutẽ accepisse à Christo Domino ad expellendos dæmones. Petrum Apostolorum Principem, pro quo Christus

Lib. de exhortat. ad martyr. in princip.

Iob 41. 24. Prou. 30. 30. Iob 41. 24. In vita Antonij. Iob 41. Iob. 41. 18. 4. Reg 19. Isai. 10. & cap. 17. Isa. 5. 28. ¶ 29.

Domi-

Dominus rogauerat, per timorem ad vnius mulierculæ vocem miserè deiecit: Iacobum, & Ioannem illos supremos viros, quos Christus vocauit, *Filios tonitrui*, ambitione commouit: Paulum raptum ad tertium vsque cœlum, & primitias spiritus habentem, colaphizauit, afflixitque, quem coegit ad Dominum clamare, & ter rogare, atque auxilium deposcere. Vniuersos sanè Apostolos aggressus, expetiuit eos cribrare sicut triticum, *Lleuarlos al retortero*, quibus propterea Christus Dominus iniunxit, vt vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationē. Et mirè Deus huius bestiæ voracitatem expressit, dicens: *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Quod ideò dictum credit Beatus Gregorius, quia non solum facillimè deglutit infideles, & impios, quorum vita lubrica est, & per terrena ad modum fluuij defluit, sed, & deglutire sperat iustos, & qui cœlestia dona perceperunt, quos Iordanis exprimit, vt dicemus. Quis igitur non timebit cōgredi cum tali hoste? quis non formidabit leonem rugientem? quis non contremiscet ad præsentiam hostis tam validi? Vt tamen deponamus timorem, & resumamus vires, aduenit filius Dei, de quo dicit Ioannes, quod *in hoc apparuit, vt dissoluat opera diaboli*. Qui statim initio suæ prædicationis, cum primum baptizatus est, & seipsum manifestare parabat, certamen cum illo voluit habere, vt nobis spectātibus, & videntibus modum, quo diaboli laqueos eludit, vires eneruat, caput conterit, machinas dissoluit, timorem pellit, animos ac similiter vincendum, & superandum faciat. Certè Isaias, qui, vt ait Hieronymus, potius Euangelium quam prophetiam texere videtur, duos singulariter à nobis sensus exposcit erga Christum, visum scilicet, & auditum. *Erunt oculi tui*, inquit, *videntes præceptorem tuum, & aures tua audient verbum post tergum monentis: Hæc est via ambulate in ea, &c.* Et merito: nam duo fuerunt singularissima in Christo, opera scilicet quæ fecit, & doctrina, quam docuit: *Cœpit enim facere, & docere*. Primò fecit, deinde etiam docuit. Ad opera, quæ fecit contuenda, exposcit visum, & ad doctrinam, quam docuit, auditum, qui disciplinæ sensus à Philosophis dicitur. A Pharisæorum discipulis erga magistros suos, auditum solum modo exposcit Christus: *Super cathedram Moysi*, inquit, *sederunt scribæ, & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt*. A Christi autem discipulis, visum, & auditum exigit Propheta, qui prius factis, deinde verbis erat eos instituturus: *Fuit enim vir potens in opere, & sermone*. Nunc ergo oculos à nobis exigit, vt videamus, quomodo cum diabolo pugnat, congreditur, & certat. Ita enim hæc historia scribitur à sacris Euangelistis, vt quasi oculis nostris manifestè proponant, quæ facta sunt, vt ea dicamur conspicere posse, eo modo, quo Paulus ad Galas dixit, Christum *ante eorum oculos proscriptum fuisse, & coram eis Crucifixum*: non quod Galatæ spectaculo crucifixionis Christi reuera adfuerint, sed quia ita historiam illā considerare deberet, ac si coram eorum oculis, illa omnia, quæ sacri scriptores enarrant, accidissent: quæ nec minus nobis sunt nota per fidem, & conspicua, atque conspecta, quam si oculis proprijs ea conspiceremus, vt exponunt Hieronymus, Chrysostomus Diuus Thomas, & alij. Hic ergo cœlestis præceptor, priusquam verbis doceat, quomodo dæmonis vires a nobis sint superandæ, & artes ac machinæ eludendæ, nunc opere ipso id nobis demōstrat, dum in acie constitutus, omnes inimici tentationes superat, vires frangit, & artes eludit. Hoc enim opere, seipsum proponit exemplar, vt eodē modo, quo ille egit, vincere nitamur; de quo propterea, vt exponit Diuus Thomas dixit Paulus, illum fuisse *tentatum per omnia, pro similitudine absque peccato*, vt nobis scilicet exemplū proponeret, quatenus secūdum eius similitudinem omnes diaboli laqueos, & tētationes sine peccato, imò cum maximo fructu, & illustri victoria sustineremus.

Marc. 3. 17

Iob 40. 18.

Li 33. Moral. c 7. & 8.

1. Ioan. 3. 8.

In Ep. 103. ad Paulin.

Esai. 30. 20

Act. 1. 1.

Matt. 24. 2

Luc. 24. 19 ¶ 30.

In illū locū

ad Heb. 5. 15.

Nec

Nec solum hoc ille præstitit, sed etiam vires inimici eneruauit, capitaque confregit, vt intelligamus, nos iam cum inimico prostrato, confracto, & deuicto pugnare. Gessit se propterea nobiscum, sicuti Gedeon ille excellens dux populi Dei, cum primogenito suo Iether, cui iniunxit, vt cõgrederetur cum illis fortissimis Regibus Madian, Zebee, & Salmana, & irrueret in eos, illosque occideret. *Qui non eduxit gladium, timebat enim quia adhuc puer erat.* Tunc coram eo surrexit Gedeon ipse, & gladiũ suũ contra eos cõvertens, facillimè deiecit, & occidit. *Surrexit enim Gedeon, & interfecit eos, & tulit ornamenta & bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent, &c.* Quo facto omnem à filio abiecit timorem, & eum instructũ reliquit, vt similiter in simili euentu ageret. Gedeon expressam tulit Christi figuram, vt ex nominis significatione probant Gregorius *a*, & Rupertus *b*, latissimè: nam Gedeon, inquit, significat, circumiens in vtero. Dominus enim noster, qui per maiestatis potentiam omnia circumplectitur, per dispensationis suæ gratiam, in vterum Virginis venit: qui, & datus est ab æterno Patre, vt sit dux supremus populi Dei. Quo etiam Pater noster verè dici potest, sicut nãque Adam genuit nos per naturam ad mortem, ita ille generat nos per gratiã ad vitam æternam, qua de causa vocatur, *Pater futuri seculi*, aut vt alij vertunt, Pater æternitatis. Imposuit quidẽ nobis, cum principibus tenebrarũ congredi, sed quia paruuli sumus, videtque nos timore concussos, ipse nobis gladiũ suum in eum conuertit. Est siquidẽ *gladius Spiritus, verbum Dei*, vt dixit Paulus, quo inimicum vincit, & iugulat, vt sic nos instruat, & animos nobis faciat. Habet se etiam ad modum aquilæ, vt de eo aptè dicere nunc possimus: *Sicut aquila prouocans ad volãdum pullos suos.* Aquila namque, vt Beatus Ambrosius, tradidit, perpetes cum dracone gerit inimicitias. Vt autem (sicuti Physiologi scribunt) doceat naturali instinctu pullos suos, superare draconem, aut serpẽtem, bellum cum eo, pullis suis spectantibus, aggreditur, & ipsis conspicientibus cum illo congreditur, cuius caput præcipuè impetẽs, & discerpens ipsum omninò deiecit, ac superat, & viribus destitutum, & confractum tradit pullis suis, quo illi timorem deponant, & ad sui exemplum deinceps cum serpente congredi addiscant. Ecce ergo veram aquilam, cum dracone, nobis quasi cõspicientibus pugnantem, & congrediẽtem, eius caput, & machinas, vbi illius virtus præcipuè posita est, suæ sapientiæ ac diuini verbi rostro confringentem, & aperientem, quem vinctum nobis tradit, vt iam non timeamus cum illo congredi, & intelligamus, iam nobis bellum esse cum dracone deuicto, viribus fracto, & alligato, quem etiam eius exemplo addiscamus vincere, & superare. Dæmonem ergo iam nobis victum exhibet, & prostratum, sicut S. Iosue illos improbos reges, quorũ vires postquam contriuit, dixit Israelitis: *Ponite pedes vestros super colla regum istorum: Qui cum perrexissent & subiectorum colla pedibus calcarent, rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & estote robusti, sic enim faciet Dominus cũctis hostibus vestris aduersum quos dimicabitis*: Sicque adimpleuit Christus Φ dictum fuerat à Zacharia, quod venit auferre timorem de inimicis, & *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* Hanc propterea rationem S. Patres frequentissimè tradunt, cur Christus tentari voluit, signanter Diuus Augustinus. Poterat, inquit Dominus, à se diabolum prohibere, sed si non tentaretur, tibi tentando, vincendi magisterium nõ præberet. Et iterum: Si ille non vinceret tentatorem, quomodo discerres tu cum tẽtatore pugnare? B. itidem Ambrosius: Tentari se à diabolo Dominus omnium patitur, vt in illo omnes vincere disceremus. Hoc igitur facto, illud adimpletum est, ab Esaia prædictum: *Ponam filios tuos doctos à Domino*: quæ verba, sa-

¶ 31.

Iud. 8. 20.

a Libr. 30. Mor. c. 32.
b In c. 11. lib. Iudic.

Isa. 9. 6.
Symachus. Theod. & Aquila apud Leon. Castr. ad Eph. 6. 17.

Deu. 32. 11.
Lib. de Sa lam. c. 1.

Ios. 10. 24.

Luc. 1. 74.

In Psa. 60.

In Ps. 90.

Lib. 4. *in Luc. in præfat.*
Esa. 54. 13.

lis tim sunt expendenda.

§. 8. *Duo*

§. 8. *Duo antiquitus à Deo promissa, quod nos erat docturus ad prælium, & inimicum nostrum enervaturus, nunc per Christum exhibentur, cui tenemur grandes referre gratias.*

¶ 32. ANnotat Beatus Augustinus *a*, caput quinquagesimum quartum Esaiæ, egregiam cohærentiam cum quinquagesimo tertiò præcedenti habere: postquam enim in isto, ita dilucidè passionem Christi descripsit, vt iuxta eundem Augustinum *b*, verius Euangelium, quam prophetia dici possit, & post euidentem, inquit Rupertus *c*, dominicæ passionis declamationem, fructus abundantes, qui per Christi merita nobis prouenerunt, & bona excellentissima, quæ per illum nobis contulit Deus, capite sequenti aggreditur explicare. Vnde, & incipit prouocans Ecclesiam Christianam, ad Dei laudes, & eximia signa lætitiæ edēda, quod multis nominibus superior futura esset, illa synagoga, & excellentioribus beneficijs donanda. *Lauda*, inquit, *sterilis, quæ non paris, decanta hymnum, & hinni, quæ non parturis, quia multi filij, &c.* Quem locum ad hoc institutum ipsemet Paulus prosequutus est. Post multas autem egregias promissiones, ad Ecclesiam factas, duo beneficia per Christum præstanda singulariter promittit: primum est, quod ipsemet docturus erat Ecclesiæ filios, & futurus eorum magister, qui instrueret eos, ad bellum strenuè agēdum, & victoriam comparandam. *Pauperecula*, inquit, *tempestate conculsa, &c. Ego sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te sapphiris, ponam iaspidem propugnacula tua.* Videtur militari modo, & forma agere, quasi dicens: Quæ antea parebas omnibus inimicorum incursionibus, firmissima redderis, ita vt omnes inimicos vincas. Quoniam autem ad hoc necessarium est addiscere præliandi artem, (vnde, & Dauid præcepit, vt filij Israel addiscerent artem sagittandi, vt possent Philisthæis, qui eos debellabant, resistere, imò & eosdem expugnare) ideò *ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*, aut vt Septuaginta legunt, *omnes filios tuos discipulos Dei*, Et quoniam bellum geritur, vt pax comparetur, nam pax sequitur ad victoriam de inimicis partam, summa pace frueris: nam dabo propterea *multitudinem pacis filijs tuis*, aut vt Septuaginta legunt; *Et multa pax filijs tuis*. Itaque ipse Dominus veniet, & docebit te bellandi artem, & ostendet, qua ratione cum inimico tibi congrediendum sit. Hoc verè Christus in semetipso adimpletum exhibuit, docens mysteria regni cœlorum, sed, & id egregiè etiam præstitit prius, inquit Chrysostomus, quādo cum diabolo congressus est, docens, quomodo à nobis vinci posset: sic enim faciunt athletæ, qui cum discipulos suos vincere docent, data opera cum alijs in palæstris certamen exercent, vt in luctantium corporibus faciant artem expectare vincendi; ideò, & famem habere voluit, vt diabolum prouocaret, quem propterea non repulit accedentem, sed eum susceptisset ad luctam, & semel, iterumque ac tertio, cum facilitate, quæ maximè eum decebat, quasi coram oculis nostris eliset, &c. Christus, inquit Ambrosius, ante est præliatus, vt vinceret, non quod ipse egeret certamine, sed vt nobis formam debellandi describeret, & postea daret gratiam triumphandi. Hoc primum beneficium. Sed non hoc solo contentus, quo securius euadere possemus, secundum addit, quod videlicet, per eundem Christum, erat Deus confracturus, & enervaturus inimici vires, & robur, vt bellum, quod nos manet, iam sit cum inimico quasi occiso, confracto, & viribus destituto. Vnde post pauca subdit: *Ecce ego creaui fabrum, sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum: & ego creaui interfectorem ad disperdendum*. Obseruauit Beatus Augustinus, verba illa, quæ diuinæ prouidentiæ curam in bonum nostrum docent:

a Libr. 1 de cōsensu Euang. cap. 31. & lib. de vnit. Eccles. c. 17.
b Li. 18. de ciu. cap. 29.
c Libr. 2. in Esai. c. 20.
ad Gal. 4. 27.
2. Reg. 1. 18
Li. de Elia, & ieiu. c. 1. ¶ 33.
Esa. 54. 16.
Lib. 11. de ciu. c. 18.

cent: *Contra malum bonum est contra*
Eccl. 33. 15 *mortem vita, sic contra pium peccator, & sic considera in operibus altissimi, vnum contra vnum, nec fecit quicquam deesse.* Creauit Deus, & statuit in mundo dæmonem, qui nos impugnaret, produxit propterea eum, qui eius
In cap. 54. Isai. vires eneruaret, & frangeret. *Ego*, inquit, *creaui fabrum*. Fabri nomine in-
Libr. 11. de ciu. c. 15. telligunt Hieronymus, & Rupertus, diabolum, quem verè Deus creauit, qui omnium creaturarum est conditor, vt etiam demonstrat Augustinus. Et re ctè eum vocat fabrum sufflantem in igne prunas, nam omnium malorum, inquit Rupertus, ille est artifex, qui flatu suo, persecutionum, & tentationum excitat incendia. Et sicuti faber in conflatorio per ignem educit instrumẽta bellica, sicuti gladium, sagittam, &c. quæ ab Hebræis, vasa vocantur, ita ille in conflatorio sui intellectus, per ignem odij, malitia, & inuidia, quasi follibus sufflantibus, conficit tentationes, quibus nos impetit. Et hoc est, quod dicit: Creaui fabrum sufflantem in igne prunas, *ad proferendum vas in opus suum*, id est, vt conficiat tentationes, quibus quod intendit, consequi possit. Sed hoc est insigne beneficium, quod *ego etiam creaui interfectorem eius, ad disperdendum*. Ecce Christi nomen; Interfector diaboli, qui vires eius di-
In c. 54. Es. sperdit, & euertit. Nec scandalizetur, inquit Hieronymus quis, ad nomẽ creaturæ, qui illum vermem, ac seruum, & germinatum legerit esse de terra: dicitur enim creatus, aut secundum humanitatem, eo modo quo per eundem
Esa. 54. 8. Prophetam dixit: *Ego Dominus creaui eum*, aut quia secundum phrasim hebræam, idem est aliquando, esse creatum, quod esse productum, sicut: *Ab initio, & ante secula creata sum*: & ite-
Ec. 24. 14. Eccl. 1. 4. rum: *Primum omnium creata est sapientia*. Dicitur autem Christus interfector diaboli, quia eum omninò deiicit, & eius vires eneruauit, aut in captiuitatem coniecit, quomodo verbum,
Hab. 1. 17. interficiendi aliquãdo sumitur, vt quod de Nabuchodonosore dicitur: *Semper interficere gentes non cessat*, id est, in captiuitatem ducere, superare, vincere: quo etiam modo dictum fuit ab eodem Esaia, *Occidet cetum* (Septuaginta *draconem*) *qui est in mari*: vbi de victoria, quam contra dæmonem erat comparaturus agit: & iterum; *Spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Hoc ergo Christus præstitit, & in hunc finem venit, vt hunc impium eneruaret, hunc fabrum interficeret, eius vasa bellica confringeret. Vnde, & subdit Propheta: *Omne vas, quod factum est contra te non dirigetur*, id est, vires amittet, erit iam fragile, & nullius roboris. Quibus concinit parabola illa, quam Christus Dominus proposuit: *Cum fortis armatus custodit atrium suũ, in pace sunt omnia, quæ possidet: cum autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*: de qua Diuus Augustinus egregiè loquitur. Ex his intelligere possumus, maxima obligatione nos teneri, ad reddendas gratias Christo Domino, qui inimicum nostrum prostrauit, confregit, ac eneruauit. Erat Adarazer rex Soba, superbus, insolentissimusque, qui contendebat dilatare imperium suum, vsque ad fluuium Euphratem: signanter autem acerrimè prosequebatur Thou regem Hemath, quem quasi oppressum, & tributarium tenebat. Dauid autem videns illius superbiam, statim initio regni sui cum eo congredi decreuit, & eum superauit, ac vicit, & robur illius, & vires confregit, & subneruauit omnes iugales curruum eius: signanter autem eius acutas pharetras, vt in textu dicitur, tulit in Hierusalem, vt omnes eas viderent, de qua re videndus est Abulensis. Cum autem audisset Thou rex Hemath, quod Dauid percussit omne robur Adarazer inimici sui, & eum prostrauit, misit Ioram, aut Aduram filium suum ad Regem Dauid, vt salutaret eum, & congratularetur ei, cui gratias ageret, quod expugnasset Adarazer, & percussisset eum, & misit eidem pretiosa munera, vasa aurea, argentea, & ærea, seipsum ipsius obsequio perpetuò offerens. Hoc ipsum nos agere oportet. Dauid namque typum Christi Domini adeò expresse tulit, vt Propheta eum, Dauidis nomine vo-

Esa. 27. 1. Esai. 11. 4. & 34. Luc. 11. 21. Ser. 197. de temp. 2. Reg. 8. 1. Paral. 18 1. par. 18. 7 Lib. 1. Par. c. 18. q. 22. & 23.

vocent. Statim autem ac ſeipſum cœpit mundo manifeſtare, cum ſuperbo Adarazer, inimico noſtro, id eſt, dæmone congredi voluit, cuius vires confregit, robur eneruauit, & eius tentationes, quas quaſi ſagittas acutiſſimas contra eum iecit, detulit in Hieruſalem, in Eccleſiam ſuam, vt eas videamus, & agnoſcamus, quales illæ ſint. Nos, qui hoc audimus, mittamus ad eum filium, id eſt, actum cordis noſtri, qui ex intimo corde procedat, primò congratulantes ei, pro victoria: deinde gratias eidem agentes, quod inimicum noſtrum deiecit, proſtrauit, & alligauit: & tandem nos eius obſequio perpetuò tradamus. Si enim Angeli poſt victoriam obtentam, acceſſerunt, & miniſtrabant ei, quamuis talis victoria non eſſet ad eorum profectum, ſed tantum, quia congratulabantur Regi ſuo, quid nos agere oportet, in quorum vtilitatem, & commodum hæc omnia facta ſunt, pro quibus Chriſtus in deſertum ductus eſt, vbi erat cum beſtijs, vt ait S. Marcus, vbi ieiunauit, vbi tentatus eſt, ac victoriam reportauit.

Ezech.37.24 25. & Oſe. 3.5.

§. 9. *Apertio cœlorum, & vox Patris inſtar tintinnabulorum Sacerdotis, excitant, ad conſiderandos Chriſti greſſus, qui prius opere, quam ſermone nos docet.*

¶ 35. *Epiſt 129. ad fin.*

TVnc ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Si quæ Diuus Hieronymus ſcribit ad Fabiolam, de ornatu Sacerdotali, attendamus, intelligemus verba illa Eſaiæ:

Eſai.30.20 *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, &c.* Explicari poſſe, quaſi alluſione facta ad illud, quod præcepit Deus, vt ſummus

Exod.28. Sacerdos tintinnabula aurea ad oram tunicæ talaris deferret, quæ tinnitum ederent, dum ſacerdos incederet, & ſe præſentem dare populo parabat. Obſeruat namque Hieronymus myſterium, quod ibi latebat. Erat ſummus Sacerdos, quem Deus ſupremum deſignabat doctorem, quem omnes auſcultare, & eius dicto obedire tenebantur, voluitque, vt ille tintinnabula ad extremitatem veſtium ferret, quę ſuo tinnitu inducerent omnes, ad conuertendos oculos, & contuendos Sacerdotis greſſus, inceſſus, & motus, quæ omnia, quaſi vocalia eſſe voluit, vt prius populus addiſceret, quomodo cuique eſſet incedendum, dum ſummi Sacerdotis greſſus conſiderabant, quem poſtea verbis docentem erant auſcultaturi. Primò ergo, vt addiſcerent, quæ agere illos oportebat, debebant omnes oculos conuertere ad videndum, quomodo procederet ſummus Sacerdos, & deinde aures præparare ad illius verba auſcultanda. Summus ſacerdos, eſt Chriſtus Dominus, *Secundum ordinem Melchiſedech*, quem Pater æternus dedit nobis doctorem, atque magiſtrum. Inſtabat iam tempus, quo ſe mundo manifeſtare oportebat: erat enim, vt inquit Sanctus Lucas, *quaſi annorum triginta*. Quod tempus expendit Cyprianus, annotans hoc ipſo Chriſtum docere voluiſſe, hanc ætatem eſſe tempus rationabile ad doctrinam dandam, & formam exercendi magiſterium, quia non competit, inquit, annis impubibus, ſedere in cathedra. In primogenitis boum aratio eſt per legem interdicta: non enim vituli ad arandum, & triturandum, ſed boues apti cenſentur. Ita Cyprianus, ſupponens quod Paulus docuit, prædicatores expreſſos in lege, ſub typo bouis arantis, & triturantis. Quod, & ſimiliter proſecutus fuit Beatus Gregorius, expendens, quod Ezechiel trigeſimo anno ætatis ſuæ ſpiritum prophetiæ acceperit. Vnde, & ipſe Dominus anno duodecimo ætatis ſuæ, in medio doctorum in templo ſedens, non docens, ſed interrogans voluit inueniri. Vt enim non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo ætatis ſuæ interrogare dignatus eſt homines in terra, qui per diuinitatem ſuam ſemper docet Angelos in cœlo.

Pſ.109.4.

Luc.3.23. Libr. de ieiun & tentat. Chr.

Deu.15.

1.Cor.9.10.

Hom.2. in Ezech.

Ezech.1.15.

¶ 36.

Quod

Quod, & Moyses sub allegoriæ mysterio admonet, dicens: *Non arabis in primogenito bouis.* Primogenitum enim bouis accipimus, in infirma ætate, primi nostri temporis bonam operationem, in qua tamen arandum non est, quia cum prima sunt adolescentiæ vel iuuentutis nostræ tempora, nobis adhuc à prædicatione cessandum est, vt vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni. Ita Gregorius, qui ad hoc institutum explicat, quando dixit Paulus ad Timotheum, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, adolescentiam, pro iuuentute sumi, vt alibi à nobis dictum fuit. Continuit ergo se Christus à doctrina in minori ætate; tuncque quando iam erat tempus opportunum ad docendum, & properabat quasi cathedram ascensurus, voluit vt aurea prius tintinnabula resonarent, dum scilicet cœli aperti sunt super eum, dum vox Patris audita est, dumque Spiritus sanctus corporali specie, sicut columbæ in eum descendit, vt quem postea audituri sumus docentem, prius contemplemur incedentem, se mouentem, & prius moribus, & opere, quam verbis docentem. Obseruauit Sanctus Augustinus, dæmonem astutissima calliditate introduxisse, vt homines colerent tanquam Deos, illos viros, qui grauissimas impietates, & iniquitates fuerant operati, quales erant, Iupiter, Mars, Saturnus, Venus, Vulcanus, &c. & eosdem incitasse, vt talium Deorum impia opera, oculis omnium repræsentarent. Ad hoc enim curauit, vt diuersas festiuitates ad eorum cultum instituerentur, & varijs modis, imaginibus, picturis, sacrificijs, & repræsentationibus illorum facinora coram oculis omnium ponerentur, vt hoc ipso, quod talia Deorum suorum opera conspicerent, ad similia agenda incitarentur. Ad hoc institutum expendit Augustinus egregiam Persij rationem, dicentis, homines summè attendere Deorum opem, magis quam Platonis, aut cuiusque Philosophi doctrinam, aut verba: nam Deorum opera, credebant esse supremam humanarum operationum regulam, & hinc, inquit, apud Terentium, flagitiosus adolescens spectabat tabulam quandam, pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc: Iouem, quo pacto Danae misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, atque ab hoc tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se iactat imitari Deum, ad quem dixit: Qui templa summo sonitu concutit, ego homuncio id non faciam? Ego verò illud feci, ac lubens. Improbos ergo Deorum motus, & opera, propterea curabat diabolus in eorum festiuitatibus oculis omnium repræsentare, vt ea homines imitarentur. Tales propterea erant festiuitates, inquit Augustinus, qualia erant festa illa, quæ vocabantur fugalia, à fugatis hostibus, quæ verius dici possunt fugalia, à fugato pudore, & honestate, celebrabantur enim effusa, & inducta omni licentia turpitudinum: nam quidquid turpe videbatur à Dijs suis commissum, sibi licitum iudicabant. Miser certè hominum status, summaque miseria, à qua Deus nos liberandos per Prophetam promittit, dicens: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Homines impij introducebantur tanquam Dij, & doctores, ac præceptores rerum agendarum, qui suis impijs operibus, homines ad similia inducerent, sicque illorum perderent mores, vitam, & animam, & eos mergerent in perditionem. Ego, inquit, æternus Pater, introducam præceptorem, qui doceat te, non Deum fictum, aut falsum, sed verum, cuius opera oculis cordis tui contempleris, & imiteris, sicque salutem ac vitam possis comparare. Hoc nunc æternus Pater præstat, exponens coram oculis nostris filium suum verum, & naturalem, ac propterea Deum verum, de Deo verò, vt eius attendamus opera, ideò aperuit cœlos, & vocem suam emittit, qua resonat: *Hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui.* In huius opera oculos vestros conuertite, quæ mihi sunt placita: huius opera sunt integra, perfecta, quæ tanquam totius rectitudinis regula vestris oculis exponuntur.

1. ad Tim. 4.

2. de ciu. c. 26. ibid. cap. 6.

ibid. c. 6.

tur. Idcirco, vt à notat Chryſoſtomus, nunc Pater æternus ſolummodo dicit: *Hic eſt filius meus, &c.* nec addidit, *Ipſum audite*: hoc enim ad poſteriora tempora reſeruat, quando Chriſtus inſtituet homines doctrina, & ſermonibus: tunc *aures tuæ audient* verbum poſt tergũ monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea. Nunc oculos expoſcit, quos conuertamus ad videnda illius opera, qui greſſu, motu, actione, & operatione nos docet, vt quæ agit ille, contendamus, & nos operari, & curemus greſſus, motuſque noſtros, greſſibus, & motibus ſuis conformare.

Hom. 3. in imperfecto ſup. Matt.

§. 10. *Docet Chriſtus, baptizatos debere à terrenis ad cœleſtia mentem extollere, qui ſicut aues ex aquis regenerati, in altum volent.*

¶ 37. *Libr. 4. in Lucam in præfat.*

TRia ſunt (inquit Ambroſius) quæ nunc operatur Chriſtus, quæque à nobis attendenda ſunt, Sacramentum, deſertum, & ieiunium: nam, & baptizatus eſt, & ad deſertum aſcendit, & ieiunium validum inchoauit, cum dæmone congreſſurus, hoc opere nos inſtruens, nobis primum neceſſarium eſſe Sacramentum baptiſmi, deinde quod illo accepto; ad ſuperna aſcendere admitamur, grauitatem corporis alleuiantes per ieiunium, quo, & diſponi poſſimus ad congrediẽdum cum dæmone, vt de illo reportemus victoriam. Vide igitur huius ſummi Sacerdotis greſſus: primum ſuſcepit baptiſmum, in quo cœli aperti ſunt ſuper eum, & vox Patris intonuit, aſſerentis, illum eſſe filium ſuum dilectum, & Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum manſit. Deinde confeſtim aſcendit de aqua, ad ſublimiora proceſſit: & tandem ieiunijs, & alijs operibus ſanctis intendit, diabolum ſuperaturus. Huiuſmodi greſſus nos intueri oportet, qui non minus nos inſtruunt, quam greſſus ſummi Sacerdotis, tendentis ad Sancta Sanctorum, de quibus, & illud dicere poſſumus: *Viderunt ingreſſus tuos Deus* (Auguſtinus legit, *inceſſus*) *ingreſſus Deí mei, regis mei, qui eſt in Sancto.* Quos egregiè Beatus Chryſoſtomus conſiderat. Primò namque indicat, & docet, baptiſmi Sacramentum ſupponendum eſſe, in quo ea nobis inuiſibiliter contingunt, quæ viſibiliter in Chriſti baptiſmo euenerunt. Aperiuntur enim nobis cœli, à quibus nos culpa exules fecerat, & quos peccatum clauſerat, ad quos in baptiſmo datur nobis ius, & pignus, ex eo quod illius virtute renaſcimur filij Dei per eius gratiam: *ſi autem filij, & hæredes.* Super te quoque (inquit Chryſoſtomus) cum ſacro fronte ablueris, Spiritus ſanctus venit, nõ quidem viſibili ſpecie, qua vtique non egemus, cum nobis pro cunctis ſola fides ſufficiat, nam ſigna non credentibus, ſed incredulis dantur: & ſignanter baptiſmus eſt Sacramentum fidei, ſecundum quam credimus, quæ non videmus. Deinde deſcenſus Spiritus ſancti in columbæ ſpecie, inſigne myſterium indicat: veteris enim (inquit Chryſoſtomus) hiſtoriæ nos admonere videtur: nam cum vniuerſum orbem aliquando naufragium communem merſiſſet, & omne prorſus hominum genus periclitaretur, iſtud interim animal apparuit, finemque illius tempeſtatis oſtendit, atque ore ramum portans oliuæ, pacem mundo redditam nuntiauit. Quæ omnia erant futurorum figura: per baptiſmum namque quaſi per diluuium, omnia moriuntur peccata, & pax diuina conceditur, &c. Hæc quidem in baptiſmo Chriſti Domini expreſſa ſunt. Baptizatus autem Chriſtus, *Confeſtim aſcendit de aqua*, vt diſcas etiam tu, inquit Chryſoſtomus, cum baptizaris, hoc fieri debere, Deo te iam ad patriã cœleſtem vocante, nihilque commune cum terra habere ſuadente, vt terrena deſeras, & ad cœleſtia mente, & affectu aſcendere cures, & futura regna quotidie quæras, omniaque præſentia vmbram eſſe prorſus, ac ſomnia, iudices, Neque enim ſi Rex terrenus aliquis te pauperem, ac mendi-

Hom. 13. in Matth.

Pſ. 67. 25.

Rom. 8. 17.

Gen. 8.

cum,

cum, repente sibi adoptaret in filium, tu iam ad tugurium, & tugurij aspices vilitatem. Et certè non grandi ¶ 38. hæc discrimine separantur. Ita igitur nunc, nihil putes præsentium esse pretiosum, longè quippe maiora sunt, ad quæ vocatus es capessenda: qui enim vocat, Dominus Angelorum est: ea verò, quæ conferuntur bona, & explicationem sermonis, & cogitationem mentis excedunt. Non siquidem te à terra transponit in terram, vt terrenus iste Rex, sed à terra extollit in cœlum, & à mortali ad immortalem profectò naturam, atque ineffabilem gloriam, quæ tunc solummodo bene à nobis cernenda erit, quando etiam possidenda. Tantorum igitur particeps futurus bonorum, noli auri, argentique curis onerare mentem, cæterisque huiusmodi vmbris, atque imaginibus illudere. Ita Chrysostomus, subijciens alia, ad explicandum, quomodo ex aquis baptismi emergentes, ascendere debeamus. Quibus multa alia possumus adiungere, signãter id, quod de auium productione communior Sanctorum Patrum tenet sententia: qui fere omnes existimant, aues ex aquis productas. Ita Basilius *a*, ex professo, & similiter Ambrosius *b*, Cyrillus *c*, Damascenus *d*, qui obseruat; per volatilia coniungi tria elementa: nam ex aquis illa prodierunt, & in terra diuersantur, & in aere volant. Hugo de S. Victore *e*. Richardus de Sancto Victore *f*. Magister sententiarum *g*, & Diuus Thomas *h*, quod & suppoſuerat similiter Philo, *i*, & Ecclesia canit *k*, ex Diuo Ambrosio: Magne Deus potentiæ. Qui ex aquis ortum genus, Partim remittis gurgiti, partim leuas in aera: & Scriptura satis videtur apertè exprimere, inducens Deum dicentem: *Producant aquæ reptile, & volatile super terram*, de cuius textus integritate, & sensu, egregiè auctor glossæ magnæ *l*. Productæ igitur sunt aues ex aqua, non sola, sed superueniente illi virtute verbi, & imperij diuini, dicentis: *Producant aquæ volatile, &c.* Eo autem ipso, quod aues receperunt vitam, pennas, & alas ex aquis, diuini verbi virtute in altum se extulerunt; quæ ad hoc productæ sunt, vt volent, sicuti ille amicus Iob dicebat *m*. *Auis ad volatum nascitur*, Confestim ascenderunt de aqua, in altum toto corpore se erigentes, vbi baptismi vis expressa est, vt sæpè Ecclesia Sancta confitetur, asserens, in aquis magna quæque Sacramenta Deum indicare voluisse. Quibus addere libet quod Augustinus Eugubinus *n*, vt hanc de auium productione sententiam confirmet, & ostendat, aquas esse materiam aptam ad aues producendas, affirmat, quod est mirabile dictu: esse locum extra Italiam, in quo ex arbore quadam nascuntur quædam vellera parua, rotunda, ad modum pilæ, quæ decidentia in flumen, quod inferne defluit, & elabitur, vt primum aquam attingunt, in aues conuertuntur, & subito in superam regionem se eleuant, volantes sicuti, & aliæ aues: quod, & quidam authores *o*, referunt, & affirmat Boethius arbores esse in Scotia, quæ supra amnium ripam enatæ fructum ferunt, nonnihil anatibus similem, qui cum ad maturitatem peruenerit, decidit: ac si in aquam deciderit, mox animatus in vndis enatat, & volucris est: si in terram cadere contingat, putrescit. Iouius, & Saxo Grammaticus, huiusmodi arbores in Insulis Orcadibus, sub regno Scotiæ nasci, scribunt. Nec mirum hoc videri debet, considerãti quod Laurentius Surius certa disquisitione se accepisse scribit, in quadam insula, non longè à Tartaris Cazanensibus, semen quoddam inueniri, non absimile melonum semini, paulò tamen maius, & rotundius: ex eoque in terram condito, quendam agnum enasci, quinque palmorum altitudine. Nam, & caput, & oculos, aures, cæteraque omnia in formam agni recenter editi, pellem setiam subtilissimam habere, qua permultis in locis ad subducenda capitum tegmina vtantur. Radix est illi ad vmbilicum, ceu ventris medium, & tantisper viuit, donec depastis circum se herbis radix ipsa, pabuli inopia arescat. Denique mira est eius suauitas, quæ lupos, & cætera rapacia animantia, ac illum deuo-

m *Iob. 5. 7.*

n *In Cosmo pœia.*

o *Bannes p. p. q. 7. ca. vnic. & Martin. to. 2. glossa magna, agens de auium productione.*

¶ 39.

In comme. de reb. nostr. secul. ann. 1504. ad fin.

a *Ho. 8. in Hexaem.*
b *L. in Hex. c. 12. & 14*
c *Lib. 1. in Gen.*
d *Li. 2. c. 9.*
e *in Gẽ. c. 6. & lib. 1. de Sacr. pa. 1. c. 26. & 27*
f *Lib. 2. except c. 7.*
g *In 2. d. 14*
h *p. p. q. 71. a. vni.*
i *Lib. 1. de mũd. epist. ve sp. ser. 5.*
l *Ascanius Martine. to. 2. p. 110*

deuorandum inuitet. Hæc quidem Dei opera in natura producuntur, per quæ mentem disponat, ad opera gratiæ nobis explicanda, sicut reuera de præfatis auibus ex aquis insurgentibus dicere possumus. Ecce namque Sacramentum baptismi, quia dum aquis adiũgitur vis diuini verbi, aues producuntur: eo ipso, quod quis aquis abluitur, accedente verbo illo, *Ego te baptizo, &c.* statim quasi in auem, naturam supernã habentem, regenerantur; oriuntur pennæ, & alæ, fides scilicet, spes, charitas, cæteræque virtutes infusæ, quibus ad superna volare possit, & ad ea tendere. Et qui natus fuerat ex Adam tanquam
1.Co.15.22 emortuum vellus (*Omnes enim in Adã moriuntur*) aut ex illo tanquam fructus ex arbore nascitur, hoc ipso quod baptismi aquas attingit, nouã vitam per gratiam acquirit, quæ quoniã est quædam diuinæ naturæ participatio, statim incitat, vt ad Deum ipsum euolare contendat. Qui autẽ in huiusmodi aquas non incidit, perpetuæ corruptioni relinquitur absumendus, quales sunt omnes infideles. His alludere visus est Paulus, vt egregiè obseruauit Basilius, insignem suam prosequens analogiam, secundum quam is, qui baptizatur debet se conformem exhibere Christo morienti. *Quicunque*, inquit Paulus, *baptizati sumus in Christo Iesu* (ad differentiam hoc dicit baptismatis Ioãnis. quo baptizati illi erant, qui *nondum receperant Spiritum sanctum*, quod insufficientissimum erat, vtpotè in aqua solum, nullam conferens gratiam) *in morte ipsius baptizati sumus*. Communis sensus est, vt velit exprimere baptismum habere virtutem ex Christi Domini morte, & passione: fluxit enim ex eius latere sanguis & aqua, *vt exhiberet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Communiter tamen Patres legunt: *In mortem ipsius baptizati sumus*, id est, ad exprimendam Christi mortem, aut ad similitudinem mortis eius tenendam, baptizati sumus. Ita legunt, & intelligunt, Basilius *a*, Chrysostomus *b*, & alij Græci, imò, & ferè omnes Sancti Patres Latini. Hieronymus *c*, Augustinus, *d* Ambrosius *e*, Anselmus *e*, & Diuus Thomas *e*. Est quidem baptismus, Sacramentum nouæ legis, ideoq; vt inquit Diuus Thomas, rem sacram designat, & eandem operatur. Hæc autem est mors Christi, quam in nobis efficit, & in nobis fieri significat. *In mortem*, inquit, *ipsius baptizati sumus*, id est, ad significandam, exprimendamque in nobis mortem Christi, & vt faciat in nobis, quod per mortem factum fuit in Christo. Sicut namque mors in Christo Domino hoc fuit operata, quod in illa, & per illam absumptum fuit, quicquid in eo erat pœnalitatis, mortalitatis, ac infirmitatis, & vt inquit Caietanus, quicquid in illo erat viliratis, & ignominiæ, & per Dei virtutem surrexit nouam habens vitam, totius mortalitatis, infirmitatis, & ignobilitatis expertem: ita ad hoc baptizamur, & hoc significat baptismus in nobis fieri, hocque in nobis operatur, quod per illum absumuntur peccata, suffocanturque iniquitates in aquis sicuti in mari rubro Pharao cum exercitu suo, & ex aquis egredimur, nouam vitam gratiæ habentes, quæ supernaturalis est, ac planè diuina. Quod & Diuus Dionysius Pauli discipulus, breuissimis quidem, sed aptissimis verbis, exposuit. Per baptismum, inquit, quod turpe fuerat componitur, quod sine speciẽ, formæ gratiam sumit, ac lucentis vitæ fulgore euadit prorsus illustreẽ. Probat autem Apostolus, per baptismum hominem mori vitæ peccatrici, quam habebat ex Adam, ex eo quod subdit: *Consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem*, id est, ad mortem, vel vt moriamur. Supponit, baptismum esse sepulturam, & quod is, qui baptizatur sepelitur: quasi dicat, inquit Diuus Thomas: sepultura non datur nisi mortuis: *Sinite*, inquit Dominus, *mortuos sepelire mortuos suos*. Per baptismum autem, homo sepelitur cum Christo, id est, cõfirmatur sepulturæ eius, & sepelitur, ad modũ, quo Christus fuit sepultus: nã sicut ille positus fuit sub terra, ibique mansit per triduum; ita homo

c Epist. 38. ad Ocean.
d In Ench. cap 51.
e In c.6 Epist. ad Ro.
In c.6. Epist. ad Rom.
Li. de Eccl. Hier. ca. 2. circa fin.
Mat. 8. 22.
¶ 40.

Ho. de baptis. p. 235.
Rom. 6. 3.
Act. 1. 5. & 19. 4.
Eph. 5. 27.
a *Homil. de baptis.*
b *Ho. 10. in epist. ad Rõ.*

per trinam mersionem sub aqua ponitur: trina enim mersio, triduum illud
a Li. 4 fid. orth. c. 10. significat, vt obseruauit Damascenus a, & Diuus Thomas b, omnesque Doctob Loco cit. res, dicentes, illam non tantum fieri ad fidem S. Trinitatis exprimendam, sed ad repræsentandum triduum sepulturæ Christi: & sicut triduum illud, non fecit nisi vnicam sepulturam, ita trina mersio, non efficit nisi vnicum baptismą. Inde etiam est, inquit D. Thom. quod in sabbatho sancto solemnis baptismus in Ecclesia celebratur, quando commemoratur sepultura Christi, sicut & in vigilia Pentecostes, quando festum agitur de Spiritu sancto, ex cuius virtute aqua baptismi accipit purgandi virtutem. *Consepulti ergo sumus per baptismum*, id est, simul cum Christo sepelimur ad eius imitationem, in mortem, id est, ad mortem, vt homo veteri vitæ moriatur. Quod si dicas: Homo non sepelitur, vt moriatur, sed quia iam mortuus est: quomodo ergo sepelitur in baptismo ad mortem, id est, vt moriatur? Respondet Diuus Thomas, esse differentiam inter mortem corporalem, & mortem istam mysticam; nam ad corporalem sepulturã, oportet vt mors corporalis præcedat, tamen ad hanc figuralem, & mysticam nequaquam: imò per ipsammet sepulturam, mors ipsa efficitur; quia Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant; ideoque cum sepultura, quæ fit per baptismum, signum sit mortis antiquæ vitæ, & veteris, ipsamet sepultura baptismatis illam efficit, & operatur, id est, vt baptismus nobis mortem inferat, non secundum vitam naturalem, sed secundum vitam culpæ, vt per illum moriatur homo, quatenus peccator, & moriatur *homo vetus, qui corrumpitur secundum desideria erroris*, vt inde resurgat per Dei gratiam *homo nouus, qui secundum Deum formatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, vt sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris*, id est, vt ait Ambrosius, per virtutem suam, quia ipse est virtus, & gloria Patris, *ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Cum audis, nouam vitam, inquit Chrysostomus, magnam varietatem, magnam mutationem quære. *Cum eramus in carne*, inquit Paulus, cum vitam carnalem agebamus, quam accepimus ex Adam, Intendebamus operibus carnis, terrenisque, *adhærebat in terra venter noster*, id est, mens nostra, cura, & solicitudo: eo autem ipso, quod baptizamur, nouam vitam supernaturalem, nouum esse diuinum, & nouam dignitatem cœlestem adepti, ad cœlestia tendere debemus: relinquenda sunt iam terrena, & infima, & ad superiora conscendendum; vt de nobis dicat Spiritus sanctus: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata*, vt Ambrosius obseruauit, annotans, ideo qui baptizatur accipere vestem candidam, iudicantem nouam gratiæ vitam, quam per baptismum accipit. Optimè propterea annotauit Hieronymus, cuique baptizato dici posse: *Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare*. Qui languet, & infirmatur, in terra iacet. Non mirum, quod homo terrenis inhæreat, natus in peccato, & peccati infirmitate detentus; sed per baptismum sanatur: iam ergo à terrenis surgat, nec amplius illis inhæreat: hoc enim est peccare, terrenis rebus adhærere. Hæc omnia aptè confirmari possunt, ex ijs, quæ tractatu quarto præcedenti diximus, explicantes, quomodo nouam vitam, noua studia, nouosque conatus, baptizatus habere debeat. Ex quibus rectè constat,

Christum magistrum cœlestem aquis, egredientem,
continuò ascendisse de aquis,
vt nos idipsum agere disceremus.

Ad Eph. 4. 22. 23. 24. ad Ro. 6. 4.

Hom. 10. in Epi. ad Ro.

ad Ro. 7. 5.

Ps. 43. 25.

Libr. de iis qui myster. initiantur. c. 7.

Li. 3. cont. Pelagia in princ. to. 2.

Ioan. 5. 14.

§. 11. Ha-

§. II. *Hæresis fuit aliquorũ, baptizatos non posse tentari, quæ contra rationem ipsius baptismi est, in quo homo designatur miles, vngitur, & armatur ad pugnam.*

¶ 41. SVmmus Sacerdos noster Christus, non solum baptizatus ascendit de aqua: sed qui, vt annotat Chrysostomus, omnia ad nos erudiendum, & facienda sibi, & patienda susceperat, ad desertum se recepit pugnaturus cum diabolo, & grauè certamen cum eodem subiturus, vt nos gressus suos, & motus suspicientes, doceat, hoc ipso quod baptizati sumus, bellum nobis cum diabolo agendum, & congrediendum esse cum eo, eiusque tentationes à nobis esse sustinendas, & superandas. Idcirco non otiosè Euangelista, tempus quo ductus est, vt tentetur, expressit, dicens: *Tunc*: Poculdubio namque, inquit Chrysostomus, ad illud tempus aptandum est, quo descendit Spiritus sanctus super eum in baptismo. Propositum Beatus Hieronymus, ex professo, hæreses quasdam Iouiniani refellere, duobus libris contra illum editis: primum asserentem, æqualis meriti esse nuptias cum virginitate: toto priori libro confutat: ad secundam autem reuincendam procedit libro secundo. Illa erat, eos qui fierunt baptizati, à diabolo iam non posse tentari, sed hoc ipso quod baptizantur, iam eos in tuto, & securo esse. Et ne hoc stultè dicere videretur, adiecit: Quicunque tentati fuerint, eos aqua, & non Spiritu esse baptizatos: quod in Simone Magno legimus. Quod etiam confirmabat ex illo: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quia ex Deo natus est, & in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Et in fine Epistolæ: *Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.* Certum est autem hominem nasci ex Deo per baptismum, vt exponit Christus Dominus. Si natum ex Deo, non tangit malignus, non igitur eum tentat, neque oportet solicitum esse baptizatum, quem nec malignus, vel leuiter tangere, aut tentare potest. Caterum Diuus Hieronymus, oppositum tanquam fidei dogma statuit, quod postquam multis confirmauit, concludit, non nobis blandiendum de baptismate, quod sicut priora peccata dimittit, sic, & in futurum seruare non potest, nisi baptizati, *omnis custodia seruauerint cor suum*, vt admonuit Spiritus sanctus. Id verò, vt demonstret, varia Scripturæ sacræ loca expendit, signanter quod ipse Dominus dixit: *Simon Simon* (duplici nominis sui appellatione attentiorem eum reddere volens) *Ecce Sathanas postulauit, vt cribraret.* Et iterum: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Iam Apostoli baptizati erant, imò, & sacra communione refecti. Quod si ante crucem dictum responderis, certè post crucem in oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, &c. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Quid oramus ne intremus in tentationem, & liberemur à malo, si diabolus tentare iam non potest baptizatos? Videtur Hierouymus, cum dicimus: *Libera nos à malo*, nomine, *mali*, diabolum intelligere, quomodo Beatus Cyprianus intellexit, & Cyrillus. Quid ergo petimus à diabolo eiusque tentationibus liberari, ab ipso sine dubio validas tentationes sustinemus. Paulus (inquit Hieronymus) electionis vas, *castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne alijs prædicãs ipse efficiatur reprobus: & datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, &c. qui, & ad baptizatos dicebat: *Timeo, ne sicut serpens decepit Heuam in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo.* Hęc & alia loca expendit Hieronymus: & tandem obseruat egregium illum locum, quo Deus de dæmone sub specie

Hom. 13. in Matth.

Ibid.

Habetur tom. 2.

Act. 8.

1. Ioan 5. 4 & 18.

Ioan. 3.

Prou. 4. 32

Luc 22. 31

Luc. 22. 40.

Mat. 6. 12.

Li. de orat. Dominica.

Libr. 6. de ador p. 1 <4>

1. Cor. 9. 27

2. Cor. 11. 7.

2. Cor. 13. 13.

¶ 42.

Leuiathan, draconis scilicet ingentis marini, loquitur, de quo supponit, quod *seginantur in eo nationes Æthiopum, & partiuntur eum Phœnicum gentes*, quia videlicet infideles diabolum colunt, & hoc habent pro summis delitijs, eum venerari, eidem obsequi. Ac ne forsitan, inquit Hieronymus, legentibus, cogitatio putaret eas tantum Phœnicum gentes, & populos Æthiopum significari, quibus draco in escam datus sit, statim de ijs, qui per mare huius seculi transeunt, & ad portum salutis peruenire festinant, subditur: *Et in nauibus piscatorum caput eius fiet, sicut incus infatigabilis*. Ita legit Hieronymus, quod in nostra vulgata habetur; *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli: & eius cor indurabitur, quasi malleatoris incus*. Metaphoram sumit Dominus, hæc dicens, à Leuiathan, aut balæna, quæ non contenta dominio, quod habet in pisces, qui aquam non egrediuntur, caput subleuat, & seipsam extollit super aquas impetens piscatores, & nauigantes; eosque persequens, qui ad portum festinant, quorum arma non metuit; quippe quæ incudis fortitudinem tenet, quod nullis ictibus quassatur, aut cõteritur, de quo propterea subditur: *Reputat ferrum vt paleas, & sicut lignũ putre æs*, &c. De ijs alio in loco. Hæc eadem latius possumus demonstrare ex ijs, quæ idem Hieronymus docuit, exponens, quid sit, aliquem baptizari, qui baptismi diem, vocat diem tyrocinij. Recordare, inquit, ad Heliodorum, tyrocinij vt diem, ideſt, diem in quo Tyro factus es. Tyro enim vocatur nouus miles, quia vita Christiana, quæ in baptismo incipit, vita militaris est, & cum quis baptizaretur hoc facit, quod seipsum in militiam Christianam adscribit. Ad hoc indicandum Ecclesia in baptismate circa baptizatum cæremonijs militaribus vtitur, à tempore Apostolorum, quidquid hæretici garriant. Duo namque agebant, qui se tradebant militiæ, aut se constituebant athletas, cum alij luctaturos, aut congressuros: primo namque nomen suum dabant, subscribebantque se vexillo, sub quo se militaturos profitebantur. Hocque adeo erat in more, vt in communi prouerbium abiret, nomen suum dare, pro eo quod est, militem se constituere. Alterum erat quod athletæ, & qui in stadium luctatur descendere parabant, hoc ipso vngebantur oleo, vt obseruarunt Chrysostomus *a*, & Ambrosius *b*, vt ad confolidandos neruos, & corroborandas carnes, & membra redderentur agiliora. Hæc duo in baptismate fiunt: in primis enim baptizandus dat nomen suum; quod quãuis Illyricus hæreticus irrideat *c*, tanquam rem nouiter adinuentam, sed hoc in vsu fuisse ab Apostolorum tempore, patet ex D. Dionysio Areopagita *d*, & Beato Dionysio Alexandrino apud Eusebium *e*, & ex Concilio Nicæno *f*. Qua sanè cæremonia, qui baptismum recipit, profitetur, se velle militiam Christianam arripere, & sub crucis vexillo militare; & propterea tanquam designatus miles nomen suũ dat, seque militiæ subscribit. Vngitur deinde baptizatus, non semel sed iterum, atque iterum, nec in vna tantum corporis parte, sed in tribus, videlicet in lumbis, aut inter scapulas, in pectore: & in vertice, vel reluctantibus hæreticis antiquis, quales fuerunt Donatistæ, & recentioribus, vt Ioanne Hus, Luthero, Caluino, &c. quos recens quidam, ac diligentissimus author refert, & refellit, ex innumeris Sanctis Patribus Græcis pariter, & latinis, Dionysio videlicet Areopagita: Chrysostomo, Augustino, Ambrosio, &c. qui omnes obseruant, ideo baptizatum vngi, vt hoc ipso athletarum more admoneatur, se ingredi stadium, in quo certamen, luctam, bellumque cum dæmone sit susceptus. Ita sancti Patres Chrysostomus *a*, Ambrosius Augustinus *c*, qui annotat, Christi nomen à chrismate dictum: chrisma autem græce, latine vnctionem nuncupari, quia ideo inquit, nos vnxit Christus, quoniam luctatores contra diabolum fecit. Quod, & Prosper Aquitanicus *a*, obseruauit, & similiter Anselmus *b*, & Diuus Thomas, *c*, signanter autem obseruat Innocentius *d*, hominem in baptismo oleo vngi inter scapulas, aut in lumbis, in pectore,

Iob 41.

Iob 42.

Epist. ad Heliodorã.

a *In imperfe. hom. 5.*
b *Li. de Sacramenti.*
c *Belar. to. de bapt. in Li. 1. c. 26.*
d *Li. de Ec. Hier. c. 7.*
e *Li. 7. hist. cap. 20.*
f *Cã. 30. in translat. Turria.*

¶ 43. *Iodoc. Coccius tom. 2 lib. 5. de bapt. art. 9.*

a *In cap. 4. Matt. & ho. 6. in Epist. ad Col.*
b *Lib. de Sacramen.*
c *Tract. 3. in Ioan.*
a *Lib. Sent. Aug. Sent. 342.*
b *In primã ad Cor. c. 9.*
c *3 p. q. 66. art. 1.*
d *Lib. 1. tit. 15, de sacr. vnct. c. 1.*

re, aut circa cor, & tandem chriſmatis oleo vngir in vertice, quia videlicet tribus quaſi præcipuis arietibus diabolus nos impetit, per luxuriam ſcilicet, auaritiam, & ſuperbiam, quæ Ioannes breuiter complexus eſt, dicēs: *Quicquid eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Et quidem luxuria, vt ſæpè annotauit Gregorius, in lumbis reſidet: auaritia autem in pectore, vbi corſitum eſt: ſuperbia verò in capite. Illas ergo corporis partes, quas præcipuè diabolus impetiturus eſt, vngit Eccleſia, quaſi nos ad bellum præparans, & aptans, vt ſicuti qui vngitur hoc ipſo luctam iam imminere profiteatur, ita qui baptizatur, hoc ipſo ſibi ſtadium ingrediendum indicat, vt cum dæmone luctetur, cuius varijs tentationibus exercitandus ſit, nunc ad luxum, & voluptatem, vt honeſtatem mulieris virginis, aut vxoratæ ſollicitet, & vt attendat conuerſationi mulierum, &c. nunc ad diuitias congregandas per vſuras, furtum, rapinam, fraudes, periuria, &c. nunc tandem ad nimium honoris affectum per contemptum proximi, nimiam ſui æſtimationem, appetitum dignitatis, vindictam iniuriæ, &c. Et fortè ijs alludere viſus eſt Apoſtolus, dicens: *Qui autem vnxit nos Deus, & ſignauit, & dedit nobis pignus Spiritus*: Vbi ſermonem de baptiſmo interſerit, iuxta Chryſoſtomum, Theophilactum, & Anſelmum, in quo duo hæc, quæ prædiximus inueniuntur, quod homo vngitur, & quod dato nomine deſignatur miles. *Vnxit*, inquit, *nos Deus* in baptiſmo, tanquam rege (ij enim, inquit Chryſoſtomus, cum inſtituebantur, vngebantur) vnctione diuinę gratiæ, quam exterior vnctio, quæ in corpore fit ſignificat: *& ſignauit*, vt nos faceret milites deſignatos, quibus in eodem baptiſmo characterem impreſſit, indelebile quidem ſignum. Et propterea in baptiſmo dat nomen, qui baptizatur, tanquam deſignatus miles, ad ſuſcipiendum bellum cum dæmone. Videtur Apoſtolus in primis alludere ad Chriſti baptiſma, in quo demonſtratus eſt vnctus abundantiſſima gratia Spiritus ſancti, qui in columbæ ſpecie requieuit in illo; & deſignatus eſt à Patre, & declaratus tanquam illius filius, pro nomine deſignatiuo, & demonſtratiuo: *Hic eſt filius meus dilectus &c.* qui propterea, *confeſtim aſcendens de aqua*, ad congrediendum cum diabolo *ductus eſt*. Vltus eſt idem alludere volume, ad illam Eliphaz Themanitis ſententiam communem: *Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo nō oritur dolor. Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Doloris nomine, quamcunque afflictionem, quam homo incurrit, intelligit. Si nihil in terra ſine cauſa fit, etiam circa formicas, circa paſſerculos, quorum nullus, vt dixit Chriſtus, cadit in terram ſine Patre veſtro, multo minus: quæ circa hominem fiunt, qui natus eſt ad laborem, ſicut auis ad volatum. In hebræo, dictio translata *auis*, eſt *Reſeph*, quæ vox ſignificat multa: ſignanter autem carbonem ardentem deſolantem, aut auem volantem, aut dæmonem, vt infra dicemus. Hæc auis poſita eſt ad volādum circa homines, quos ſuis tentationibus exerceat, & ad bellum prouocet, ideo namque in mundo diabolus relictus eſt. Neceſſarium eſt igitur, vt homo vitam laboriolam arripiat, quo nomine vitam militarē Scriptura intelligit, nullus enim maiori cum labore, & periculo vitam agit, quam qui militiæ intēdit, qui nec dormire quietè, nec ſtare, ſecurè, nec comedere ſine cura, nec aliquid facere ſine ſolerti vigilia poteſt. Naſcitur homo noua natiuitate per baptiſmum qui ſpiritualis regeneratio eſt. Non baptizatur, aut naſcitur vt oriatur, aut, vt ſe voluptatibus tradat, aut vt voluptatibus tradat, aut vt omnem curam deponat, ſed ad laborem, ad vitam militarem, quia in ſtadio poſita eſt auis, quo nomine Chriſtus dæmonem intellexit, qui eſt carbo quidam accenſus, pruna ardens, nihil aliud curans, niſi volatu ſuo inflammare, & ſuccendere. Ad hanc ergo vitam militarem naſcimur in baptiſmo, in quo propterea Deus ſignauit nos, & vnxit.

ē 1. *Ioan.* 2. 16.

Iob 5. 7.

Matth. 10. 29.

2. *Cor.* 1. 21.

In c. 2. *ſecunda ad Cor.*

Luc. 8. 33.

§. 12. *Efficaci ratione Samuel obligauit Saulem præliari contra inimicos Dei, ex eo quod ad hanc vnctus fuit à Deo in Regem.*

¶ 44. 1. Reg. 15. VIdetur insuper Apostolus, citatis verbis; *Qui autem vnxit nos Deus*, &c. alludere voluisse, ad illud, quod Samuel Propheta dixit ex Dei nomine Sauli. *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem. Nunc ergo audi vocem Domini.* Intellige, Amalec quondam contra Dominum bellum agere voluisse, seque contra eum extulisse, te autem vnctum esse a Deo in regem vt prælia eius suscipias, & contra illius inimicos pugnes. *Vade, ergo, & demolire Amalec.* Rectè illationis nota vtitur, quasi indicans, ex ijs, quæ Deus fecit, consequi manifestè, quod deberet pugnam contra Amalec suscipere. Si rex designaret quendam equitem in militem, ad singulare certamen, contra ipsius regis inimicum; ad hocque rex ipse propria manu eum armis muniret, galea, balthco, gladio, &c. hoc ipso quod eques armatum se, & designatum videret, intelligeret, necessarium esse proficisci, ad pugnandum cum inimico regis: neque enim signatur, armaturque miles, inquit Chrysostomus, vt sedeat, & requiescat. Hancque consequentiæ necessitatem indicat Samuel: *Misit me Deus, vt te vngerem*: ad hoc te Dei nomine, honore regio affeci, ad hoc regnum, & potentiam tibi tribuit ille, ad hoc populorum multitudinem tibi subiecit, vt contra eius inimicos prælium assumeres. *Nunc ergo audi vocem meam, vade, & demolire Amalec.* Maiorem tamen consequentiæ vim indicat Apostolus in nobis. Vnxit quidem Deus Saulem, non per seipsum, sed per manum Samuelis: at nos vnxit ipsemet Deus. *Qui autem vnxit nos Deus*, inquit Apostolus. Emphasim habet illud *Autem*, quasi dicat: Non Samuel, aut Propheta, aut Angelus: quamuis enim requiratur ministeri ad baptismum, tamen ipse Deus est, qui per Sacramentum præcipuè operatur: nam *ipse est, qui baptizat*, dixit Ioannes, tanquam præcipuus author baptismi, & eius effectus. Vngit, inquam, vnctione gratiæ, quæ dat nobis nobilitatem supremam, esse regium, & diuinum, quia gratia nihil est aliud, quã participatio diuinæ naturæ. Simul etiam homo spiritualia arma ibidem accipit, virtutes videlicet theologicas, & morales infusas, ac Spiritus sancti dona, quibus fortius homo armatus est, secundum animam, quibuscunque ferreis, ac æreis armis, secundum corpus armari potest à rege: & armatur certè totus homo, secundum intellectum, & voluntatem, irascibilem, & concupiscibilem, secundum partem superiorem, & inferiorem, erga omnia obiecta, & circa omnem materiam, vt videatur armatus circa omnẽ partem, quam diabolus potest impugnare. Certè ex hoc rectè sequitur, quod hoc ipso tenetur homo cum dæmone congredi, & bellum suscipere ad reuincendas, & profternendas omnes illius tentationes, & impugnationes. Et hoc est, quod Apostolus clamat: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum arma recipit miles, qui nullatenus congredi cum inimico curat; aut qui ea contra inimicum nunquam conuertit. Ad hoc arma cœlestia accepisti, fidem, per quam cum diabolus tibi res terrenas proposuerit illas despicias, & contemnas, cœlestia bona considerans, spem, per quam cum inimicus exposuerit tibi, esse difficilem virtutis viã, sperare valeas immobile regnum, pro quo labores libenter suscipias: charitatem, per quam proponente tibi dæmone rerum creatarum pulchritudinem, præponas Deum omnibus creaturis: iustitiam, per quam, cum hostis antiquus te ad aliquid iniustum prouocauerit, ei valide resistas. Ideirco, inquit Chrysostomus, arma accepisti, non vt ocieris, sed vt pugnes. Id insuper quod subdit Apostolus, quodque in

Hom. 5. in imperfecto. 2. Cor. 6. 1. ¶ 45. *Hom. 13. in Matth.* Ioan. 1. 33.

in baptiſmo fit: *Dedit nobis pignus Spiritus*, expendendum eſt: recõditũ enim continet myſterium. Et quidem nõ eſt dubiũ, Apoſtolum loqui de diuina gratia, quam Deus dicitur *dare*, quia non ex meritis eã confert, ſed ex mera ſua liberalitate, & voluntate, quæ etiam vocatur *pignus ſpiritus*, quia Spiritui ſancto tribuitur, eo quod Spiritus ſanctus amor eſt, vt ait Beatus Gregorius, & ex mero amore nullis meritis noſtris gratiam DEVS confert, quæ vocatur pignus, quia, vt egregiè explicat Diuus Thomas, gratia eſt pignus gloriæ: & nos facilè hoc ipſum poſſumus explicare ex eo, quod omnibus notum eſt, per gratiam Spiritus ſancti adoptari hominem in Dei filium: ideo dicitur pignus gloriæ, metaphora ſumpta à rege, qui filium alienum ſibi decreuit adoptare in filium. Illa namque adoptio, eſt pignus, firmamentum, fundamentum, & titulus, quo is, qui adoptatur, ius habet ad regnum adoptantis: qui non accipit quidem regnum in re, ſed tantum in ſpe, & radice. Similiter ergo baptizatus accipit gratiã Spiritus ſancti, quæ eſt pignus gloriæ, quia per illam adoptatur homo in Dei filium. *Videte* (inquit Ioannes) *qualem charitatem dedit nobis Pater*, id eſt, qui nobis ex mero ſuo amore nobis dederit, *vt filij Dei nominemur, & ſimus*. Quando homo adoptat aliquem in filium, verè quidem ei dat, vt filius ipſius nominetur: non tamen dare poteſt, vt verè ſit filius ipſius; quippe qui eũ nullatenus generat: at Deus, non tantum nobis concedit, vt filij ipſius dicamur, ſed vt verè eius filij ſimus: eſt enim gratia, iuxta veram theologiam, qualitas quædam & entitas nobis inhærens, & diuinum ſemen, per quod, naturam diuinam miro quodam ac ineffabili modo verè participamus. Hoc autem ipſo, quod filij ſumus, ius habemus ad hæreditatem ipſius, vt latè Apoſtolus proſequitur. Hanc autem hæreditatem gloriæ non accipit in re, qui iuſtificatur, ſed tantum in ſpe. Ex quo Apoſtolus inferendum reliquit, hoc ipſo eum teneri ad pugnam & bellum gerendum, luctamque peragendum cum dæmone, intelligens id, quod poſtea egregiè explicuit Auguſtinus, grauem quandam explicans quæſtionem. Noſtis, inquit, qui in ſchola Chriſti eruditi eſtis, Iacob ipſum eſſe, & Iſrael. Duo ſunt nomina, nam homo vnus fuit. Primum nomen Iacob, quando natus eſt accepit, quod interpretatur ſupplantator, quia plantam tenuit fratri ſuo, aut vt alij volunt, luctator, quia ponens manum ſub planta fratris, quaſi illius fundamenta concutiens, eum deiecit, & quaſi ſub planta ſua poſuit. Poſtea verò cum rediret de Meſopotamia, cum Angelo luctatus eſt, qui Dominum IESVM exprimebat, & audit ab eo: *Iam non vocaberis Iacob, ſed erit nomen tuum Iſrael*, id eſt, videns Deum. Ita perpetuò Auguſtinus interpretatur nomen Iſrael, ſignanter, & ex profeſſo libris de Ciuitate Dei, quamuis alij alio modo interpretentur. Hoc ſuppoſito, proponit Auguſtinus quæſtionem: Quid ſibi vult, quod commutatum eſt nomen Abrahæ, aui huius Iacob, nam & ipſe Abram vocabatur prius, & Deus mutauit illi nomen, & dixit: *Non vocaberis Abram, ſed Abraham*: & ex illo tempore, nunquam amplius eſt vocatus Abram. Quærite in ſcripturis, & videbitis, ſuperius antequam acciperet aliud nomen, non eſt vocatus, niſi Abram, poſtquam accepit, non eſt vocatus, niſi Abraham. Iſte autem Iacob, quando accepit aliud nomen, eadem verba audiuit: *Non vocaberis Iacob, ſed vocaberis Iſrael*: & nihil minus, ſemper etiam retinuit nomen Iacob. Reſpondet ſanctus Auguſtinus, id propterea factum eſſe, quia nomen Abrahæ in hoc ſeculo explicandum fuit, nam in hoc ſeculo factus eſt pater multarum gentium, vnde nomen accepit: nomen autem Iſrael, ad alterum ſeculum pertinet, vbi videbimus Deum clarè & manifeſtè. Quare populus Dei, inquit D. Auguſt. aut populus Chriſtianus, in hoc tempore, & Iacob eſt, & Iſrael, Iacob in re, Iſrael in ſpe. Etenim cum baptizatur homo, per quod fit Chriſtianus, gratiã accipit, per quam ad gloriam habet

Hom. 30. in Euang.

1. Ioã. 3. 1.

Rom. 8.

Ser. 40. de ver. Dom.

Gen. 25.

Gen. 38. & 35. 10.

Lib. 16. de ciuit. c. 39. ¶ 46.

Gen. 17. 5.

ius & pigaus, sed remanens in hoc mundo, semper retinet nomen Iacob, id est, luctatoris, quia luctam perpetuam gerere debet: imò quia ad Dei regnum vocatus est, Dei partes tenetur agere, & pro eius gloria fortiter dimicare, & vincere omnes tentationes, & impedimenta innumera, quæ diabolus apponit, ne ad gloriam, quam in spe possidet, perueniat. Ex hac doctrina, explicat Diuus Augustinus, petitionem illam: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quamuis enim multi contendant, hoc postulari, ne Deus nos ducat, quo tentari possimus, idque placuit aliquando eidem Augustino, vt infra dicemus, sed credit Augustinus hoc potius peti, ne Deus nos permittat, à tentationibus duci, aut illis consentire. Neque enim ita timere tentationes debemus, vt omnem congressum fugiamus: non enim bonus videretur miles, inquit Augustinus, qui electus, signatus, & vnctus à Rege peteret, ne vllatenus illum ad bellandum mitteret, aut permitteret congredi cum inimico. Non itaque Christianis deficere possunt tentationes, & bella, quos ad illa agenda Deus armauit. Rem concludamus, oculos conuertentes ad Christum Dominum, qui opere suo nos instruit, & dicere videtur illud, quod Deus ipsi Beato Iob conquerenti, cur permiserit, vt tam durum bellum diabolus contra eum ageret, postquam sub specie Leuiathan aut balænæ, eundem diabolum expressit, subdidit: *Pone ergo manum tuam super eum, memento belli, nec vltra addas loqui.* Ponere manum super eum, inquit Chrysostomus, non est dare manum ad amicitiæ signa edenda, aut dexteram porrigere in amoris signum, sed est congredi, percutere, ad manus venire, & superare: quasi dicat: Si tibi difficile videtur cum eo congredi, *memento*, inquit, *belli*; quod Chrysostomus, exponere videtur, quasi Deus voluerit ei in memoriam reuocare, quod ipsemet Iob prædixerat: *militia est vita hominis super terram*, alij legunt. *Tentatio est vita hominis super terram*: quasi dicat: Tumet ore proprio professus fuisti, quod hominis vita est militia perennis: nunc ergo tuo proprio ore adscriptus militiæ, nec vltra conqueraris, quod diabolus tecum pugnet. Philippus autem Diaconus intelligit, sermonem esse de bello, quod Christus cum diabolo gessit, quod Deus multo tempore antequam fieret, iam tanquam factum coram eius oculis proposuit, vt animos ei ad pugnam faceret, quasi dicat: *Memento*, mente reuolue, mentis oculos conuerte ad Dei filium, qui eo ipso quod mundo se manifestare parat, ad prælian-dum cum dæmone ductus est.

Libr. 2. de serm. Dom. in mõ. c. 14. & Epist. 121. ad Prob. c. 12.

In Catena.

Iob 7. 1.

§. 13. *Ex ipsamet baptismi natura, nascitur obligatio ad opera mortificationis, & virtutum, quæ sunt arma lucis, contra principem tenebrarum.*

SImili argumento rem totam concludit Hieronymus contra Iouinianũ. Filium, inquit, Dei tẽtare ausus est, & prima eius, & secunda sententia repercussus, nihilominus caput leuat, & tertiò vulneratus, *vsque ad tempus recedit*, differens magis tentationem, quã auferens, & nos nobis blandiemur de baptismate? Imo hoc ipso quod baptizati sumus, arripere debemus ieiunia, orationes, & vigilias, & alia pœnitentiæ, ac mortificationis opera, quia ex eo quod baptizati sumus ad cœlestem patriam ascendere incipimus, & si quis interrogauerit te, cur ieiunas, oras, vigilas? cur arma spiritualis pugnæ arripis, si iam baptizatus es, & in baptismo sunt omnia peccata dimissa? Respõdebis: Imò quia baptizatus sum, & ad cœlestẽ patria tendo, & ingressus illius mihi paret, hæc omnia facio. Mirũ est, quod narratur in libro Iosue: egressi filij Israel de Ægypto peruenerunt ad Iordanis fluuium, qui quasi ostium, ac vestibulum erat terræ promissionis.

¶ 47. *Libr. 2. cit. contr. Iou.*

Luc 4. 13.

Iosue 4.

Tunc

Tuncque per ſolius arcæ Dei virtutem abſque aliquo Iſraelitarum labore, aut defatigatione, Iordanis diuiſus eſt, & eis patuit tranſitus abſque impedimento, & abſque ſui labore poſiti ſunt, quaſi in atrijs terræ promiſſionis. Tunc ſumma lætitia afficiebantur, quaſi iam nihil reſtaret agendum, niſi intrare abſque aliqua defatigatione terram illam delitijs redundantem. Tunc vocauit Deus Ioſuè, dicens: *Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus* (vt omnium nomine iſti agant, quaſi omnes in eis, & per eos operentur) *& præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Præcipè, vt humeris ſuis lapides ſuperponant duriſſimos, & ex conſequenti grauiſſimos, quos deferant tota die, quoadusque tabernacula ad noctem ſint ad requiem componenda. *Et quando interrogauerint vos filij veſtri, dicentes, Quid ſibi volunt lapides iſti? Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini.* Nulli dubium eſt, Iordanem figuram baptiſmi tenuiſſe, in cuius aquis Chriſtus Dominus baptizatus eſt, baptiſmique Sacramentum inſtituit. Erat ſanè Iordanis oſtium terræ repromiſſæ, quem oportebat illum traijcere, qui terram promiſſionis erat ingreſſurus, & baptiſmus ianua eſt cœli, de quo dicit Chriſtus Dominus; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et iterum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et ſicuti Iordanis præbuit tranſitum Iſraelitis abſque eorum labore, per ſolam arcæ teſtamenti virtutem, ita in baptiſmo transfertur homo ab eſſe filij Adæ, ad eſſe filij Dei, & à deſerto infidelitatis, ad introitum, & atrium Regni cœlorum, per ſolam Chriſti Domini virtutem. Qui baptizatus eſt, lætari poteſt, videns ſe quaſi in atrijs cœleſtis terræ repromiſſæ conſtitutum, ſed non propterea intelligat, iam omnia à ſe præſtita fuiſſe, ex eo quòd iam ſibi peccata dimiſſa ſunt, in Dei filium eſt admiſſus, & accepit pignus gloriæ: quia potius ex ipſiuſmet Iordanis alueo debet duriſſimos lapides tollere, quos ſuperponat humeris ſuis. Lapides dari, opera ſunt virtutum, quibus carnem mortificamus, & duriſſimi vocantur, quia opera virtutum difficilia ſunt, & aſpera, ideò enim dicitur virtus à vi, vt dixit Ariſtoteles, ad iudicandum eius opera eſſe ardua & dura. Et ſi iis addamus, quod poſtea factum fuit, quando Dauid pugnaturus cum gigante illo feroci, lapides limpidiſſimos de torrente elegit, quos mittens in peram paſtoralem, ſuperpoſuit humeris ſuis, quia nihil ita ferocem gigantem deijcit, quam iactus lapidis, quem ſuper humeros ferimus, intelligemus opera pœnitentiæ, quæ carni noſtræ ſuperponimus, & opera virtutum, quæ carnem macerant, & ideò dura videntur, verè eſſe lapides, quibus dæmonem ſuperaturi ſumus, & eius frontem impetituri, vt infra dicemus. Huiuſmodi lapides extrahuntur ab ipſomet Iordanis alueo, quia ex eo ipſo quod baptizamur, & virtutes cœleſtes in eo recipimus, oritur, exercenda eſſe à nobis opera talium virtutum. Non enim in vanum, & otiosè virtutes ibi datæ ſunt, ſed vt per earum actus contra dæmonem pugnemus. Hoc ipſo quod baptizati ſumus, & per baptiſmum facti vocationis cœleſtis participes, debemus nos præparare ad talia bona conſequenda, quod quidem fit per opera virtutum, quæ deferenda ſunt tota die vſque ad noctem, id eſt, toto vitæ tempore, quoadusque corpus quod tabernaculum eſt animæ, componatur ad quietem, quod in morte eueniet. Itaque toto vitæ tempore à nobis virtutum opera ſunt agenda. Poteſt autem aliquis quærere, cur id faciamus: videtur enim homini baptizato, nihil iam ſupereſſe agendum, poſtquam eius peccata iam fuere in baptiſmo dimiſſa per Chriſtum, propter cuius paſſionem, & ſanguinem iam Pater æternus, *dedit nobis adoptionem filiorum, et eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filij*

Ioan. 3. 5.

Marc. vlt. 16.

¶ 48. *1. Reg. 17.*

ad Eph. 1. 5

filij dilectionis suæ in quo habemus remissionem præcedentium delictorum. Obseruant sanè doctores, inter baptismum Ioannis, & Christi, differentiam indicari, in eo quod Ioannes dixit: *Ego vos baptizo in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizabit in Spiritu sancto, & igne.* Baptismus enim Ioannis dicebatur, & erat baptismus in pœnitentiam, id est, qui non erat institutus ad dandam gratiam, sed ad instruendum, & mouendum homines ad pœnitentiam, per quã peccata dimitterentur: itaque qui illo baptismo Ioannis baptizabantur, eo ipso arripere debebant pœnitentiæ opera, & facere fructus dignos pœnitẽtiæ. Et idcircò baptismus ille semper vocatur baptismus pœnitentiæ, vel in pœnitentiam. At baptismus Christi dicitur in Spiritu sancto, & igne, quo ostẽditur eius efficacia, quia per Spiritum sanctum dimittuntur peccata, cuius virtute sordes animæ purgantur, non minus quàm scoria auri, & argenti virtute ignis, & illud sit, quod dixit Esaias: *Abluet Dominus maculas filiarum Sion, & sanguinem de medio eius, in spiritu ardoris.* Ideò post Christi baptismum non requiritur pœnitentia præcedentium delictorum, quamuis illa antecedere debeat, quãdo peccata actualia præcesserunt, de quibus dixit Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*: quia, & si pœnitentia baptismum præcedat, sed post baptismum nulla propter præcedentia delicta restat pœnitentia agenda, quia in baptismo omnia penitus peccata absumuntur. Cur ergo lapides ferendi sunt ab ijs, qui baptismi Iordanem traiecerunt? Respondebimus: Imò potius propterea virtutis opera grauia, & difficilia à nobis esse arripienda, quia defecerunt aquæ Iordanis, ante arcam fœderis Domini, quia scilicet in Baptismo per Christum Dominum, qui est arca fœderis Domini (*nam gratificauit nos in dilecto filio suo*, qui fœdus fecit, & *pacificauit omnia per sanguinem crucis eius*, qui verè dicitur *sanguis* fœderis, aut *noui testamenti*) defecerunt aquæ Iordanis, id est, peccatum originale, quod ab Adam tanquam à fonte defluit, cuius *aquæ intrant vsque ad animam*, & defecit dominium illud, quo potestatibus tenebrarum subdici tenebamur. Hoc ipso tenemur nos præparare ad resistendum eisdem, qui eo ipso quod nos vident sua potestate liberatos, acrius bellum contra nos mouent, vt iterum suæ subijciant seruituti: sicut Pharao, eo ipso quod vidit filios Israel egressos fuisse, & fugisse suæ dominationis imperium, validiori exercitu, & toto suę potentiæ agmine contra ipsos pugnaturus processit, quos propterea in magnas coniecit angustias, & in extremas cõiecisset, nisi illi toto corde ad Deum conuersi, suum fauorem fuissent consequuti. Quibus fortè alludere visus est Paulus, egregiam inferens consequentiam: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Quænam est huius illationis vis? Nobis colluctatio est cum principibus tenebraeum, vbi ergo tenebras excusserimus, iam non videtur, quod eos formidare debeamus, quippe qui iam eorum terminos excessimus. Sed oppositum inferendum est. Optimè sanè depingit Apostolus hominis baptizati statum: quem constituit, quasi in crepusculo diei, quando noctis tenebræ iam transierunt, sed nondum in plena, ac meridiana luce reponit, quin potius ad eam procedit, & tendit: baptizatus enim excussit tenebras peccati, lucemque fidei recipit, similem luci crepusculi, quia est cum in euidentia: positusque est, quasi iam progrediens ad plenam lucem in statu gloriæ recipiendam. His conueniunt, quæ excellenter more suo prosequitur Beatus Augustinus, expendens quod Apostolus dixit, quæ facta sunt in transitu maris rubri, in nostri figuram facta fuisse. Et postquam explicuit, quomodo populus ille captiuus sub Pharaone præsignabat homines dæmonis subiectione captiuos, & quomodo liberatio populi per Moysen significabat liberationem hominum per Christum, subdit. Liberatur populus ab Ægyptijs per Moysen, liberatur populus à præterita vita peccatorum per Christum. Transijt populus ille per mare rubrum, iste per baptismum. Moriuntur

Matt. 3. 11

Matt. 3. 11
Marc. 1. 4.
Luc 3. 3.
Act. 13. 24.
& 19 4.

Esa. 4. 4.

Act. 2. 38.
¶ 49.

Ephes. 1. 6.
ad Colos. 1. 20.

Psal 68. 2

Exod. 14.

Rom. 13. 12

In Psal. 72. in explic. tituli.

1. Cor. 10.

tur in mari rubro omnes inimici populi illius: moriuntur in baptiſmo omnia peccata noſtra. Intendite fratres. Poſt mare illud rubrum, non continuò patria datur, nec tanquam iam hoſtes deſint, ſecurè triumphatur, ſed reſtat eremi ſolitudo, reſtant hoſtes inſidiãtes in via. Sic, & poſt baptiſmum reſtat vita Chriſtiana in tentationibus. In illo eremo ſuſpirabatur patria promiſſa. Quid aliud Chriſtiani ſuſpirant, iam abluti in baptiſmo: nunquid iam regnãt cum Chriſto? Nondum ventum eſt ad terram promiſſionis noſtræ. Hoc audiãt omnes fideles, ſciant, vbi ſint. In eremo ſunt, patriam ſuſpirant. Mortui ſunt hoſtes in baptiſmo, ſed inſequentes à tergo. Quid eſt, inſequentes à tergo? Ante faciem, futura habemus, à tergo præterita. Omnia peccata præterita deleta ſunt in baptiſmo: quibus modo tentamur, non à tergo inſequuntur, ſed in via inſidiantur. Vnde Apoſtolus adhuc in via huius eremi conſtitutus, *Quæ retro*, inquit, *oblitus, ad ea quæ ante ſunt extentus, ſecundùm intentionem ſequor ad palmam ſuperna vocationis Dei.* Tanquam diceret: Ad patriam ſupernæ promiſſionis Dei. Et ibi iam fratres, in eremo, quicquid paſſus eſt populus ille, & quicquid Deus largitus eſt, ſignificationes ſunt rerum, quas in ſolitudine huius vitæ, ambulãtes in Chriſto, quærentes patriam, & accipimus ad conſolationem, & patimur ad probationem. Ita Auguſtinus. Similis eſt itaque baptizatus filijs Iſrael, qui poteſtate quidem Pharaonis iam erant egreſſi, & in terram promiſſionis ritè ordinati, & coram ea poſiti, ſed nondum ad eam introducti. Sicut ergo filij Iſrael in eo ſtatu conſtituti, quamuis iam egreſſi fuiſſent ciuitatem Pharaonis, acrius tamen bellum ipſius tunc experti ſunt, ita, & baptizatus intelligat, hoc ipſo quod egreſſus eſt à poteſtatibus tenebrarum, bellum durum, & fortè ſibi ab eiſdem manere; ideoque rectè infert Apoſtolus: *Induamur ergo arma lucis.* Vnicuique enim rei, per ſibi contraria reſiſtendum eſt. Dæmon eſt princeps tenebrarum, & arma eius ſunt opera tenebrarum, ad quæ nos excitat, ſcilicet luxus, comeſſationes, ebrietates, impudicitiæ, contentiones, &c. Quare, vt ei reſiſtamus, oportet, vt induamur arma lucis, id eſt, opera Sancta, ieiunium, orationem, mortificationemque. Et concludit Apoſtolus: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Induere perſonam alicuius, eſt ipſam repræſentare, & ſuis actionibus, & moribus illum exprimere, ſicut dicitur in Theatro quis induere perſonã Regis, aut militis: quaſi dicat: Videte quid fecit ſupremus Magiſter Chriſtus, & idipſum facere contendite. In illum oculos conuerrite, & quod fecit ille, quando baptizatus arma induit lucis, ieiunium, orationem, vigilias, vt vinceret diabolum, hoc ipſum vos agere oportet. Videndus eſt Beatus Auguſtinus, qui probat, non ſufficere quod Chriſtiani facti ſimus per baptiſmum, ſed potius hoc ipſo nomine excitari debere ad opera egregia, & id ipſum proſequens: Scire, inquit, debetis fratres, quoniam ideò Chriſtiani facti ſumus, vt ſemper de futuro ſeculo, & de æterno præmio cogitemus, & plus pro anima, quàm pro corpore laboremus, quoniam caro noſtra paucis annis erit in mundo, anima autem noſtra, ſi rectè agimus, ſine fine regnabit in cœlo.

ad Philip. 3. 13.

Ser. 205. de tempore.

Ser. 206. de tempore.

§. 14. *Chriſ-*

§. 14. *Christus primo vicit tentationes contra se, deinde cõtra alios excitatas, vt prædicatores Euangelicos similiter facere doceret.*

¶ 51. DVctus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Mirum est, cur Christus statim, ac Spiritus sanctus super eum descendit, ductus sit in desertum, & solitudinem, qui potius videbatur ducendus ad hominum maximam frequentiam, Venit namque in mundum, vt id ageret, quod per Prophetam prædixit: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt consolarer omnes lugentes Sion.* Multi sequentes Septuaginta legunt: *Cuius causa vnxit me* id est, Spiritus sanctus vnxit me ad hoc, vt veniam ad prædicandum pauperibus, ad liberandum captiuos, ad consolandum mœstos. Verba hæc (probat Beatus Irenæus) esse Christi, secundum quod homo erat, de radice Iesse: secundum enim hoc, inquit, requiescebat super eum Spiritus Dei, & vngebatur ad euangelizandum humilibus. Quibus verbis tres personas Sanctissimæ Trinitatis manifestè expressas, idem ipse comprobat, Patrem scilicet vngentem, & vnctum filium, & vnctionem, quo nomine Spiritus sanctus exprimitur. Quod, & Athanasius *a* similiter demonstrauit, alijque Sancti Patres. Hanc autem prophetiam tunc completam fuisse, idem Irenæus *b* ostendit, cum post baptismum descendit super eum in columbæ specie Spiritus sanctus, vt de plenitudine eius omnes acciperemus. Quod etiam Diuus Augustinus *c*, & Ambrosius *d* obseruarunt. Et vere ipsemet Christus id non obscurè testatus fuit *e*, qui post baptismum incipiẽs prædicare, in se ipso hanc prophetiam exhibere completam, dixit. Si ergo Spiritus sanctus descendit super eum, ad huiusmodi opera perficienda, videbatur post illius descensum, eò ducendum, quo posset illa præstare. Ad id autem, non locus aptus est solitudo, sed ciuitates populosæ, ad quas innumera hominum confluit multitudo. Quibus enim in solitudine prædicabit; quos ibi infirmos curabit; quos mœstos consolaturus est, vbi nullus mortalium commoratur? Dicendum est tamen ex D. Thomas, rectum ordinem tenuisse Christum, qui veniens euangelizare, annunciare, & prædicare humilibus, aut hominibus, aut pauperibus, prius prædicatores ipsos docere voluit, quam cæteros homines per illos instituendos. Docuit autem eos, qui procedunt ad liberandos à dæmonis potestate, tentationibus, & incursibus, oportere prius, vt ipsi in seipsis vincant tentationes proprias: quas diabolus contra eos excitat. Neque enim aptè vincet dæmonem agentem contra alium, nisi prius vicerit eum agentem contra se. Quomodo enim dæmonem immundum superabit in luxurioso, qui eidem per luxum miserè subiectus iacet? Quo pacto eum vincet in ambitioso, qui per inordinatum appetitum honoris, victus eidem succubuit? Qua ratione vincet in auaro illum, à quo per nimiam cupiditatem superatus captiuus tenetur? Propterea ille Dominus (inquit Augustinus) quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij iam victor accederet: nec enim nisi qui victor dæmonis erga seipsum euasit, debet ad eum vincendum contra alios agentem, procedere. Quibus conuenit visio illa Ioannis, quam Sanctus Rupertus Abbas mirè ad hoc instituendum expendit. Aderant circa thronum agni quatuor animalia plena oculis, quatuor facies habentia, hominis, leonis, vituli, & aquilæ: *Et audiui*, inquit, *vnum de quatuor animalibus, dicens: Veni, & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Quatuor hæc animalia circa agnum stantia, quatuor indicabant mysteria ad Christum pertinentia, quæ nulli Christiano nescire liceat, inquit Rupertus, quod, & simili-

Psa. 61. 1.

Lib. 3. cõt. har. c. 10.

Ibid. c. 20.

Ser. 64. de tempore.

Lib. 4. in Apoc. Apoc. 4. ¶ 52. Apoc. 6. 1.

3. q. p. q. 40 art. 1. & q. 41. art. 2. ad 1.

a Epist. ad Serapionẽ Episcopũ.
b Lib. 3. cõt. hæres. 10.
c Tract. 74 in Ioan.
d Lib. 4. in Lucam c. de testim. seri.
e Luc. 4. 21.

similiter multi alij senserunt authores Primasius *a*, Arethas *a*, Pannonius *a*, imò, & Beatus Hieronymus *b*, & Anastasius Synaita *c*. Christus enim carnem suscipiens offensus est homo, in morte vitulus, in resurrectione leo, in ascensione aquila, quibus omnia Christi mysteria clauduntur; quibus scribendis quatuor Euangelistæ statuti sunt, qui horum animalium facies induisse videntur, Matthæus, hominis, Marcus leonis, Lucas vituli, & Ioannes aquilæ, de quibus Sancti Patres latè agunt. Primum ergo Christi mysterium ostensum est, ad vocem primi animalis, quia Christum humanitate vera indutum, ingredientem mundum demonstrauit. Vidi inquit, ideſt, intellexi incarnationis mysterium, sic esse, velut equum, & sedentem super illum. Non enim erat homo tantum, aut Deus tantum, inquit Rupertus, sed homo simul, & Deus, in vnitate personæ coniunctus: nam quomodo equum, & super eum sedentem hominem, vnum equitem dicimus, sic hominem hunc, & inhabitantem Deum, vnum confitemur Christum (Rupertus hominem sumit pro humanitate) & huic homini, Deus multo coniunctior est, quam equo homo qui illi insidet: quia homo ex equo descendit, ab homine autem isto Deus, qui illum assumpsit, nunquam discedit. Et hunc equum, illud esse iumentum, de quo in parabola eius, qui incidit in latrones dictum est, quod ferebatur à Samaritano, qui vulneratum à latronibus, *Luc.* 10 34 *posuit super iumentum suum*, quia vt dixit Petrus, *qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit in corpore suo*. Idcirco equus albus dicitur, quia conceptus de virgine, nullum contraxit peccatum in suo ortu, nec illud aliqua ratione commisit. Ideò etiam *Apoc.* 19. ab eodem Ioanne iterum visus est eques iste, insidens equo albo, cuius equus, inquit Ambrosius, erat caro munda, aut corpus summum puritatis candorem habens, quod nulla peccati iniquinamenta cognouerat. Nec mirum: si enim Deus erat eques, qui illi equo humanitatis insidebat, ille ita voluntatem ipsam regebat, & gubernabat, vt quicquid faceret, sibi esset placitum, & ex consequenti rectum, & iustum. Ecce ergo equitem equo albo insidentem, CHRISTVM, in quo diuinum Verbum humanitate ferebatur. Habebat autem arcum in manu sua, cui datum est Euangelicam legem promulgare: missus est enim Euangelizare pauperibus, vt dictum est, cuius sagittæ erant illius verba, vt Diuus Augustinus aptè declarauit, de quibus Dauid: *Sagittæ*, inquit, *tuæ acutæ, populi sub te cadent*. Huiusmodi namque verbi sui sagittis, totum sibi subiecit orbem. Et rectè arcus nomine, doctrinam Euangelicam expressit, quam legitimus sagittator in manu sua tenere debet, priusquam sagittas in alios mittat: sicuti CHRISTVS, qui primò cœpit facere, vt deinde doceret. Data est autem ei corona, quæ ornamentum est regium: quia procedens ad prædicandum, *constitutus est Psal. 2. 6. Rex super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*. Ipse siquidem est princeps doctorum, & prædicatorum, imò author totius Euangelicæ legis, quam tanquam Rex supremus promulgauit. Hic eques egredi iam debebat ad mittendas sagittas Euangelicæ prædicationis: ipse est enim, qui seipsum sub seminatoris hieroglyphico expressit dicens: *Exijt qui seminat* (cuius ex officio proprio conuenit esse authorem, & præcipuum seminatorem) *semen suum*, Euangelicam legem, quæ illius proprium semen dicitur: de quo Petrus, nos esse *renatos*, clamat, *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei*. Iam ergo tempus inibat egrediendi ad prædicandum, quia *erat quasi annorum triginta*: tempus sanè ad tale ministerium opportunum. Iam egredi oportebat, ad iaciendas diuini sui verbi sagittas, quibus totum terrarum orbem sibi subijceret, quibus dæmones inhabitantes hominem, fugaret. *Exiuit* propterea primò *vincens, vt vinceret*. Hic primus exitus: egreditur vincens diabolum contra se agentem, vt vinceret eundē, totum humanū genus subijciē-

a In *c. 5. Apocal.*

b In *prooemio in quatuor Euang. c* *Lib. 4. in Hexaem.*

In Psal. 76. & in Psal. 119. *Psal. 44. 6.*

Luc. 8. 5. & 53. *1. Pet. 1. 23*

In Psal. 10. in illud, amplectuntur superme, &c.

tem:

tem: exiuit vincens, vt vinceret, inquit Rupertus, id est, exiuit primò ad vincendas suas in se tentationes, vt postea nostras in nobis superaret. Ipse est enim, qui in nobis, & per nos vincit, & 2.Cor.2.14 *triumphat*, vt dixit Apostolus, cui propterea gloria victoriæ debetur, vt alibi dicemus. Nemo (inquit ipsemet) ingreditur domum fortis, ad illius vasa, & arma occupanda, nisi prius ipsum fortem in se vicerit, & alligauerit. Eo namque deuicto, rectè ad ea sibi accipienda, quæ ille retinebat procedit. Erat mundus dæmonis domus, cuius propterea ille princeps dicebatur, cuius homines, tanquam propria vasa possidebat. Christus qui ad huiusmodi vasa ab illius possessione liberanda, sibique acquirenda egredi parabat, prius ipsum fortem vincere debebat, & alligare. Optimè ergo ab eodem spiritu, qui eum vnxit, & misit ad liberandos homines, & vincendum dæmonem in illis, prius eum duxit ad locum, in quo dæmonem vinceret in se, & alligaret. Nullus enim locus opportunior ad diabolum in seipso vincendum quam desertum, & solitudo (vt ex SS. Chrysostomo *a*, Thoma *b*, & Ambrosio *c*, alibi dicemus) qui solitarios per seipsum statim tentandos aggreditur: quomodo, & mulierem eo ipso quod solam in Paradiso vidit, tentandam assumpsit. Ad prædicandum igitur processurus Christus, primò exprimitur, insidens equo albo, & quod processit vincere tentationes, quæ erga seipsum erant, adhibitis orationis, ieiunij, vigiliarum ac mortificationum operibus, vt doceat prædicatores, quomodo procedere debeant ad vincendum dæmonem in alijs, qui antequam id agant, albedine puritatis debent nitere: nec enim prædicationis munus, inquit Diuus Thomas, assumere debet, nisi qui prius fuerit purgatus, & Psal.49.16 in virtute ita perfectus, vt eius animæ puritas omnibus possit esse conspicua: Nam *peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Bene ei qui insidet equo albo, datur arcus Euangelicæ prædicationis: infirmas nàque sagittas mittet, qui peccatorum infirmitate debilis est, & leuiter contra dæmonem pugnabit, ex aliorum cordibus eijciendum, quem cordi suo dominantem sustinet. Commune satis est dictum apud eos, qui equorum mores pertractant, colorem album infirmitatem, & debilitatem significare, qui propterea equos albos iudicant debiles, ac viribus carentes. Cæterum in spirituali militia, quam contra diabolum prædicatores gerunt, hæc præcipua est fortitudinis ac roboris origo, albedo, aut candor, quo vitæ munditia designatur; nihil enim ita fortem prædicatorem reddit, quam excellenti cognitaque vitæ sanctitate, & candore fulgere. Oportet insuper, vt egrediatur vincens proprias tentationes, vt excitatas contra alios à dæmone, vincat. Egredietur autem ad suas tentationes vincendas, si procedat, sicuti Christus, muniens se ieiunijs, vigilijs, ac duris mortificationis operibus, vt dicemus. Ex quibus Diuus Thomas, difficultatem soluit: cur Christus Dominus statim post baptismum, tam asperam vitam arripuerit, tam durum ieiunium, tam rigidâ mortificationem, quadraginta dierum, & noctium. Non enim videbatur congruum, illum qui omnium erat magister, & omnibus tanquam exemplar proponebatur, vitam talem arripere, quam omnes non posset imitari. Respondet namque, Christum extitisse quidem omnium Magistrum, sed primum voluisse prædicatores, & magistros instruere, quos hoc ipso docet, tunc aptos se iudicare posse ad prædicationis munus exercendum, quando carnem edomuerint vigilijs, ac ieiunijs, vt dicere possint illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Expendit ad hoc institutum Beatus Gregorius factum illud Gedeonis, qui volens Madianitarum immensam multitudinem euincere, ex Dei præscripto elegit trecentos milites designatos, quibus iniunxit, vt vna manu lagunculam vacuam, intra quam esset lampas, aut tibia accensus, in alia tubam deferrent: quibus dixit: *Quod me videritis facere, hoc*

¶ 54. 3.p.citat.

a Hom.13. in Matth.
b 3.p.q.41. art.2.
c Lib.4. in Luc. cap. de ductu Iesu.

3.p.q.41.a.3.ad 1.

1.Cor 9.27

Li 30 mor. c.32.& 33 iud.7.

hoc facite. Ipſe verò prius lagunculam contriuit, ac confregit, ſicque lux, quæ latebat, apparuit, moxque ad perſonandum, & clangendum buccina ſe conuertit. Quod cum ſimiliter milites facerent, glorioſam victoriam de inimicis reportarunt, quos perterritos conuerterunt in fugam. Quæ ſtatim latius ſunt à nobis pertractanda, tantummodo nunc ex Beato Gregorio annoto, Gedeonem tenuiſſe expreſſum Chriſti typum. Hic venit deſignatus dux à Deo contra inimicas dæmonum poteſtates, qui, & deſignatos milites elegit, Apoſtolos ſcilicet, quos peculiariter *per Spiritum ſanctum*, præcedente longa prolixaque oratione, *elegit*, alioſque prædicatores, ſucceſſores illorum. Neque enim omnes apti ſunt ad huiuſmodi militiam agendam, vt ex profeſſo Beatus Gregorius Nazianzenus *a*, & Sanctus Cyprianus *b*, demonſtraruut. Illis autem hoc iniungit, & imponit, vt contra dæmones totis viribus agant. Prælandi tamen formam prius in ſemetipſo exprimere voluit. Cum enim tempus inſtaret, quo bellum per prædicationem ſuam diabolo inferre aggrediebatur, ipſe primò conterit lagunculam carnis, & corporis ſui, quod macerat, & quaſi conficit valido ieiunio, aſperis vigilijs, & duris mortificationis operibus, ſicque omnibus ſuum ſpiritum, nitidum, mundum, omni ſorde carentem oſtendit; id enim lucerna lampadis, aut ritio ardens exprimebat. Tunc egregiè ſe contulit ad clangendum buccina Euangelicæ prædicationis. Hoc quidem egit, non quod huiuſmodi operibus ad ſui purgationem, & purificationem egeret, qui cœlis omnibus, & ſtellis mundior erat, ſed vt doceret prædicatores, quibus dicit: Quod me facere videritis, hoc facite. Hi namque ita ad bellum procedere debent, vt primò conuertant manum ad lagunculam conterendam, id eſt, ad carnem ſuam mortificandam, caſtigandam, & purificandam, per opera pœnitentiæ, & mortificationis, ſicque animum oſtendant ignitum, id eſt, omnium peccatorum ſordibus purgatum, ſplendenti luce fulgentem. Tunc aptè poterunt clangere buccina, & tuba Euangelicæ prædicationis perſonare: ſic enim omnes dæmonum arces ſuperabunt, & in fugam conuertent. Ita ille prædicatorum eximius fecit, qui, vt diximus, intonat: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c.* Ita, & excellentiſſimus ille preco Ioannes, de quo prius Euangeliſta præmittit, quomodo ſui corporis lagenam confregerit, ac contriuerit, tam inauditis duræ pœnitentiæ operibus, cuius tam aſperum fuit ieiunium, vt benè de eo dixerit Chriſtus, quod venit, *non manducans, neque bibens*, quod Spiritum ſuum omnium oculis expoſuit, lucentem, ardentem, nitidum, purgatum, & viderunt, quod *erat lucerna ardens, & lucens*: ſicque proceſſit ad clangendum buccina, illaque terrifica voce perſonare, qua duriores ferro, contremiſcere faciebat, & tam inſignem victoriam reportauit, qualem ipſemet Euangeliſta facer ſubijcit: nam exibat ad eum omnis Ieroſolyma, & Phariſæi, & milites, &c. Hæc omnia conſiderans Sanctus Cyprianus deplorat ſui temporis calamitatem, & verius ac rationabilius noſtræ ætatis poſſemus lugere miſeriam. Inueniuntur, inquit, præpoſiti innumerabiles, qui ieiunia, & orationes nec digito mouent. Venerunt periculoſa tempora, quæ prædixit Apoſtolus, in quibus *ſunt voluptatum amatores, magis quam Dei, ſpeciem habentes pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Rarò inueniuntur illi fortes Iſrael, quos cœleſtis Sponſus deſcribit: *Ecce* inquit, *lectulum Salomonis ſexaginta fortes cuſtodiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vnuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum*. Quidam cenſent, verè Salomonem habuiſſe lectulum, in quo peculiariter quieſceret, intelligendumque illum, qui omnia habuit magnifica, & opulenta, lectum habuiſſe miris excellentibuſque ornamentis extructum, quem vt quieſceret ſine timore cingebant ſexaginta milites fortiſſimi, cuſtodientes illum. Cæterum Sanctus Gregorius Nyſſenus credit, nullatenus de materiali Salomonis lecto intelligi poſſe, cuius

Actor. 1. *Luc. 6.* ¶ 15. *1. Cor. 9. 19* *Matt. 11. 18.* *Ioan. 5. 35.* *Libr. de ieiun. & tent. Chriſti.* *Cant. 3. 7.* *Soto in 4. & alij.* *Hom. 6. in Cant.*

a *In Apolo. de fuga ſua*
b *Li. de ieiu. & tent. Chriſti.*

cuius nunquam meminit Scripturæ ſacræ hiſtoria, de Salomone agens, cuius regnum, menſam, domum, & reliquum in regno apparatum, totiuſque vitæ formam diligentiſſimè, & accuratiſſimè deſcripſit. Propterea, quod dixit, nouum quidpiam, & alienum delecto, neceſſe eſt, expoſitionem non manere in litera, ſed aliquam accuratiorem comprehendere intelligentiam, mente abducta à materiali ſignificatione ad ſpiritualem verbi contemplationem. Quis enim lecti nuptialis fuerit ornatus, ex ſexaginta armatis? Quis, quæ belli ſunt terribilia? Quis ornatus eſt enſis, quo accinctum eſt corpus? Quid verò eſt, qui circa eos ſtupor nocturnus? Quis vnquam nuptialem thalamum ita præparauit? Eſt ergo omninò per hæc verba quærendus ſenſus conſentaneus, ac conſequens ijs, quæ inſtituto ſunt accommodata. Ita Nyſſenus. Sed ſiue ſecundum litteram nullus lectulus ſit, niſi ſpiritualis, ſiue ſecundum ſpiritum, lectulus materialis Salomonis ſpiritualem Chriſti lectulum exprimat, parum refert: certum eſt enim, ſicut Salomonis nomine exprimitur Chriſtus, ita lectuli nomine, in quo requieſcit, Eccleſiam eſſe præfiguratam. Hæc eſt, in qua Salomon cœleſtis Sponſus ita quieſcit, vt nunquam ab ea ſe moueat, dicente ipſo: *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem*, & Dauide prædicente: *Deus in medio eius non mouebitur*. Non quieſcit (inquit Auguſtinus) in congregatione Donati, aut in ſchola Platonis, vel alicuius alterius Philoſophi, ſed in Eccleſia ſua, quam lectulum appellat, propterea quod angusta, breuiſque fuit in ſui exordio, & ſemper eſt illius maieſtati breuiſſima. Ad eius cuſtodiam adhibuit fortes Iſrael, validos luctatores, non enim cœleſti ſponſo placent milites effœminati, molles, imbecilles, aut diſcincti, quibus grauiſſimum prælium committitur, defendere ſcilicet lectum *à timoribus nocturnis*, id eſt, ab Angelis noctis, & tenebrarum, qui noctibus ſolent validius impugnare, vt alibi dicemus. Vnde, & Chaldæus tranſtulit: *A ſpiritibus nociuis, & dæmonibus, qui ambulant in nocte*. Vt hos vincat, lectuloque ſuo exulare faciat, ponit milites ſelectos, fortes, *doctiſſimos, ad bella*, non ad vnum bellum tantum, ſed ad omnia bellorum genera, quæ dæmones mouere poſſunt. Quorum typo prædicatores, & doctores Sancti exprimuntur, quibus peculiariter hoc commiſſum eſt, Eccleſiam à dæmonibus, & eorum miniſtris, hæreticis ſcilicet, & impijs, defendere, vt Beatus Auguſtinus egregiè proſecutus fuit. Vt autem id præſtent, modum quem tenent expreſſit, dicens: *Omnes tenentes gladios*. Regia legit: *Omnes ipſi apprehenſi gladio*: quo etiam modo legit Brixianus. Quibus verbis ſignificat, quod illi, prius gladium in ſe conuertebant, & illo continebantur, & transfigebantur, quem in alios conuerſuri erant. Quod clarius exprimitur, in eo quod ſubditur: *Vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum*. Reuera namque (inquit Gregorius Nyſſenus hæc verba expendens) vt rectè bellum geratur, oportet carni, & ſanguini, tanquam fœmori enſem habere accommodum: omninò enim intelligitis, qui Scripturæ ſacræ ænigmatum non eſt ignarus, quod gladius eſt verbum Dei, de quo Paulus: *Accipite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*. Et iterum: *Viuus eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Fœmur autem, voluptates carnis, aut carnem ipſam exprimit. Vnde, & Abraham, volens Chriſtum ex carne ſua deſcenſurum annotare, iuſſit vt Eliezer, cum ad quærendam ſponſam filio ſuo Iſaac procedebat, iuraret, manu fœmori ſuo impoſita. Qui ergo timores nocturnos, aut dæmonum incurſus impetentes fideles, vult ſuperare, prius tanquam ſapiens bellator, aut doctiſſimus, ad prælium, gladium debet contra ſeipſum conuertere, quo refecet ſuos inordinatos motus, quo ſeipſum ſub regula totius virtutis contineat: illum ponat ſuper fœmur ſuum, id eſt, carnem ſuam mortificet, quam gladio diuinæ doctrinæ transfigat, & motus illos inordinatos comprimat. Qui enim prius

Matt. 28. 20. *Pſal. 45. 6.* ¶ 56. *Lib. 2. cōt. Iulia. c 10. & vlt.* *In arca. cō. 1. fol. 17. col. 4.* *Epheſ. 5. 17* *Hebr. 4. 12.* *Gen. 24. 2.*

Quæ enim prius in seipsum agit, & huiusmodi dæmonis incursus in se concitatos vincit, aptè poterit ad eos expellendos procedere, quos contra cæteros excitat. Longo discursu prosequitur Gregorius ostendens, illum qui alios docturus est, oportere primo se ipsum firmum in virtute constituere: arbusta enim plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt: at si semel radicem fixerint, manus tangit, & tamen nihil officit: venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt: & constructi parietes, si impellantur eruuntur, nisi fuerint prius à suo humore siccati, &c. Videndus est Beatus Chrysostomus explicans, quam aptè CHRISTVS eos magnos futuros prædixit, qui fecerint, & docuerint: antequam enim doceant alios, oportet in se ipsis ea facere, quibus se ipsos ad illud aptos exhibeant: id etiam expendens, quod iustè Paulus in eum inuehitur, *qui docent alios: seipsum non prius docet:* ex quo tandem progreditur ad demonstrandum, illum rectè dispositum esse ad prædicandum alijs ieiunium, qui prius illud tenuit, & illum idoneum ad inducendam in alijs deuotionem, qui prius orationi intentus, veram tenere deuotionem, in seipso demonstrauit.

Hom. 2. in Ezech.

Ho. 72. ad popul.

Rom. 2. 21.

§. 15. *Deus homines ducit, vt tententur, quo virtus diuini Spiritus fiat manifesta, qua qui muniuntur, supremas mundi potestates facilè possunt superare.*

¶ 57.

DVctus est Iesus in desertum à Spiritu, *vt tentaretur à diabolo*. Admiratione dignum est, quod Spiritus sanctus ducat hominem in desertum, quasi in stadium, vt tententur à dæmone: Deus enim, non solum non est tentationum author, vt dixit Sanctus Iacobus, *& nominem tentat*, sed nec videtur eius bonitati congruum, vt hominem ducat ad locum, in quo tentetur: & multò minus, quod ducat eum, vt tententur. Tentatio namque est cũ periculo, quod (vt dixit B. Cyprianus *a*, & ex eodẽ obseruauit S. Augustinus *b*) quiuis propter humanam fragilitatem debet timere, quia facilè succũbimus, vt experientia ipsa cõpertum est. Quis pius pater, filium ad eum locum ducit, in quo facilè à vipera, vel leone possit impeti? & quis vnquam eundẽ, eo animo in cãpum tulit, vt ibi expectaret rugientem leonem, aut sibilãtem serpentem, vt cum eis congrediatur, cum ingenti vitæ periculo? Vnde docuit Christus Dominus, vt ad cœlestem Patrem orantes diceremus: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Quam petitionem ita quidam exponunt, vt petamus, non solum ne vincamur à tentationibus, & ducamur in eum finem, quem per eas diabolus intendit, sed etiam, ne ducamur in occasionem, qua tentemur; ita explicare videtur Tertullianus *a*. Ita & D. Cyprianus *b*, qui legit; *Ne patiaris induci nos in tentationem*, id est, duci in occasionem, vel locum vbi diabolus tentationes contra nos excitet, quam lectionem in pluribus exemplaribus haberi demonstrat Pamelius *c*, & sæpè illam retinuisse Cyprianum, docuit Sanctus Augustinus *d*: qui etiam illam sequitur *e*, lectionem, quæ multis est cõmunis, *ne nos inferas in tentationem*,

Iacob. 1. 13

a Lib. de orat. Dom.
b Lib. de do ao perseu. cap. 6.

Mat. 6. 13.

a Lib. de orat. cap. 8.
b Lib. de orat. Dom.
c In li Cypri. de orat.
d Li. de do no perseuer. ca 6.
e Epist. 121 ad Probã.

nem, id est, ne feras nos, vbi tentationem inueniamus. Ita explicare videtur
a *Ho 20. in Mat. et 14. in imperf. & ho 5. in epi. ad Hebr.* Chrysostomus *a* & Euthymius *b*: nostræ enim infirmitatis memores, timemus pericula, & ideo oramus, vt Deus non ducat nos, nec permittat, vt in illa loca feramur. Et rectè statim subiungimus: *Sed libera nos à malo*. Mali nomine diabolum multi intelligunt, Tertullianus *c*, Chrysostomus *d*, Chrysologus *e*, Gregorius Nissenus *f*. Theophylactus *g*, & Euthymius *h*: & videtur manifestè comprobari ex nomine Græco, quod cum articulo ponitur, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quasi dicat: Ab illo supremo infignique malo, quod nomen malignum significat, quo & vsus fuit CHRISTVS in parabola sementis *i*: *Venit*, inquit, *malus, & rapit quod seminatum est in corde eius*: quam sententiam clarius posuit Lucas *k*: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum*: quo eodem nomine vsus est Ioannes *k*: *Cain ex maligno erat* in Græco, τοῦ πονηροῦ. Ideoq; frequentissimum est apud Tertullianum *l*, vocare diabolum, Malum, absolutè, vt eius Scholiastes *m*, annotauit. Petimus ergo omninò liberari ab illo insigni maligno, qui totius malignitatis caput est, & principium, ne nos vincat, aut superet, aut verò nos tangat, vel impugnet suis tentationibus, ita quod omninò liberi ab eo remaneamus. Duplex ergo hæresis duplici hac petitione infringitur. Quidam hæretici dicunt, hominem baptizatum non posse tentari, vt Ioannianus, & eius sectatores, quos supra ex Hieronymo retulimus: alij dicūt, posse quidem tentari, sed & per vires suas posse ab omnibus malignis tentationibus liberari, vt de Pelagianis refert Augustinus. Duarum istarū hæresum falsitatem, duplex ista petitio demonstrat: vt enim Augustinus, Cypriani explicans, docuit, vt tutiores simus, summè Deum oramus, quod nec ducamur in tentationem, quia infirmitatē nostram timemus, & quod liberemur à maligno, si contigerit nos ab illo tentari. Si ergo tam periculosæ sunt tentationes, & Christus Dominus nos docuit petere, ne ducamur, vbi eas patiamur, cur Spiritus Christum ducit ad desertum, non solum vbi tentetur, sed vt tentetur à Diabolo? Ducit quidem Spiritus sanctus, sed in terram rectam: *Spiritus tuus Domine, deducet me in terram rectam*. Quod autem ad tentationes ducat, mirabile est. Dicendum est tamen, optimo consilio Christum ductum à Spiritu sancto in desertum post baptismum, in quo declaratus est Filius Dei, ad ostendendum (vt ait Chrysostomus *a*, quem refert, & sequitur Diuus Thomas *b*) nō esse inutiles tentationes, quibus diabolus nos impugnat, sed vtilissimas potius, ad quas propterea ducit Spiritus sanctus eos, quos in Dei filios per gratiam adoptat, & quos ille inhabitat, de quibus dixit Apostolus, quod *Spiritu Dei aguntur*, proculdubio ad tentationes, quas vincant, sicuti & Christus, de quo dixit Lucas, quod *agebatur à Spiritu in desertum*, vt tentaretur, & Marcus, quod *expulit eū Spiritus in desertum*. Primò, quidē vtiles sunt ad Dei gloriam, qui tali Spiritu viuificat filios suos, talibusq; armis eos mouit, vt quamuis in se sint puluis & cinis, possint nihilominus ipsius virtute, non solum *cum carne, & sanguine, sed cum munai rectoribus, & principibus tenebrarum harum colluctari*. Qui arma facit ad examen, aut periculū, *Haze armas à prueua*, eo ipso quod illa perfecit, tradit examinanda, & probanda, & exponit ictibus aduersarij, vt ostendatur artificis peritia, qui ita ferrum aut æs contemperauit, & tanta firmitate roborauit, vt nullo aduersarij ictu concutiantur. Deus hoc ipso, quod opus aliquod facit, statim illud examinari vult, & periculo, & examini subijcit; vt constet, illud non fucata, & apparenti solum consistentia subsistere, sed firma, ac vera subsistentia constare. Ita in rerum creatione, cum primum lucem produxit, statim illum examini subijcere voluit, & idcircò, quasi omni ex parte circumspiciens; *Vidit lucem, quod esset bona*. Similiter cum arbores, ac plantas, animaliaque produxit, examinare illa videbatur, dum omnia omni ex parte, postquam

b *In cap. 6. Matth.*
c *Li. de fuga in perse cut. et li. de orat.*
d *Hom 20. in Matth.*
e *Serm. 70*
f *Li de oratio. hom. 5. ad fin.*
g *In cap. 6. Matth.*
h *Mat. 13. 19.*
i *Cap. 8. 12*
k *1. Ioā. 3. 12.*
l *Li. de pœnit. c. 5 lib. de patient. cap. 11. de cultu fœmina cap 5.*
m *Pam. eodē loco.*

Epist. 94.

Li. de dono perseuer. cap. 6.

Ps 142. 10 ¶ 58.

a *Ho. 5. in imperf.*
b *3. p. q. 41. ar. 2. ad 2.*

Rom 8. 14.

Luc. 4. 1.

Mar. 1. 12

Ephes. 12.

Gen 1. 4.

quam illa produxerat, circumspiciebat, & videbat esse bona. Imò, & in eiusdem mundi reparatione, id ipsum strictius voluit obseruare: statim enim, ac primum illud miraculum operatus est, quo aquam in vinum conuertit, tradidit opus alijs examinandum, vt appareret, non vinum phantasticum illud fuisse, sed verum, & optimum, & ideo præcipit, dicens: *Ioan.2.8.* *Haurite nunc, & ferte architriclino*, vt ille re examinata, diceret: *Bonum vinum, &c.* Similiter, quando paralytico in porticu iuxta piscinam iacenti, salutem contulit, vt ostenderet il- *Ioan.5.12.* lam veram, ac firmam: *Surge*, inquit, *& tolle lectum tuum, & ambula*, quod idem præstitit erga alium paralyti- *Luc.5.18.* cum, quem in grabbato, *per tectum submiserunt, & coram illo posuerunt*. Cum insuper puellam suscitauit, voluit veram vitam, quam illi tribuerat, *Marc.5.43* examinare, præcipiens, vt *darent illi manducare*, comestio namque opus vitæ est: & cum suscitauit Lazarum, vt vita vera comprobaretur, quam *Ioan.11.44* restituerat illi, *Soluite*, inquit, *& sinite eum abire*, quasi suspecta namque esset salus, aut vita quam non examini ¶ 59. subiecisset. In baptismo igitur, aut cum homo iustificatur, dat illi Deus Spiritum suum sanctum, per cuius gratiam nouum esse accipit diuinum: vires itidem diuinas eiusdem dono recipit, superiores omnibus viribus infernorum. Oportet ergo, vt hoc ipso periculum fiat, vt constet armorum vis; & efficacia, & eorundem firmitas, ac fortitudo. Itaque non ducit Spiritus hominem ad tentationes inermem, & armis spoliatum, aut illum relinquens nudum ictibus inimici, quin potius eundem associat, & comitatur, vires submistrans, quibus possit omnes tentationes etiam supremarum potestatum reuincere. Magna est enim, & immensa, ac inuincibilis secundum se Spiritus sancti virtus, quasi homo munitus fuerit, potest in arenam cum toto inferni agmine descendere, illudque superabit. Vide *Exod.2.14* Moysen primum, adeò infirmum, & *15.* timore percitum, vt formidans Pharaonem, fugam arripuerit, totam eius ditionem relinquens, & in deserto Madian se recipiens: postea verò tanta fortitudine præstantem, vt non timuerit alterius durioris, & superbioris Pharaonis vultum, *nec veritus eius animositatem*, coram eo se præsentem exhibens, grauissimis plagis eum impetebat, quem tanquam canem flagellis castigabat, & tandem illum, ac totum eius exercitum virgæ solius extensione glorioſissimè superauit. Quis hominem infirmum, tam validum præstitit? Certè Spiritus Dei, qui *intrauit*, inquit, *in animam serui Dei, & stetit contra reges horrendos, in portentis, & signis*. Expende vim illius verbi, *Stetit*: firmus mansit, immotus, impauidus, nullo timore cadens. Itidem, & illud, *Contra reges horrendos*: non contra homines infirmos, aut imbecilles, sed contra reges horrendos, qualis erat Pharao, eiusque consiliarij, & magnates, qui horrenda tyrannide oppressérant Dei populum. Ex his liquida manet differentia, inter baptismum Ioannis, & baptismum Christi, quam cæci hæretici, nostri præsertim temporis, agnoscere nolunt, quantumcunque Ioannes eam apertissimè declarauerit, dicens: *Veniet fortior me post me, &c. Ego baptizo in aqua, ille baptizabit vos in Spiritu S. & igne.* Quibus verbis virtutem, ac fortitudinem Christi, superiorem virtute ipsius Ioannis, Ioannes ipse demonstrat. Baptismus enim Ioannis, nullam præstabat virtutem, aut gratiam spiritualem, aut animi fortitudinem, vel robur: at baptismus Christi dicitur, *in Spiritu sancto*: qui ab Isaia vocatur: *Spiritus robustorum*, quia roborat hominē, & fortissimū reddit: quē Ioannes ignē appellat. Hæretici, Seleuciani, & Hermiani; ita vocati ab hæresiarchis Galatis, Seleuco, & Hermia, credebant propter hæc Ioannis verba, baptismum Christi dandum in igne, & ita suos in igne baptizabant: & fortè vt annotat Ianſenius, in detestationem huius erroris, à quibusdā Græcis codicibus ablatum fuit illud; & *igne*; sed certè idem est, *in Spiritu sancto, & igne*, ac si dicat. In Spiritu sancto, qui est ignis, tum quia Spiritus sanctus sæpè

Matt 3 11

Isai.25.4.

in igne fuit antiquitus adumbratus, & Christus Dominus eum vocauit ignē,
Luc. 12 49 dicens: *Ignem veni mittere in terram*, & in ignis specie postea demonstratus
Actor. 2. 3. est, quando Apostolos repleuit: & meritò, quia virtus Spiritus Spiritus sancti nobis fit manifesta ex igne, nam totum hominem accendit, mutat, sordes peccatorum exurit, tenebras fugat, & ad virtutis opera hominem.
¶ 60. Mirum est enim, quanta vi, ac celeritate ignis moueat, id quod occupat. Videmus globum ferreum, aut plumbeum, quod per se non potest moueri, imò, nec a balio nisi maxima cum difficultate, quod tamen si inualerit parua ignis scintilla, aut breuis flamma impulerit, in bombarda, aut catapulta, tanta vi, & agilitate mouetur, vt turres fortissimas concutiat, ædificia excelsa diruat, & pauorem suo strepitu excitet, vt nullus ei se opponere valeat. Hoc ipsum præstat Spiritus sanctus, qui ignis est validissimus. Quid namque Apostoli nisi ferrum, aut plumbum graue, quod nullatenus poterit moueri, aut aliquid agere? Iacebant homines infirmi, indocti, idiotæ, imbecilles, tam exigua virtute, vt non solum omnes fugerint ad conspectum eorum, qui processerunt ad capiendum Christum, sed ad vnius mulierculæ vocem, eorum princeps miserè fuerit deiectus: descendit tamen postea huius diuini ignis
Actor. 2. 3. scintilla super eos: *Apparuerunt enim dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit-que supra singulos eorum Spiritus sanctus*, & tam validi, ac fortes redditi sunt illius virtute, vt nec Iudæorum rabies, nec principum potentia, nec Romani Imperij suprema fortitudo, eos potuerit deijcere; quin potius de omnibus insignem triumphum reportarunt. Qua agilitate per orbem vniuersum discurrerunt? illos enim huius cœlestis ignis virtus rapiebat, expellebat, agebat, vt ficuti electrum
Ezech. 1. illud, quod vidit Ezechiel, quamuis
Hom 2 in Eze & 28 moral. c. 2. ad finem. in se esset graue, quippe quod metallum erat ex auro, argentoque compactum, vt Diuus Gregorius annotauit, sed summa celeritate huc, illucque discurrebat, vt vocaretur, *Visio discurrēs*, quia ab igne, quo inuolutum erat, agebatur. Idcirco vt idem annotauit Gregorius, vocati sunt à Deo fulgura: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt?* Fulguris enim materia, vilis est, & nullius actiuitatis, vapor scilicet crassus, terreus, ac siccus, qui nulla in se fulget claritate, quin potius atrum in nube refert colorem; succensus tamen ignis virtute, quasi in chalybem conuertitur, splendoribus emicat clarissimis, & tanta rapitur vi, vt omnia quæ sibi opponuntur concutiat, & dissipet, & quasi ad nihilum redigat. Huius ignis virtus in Paulo apparuit, qui tam validum seipsum sentiebat, vt totum orbem in certamē vocaret. *Quis* inquit, *nos separabit* Rom. 8. 35. *à charitate Christi? tribulatio, an angustia, &c.? certus sum, quia, neque mors, neque vita, neque Angeli neque Potestates, neque Virtutes.* Colliges hinc, quam parum fis huius diuini Spiritus particeps, qui tantam in te ipso conspicis imbecillitatem, vt ad impetum cuiusuis cōtra te agentis cadas, succumbas, prosternaris: eo namque ipso, quod mulierem vides, concupiscis, cum diuitias consideras, ardes earum desiderio; cum verbum asperum contra te audis, nequaquam te contines, aut flas. De te apte dici potest illud: *Ecce iste coopertus est auro, & argento, & omnis spiritus non est* Hab. 2. 19. *in visceribus eius*: id est, nullus spiritus. Spiritus sanctus dicitur *multiplex*, ratione diuersorum effectuum, Sap. 7. 22. quos producit: *Vnus enim, & idem Spiritus operatur multa, dividens singulis, &c.* 1. Cor. 11. 12.

Nullus ergo Spiritus S. effectus in te relucet.

(?)

§. 16. Vti-

§. 16. *Vtiles sunt tentationes, vt homo an veram, vel solam fucatam habeat virtutem agnoscat: ideo diabolus vocatur malleus, & Aquilo.*

¶ 61. *Lib. de dono perseu. cap. 6.* SEcundò, vtiles sunt tentationes, (inquit B. Augustinus) vt homo sibimet fiat notus, & cognoscat an vera sit præditus virtute, vel fucata tantum, & apparenti. Tentatio siquidem, inquit Diuus Thomas, ad scientiam ordinatur, quam is qui tentat habere desiderat, aut sibi, aut alij. Hanc rationem ex professo expendit Origenes, obseruans, diabolum à Ieremia Prophetà vocari malleum. *Confractus est*, inquit, *& contritus malleus vniuersæ terræ*: quod, & similiter obseruauit Gregorius. Quamuis enim ad literam de rege Babylonis sermo sit, sed sub eius typo describitur dæmonis actio, qui aptè vocatur malleus: ad hoc namque, inquit Origenes, inter alia, applicatur malleus, vt probet lapidem, an verus sit adamas necne. Huius occasione, quæ de adamante circumferuntur obseruat, & latius multo post illum, Beatus Hieronymus, Xenocratis, qui de lapidum gemmarumque natura scripsit; verba transcribens, Adamas (dicebat Xenocrates) sui nominis lapis est, quem Latinè indomitum possumus appellare, eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem: nam si ponatur super incudem, & graui ictu mallei feriatur, antea incus, & malleus vulnus accipiũt, quam adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, & vniuersa metalla consumat, reddit adamantem duriorem, vt ne paruulum quidem in eo angulum vis nimij ardoris obtundat. Id ipsum tradit Augustinus [a]: in cuius expositionem eius Scholiastes [b] dictũ affert Plinij [c], hoc idem obseruantis. Sed aunotat hoc quod de adamante dicitur, intelligendum esse de Indico, & Arabico: neque enim vnum est adamantium genus, quinimò, & Beatus Hieronimus ex Xenocrate quatuor eorum genera enumerat, Indicum, Arabicum, Macedonicum, Cyprium; pro qualitate regionum plus minusve duritiam possidentes. Licet ergo dentur adamãtes, qui malei ictu frangũtur, vt experientia teste comprobat Scholiastes Augustini, Indici tamen, aut Arabici, quam diximus fortitudinem tenent. Vidi (inquit Hieronymus) in auro adamantem, magnitudine milli: cumque vicinum consumatur aurum longo vsu, ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur, & nulla lima imminui potest, sed, & è contrario limam terit, & quicquid attigerit lineis fulcat. Vnde qui lapidum mercimoniam, inquit Origenes, exercent, cum voluerint probare adamantem, ignorantes vetusne sit, an falsus, mallei ictibus supponunt, tunc que verissimum esse adamantem sibi persuadent, si indomitus lapis inter incudem, & malleum perseueret. Quod idem dixerat Plinius, supponens illum, inter gemmas maximum habere pretium, si verus sit, id incudibus deprehendi: nam qui verus est adamas, ita mallei respuit ictum, vt ferrum vtrinque dissiliat, qui propterea Græcè adamas vocatur: id est, indomita vis. His annectit Origenes, iustos in Scriptura sacra vocari adamantes. Ita Amos, iuxta Septuaginta: *Et ecce vir stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Quem locum similiter, & Beatus Hieronnmus, de iustis secundum anagogem exponit: stat enim Dominus super Sanctos, eos iustificans, protegens, defendens, quos tanquam murum validum statuit ad suæ Ecclesiæ defensionem, quibus (inquit Hieronymus) donauit, vt, & ipsi adamantes vocarentur, & à nullo superati, dicerent cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* &c. Accipit autem Dominus adamantem in manu sua, quia virum iustum accipit, offertque ictibus mallei, quo constet, omnibusque pateat illius vera sanctitas, & firma iustitia, & quod verus sit adamas, non tantum apparens: semper enim suspecta illa virtus, & sanctitas est, quæ ad quemcunque ictum mallei, aut ad quamcunque tentationẽ con-

Lib. vlt. cap. 4. *In cap. 7. Amos.* *Amos 7.7.* *In eum locum.* *Rom. 8. 35.* ¶ 62.

[a] L. 21. *de ciuit. c. 4.*
[b] *Ludouicus Viues.*
[c] *Lib. vlt. cap. 4. In cap. 7. Amos.* *Viues 11. de ciuit. c. 4. eodem loco.*

confringitur, & conteritur. Ideo ergo exponit adamantem, vt ictibus validis percussus, probetur verus adamas: & vt ita fiat, aliquando Deus ipse ictibus ferit, & tentat: vnde dixit
Deut. 13. 3 Moyses: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, si diligatis eum.* Sibi quidem nota est cuiusque virtus, sed vt hominibus illa fiat manifesta, tentationibus conceditur. Ita
Gen. 22. 12 *Abraham tentauit*, cui post tot validos ictus, quibus cor ipsius percussit, *nunc*, inquit, *cognoui*, ideſt, feci, vt tu omnesque homines cognoscant, *quod timeas Dominum*. Nullatenus credere poterat diabolus, inquit Chrysostomus, quod Iob verus pretiosissimusque adamas esset, quousque eum Deus, quasi adamantem manu tenens, exposuit validis huius mallei ictibus ferien-
Epist. 2. & 3. ad Olymp. to. 5. dum. Suspecta sit tibi tua virtus, & sanctitas: nec credas te sanctum, & vera virtute præditum, quousque ictibus mallei expositus, infractus, integerque remaneas. Optimè Spiritus sanctus:
Eccl. 34. 9. *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitauit multa: qui non est expertus, pauca recognoscit: qui non est teneatus, qualia scit?* quasi dicat: Qui non est tentatus, quid scit de se ipso? num iudicabit veram sibi virtutem inesse, quam nulla tentatio probauit? Sicut adamas ille summo habetur in pretio, qui ictibus mallei ferientis probatus est, ita illa virtus, quam dæmonis tentationes probatam relinquunt. Optimè illum laudat Spiritus sanctus; *Qui probatus est in illo, &*
Eccl. 31. 10 *perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna*. Vnde, & Dauid, sicut annotat Augustinus, petebat: *Proba me*
Lib. de duo perfeu. cap 6. *Domine, & tenta me*. Tunc homo
Psal. 25. 2. gaudere potest de sua sanctitate, & virtute, quando illam habuerit probatam: quando videris te ad contumeliæ verba non frangi; stare, cum persecutionibus impetitus fueris: cum pauper-
In cap. 7. Amos. tate contunderis, aut infirmitate percuteris: quanto enim magis iustus tentationibus cæditur (inquit Hieronymus) tanto fortior fit, & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur. His adiungere possumus illam diui-
Cant. 4. 16 nam vocem: *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluēt aromata eius*. Cuius variæ sunt expositiones, de quibus alibi: nunc eam sequemur, vt vterque ventus Aquilo, & Auster in malum sumantur. Et quidem de Aquilone non est dubium, qui ventus est summè frigidus, ideoque noxius, quia frigiditas nimia, est inimica naturæ. De Austro autem idipsum est manifestum, quem Philo Iudæus *a* malum, & per se valdè noxium vocat, quia est, inquit, aridus, inuehens dolorem capitis, & grauedinem, languoriſque tædium. Horatius *b* vocat eum ventum plumbeum, ideſt, insalubrem, & pestilentem, & quo corpora ingraueſcunt: Nec plumbeus, inquit, Auster. Ouidius *c*: Nocentem, inquit, corporibus Austrum: & rationem reddit Aristoteles *d*, quia humida, & calida corpora efficit, quæ propterea disponit ad corruptionem. Certè natura consistit in quodam temperamento qualitatum: & sicut ventus Aquilo est ei noxius, propter excedentem frigiditatem, ita Auster propter excessiuum calorem. Sed, & alia ratio est sublimior ex Scriptura sacra, propter quam hi duo venti in malum sæpè sonant. Hortus enim Domini erat Ieroſolyma, aut Iudæa, in qua tantum Deus notus erat. Hæc à duabus prouincijs maximè infestabatur, à Babylonijs, Assyrijs, aut Chaldæis, qui ei erant versus Aquilonem: ideò dictum est: *Ab Aquilone pandetur omne malum, &c. quia ecce ego inuoco omnes nationes regnorum Aquilonis, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portæ Ieruſalem*. Et hæc ratio est, vt ait quidam doctus author, ob quam vocabulum Aquilonis in sacris literis odiosum est, & in malum frequentius accipitur, quia scil. regnum, seu imperium Chaldæorū, cuius Metropolis erat Babylon, ab Aquilone, vel Septemtrione posita erat respectu Iudææ. Qua etiam de causa ab Ezechiele quasi ventus Aquilo demonstratus est Rex Babylonis, veniens contra Ieroſolymam. Infestabatur etiam Ieroſolyma ab Ægyptijs, quos ad partem Australem Iudæa habebat: idque etiam Auster aliquando in malo sonat. Erant itaq; fideles cōstituti inter hæc duo regna, aut inter has pro-

a Lib. 1. de vita Moyſis.
b Lib. de Satyr. 6.
c Oda. 14. lib. 2.
d In Probl. li. 2. seſt. 16 Vide Sotomaior. ¶ 63.
Ierem. 1. 14
Sotomaior.
Ezech. 1.

prouincias, vnam ad Aquilonem, alteram ad Austrũ, à quibus multa, & grauia incommoda patiebantur. Qua de causa Reges Chaldæorum, vocantur *Reges Aquilonis*: & reges Ægypti vocantur *Reges Austri*: & potentia regũ Babylonis, & potẽtia regum Ægypti, nomine vẽtorum Aquilonis, & Austri exprimitur. Et rectè quidem nam secundum Scripturæ sacræ phrasim, omnis potentia regum terræ vocatur ventus, & idcirco omnium monarcharum, qui contra populum suum egerunt, vo-
Dan. 7. lens Deus demonstrare potentiã Danieli demonstrauit, ex quatuor ventis pugnantibus, in mari magno, quia tota supremorum principum terræ potentia, quasi ventus est, citò, ac subitò transiens, & euanescens. Et quidem sæpè hos ventos Aquilonis, & Austri, Deus excitasse visus est, vt ageret contra hortum suum: quod an effectiuè, an tantum permissiuè acciderit, non va-
Ier. 5. 15. cat nunc explicare. *Ecce*, inquit, *ego excito super vos gentem procacem, cuius*
Abdia 1 2. *non intelligatis sermonem, &c.* Et iterum: *Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit: Surgite, & consurgamus aduersum eum in prælium*, quia sine Deo agente, vel peculiari suæ prouidentiæ ordine permittente, nequaquam inimicæ illæ potestates insurgere possent contra hortum suũ dilectum; Id tamen ille ordinauit, vt fluerent aromata illius, metaphora sumpta ab eo, quod flores hortorum non spirant odorem suum abundantem, nisi ventorum vi agitentur: tunc enim vnusquisque flos odorem suum refert. Ad hoc ergo ab inimicorum vi agitari Deus fideles suos volebat, & eos exponebat violẽtiæ ventorum, vt sanctorum virtutes tunc odorẽ spirarent, & fluerent, & ad omnium nares peruenirent. Vnde ad hoc credo ordinatam Dei permissione fuisse, illam superbam expeditionem Holofernis, qui omnia Iudææ loca concutiebat, & Bethuliam tam ingenti oppressione impetiuit, vt offenderetur, quam exigua fide et virtute essent eius ciues, & presbyteri, & eorum principes Ozias, & Charmi, & omnibus nota esset excellens sanctitas viduæ illius inclytæ Iudith, quæ quasi abscondita erat, nec patebat omnibus, quæ *Iudith 6.* & presbyteros etiam instruere valuit, & rectam fidem, & spem in omnibus excitauit. Similiter, ideò permisit, impij Sennacherib exercitum validum obsidere ciuitatem Ierusalem, quam in summa constituit afflictione, vt fides, & pietas pateret sancti Regis Ezechiæ, qui toto corde *4. Reg. 19.* conuersus est ad orandum Dominum. Propterea etiam concessit, vt multitudo magna Syriæ, quasi validus ventus veniret contra Ierusalem, vt flos excellentes virtutum, & pietatis animi Iosaphat omnibus paterent: *Qui totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium*, ad eum placandum, & orauit, dicens: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Idcircò etiam variè permisit vexari populum suum, & ab huiusmodi ventis Aquilonis, & Austri, huc, illucque rapi, vt virtutum odores spirarent sancti Israelitæ, qui ab impio Salmanasar ducti sunt in captiuitatem, vt Tobiæ illorum ventorum vi agitatus odorem referret fragrantissimum; *Qui in captiuitate positus, non deseruit veram veritatis viam*; & sancti illi pueri à Nabuchodonosor, *Dan. 3.* ipsius superbiæ vento flante ita sunt agitati, vt & in ignem conjecti fuerint, quo virtutum suarum odorem ita spirarent, quod omnes compellerent ad Dei confessionem, etiam & ipsum Nabuchodonosor. Quomodo enim talis virtus, eiusque fragrantia pateret, nisi tanquam flores vento valido esset agitata. Hæc omnia in Beato Iob videre licet, qui tanquam hortus erat omnium virtutum floribus consitus, quem violentis ventorum flatibus voluit Deus agitari, vt flores virtutum eius fragrantiam emitterent suauissimam, talem, qualem illis verbis expressit: *Dominus dedit &c. si bona suscepimus, &c.* De quibus ex professo ad hoc institutum *Hom. 1. ad* Beatus Chrysostomus ita igitur Deus, *popul. ad-* cuius hortus est anima iusti, ordi- *mod. & ho-* nauit, quod tentationes contra eam *4. ante me-* excitentur, vt virtutum flores odo- *dium.*

rem ſpirent ſuauiſſimũ, gratiſſimumque. Et quidem ventis contrarijs diabolus agit, & impetit eam: nunc enim incitat aliquem, vt te perſequatur, & tibi iniuriam inferat, vt impatientia frangaris; nunc alterum mouet, vt ſuper cœlos extollat, quo in ſuperbiam eleueris. Si ſanitate frueris, ad capiendas mundi oblectationes inducit: ſi infirmitate langues, vt te triſtitia cõficias ſuadet, & nunc ad deſperationem impellit, repræſentans te in paupertate conſtitutum, vt niſi à bono deficias non poſſis viuere; nunc ad præſumptionem mouet, oſtendẽs magnam Dei miſericordiam in peccatores, &c. Sicuti, & contra Chriſtum fecit, quem primò tentauit per deſperationem, quia repræſentauit eum in deſerto, in quo nihil niſi lapides reperiebantur; poſtea vt nimis confideret; excitauit, dicens: *Mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis*, de quibus infra. Vtiles ergo ſunt tentationes, vt tibimet notum fiat, an flores odoriferæ ſint, quas in anima plantatas habes, an verò fœtidæ herbæ tetrum odorem emittentes, id tentationum tempore deprehendes.

§. 17. *Vtiles ſunt homini tentationes, vt per eas elaboretur ſicut aurum, & argentum, & propter alias rationes à Beato Chriſoſtomo traditas.*

¶ 65. TErtiò ſunt vtiles tentationes, ad hominis perfectionem, & bonum nam illis homo ita aptatur, ſicuti ferrum ictibus mallei elaboratur, & lapis politur tũſionibus. Obſeruat B. Baſilius varijs de cauſis dici, baptiſmum Chriſti eſſe in Spiritu ſancto, & igne, id eſt, in Spiritu ſancto, qui operatur vt ignis Cùm enim ignis ferrum penetrat, non hoc tantum fit, quod eius ſordes abſumit, ſed, & præparat illud, & diſponit ad mallei tunſiones, & ictus, vt illis ſuperuenientibus, perfectam figuram ſuſcipiat ad artificis intẽtionem, quam in ædibus, & ſublimi loco collocet. Ita per baptiſmum non tantum homo à peccato purgatur, ſed intendit Spiritus ſanctus ſua virtute, & gratia illum aptare, ac munire, vt ſuperuenientibus mallei ictibus, id eſt, diaboli tentationibus, perfectior remaneat. Ita Origenes exponens, quod ſupra dicere cœpimus, quare diabolus dicatur malleus vniuerſæ terræ, annotat in Scriptura ſacra, ſi diligenter eam percurramus, perpetuò inueniri vtiliſſimas mallei percuſſiones: ſi enim malleus non eſſet, non eſſent tubæ illæ ductiles, quæ iuxta legem ad ſolemnitatem Dei excitabant, & audientium animos ſuo clangore incitabant ad bellum contra inimicos. Neceſſarius certè eſt malleus, vt tuba ductilis fiat. Per mallei ictus, candelabrum illud ductile, lucens in tabernaculo perfectum eſt. Per varias mallei tunſiones aptati ſunt lapides in lapidicinis, vt collocarentur poſtea in templo Salomonis, in quo iam non auditur ſonitus mallei, vel ſecuris aut ferræ. Hæc operatur ictus mallei in ferro ignito, aut auro, vel argento, vel lapidibus: ſimiliaque operantur tentationes in ſanctis. Paulũ, inquit Origenes, in tubã efformare Deus volebat, quæ non incertum ederet ſonum: hoc autem tunſionibus perfecit, & varijs tentationibus, quibus extendebatur etiam eius animus ad maiorem ſpem, ſicuti metallum tanto magis extenditur, quanto validioribus ictibus percutitur: & ita reſponſũ eſt illi roganti; quod Deus tentationes auferret: *Virtus in infirmitate* (id eſt, tentatione, vt ait Chryſoſtomus) *perficitur*: aptatur enim homo, & ſecundum virtutem perficitur, tentationum ictibus percuſſus, & dicere poteſt: *Ad brauium ſuperna vocationis extendes me ipſum*, metaphora ſumpta à ferro, vel ære, quod eo magis extenditur, quo magis tunditur. Similiter & ſancti per varias tunſiones fuerunt expoliti in hoc mundo, vt *in illo templo*, in quo *omnes dicent gloriam*, in quo nõ auditur ſonitus, aut ictus mallei, vel ſecuris, collocati ſubſiſtant. Quæ omnia egregiè proſequitur D. Thomas a,

Homil. de baptiſ. pag. 235.

Hom. 3. in Ierem. cit.

Num. 21. & Pſ. 97. 6

Exo. 25. 31 & 37. 27. 3. Reg. 6. 7.

2. Cor. 12. 9

Ad Phil. 3. 14.

Pſ. 28. 9.

2. 2. qũ. 102. art. 4.

&

b *Lib. 34. mor.* & docuerat Gregorius *b*, annotans, optimè dæmonē dici malleū vniuersæ terræ, quia etsi ad omnes personas, & ad omne tempus se extendat eius tentatio, id tamen tantum fit, dum homo viuit in terra, cuius vita est militia, dum super terram viuit: nam homine in cœlis constituto, iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque aliquæ aliæ insidiæ inimici. Ex his elicit Origenes, mysterium indicari, in eo quod Spiritus sanctus voluit exprimere, malleatores ortos esse ex Cain: ab eo enim processit *Tubal Cain, qui fuit malleator, & faber, in cuncta operis aris, & ferri.* Erat sanè *Cain ex maligno*, ab eo agebatur, excitabatur, & mouebatur; & eius filij sunt impij, persequentes iustos tanquam malleatores, quorum studium est, ictibus ferire ferrum, & æs, id est, iustos, fortes, & validos: quos tamen Deus eisdem ictibus aptare intendit, vt figuram CHRISTI Domini recipiant, & mortificationem eius referant, & conformes euadant imagini similitudinis eius. Omnia, inquit Origenes, malleatoribus plena sunt, quidam iustum feriunt contumelijs, alij rapina, alij odio, alij incitando ad malum: ideo permisit Deus tot tyrannos, qui quasi malleatores aptarent sanctos martyres, &c. ideo tot tantosque iniquos permittit propter bonum iustorum, quibus potius prosunt tentationes, quas diabolo instigante contra eos mouent, quam obsunt; per illas enim elaboratur, politur, & perficitur homo, & eò magis animus ad brauium supernæ vocationis per spem extenditur, quo validioribus ictibus fuerit percussus. De ijs egregiè Chrysostomus, qui varias rationes tradit, & prosequitur, propter quas Deus iustos laboribus exponit: quæ omnes idipsum explicant, cur, & tentationibus validis eosdem offerat: & hanc Christi historiam expendens rationibus, quas supra expendimus, alias breuissimè superaddit. Nec enim, inquit, solum sunt vtiles tentationes, vt discas, quoniam CHRISTI baptisma te facit fortiorem, & quod in eo accepisti arma, ne otieris, sed potius eorum fortitudinem facias manifestam, sed propter alias causas. Primò, vt in humilitate conuerseris, & in timore, qua de causa tentari permissus est Paulus: *Ne magnitudo reuelationum illum extolleret.* Secundò, vt dæmon agnoscat, te verè, & ex corde in baptismo ei renuntiasse: nam si statim post baptismum illi excitanti consentis, non videris perfectam renuntiationem tenuisse: nec enim miles, qui ducem deseruit, & in contrarium exercitum se transtulit, verè videtur ducem deseruisse, si ad primam eius vocem, ad ei obsequendum se conuertit. Tertiò, vt fortior, & valentior tentationum exercitatione reddaris: vsus enim, & exercitatio vires acuit, & auget: nam equus, qui nunquam cursum aliquem agit, aut impetum sustinet, impotens omninò redditur. Et certè fortissimæ reddūtur manus rustici, & in callum obdurantur, quas exercitatione cōtinua agitat: cum tamen qui eas semper tenet in ocio, ita delicatas reddit, vt minimò labore frangantur, & vulnerentur. Quartò, vt capias grāde documentum thesaurorum tibi à Domino creditorum, intelligens talia gratiæ dona Deum in te reposuisse, per quæ fecit longè excellentiorem diabolo: neque enim malignus ille aduersum te ageret, nisi in maiori te honore conspiceret positum. Hinc, & aduersus Adam insurrexit ab initio, quia excellenti dignitate vidit illum præstare. Propterea, & contra sanctum Iob arma commouit, quia videbat illum à Domino miris laudibus coronatum. Hæc Chrysostomus, & alia prosequitur, qui etiam ad hoc institutum peculiarem edidit tractatum, ostendēs, quod vtiles sint tentationes ad omnes, demonstrans, quomodo ad ingentem vtilitatem nostrā permittat Deus, non varijs tentationibus vrgeri, quas non solum diabolus per seipsum, sed, & per interpositos homines, & per varias occasiones excitat, quas Deus tanquam pius Pater non permitteret, nisi nobis proficuas videret. Ex ijs illa explicatur quæstio, quam in principio proposuimus: cum enim dicitur, Spiritum sanctum duxisse

Gen. 4. 22. 1. Ioa. 3. 12

2. Cor. 12. 7

¶ 65. *Hom. 1. ad populum.*

Hom. 62. ad populū.

Hom. 13. in Matth.

duxisse Christum, vt tentaretur à diabolo, & quod ducit etiam iustos ad hoc, vt tententur, & eos offert tentatori, qui contra illos agat, & impugnet, non ita intelligendum est, vt existimemus, quod Deus pro fine habeat tentationes, aut quod positiuè moueat tentatorem ad tentandum, qui tentationes ipsas in seipsis permittit quidem, non vult, aut intendit, sed intendit tantum vtilitates, & commoda, quæ illarum occasione consequitur iustus, eo modo, quo Rex aliquis offert filium suum, qui congrediatur cum inimico, non quod velit inimici impugnationem propter se, aut quod positiuè moueat inimicum, aut vires ei præstet ad agendum contra filium suum, sed permittit inimico, vt agat contra filium suum quicquid potest, quoniam intendit victoriam, quam filius de illo reportet. Sed de ijs Theologi pluribus in locis.

§. 18. *Christus ductus dicitur, vt tentaretur, quia per dona potius actus fuit, quam ageret per regulas virtutum.*

9.97. VTiles quidem sunt tentationes, vt dictum est, nihilominus expendendus est cum Beato Chrysostomo, loquendi modus, quo vtitur Euangelista, qui non dicit, Christum fuisse, aut ex se ipso processisse in locum tentationum, aut se coniecisse, aut seipsum exposuisse, vt tentaretur, sed ductum esse, vt aptissimè nobis significatum videamus, quia non sponte nosipsi ad tentationes debemus procedere, sed cùm tracti, aut ducti fuerimus, viriliter repugnare, quod, & similiter obseruasse visus est Diuus Cyprianus, cuius rationem refert, & sequitur Beatus Augustinus, quia videlicet fragiles sumus, & sicuti possumus vincere tentationes ex diuina gratia, ita, & possumus vinci ex nostra infirmitate. Hæc vt explicemus, & videamus reconditam Theologiam, quam in his verbis insinuat sacer Euangelista, obseruandum est certum esse ex diuina Theologia, dari Spiritus Sancti dona, de quibus difficiles habent Theologi disputationes. Quidam enim censent, illa non esse distincta à virtutibus infusis, alij dicunt distingui quidem, non re ipsa, sed ratione, distingui non sola ratione, sed re ipsa, vt patet apud authores Scholasticos. Diuinitus tamen eorum naturam exposuit Diuus Thomas, quam explicat supponendo id quod commune est apud omnes: ad hoc scilicet, quod homo facilè moueatur in bonum, indigere aliqua qualitate, qua reddatur facilè mobilis ad illud, sicut enim ad hoc quod plaustrum nouum, graue, & ex aridis lignis constructum, facilè moueatur per loca aspera, necessarium est, vt oleo, aut pinguedine vngantur axes, quibus circumuoluuntur rotæ, ita quia homo graue pondus carnis, & corporis fert: (*Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*) & ad malum propendet: (*Cuncta enim cogitatio cordis humani prona est ad malum ab adolescentia sua*) eget quibusdam qualitatibus, quibus axes animæ, id est, potentiæ ipsius, per quas omnem motum exercet, tanquam oleo, & pinguedine vngantur, quo facile in bonum possint moueri. Ex his apertè colligitur necessitas virtutum, & donorum in potentijs animæ. Duplex enim bonum reperitur, ad quod homo potest ferri: vnum est bonum secundum rationem, aut naturalem, à natura inditam, aut supernaturalem à Deo nobis in Scripturis Sanctis, vel per Ecclesiæ traditionem explicatam, aliud est bonum supra omnem rationem, cuius bonitas non defumitur ex regula rationis naturalis, aut supernaturalis, sed ex peculiari Dei impulsu in particulari occasione. Ad hoc quod homo facilè moueatur ad bonum conforme rationi naturali, vel supernaturali, ponuntur virtutes acquisitæ, & infusæ, quæ nihil aliud sunt, quam habitus, aut facultates quædam superadditæ potentijs, reddentes eas facilè mobiles, ad bonũ, secun-

Hom. 13. in Matth.

Lib. de orat. Dominica.

Lib. de domo perseu. 66.

In 3. d. 34. 1. 2. q. 68.

Sap. 9. 15.

Genes. 8. 6.

ſecundum rationem naturalem, aut ſupernaturalem. Temperantia verbi gratia, nihil aliud eſt, quam habitus, aut facultas, qua appetitus redditur facilè mobilis ad ieiunium, quando ad illud
¶ 68. mouet ratio, aut diuina, vel Eccleſiaſtica lex, vel regula. Ad hoc autem, vt homo facilè moueatur ad bonum, quod eſt ſupra omnem regulam, ponuntur dona Spiritus ſancti, quæ nihil aliud ſunt, quam habitus quidam infuſi à Spiritu ſãcto, quibus homo redditur facile mobilis ad actus, excedentes omnem rationem, & deliberationem rationis: aut vt Beatus Thomas
2.2.q.52. art.3. 3.p.q.7.a.5 dixit, ſunt perfectiones quædam, aut diſpoſitiones potentiarum animæ: ſecundum quod ſunt natæ moueri à Spiritu ſancto ad actus excedentes omnem regulam rationis, naturalis, & ſupernaturalis, qualis fuit actus, quo Sampſon occidit ſeipſum dono conſilij, & fortitudinis, & quo Dauid puer proceſſit inermis contra veterauum militem Goliath, omnibus armis munitum: hi enim actus non fuerunt ſecundum rationem, ſecundum quam potius videntur actus vitioſi, homicidij ſcilicet, & præſumptionis: neque enim aliquis poteſt ſeipſum occidere, ſi rationis regulas expendamus: neque euidenti periculo ſe ſubijcere: fuerunt tamen actus procedẽtes à donis Spiritus ſancti, quo in illo particulari tempore motus eſt Sampſon ad mortem ſibi inferendam, & Dauid ad non timendum periculum, quod ſecundum rationem timere poterat. Idipſum dicimus de actu illo, quo Beata Apollonia ſe in ignem coniecit, & actus quo Iudas Machabæus aggreſſus eſt bellum illud inſigne, cum pauciſſimis, &c. Ex his manifeſtæ ſunt differentiæ inter dona Spiritus ſancti, & virtutes, non tantum acquiſitas, ſed, & infuſas. Primò namque actus virtutum procedunt ab homine deliberante ſecundum rationem naturalem, vel ſupernaturalem: ſicuti qui eligit ieiunium, quia eſt ſaluti corporis, vel animæ expediens, ſecundum regulas legis naturalis, aut Eccleſiæ: ac actus donorum non procedunt ab homine deliberãte ſecũdum rationem, quamuis liberè eos operetur (quia Spiritus ſanctus mouẽs non aufert libertatem, vt egregiè expoſuit Diuus Thomas) ſed à Spiritu ſancto interius per dona ſua excitante, & mouente in peculiari caſu, & occaſione. Ex hac differentia prima ſequitur ſecunda: quod cum homo operatur ſecundum virtutes, poteſt reddere rationem ſui operis, quod ſcilicet illud fecerit, quoniam eſt ſecundum regulam rationis: at cum homo operatur ſecundum dona, neſcit rationem reddere illius actus, quem producit: non enim illum operatur ex virtute deliberãte ſecundum rationem, ſed ex dono Spiritus ſancti impellentis ad talem actum. Tertio differũt, quod operationes virtutum examinandæ ſunt ſecundum regulas rationis naturalis, aut ſupernaturalis, & vt homo rectè operetur ſecundum virtutem, talem regulam debet conſiderare, vt actum producat ei conformem; at operationes donorum nequaquam ſunt ſecundum talem regulam examinandæ: ſi namque ſecundum regulas rationis expendantur, potius eſſent condemnandæ, quàm commendandæ, quales fuerunt illę Sampſonis, Dauidis, S. Apollonię, &c. ſed ſecundum impulſum Spiritus ſancti in particulari occaſione ad illas excitantis. ¶ 69. Tandem in actibus virtutum dicitur homo plenè agere, & ſe mouere, quamuis non ſine Dei adiutorio: at in actibus donorum potius dicitur agi, & moueri, quia impulſu Spiritus ſancti fertur ad id, cuius rationem ipſe, qui agitur, ignorat. Ita Paulus: *Qui Spiritu Dei aguntur.* Rom.8.14. Propter hanc itidem cauſam, talia dona vocantur ſpiritus, aut impulſus, videlicet *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, &c.* id eſt, impulſus quidam habitualis, vt Diuus Thomas a expendit. Ex ijs patet id quod annotauit Vatablus b, ſcpè qui per dona, & impulſus prædictos mouẽtur à Spiritu ſancto, iudicari amentes, & ſtultos, & agentes ſine ratione, quia operantur id, quod eſt ſupra rationem ex peculiari Spiritus ſancti impulſu, quem ignorant, qui talia opera vident. Nec mirum, quod illi hoc i-

Iſai.11.2.

a 1.2.q.68 art.3.

b In lib. 4. Reg cap.9.

gno-

gnorent, cum is qui mouetur, etiam
4.Reg.9. ſæpiſſimè ignoret, & neſciat à quo, aut quomodo moueatur, quod nũc explicare non vacat. Ita quando Prophe-
ta ille diſcipulus Eliſæi ingreſſus eſt ad Iehu, & extrahens eum è medio fra-
trum ſuorum, introduxit in cubicu-
lum interitus, tenenſque lenticulam olei, fudit ſuper caput eius, dicens: *Vnxit te Regem ſuper Iſrael*, qui viderunt eum venientem, & quaſi ab alio mo-
tum, & actum, dixerunt: *Quid venit iſte inſanus ad te?* Hæc doctrina adeò
2.1.2.q.68. art.1. eſt vera, vt, & Ariſtoteles aliquid il-
lius cognouerit, vt Diuus Thomas *a*, annotauit: tradit enim Ariſtoteles *b*, a-
b Li 7. moral. ad Eudem.c.13. gens de bona fortuna, hominem com-
muniter moueri quidem ad bonum ſe-
cundum rationem per virtutes, ſed ali-
quando ab ipſo Deo moueri ad actus ſupra omnem rationem, & addit, quod ijs, qui mouẽtur ſecundùm inſtinctum diuinum, non expedit conſiliari ſecun-
dum rationem, ſed quod ſequantur in-
teriorem inſtinctum, quia mouentur à meliori principio, quàm ſit ratio hu-
mana, ſed de ijs egregiè Diuus Tho-
mas, qui naturam, numerum, vim, & neceſſitatem donorum Spiritus ſancti explicat, & probat talia dona eſſe illa ſeptem, quæ enumerantur ab Iſaia, de
Iſai 11. ita 2.2. quorum vnoquoque ſuis locis peculia-
riter diſputat. His addendum eſt, eſſe certum ſecundùm fidem, Chriſtum Do-
minum non tantum habuiſſe omnes virtutes naturales, & infuſas, ſed, & dona omnia Spiritus ſancti, idque cum
3.p.q.7.a.5 maxima, & ineffabili plenitudine. Hoc demonſtrat Diuus Thomas, & patet ex communi antiquorum Patrum con-
ſenſu, id probantium ex illo: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* Gregorij
Iſai 11.2. Nazianzeni *a*, Baſilij *b*, Athanaſij *c*, I-
renæi *d*, Origenis *e*, Tertulliani *f*, Cy-
prianj *g*, Ambroſij, Auguſtini, Hilarij, Iſichij, & aliorum, quos referunt Leo
a Orat. in S. Penthe. *b Contra Eunom. lib.1.c.14.* *c Lib. de fide ſua.* *d Li.3 cont. hær c.10.* *e Hom.6. in cap.11. Numer.* *f Li 3.cont. Marcion.* Caſtrenſis *h*, & Magiſter noſter Medi-
na *i*. Ita exponunt quidam id, quod Ioã-
nes Baptiſta k dixit: *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum*: quod de Chriſto in-
telligunt Cyrillus *l*, Chryſoſtomus *m*, quem ſequitur Euthymius, & exponũt multi de plenitudine donorum, in tan-
ta perfectione, quantum poteſt creata natura accipere, vt quod dixit Iſaias; *Replenit eum ſpiritus*, dicat Ioannes: *datus eſt ſpiritus non ad menſuram*; eo mo-
do, quo cum quis vinum dat alicui, vo-
lens totum vas quod defert replere, di-
citur non dare ad menſuram, ſed quan-
tum vas ipſum capere poteſt, quod qua ratione explicandum ſit, Theologi do-
cent. Vt hæc abundantiſſima donorum plenitudo fieret manifeſta, deſcendit viſibiliter Spiritus Sanctus ſuper eum in ſpecie columbæ in baptiſmo, & eo Spiritu plenus, regreſſus à Iordane, ductus eſt ab eodem Spiritu in deſertũ, vt tentaretur à diabolo. Itaque iſte actus, quo proceſſit in deſertum, vt ten-
taretur à diabolo, non fuit actus alicu-
ius virtutis propriè loquendo, non e-
nim eſt actus conformis rationi, vt ho-
mo ipſe ſeipſũ offerat, & exponat dia-
bolo, vt ab eo tentetur, aut impugne-
tur, qui potius, ſi ſecundum rationem agit, tenetur fugere illius tentationes: ſed fuit actus à Spiritu ſancto per dona illius, quibus plenus erat. Et ita om-
nes Euangeliſtæ indicant, qui ita enar-
rant hunc Chriſti progreſſum, vt ex-
primant, quod ad illum potius agebã-
tur, quam ageret. *Ductus eſt*, inquit Matthæus, *à Spiritu*. *Expulit eum Spi-*
Matt.4.1. *ritus*, inquit Marcus. *Agebatur in Spi-*
Marc.1.12 *ritu*, inquit Lucas. Et quidem Beatus
Luc 4.1. Ambroſius *a* tribuit hunc actum dono conſilij, quia non ignarus, ſed conſilio
a Lib 4. in Luc. cap. de ductu Ieſu. ducebatur, non quidem conſilio, quod deliberet ſecundum rationem, ſed quod agit ſecundum Spiritus ſancti im-
pulſum, cui ſubſcribere videtur Di-
uus Thomas *b*, de quo dono agit ipſe
b 3.p.q.41. art 2. ex profeſſo *c*. Alij tribuunt dono for-
titudinis, quo etiam actus fuerat Da-
c 2.2.q.52. uid ad pugnandum cum gigante Go-
liath: de quo idem Diuus Thomas *d*.
d 2.2.q.110 Alij tribuunt vtrique, ſicuti reuera Dauid, vtroque dono conſilij, & fortitudinis actus proceſſit contra Goliath: nam conſiliatus eſt, non ſecundùm ra-
tionem, ſed ſupra rationem, videlicet ſecũdum impulſum Spiritus ſancti, di-
cens: *Tu venis ad me in haſta & gladio,*
1.Reg.17. *ego venio ad te in nomine Domini. &c.* Sed verè poteſt tribui Spiritui ſancto, agenti, & mouenti Chriſtum, ſecũdum

omnia

omnia ſeptem dona. Quod videntur Euangeliſtæ indicare, ſingulariter Sanctus Lucas, qui poſtquam præmiſit: *Ieſus plenus Spiritu, regreſſus eſt à Iordane*, nomine Spiritus, plenitudinem omnium donorum Spiritus ſancti intelligens, ſtatim eodem Spiritus nomine vſus, adiecit. *Et agebatur Spiritu* eundē Spiritum intelligendum indicans, quo præmiſerat illum plenum, videlicet Spiritum ſanctum, ſecundum omnia ipſius dona. Sic annotaſſe viſus fuit Cyrillus, qui de Chriſti Sanctificatione agens, explicat Chriſtum dici ductum, actum, & expulſum à Spiritu, non quod vi aliqua cogente, & tollente libertatem arreptus, adductuſque eo ſit, aut quod motu corporali externo, & quaſi violento ſit impetitus, ſed interno Spiritus ſancti impulſu ſupra humanæ naturæ conditionem agente. Cyprianus *a*, ductus, inquit, eſt à Spiritu, id eſt, proceſſit Spiritu ſancto duce, ac comite. Athanaſius *b*, à Spiritu ſancto, inquit, operante, & agente in illo. Ex his omnibus manifeſta relinquitur ratio Chryſoſtomi *c*, quam, & tradidit Theophylactus *d*, cur Euangeliſta facer dixerit, Ieſum ductū eſſe, nō autem ipſum fuiſſe, aut ſeipſum expoſuiſſe, vt tētaretur à diabolo. Hoc enim factum eſt à Chriſto, non ſecundum rationem ſeipſum mouente, ſed à Spiritu ſancto per dona ſua ſupra omnem rationem interius excitato, & impulſo: nam non eſt conforme rationi, vt homo ſeipſum ducat ad locum, in quo tentetur à ſatana, & ſeipſum offerat tentatori, ab eodem tentationibus impetendo, imò eſt ſecundum rationem, tentationes fugere, & ſeipſum ab illis ſeparare.

Li. 2. de fide ad Regi. cap. 5.

a *Li. de ieiu. & tent.*
b *Epiſt. ad Serapionē.*
c *Hom. 13. in Matth.*
d *In cap. 1. Marci.*

§. 19. *Homo tentationum loca, & occaſiones fugiat, nec niſi ductus à Spiritu ad illa procedat, ſicut fecit Paulus.*

¶ 71.

SI autem Chriſtus Dominus, qui fortiſſimus eſt, *Qui ſapiens corde eſt, & fortis robore, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt in cuius conſpectu ad nihilum deductus eſt malignus*, non procedit ipſe vt tentetur, nec ſeipſum ducit ad locum, in quo tentari poteſt, multo minus homo debebit ſeipſum offerre tentationibus & procedere ad locum, vbi tentetur à diabolo, cum infirmus ſit *a*, *Tanquam folium, quod vento rapitur* b, *tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ*, cuius fortitudo, imbecillitas potius dici poteſt, quam deſcripſit Dominus: *Et erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & nō erit qui extinguat*. Elegantī metaphora hoc Spiritus ſanctus expoſuit: *Quis*, inquit *miſerebitur incantatori, à ſerpente venenato, & omnibus qui appropinquant beſtijs? Sic qui comitatur cum viro iniquo, et obuolutus eſt in peccatis ſuis.* Egregijs comparationibus obligat Sapiens, fugere occaſiones, & loca, in quibus homo tentari poteſt. Certè qui inter ſerpentes incedit, quantumcunque incantator ſit, ſi aliquando liber euadit, aliquando tamen alicuius ſerpentis morſu, & veneno inficitur; ideoque quando malum incurrit, non meretur, vt aliquis illius miſereatur, qui hoc ipſo, quod inter ſerpentes voluit incedere, tanquam certum habere debebat, ſe aliquando tandem ab eis inficiendum. Idem dicendum eſt de illo, qui appropinquat leoni ferociſſimo, aut inter cornua tauri crudelis ſeipſum vult conſtituere, hic enim nullam meretur commiſerationem, cum malum incurrit, quoniam illud ipſemet eligere voluiſſe viſus eſt, quando ſe ipſum in tali occaſione, & loco repoſuit. Vnde vir prudens ab huiuſmodi periculis procul fugit, & tales occaſiones auerſatur.

Iob 9. 4. Pſal. 14. 4.

a *Iob 13. 25*
b *Pſal. 1. 4. Eſai. 1. 31.*

Eccl. 12. 13

tur, hic, inquit, nullam meretur misericordiam, *qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis suis.* Virum iniquum, vocat diabolum tentatorem, qui ad iniquitatem impellit. Peccata autem vocat, illius tentationes, & occasiones peccatorum, eo modo, quo Paulus, concupiscentiam vocat peccatum, quoniam ad peccatum excitat, & inducit. Quis ergo eius miserebitur, qui ipsemet se propinquũ facit diabolo, vt tentetur, ea petens loca, in quibus ille tentare solet? Quis miserebitur eius, qui seipsum obuoluit varijs occasionibus peccatorum, nunc cum muliere familiariter colloquens, nunc inter murmuratores se, collocans, nunc ad videnda impudica spectacula procedens? Hoc enim ipso, quod quis talibus periculis se exponere vult, iam videtur ipsa peccata etiam committere voluisse. Propterea qui prudens est, pericula, & omnes peccatorum occasiones auersatur, & fugit loca, in quibus ad peccatum se tentandum timet. Ille præsertim qui humanæ fragilitatis est conscius, & intelligit, nos nobiscum ferre propriam concupiscentiam, quam Theologi fomitem peccati vocant, quia non tam facilè ignis scintilla fomitem succendit, quam tentatio aliqua nostram concupiscentiam. Homo qui humeris suis portaret saccum, sulphureo puluere plenum, aut stupæ cirris vestitus esset, nequaquam ad eum locum procederet, vbi eius inimici ignita tela contra eum eijcerent: facilè enim, propter dispositionem eorum, quæ secum fert, posset ignis in illis recipi, sicque totus homo succendi, inflammari, & consumi. Hæc alibi explicata sunt latius in Dauide, Salomone, & alijs: imò, & in Adam, qui nondum talem fomitem habebat, cui non profuit æreum illud, & quasi adamantinum scutum iustitiæ originalis: nam cum primum ignitam pharetram inimicus in eum iecit, totus ipse succensus est. Quid faciet homo, qui adhuc quasi fumantem habet candelam animæ suæ, cuius peccatum nuper extinctum est, & adhuc calor remanet malæ inclinationis, & affectus, quique nullatenus in virtute firmus est, nullasue radices illa in anima ipsius traxit? Obseruat Cyrillus illud præceptum: *Si quis nuper duxerit vxorem, non egrediatur ad bellum, neque ei quippiam necessitatis iniungetur.* Alij legunt; *Neque quippiam operis militaris ei iniungetur.* Non nudæ literæ, inquit Cyrillus, est adhærendum, sed huius mandati spiritus quærendus. Hic autem intelliget, si attendamus, notum esse ex Salomone, vxorem, quam homo debet sibi copulare, esse virtutem, & sanctitatem, ex qua actus bonos, tanquam filios producat: de qua, & illud dici potest: *Vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouella oliuarum, &c. Dic,* inquit Salomon, *sapientiæ: Soror mea es, & prudentiam tibi facito amicam.* Quando homo à peccato auertitur, & nuper desponsat se virtuti, & iustitiæ, idoneus statim non est, qui procedat ad bellum, qui probetur, & tentetur: peruertetur enim, potius quam vincet. Sensualis, qui nuper peccata sua confessus est, si statim ad collocutiones, conuersationesque priscas procedat, periurus, qui nunc ad Deum se conuerterat, si citò ad ludum reuertatur, &c. certum est, statim superandos esse ab inimico, quippe qui recenter virtuti fuere desponsati, nec multa eget fortitudine gigas, ad eradicandam herbam, aut arbusculam nuper plantatam, quæ nullas adhuc radices contraxit. Beatus Cyprianus, illam agitat quæstionem, liceat ne tempore persecutionis fugere: in cuius explicationem illam perpetuò tenet sententiam, quod homo nullatenus debet, aut potest seipsum offerre tyranno, qui illius fidem impugnet, quia timere debet fragilitatem, & infirmitatem suam, quod, & alibi *a*, docuit, sed egregiè scribens ad Nemesianum *b*, vbi postquam docuit illicitum esse homini fideli, se vltro offerre tyranno, vt ab illo eius fides impetatur, concludit dicens; Dominus nos confiteri magis vult, quam profiteri. Profiteri dicitur quis, qui non

Ad Rom. 7.

¶ 72.

Lib. 3. de ador p. 112. Deut. 24 5

Psal 127. 3.

Prou. 7. 4.

Libr de lapsis.

a *Libr de mortali.*

b *Epist ep. 77*

non requisitus, aut vocatus, vltro se offert ad proficendam fidem coram tyranno. Quod si inuenerimus Sanctos aliquos vltrò se tyrannis obtulisse, dicendum est, id eos fecisse, actos à Spiritu sancto mouente, & inflligante eos per dona consilij, fortitudinis, &c. supra ipsius rationis regulam, secundum quam tenetur vnusquisque qui in periculo potest perire, illud fugere, & nequaquam seipsum illi offerre. Hoc egregiè indicauit Paulus: *Et nunc ecce alligatus spiritu, vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.* Quid est, *Ecce alligatus spiritu?* Certè non loquitur de corporeis, materialibusque vinculis, aut catenis, quas necdum Paulus sustinebat, & qui eis vincitur, non dicitur alligatus spiritu, sed corpore. Loquitur ergo, de instinctu, & impulsu, quo agebatur à Spiritu sancto Ierosolymam, in qua Iudæi erant contra illum multas, & periculosas persecutiones excitaturi. Quibus verbis duo voluit Diuus Paulus indicare.

Actor 20. 22.

Primum est, vis Spiritus sancti impellentis, qui quamuis non auferat libertatem hominis, quem impellit, ducit tamen illum admiranda quadam, & libera violentia, qua homo miro quodam modo, quasi ligatus dicitur, & agitur ad actum, supra omnem rationis deliberationem. Secundum est, Paulum manifestè profiteri, quod non ipse seipsum ducebat Ierosolymam, in qua tot vitæ pericula erat incursurus: id enim sibi non liceret, si rem secundum rationis regulam expenderet, secundum quam vnusquisque tenetur cauere, vitareque pericula, vt ex professo demonstrat Sanctus Athanasius, qui illud peculiariter expendit, quod Dominus præcepit: *Cum vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Si à ciuitate iubetur recedere homo, in qua persecutiones contra eum excitantur, quantò magis tenebitur quis non ire in illam, vbi crudelis, & periculosa persecutio parata est. In Ierosolymam ergo, in qua persecutiones, & pericula erant contra Paulum excitanda, proceſſit, potius actus, quam agens, impulsus, & quasi alligatus spiritu. Si igitur ille, non seipsum confert in ciuitatem, vbi vitæ corporalis pericula statim erant contra eum excitanda, quantò magis homo tenebitur, non seipsum ducere, & ferre in ea loca, in quibus pericula animæ sunt sibi parata, & vbi iure timere potest, quod validæ tentationes sint contra eum commouendæ. Ad hoc institutum expendit Sanctus Chrysostomus, quod de Moyse scribit Apostolus: *Fide reliquit Ægyptum*, quod intelligit de eo tempore, quo Moyses è terra Ægypti fugit in terram Madiã, quomodo etiam intellerunt Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, alij quæ patres Græci, nec displicuit Diuo Thomæ. Quærit Chrysostomus, cur Moyses fugerit, reliqueritque terram Ægypti, si excellenti, validaque fide præstabat, quæ cor illius roborabat, ne malum aliquod timeret. Et respondet, benè dictum fuisse, fide illustratum Moysen fugisse, & reliquisse Ægyptum, quia hoc fides recta docet, quod homo fugiat loca, in quibus pericula se possunt offerre, nec ad illa accedat, nisi Deo ducente, & præcipiente; sicut nec Moyses redit ad Ægyptum, nisi ex Dei expresso mandato, & ordinatione. Cum periculum vidit in Ægypto, Ægyptum fugit, & reliquit, vt intelligas, non solum non te debere conferre ad loca, vbi tentari possis, & cadere, sed si in illis te inueneris, esse relinquenda, & fugienda. Quod etiam eloquenter idem profecutus fuit Chrysostomus, in hunc sensum trahens illud: *Orate, ne intretis in tentationem*, id est, ne ducamini in stadium. Non prouoces tentationes, inquit Chrysostomus, quando tibi ea, quæ ad pietatem pertinent, pro voto procedunt, vt quid tibi superflua accersis pericula. Tu quidem esto præparatus, sicut miles fortis in armis, perpetuò sobrius, vigilans, semper hostem expectans: bella sanè non excites, hoc quippe militis non est, sed seditiosi, &c. Cum autem te ad locum duxerit Deus, in quo inimicum inuenias, te aggredi

Hom 26. in epi. ad Hebr. *Heb.* 11. 27. *Incap. 1. ep. ad Heb.*

Hom. 5. in ep. ad Heb. *Matth.* 26. 41.

In Apolog. pro fuga sua. *Matth* 10.

gredi cupiētem, viriliter dimica, Deus enim qui te duxit, & quasi obtulit inimico ad tentandum, non patietur te tētari supra id, quod potes, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possis sustinere. Ex his intelliges, quam sit tibi necessarium fugere, & auersari occasiones peccatorum, & temetipsum in illis constituere. Quærit Sanctus Augustinus, cur Deus grandes excellentesque Sanctos permiserit, miserè cadere, qui in virtute egregios progressus fecerant, in illaque radicati videbantur, & firmiores cœlo rēputabantur, & respondet, id à Deo sapiētissimè dispositum, ad securitatem, quam de te præsumis eneruandam, & vt iudices nunquam in vita te iudicandum securum, quousque ad illam peruenias Ierusalē, cuius seras portarum confortauit Dominus, vbi nullus potest prævalere inimicus. Vnde Hieronymum docens Israelitas tendentes ad terram promissionis, figuram nostri tenuisse, annotat, illos vigesima tertia mansione castrametatos fuisse in Thaat, quod pauorē, ac timorem significat, est enim hic virtutum custos, cum sit securitas ad lapsum facilis, & ille dicitur, *Beatus est vir, qui semper est pauidus*: quam rem idem Hieronymus latius prosequitur exposito timore, quo Paulus semper angebatur, casu Luciferi, & aliorum, qui splendentes stellæ videbantur.

Lib. de correp. & gra. cap. 13.

Ep. 127. ad Fabiol.

Pro. 28. 14 Epi. 22. de cust. virg.

§. 20. *Christus validum arripuit ieiunium, contra diabolum pugnaturus, docens nos arma, quæ ad illum reuincendum accipere debemus.*

¶ 74. ET *cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Indicat sacer Euangelista, quale fuerit ieiunium, quod arripuit Christus. Non fuit ieiunium commune, quo Iudæi vtebantur, qui per diem abstinebant, vespere autem comedebant, & reficiebantur, sed ieiunium tale, quod per quadraginta dies, & noctes continuos, nullatenus comedit, aut bibit. Et hoc expresse asserunt Sanctus Lucas: *Nihil manducauit in diebus illis*, nomine manducationis, quamcunque refectionē, quæ per cibum, vel potum fit, intelligens. Ita Beatus Ignatius *a*, Cyrillus *b*, & Augustinus *c*, explicarunt, intellexitque Beatus Ambrosius *d*, dicens, quod Christus *vnum corpus effecit ieiunij*, id est, licet dies interrumperentur per noctes, & è contra, nullatenus tamen interruptum fuit ieiunium, expressit similiter Sanctus Augustinus, dicens: *Quadraginta dierum, & noctium curriculo cibū omnino nō capiens, vnum ac solidum ieiunij tempus effecit.* Sicque communiter Sancta tradit Ecclesia. Duo autem sunt hoc in loco explicanda, primum est, cur hoc dierum numero Christus Dominus ieiunare voluerit: secundum, cur tam aspero, validoque ieiunio carnem suam affecerit, quæ præterquam quod nullū inordinatum motum excitabat, non erat illa, contra quam bellum erat constitutum, sed diabolus. Ductus enim erat in desertum, non vt contra carnem pugnaret, sed vt tētaretur à diabolo. Et quidem, illud primum Sancti Patres explicant, multa annotantes circa numerum quadragenarium, qui aptissimus est ad singularia opera, præsertimque pœnitentiæ, & abstinentiæ exercendæ, de quibus Beatus Augustinus *a*, & alij

Luc. 4. 2.

a *Epi. 8. ad Philip.*

b *Lib. 2. de fide ad reginas.*

c *Lib. 3. de mirab. Sa. Scrip. c. 6.*

d *Serm. 23 Sermo 77. de temp.*

a *Lib. 2. de doct. Christian. c. 16.*

& alij quos supra retulimus, vbi tradidimus D. Augustini *a*, peculiarem rationem, expendentis, voluisse Christum demonstrare, Euangelium quod ipse tradere parabat, non contrarium, sed potius consonum esse legi, & Prophetis : *Lex enim per Moysen data est*, præmisso quadraginta dierum ieiunio *b*. Helias similiter, qui Pater, Magisterque Prophetarum dicitur *c*. quadraginta diebus ieiunauit *d*. Cum lege ergo, & Prophetis, Euangelium quod Christus tradit, quadrat, qui similiter præmisit ieiunium quadraginta dierum. Cyrillus Alexandrinus *e*, expendens legem illam, *f*, de percutiente prægnantem, aliam rationem tradit, quia scilicet in Christo nostra reformabatur natura, vt nouo partu nos ad vitam æternam parturiret : fœtus enim quadraginta dierum spacio in vtero materno effingitur, & formatur, vt animam rationalem, nonamque vitam secundum rationem recipiat, qui tantum vita animali viuebat, quæ omnia supra sumus prosequuti. Secundum autem maiorem habet difficultatem, quare scil. Christus Dominus commissurus bellum cum diabolo, tam valido, asperoque ieiunio carnem suam affecerit, aut confecerit: omnibus siquidem notum est, quod dixit D. Thomas tres esse inimicos animæ nostræ, mundum, diabolum, & carnem. Et quidem, quando bellum est contra carnem, quæ motibus inordinatis agit contra spiritum, aptè vtimur ieiunio, quo tales motus comprimuntur : non autem videtur ieiunium aptum ad pugnandum cum diabolo ; nam ieiunium contra carnem tantum agit, diabolus verò diuersam à carne, & sanguine habet naturam. Vnde, & clamat Apostolus : *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersas principes, & potestates.* Quibus verbis, longè esse diabolum à carne, & sanguine voluit demonstrare. Hanc difficultatem ex professo proposuit, & prosequutus est B. Augustinus libro peculiari de agone Christiano, & tam ipse, quam omnes sancti Patres eam expediunt ; dicentes aptè CHRISTVM Dominum prælliaturum cum dæmone, tam validum arripuisse ieiunium, vt nos doceret, inter validiora arma, quibus contra dæmonem pugnaturi possumus muniri, ieiunium primas tenere. Ita, & idem Augustin. asserés, ideò CHRISTVM ieiunasse primum, quia se contra dæmonem armabat, docens nos suo exemplo ieiunij arma esse arripienda, si volumus eum vincere. Similiter, & Chrysostomus, quia postquam mirabiles ieiunij effectus in Moyse, Elia, Daniele, Niniuitisque expenderat, subdit : Et quid seruos verso ? Ad communem Dominum veniamus, qui quadraginta dierum ieiunio declarato, sic cõtra diabolum certamen aggressus est, omnibus nobis exemplar dans, vt per illud armemur, & ex illo robur sumamus, ac si aciem contra illum instruamus. Ita, & Basilius *a*, Cyprianus *b*, & Tertullianus *c*, quorum sententia refert diligens, & recens autor *d*. Quod ex professo etiam demonstrauit Diuus Thomas *e*, ex eisdem Augustino *f*, & Chrysostomo *g*, quem sequutus Euthymius *h*, primum, inquit, ieiunauit CHRISTVS, innuens, quod magnum propugnaculum sit ieiunium. Et certè Beatus Augustinus *i*, hoc suæ disputationis statuit fundamẽtum, quod corona victoriæ non repromittitur, nisi certantibus : rectè namque Paulus clamat *k* : *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit* : qui, & de seipso dicit *l* : *Bonum certamen certaui, &c. reposita est mihi corona iustitiæ.* Debemus autem, inquit, cognoscere, quis sit ille aduersarius, quem si vicerimus, coronabimur, & quomodo ille à nobis reuincendus est. Vt hæc duo nobis demonstraret, venit Filius Dei in mundum *m*, *Qui in hoc apparuit, vt dissoluat opera diaboli.* Aduersarius enim, quem superare, & vincere venit, ostendit *n*, esse diabolum, quando Pharisæis blasphemantibus, quod dæmonem eiecisset ex pacto, & conuentione cum illo, demonstrauit ex professo, hoc esse falsum : sed eum eiecisse, tanquam inimicum, ad quem reuincendum venerat. Modum etiam, quo eum vincere aggreditur, nunc ostendere vult, demonstrans, ieiunium esse arma, quibus se munit, ad eum reuincendum : vt inde nos agnoscamus

a *Epist. 119. ad Ianua. cap. 15.*
Ioan. 1.
b *Exod. 34 & Deu. 9.*
c *4. Reg. 2.*
d *3. Reg. 19*
e *Libr. 8. de adorat. pat. 190.*
f *Deut. 21.*
3 p. qu. 41. art. 1.
Eph. 6. 12.
Lib. de agone Christ. tom. 3.
Serm. 157. de temp.
Hom. 1. Hexaeme.
a *Hom. 1. de ieiun.*
b *Li. de ieiun & tem. Christi.*
c *Li. aduer. sus Psychicos, cap 8.*
d *Xua. 3. p. q. 41. disp. 29 sect. 2.*
e *3 p. q. 41. art. 1 & 3.*
f *4 De Trinit. c 13.*
g *Hom. 13. in Matth.*
h *In cap. 4. Matth.*
i *Libr. de agone Christia. in pri.*
K *2. Tim. 2 5.*
l *2. Ti. 4. 7.*
m *1. Ioa. 3. 8.*
n *Luc. 11.*

aduersarium nostrum diabolum esse: & similibus armis à nobis esse superandum. Dominus Iesus, inquit Ambros. volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus, quia aliter illecebras mali non possumus vincere. Hæc egregiè prosequitur D. Thomas: quæ possumus explicare, multa desumentes ex Beato Gregorio, & expendentes factum Gedeonis, quod cœpimus supra annotare, quodq; Gregorius confert peculiari prophetantis mysterio dispositum fuisse. Misera seruitute, & durissimo iugo subiecerant Madianitæ, & Amelicitæ populum Dei, iustè id ipso Deo propter eorum peccata permittente, vt sacra narrat historia, sed ipsemet Deo tandem misericordi terageute, & volente populum suum ab illorum crudeli tyrannide liberare, elegit tanquam ducem populi sui Gedeonem, cui dixit: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian, & Amalec, quorum populi fusi iacebant in valle, vt locustarum multitudo: cameli autem innumerabiles erant, sicut arena, quæ iacet in littore maris* Vt autem Gedeon tam ingentem, ac validam inimicorum vinceret multitudinem, ex Dei præcepto elegit milites designatos trecentos, quos comprobauit ad aquas, vt sacra historia refert. Et arma, quibus eos muniuit, non fuerunt hastæ, aut gladij, aut tormenta bellica, sed lagunculæ terreæ, & tubæ: Iussit enim, vt vnusquisque eorum, sinistra manu lagunculam vacuam acciperet, intra quam lampas lateret (vbi Abulensis notat, lampadis nomine, Hebræorum more intelligi faculam, aut tadam, vel titionem accensum, aut ignitum, qui facilè teneri, difficile autem extingui posset: quod, & annotauit Lyra, obseruans, quod orificia lagenarum, erant inferius versus manus tenentium faculas) dextra autem teneret vnusquisque tubam: Omnibusque præcepit, dicens: *Quod me facere videritis, hoc facite. Ingrediar partem castrorum, & quod fecero, facite.* In Hebræo, vt annotat Varablus: *Ex me videbitis*, aut *me expectate*: id est, diligenter attendite, & videte, quæ ego ago, & ita facite. *Ego veniã ad primam partem castrorum* (aut vt legit Varablus *Ego primus bellum aggrediar, quod fecero, hoc idem facitamini*. Dum ergo tempus instabat committendi bellum, Gedeon tanquam dux, omnes antecedens, ad conferendam lagũculam suam conuertit vires, eam confregit, sicque apparuit titio ignitus in manu sua: adiecit statim clangorem tubæ, per quam personare contra inimicos cœpit, & factum est, quod *omnia* inimicorum *castra turbata sunt, & vociferãtes vlulantesque fugerunt, &c.* Admirandus sanè præliandi modus, quo nullus militum iecit lapidem, vel sagittam contra inimicos, sed ictus contra proprias lagũculas conuertebant, sicque inimici superati sunt. Quis vnquam (inquit Gregorius, à quo, & verba mutuatus est Beda *a*) cum lagenis, & lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profectò fuissent, si terribilia hostibus non fuissent. Sed ad insigne mysterium exprimendum, hæc à Deo ipso ordinata sunt, vt nobis scilicet fieret manifestum, quomodo inimicæ potestates à nobis essent reuincendæ, quæ duro iugo, aspero, acty rannico dominio, humanum genus subiecerant: vt vocarentur, *Principes mundi huius, & rectores tenebrarum harum*. Ad huiusmodi enim potestates superandas missus est Dei filius, tanquam dux noster, qui victurus erat, eo modo quo Gedeon vicit Madianitas. Cui propterea, inquit Gregorius, dictum est: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian*, Vnde, & nomen Gedeon mirè in eum quadrat. Nam Gedeon, inquit Gregor. interpretatur, circumiens in vtero: quod egregiè Christo conuenit, qui Virginis vterum circumire dicitur, assumens ex eo humanam naturam, sicut qui circuit forum, assumit ex eo panum quo induit seipsum. Hic milites designates elegit trecentos, quos in aquis designauit, nam Christus Dominus, vt supradictum est, elegit Christianos omnes, quos in aqua baptismi milites designat. Et rectè trecenti erant numero, quia, vt ait Gregorius, dixeratque prius Augustinus *a*, numerus tre-

Epist. 82 ad Ecclesiam Vercellens.

3. part. cit. Leo. 30. num. ca. 31. & 325 Iudi. 7.

Iudic. 6.

Super hunc locum.

¶ 76.

Ibid.

a Lib qq. in lib. Iud. c. 5. to. 8 & habetur in gl. ordin.

Eph. 6 12.

Isa. 9 4.

trecentorum, apud Græcos, litera, T. exprimitur: ſicut apud nos centum exprimitur litera C, & quingenti litera D. Tau autem figuram Crucis expreſsè refert. Quia ergo hic numerus in T littera continetur, & per eam ſpecies Crucis oſtenditur, meritò in ijs trecentis Gedeonem ſequentibus, illi deſignantur, quibus dicitur: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Numero iſto deſignati milites Gedeonis, pugnant, quia Crucem CHRISTI in corpore ſuo exprimere debēt, qui Chriſti diſcipulos, & milites ſe eſſe gloriantur. *Mihi*, ait Paulus, *abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Glorientur alij in diuitijs, alij in nobilitate: ego qui CHRISTI ſum miles, in hoc glorior, quod ad trecentorum numerum pertineo. Videamus ergo Gedeonem noſtrum, quibus armis ad pugnam procedat. Lagenam certè, aut hydriam, in qua ardens facula continebatur, & tubam ſonantem ſecum fert. Hidriæ, inquit Beatus Ambroſius, ſunt corpora noſtra, figurata de limo, ratione quorum homines vocantur vaſa figuli, aut terrea. Ferebat CHRISTVS hidriam, id eſt, corpus mortale, carnemque fragilem, intra quam erat diuinitas puriſſima, mundiſſimaque, quæ propterea igne deſignatur in rubo, & dicente Deo: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Ignis namque nullas patitur ſordes, imò omnibus illis purgat metalla. Et quaſi oſtendens Paulus ardentem faculam intra lagunculam, inquit: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter.* Ferebat, & tubam diuinam, ſ. legem, quam *non venerat ſoluere, ſed adimplere.* Sicut ergo miſit Deus Gedeonem cū lagena, & tuba, ita *miſit Deus* (inquit Paulus) *filium ſuum, factum ex muliere*, de qua habuit corpus mortale, tanquam lagenam, *& factum ſub lege*, qui ſe diuinæ legis obſeruantiſſimum exhiberet, cuius præcepta tanquam tuba inſonante proponeret. Et ipſe primus certamē aggreditur, cum innumera dæmonum multitudine: quamuis enim vnus exhibeatur loquens, & tentans, aderāt tamen innumeræ dæmonum legiones, vt dicemus. Primumque omnium, iam cum inimicis volens conſerere manus, per validum ieiunium ad ſuam lagunculam conterendam ſe conuertit: carnem enim ſuam macerat, & afficit, & quaſi conficit ieiunio quadraginta dierum, & noctium; oſtenditq; ibidem animum ſuum, tanquam igne ardenti ſuccenſum, id eſt, nitidum, mundum, purgatum, ſordibus cunctis expertem. His adiecit Scripturæ ſacræ, ac diuinæ legis, cuius præceptis, tanquam ſonantis tuba clangoribus contra inimicos perſonat, dicens: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane, &c. Scriptum eſt: Non tentabis, &c. Scriptum Dominum tuum adorabis*, quo omnes illas infernales turbas in fugam conuertit. Ad nos propterea clamat, dicens: *Ex me videte: quod me videritis facere, facite.* Ex ijs, quæ egi ego, videte quæ vobis facienda relinquo: eadem enim, & vos facere oportet, conuertere ſcilicet manus ad lagunculam, quam fortis conterendam, ad caſtigationem ſcilicet carnis, & eius mortificationem, qua (vt inquit D. Thom.) animus purgatur tanquam igne, & lucidus redditur. Sicut enim offuſcatur ille, & quaſi tenebris offunditur, ex comeſtationibus, & ebrietatibus, quæ vapores emittunt, quibus rationis, & mentis lux, quaſi nube tegitur, ita ſerenus illucet intellectus, cum ieiunij, vapores inſurgentes ad caput ex ſtomacho abſumit: tuncque propterea aptè poteſt homo diuinæ legis tuba perſonare, quam Deus illis propoſuit, tanquam regulam, cui actiones ſuas conformet, quam & ſeruare tenetur; quippe quæ data eſt à Deo, cui tot, tanque validis titulis obedire ſumus obligati. (?)

47. & ſer. 108. de tēpore.

Matt. 16. 24. ¶ 77.

Gal. 6. 14.

Lib. 1. de Spiritu S. c. 16.

Deut 2. 42 & Heb. 12. 29.

ad Col. 2. 9 Matt. 5.

Gal 4 4.

1. p. q. 42.

§. 21. *Ieiunium, etsi contra carnem esse videatur, verè occludit ostia dæmoni, quod, & Angelus, dum de piscis corde, & iecore comburendis egit, docere voluit.*

¶ 78. SI his quæ diximus, opponas: ex his quidem, iam aliquo modo patere, quid nos agere debeamus ad vincendum potestates inimicas, dubium tamē adhuc explicatum non esse, quare CHRISTVS Dominus ad bellum cum diabolo gerendum, munierit se ieiunio, & cur doceat, nos similiter armari ieiunio ad vincendum eundem: ieiunium enim, tantum videtur aptum ad carnem comprimendam, non autem dæmonem. Hoc variè explicant Sancti Patres, Sanctus Gregorius Nyssenus, Beati Basilij frater, qui in rebus militiæ Christianæ fuit fuit peritissimus (cui Theodoretus *a*, principatum tribuit inter eos, qui monasticæ vitæ, & seueræ viuendi disciplinæ operam dederunt) rem explicat *b*, exponens illud: *Panem nostrum quotidianum, &c.* annotans, diabolum venisse ad tentandum Patres nostros in Paradiso, sub serpentis specie, eò quod serpentis tenuerit astutiam, & morem. Hic enim est serpentis mos, quod cum totum corpus introducere vult, primò nititur intromittere caput, quo inducto, facilè totum corpus inducit. Caput diaboli, gula est, aut ciborum nimius appetitus. Hoc primò introducere curat, vt statim totum corpus intromittat. Ita se gessit diabolus cum patribus nostris: principio namque curauit introducere caput, gulam scilicet, aut cibum in ventrem, ad cuius ingressum continuò tot tantaque innumera mala cōsequuta sunt, vt totum corpus introduxisse diabolus visus fuerit. Inde enim rebellio carnis ad spiritum, & desideria terrena, affectusque innumeri à recto deflectentes, vt cibus ille à diabolo inductus in ventrem illorum, Troiano equo similis videatur, ad cuius introductionem, simul introducti sunt tot, tamque validi milites inimici, qui ciuitatem totam tumultuoso bello repleuerunt, & ardentibus flammis succenderunt. Hancque pugnandi rationem, & modum diabolus deinde insequutus est, quippe cui primò tam ad votum res successerant. Nam expugnare nos volens, hoc præcipuè curat, vt carnem nimio cibo, ac potu repleamus, ad quorum ingressum statim innumeri affectus insurgunt, qui tanquam dæmonis milites; *militant aduersus animam*, contra quam crudele bellum excitant, & desiderijs ardentibus, quasi flammis, spiritum succendere nituntur. Non Ætnæi ignes, inquit Hieronymus, non Vulcania tellus, non Væseuus, & Olympus, tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ: ideò ab eodem Hieronymo, prima dæmonis arma, vocatur immoderatus potus, quem enim vincere desiderat, primò ad nimium cibum, & potum excitat, vt inde omnia mala inducat. Ita se gessit diabolus tempore Noe, vt annotauit Chrysostomus, vt totum orbem subiugaret, ita tempore Lot, vt Sodomorum euerteret ciuitates, ita tempore Moysi, vt Israelitarum populum sibi subijceret, vt supra late expositum fuit. Hæc sunt, quæ Deus ad beatum Iob de dæmone, sub elephanti figura dixit: *Huic montes herbas ferunt, omnes bestiæ agri ludent ibi.* Hoc de elephanto quidam ideò dictum existimant, quod voraciissimus sit, ad quem vnum sustentandum videntur necessarij omnes montes herbiferi: qui cum in illis pascitur, ita se mitem exhibet, vt coram eo cætera animantia, adeo sine timore subsistant, vt ludere dicantur. Quibus aliquo modo concinunt, quæ de elephanto Plinius scripsit. Cæterum commodius multo de dæmone, quem Deus præcipuè describebat explicantur. Loquiturque de illo, quantum ad ipsius corpus. Huic, inquit, montes herbas ferunt. Corpus dæmonis sunt omnes iniqui, voluptatum, & delitiarum amatores, vt sæpè Beatus Gregorius annotauit. Huic montes herbas ferunt, nam ad hoc dæmonis corpus impinguandum, delectan-

a *Li.4.c.28*
b *Orat.4. in or. Dom. Luc.11.3.*

1. *Pet.5:11*

Epist.10. ad Furiam de seruanda viduitate.

Epist ad Eustochiū de custodia virginitatis.

Homi.1. in hexaem.

¶ 79. *Iob.40.15.*

Lib.8.c.7.

standum, & voluptate afficiendum, omnia fructificare videntur: ad illius delitias, voluptatem, & gulam seruiunt montes, & valles, campi, & horti, maria, & aera: ad voluptates illius quæruntur herbæ delitiosæ in montibus, fructus suaues in vallibus, expiscantur pisces maris, aues aeris capiuntur, & nemorum conquiruntur feræ. Sed quid inde sequitur? *Omnes bestiæ agri ludunt ibi.* Bestiarum nomine vitia intelliguntur, quæ quia tunc liberè oriuntur, & procedunt, dicuntur ibi ludere. Ex nimia enim voluptate carnis illa vitia oriuntur, quæ Paulus enarrat, *fornicatio, immunditia, impudicitia, ira rixæ, &c.* Et verè accidit, quod dixit Esaias: *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenes in delubris voluptatis*, quem locum egregiè Beatus Chrysostomus ad nostrum explicat institutum. Quid mirum, si videas tot tantaque vitia liberè in te ipso discurrere, & quasi ludere, si corpus tuum ita voluptatibus impinguas, vt facias omnes mundi delitias illi seruire? si ventri tuo inseruiunt montes, valles, maria, &c. Ex hac ergo radice diabolus talia germina producit. Ex his infert D. Gregorius Nyssen. optimè Deum ipsum statim in mundi exordio voluisse exprimere modum, quo serpens superandus esset, conterendo scilicet caput illius: ad hoc enim, inquit, præcepti Domini pertinet inuolucrum, & ænigma: *Tu obseruabis caput eius.* Si fugis bestiæ contubernium, atque cohabitationem, caue caput, contere caput per abstinentiam, & validum ieiunium: sicut enim si serpentis caput abscindas, aut conteras, nō patet illi via ad ingrediendum, aut nocendum, ita dicere possumus, quod carne compressa per ieiunium, & contrito appetitu gulæ, & ventris, videtur occlusa via diabolo ad inuadēdum hominem; neque dæmonum insultus, dixit Basilius ieiunantem impetere audent, quem sicuti serpens, illum, qui eius caput petit, auersantur, & fugiunt. Ex his facilè explicari pos-

ad Gal. 5. 19.
Esai. 13. 21
Homi. 6. in Matth. in fin.
Genes. 3.
Hom. 2. de ieiunio.

se credo quæstionem grauem, quam multi authores pertractant, circa remedium illud, quod ad dæmones fugandos docuit Raphael Archangelus Tobiam. Occurrerat ad oras Tigris fluminis, piscis immanis, volens Tobiam inuadere, quem Theophylactus *a* credit fuisse Balænam, similem illi qui deglutiuit Ionam: Carthusianus *b* Crocodilum, qui ita solet pueros deuorare, vt aliquando in eius ventre tres integri pueri reperti fuerint. Fr. Cisc. Gregorius *c* credit fuisse Lucium, & non incongrua esset omninò sententia, si non istum Lucium communem intellexisset, sed lupum marinum, qui à Græcis dicitur λύκος Vallesius *d* opinatur fuisse Callionymum, de quo Galenus *e*, & Plinius *f* dicunt piscem esse carniuorum, & immanibus, ferratisque dentibus, quem Aristoteles *g* docet, ad vesperam circa littus dormitioni se tradere, quem alij, vt Plinius ait, Vranoscopum vocant. Et videtur idem piscis, ac ille, quem Rasis *h* vocat Saboth, quem Andreas Bellunensis ait, apud Persidem in flumine Phora reperiri. Et quamuis apud Plinium, & Opianum piscis marinus sit, probat tamen Valles, pisces maris, aliquādo in fluminibus reperiri, variis occasionibus. Et hanc sententiam veram iudico: neque enim balænam esse credere possumus, cui nihil eorum, quæ Angelus de pisce illo dixit, balænæ conuenire quispiam dixit. Neque credo crocodilum: nam crocodilus ex aquis extractus; liberè in terra ambulat, & non palpitat, sicut de pisce illo sacra narrat historia. Iussu ergò Angeli Tobias extraxit piscem, & exenterauit, seruauitque eius cor, iecur, & fel, ex eiusdem Angeli præscripto, qui dixerat, hæc *esse necessaria ad medicamenta vtiliter*. Quærenti autem Tobiæ, quodnam remedium illa possent præstare, respondit: *Cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, à viro siue à muliere, vt vltra non accedat ad eos*; id est, vt non pateat via accedendi ad eos. Vbi id obseruandum est, quod quāuis in Vulgata tantū habeatur hoc

Tob. 6.
a apud Seuer. ē Tob. c. 6. p. 92.
b in Tobiā.
c Tom. 6. problem. 189.
d Lib. de sacra philos. c. 42.
e Lib. 10. de simplic. med facultat. c. 12.
f Li. 32. c. 7
g Lib. de animalib.
h Libro 3. c. 27.

loco *cor*, in græco tamen habetur *cor*, *& cur*. Vnde cum Tobias vellet ponere super carbones, ad dæmonem effugandum, partem, dicitur quod *protulit de cæsidili suo partem iecoris posuitque super carbones*, vbi quamuis in Vulgata tantum habeatur iecur, in græco tamen habetur, *iecur*, *& cor*. Itaque græcè prius ita habetur: *cordis, & iecoris particulam, si superpenas*, &c. postea verò, *protulit de cæsidili suo partem cordis, & iecoris*. Et ita legit B. Athanasius *a*, & Beda *b*. Itaque præcipit Angelus seruari cor, & iecur; quæ appositæ prunis, fumo suo extricant omne genus dæmoniorum. Est igitur grauis quæstio circa hæc angeli verba: videtur enim indicare, quod hæc naturalem habeant vim effugandi dæmones: idque magis apparebit, si vim verborum angeli expendas. Dixerat ille, hęc esse vtilia ad medicamēta: quærit Tobias vim horum medicamentorum: respondet: *Cordis, & iecoris particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum à viro, siue à fœmina, vt vltra non accedat ad eos*. Quis Dioscorides, Plinius, aut Mathiolus (inquit quidam recens author) insitam herbæ vim aliter enuntiet? Quibus alijs verbis, quæ natura suggerit medicamenta, eloquantur Theophrastes, Hippocrates, vel Galenus? Hinc quidam crediderunt verè habuisse vim naturalem cor, & iecur illius piscis, ad effugandos dæmones: & ita nonnulli existimant, de quibusdam herbis, aut radicibus, vt de hypericone, ruta, rhamno. Ioseph. *a* ait, radicem Baraas, ita dictam à loco Baraas, dæmones fugare. Vidi, inquit, quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filijs, & tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos qui à dæmonio vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi: Intulit naribus eius, qui à dæmonio vexabatur, habentem subter signaculum, radicem à Salomone monstratam, deinde dæmonem per nares odorantis abstraxit. Et iterum *b* ait, plures radices à Salomone indicatas, quæ hanc vim habebant. Plinius *c* Pœoniam nigram contra Faunos vtilem ponit. Faunos autem esse dæmones, docuerunt Hieronym. *d*, & Augustinus *e*. Tradit Apuleius *f*, Verbasci virgultum, vtilem ad omnem maligni incursum vitandum. Dioscorides *g*, Rhamniramum, ait vtilem ad venefica pellenda. Vabarum nigrarum robur contra spectra celebrauit antiquitas, & huiusmodi credūt aliqui Solisequium, Leuesticum, Hypsopum, Saluiam, Pulegium, Sambucique folia; quibus fauere videntur verba quędam Hieronymi in Decreto *h* attributa; & quæ traduntur in libro ad exorcizandum compositio, qui dicitur Flagellum dæmonum, in quo *i* præcipitur, vt benedicta ruta, energumeni naribus admoueatur, & K statuitur quod accipiatur sulphur, Galbanus: assa fœtida: Aristolochia, Hypericon, & Ruta, omniaque propria benedictione benedicantur: in ignemque proijciantur. Concors tamen Catholicorum sententia est, quod nulla res naturalis, siue animata, siue inanimata, herba, arbor, radix, lapis, fumus, nidor, aut odor potest naturali virtute dęmonem expellere. Huius rationem omnes assignant, quia in omnibus rebus naturalibus virtus agendi est ipsa qualitas, siue prima, vt calor, & humiditas, siue secunda, vt odor, vel sapor: at istæ qualitates, quoniam sunt accidentia corporum elemētatorum, non possunt agere, nisi in elementata corpora; & ideò nec in corpora cœlestia, quæ ex elementis non sunt compositæ, agere possunt: multo ergò minus poterūt agere in substantias merè spirituales, quales sunt dæmones. Hanc rationem perpetuò sequutus est D. Thomas, quā latè prosequitur Abulensis *l*. Et hæc fuit sententia Iustini Martyris, qui ad gentilium artes hæc omnia pertinere sensit, quos dæmon varijs deceptionibus subijciebat: Cui, & S. Augustinus subscripsit, dicens: dæmones nullo fumo, aut nidore delectari, aut fugari, sicut nonnulli vani, inquit ipse, opinantur, sed hominum pascuntur erroribus, quibus hæc suadere diabolus conatus fuit, vt eos ad sui adorationem, & cultum, aut ad superstitiosa

opera

Tob 8.

Tob 6.

Ioh. 8. *in Synodo. in Tob.*

Seruar. in Tobiam.

a *Lib*. 7. *de bello Iud. c*. 25.

b *Lib*. 8. *antiq. c*. 2.

c *Li*. 25. *c*. 4

d *In vita S. Hilario.*

e 25. *de ciuit. c*. 23.

Cassian. li. 7. *c*. 32.

f *Lib. de virtu. her. c*. 71.

g *L*. 1. *c*. 98

h 26. *q*. 7. *c. dæmoniũ, quod est vltimum.*

i *Exorcis*. *mo* 4.

K *Exorcis*. *mo* 6. ¶ 81.

l *In* 1. *Reg. c*. 16 *q*. 42. *& seqq.* 11. *de ciuit. c*. 6.

opera traheret; cuius de hac re habe-
a 26. q. 7. c. *Non obſeruetis.* tur decretum. *a*. Et annotauit eius Scholiaſtes Viues *b*, explicans illa verba eiuſdem Auguſtini. Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum, &c.
b Li. 21. de ciuit. c. 6. Dæmones ipſos ſæpiſſimè docuiſſe homines, quibus potiſſimum delectarentur rebus tenerenturque. Infinita autè ſunt hæc, vt nihil fere naſcatur ſub Luna, quod nõ ad aliquos alliciendos dæmones valeat, & ad magicam facultatẽ cõferat, ſicut Michael Pſellus *c*, docuit. Italille. Et ipſemet Auguſtinus *d* ex profeſſo contra Porphyrium agens, ex ipſomet Porphyrio demonſtrat, c Lib. de dæmonib. d Li. 10. de ciu. c. 11. car dæmones quibuſdam delectentur nidoribus, & fumigationibus: ipſe enim met Porphyrius *e* dixit, non tantum vulgus ipſum, ſed, & Philoſophos, ac ſapientes à dæmonibus deceptos, qui cultum Deorum in ſe transferre ſtudent, &c. videndus eſt Viues *f*: quod, & iterum repetit idem Auguſtinus *g* docens; dæmones quibuſdam rebus corporeis allici, aut fugari ab hominibus, quos ipſi prius aſtutiſſima calliditate ſeducunt: quo etiam in loco rem totam Beatus Auguſtinus explicaſſe viſus eſt, annotans, quod dæmones illiciuntur per creaturas ad inhabitandum; non quod eis delectentur, ſicut animalium cibis, ſed tanquam ſpiritus quibuſdam ſignis quæ repræſentantur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carnium, rituum. Ita videmus dæmones elegiſſe ad ſui inuocationem hœdum nigrum, occiſionem talis, vel talis animalis; huius, aut illius herbæ ſuffitum: non quod hæc in ſe aliquid habeant virtutis, ad dæmones conciliandos, vel effugandos, ſed ratione alicuius ſignificationis, quæ ibidem exhibetur; ratione cuius, etiam aliquæ res naturales ſunt, quas aptè Eccleſia adhibet, præmiſſa benedictione ad dæmones fugandos, quibus, vel ſignificat contemptum, quo eos proſequitur, per fumigationem ſulphuris benedicti, aut rutæ: vel inducit Chriſtum Dominum, per applicationem carei accenſi ſignificatum, &c. De quibus non vacat latius diſputare. Ex his videtur Auguſtinus progredi ad explicandum; cur illius
f Ibid. g L. 21. de ciu. c. 6.

¶ 82. *Sermon. 4. SS. Petri. & Pauli.*

piſcis cor, & iecur applicatum igni, vim haberet ad effugandos dæmones: id enim non habuit piſcis ille ex naturali virtute, ſed ex ſignificatiua, qua CHRISTVM exprimebat; & ſequutus eſt Auguſtinum D. Proſper *a*. Myſticum (ait) actioni huius, hoc eſt, quod ex interioribus piſcis, & dæmon fugatus eſt, & Tobias illuminatus. Piſcis enim ille Chriſtum ſignificabat, quẽ hoc nomine vocatum fuiſſe à Sybillis refert, qui ex carne ſatiat, & ex cuius interioribus in paſſione ſua decoctus, illuminatur homo, fugatur diabolus; quod ſimiliter Auguſtinus *b* preſequutus fuerat. Aliud tamen myſterium indicat Ambroſius *c*, ibidem expreſſum fuiſſe. Notum eſt, cor, & iecur duos eſſe fontes, in quibus generatur ſanguis, & ex quibus ad totum corpus ille diffunditur. Eſt namque duplex ſanguis, vt obſeruauit Galenus *d*, arterialis vnus, qui per arterias diffunditur, in quo ſunt ſpiritus vitales, ardentes, & validi, ac viuaces, quem propterea idem Galenus vocat flauum, tenuem, ſubtilem, ſpirituoſum, & feruentem; alter venalis, qui per venas defluit, tanquam per quoſdam canales, quo tota irrigatur caro, quo, & nutritur, augetur, & roboratur. Et quidem cor, eſt fons, & origo ſanguinis arterialis, à quo tanquam à principio, & fonte, per arterias in totum corpus deuehitur, & diſpenſatur. Iecur autem eſt principium, & fons ſanguinis venalis: ibi enim talis ſanguis generatur, & per venas in totum corpus fluit, quo caro alitur, & ſuſtentatur. Ideoque à Galeno *e* vocatur iecur, officina ſanguinis, & à B. Gregorio Nyſſeno *f*, agente de humani corporis ſtructura, vocatur fons ſanguinis. Quam doctrinam latè explicant inter alios Andreas Laurentius *g*, & Carolus Stephanus *h*. Vnde per cor, & iecur intelligitur omne principium ſanguinis, quo caro nutritur, roboratur, accenditur, & valida redditur, quo concupiſcentia eius fouetur: ideoq; B. Hieronym. *i* annotauit, communiter aſſeri, concupiſcentiam eſſe in iecore, quod Baſilius *k* vocat concupiſcentiæ organum, adducens ad id probandum nonnulla ſa-
a Lib. de promiſſ. & prædic. p. 2. c. 39.
b Lib. 18 de ciu. c. 23.
a In hymno feria Sabbati.
d Lib. 4. de vſu partiũ c. 4. 16 17. & lib. 6 de placitis. Hipocrat. & Plato per totum.
e Lib. 4. de vſu p. c. 17.
f Li. de opifici hom. cap 30.
g Lib. 1. de opere anathomico, c. 17. q 32.
h Lib 2. de diſſectio. partiũ corporis humani, c. 9.
i In cap. 12. Matth. in Matth. in illud de fermento
k Libro de vera virg. ad ſip 146

cræ Scripturæ loca. Quare per ſucceſſionem, & conſumptionem cordis, & iecoris ſuper prunas, intelligitur validum ieiunium, quo caro purgatur, & emundatur, exiccatur, roburque amittit: ignis enim, vt ſupra diximus, hoc habet ſibi proprium, res quæ in ipſum conijciuntur, mundare, purgareque. Optimè ergo Angelus dixit, diabolum fugari, nec inuenire viam qua ingrediatur, ſi comburatur igne cor, & iecur, quia ſi caro valido ieiunio fuerit compreſſa, & eius impetus, & affectus purgati extiterint per mortificationis opera, dæmon inualidus redditur, ligatuſque remanet, cui quaſi non ſuppetunt manus, quibus agat, aut pedes, quibus procedat, quando carnis motus fuerint per validum ieiunium compreſſi. Quod vt clarius indicaret Angelus, dum Tobias comburebat cor, & iecur piſcis, demonem facillimè ligauit, longeque religatum reliquit. Hæc meditatus videtur fuiſſe Ambroſius, ita canens: Lumbos ieeurque morbidum. Adure igne congruo. Accincti vt ſint perpetim. Luxu remoto peſſimo. Hinc illa celebris Beati Chryſoſtomi ſententia: Vbi ieiunium adeſt, non habet qua diabolus ingrediatur: ſi immundus ſpiritus ieiunij perſpexerit vultum, ceu lapis immobilis redditur. Hæc, & Hieronymus docuit, expendens duo ſcripturæ ſacræ loca: primum circa Danielem, qui cum obiectus fuit leonibus, eis, inquit Hieronymus, horribilis fuit, nec eis patuit via, qua in eum ora conuerterent: Secundum de Propheta miſſo ad Ieroboam, qui ieiunus miracula fecit, pranſus autem illico, hoc ipſo ſe aptauit, vt leonis præda fieret, quia, qui tamquam *leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, non habet vnde poſſit mordere illum, qui carnem ſuam ieiunio valido habet compreſſam, facilè autem ſuperat, qui cibo potuque ventrem replet: de quibus ſupra ex profeſſo dictum fuit. Hiſque alludere viſus eſt Apoſtolus, cuius fuit illa vox: *Caro, & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*, qui adhortans fideles, vt arma lucis ſumerent, ſanè quibus imminebat bellum contra principes, & rectores tenebrarum harum, primum omnium ſtatuit abſtinentiam, quaſi illa poſita nullus locus relinqui videretur alijs vitijs. *Abijciamus*, inquit, *opera tenebrarum, & induamur arma lucis, &c. Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, &c.* Vt ſi quaſi amputato capite ſerpentis, nullus eius corpori relinquatur locus, quod Angelus adoleſcenti Tobiæ ſub inuolucris docuit manifeſtè, Spiritus ſanctus ſancto Hilarioni inuenculo demonſtrauit, dequo præmittit Hieronymus, in prima ætate cœpiſſe dæmonem ſuperare. Quid, inquit, faceret diabolus? Quo ſe veteret? qui gloriabatur ante dicens: *In cœlum aſcendam, ſuper ſidera cæli thronum meum ponam*, cernebat ſe vinci à puero, & prius ab eo calcatum fuiſſe, quam per ætatem illum calcare potuiſſet. Titillabat itaque ſenſus eius, & pubeſcenti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti, cogitare quod neſciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans, quaſi cogitationes cæde manus poſſet excludere: Ego, inquit aſelle faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis: fame te conficiam, & ſiti, graui onerabo pondere, per æſtus indagabo, & frigora, vt cibum potius, quam laſciuiam cogites, &c. Quam diu ergo fame, ac ſiti comprimitur caro, dæmonis æſtus fugantur. Optimè Beatus Baſilius agēs de Sampſone: Ieiunium, inquit, Sāpſonem inſtar nutricis enutriuit, & donec viro ipſum adhęrebat, per miliaria hoſtes cadebāt & portæ inimicorum diuellebantur, & leones manum robur non ſuſtinebant; vbi verò ebrietas, & ſcortatio ipſum apprehendiſſent, iam hoſtibus captu facilis erat, &c. Ex his intelligere licet, cur dæmon tam facile homines ad omnia vitiorum genera pertrahat, imò, & ea in eorum cordibus introducat: nam cum totum caput ſerpens infernalis introduxerit, eos ad ſummam gulam adducens, & ad innumeram ciborum copiam, & abbundantiam pertrahens; quid mirum, ſi inde ſequan-

Rom.13.12

In vita S. Hilarion.

Eſa.14.14.

Serm.2. de ieiun. to.5.

Li.2.contr. Iouinian.

q 83.

3.Reg.13.

1.Pet.5.8.

1. Cor.15. 50.

Hom. 2. de ieiun. citat.

sequantur luxuriæ, iræ, rixæ, furta omniaque alia peccata, ad quæ diabolus postea per carnis affectus incitat.

§. 22. *Dæmon dicitur serpens gradiens super ventrem, vt sciremus, quia ex ciborum abundantia vires sumit ad tentandum.*

¶ 84. SEcundus modus explicãdi, cur Christus Dominus, cum aggrediturdiaboli insultus, & impetus frangere, se valido ieiunio munit, est B. Gregorij Papæ, explicantis illud, quod dixit Dominus ad serpentem: *Super pectus tuum gradieris.* Circa quæ verba obseruandũ est ex Caietano, & Lippomano, in hebræo haberi vocem *Gahon*, quæ potius significat ventrem, quam pectus: ideò autem in Vulgata, positum esse pectus, quod in serpentibus nullum propè discrimen sit pectoris, & ventris. Et ita habet Chaldaica: *Super ventrem tuum gradieris*: quamuis Septuaginta, vt annotat Hieronymus vtrũque posuerint, *super pectus tuum, & ventrem tuum ambulabis*, quam lectionem sequuti sunt Chrysostomus, Ambrosius, Eucherius, Isidorus, & alij, quos refert Lippomanus *a*, quam peculiariter sequitur Gregorius *b*. Quamuis autem his verbis visus sit Deus ad serpentem loqui, & ita accipiunt Sancti Patres. Ephrem Syrus, Didymus, Epiphanius, Chrysostomus, & alij, quorum quidam credunt, aliam dispositionem habuisse serpentem ante peccatum, quia erectus incedebat, qui post peccatum damnatus est, vt super pectus suum graderetur, communis tamen sententia est Sanctorum Patrum, Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij, Albini, quos refert Lippomanus, ad dæmonem ipsum verba hæc directa fuisse, qui sicut in serpẽte loquutus est, & decepit, inquit Albinus *c*, ita, & in serpente maledicitur, & vt rectè dixit Rupertus *d*, quamuis ita litera sonet, vt de animante serpente possit intelligi, nihilo tamen minus, & multo amplius de serpente diabolo totum oportet intelligi; alioquin quomodo pro maledicto, vel pœna maledicti reputabitur, quod dictum est ei: Super pectus tuum gradieris, cum hoc ipsum prius à natura habuerit, quam diabolus eo vsus fuit ad perditionem hominis? Quod, & similiter Theodoretus annotauit. Voluit autem Dominus his verbis ostendere, & manifestare, in quo consistat maxima dæmonis fortitudo: optima enim dispositio ad inimicum reuincendum est, id nosse: neque vnquam Philistæi potuerunt Samsonis impetus superare, quousque agnouerunt, in quo sita esset eius maxima fortitudo: ideoque tanta cura conati sunt id rescire. Vt ergo dæmon à nobis facile superari possit, statim Deus manifestauit, in quo eius consistat fortitudo, dicens ei: *super pectus tuum gradieris*. Quibus fortè allusisse visus est Deus ipse, cum loquens ad B. Iob de dæmone, sub specie elephanti dixit: *Qui fecit eum, applicabit gladium ipsius*. Verbum applicandi in hebræo est, *nagas*, quod aliquando in Scriptura sacra significat offerre, & ita illud transtulit aliquando. Vulgatus interpres, vt apud Amos a: *Numquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi*: & iterum b: *offerentem munus Domino*: & apud Esaiam: *Oblatus est, quia ipse voluit*: Et alibi sæpè. Quoniam autem in oblationibus, interiora animalis nudabantur, & fiebant manifesta, oculisque omnium exponebantur, idcirco verbum illud significare potest, aperire, manifestare, mundare, quæ abscondita erant; vt sensus sit: Qui fecit eum, manifestabit, nudabit, explicabit gladium ipsius: ipsius inquam, diaboli, vt explicant Gregorius *a*, Beda *a*, & Philippus *b*. Deus ergo, qui dicitur fecisse dæmonem, non solum qui eum creauit secundum naturam, sed quia peculiari suæ sapientiæ dispositione, ei permisit, vt hominem impugnaret, sicuti explicat Augustinus, ita se gessit, quod vt homo facilè eum reuincere, & seipsum armare contra illius impetus posset, manifestauit, explicauit, in lucem emisit gladium ipsius, id est, vim, & fortitudinem suam, qua homines impetit, aper-

3. p pastor. cap. 20.
Gen. 3. 14.
In c. 3 Gen.
Lib. de qq. hebraicis.
a *In catena Gen 3.*
b *3. p. past. cu & 21. mor. cap. 2.*
in catena Gen. 3.
c *In qq super Gen.*
d *Lib. 2. de visio. verbi Dei, c. 15*
Lib. qq. in Ge. qu. 34
Iud. 16.
Iob. 40. 14.
a *Amos 5. 25.*
b *Malac. 2. 12. cu. Esa. 53. 7.*
a *In hunc locum.*
b *In caten. ¶ 85.*
Lib. 11. de ciu. cap. 15. & 17. & li. 11. de Gen. ad lit. c. 22.

apertissimè declarauit. Quod si quæras. Vbinam Deus manifestum fecit, in quo diaboli maxima fortitudo posita sit, ad impugnandos homines? Respondebo id feciſſe verbis prædictis: *Supra ventrem tuum gradieris*. Ita Dinus Gregorius. Certè serpens animal est noxium, quod insurgit in eum, quē inficere vult, ad insurgendum autem, quoniam caret manibus, & pedibus, innititur super ventrem, vt obseruauit Philon Iudæus, & quo venter fuerit robustior ac validior, eo maiori vi insurgit, & fortiori impetu in altum caput, & collum erigit: imò, & seipsum eleuat, vt aduersarium impetat. Itaque maxima serpentis fortitudo in ventris vi ac robore posita est. Hinc Deus procedit ad aperiendum, & demonstrā dum, vbi dæmonis maxima fortitudo sita sit: illa enim sita est in ventris validitate, & robore, & ventri innititur, à quo vires emendicat, vt possit ipse contra hominem insurgere, & in eum insilire. Id iam aliqua ex parte patere poterat, ex eo quod volens in parentes nostros in paradiso positos insilire, & suo veneno inficere, ventre nixus est: neque vim habuit aggrediendi, nisi dū vidit appetitum ventris Heuæ, quam ad esum cibi vetiti proinde cœpit incitare, & tantum potuit in eos serpens se erigere, & insilire, quantum appetitus ille fuit validus, ac fortis. Sicque etiam serpens iste contra homines agit, vt maximam fortitudinem ex ventre emendicet, non enim manibus agit, aut pedibus innititur, sed insurgit per varias concupiscentias, quas in nobis excitare nititur, ad quas inducere conatur, hæ autem eò sunt validiores, ac fortiores, quo venter magis fuerit cibo, & potu repletus. Vnde, & Salomon, ventrem vocat fontem, & originem totius concupiscentiæ, dicens: *Et ventris concupiscentia auerte à me*. Id est, concupiscentias, quæ ex ventre, tanquam ex primo fonte oriuntur. Si igitur fortitudo dæmonis præcipuè posita est in ventris robore, & validitate, hoc primum agere debet, qui eum eneruare contendit, ventrem reddere imbecillum, & inualidum, & vires illius minuere; quod fit per ieiunium,

3. p. pastor. cit.

Lib. de mūdi opificio. ad fine p. 2.

Prou. 23. 6.

de qua re egit Beatus Hieronymus, scribens ad Eustochium de custodia virginitatis, & ad Furiam de viduitate seruanda, docens hanc primam præcipuāque curam esse debere Christiano militi, ventris vires infringere per abstinentiam vini, & carnium, & per validum ieiunium, quod non solum confirmauit Scripturæ sacræ varijs testimonijs, sed, & Comici, vulgato prouerbio dicentis, sine cerere, & libero friget Venus. Hinc Sancti Patres, volentes dæmonis ictus infirmare, & infringere, magna cura stomachum, & ventrem vacuum, atque infirmum, & inualidum seruare, fuerunt soliciti, quia hoc ipso dæmonis vires eneruabant, ne validè posset contra seipsos insilire. Certè si dux ciuitatem custodiens, intelligit inimicum potentissimum venientem, intēdentemque occupare castrum aliquod, ciuitati propinquum, in quo seipsum muniat, & ex quo ciuitatem impetat, & quatiat varijs arietum, & bombardarum ictibus, hoc primū dux ille, si sapiens fuerit, curabit, castrum illud destruere, & solo æquare. Quod si tam imprudens esset, vt castrum potius muniret, & fortificaret, hoc ipso sibi, suæque ciuitati manifestum pararet exitium, sicut enim quo castrum illud magis fuerit dirutum, & infirmū, eo minores, & infirmiores ex illo ictus poterunt procedere, ita quo illud validius fuerit, fortiores etiam impetus poterunt ex eo contra ciuitatem excitari. Caro nostra nihil est aliud, quam castrum, tam propinquum ciuitati animi, vt nullatenus ab illa separetur, ex quo diabolus contra animam varios impetus facit, sagittas, globosque ferreos mittit, qua de causa dixit Paulus: *Scio enim, quod non est in carne mea bonum*: & alibi; *Caro concupiscit aduersus spiritum*, & certè diabolus varijs concupiscentijs carnis, quasi validis ictibus conatur ciuitatem animæ quatere. Castrum hoc firmum redditur ex ventre: quo ergo quis magis per cibum, & potum ventrem replet, magis castrum fortificat, & propterea validius diabolus inde poterit hominem impugnare, fortioribus concupiscentiæ ictibus, spiritum, & animam impetens.

Epi. 22. ad Eustoc. & Epist. 10. ad Furian.

¶ 85.

ad Ro. 7. 18 ad Gal 5. 17.

Hoc

Hoc igitur agat primò Chriſtianus, ſi illius vires eneruare contendit, diruat caſtrum, comprimat carnis vires, & robur, ventrem valido afficiens ieiunio. Ex quibus, & illa Pauli ſententia 2.Cor.12. 10. redditur manifeſta: *Quando infirmor, fortior ſum ac potens?* Nam quantò carnis infirmitas, & ventris vacuitas, quæ eam inducit, fuerit maior, tantò magis eneruatur dæmonis fortitudo, & hoc ipſo potentior redditur homo, ad eam reuincendam. Hinc, & illud intelliget homo delitijs, & voluptatibus deditus, quid agat, cũ quærit quotidie epulari ſplendide, & cibos ſibi parari curat, quos ſubſtantiales vocant, vina inquirit fragrantiſſima, & valida, fortitudinem enim dæmonis auget, cui robuſtus hoc ipſo vires ſubminiſtrat, vt validius poſſit contra ſeipſum inſilire.

§.23. *Docuit Deus ſub elephanti figura, diaboli impugnationem, & fortitudinem ex ventris robore procedere.*

¶ 87. *Habetur tom.3.*

TErtius modus explicandi propoſitam difficultatẽ eſt Beati Auguſtini, peculiari libro, quẽ de hac re compoſuit, quem propterea inſcripſit, de agone Chriſtiano, docẽs: ieiunium quãuis contra carnem eſſe videatur, potius eſſe gladium acutum, qui interiora diaboli transfigit, & confodit. Id autem elegantiſſimè Deus demonſtrat, ſatisfaciens Beato Iob, qui conqueſtus fuerat, quod traditus eſſe tam crudeli inimico impugnandus, cuius occaſione Deus multa illi proponit, explicãs omnia, quæ de diabolo dici poſſunt, agens de eo ſub ſpecie Behemoth, aut Elephãti. Peculiariter autem quatuor, quæ ſunt ſcitu digniſſima, miro artificio declarat. Primum vnde procedat, quod diabolus poſſit homines impugnare. Secundum, qui ſint illi, quos diabolus ſuperat, & reuincit: Tertium, quibus viribus, & armis agat; Quartum, quonam gladio ſit feriendus, & reuincendus. *Ecce*, inquit, *Behemoth, quem feci tecum, fœnum ſicut bos comedet: fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in umbilico ventris eius, &c. Ipſe eſt principium viarum Dei, & qui fecit eum, applicabit gladium ipſius.* Primum declarat, vnde procedat diaboli impugnatio, docens, procedere ex peculiari Dei prouidentia permittente, vt nobiſcum ille congrediatur: *Ecce*, inquit, *Behemoth, quem feci tecum.* Deus in Scriptura ſacra facere dicitur, non tantum quod directè operatur, ſed, & quod iuxta ſapientiæ ſuæ ordinem peculiariter permittit: vt cum dicit a: *Ego Dominus decepi Prophetam illum*: b, *Ego indurabo cor Pharaonis, &c.* Vult ergo dicere: Ego fum, qui permiſi diabolo, vt tecum eſſet, te impugnaret, tecum manus conſereret, qui ſanè id nequaquam agere poſſet, niſi id ego illi permiſiſſẽ: ad bonum certè, & vtilitatem hominis, vt dictum eſt. Sed ſicut Angelus à Tobiæ animo, metum quem concepit ex dæmonis impugnatione, excuſſit, demonſtrans, in quos ille præualeat. (*Audi me*, inquit, *& oſtendam tibi, qui ſunt quibus præualere poteſt dæmonium*) & docuit, illos eſſe, qui voluptati carnali ſe tradunt, tanquam equus, & mulus; ita, & Deus docet, dæmonem tantum præualere contra eos, qui carnalia ſequuntur, quos fœni nomine exprimit dicens: *Fœnum tanquã bos comedet*, in hebræo *Hhatſir*: quæ vox ſignificat fœnum craſſum, quod in locis incultis oritur, tantummodo aptum ad cibum animalium, cum viride eſt, & ad nutrimentum ignis poſtquam eſt exſiccatum. Loquitur de dæmone ſub typo Elephanti, quem vt ait Strabo, apud Indos herba vel arundine viridi reficiunt, & huius fœni nomine illi homines exprimuntur, qui fœno ſimiles ſunt, tantum curantes carnis pulchritudinem, & nitorem, quos eodem nomine deſcribit Deus; *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos fœni*; Et, *Fiant ſicut fœnum tectorũ.* In hebræo eadem vox Hhatſir. Quibus alludere vſus eſt Apoſtolus docens, qui ſint illi, quos diabolus expugnat, & quibus præualet. *Qui operatur* (inquit)

Iob.40.

a Exo.14.9.
b Exod.7.3

Tob.6.16.

Iob.40.10. מגן

Eſai.40.6.

Pſal.128.6

id

id est, assequitur, quod vult, *haze obra in filios diffidentiæ, qui seipsos tradiderũt impudicitiæ in immunditiam*, quos Deus ipse terram vocauit, quoniam terreni sunt, & in cibum serpentis infernalis designauit, cui dixit: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hi ergo, qui carnalia sequuntur, fœnum dicuntur, qui dum viuunt, pabulum diabolo præstant, & post mortem ignibus tradendi sunt. Progreditur Deus vlterius ostendens, vbi nam sita sit dæmonis fortitudo, vndeque oriatur illius fortitudinis virtus. *Fortitudo*, inquit, *eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius.* Verba sunt difficilia, quæ varie à varijs autoribus explicantur: Cæterum facilia sunt, si Hieronymi *a*, Olympiodori *b*, & Gregorij Nazianzeni *c*, sequamur sententiam, quod sub metaphora ab Elephante desumpta, in cuius typo dæmonem describit, Deus mirè explicat, quod explicandum assumpserat. Et quidem, quamuis omnia animalia dicantur habere fortitudinem in lumbis, vt annotauit Hesychius signanter tamen inter omnia illa Elephantus eam dicitur habere in lumbis, aut in dorso, vt Aquila transtulit, aut in lumbo, vt Septuaginta legunt, aut in scapulis, vt alij volunt: nam vt constat ex ijs, qui eius naturam describunt, ingens pondus dorso, aut lumbis sustentat. Dorso nudo, inquit Ælianus, tres bellatores fert, alterum dextra, alterum sinistra pugnantem, ac simul quartum, bestiam dirigentem. Imò, & certum est, tantam esse fortitudinem lumborum Elephãtis, vt super illos turres ligneæ construantur, quibus, vt inquit Philostratus, decem, aut quindecim armati homines superstant, qui ex illis turribus, tanquam ex propugnaculis, in hostes iaculantur, aut arcu sagittas intorquent. Et non egemus prophanorum authorum testimonio, cum Scriptura sacra narret, in exercitu Antiochi, fuisse Elephantos triginta duos ductos ad prælium, & turres ligneas desuper eos firmatas, ac protegentes super singulas bestias, & super eos machinas, & super singulas, viros triginta duos, qui pugnabant desuper, & Indus magister bestiæ. Qua propter Plinius vocat, humeros turritos, quia turres ferunt. Et Lucretius turrito corpore eos vocat. Ingens ergo Elephanti fortitudo in lumbis, aut humeris, aut dorso sita est. Etsi quæras à quonam tanta fortitudo proueniat, respondet: *Et virtus eius, in vmbilico ventris eius.* Mirum est, quod ex vmbilico ventris tanta fortitudo procedat: nihil enim debilius, aut infirmius in eo reperitur, quam vmbilicus ventris: nam vt dixit Plinius, sicut durissimo tergo Elephantus est, ita ventre maximè molli, & ita refert Rhinocerotem agentem cum Elephanto, aluum, aut ventrem præcipuè cornu petere, quem naturali instinctu nouit molliorem. Quod, & vir ille nobilis Eleazarus similiter obseruauit, ad Elephantum illum ingentem deijciendum. Existimo vmbilici nomine exprimere velle ventrem, (ita legit Symmachus, vt obseruauit Olympiodorus) non quomodocumque, sed appetentissimum cibi, & potus. Nam in primis, animalia in vtero matris, per vmbilicum attrahunt, & sugunt alimentum, quo nutriantur, augeantur, & roborentur, vnde communi loquutione, quem videmus cibi appetentissimum, & commessationibus deditum, dicimus, valido vmbilico præstare. Vult ergo Deus exprimere, à quonam fortitudo lumborum Elephantis proueniat: illa enim oritur ex eo, quod valido cibi, & potus apperitu præstat, multum comedit, & plurimum bibit. Voracissimum est animal, quod vt ait Aristoteles *a*, & Ælianus *b*, multos hordei modios macedonicos quotidie edit, multasque metretas lacedæmonicas bibit; tam auidus est cibi, vt teste Plinio *c*, palmas, excelsasque arbores posternat, vt earum fructibus pascatur, & sicut dixit Ambrosius *d*, nemora inuoluit ad sui escam, & tanto potu vtitur, vt dicat Deus infra, quod videatur fluuium absorbere. Hoc ipsum Deus ipse ibidem voluit exprimere. *Huic*, inquit, *montes herbas ferunt*, quod multi propter voracitatem Elephanti dictum credunt, cui videntur montes herbas ferre, quasi ipse solus sit, qui om-

ad Eph. 5. 19.

Gen. 3. 14.

¶ 88.

Iob. 40. 11.

a Epi 8. ad Demetria. de seruan. virgin. & Epist. 22. ad Eustoc. de cust. virgi.

b In caten. in Iob.

c Orat. in Sanct. Bap. p. 458.

In c. 3. Ieu.

Apud Pin. in Iob. 40.

Libr. 2.

1. Mac. 6. 37.

Lib. 8. c. 10

Libr. 5.

Iob. 40. 11.

Lib. 8. c. 10

1. Math. 6. 46.

Cat. in Iob

¶ 89.

a Li. de hist. anim. c. 9.

b Cap. 43.

c Li. 8. c. 10

d 6. Hex. cap. 5.

omnes illas deuoret. Fortitudo itaque huius animalis iuxta mentem Hieronymi, & Olympiodori, & Gregorij Nazianzeni in lumbis eſt, aut in dorſo, ſuper quod, & turres extruuntur, ex quibus milites valida iacula emittunt: ſed hæc fortitudo vim, & robur accipit ex vmbilico ventris, id eſt, ex nimio cibo, & potu, quem Elephantus nimis appetit, & aſſumit. Vnde, & ad acuendum eorum robur, oſtendebat eis, ſanguinem vuæ, & mori, quem vehementiſſimè cupiunt, & appetunt. Ex his profectò mire, quæ circa dæmonem ſunt expreſſit Deus. *Fortitudo eius in lumbis eius.* Lumborum nomine, caro ipſa, eiuſque effectus, & motus deſignantur, vt Sancti Patres non ſolum docent, ſed ex Scripturis ſacris confirmant. Hieronymus *a*, qui varia loca expendit *b*, Baſilius *c*, in illud Eſaiæ *d*: *Lumbus Moabitidis clamat*, Gregorius *e*, ex illo *f*, quod Leui decimatus eſt in Lumbis Abrahæ, & ex eo quod dictum ad Iacob: *g Reges de lumbis tuis egredientur*, & ita intelligit ille *h*, varia loca: Origenes *i*, Theodoretus *i*, Baſilius *i*, Didymus *i*, ad carnis motus referunt illud; k, *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, Hieronymus *l*, legit, ignominia, mirum eſt enim, quam ignominioſi motus ex carne oriantur, ſtatim vt eos ſenſerunt parentes primi, verecundia ſunt affecti. In huiuſmodi lumbis ſita eſt dæmonis fortitudo, nam ex carne affectus excitat, quos contra animam, tanquam iacula, & validas ſagittas expellit. Vnde, & Chriſtus Dominus, primum hortatus eſt *m*, lumbos præcingere, & comprimere, vt annotauit Hieronymus *n*, varia loca ad hoc inſtitutum expendens; nam qui paſcha facturus eſt, accinctis, mortificatiſque lumbis facere præcipitur *o*, & ad Iob dicit Deus: *Accinge ſicut vir lumbos tuos*: & Ioannes *q*, *Zona pellicea cingitur circa lumbos ſuos*: & Apoſtoli inbentur *r*, accincti lumbis, euangelij tenere lucernas. Inde extrahit diabolus deſideria, quæ militant aduerſus animam; quamuis caro in ſe infirma imbecillis videatur, id intelligendum eſt ad bonum: *Non eſt enim in carne mea bonum*: inquit Paulus, ſed ad malum potentiſſima eſt, tamque valida, vt ſuper eam diabolus machinas, ac turres extruat, ex quibus illa venenata iacula emittat, quæ Paulus expreſſit; *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia.* Et fortè, id quod paulo ante diximus, *lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, poteſt ex hac doctrina explicari, vt illuſiones, vocet eas machinas, aut turres bellicas, quas inſtar Elephantorum, diabolus ſuper lumbos eius extruebat, vt ex illis tanquam ex munitis arcibus, ſagittas venenatas, id eſt, inordinatos affectus, & motus mitteret. Commune eſt enim, vt ſæpè diximus in Scriptura ſacra, ludum pro bellico certamine accipi, & ita illuſiones vocari poterunt, machinæ bellicæ, quibus, qui vtuntur, illudere inimicis contendunt. Hic ergo arcem ſuam diabolus ſtatuit, in lumbis fortitudo eius, aut fortalitium, vel arx, ex qua bellum crudele indicit, & exequitur, virtus tamen à qua pendet, & procedit talis fortitudo. eſt in vmbilico ventris, in nimio videlicet appetitu, & vſu cibi, & potus, quo roboratur caro, & incraſſatur, & apta redditur, vt innumeros inordinatos motus excitet, quibus contra animam diabolus agat. Ex his intelligitur quod ad Ieruſalem, aut Synagogam dixit Deus, ſub ſpecie mulieris: *In die*, inquit, *ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Dies ortus Synagogæ dicitur, cum de Ægypto eductus eſt populus ille: tunc enim quaſi formatus eſt, peculiaribus legibus, & cæremonijs à Deo inſtitutis, cui dedit Deus Moyſen tanquam nutricem, qui populum illum ex Ægypto, tanquam ex vtero, quo tenebatur incluſus, prodeuntem receperet, & portaret in ſinu ſuo, *ſicut ſolet nutrix infantulum portare.* Volens ergo Deus indicare vnde populus ille tot mala incurrerit, vnde, & diabolus tantam habue-

Locis ſupr. cit.

1. *Mach.* 6. 14.

a *Epiſt.* 22. *ad Euſtoc. in cap.* 16.
b *Ezec.* 16.
c *In cap.* 15 *Eſai.*
d *Eſa.* 15.
e *Hom.* 13. *in Euang.*
f *ad Hebr.* 7. 5.
g *Gē.* 35. 11
h *Libr.* 13. *mor. c.* 9. *& lib.* 28. *ca.* 7
i *In cant. Danielis.*
k *Pſ.* 37. 8.
l *In Pſa.* 37
m *Luc.* 12. 35.
n *Epiſt.* 22. *& in c.* 16. *Ezech. cit.*
o *Exod.* 12
p *Iob.* 38. 3.
q *Mar.* 1. 6
r *Luc.* 12. 35.

Rom. 7. 4.

ad Gal. 5. 19.

¶ 90.

Pſal. 37. 8.

Ezec. 16. 4.

Num. 12.

habuerit fortitudinem, contra illum agens, vt ad suprema vitia etiam idolatriæ pertraxerit, *In die*, inquit, ortus tui, non est præcisus *vmbilicus tuus*. Vmbilici nomine indicat nimiam ciborum appetentiam, & vsum: ab illa siquidem die, qua eductus est populus de Ægypto, cœpit tradere se commessationibus, & ebrietatibus, vt nihil aliud toto tempore, quo per desertum ambulauit cogitare, aut quærere visus fuerit, nisi escas, & potum ad manducandum, & bibendum. Petebant illi cibos, suspirabant propter cepas, & pepones, & ollas carnium: flebant, qui non erant carnes, quibus stomachum replerent, & non aliud agebant, quam murmurare, quod non eam haberent ciborum abundantiam, quam optabat. Despiciebant manna è cœlo datum, quia leuissimus cibus eis videbatur. Hinc tot mala euenerunt, vt à dæmone vsque ad summum illud idolatriæ facinus protracti fuerint; *Sedit enim populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, id est, adorare idolum. Quod, & Deus ipse expressit, dum idem perditionis principium Synagogæ ac Sodomæ designat, saturitatem scilicet, & abundantiam panis. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas & abundantia panis.* Id est, tota iniquitas Sodomæ processit ex saturitate, quibus verbis manifestè dicit, quod antea metaphoricè illis dixerat: *Non est præcisus vmbiliculus tuus.*

Exod. 32. 6. & 1. Cor. 10. 7.

Ezec. 16. 49.

§. 24. *Gladius Dei ad vincendum Behemoth, est validum ieiunium: quo non minus vincitur, quam Elephantus pugione, ventrem transfigente.*

¶ 91.

POstquam Deus expressit, vnde procedat diaboli impugnatio, & qui sint, quos diabolus reuincit, insuper quibus viribus, & armis agat, iã tãdem exponit, quonam esset gladio feriẽdus, dicens; *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ipsius.* Multa annotant Sancti Patres, vt explicent, quare dicatur diabolus principiũ viarum Dei, sed nunc planum verborum sensum sequentes, dicere possumus, vias dici, quas in humanitate assumpta ambulauit, & confecit, ratione cuius à Ieremia dictus est *viator*, & cõmune habet Theologorum axioma, Filium Dei per carnis assumptionem factum esse viatorem. Ingressus est in primis viam vniuersæ carnis, factus mortalis, & ingressus mundum, tot tam variaque itinera confecit, de quo Dauid: *Exultauit vt gigas ad currendum viam.* Si autem nosse vis, quodnam fuerit principium, vt Filius Dei, qui in sinu Patris nullum iter confecerat, tot vias percurrendas assumpserit, respondebit Sanctus Ioannes: *Vt dissoluat opera diaboli*: talia enim fuerunt, tamque implicata, quæ in natura nostra operatus fuit vt nisi Deus ipse veniret ad ea dissoluenda, aptè solui non possent. Vnde, & Propheta: *Ecce Deus ipse veniet, & saluabit nos.* Induxerat diabolus mortem, peccatum, & inimicitiam Dei: hæc à solo Deo perfectè solui poterant, & ideò venit vt mortẽ nostrã destrueret, peccatũ tolleret, nos cũ Deo reconciliaret. *Ecce*, inquit Ioannes, *Agnus Dei*, & si quæris ad quidnã venit? Respõdet; *Qui tollit peccata mundi*: Peccatum autẽ, & mors per dæmonẽ introducta sunt. Idcirco dicitur diabolus principium, saltem occasionale viarum Dei. *Et qui fecit eum*, id est, qui permisit, vt hominẽ vin-

Iob. 40. 14.

Ierem. 14. 2

Psal. 18. 6.

1. Ioan. 3. 8

Esai. 3. 4.

Ioan. 1. 29.

vinceret, ipse cum venerit, *applicabit gladium eius*: cuius? eius ipsiusmet Dei. Ita aliqui sancti Patres, vt velit dicere: Applicabit Deus gladium tuum: Quia autem gladij nomine arma potentia ad victoriam consequēdam intelligunt sacræ scripturæ (vt annotauit Hieronymus) idem est applicabit gladium suum, quod applicabit arma valida, ad illum reuincēdum. Etsi quæras: Quænam sunt arma, antiquis gladius Dei, quem ad dæmonem reuincendum applicat? cum certè Euangelista exprimit: qui dum præmisisset, quod ductus fuit in desertum, vt tentaretur à diabolo, volens demonstrare, gladium quem arripit, subiunxit: *Et cum ieiunasset quadraginta diebus*, &c. Ecce aptum gladium ad talem reuincendum. Si enim ille fortitudinem suam habet in lumbis, id est, in carnis vigore, & robore: hæc autem oritur ex virtute vmbilici, aut ventris, id est, ex nimio appetitu, & vsu ciborum, nullum armorum genus aptius esse potest, quam ieiunium, quod illam ventris virtutem enervat. Expendenda autem est vis verbi, *Applicabit*: Nam videtur illud fuisse adiectum, metaphora sumpta à medicamento, quod stomacho applicatur, ad capitis vertigines, quæ ex stomacho oriuntur, depellendas: quamuis enim medicamentum illud tantum videatur stomachum artingere, sed pertingit eius virtus vsque ad caput ipsum, cuius vapores noxios consumit. Quamuis igitur ieiunium carni videatur tantummodo applicatum, sed gladius est pertingēs vsque ad dæmonis ipsius vires, fortitudinem eius euacuans. Hinc intelligi potest illud, quod in facto Gedeonis, super expositio accidit, quādo Madianitas superauit. Prædictum enim erat, quod victoriam esset consecuturus per gladium. Ita dixit, qui somnium alterius de pane subcinericio euertente castra Madianitarum interpretatus est: *Non est hic aliud, nisi gladius Gedeonis*. Vnde, & Gedeon ipse suis militibus imposuit, vt tempore aggressionis clamarent: *Gladius Domini, & Gedeonis*. Quæri potest, cur gladius Gedeonis introducatur, cum nullatenus ibi aliquis inueniatur districtus, aut memoratus, sed solum quod faciendum Gedeon imposuit, quod ad lagunculas conterendas omnes sui milites conuerterent manum. Ex prædictis facilis patet expositio: hæc enim, vt annotauit Beatus Gregorius, mysterium reconditum tenent: nam gladij nomine, illa lagenarum contritio expressa est, quæ quamuis tantū ad lagenas ipsas, quas vnusquisque ferebat, visa fuerit applicari, sed tamen vsque ad inimicos vis illius contritionis peruenit, qua tāquam valido gladio fuerunt superati. Contritio aūt illa lagunculæ, expressum symbolum ieiunij tenet, vt dictum est, de quo dicitur: *Hic est Gladius Domini, & Gedeonis*. Hic ergo gladius est, quem Dominus applicat, vt dæmonem reuincat. Ex hac doctrina præcedit S. Augustinus, vt explicet modum, quē filius Dei tenuit ad dæmonem vincendum. Postquam enim demonstrauit Christum venisse, vt Principes tenebrarum mundo expelleret, hominesque ad se traheret, dicente ipso: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: similiterq; postquam ostendit dæmonis fortitudinem positam esse in carnis cupiditatibus, per quas ille regnat in carnalibus: procedit, vt explicet arma, quibus Christus cōtra dæmonem dimicauit, & modum, quo de illo triumphauit. Id autem egregiè ait, explicatum ab Apostolo dicente: *Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palā triumphans illos in semetipso*. Augustinus ibi legit: *Exuens se carne Principatus, & & potestates exemplauit fiducialiter*, &c. Quod si dicas: Quomodo Christus, exuens se carne triumphauit, qui potius ad triumphandum carne indutus est? Beatus enim author sæculi seruile corpus induit, vt carne carnem liberans, canit Ecclesia: Paulus ipse, *habitu inuentus homo*, quo mori posset, & in arenam cum inimico descendere. Respondebo carnis nomine, non carnis substantiam, sed affectus intelligi, iuxta Pauli phrasim, quam sæpè obseruauit August. Et quamuis caro

Chri-

In cap. 66. Esa. in illud, & in gladio.

Iud. 7. 14.

¶ 2.

Libr. 30. Moral. c. 31 & 32.

Lib cit. de agon. Christiano c. 1.

Ioan. 11. 3.

ad Colos. 2. 15.

ad Phil. 2. 7.

Christi non habuerit affectus, aut motus inordinatos, habuit tamen naturales, quibus appetebat cibum, potum, somnum, & quę ad vitę conseruationem, & ipsam vitam conducunt. Hos affectus Christus compescuit, spolians carnem cibo, & potu, somno, & vita, per ieiunia, vigilias, & mortem, & quamuis quę agebat, contra carnem suam esse videbantur, tamen potius erant, arma, quibus aggrediebatur inimicos, Principes scilicet, & potestates tenebrarum, de quibus hoc modo in semetipso triumphauit: quos traduxit palam, id est, Confusione affecit, *los faco à la verguenca.* Quæ omnia clarius intelliges, si obserues, quidnam fecit Christus dæmonem superaturus. Certè passus est ieiunia, vigilias, flagella, crucem, clauos, vulnera, &c. vt non minus attrita eius caro fuerit, quam laguncula, quam Gedeon ferebat, *Attritus est* enim, inquit Esaias. Hæc quidem in semetipso sustinuit, & per hæc carnem suam spoliauit ijs, quæ illa appetebat, salute scilicet, valetudine, & vita ipsa. Hæc tamen quæ contra carnem esse videbantur, erant gladius acutus dæmonem transfigens, arma illius hebetans, potestatem illius ligans, & in fugam infamem conuertens. Ita ille egit: in quo habemus magistrum, inquit Augustinus, qui hoc ipso nobis demonstrare dignatus est, quo modo à nobis inuisibiles hostes vincantur: ibi enim vincũtur inimicæ nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Et ideò qui in nobis ipsis vincimus carnis cupiditates, hoc ipso in nobis ipsis vincimus, & illum, qui per eas cupiditates regnat in homine. Vnde, & Paulus, vt Augustinus expendit, ab hoc cœlesti magistro edoctus, eodem gladio, pugnandique modo vsus est, quem, & expressit dicens: *Ego autem sic curro, non quasi incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Quem locum ad idem institutum expendit Ambrosius: sed clarius ad nostrum idem Augustinus. *Ego autem*, inquit Apostolus. Expende vim illius pronominis: *Ego autem*: quasi dicat: Varijs armorum generibus vtuntur milites ad pugnam, diuersos tenent multi pugnandi modos: Ego autem, qui in tertium cœlum raptus, diuina arcana noui, & omnes dæmonis machinas calleo, sic pugno, non quasi in certum. Tanquam ei diceretur, inquit Augustinus. Vbi est aduersarius tuus, contra quem pugnas? *Castigo*, inquit, *corpus meum*, vbi porrò hostem meum in me, cuius potentiã destruo, cum castigans corpus meum, infirmor in me. Quibus verbis videtur Augustinus indicare, voluisse Paulum alludere ad illud, quod Eleazarus ad ingẽtem inimicorum exercitum vincendũ fecit. Totius exercitus inimici robur, & fortitudo in Elephantis posita erat, quorum magnam ferebat multitudinem; super cuiusque autem Elephanti limites turris lignea firmabatur, intra quam continebantur machinæ bellicæ, & vltra Indum, qui bestiam gubernabat, inclusi ibidem tenebantur triginta duo milites fortissimi sagittas inde mittentes, magnam stragem facientes. *Vt ergo vidit Eleazarus vnam de bestijs loricatam loricis regis, & erat eminens super cæteras bestias, suppossuit se, &c.* & dextrictum gladium misit per eius ventrem: & quoniam ab illo pendebat omne robur lumborum, cecidit Elephantus, & eo corruente, omnes inimicorum machinæ corruerunt: quo opere tam insignem triumphum Eleazarus de inimicis reportauit, vt dicat Ambrosius, quod suo sepultus fuerit triumpho. Quemadmodum enim cum sepeliuntur Imperatores, superponuntur eis lapides, in quibus eorum triumphi extant sculpti, ad eorum gloriam prædicandam: ita Eleazarus, Elephanti corpore super se ruentis, quasi lapide sepulchri coopertus extitit, qui insignem eius domõstraret victoriam. Agnoscebat sanè Paulus, vt probat Augustinus, quinam essent eius inimici, contra quos bellum sustinebat, qui clamabat: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus spiritualia nequitiæ.* Hos ergo innumeros inimicos, inuisibiles quidem agnoscebat, & nihilominus eos superaturus, quid agit? *Castigo*, inquit, *corpus meum*, nouerat namque corpus, &

Isa. 53. 5.

¶ 93.

1. Co. 9. 26.

Libr. 4. in Luc.

Lib. 4. Hypognost.

1. Mach. 6. 43.

Libr. 1. off. cap. 40.

Lib. cit. de agõ. Christiano à c. 2. vsq; ad 5 ad Eph 5. 12.

& carnem vices tenere Elephanti, ſuper quam dæmones machinas bellicas inſtruunt, ex qua tot venenatas ſagittas emittunt, quot inordinatos motus excitant: agnoſcet ibi latentes inimicorum machinas bellicas contra Spiritum. Hoc ergo agit, quod pugionem contra Elephanti ventrem conuertit, dum corpus ieiunio quaſi conficit, & verberibus caſtigat, & ita agens non in vanum, aut in caſſum ictus emittit. quaſi aerem verberans, ſed hoc quod contra Elephanti ventrem eſſe videtur potius ad proſternendas inimicas poteſtates conducit. His apte conueniunt, quæ ipſemet dicit: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentis*, &c. Si enim quæras, Quomodo arma non ſunt carnalia, ieiunium, inedia, carniſque maceratio, quibus perpetuò Paulus vtebatur? Reſpondebo, quia quamuis contra carnem eſſe videantur, potius ſunt contra Spiritus inimicos, quorum munitiones, cogitationes, & machinæ bellicæ; his armis, quæ contra carnem eſſe videntur, deſtruuntur. Sic Apoſtoli verba intellexit Gregorius: *Ego ſic pugno, non quaſi aerem verberans, &c. Sed caſtigo, &c.* Cum carnem enim reſtringimus inquit, ipſius abſtinentiæ noſtræ ictibus, non aerem, ſed ipſos immundos Spiritus verberamus: & cum hoc quod eſt intra nos ſubijcimus, extra poſitis aduerſarijs pugnas damus. Quibus concinunt, quæ prædixit Eſaias, quæ & Sanctus Baſilius ad Chriſti tempora pertinere intellexit: *Interficiam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam*. Loquitur ad nationes Philiſthæorum, quo nomine dæmonum cateruas accipimus. Radix virium, & roboris illorum eradicanda eſt in fame: radix enim talis eſt noſtra concupiſcentia, carniſque affectus, per quos diabolus contra nos agit: hanc in fame interficiendam aut conficiendam docet, qua deficiente omnes diaboli machinæ concurrunt. Ex his infert B. Auguſtinus, quid nos agere oporteat: Certe audire debemus Apoſtolum dicentem; *Imitatores mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti*: quæ enim ille a Chriſto didicit factus eius diſcipulus docet nos tanquam magiſter noſter a Chriſto deſignatus, & nos ita ad inimicas poteſtates reuincendas inſtruit, ac ſi Chriſtum Dominum contra diabolum pugnantem coram oculis haberet. *Confortamini*, inquit, *in Domino ac in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam fidei vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli*. Quæ verba ita intelligere poſſumus, vt dicamus, quod hortatur nos Paulus ad bellum ex eo, quod Chriſtus illud ſuſtinuit, & egit. Non mirum, quod ſeruus pugnet, ſi videt Dominum pugnantem validè, & ſtrenuè, præſertim ſi Dominus ipſe eiſdem armis ſuis eum muniat. Equidem quando Dauid egreſſus eſt, vt bellum cum Goliath ageret, arma Regis Saul induens, minus agens fuit redditus ad pugnandum, quia non ſibi talia arma erant conuenientia: ac Chriſtus Dominus talibus armis contra diabolum pugnat, vt ea ipſa nos induentes, fortiſſimi, & aptiſſimi ad congreſſum reddamur. Et quod bellum ſuſtinuit Chriſtus? Cum quibus inimicis pugnauit? Certe non cum carne, & ſanguine, ſed cum dæmone *Ductus eſt enim à Spiritu, vt tentaretur à diabolo*. Quibus armis ſe munuit? Valido ieiunio, & carnis maceratione: nam ieiunium ſtatim arripuit, tanquam ſcutum, & gladium. His armis munitus integer, & perfectus ſteterit, non ſolum non cedens inimico, ſed omnes eius impetus confringens. Ira, & nobis agendum, inquit Paulus. Inimici ſunt dæmones, contra quos bellum ſuſtinemus: *Non enim eſt nobis colluctatio contra carnem, & ſanguinem ſed aduerſus principes, & poteſtates*: & propterea arma eadem a nobis ſunt aſſumenda, vt ſtemus inuicti, & perfecti. *Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecte ſtare: State ergo ſuccincti lumbos veſtros*. Ira Paulus nos docet, inquit Auguſtinus, quod ille à magiſtro didicerat, qui certè caſtigans corpus ſuum in ſemetipſo de poteſtatibus huius mundi triumphauit, ſicut de Domino dixerat: cuius ſe imitatorem profitetur. Idipſum excellentiſſimè docuit Petrus, diſcipulo-

¶ 94.

1. Cor. 10. 4

30. Moral. cap. 15.

Inc. 14. Eſ. Eſa. 14. 30.

Lib. cit. c. 6.

2. Cor. 4. 18.

Ad Eph. 6. 10.

1. Reg. 17.

Ad Epheſ. 6. 12.

¶ 95.

pulorum Christi Princeps : qui postquam victoriam Christi prædixit, subiunxit : *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis.* 1. Pet. 4. 1. Scitis quid accidit Christo, quod mortificationem carnis sustinuit, vt per illam Principem peccatorum reuinceret : eadem cogitatione armamini, scientes, quod qui mortificat carnem, non carnem tantum vincit, sed, & dæmonis astutias, & tentationes prouocantes ad peccatum. Hanc doctrinam omnes sancti intellexerunt, qui contendentes dæmonum superare potentiam, tanquam fundamentum validum statuebant, asperum ieiunium, duram carnis macerationem, & contra corpora sua tanquam contra inimicum supremum conuertebant manum. Quid hoc est? Quare hoc agebant? *Nemo*, inquit : Paulus, *carnem suam vnquam odio habuit, sed vnusquisque nutrit, & fouet eam.* Ad Ephes. Cur igitur ita eam vexabant, cruciabant, & torquebant? Certe quia hanc cœlestem philosophiam intelligebant, quod ad vincendas inimicas potestates, quæ per carnis motus, bellum homini indicunt, oportebat eandem carnem torquere, & comprimere. Ita faciebant illi, quos Hieronymus refert, qui omnibus diebus perpetuum ieiunium tenebant, vino semper abstinebant, paucis carnis erant contenti. In vita S. Hilarionis. Ita beatus Franciscus, qui hora mortis instante, veniam petijt à corpore suo, quod in eius tortura sæpè excesserat, non quidem quod illud odio haberet, sed timens inimicorum spiritualium insidias, cupiensque illas subuertere Sanctus Bernardus, vt annotauit Diuus Thomas tam duris ieiunijs, & abstinentijs se confecit, vt postea intellexerit, & doluerit, quod hac in re nimium tenuerit excessum. Quod l. 5. art. 18. S. Peter noster Dominicus, continuo ieiunio non contentus, ter in die catena ferrea vsque ad sanguinem carnem suam cædebat. Beatus Petrus Martyr eò per abstinentiam peruenit, vt exiccatum guttur eius redderetur, vt iam nisi maxima vi cogente, nihil per illud transire posset. Beata Catharina Senensis, tam valida ieiunia arripiebat, vt solummodo sacra Eucharistia reficeretur à feria quarta cinerum vsque ad pentecosten. Hæc non ideo dicta sunt, vt quæ in alijs sunt potius admiranda, quam imitanda, opere compleamus, sed vt intelligamus id, quod sæpè repetit Diuus Hieronymus, signanterque dixit ad Rusticum monachum scribens Vas electionis, in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, vt quod non vult, hoc agere compellatur, & quasi vim patiens vociferatur, & dicit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et tu te arbitraris absque lapsu, & vulnere posse transire *a*, nisi omni custodia seruaueris cor tuum : Idipsum reperit scribens ad Saluinam *b*, & ad Furiam *c*, de viduitate seruãda, et ad Eustochium *d*, de custodia virginitatis. Epist. ad Rusticum. Rom 7. a Pro. 4. 23 b Epist. 9. c Epist. 10. d Epist. 22.

§. 25. *Vsque ad completum ieiunium Christus non sensit famem, quæ tandem grauissime excitata est, ad incitandum tentatorem.*

¶ 96. Hom. 5. ex var. I Mat.

Postea esurijt. Admirandam Domini patientiã expendit Chrysostomus in eo, quod esurire voluit, ieiunans pro nobis in deserto, qui iamdudum esurientem populum suum in solitudine per quadraginta annos cibo cœlesti refecit. Et cum Deus secundum in corruptam illam, & beatam æternitatis suæ naturam, esurire non potuerit, vt scriptum est : *Deus æternus non esuriet neque laborabit*; Esa. 40. 11. tamen causa salutis nostræ, secundum corporis assumptionem & tentari, & esurire dignatur, vt veritatem in se assumptæ carnis ostenderet, qui nihil recusauit pati, quod nostræ conduceret redemptioni, & saluti. Ita Chrysostomus. Tria tamen sunt hoc loco explicanda. Primum, an Christus Dominus per illos quadraginta dies, & noctes quibus ieiunauit esurierit : Secundum, quomodo tot diebus sine cibo permanere potuerit : Tertium, cur post quadraginta dies, & noctes famem, & esuriem voluit sentire,

tire. Et circa primum breuiter dicendum est, aliquos sensisse, Christum esuriisse, non tantum post quadraginta dies, quibus ieiunauit, sed etiam illis quadraginta diebus: alioquin, inquiunt, frustra ieiunasset, si nihil sensisset, nec aliquid tale ieiunium, vel ad meritum, vel ad corporis afflictionem, vel ad nostrum exemplum contulisset. Sed multo probabilius est, Christum nullatenus per quadraginta dies illos, aut noctes esurijsse: nam expressè S. Matthæus dicit: *Postea esurijt*. Et Lucas, *Consummatis illis, esurijt*. Hic enim loquendi modus in Scriptura sacra significat manifestè, antea non esurijsse, vt ille *a*: *Postquam consummatisunt diet octo vt circumcideretur puer: b, Postquam consummati sunt dies purgationis Mariæ: c, Postquam consummati sunt dies Pentecostes: d, Postquam resurrexero præcedam vos, & e, Postea inuenit eum Iesus in templo*. Ita intelexisse visi sunt sancti Patres, Hieronymus *f*, Ambrosius *g* Basilius *h*, Gregor. Nyssenus *i*, Cyrillus K, signanter autem ita colligit ex textu Euangelij Hilarius *l*: *Postea esurijt*, Post quadraginta, inquit, dies, non in quadraginta diebus esurijt: similiter Beatus Petrus Chrysologus *m*, cum dicit, inquit, *Postea esurijt*, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus probat in illo esuriem non fuisse. Idipsum obseruauerat Chrysostomus *n*, Quadraginta, inquit, diebus nō esurijt, hoc est enim quod dicit: *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, postea esurijt*: esurire namque, & non manducare, patientiæ est humanæ: non esurire autem diuinæ naturæ. Qui ergo quadraginta diebus non esurijt, postea esuriens demonstrauit, quia esuritio eius voluntaria fuit, non necessaria. Ad hoc etiam institutum obseruat, hanc fuisse differentiam inter Moysen, & Eliam, & Christum, quod illi ieiunauerunt quidem quadraginta diebus, & noctibus, sed esuriem in illis sentiebant: at Christus ita ieiunauit, vt per quadraginta dies nullatenus esurierit. Hoc tamen non ab omnibus approbatur. Hilarius namque firmiter credit, Moysen, & Eliam non esurijsse quadraginta diebus, quibus ieiunarunt: imò ex hoc infert, nullatenus dicendum, CHRISTVM esurijsse quadraginta dierum tempore, ne minor appareret Moysē, & Elia. Quod, & Beatus Maximus *a*, similiter tanquam certum suppositum: Moyses, inquit, non esuriuit, ne in homine fragili operata diuinitas probaretur. Sed de his videndus est Abulensis *b*. Hæc vt dixi sententia, valdè probabilis est, sed non credo, quod omninò erraret, qui cum primis authoribus sentiret: quando enim sacer Euangelista affirmat Christum post quadraginta dies esurijsse, non de quacunque esurie, aut fame loquitur, sed de validissima, quæ ita Christi carnem ipso permittente vexauit, vt iam illa deficere videretur, nam vt dicemus ex sanctis Patribus, esuries, quam sanctus Euangelista exprimit, talis fuit, vt per eam Christus præberet ansam diabolo, ad tentandum se, & incitandum, vt lapides conuerteret in panes, si virtute diuina præstabat; vt ne autem id diabolus petere posset, non erat sufficiens quæcunque esuries, quam quiuis posset sustinere, sed necessaria erat talis, per quam iam caro tam infirma reddita fuisset, vt nisi subitò ei succurreretur per cibum, defectura esse videretur. Et ita sanctorum Patrum exponi possunt sententiæ, sed de ijs statim aliqua alia subinferemus. Secundum iam explicemus: Quomodo CHRISTVS tot diebus, & noctibus sine cibo potuque perstiterit. Et quidem facilis est responsio, si dicamus, fuisse DEO facile cohibere vim caloris nativi, ne ageret in humidum radicale. Sic enim, nec consumebatur humidum radicale, non consurgebat fames. Quidam tamen censent, id proueniisse ex altissima contemplatione, cui CHRISTVS, eremum, & solitudinem ingressus, se tradidit: tam rapida enim vi per altissimam contemplationem animus aliquando ad superna fertur, vt actiones eius inferiores impediantur: quomodo Paulus tribus diebus, quibus extasim passus fuit, non manducauit, neque bibit, & de Abbate Ioanne refert Cassianus, quod cōtem-

Caiet. 3 c. 4 Mart. & Medin. 3. p. q. 41. Isidor. Ciarius Orat. 8 in Luc.

a *Luc. 2. 21*
b *Luc. 1. 22*
c *Act 2. 1.*
d *Mat. 26. 32.*
e *Ioã. 5. 14*

f *In cap. 4. Matth.*
g *In cap. 4. Luc.*
h *Hom. 1. ieiun.*
i *Li. de bea. Oratio.*
k *l. 2 de fid. ad Reginas*
l *Cant. 4 in Matt.*
m *Serm. 11*
n *Homil. 5. in imperfect.*

Cano. 3. in Matth.

a *Ser. 3. de ieiu. Quadragef.*
b *In c. 19. 3 Regum q. 8 & in 1. ca. Matt. q. 13.*

¶ 97.

Actor 9. 5. Col. 19 c. 4.

Li. cit. p. p. plationi vacans cibi, & potus obliuiscebatur. Imò, & Hieronymus refert in eo libro, quem Vitas Patrum vocant, aliquos ex illis sanctis Anachoretis, totum quadragesimæ tempus sine cibo, & potu peregisse. Quod, *Epi. 86. ad Casful. post medium.* & Augustinus, agens de prolongato ieiunio, asserit de quodam fratre, ad quadraginta dies pertrahente ieiuniũ, sicut fecerunt Moyses, & Elias, id quod à fide dignissimis se accepisse profitetur: quod, & de Beata Catharina Senensi certissimum est Sanctus *In carmin. ad Hellen.* Gregorius Nazianzenus refert, aliquos sui temporis monachos longa viginti dierum, vigintique noctium ieiunia conseruasse, sic canens, Bisque dies denos, noctesque impasta remansit Sæpius, omnigenis abstinuitque cibis. Beata Maria Ægyptiaca decem, & septem annis tribus panibus fuit sustentata, vt ex libro Vitæ *In religiosa historia.* Patrum constat. Imò, & de Sancto Simone Stylite, qui super columnam quandam se locauit, sic scribit Theodoretus: Ab illo tempore vsque ad hodiernum diem (iam autem præterierunt, viginti octo anni) manet ieiunus, dies quadraginta, &c. Et ex Scriptura sacra manifestum est, Moysen, & Eliam quadraginta dies sine aliquo cibo, & potu peregisse. Ita quidem dicere possumus, dummodo hoc non sola naturali virtute fieri posse credamus. Quamuis enim quando animus altissima contemplatione rerum diuinarum rapitur, tanta intentione in superna fertur, vt aliquantulum impediantur, & remittantur aliæ actiones inferiores animales, & vegetantes, ideoque recta concoctio, & digestio alimenti impeditur per contemplationem, & studium, sed non omninò possunt tunc tales operationes impediri: quantacunque enim cõtemplatione rapiatur quis, calor naturalis naturaliter agens non omninò impeditur, ne aliquantulum saltem agat in humidum radicale, & ideò paulatim illud consumit: vnde nisi per cibum, & potum reparetur, necessario totaliter absumendum erit. Qua propter dicendum est, necessariam esse diuinam virtutem supernaturalem, vt homo sine alimẽto tanto tempore perduret, per quam prohibeatur calor naturalis consumere humidum radicale, aut augeatur, vel roboretur, aut in eodem statu conseruetur: sicuti in statu resurrectionis conseruabitur. Tali virtute fuerunt muniti sancti illi, qui tot diebus sine alimento permãserunt: illi itidem septem dormientes, qui per aliquot annorum centurias dormierunt, vt eorum historia, quam Ecclesia recipit, testatur. Et hoc excellentius multo in Christo Domino possumus obseruare, qui in semetipso, & in ipsamet carne sua virtutem continebat diuinam, per quam sine fame, & siti poterat conseruari, non solum plurimis diebus, sed, & multis, & infinitis annis; Si enim exterior Dei collocutio potuit Moysen, & Eliam sine esurie tot, diebus conseruare, quanto magis poterat conseruare illam carnem sanctissimam sine esurie, tota plenitudo diuinitatis, quæ illam etiam corporaliter inhabitabat. Hæc facilè explicabunt ij, qui censent gloriam illam, qua Caro Christi fuit in transfiguratione illustrata, non tam processisse à gloria animæ, quam ab ipsamet diuinitate immediatè, quæ in illa carne sanctissima erat, per quam, & verè illa subsistebat, & existebat, de quo suo agemus loco. Si enim per solam Christi voluntatem talis gloria tunc à diuinitate in carnem est derivata, vt per illam non solum fuerit omni fame, & siti liberata, sed, & gloriosis quasi dotibus perfusa, quanto magis poterat eadem caro, cum Christus volebat, conseruari eiusdẽ diuinitatis virtute, absque eo quod famem, & sitim, omni deficiente alimento, non sentiret? Hanc dicendi rationem sequitur Beatus Cyrillus *a*, quam, & sequi videtur Hilarius *b*, quæ celebrem illam doctrinam indicat, quam latius tradidit Damascenus *c*, passiones naturales verè fuisse in Christo supra naturam. Fuerunt certè in Christo Domino naturales affectus, quos passiones vocamus, vt fames, sitis, dolor, tristitia, lassitudo, &c. Sed supra naturam: quoniam tales passiones, nõ excitabantur, & cõsequebãtur, nisi Christo Domino volente.

¶ 98.

a Lib. 2. de fide ad Reginas.

b Can. 3. in Matth.

c Lib. 3 fid. cap. 20.

ſente. Vnde illa fames ſolummodo excitabatur deficiente alimento, quam ille excitari volebat, & permittebat, ille etiam dolor, & triſtitia in paſſione, quam ille permittebat excitari. Et *Loc. citat.* hoc eſt, quod dicit Hilarius: Non inedię ſurrepſit operatio, non eſt exorta eſuries, aut inedia per ſurreptionem, id eſt, præter rationis, & voluntatis deliberationem, & conſenſum. Qua etiam de cauſa dixit Chry- *Hom. 5. ex var. Matt.* ſoſtomus, Dominum poſt ieiunium *Lib. cit. de beatit.* non neceſſitate, ſed voluntate eſurijſſe. Et D. Gregorius Nyſſenus: Dedit, inquit, quando volebat occaſionem naturæ officio ſuo fungendi: quamuis enim naturaliter ad defectum alimenti ſequatur inedia, & fames in natura humana, in Chriſto tamen illa non poterat exurgere, aut excitari, niſi Chriſto Domino id deliberata voluntate agente: quæ omnia egregiè explica- *3. p. q. 18.* uit Diuus Thomas. Ex quibus patet, quomodo potuerit ille quadraginta diebus, & noctibus, quibus ieiunauit, ſine fame, & ſiti conſeruari. Sed, & ad maiorem huius explicationem, aliqua ſtatim ſuperaddemus, poſtquam tertiam explicauerimus quæſtionem propoſitam: cur ſcilicet Chriſtus Dominus voluerit poſt quadraginta dies ieiunij eſurire. Quare enim, inquit D. Auguſtinus, conſummatis quadraginta diebus eſurire Dominus Ieſus deſcribitur, cum Moyſes, & Elias tanto temporis ſpacio, poſt ieiunium famem pati non memorentur? Cui quæ- *L. 3. de mirabi. ſacræ Scipt.* ſtioni reſpõdet Auguſtinus, Chriſtum Dominum voluiſſe offerre occaſionem tentatori, vt accederet ad tentandum ſe, manifeſte ſeipſum exhibens verum hominem, qui veram carnem, illamque infirmam geſtabat. Ita omnes ſancti Patres ſummo conſenſu docent: Ignatius *a*, Irenæus *b*, Tertullianus *c*, Hilarius *d*, Ambroſius *e*, Gregorius Nyſſenus *f*, Petrus Chryſologus *g*, & apertis verbis expreſſit idipſum Baſilius *h*, dicens: Vide quam mirabiliter ille tentatori per eſuritionem præbuit anſam: alioquin propter naturæ diuinæ ſublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo, niſi per eſuritionem ad humanam imbecillitatem ſubmiſiſſet: Quæ omnia elegan-

a *Epiſ. 8. ad Philip.*
b *L. 3. cont. hæret. c. 23.*
c *Lib. cont. Pſychi. c. 8.*
d *Cãt. 3. in Matth.*
e *In cap. 4. Luc. & ſerm. 35.*
f *Lib. cit. de beat.*
g *Serm. 11.*
h *Homil. 1. de ieiun.*

ter pertractauit Theodoretus. Obſeruandum eſt enim ex Beato Maximo, K, diſcrimen eſſe maximum inter Chriſtum ex vna, & Moyſen, & Eliam ex alia omnibus manifeſtiſſimum, euidentiſſimumque erat, illos duos veros fuiſſe homines, quorum humanos defectus, & affectus omnes conſpiciebant; ideoque cum in illis iam omnibus pateret humana infirmitas, quam ex ſeipſis habebant, oportebat tantum oſtendere, quid in illis diuina virtus operaretur: & ideò tantum expreſſum eſt, quod illa roborati, ieiunare potuerunt quadraginta diebus, & noctibus: nec oportuit exprimere ad oſtendendam eorum infirmitatem, quod poſtea eſurierunt, quoniam talis infirmitas iam omnibus erat nota. At in Chriſto Domino viderat Diabolus multa, quæ diuinam virtutem indicabant, qualia fuerunt omnia illa, quæ in baptiſmo præceſſerant, & quæ Ioannes Baptiſta prædixerat: poſt quæ viderat etiam illum tam excellenti virtute tot diebus ieiunaſſe: oportebat propterea eidem manifeſtè oſtendere humanam infirmitatem, quam niſi vidiſſet, nullatenus, inquit Hilarius, ad eum tentandum accedere fuiſſet auſus. Conceſſit itaque Chriſtus diabolo, vt manifeſtè conſpiceret, & cognoſceret famem, & ſitim, quam eius caro patiebatur, tum oſtendendo carnem ſuam languentem, & pene deficientem, tuum permittendo, vt videret diabolus humidum radicale penitus iam conſumptum. Cognoſcit diabolus, quæ intra corpus alicuius ſunt, niſi impediatur: videtque quomodo operatur calor naturalis erga humidum radicale, conſpicit proinde quanta ſit copia illius, in quam agat calor natiuus. Vnde ſicut qui videt ligna deficere, in quæ ignis agit, videt eſſe neceſſariam lignorum appoſitionem, ne ignis extinguatur, &, qui videt defectum olei in lampade, cognoſcit apertè neceſſariam illius ſuperni infuſionem, ne lumen deficiat, ita videns humidũ radicale cõſumi, videt neceſſarium eſſe inducere cibum, & potum, ne calor natiuus extinguatur, vitaq; deficiat, & quod natura per famẽ, & ſitim illa poſtulat, vt

i *Serm. 6. de prouid.*
K *Homil. 3. Dom. 1. Quad.*

¶ 99. *Cant. 3. cit.*

dixit B. Gregorius Nyssenus *a*. Fames ergo Domini, ioquit Ambrosius *b*, pia fraus est, vt in quo diabolus mora metuens illam cauebat; fames specie luctatus, tentaret vt hominem. Ex his colligo, quod supra dicere cœpimus, qualis scilicet fuerit esuries, quæ in Christo post ieiunium consequuta fuit. Credo enim talem fuisse, vt caro illius videretur iam omninò deficere. Hæc siquidem opportuna fames, ad ostendendam veram carnis infirmitatem, & ad ansam, vt dixit Basilius, præbendam dæmoni, vt statim accederet ad tētandū, sumpta occasione ex tali esurie, & debilitate, quam caro Christi contraxerat, cui iudicaret subito subueniri oportere, ne penitus interiret. Quam occasionem cum diabolus vidisset, accessit subito, illum inducens, vt si diuinam habebat potestatem, lapides conuerteret in panes, quibus carnem suam reficeret, quæ extremè egebat alimento, cuius nulla copia poterat in illo deserto haberi. Ex his etiam mihi patere videtur modus sanctis Patribus conformis, ideoque optimus explicandi quale fuerit ieiunium Christi, quidve in carne illius fuerit operatum: qualis itidem fuerit fames, quam post illud Christus voluit excitari. Permisit etenim, vt per quadraginta dies, quibus ieiunauit, calor naturalis humidum radicale magna ex parte consumeret, quod tamen ita diuina virtute conseruabat, vt ne penitus absumeretur: quo factū est, vt ipsius caro maximè fuerit attenuata, debilis reddita; & quasi macie confecta: qui verius quam Dauid dicere posset: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum*. Id est, macra reddita est, propter pinguedinis defectum, vt intellexit Theodoretus. Quamuis autem hoc ipso, quod illis quadraginta diebus attenuabatur caro, naturaliter debebat sequi fames, tamen quoniam, vt diximus, non poterat illa excitari, nisi secundum Christi voluntatem, ille eam per omnes illos quadraginta dies compressit, quo magis diabolum in admirationem raperet, qui illius validum ieiunium circumspiciebat, & expendebat, illudque conferens cum ijs, quæ ante viderat, dubitare incipiebat, verane esset illa caro, an phantastica: verusne esset ille homo, an tantummodo apparens. Idcirco aptè post quadraginta dies permisit, vt fames talis excitaretur, qualis in carne validissimo, ac rigido ieiunio pene confecta, excitari solet, per quam verissimam carnem ostendebat, seque verum hominem comprobabat, quibus ansam præbebat diabolo, vt quem verum hominem cognoscebat, exploraret, an verus esset Deus. Ex his manifestum fit, quod dixit Beatus Cyprianus, Christum Dominum verè carnem macerare voluisse per ieiuniū, vt cum diabolo dimicaret: cui omnes sancti Patres supra citati subscribunt, dicentes: Christum se per carnis macerationem voluisse munire, cum diabolo pugnaturum. Hoc enim non contradicit ei, quod ipsimet sancti Patres asserunt, Christum non esuriisse diebus, quibus ieiunauit. Nam etsi famem non senserit illis diebus; vigilijs tamen, & asperitate loci, & duritia soli, frigore, gelu, & æstu macerabatur caro illa sanctissima. Imò, & ieiunio ipso caro eadem attenuebatur, & macra reddebatur, sed fames non prorupit, neque excitata est toto illo tempore, quia non ei permisit Christus excitari, quousque per dies quadraginta ieiunium perfectum, & absolutum fuit. Tuncque tam inualida fuit; qualis esset in homine, qui multis diebus cibo, & potu abstinuit, vt iam caro illa purissima omninò deficere videretur. Ex his etiam considero, quo crudelitatis ardore, tali fame conspecta excitatus diabolus, accesserit ad Christum tentandum, superandum, imò, & deuorandum. Inter illa siquidem crudelitatis genera, quibus Gētiles Principes Christianos vexabant, illud maximè expendit Suetonius, quod tanquam maximè inhumanum Gentilis ipse execratur, cum Christianos obijciebant leonibus maxima excitatis fame, non quidem nudos, sed ouina pelle contectos, vt leones, qui ad quamcunque prædam arripiendam erant dispositi, tota rabie se ad Christianos deuorandos conuerterent. Hoc enim quod Scriptura

nos

a Lib. de Orat. Dom. *b* Ser. 4 in Luc. cit.

Psal. 108. 24.

Li. de ieiu. & tenta. Christi. ¶ 100.

nos docuit, Deum dediſſe homini faciem reuerendam, dicente ipſo: *Terror veſter ſit ſuper omnes beſtias terræ*, naturali cognoſcebant lumine, quibus notum erat hominis naturam ſuperiorem eſſe naturis aliorum animalium, ideoque omnia animalia quodam terrore teneri ad hominis præſentiam. & conſpectum. Vt ergo leo nihil veritus omnes ſuas vires in Chriſtianum hominem conuerteret, non tantum eius vultum operiebant, ſed, & id curabant, vt ouis ſpeciem ille referret, ad quem propterea deuorandum abſque terrore aliquo ſuprema vi, & impetu accederet. Ita ergo Chriſtus Dominus verus quidem erat Dei filius, ad cuius cõſpectum infernalis leo rugiens terreri poterat, volens tamen dæmonem contra ſeipſum ſollicitare, vt ait Ambroſius, ſuam contexit diuinam virtutem, humanitatis debilis, & eſurientis, & quaſi deficientis ſpecie, vt exiſtimans ille, quod peccata contraxerat Adæ, qui pœnas Adæ sẽtiebat, omnes ſuas vires ad eum inuadendum conuerteret. Qui certe non minori rabie acceſſit, quam leones illi ad deuorandos Chriſtianos, quos ouili pelle contectos conſpiciebant. Hæc conſiderans Theodoretus: vidit, inquit, infelix hoſtis ſui famem, & victoriam ſperauit, pugnamque confidenter aggreſſus eſt: atque Adamum ſe videre putauit, vbi famis paſſionem conſpexit. His congruunt, quæ ſanctus Petrus Chryſologus annotauit: Eſt, inquit, diabolus per ſe nequam, ſit tamen nequior prouocatus, ſicut leo crudelis eſt, ſed crudeliſſimus, cum prouocatur, ſimiliter, & Taurus, cum acuto pungitur ſtimulo, grandi rabie contra pungentem ſe conuertit.

Gen. 9. 2.

Ser. 15. de ieiun. Dom.

Ser. 101. de prouid. cit.

Serm. 12.

§. 26. *Ita Chriſtus ieiunauit, vt famem vehementiſſimam tandem ſentiret, qui opera pœnitentiæ, eo modo egit, quo maiorem dolorem incuterent, oſtendens quomodo à nobis agenda ſint.*

¶ 101. *Poſtea eſuriit.* Singularem habet Beatus Ambroſius circa hæc verba dicendi modum. Poſt multa, inquit, ieiunia Chriſtus eſurire ſe ſimulat, vt diabolum, quem ieiunando iam vicerat, iterum, eſuriendo ſolicitaret. Quæ verba duplicem inducunt difficultatem prima an vere Chriſtus eſurierit, nam qui aſſerit, quod ſe eſurire ſimulauit, veram eſuriem negare videtur. Cui fauere viſus eſt Beatus Hilarius, qui expendens hæc verba: *poſtea eſuriit*, inquit: Non cibum hominum eſurijt, ſed ſalutem. Similiter, & Diuus Gregorius Nyſſenus ſentire Viſus eſt, dicens famem eſſe appetitum cibi, Chriſtum autem non cibum materialem eſurijſſe, ſed eum, de quo dixit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei*, quos ita eſurientes Chriſtus beatos notat. Inſuper, & Beatus Petrus Chryſologus, Audi, inquit, verbum Patris verba ſalutis noſtræ eſurire, non panem. Secundo, Quomodo dicit Ambroſius, quod Chriſtus iam per ieiunium vicerat diabolum, qui cum eo nondum congreſſus fuit, quouſque poſt ieiuniũ eſurijt, & quidem huic ſecundæ difficultati primo ſatisfaciẽtes, dicimus: Ambroſium tantum dicere velle, quod ſupra ex eodem, alijſque ſancti Patribus compr batum eſt, Chriſtum ſe aptè per ieiunium muniſſe, vt dæmonem vinceret: nec ſolum ſe prius ieiunio voluiſſe munire, ſed poſtea voluiſſe per eſuriem illum prouocare. Ad primam autem reſpondẽtes, dicimus, certiſſimum eſſe Chriſtum Dominum verè eſurijſſe ſecundum carnem, qui quamuis præcipue ſalutem hominum eſuriebat, & ſitiebat, ſed etiam caro eius famelica cibum appetebat. Quod expreſſè ſancti Patres ſummo conſenſu docent, expendentes ſancti Euangeliſtæ verba: Quæ, & Hilarius *a*, declarat, & ipſemet Ambroſius *b*, ex profeſſo ſæpè de-

Ser. 35. de ieiu. Dom.

Cano. 3. in Matth.

Lib. de bea. Orat. 4.

Ioan. 4. 34.

Ser. 11. ad fin.

a Can. 3. cit.
b Serm. 2. cit. & lib. 4. in Luc.

monstrat. Tantum ergo dicere voluit Christum per esuriem simulasse suam diuinitatem, Itaque non fuit simulata esuries, sed esuriendo suam simulauit personam. Ex quibus infero, Ambrosium duos peculiares effectus ieiunij Christi voluisse exprimere: primus fuit, carnis mortificatio, eius debilitas, & imbecillitas, aut infirmitas: ita enim per illud ieiunium carnem suam compressit Christus, mortificauit, & debilitauit, vt aptè hoc ipso fuerit munitus ad omnes dæmonum impetus superandos, iuxta ea, quæ diximus supra. Secundus fuit vera esuries tam vehemens, vt verè per eam posset suam diuinitatem simulare, cuius magna, & perspicua signa diabolus paulo ante in baptismo, & nunc in ipso ieiunio viderat. Vt intelligamus Christum Dominum non nudum ieiunium accipere voluisse, sed tale, quod carnem suam debilitaret, quam infirmitate, ac vehementi ieiunio torqueret. Poterat sanè ille totius voluntatis suæ actu ita ieiunare, vt ieiunium nullatenus hæc operatum fuisset, cuius potentiam expendens Dauid ait: *Vox Domini interdicentis flammam ignis*. In flamma namque ignis duo sunt coniunctissima, quæ se inuicem ita consequuntur, vt secundum naturæ vires separari non possint, lux scilicet, & combustio. Deus tamen solius vocis suæ imperio potest flammam intercidere, vt sola combustione manente non luceat, sicuti in igne inferni, & vt sola illuminatione manente non comburat, sicut in igne fornacis Babylonicæ erga pueros sanctos. Ita in ieiunio sunt aliqua ita coniuncta, vt naturali vi non possint ab inuicem separari, debilitas scilicet naturæ, & fames aut esuries, in natura enim, si rectè disposita, eo ipso quod per ieiunium infertur debilitas, naturali necessitate sequitur fames, quæ est appetitus alimenti eiusdem naturæ, ad talem debilitatem roborandam. Hæc quidem poterat Christus omnino separare, & facere, vt stante ieiunio non sequeretur debilitas, & mortificatio in carne, vtque hac stante nullatenus fames aliquando consequeretur. Voluit nihilominus hæc abundantissimè consequi, & excitari modo superius exposito, vt cœlestis Magister doceat nos, qualiter à nobis ieiunia, cæteraque pœnitentiæ opera agenda sint, qui semper curamus, illa eo modo perficere, quo minorem inferat carni debilitatem, compressionem, & pœnam: orationi enim insistimus, curantes ne genua pauimenti duritia doleant, quibus propterea molles pulluillos supponimus. Eleemosynam elargimur, id præcipuè attendentes, ne aliquo pacto incommodum patiamur. Ieiunia agimus, curantes quadragesimales cibos talibus condimentis præparari, quibus gustu reddantur suauiores, & stomacho magis satisfaciant, quo minus naturæ debilitatem sentiamus. Nõ ita Christus ieiunat, qui pœnitentiæ, & mortificationis opera eo modo exercuit, quo grauius carnem afficerent, & maiorem pœnam inferrent. Optimè Paulus hortatur: *In omnibus tribulationem patimur, &c. Semper mortificationẽ Iesu Christi in corpore nostro circumferentes*. Quænam est mortificatio Iesu Christi? Hoc aliquantulum alibi ipse Paulus exprimere visus est, qui quod in Psalmo legimus: *Oblationem, & hostiam, &c. corpus autẽ perfecisti mihi, tunc dixi: Ecce venio, &c.* Legit ipse, *Corpus aptasti mihi*: non enim tantum fuit Christi corpus in se perfectũ, id est, verum, non phantasticum, vt multi hæretici mentiti sunt, sed fuit ẽt aptum. Maxima sanè differentia inter perfectum, aut pulchrũ, & aptum reperitur, ad quam explicãdam fatetur Augustinus se tres libro edidisse, quos de apto, & pulchro inscripsit, qui nullatenus extant, ex quorum differentia grauem quæstionem, quam Marcellinus proposuerat, explicauit. Perfectum enim, & pulchrum per seipsum consideratur atque, laudatur, cui turpe, atque deforme contrarium est. Aptum verò, cui exaduerso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed eo, cui connectitur, indicatur, sicut decens aut indecens. Vnde aliquid absolutè dicitur perfectum aut pulchrum, quãdo in se habet rectam, & debitã proportionem partium:

3. Cor. 4. 1.

Psal. 39. 7. & ad Heb. 10. 5.

Lib. 5. conf. cap. 13.

Epist. 5. ad Marcell.

tium: aptum autem, non nisi rectè cohæreat, aut sit compositum in ordine ad aliud. Est sanè adamas absolutè, & in se pulcher, & perfectus, sed non dicitur aptus, nisi rem addas, cui possit deseruire, vt si dicas, esse aptum ad ornandos digitos. Quod ergo dixit Dauid in persona Christi: *Corpus perfecisti mihi*, clarius exprimit lectio, quam Paulus sequutus est, *Corpus aptasti mihi*, quia corpus Christi non tam fuit compositum, vt in se perfectum esset, quàm vt esset aptum ad perficiendum id, cuius gratia veniebat, vt scilicet pateretur, & pœnitentiam ageret pro peccatis nostris, & vt in sacrificium pro illis in crucis ara semetipsum offerret, quæ antiquis sacrificijs, aut cæremonijs carnis non potuerunt expiari.

Epist. Ad Olympiadē. tom. 5. Disputat ex professo Beatus Chrysostomus, & demonstrat, maximè conducere ad hoc vt opus meritorium sit, illud cum labore, & passione perficere, adeò, quod illud est apud Deum maioris meriti, quod cum maiori labore, & passione fit. Vt autem, inquit, cognoscas, quantum sit cum passionibus aliquid fortiter facere, & quantò minus sit, idipsum sine passione perficere, Nabuchodonosorem illum Babylonium Regem considera, qui Euangelicum opus perfecit. Post illam enim fornacem, & glorioſam inopinatamque virtutem in toto orbe terrarum extitit prædicator, nec lingua solummodo, sed per literas vbique sic scripsit: *Nabuchodonosor populis, tribubus, linguis habitantibus in omni terra, pax vobis adimpleatur, signa, & prodigia, quæ fecit mecum Deus excelsus, placuit coram me anuntiare vobis, quoniam magna, & fortia sunt, & quoniam ingens, & fortè Regnum eius, Regnum omnium sæculorum, & potestas in generationem, & generationem.* Et edictum proposuit eiusmodi: *Omnis populus, tribus, vel lingua, si dixerint verbum contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, erunt in perditionem, & domus eorum in direptionem.* Et adiunxit: *quoniam non est Deus alter, qui ita possit liberare.* Vides minas in literis positas? vides timorem? vides doctrinam? vides excelsam prædicationem, & extensas literas vbique terrarum? Quid itaque, dic mihi, paremne Apostolis accipiet iste mercedem, quoniam loquutus est Dei virtutem non impari prædicatione, qui tanto studio tam bonum sparsit vbique sermonem? non planè, nec quasi aliqua ex parte, sed supra modum prorsus minorem. Atqui idipsum opus fecit, quod, & illi, sed quoniam non sic vel afflictiones, vel passiones videntur adiunctæ, ideò intercisa sunt iura mercedis. Hic namque cum potestate agebat, hoc totum in sceptris, & diademate videns, illi verò prohibitionem, & expulsionem sustinentes, pœnas omnes terentes, ac verbera, in miserijs constituti, præcipitati, submersi, fame necati, &c. *Nam vnusquisque accipiet mercedem secundum proprium laborem* Non enim desinam hoc assiduè repetere. Hæc, & alia ibi Chrysostomus, quæ, & alibi repetit, vbi, & latè prosequitur, cur Paulus maiorem sit adeptus coronam, quia maiori cum labore Euangelicæ prædicationis munus obiuit, vt sepè ipse refert. Christus ergo Dominus, quoniam voluit operam eo modo exercere, quo magis ad meritum conducerent (quamuis omnia eius opera essent infiniti meriti) voluit tale corpus assumere, quod aptissimum esset ad labores sustinendos, & pœnas maximo cum dolore ferendas. *Ad hoc*, inquit, *corpus aptasti mihi*: præparasti mihi corpus aptissimum ad patiendum, & sustinendum dolores, & pœnas. Potuit quidem filius Dei corpus cœleste sumere, impassibile, vt quidam hæretici voluerunt, aut saltem ferreum, vel æreum, quod etsi conteri posset, tamen esset insensibile, voluit tamen corpus maximè sensibile, delicatamque carnem assumere, quia illud aptum est ad patiendum, & sustinendos dolores; idcircò assumpsit corpus præparatum, & aptatum à Spiritu sancto, quod esset delicatissimum, summèque sensibile, quod maiori dolore afficeretur sola acus punctura, quàm reliqua corpora, etiam delicatissimorum Principum ex validi claui confixione. Certè artifex, qui tintinnabula, aut campanas confi-

Dan. 3. 15.

¶ 103.

1. Cor. 3. 8.

In alia epi. ad Olympiad. tom. 5 pag. 14. 15.

conficit ex ære, maximè curat, illud ita virtute ignis attemperare, vt vel minimo calculi ictu maiorem ederet sonum, quàm si graui malleo fortissimè percuteret quis lapidem, aut lignum. Ita sanè aptatum fuit corpus Christi ab æterno Patre, summo rerum artifice, per virtutem Spiritus sancti, qui ignis dicitur, vt esset summè sensibile, aptissimumque ad dolendum, & patiendum: non enim bene cohæreret, venire ad patiendum, & accipere corpus impassibile. Qui ergo corpus habuit aptum ad patiendum, non ita exercuit pœnitentiæ opera, vt corpus non sentiret pœnam ex illis, sed potius ita, vt maximo dolore, & debilitate caro illius ex ipsis afficeretur. Ex his intelligemus, quæ alibi latius à nobis explicata sunt: cur scilicet Christus Dominus vinum myrrhatum, quod ante crucifixionem ei exhibitum fuit, bibere noluerit, vt dicunt Matthæus *a*, & Marcus *b*, & acetum, quod ipsi in Cruce pendenti fuit oblatum, verè biberit: *Cùm accepisset enim acetum*, inquit Ioannes *c*, *dixit*: *Consummatum est*. Ratio huius est, quoniam vinum illud dabatur crucifigendis ante crucifixionem ad hebetandum sensus carnis, quod eam reddebat quasi insensibilem, & quo minus dolores crucifixionis sentirent. Acetum autem potius sensus carnis acuit, & acceptum ab homine vulnerato, grauissimos eidem dolores excitat. Christus ergo, qui venerat ad patiendum, atque ad hoc aptissimum corpus maximeque sensibile acceperat, noluit illud reddere insensibile per vinum myrrhatum, sed potius eius sensibilitatem acuere per sumptionem aceti, vt illa quæ patiebatur, maiorem inferrent dolorem. Ex quibus aptè, & intelligi potest illud: *Desideranimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem*: dolorem scilicet, debilitatem, & pœnam. Vocatur sanè Christus vir dolorum, aut quoniam eius dolores in quantitate, & qualitate excedunt omnes dolores, quos quis vnquam in vita mortali passus est, adeò vt ipse solus ex dolotibus nomen acceperit, & vocatus sit *Vir dolorum*; sicut qui ingentibus diuitijs affluunt, & redundant, dicuntur: *Viri diuitiarum*. Aut verò, quia nunquam in hoc mundo sine dolore fuit, & pœna. Aut tandem, quia liberè in eo dolores operati sunt, tanquam in subiecto apto, & edito ad dolendum, & in eo dolores fuerunt quasi in aptissimo, & præparato subiecto ad dolendum, eo modo, quo terra aliqua dicitur frumenti, quæ ad recipiendum frumentum, illudque fouendum est apta, & alia olei, in qua oliuæ, quantum earum natura exposcit se extendunt. Dicitur etiam *Sciens, aut Sapiens infirmitatem*, aut pœnam: est enim verbum, *Iadagh*, quod scire, vel sapere significat, quoniam sapere est cum gustu, & sapore aliquid accipere; *Que se saborea con los dolores y penas*. Vnde sicut qui delectatur in comestione perdicis, eam præparari curat tali modo, quo gustus magis saporem percipiat, & suauitate delectetur, ita Christus dicitur sapere pœnas, & dolores, qui propterea tale corpus assumpsit, per quod magis illos persentiret. Sicut ergo *Viri diuitiarum*, dicuntur à Dauid, qui toto conatu diuitias quærunt, & eas pleno corde excipiunt, & in penetralibus suis recondunt, ita Christus dicitur Vir dolorum, qui dolores, & pœnas pleno corde excepit, magis quàm illi diuitias. Huic intelligentiæ fauet Beatus Ambrosius, expendens eiusdem loci lectionem, quam Septuaginta sequuntur. Pagninus legit, *Notus infirmitati*, quasi dicat: quem labores, fatigationes, lassitudines, fames, sitis, ieiunia, &c. notum, ac veluti familiarem habent. De quo Arias Montanus. Hinc ergo aliquo modo potest intelligi mortificatio Christi, quam Paulus dicit: est enim mortificationis, & pœnitentiæ opera illo modo exercere, & suscipere, quo caro magis mortificetur, & maiori pœna afficiatur: quam in nostro corpore circumferre monet Apostolus, quibus mortificationis, & pœnitentiæ opera ad hoc iniunguntur, vt pœnitentiam agamus, & per dolores ac pœnas in carne, illas puniamus delectationes, quas contra rationem ipsa præcepit. Idcircò talia opera ita sunt à nobis exercenda, quod

a *Mat.* 27. 34.
b *Mar.* 15. 23.
c *Ioan.* 19. 30.
¶ 104.
Isa. 53. 2. 3.
Psal. 75. 6.
Psal. 75. 6.
In Psal. 61
In c. 53. *Isai.*
2. *Cor.* 4. 10. *cit.*

verè

verè carnem puniant, & dolore, ac debilitate eandem afficiant, & mortificent. Lapides, ex quibus altare construendum erat, nolebat Deus esse dolatos, seu quod cum illa ipsamet asperitate, & inæqualitate laterum assumerentur, quam secum ferrent, dum scinderentur ex lapicidinis. Opera namque pœnitentiæ, & mortificationis, lapides sunt, ex quibus quasi altare extruimus, ad offerendum Deo cor contritum, & humiliatum, ideò enim ieiunamus, & sedemus in cinere, cilicijs induimur. Non ergo leniendi, aut complanandi, vel leuigandi sunt lapides, non auferenda ab eis asperitas, quam ex seipsis, secum trahunt. Confessio peccatorum ita agenda, vt verecundiam inducat, & pudorem, manifestè peccata confitendo, non dolendo illa, &c. Oratio similiter, ita vt terræ figamus genua, imò, & procidamus in faciem, totoque aliquando prosternamur corpore. Ieiunium ita, vt carnem debilitet ac mortificet, & comprimat, vt verè de nobis dicatur, quod Scriptura sacra de Dauid dixit: *Ieiunauit Dauid ieiunio.* Quidam enim ieiunant potius comestione, qui maiori sunt cura circa cibos diebus ieiunij, quàm alijs. Dauid quidem ieiunauit ieiunio, qui dicebat: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.* Immutata est: aut vt alij legunt, *exaruit propter oleum*, id est, ex defectu roboris, & pinguedinis, ea phrasi, qua dixit Abraham, postquam Deus dixit: si fuerint quinquaginta iusti, non delebo, &c. *An delebis propter quinque vrbem?* id est, si à numero quinquagenario deficiunt quinque, num propter defectum horum quinque delebis vrbem, remanentibus quadraginta quinque? Itaque *propter quinque*, idem est, ac propter defectum quinque: ita, & *propter oleum*, id est, ex defectu pinguedinis, & roboris. Tale ergo erat ieiunium, quod nutabant, & tremebant genua, caro quasi exiccata erat. Et certè pœnitentiæ opera eo sunt Deo gratiora, quo magis id perficiunt, quod per ea intenditur, dolere scilicet, mortificare membra, punire carnem, & comprimere illius affectus noxios contra rationem insurgentes. Vaccæ illæ, quæ arcam Dei deferebant, gratissimæ Deo fuerunt, *quæ itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant ad dexteram, neque ad sinistram*, quantumcunque vitulos illos, quos lactabant, mugientes audirent: Neque enim laudandæ fuissent, si rectum iter confeciissent, nullum mugitum vitulorum suorum sentientes. Vaccæ, quæ rectum iter conficiunt, non auscultantes, aut curantes vitulorum mugitus, sed potius tunc maiori fortitudine arreptum iter prosequuntur, aptæ sunt iudicatæ, quæ soli Deo offerrentur, sicuti reuera eas obtulerunt holocaustum Domino. Ita dicendum est, non multa laude dignos esse illos, qui iter pœnitentiæ arripiunt, & proficiscuntur solummodo, quando nullos vitulorum suorum mugitus audiunt, cùm scilicet quis ieiunia tenet, dum non sentit stomachi mugitus, aut carnis famem, cùm quis in oratione vigilat, quando nullatenus eum somnus prouocat, cum quis eleemosynam largitur ex eo, quod domo tanquam inutile expellere nitebatur. Ille autem egregia laude est dignus, qui his vitulis mugientibus non cessat abstinere conficiendo. Ieiunia ergo ita à nobis tenenda sunt, vt carnem affligant, & debilitent, vt ieiunia Christi imitemur, cuius exemplum antiqui fideles egregiè consectabantur, qui nullatenus comedebant vsque ad vesperam, ideoque non prandere, sed cœnare dicebantur, abstinebant non solùm à carnibus, & lacticinijs, sed à piscibus pinguibus, & suauibus, vino, & melle, vt Hieronymus *a*, Chrysostomus *b*, Cyrillus *c*, & Clemens *d* Papa dixerunt. Tantummodo viliores pisciculi per summam indulgentiam concedebantur infirmis, vt patet in Concilio Gerundensi *e*, & Concilio quarto Toletano. Et tale esse debere ieiunium nostrum docuit Hieronymus *f*, vt dicere possimus cum Daniele *g*: *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Hoc enim operatur in carne, & id perficit, quod intendimus, munire sci-

Deut. 27. 6.

1. Reg. 6. 12.

2. Reg. 12. 16.

¶ 105.

Ps. 108. 24.

Gen. 18. 8.

a *In epitaphio Paulæ*
b *Hom. 3. ad populū.*
c *Cathec. 3.*
d *Li. constit. Apostol. c. 17.*
e *Concil. Gerun. c. 3.*
f *In c. 10. Daniel.*
g *Dan. 10. 3.*

scilicet nos ad omnes diaboli incursus superandos. Ex his reprehendere possumus illos, qui tempore Quadragesimæ ludis, aut operibus recreationis se tradunt, aut quærunt recreationes, quibus ieiunij afflictionem temperent, conuersationibus vacant, cùm tamen ieiunium non fit nisi cum lacrymis, tristitia pro peccatis, & grandi mortificatione agendum. Quando Pharisæi quæsierunt à Christo, cur discipuli sui non ieiunarent, respondit Christus, quod nondum illis aduenerat tempus, quo ieiunare deberent, dicens: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies in quibus auferetur sponsus, & tunc ieiunabunt.* Ieiunare, & lugere pro eodem accipit, & interrogatus de ieiunio, respondet de luctu, quia verum ieiunium esse debet cum luctu, & afflictione carnis. Quod similiter intellexit populus Dei, qui volens interrogare, an ieiunandum esset, quærebat: An sibi esset lugendum; *Nunquid*, inquit, *flendum est mihi*, vt supra dictum fuit; indecentissimum est enim ieiunium cum ludo, risu, recreatione, frequentibus collocutionibus, discursibus per plateas, & vicos.

Matt. 9. 15

Zach. 7. 3.

§. 27. *Dubius fuit Satanas de Christi persona, quam velabat infirmitas, sicut in Sancta Sanctorum, & animali Ezechielis.*

ET *accedens tentator*. Non dubium, tentatoris nomine diabolum intelligi, cuius proprium officium est tentare; dixit Glossa, quæ expendens illud Pauli: *Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat*, subiungit, id est, diabolus, cuius officium est tentare, quod, & Diuus Thomas docet, & probat. Et certè nunquā verius potuit diabolus tentator dici, quam nunc. Tentare siquidem propriè loquendo, est, aliquid agere ad cognoscendum id, de quo aliqua subest dubitatio: idcircò enim tentamus tabulam, supra quam ascendere volumus, vt nobis innotescat firmane illa sit. Nunc autē diabolus, vt ex professo prosequitur Chrysostomus, maxima dubitatione tenebatur erga personam Christi, essetne verus, naturalisque Dei Filius, an tantùm purus homo. Maxima namque arte vsus est Dei Filius, cùm in mundum venit. Oportebat enim in primis ex vna, vt seipsum manifestaret, & demonstraret quisnam esset, vt homines in eum crederent, eique adhiberent fidem: nam si id non fecisset, non peccarent homines, non credendo, sicut ipsemet dixit. Oportebat insuper ex alia seipsum occultare, *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; ideoque nec redemptionis opus, ad quod perficiendum venerat, potuisset consummare in Cruce. Idcircò, *qui facit concordiam in sublimibus suis*, ita se gessit, quod verè aliquando se ipsum manifestabat, & ostendebat, quisnam esset, statim autem velum subinferebat, quo seipsum occultabat, ne manifestè à diabolo, eiusque ministris cognosceretur. Ad quod institutum illa obseruanda est dispositio, quam circa Sancta Sanctorum Deus statuit, qui præcepit Moysi,

¶ 106.

1. ad Thess. 3. 5.

1. p. q. 114. art. 2. Hom. 3. in imperf.

Ioā. 15. 22. 1. Cor. 2. 8.

Iob 25. 2.

Moyſi, vt ad operiendum Sanctum Sanctorum (in Hebræo ſanctitatem ſanctitatum, id eſt, ſupremam, ac ſummam ſanctitatem) in quo arcæ cum propitiatorio reponenda erat, conficeret velum, ex *hyacintho, purpura, cocco, & byſſo, opere plumario, & pulchra varietate contextum*: in Hebræo, *Opere artificis facies illud Cherubim*: aut, *opere artificis facies illud picturis*. Septuaginta, *Opus textum facies illud Cherubim*: Chaldaica, *Opere artificis facies illud figuris Cherubim*: quæ omnes dicendi formulæ ſignificant, velum ex pretioſa materia opere artificis doctiſſimi conficiendum, Cherubinorum figura, & picturis, opere plumario ornandum. Quod propterea Chryſoſtomus vocat pretioſiſſimum valdè. Hoc autem velum, vt Deus ſtatuit, ponendum erat ante ſancta Sanctorum pendens ex quibuſdam columnis de ligno Sethim deauratis, quibuſdam funibus, ac fibulis, vel vncinis, ita diſpoſitum, vt ſubitò trahi retrahique poſſet: id enim ſignificat illud: *Inferetur autem velum per circulos*. In Hebræo: *Pones velum ſubter circulos*: aut, *pones velum per vncinos*: Chaldaica, *Pones velum ſub fibulis*, aut, *Affiges velum illud ſuis fibulis*. Sic itaque velum diſpoſitum erat, inquit Lippomanus, vt mediantibus aureis circulis, poſſet, & trahi, & retrahi. Etenim dictio, *Kariſim*, propriè ſignificat circulos, aut fibulas, quibus corrinæ appenſæ extendi poſſunt, & complicari, vt ex ipſo textu patet. Velum ergo hoc expanſum erat ante ſancta ſanctorum, arcam, & propitiatorium, quod Dei erat ſedes, operiens: ſic tamen diſpoſitum, vt facilè ſubitoque trahi, ac retrahi poſſet: ideoque facilè erat, illud complicando, aut retrahendo, ſanctum ſanctorum aperire, & manifeſtare; & ſubitò illud ipſum trahendo, & extendendo, iterum operire, & contegere. Hæc ex profeſſo exponenda aſſumpſit Beatus Cyrillus Alexandrinus, docens nemini dubium eſſe poſſe, quid iſta ſignificent. Manifeſtum eſt enim, Sanctum Sanctorum, aut ſupremam illam ſanctitatem, quam ſanctitatum vocabant, Chriſti diuinitatem totius ſanctitatis fontem, & originem expreſſiſſe: velum autem ſignificaſſe eius carnem, ſicuti apertè Apoſtolus intellexit, idipſum exponens, & dicens: *Per velamē*, id eſt, *per carnem ſuam*: aptèque Ioannes Sanctum Sanctorum velamine opertum expreſſit dicens: *Verbum caro factum eſt*. Merito autem velum ita erat expanſum, vt retrahi, plicarique poſſet, ad manifeſtandum. Sanctum Sanctorum interius latens, ſubitoque poſſet trahi, & expandi, ad illud ipſum occultandum, quia CHRISTVS ita ſe geſſit, qui aliquando ea opera ſupra carnis virtutem faciebat, quibus quaſi velamen retrahens ſuam diuinitatem, manifeſtabat: ſtatim autem carnis fragilitatem oculis omnium expandens, diuinitatem, quam detexerat quaſi expanſo iterum velo contegebat. Quod in baptiſmo manifeſtè videre licet. Veniebat CHRISTVS inter peccatores, vt tanquam eorum vnus baptizetur à Ioanne, quo quaſi expanſo velo, & ſuperducto, diuinitatis munditia, ac ſuprema ſanctitatum ſanctitas latebat: ſubito autem velamen retractum fuit, cum ibidem aperti ſunt cœli, & vox Patris intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus*, & Spiritus Sanctus ſuper eum in columbæ ſpecie deſcendit, & manſit; cui, & Ioannes ſupremum perhibuit teſtimonium. Subito iterum eum expulit in deſertum inter beaſtias, vt ait Sanctus Marcus, vbi pœnitentiæ opera graniſſima arriperet: ſed ibi etiam quaſi velamen retrahens, ieiunat quadraginta diebus, & noctibus fine eſurie, ſuam hoc ipſo diuinitatem aliquantulum demonſtrans: ſtatim verò illud ſuperextendens, carnem ſamelicam, ac maximè debilem dæmonis conſpectui exhibuit, eandem diuinitatem quaſi ſuperinducto velo operiens, &c. Hoc ergo facto Chriſtus Dominus ſuam diuinitatem, quam ex vna parte manifeſtabat, occultabat ex altera: de quo bene dixit Iſaia *a*: *Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam*, &c.

Exo.26.31 *Vid. Liptom in cat. Exod.* *Exod.26.* *Hom.2.de cru. & latrone.* *Exod.26.11* *Lib.10.de ador. pag. 242.* ¶ 107. *Heb.10.20* *Ioan.1.14.* *Mat.3.17.* *a Iſai.8.17*

&c. b Et eritis sicut vir qui absconditur à vento, & celat se à tempestate: Et iterum *c: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*. In quibus responderi potest ad argumentum, quod statim cuique se offert. Quomodo fieri potuit, vt diabolus non cognouerit manifestè Christum esse Filium Dei naturalem, cui impossibile videtur latuisse diuina mysteria, quæ id clare indicabant, matris scilicet integritas, & virginitas, conceptio absque virili semine, præmisso Gabrielis nuntio, partus sine dolore, Angelorum concentus vocibus supernis resonantium: *Gloria in excelsis*: aduentus, adoratioque Magorum, resolutio concilij scribarum, quos Herodes congregauit, & in baptismo apertio cœlorum, vox Patris, descensio Spiritus Sancti Ioannis testimonium: ex quibus facilè colligere poterat, in Christo adimpleta, quæ Scriptura sacra de Dei Filio in mundum venturo expresserat. Dicendum tamen est, manifestatam quidem fuisse Christi diuinitatem, sed qui ex vna manifestabat se Dei Filium, ex alia seipsum ita occultabat, vt dæmonem redderet dubium, & ancipitem, cupidumque propterea sciendi, quisnam ille determinatè esset. Magno, inquit Chrysostomus, tenebatur ambiguo, nam neque hominem illum esse, nondum credere poterat, propter ea, quæ diuina vox de eo protulerat, nec rursus istud recipere, quod Filius esset Dei, quem esurientem videbat: itaque maxima rerum conclusus angustia, voces emittit ancipites. Vnde dubitantis est vox hæc (inquit idem Chrysostomus) *si Filius Dei es*. Et hinc patet, cur requirit, si ambigit; & quare interrogat, si ignorat. Audierat enim iam Virgini ab Angelo esse nuntiatum, quod esset Filium Dei partura; viderat, & Magos suo inanis scientiæ errore depositio natum puerum supplices adorare: viderat, & post baptismum veluti columbam Spiritum Sanctum descendentem; audierat, & vocem Patris de cœlo, dicentem: *Hic est Filius meus*: audierat, & Ioannem publica voce attestantem: *Hic est, qui tollit peccata mundi*. Tot igitur testimonijs perturbatus, nouissimè consternatus hac voce, & inter omnia, quæ audierat, magis timuit, quia cum ipse mundum peccatis impleret, audit venisse, qui tolleret mundi peccatum. Exterritus quidem his tot, ac tantis vocibus fuerat, sed nondum plenè credebat, quia quem audierat Dei Filium, interim hominem videbat, & in carne conspiciebat, quem audierat tollere peccata mundi. Vtrum ergo vera essent, quæ audierat, pauidus, ac tremebundus explorat. Vidit quidem Dominum quadraginta diebus, & noctibus ieiunantem, sed non statim Dei Filium perditus credere voluit: recolebat enim Moysen, & Eliam quadraginta diebus similiter ieiunasse: & ideo an verè ipse sit Dei Filius, signo aliquo propositæ virtutis exquirit. Ita Chrysostomus. Sed, & alio modo hoc ipsum, iuxta mentem Ambrosij, quem Diuus Thomas sequitur, explicari potest. Sciebat quidem diabolus Dei Filium venturum in mundum, tum quia hoc illi Deus, cum ipsum condidit, reuelauit per fidem, quam omnes Angeli in sui conditione acceperunt. Idipsum ex Scripturis sacris, & Prophetis intelligere potuit. Et quamuis verè potuisset ex prædictis cognoscere, CHRISTVM esse Dei Filium, quem venturum prænouerat, nullatenus tamen id certò credidit, quando ad humanitatis eius miserias oculos conuertebat, vnusquisque enim ex seipso de alijs iudicat, iuxta illud: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*: & commune habet Aristotelis axioma, quod qualis vnusquisque est, tales iudicat, & cæteros. Diabolus autem cum superbissimus sit, tale de se ipso iudicium fert, quod nullatenus voluntariè ad carnis miserias se demitteret, cum sit Spiritus immortalis, & miseriarum carnis expers. Idcirco impossibile omninò iudicabat Deum, qui infinitè naturam Angelicam excedit, & à carnis fragilitate distat, se demisisse ad carnis infirmitates, & dolores. Vnde quamuis videret operari

Isai. 45. 15.

Luc. 2. 14.

Hom. 13. in Matth.

Hom. 5. ex diuers. in Matth. ¶ 108.

Matt. 3. 17 Ioan. 1. 29.

Lib. 4. in Lucam.

3 P. qu. 41. art. 1. ad 1.

Eccl. 10. 3.

ra diuina in Christo, dum tamen in eodem humanitatem fragilem conspiciebat, & carnis infirmitates cõtemplabatur, nullatenus credere poterat, quod verè Deus esset, qui ad tam infima se ipsum demitteret. Hæc breuissimis verbis complexus fuit Ambrosius. Cognouerat, (inquit) diabolus, Dei filium esse venturum, sed venisse per hanc corporis infirmitatem non putabat. Quod egregiè animal illud Sanctũ apud Ezechielem adumbrauit: quod, etsi sub quatuor animalium specie inspiratur, sed verè tantum vnum fuisse, & Sancti patres expendunt, & Ezechiel ipse expressit. Illud igitur animal Sanctum impetu spiritus vbique ducebatur, cui duæ alæ erant, plumis abundantes, erantque plumæ, aut pennæ rectæ: Sed illis duabus alis, & earum pennis ita corpus suum contegebat, vt velatum illud redderetur; *Pennæ*, inquit, *eorum rectæ alterius ad alterum vnumquodque duabus alis velabat corpus suum*. Summo consensu omnes Sancti Patres credunt, illud animal tenuisse Christi Domini expressam effigiem, quam, iuxta omnem illius figuram, inter omnes Sãctos Beatus Gregorius *a*, considerauit, quod, & egregiè præstitit, & Sãctus Rupertus Abbas *b*. Ducebatur quidem animal illud impetu Spiritus, & Christus *c*, *à Spiritu agebatur in desertum* d, & *venit in Spiritu in Galilæam* e, & *seipsum obtulit per Spiritum* & *f*, *Apostolos elegit per Spiritum*, & omnia quæ fecit, non nisi mouente Spiritu sancto fecit. Duæ alæ erant diuinitas, & humanitas, quas diuinum suppositum Filij Dei sustinebat, quarum pennæ opera erãt: rectæ quidem, quia rectissimam in omnibus operibus seruauit regulã, nihilque operatus est, nisi iuxta regulam rectam paternę voluntatis, *Nihil enim operatur Filius, nisi quod viderit Patrem facientẽ*. Inter se autem magnum ordinem seruabant: nam quæ per humanitatem operabatur, per diuinitatem ad infinitũ pretium, & meritum eleuabat. Per humanitatem paupertatem sustinebat, per diuinitatem operabatur, vt illa paupertas nobis ineffabiles diuitias præstaret. Per humanitatem plorabat, per diuinitatem lacrymæ illæ eleuabantur, vt æterna nobis gaudia compararent. Per humanitatem moriebatur, per diuinitatem mors illa vitam nobis perpetuam parabat, &c. Coniunctæ propterea erant alæ, & pennæ alarum alterius ad alterum, nec se ab inuicem separabant, quia vt dixit Beato Leo Papa, alterum sine altero prodesse nõ poterat. Sed corpus animalis eis tegebatur, quia per horum operum coniunctionẽ diabolus nequaquam conspicere poterat diuini suppositi veritatem. Quãdo enim diuina opera excitabant dæmonis mentem, vt Deum iudicaret, subitò & simul aderant opera humanæ infirmitatis, quæ à tali iudicio retrahebant, & inducebant, vt purum hominem crederet, quem fragilem, & infirmum cognoscebat. Summa propterea iniquus ille suspẽsione erga Christum tenebatur, non aliter quam teneretur medicus sapiens, qui apprehendens alicuius pulsum dextrum, inueniret regulatissimum, & validum, apprehendens autem sinistrum inueniret formicantem, deficientem, & mortis certissima indicia demonstrantem: hæsitaret enim ille, sanus ne, aut infirmus homo ille dici posset, in quo pulsus ex vna summam valetudinem, ex alia summam infirmitatem demonstraret. Naturarum coniũctio, inquit Cyprianus, diabolum excæcabat, quia impossibile, & videbatur, vel quod esurire posset diuinitas, vel quod tantæ tolerantiæ posset esse, tantæque potestatis corporalis humilitas: ideò in ancipiti, & dubio inimicus versabatur.

Ezech. 1.

Epi. ad Flauia. & ser. de Nat.

Ezech. 10. ¶ 109.

Ezec. 1.25.

a *Hom 4. in Ezech. in princ.*

b *In cap. 6. Apoc.*

c *Luc.* 4.1.

d *Luc* 4.14.

e *Heb* 9.14.

f *Actor.* 1.2.

Ioan 5.19.

Li. de ieiu. & tentat. Christi.

§. 28. *Tan-*

§.28. *Tentator fuit Lucifer, quem Christus principem mũdi, Augustinus principem dæmonum, Chrysostomus Archidæmonem, Habacuc Reseph, & caput impietatis, Iob Magnum Cetum vocant, ipsemet qui parentes nostros superauerat.*

¶ 110. QVinque sunt nunc breuiter explicanda: Primum, Quis tentator ille fuerit. Secundum; Quid intenderit: Tertium; Quomodo tentauerit: Quartum. Quot diebus, quotue tentationibus: Quintum, Quo ordine in illis processerit, quodlibet enim horum difficultatem habet. Circa primum autem, Quis tentator fuerit, nulli dubium est, tentatorem fuisse diabolum, quem prius hoc nomine Euangelista expresserat, *vt tentaretur à diabolo*. Sed quisnam fuit? Sunt enim dæmones in magno valde numero, distincti inter se natura, nomine, sapientia, malitia, ac fortitudine, vt probat Diuus Thomas. Eorum supremus dicitur esse Lucifer, qui omnes Angelos à Deo creatos secundum naturæ conditionem superat, vt Gregorius probat, expendens illud: *Ipse est principium viarum Dei* vbi septuaginta legunt: *Hoc est principium formationis Domini*, quia inter omnes creaturas, quas Deus formauit, ille principem tenuit locum secundum naturam, & secundum dona gratiæ, quæ tunc recepit. In cuius confirmationem late prosequitur Gregorius illud Ezechielis *a*: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &c.* Et rursum *b*, *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non æquauerunt summitatem eius, platani nõ fuerunt æquifrondibus illius, omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius: quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus, &c.* Per hæc inquit Gregorius, intelligit illa agmina proceræ celsitudinis in paradiso plantata, &c. Et quidem dico in primis congruam, ac verisimilem mihi videri considerationem Eusebij Cæsariensis, innumeras dæmonum legiones ad desertum conuenisse, cum Christus in illud ductus est, quem admirati fuerant, videntes quæ in baptismo acciderant. Considerantes autem eius eximiam sanctitatem, quamuis summopere exoptabant illum inuadere, nemo tamen eorum ausus fuit accedere, quia vires suas impares tali militi cognoscebant, omnesque superari, ac vinci refugiebant, & recusabant. Vnde ad alios superiores aduocandos se conuerterunt. Certa enim est doctrina illius exercitatissimi militis Antonij, quam docuit, tradiditque Beatus Athanasius, illius vitam scribens, quod dæmones isti communes, qui apud nos sunt, cum aliquem insignis Sanctitatis virum conspiciunt, quem impetere non audent, alios aduocant superiores, quos Paulus vocat; *Principes tenebrarum, & mundi rectores*, qui bellum suscipere possint, & apertè indicatum est iuxta Lyrani sententiam in historia Regis Achab, quod non omnes dæmones quodcunque certamen aggredi audent, Deo namque sedente super solium suum, assistentibusque à dextris Angelis Sanctis, & à sinistris dæmonibus, tanquam ministris executoribus iustitiæ suæ, vt Lyra *a*, interpretatur, satis conformiter ad mentem Hieronymi *b*, & Augustini *c*, proponenteque Deo id, quod permittere disponebat propter peccata Achab, & dicente: *quis decipiet Achab?* inter eos qui erant à sinistris, vt ait Glossa interlinealis, murmur exortum est: *Querum vnus dixit verba huiusmodi, & alius aliter*. Dæmones enim, cum de decipiendo aliquo homine agunt, loqui possunt, & conferre inter se, & vnusquisque media cuiusque malitiæ apta ad hoc indicare, quæ Angeli Sancti, qui omni carent decipiendi facultate, nullatenus vel excogitare valent: *Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum*. Contendebant dæmones inter se, quis ad tantum opus aptus esset, ad quod non quiuis eorum se sufficientem iudicabat, & sicuti quando

In vita Antonii pag.64

Eph.6.12.

3.Reg.22.

a In cap.11 3.Reg.
b In cap.2. Ioel.
c Lib.2.qq. ad simpl.q. 6.

3.Reg.22. 20.

¶ 111.

1 p.q.109. art.1.& 2.

Iob.40.14.

Li.32.mor. c.24. & 2.

a Ezec.28. 13.

b Ezec.31. 1.

Li.3.de dem. cons.c.7.

do Saul proposuit, quisnam egredi posset contra Goliath, omnes qui præconium audiebant, inter se colloquebantur, & mussitabant varias res vno quoque eorum proponente; nullus tamen egredi audebat quousque Dauid Spiritu Dei actus, stetit coram
1. Reg. 17. 31. Saule, dicens: *Ego egrediar, & superabo Philistæum hunc:* ita, & nunc, proponente Deo: Quis decipiet Achab? omnes dæmones, qui audierunt, inter se colloquebantur: nullus tamen audebat tantum facinus aggredi, quousque vnus ex præcipuis principibus quem Spiritum Sacer textus vocat, egressus stetit in medio, paratum se exhibens ad illud opus complendum: dicens: *Egrediar, & ero spiritus mendax &c.* Vbi, & vis illius verbi, Egrediar, expendenda est: nam est in Scriptura verbum militare, cum scilicet quis egreditur ad pugnam, quasi dicens: Hanc pugnam ego assumo, hoc bellum ego aggrediar. Quare nullatenus sustinenda est sententia Rabbi Salomonis, credentis spiritum illum fuisse animam Naboth, quem Achab occiderat, sed vnum ex principibus tenebrarum, vt Abulensis
In cap. 22. probat. Christo ergo Domino in de-
2. Reg. 9. 13. serto constituto, & ad pugnandum, cum dæmone parato, confusæ sunt dæmonum cateruæ, inter se quærentes: quisnam egredi posset, qui cum tanto milite validè posset congredi, & in certamen descendere. Nullus autem nisi dæmonum omnium princeps iudicatus est opportunus, qui cum eo congrederetur, Hocque indicare voluit Euangelista, ponens nomen diaboli absolute: *Vt tentaretur,* inquit, *à Diabolo:* hoc enim nomine principem dæmonum scripturæ sæpè exprimunt: vt apud Matthæum
Mat. 25. 41 *Qui paratus est Diabolo, & Angelis eius,* id est, supremo tenebrarum principi, & angelis illius apostatui: & apud Ioannem: *Proiectus est draco magnus, qui vocatur Diabolus:* quod iterum, atque iterum repetit. Hic ergo, omnibus malitiæ suæ armis ac telis munitus, bellum suscepit agendum, cæteris omnibus manentibus tâquam spectatoribus illius luctaminis. Intelligo siquidem ad hoc spectaculum, innumeras Angelorum legiones, & infinitam propemodum dæmonum cateruam adstitisse. Si enim (vt alibi annotauimus) quando diabolus ille, qui ex principibus erat, subiturus erat certamen cum Iob, tot tamque innumera angelorum multitudo adfuit ad spectaculum; cui credendum est, etiam magnam astitisse dæmonum copiam: multo magis, id nunc credendum est, quando CHRISTVS Dominus diaboli regnum, & imperium subuertere incipiebat, & iam toti inferno timorem incutere parabat. Quare dæmon, qui ad eum tentandum accessit, fuit Lucifer ipse, omnium dæmonum supremus, qui peculiari Dei permissione inferno egressus, certamen cum Christo aggressus est. Hoc etiam facer Euangelista indicat, si textum Græcum cum Theophilacto expendamus: in quo tentatoris nomen cum articulo ponitur: *Accedens o pirata,* ideſt, ille pyrata: articulus namque magnam apud Græcos emphasim habet, vt sæpè Sancti Patres expendunt: sicut in illo quod
Ioan. 1. 21. à Ioanne petierunt: *Propheta es tu?* in Græco cum articulo: Propterea ille magnus, Prophetarum omnium supremus, & Dominus es tu? Qui propterea se illum esse negauit: quamuis enim Ioannes Prophera esset, sed non ille, quem interrogando cum articulo expresserant. Similiter, quod dixit Petrus: *Tu es* CHRISTVS *Filius Dei viui?* in Græco
Mat. 16. 17 cum articulo: ille filius, id est, qui inter omnes Dei filios primatum tenet. Ita hoc loco; *Accedens ille pyrata,* id est, ille, qui inter omnes prædones, & pyratas principem tenet
Q. 1. 10. locum Allusioque mirabilis fit ad illud, *Militia est vita hominis super terram.* Septuaginta: *Tentatio est vita hominis super terram,* quæ-
Iob. 7. 1. lectio est communis apud Ambrosium a, & Hieronymus b, & Ambrosius c, pro eo quod vulgatus *Militiam* transtulit, Græcum vocabulum retinens, legit; *Pyraterion est vita hominis super terram,* quia videlicet totam vi-

a Lib. 2. de Interpell. cap. 2.
b Lib. contra Pelagi.
c Serm. 66.

tam agere debemus, militiam gerentes cum dæmonibus, aut tentationes eorum sustinentes, qui in mundo, tanquam in mari magno pyratarum more agunt: summa nam que attentione inuigilant, vt homines, qui tanquam naues per illud discurrunt, capiant, tantoque maiori astu, quanto aliquem viderint preciosioribus mercimonijs onustum. Supremus ergo pyrata est Lucifer: ille accessit. Ita, & beatus Augustinus *a*, asserit, hunc fuisse omnium dæmonum principem, quem propterea Chrysostomus *b*, vocat Archidæmonem, id est, dæmonum principem, quod & clarè sæpè *c*, repetit: quibus concinit Diuus Hieronymus *d*, expendens illud Habacuc, *e*: *Egreditur diabolus ante pedes eius*. Aquila, inquit Hieron. pro diabolo, transtulit *volatile*: Symmachus autem, & Theodocio, & quinta editio: *volucrem*, quod Hebraicè dicitur Reseph. Tradunt autem Hebræi, *Reseph*, illius dæmonis esse nomen, qui principatum tenet inter alios, & propter nimiam velocitatem atque in diuersa discursum, auis, & volatile nuncupatur: ipsumque esse, qui in paradiso sub figura serpentis, mulieri fuit loquutus, & ex maledictione, qua à Deo condemnatus est, accepisse nomen siquidem Reseph, reptans ventre interpretatur. Hoc est ergo quod Habacuc dicit: statim cum venerit Dominus, & in Iordane fuerit baptizatus, & ad columbæ descensum vox Patris intonuerit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, exeunti de aquis, occurret diabolus, & ante pedes illius stabit mors, & coluber antiquus, qui quadraginta diebus tentabit illum in solitudine. Ita Hieronymus: ex cuius sententia id in primis habetur, duellum hoc, quod CHRISTVS cum dæmone egit, singulariter fuisse decantatum à Sancto Propheta Habacuc in illo famigeratissimo cantico suo; in quo gloriam Christi, qua in baptismo fuit illustratus primò cecinit, dicens: *Operuit cælos gloria eius*: etenim cæli aperti sunt super eum, & vox Patris intonuit, & Spiritus Sanctus super eum descendit: & laucis eius plena est terra; quia non tantum à cælo testimonium Patris habuit, sed, & in terra Ioannes egressus è deserto, illud insigne testimonium tulit, quo ostendit, Christum summa laude omnique honore dignum: ex quo patebit, quod *splendor eius, vt lux erit*. Fuit quidem Ioannes virtutum splendore micans, sed non fuit ille lux, qui tantum venerat, vt testimonium de lumine perhiberet. Vera lux Christus erat, à quo omnis sanctorũ splendor procedit, vt tam vox Patris, quam præconium Ioannis demonstrabant. Sic autem illustratus processit ad pugnam, nec sine ingenti fortitudine, & robore, nam *cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*. Egregiè Christum depingit ex aquis ascendentem, procedentemque ad dæmonem reuincendum duo enim habebat; & virtutem diuinam, qua superaturus erat inimicum, & fragilitatem humanam, qua animam præbebat illi; vt accedere auderet. *Cornua in manibus eius*, id est, maxima vi, & potentia præditus est: methaphora sumpta ab eo, quod tunc in vsu erat: nam cum princeps aliquis ad bellum egrediebatur, ad ostendendam eius potentiam, quam ferebat, per quam ferebat, per quam hostes esset deiecturus, inducebatur aliquis, cornua valida in manibus habens; quæ huc, illucque ducebat; quasi ventilans inimicos. Id expresse ¶ 113. patet ex cornibus ferreis, quæ fecit Sedechias quando Achab egredi volebat contra Syriam, dicens: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam*: & ex Zacharia, apud quem sub specie quatuor cornuum, inducuntur Reges, & Monarchæ, qui per varias captiuitates populum Dei deiecerunt. Quoniam ergo considerat Habacuc, quod Christo baptizato, iam tempus aderat, vt bellum aggrederetur contra omnes tenebrarum principes, & quod ad hoc ducebatur in desertum cum suprema potentia præstantem expressit, dicens: *Cornua in manibus eius*: Quoniam autem si talis fortitudo manifesta dæmonibus fuisset, nullatenus dæmon etiam supremus accedere

a Lib. 9. de ciu. cap. 21.
b In Ps. 2.
c Ho. 5. ex varijs in Matth.
d Lib. 2. in Habac.
e Hab. 3. 5.
Matt. 3. 17
Habac. 3. 3.
3. Reg. 22. 1 Zach. 1. 18.

dere auderet ad eum impugnandum, opportuit ibidem talem fortitudinem abſcondi: *Ibi*, iniquit, *abſcondita eſt fortitudo eius*: ieiunans enim in deſerto quadraginta diebus, maximam famem, & eſuriem præ ſe tulit: hanc vt conſpexit inimicus acceſſit: *Ante faciem*, inquit, *eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*. Duplici nomine inimicum vocat, mortis, & diaboli, quibus nominibus ſcriptura ſacra deſcribitur, propter rationes alibi tradendas. Meritò autem inducitur egrediens, dum enim Chriſtus abſcondens ſuam fortitudinem, ſpeciem fameſcentis, & eſurientis exhibuit, ſtatim inimicus ante eius faciem ſe dedit, & egreſſus eſt, ante pedes eius ſe conſtituens, Septuaginta: *Egredietur in campum poſt pedes ius*. Egredi, vt dictum eſt, verbum eſt militare, pro eo quod exire ad bellum. Pedes autem eius erant humani affectus, fames ſcilicet, eſuries, ſitis, debilitas, & infirmitas. Statim ergo, vt hos pedes vidit, in campum cum eo egreſſus eſt, *Acceſſit enim tentator, &c.* Sed obſeruat bene Hieronymus, Prophetam exprimere voluiſſe quaſi propterea vocat *Reſeph*, ita enim in Hebræo habetur, *Egredietur Reſeph*, quo nomine Hebræi, inquit Hieronymus, ſupremos inter dæmones omnes ſignificant. Et apte quidē hoc nomine eum deſcribit: mirum eſt enim, quot, quantaque hoc vnum nomen ſignificet: quamuis enim Beatus Hieronymus dicat, ſignificare, Reptans ventre, ſed etiam conſtat alia multa ſignificare; & talia, ac tanta, vt peculiariter ea aſſumpſerit explicanda Rabbi Mardochæi in ſuis concordantijs. Significat enim Auem, ſerpentem, carbonem accenſum, prunam, ferrum ſagittæ, febrem ardentem, peſtem, ignē, id quod volando adurit, & id quod adurendo, & ſuccendendo diſcurrit: de quibus recens, & diligens author, in librum Iob, latè diſcurrit: quæ certè oſtendunt, voluiſſe Prophetam inducere inimicum, omnibus armis munitum, omnique malitia inſtructum, & omnibus dæmonibus ſuperiorem, qui, & illorum omnium abſolutè princeps dicatur. Hoc autem ita eſſe, etiam Chriſtus Dominus non obſcure viſus eſt aſſerere, quando inſtante paſſionis ſuæ tempore, dixit diſcipulis: *Iam non multa loquar vobiſcum, venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. ſed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Ad quam ſententiam intelligendam obſeruanda ſunt verba illa Lucæ: *Conſummata omni tentatione, receſſit ab illo diabolus vſque ad tempus*, paſſionis ſcilicet: vſque ad illud enim nunquam auſus eſt amplius accedere ad tentandum Chriſtum: nunc autem more ſuo: *aſſumens ſecum ſeptem alios nequiores ſe*, id eſt, omnem potentiam principum inuiſibilium, & viſibilium, Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, Iudæorum, & Gentilium, conſtituens Iudam Apoſtolum, tanquam omnium illorum ducem, in cuius cor intrauerat, iterum venit ad impetendum Chriſtum. Vnde Chryſoſtomus credit, hunc dæmonis aduentum præuidiſſe Dauid, quando dixit: *Fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*. Veniebat enim dæmonum, & iniquorum princeps, omnem poteſtatem mouens, & incitans contra Chriſtum. Quando ergo ille, tam potenti exercitu congregato, iam actu veniebat ad Chriſtum impetendum; inquit Chriſtus ad diſcipulos: *Iam non multa loquar vobiſcum*, iam parum ſupereſt mihi, iam mors proxima eſt: *Venit enim princeps mundi huius*, qui nullum ius habet, vt agat contra me, quod vult; quia nullatenus peccatum in me eſt, per quod ille dominatur mundo, id eſt, iniquis, & peccatoribus. Poteſtatem itaque habiturus, eſt non ſuo iure ſed meritò obedientiæ meæ. Diabolus ergo, qui conſummata tentatione receſſit, idem ipſe eſt, qui tempore paſſionis iterum regreſſus fuit. Is autem eſt princeps ſupremus, quem propterea CHRISTVS Dominus abſolutè vocat. *Princeps mundi*: & hic eſt, quem Habacuc ipſe ibidem vocat, *Caput domus*

Pineda in c. 7. Iob.

Ioan. 14. 30

Luc. 4. 13.

Mat. 12. de de Luc. 11. 26.

¶ 114.

in Pſal. 2.

Pſal. 2.

Ioan. 12. 31 & Ioan. 14 30.

impietatis, quem CHRISTVS percussurus erat: quem vt Sancti Patres, Hieronymus *a*, Ambrosius *b*, & Gregorius *c*, obseruarunt, sanctus Iob *d*, in lectione septuaginta interpretum vocauit magnum cetum, reseruatum CHRISTO, à quo erat vincendus, & superandus, vt infra dicemus. Hic est, quem, cum eiectus esset è cœlo, vocauit Angelus *e*, *Diabolum, & Satanam*, quo etiam duplici nomine nunc in Euangelio nuncupatur, vt eundem hunc atque illum intelligeremus. Ratio itidem persuadet, quod diabolus ille esse omnium dæmonum Princeps; id enim expediebat ad gloriã CHRISTI, cui non fuisset gloriosum, vincere dæmonem aliquem inferioris naturæ, aut ex illis dæmonibus, quos alij homines superauerant, vt Iob, & alij sancti viri. Ex his patet, quod dixit Hieronymus, hunc dæmonẽ illum ipsum fuisse, qui parentes nostros in Paradiso deiecit, qui fuit omnium dæmonum princeps, qui nulli alteri sibi inferiori primum illum congressum committere voluit, per quem totius regni sui fundamẽtum iacere parabat, propter quod principatum mundi erat obtenturus, cui post victoriam, Deus fuit comminatus, quod semen mulieris illius (qui est CHRISTVS) contriturum erat illius caput, vires scilicet, potentiam, sapientiam, & astum. CHRISTVS ergo, qui veniebat ad euertendum diaboli principatum, oportebat, vt illum ipsum dæmonem superaret. Hæc, inquit Ambrosius, est vera victoria, vt quia Adam immortalem, & gloriosum, & epulantem subuerterat, nunc ab homine mortali, humili, esurienteque vincatur: quod, & similiter asseruit Theodoretus *a*, indicatque Diuus Thomas *b*, expendens id, quod etiam Chrysostomus *c*, annotauerat, eundem modum tenuisse nunc diabolum, cum tentat Christum, quem tenuerat cum tentauit hominem in Paradiso. Credo igitur, Luciferum ipsum primò cum parentibus nostris congressum fuisse, qui eos misere deiecit; qui tali victoria elatus nunqua m amplius ipsemet per semetipsum, ad aliquem hominem impugnandum, quantumcunque sanctum, accessit: id enim egit per alios sibi inferiores principes tenebrarum, vt Diuus Irenæus annotauit. Nunc autem ipsemet egressus est, vt cum Christo congrederetur, cui reseruatum erat vincere illum, qui totum nostrum genus deiecerat, de quo dictum fuerat: *Ipsum conteret caput tuum.* Gen. 3. 15.

Hab. 2. 13.
a In c. 2. Ioña ad fin.
b Lib. 4. in Lucam.
c 4. Mor. c. 11.
d Iob 3. 8.
e Apoc. 12. 9.
Lib. 2. in Hab. cit.
Serm. 44.
a Serm. 10. prouid.
b 3. p. q. 41. art. 4.
c Homil. de lapsu hom. tom. 1.
Lib. 3. cont. hæres. c. 38. & l. 5. c. 21

§. 29. *His tentationibus intendit diabolus Christum inducere, vt si verus erat Deus, se proderet, si purus homo, peccaret, cuius propterea nerui ramificati dicuntur.*

QVid diabolus per has tentationes intenderit, iam explicemus. Quidam Sancti Patres dicunt, intendisse explorare, essetne Christus Filius Dei naturalis, an purus homo: quæ enim in eo viderat, nunc in hanc partem, nunc in illam ipsam trahebãt, vt dictum est. Ita Hieronymus *a*, Augustinus *b*, Chrysostomus *c*, Leo Papa *d*, & magis ex professo quam omnes Sanctus Maximus. *e* Alij sentiunt, intendisse inducere Christum ad peccatum, ad gulam videlicet, vel inanem gloriam, aut auaritiam, vel impatientiam. Ita Cyprianus *f*, Gregorius Nazianzenus *g*, Basilius *h*, Gregorius Papa *i*, & Chrysostomus K, ipse, imò, & Diuus Thomas *l*, contendit perpetuò, cum diabolus tentat, intendere ad peccatum pertrahere. Sed vtraque sententia vera est: nam vtrumque maligno ille sub disiunctione intendebat, explorare scilicet CHRISTI diuinitatem, essentne verus Dei Filius, aut eum ad aliquod prouocare peccatum, si homo purus erat. Hæc ergo astutia ducebatur, & sic tentationes instruxit, vt si CHRISTVS erat verus Filius

¶ 115.
a In cap. 4. Matth.
b Lib. 9. de ciuit. c. 21. & in Ps. 90 concio. 2.
c Hom. 5. in diu. Matt. & hom. de lapsu primi homin.
d Ser. 1. de 1. Quadr.
e Ho. 1. De. 1. Quadr. & hom. 2.
f Lib. de ieiun. & tẽt. Christi.
g Orat. in laud. Cyp.
h Ser. de abdicat. rerũ temp.
i Hõ 10. in Euang.
K Hom. 13 in Matth.
l 1. p. q. 114 artic. 2.

Filius Dei, hoc poſſet per ea, quæ proponebat, cognoſcere; ſi autem eſſet purus homo, illum ad aliquod peccacatum per eaſdem tentationes incitaret: ſicque nullatenus ſagittarum ſuarum iactus eſſet inanis, vt, & nunc vera ſit D. Thomæ ſententia, quam diximus, quod ſemper peccatum intendit: ſicut crudelis deprædator, & raptor, qui in nemore inter lucis crepuſcula conſtitutus, videns à longè vultrum, de quo dubitat, ſitne homo quem poſſit deprædari, vel arbuſcula, aut truncus terræ inhærens, talem contra eum iacit ſagittam, aut certè plumbeum globum, per quem, ſi arbor, aut truncus eſt, poſſit cognoſcere, vt dimittat; ſi homo, vt tranſfigat, & bona illius rapiat. Tales ſunt illius ſagittæ, aut globuli, qui ſi ex hac parte nihil poſſint efficere, efficiant ex alia. Hocque eſt, quod Deus de eo agens, illiuſque technas, & mores aperiens, quem ſub ſpecie elephanti deſcripſit, dixit, agens de neruis pudendorum eius:

Iob. 40. 12. *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.*

Mirum eſt ſanè, quod Deus ad pudenda elephanti deſcribenda, ſermonem ſuum demittat. Certè ibi aliquid latet, quod nos ſcire neceſſe ſit: idque tanto amplius credendum eſt, quanto

Brixian. in area tom 2 fol. 80. & 257. similibus verbis nũquam Deus in ſcriptura vſus fuit. In primis enim vox Hebræa, *Phahhadim*, hoc tantum loco in ſcriptura legitur, quæ videtur deפחד duci à verbo, *Phahhad*, quod ſignificat *timere*: & quia ea, quibus timemus, abſcondita ſeruamus, deductum eſt nomen *Phahhad*, quod pudenda, aut verenda ſignificat, quæ abſcondita propter honeſtatem ſunt. Vnde alij transferunt, *Nerui verendorum eius*: & transferre poſſumus: *Nerui abſconditorum eius*: *De ſus partes ſecretas*.

שרג Deinde, verbum, *Sarag*, etiam ſolummodo hoc in loco in tota Scriptura ſacra reperitur, quod vulgatus tranſtulit, *perplexi ſunt*. Septuaginta, *complicati ſunt*, alij *ramificati ſunt*: à verbo enim, *Sarag*, deducitur nomen *Sarigim*, quod ſignificat palmites, ſeu

Hom. 2. hexaem. propagines vitis, ſic à perplexitate dicti, quod multis hinc, & inde abundet ſurculis, quos Baſilius clauiculos, aut capreolos vocat, quia ad vtramque partem quædam cornicula, quaſi clauiculos habent; quibus palmites hinc, aut inde arboris ramos apprehendant, & quaſi colligatos teneant, quibus implicati adhæreant: propter quos palmes verè ramificatus eſt, aut perplexus dici poteſt. Non Deo magna erat cura, neruos abſconditorum, aut pudendorum elephanti deſcribere, niſi in eo aliquid altius intendiſſet circa dæmonem explicare, vt ſæpe dictum eſt. Vocantur nerui pudendorum eius tentationes, quibus generare intendit peccatum: ipſe eſt enim mendacij, & peccati pater, author, & genitor. Ramificatæ dicuntur huiuſmodi tẽtationes, ad modum propaginum, aut palmitum, quæ varios clauiculos habent, vt vel ex hac, vel illa parte mentem comprehendere, & religare poſſint: varia namque diabolus tentans intendit, aut hoc, aut illud; vt ſi tentatio ex hac parte non apprehendit, apprehendat ex illa. Cum inducit te, verbi gratia, vt ad domum ludi te conferas, multa intendit; aut te ad periurium, & furorem concitare; aut exponere, vt bona tua perdas, ex quo tibi innumera mala naſcantur. Cum inducit, vt ad periculoſa ſpectacula te conferas, multa intendit, aut quod concupiſcas virginem, aut vxoratam, aut aliquam ſaltem ex mulieribus in theatro repræſentantibus: ſin minus, detractionibus, & murmurationibus ibidem vaces, &c. *Sempre va à dos Italiones: ſino ſale por aqui, ſalga por alla*, vt videas quanta oporteat te circumſpectione omni ex parte muniri, de quibus latius infra. Sic ergo ad tentandum Chriſtum procedit, vt, vel ex hac, vel ex illa parte aliquem conſequatur effectum; aut cognoſcere Chriſtum ſi Deus erat, vt illum fugeret, aut eum peccato inuoluere, ſi purus erat homo. Ita Beatus Ambroſius multis in locis, ſed præcipuè in Lucam, vbi ex profeſſo hanc hiſtoriam expendens, illam habet celebrem propoſitionem: Artificem diaboli diſce verſutiam; ſic tentat, vt exploret, ſic explorat vt tentet. Tentationis nomine intelligit Ambroſius, inductionem ad peccatum: ſic enim diabolus Chriſti exploravit perſonam, vt ſimul

¶ 116.

Lib. 1. de Cain. c. 5. & in c. 4. Luc.

ad peccatum induceret: & sic ad peccatum induxit, vt eius exploraret personam. Ita etiam Hilarius *a*, & egregiè Chrysostomus *b*, & Rupertus *c*. Dicebat ergo intra se inimicus, inquit Chrysostomus *a*: Ipse eum tentabo, & si inuenero eum hominem, dominabor illius, sicuti, & omnium hominum: si autem inuenero filium Dei, recedam ab eo, nec cum eo congrediar, cuius vires maiores sunt. Intendebat, inquit Cyprianus vt, aut Christus, si Deus erat, se proderet miraculo: aut intemperanter ad cibum properaret, si purus esset homo. Hanc doctrinā breuissimis verbis doctissimus Caietanus complexus est. Vtroque, inquit, modo sunt tentationes, vel deitatis agnoscendæ, vel peccato polluendi. In ordine ad filium Dei sunt explorationes: in ordine ad purum hominem, inductiones ad peccatum. Quæ autem fuerint peccata, ad quæ Christum, si purus esset homo, inducere intendebat, cum vnamquamque tentationem exponemus, indicabimus.

a Can. 3. in Matth.
b Hom. 13. in Matth.
c In cap. 4. Matth.
d Hom. 5 in imperf. Li. de ieiu. & tent. Christi.
3 p. q. 41. art. 4.

§. 30. *Diabolus tētauit Christum solūmodo extrinsecè, quadraginta quidem diebus sub varijs ferarū figuris, post illos autem, primo sub specie hominis sancti.*

¶ 117. *Hom. 29 in Luc.*

DE modo quo Christus tētatus est, dicamus, annotantes, Originem existimasse, tot, tāq; varijs modis diabolum tentasse Christum, vt consulto illos Euangelistæ silentio prætermiserint; quoniam maiores erant, quam vt literis possent enarrari: etsi sic (inquit) oportet dicere, sicut mundus capere non poterat libros, si scripta fuissent, quæ fecit, & docuit Iesus, sic quadraginta dierum tentationes, quibus tētatus est à diabolo, mūdus ferre non poterat, si scriptura docuisset. Origeni subscribere visus est Euthymius, asserens diabolum varijs modis tentasse Christum, non tantum exterius, sed interius excitando in illo somnū, tristitiam, ignauiam, &c. aliosque motus inordinatos. Hoc autem secundum rectā Theologiam dici non potest, quā Damascenus *a*, & Gregorius *b* explicant. Nos quidem tentamur à diabolo, non solum exterius verbis, & factis, quæ ille extruit, sed etiam interius per cogitationes pessimas, quas immittit, & concupiscentiæ motus, quos excitat, etiam nobis nolentibus, & repugnantibus: nam propter peccatum amissa est iustitia originalis, qua pars inferior & sensualitas subdita, & compressa tenebatur, & remansit exposita incursionibus inimici, quam propterea nobis repugnantibus potest diabolus varijs modis mouere: de qua re videndus est D. Thomas, qui probat, posse Angelos immutare potētias nostras sensitiuas, etiā internas, ex eo quod possunt in humores corporis nostri agere, & eos alterare, & species corporeas imaginationis mouere, vnde dæmones possunt varias concupiscentias, etiam reluctantibus nobis in nobis ipsis excitare, sicuti experimūr quotidiè, & passa est Beata Catharina Senensis, vt latè tradit Beatus Antoninus, eius vitam scribens. In Christo autem nullatenus poterat diabolus hoc præstare, qui ita omnium suarū potētiarum partis inferioris habebat dominiū, vt nulla posset excitari imaginatio, nullus motus, nisi ipso volente, & consentiēte. Ratioque Damasceni clara est: si enim in Adam nullatenus potuit diabolus aliquid interius mouere, aut excitare, quia per donum iustitiæ originalis pars inferior subdita erat, obedienſque rationi, & nihil poterat in ea parte insurgere, quod ratio ipsa nō sineret excitari; multò minus id poterat in Christo, cuius pars inferior, multò magis erat rationis, & superiori parti ita subiecta, vt nullus posset excitari affectus, aut motus, nisi parte superiori consentiente. Ex his infert Diuus Thomas ex Beato Augustino, Christū nullatenus tentatum esse interius tentationibus carnis, aut concupiscentiæ: hi enim motus in natura corrupta ex pec-

a Lib. 3. fid. cap. 20.
b Hom 16. in Euang.
1 p. q 102. art. 3. & 4.
3 p. histor.
3 p. q. 41. art. 1. ad 1 19 de trinit. c. 4.
In cap. 4. Matth.

ex peccato oriuntur, per quod amissa fuit iustitia originalis, partem inferiorem comprimens: at Christi naturæ, & sensualitas nullatenus erat infecta, nec concupiscentiæ nouerat corruptionem, quippe quæ tam subiecta erat parti superiori, vt nullum motum indeliberatum habere posset. Ex quo Infertur, quod si tales motus concupiscentiæ in Christo reperirentur, peccata essent, quia cùm posset, & teneretur eos comprimere, id non faceret. Exterius ergo tantummodo diabolus Christum tentauit per collocutionem, & alia quæ exterius repræsentabat: eo etiam modo, quo parentes nostros in paradiso tentauit. Vnde duo colligere licet. primum est, quod sicuti ibi eam figuram accepit quam instituto suo accommodatiorem iudicauit, serpentis scilicet; ita, & hoc in loco, vt ait Dionysius Carthusianus, figuram assumpsit corpoream hominis sancti, eremum incolentis, rebus diuinis traditi. Accessit, inquit Beda, per assumptam speciem tentandi, id est, per eam figuram, quam aptiorem ad tentandum iudicauit. Alterum est, quod notat Caietanus, dæmonem non tantùm assumpsisse verba, quæ sacri Euangelistæ recensent, sed multis alijs ornatissimis, eloquentissimis, & maximè adulatorijs vsum fuisse, quæ ab Euangelistis omissa sunt, contentis tantum scribere ea, quæ substantialia sunt. His Addo, iuxta sententiam eorum, qui credunt Christum per totos quadraginta dies tentatum fuisse (de quo statim dicemus) non esse improbabile, per varias diuersasque figuras exterius repræsentatas, dæmonem procurasse cum satellitibus suis, vt in Christo aliqui insurgerent motus concupiscentiæ, quibus ad illicita ipsum moueret, aut verò aliquos affectus timoris, quo habitationem illam dimitteret, sicuti, inquit Caietanus ad tentandum Antonium, formauit, vt latè scribit Beatus Athanasius in eius vita, & coram Beata Catharina Senensi; vt refert Diuus Antoninus, varias hominum mulierumque lasciuientium formas, similiter effinxit: & coram Santo Martino, de quo refert Seuerus Sulpitius, quod frequenter diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat: nam interdum in Iouis personam, plerunque Mercurij, per sæpè etiam se Veneris, ac Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat, Etsi hoc dicere voluisset Origenes, sustineri aliquatenus posset eius sententia, & credere possumus, dæmones cum Christo ea agere attentasse, quæ cum Antonio egisse narrat Athanasius, dicens: *Sonitus repente increpuit; ita vt loco funditus agitato, parietibus patefactis, multifariam dæmonum turba exinde se effunderet; nam, & bestiarum, & serpetium formas induentes, omnem protinus locum repleuere phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium scorpionum, necnon, & pardorum atque vrsorum, & hæc singula secundum suam fremebant naturam: rugiebat leo occidere volens: taurus mugitu, & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat, luporum impetus inhiabat, pardus discolor à tergo authoris sui calliditates indicabat, truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus*, &c. Ita dæmonem egisse cum Christo sensit Eusebius Cæsariensis, qui expêdit dictum illud Euangelij Sancti Marci: *Erat in deserto quadraginta diebus, eratque cum bestijs*; In Græco, *Cirion*, quod bestias feras, venenatasque signi ficat, hoc enim de dæmonibus intelligit Eusebius, quos Dauid bestias appellat, dicens: *Ne tradas bestijs animas confitentium tibi*: quos, & Psalmus, vbi hoc Christi duellum describendum assumpsisse visus fuit Dauid, sub nomine bestiarum venenatarum exprimit, dicens: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Non ergo solùm cum multis venenatis bestijs, quibus illud desertum abundabat, fuit Christus, sed, & cum his ferocissimis terrificisque bestijs à dæmonibus confictis: nam millia millium talium bestiarum passus est infestationes, toto quadraginta dierum spatio, quo finito Lucifer sub specie, & in figura hominis sancti, ad grauio-

In cap. 4. Matth. ¶ 118.

1. p. qu. 41. art. 4.

Li. 1. de vita S. Mart.

Libr 9. de monstr. 7. Marc. 1. 13

Psal. 73. 19.

Psal. 90. 13.

Ead q. ar. 3

In vita Antonij.

rem vltimumque congressum, quem Euangelistæ referunt, per tres tentationes actum, accessit. Sed de ijs statim aliquid etiam subinferemus.

§. 31. *Probabile est, toto quadraginta dierum spatio Christum varias dæmonum tentationes passum, certum autem, post illud, tribus fuisse impetitum.*

¶ 110. QVot diebus, quotue tentationibus Christus Dominus tentatus fuerit, variè à Patribus explicatur; quidam enim eorum sentiunt, tentatum fuisse totis quadraginta diebus, & noctibus, quibus in deserto fuit; passumque fuisse innumeras grauissimasque dæmonum infestationes, quas Euangelistæ non scripserunt. Ita Origenes *a*, Eusebius *b*, Chrysostomus *c*, Augustinus *d*, Autor commentariorum in Marcum, quæ nomine Hieronymi circumferuntur *e*, Remigius *e*, itidem Euthymius *e*, & Beda *e*, Quod Marcus *f*, satis aperte dicere videtur, præsertim in textu Græco: *Et erat ibi quadraginta diebus in deserto, tentatus à Satana*: Similiter, & Lucas *g*: *Agebatur in Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo*: In Græco enim non habetur coniunctio copulatiua, sed simplici oratione legitur: *Et agebatur quadraginta dies, tentationes patiens*. Vnde Euthymius, tâquam rem à Marco, & Luca apertè scriptam supponit, Christum toto tempore quadraginta dierum fuisse tentatum. Ex qua doctrina explicat Augustinus numerum quadraginta, totum vitæ præsentis tempus significare, quod totum cõstitutum est, vt tentationibus vexemur. Alij credũt Christum nullam diaboli tentationem passum, nisi postquam expletis quadraginta diebus esurijt: tunc enim *accessit*, inquit Matthæus, *tentator*, quasi verè diebus præcedentibus non accessisset. Ita Cyprianus *a*, Hilarius *b*, Chrysostomus *c*, Ambrosius *d*, Hieronymus *e*, Bernardus *f*, & alij multi, quos supra retulimus, qui dicunt dæmonem non ausum fuisse accedere ad tentandum Christum, quousque naturæ suæ infirmitatem conspexit, quam esuries indicauit. Vtrosque tamen possumus ad concordiam reuocare cum D. Thoma *g*, & Euthymio *h*, dicentes: certum quidem esse, illas tres tentationes visibiles, quas sacri Euangelistæ referunt accidisse post expletũ ieiunium quadraginta dierum; nihilominus tamen toto quadragiota dierum tempore præcedenti alijs tentatationibus fuisse tentatum, non tamen à tentatore particulari. Innumera enim dæmonum caterua, inquit Eusebius *i*, toto eo tempore ibi fuit, & millia millium dæmonum ibi aderant, quasi è longinquo contra Christum agere nitentes: quamuis tandem eorum princeps ad singulare certamen post dies quadraginta descenderit. Intelligo itaque totis quadraginta diebus, dæmones in deserto, vbi Christus erat, varios excitasse strepitus armorum, terræmotuum, fulminum, clamorum, &c. & sub diuersarum specierum animalium figuris se repræsentasse, eorum mugitus rugitus, sibilos, & voces referentes, vt timorem, terrorem, tristitiamue Christo incuterent: diuersas personarum, hominum, & mulierum, & rerum aliarum species ex aere affinxisse, vt aliquem motum cupiditatis, sensualitatis, iræ, aut impatientiæ excitarent: nullum tamen eorum in particulari toto illo tempore accedere ausum fuisse ad singulare certamen, quousque completis quadraginta diebus, per famem, & esuriem Christus ipse ansam dedit, vt supremus dæmonum princeps accedere auderet. Tuncque tribus tentationibus, quas sacri Euangelistæ referunt, eum impetiit. Secundùm hanc sententiam (quam nullatenus Diuus Thomas condemnat) dicendum est, tres quidem post ieiunium passum fuisse Christum tentationes à principe dæmonum, qui alias multas ab illius satellitibus passus fuerat diebus quadraginta, quibus ieiunauit, quarum

a *Hom. 29. in Lucam.* b *Lib. 9 de demonst. 7.* c *in imperfect hom 5* d *Libr. 2 de consens. Euang. c 4.* e *in cap 1. Marci. 1. 15* g *Luc. 4. 1.*

a *L. de ieiu. Christi.* b *Can. 3. in Matth.* d *Libr. 1. de Cain c. 5 et cap. 4. Luc.* e *in cap. 4. Matth.* f *Ser. 14. in Esa. Qui habe. ad fi.* g *3p q. 41. art. 3. ad 2.* h *In cap 4. Matth.* i *Lib. 9. cit.*

quarũ occasione fortè dixit Lucas, & *Luc.4.13.* *consummata omni tentatione diabolus recessit ab eo*. Ita quidem probabiliter dici posse defendunt Caietanus, & Medina, ex Diuo Thoma, quamuis certum sit *in 3.p.q.41 citata.* secundum eundẽ Diuum Thomã, probabiliorem esse sententiam, quę asserit, Christum tantum fuisse tentatum à diabolo post quadraginta dies, & tribus tãtum tentationibus, quas Euangelistæ referunt, quas Lucas omnem tentationẽ vocauit, propter rationem in dubij sequentis explicatione tradendam. Longam contexit Abulensis disputationẽ, quidnam egit Christus tam longo dierum spatio in deserto, ab omni enim hominum societate semotum fuisse, apertè indicant illa verba: *Et erat cum bestijs*. Quid igitur solus egit, præsertim si illis diebus nullam passus est tentationem? Facilem tamen habet difficultas solutionem, quadraginta enim *In cap.4. Matt.q.15* dies egit Christus, orans, & agens cum æterno Patre, cuius conuersatio nullum tædium infert. Breuissimum tempus visum est Moysi, spatium quadraginta dierum, quibus cum Deo loquens mansit, ab omnibus hominibus separatus. Tanquam instans, & momentum solent Sancti viri cum Deo agentes reputare longas noctes, & tempora, de quibus multa apud Sanctos Patres. Mansit igitur Christus quadraginsa diebus, & noctibus in oratione Dei, id est, feruentissima, eo modo, quo postea dicitur, *Luc.6.12.* quod *erat pernoctans in oratione Dei*. In ea gratias agebat Patri, nomine humanæ naturæ, pro ingenti missionis personæ suæ beneficio: ibi coram Patre lętabatur, quod iam tempus aderat se manifestandi hominibus, & vincendi hostem generis humani: ibi insuper corã Patre hominum peccata deflebat, pro quibus orabat, & vigilias, ieiunia, & cætera quæ propter loci asperitatem, & propter defectum domus, & tecti patiebatur, offerebat, &c.

§. 32. *Illum diabolus in tentationibus tenuit ordinem quem Matthæus descripsit, & tres tentationes tales fuerunt, quæ omnes alias comprehenderent.*

QVem ordinem in tentationibus, quas sacri Euangelistæ referunt, seruauerit tentator, iã tandem explicãdum est, quam enim Matthęus secundam, Lucas tertiam refert, & è diuerso, quam Lucas extremam, Matthæus secũdam describit. Quidam existimant codicem Lucæ, quem habemus, hac in parte vitiatum esse, & alicuius incuria trã spositum ordinem tentationum, quod Ambrosius indicare videtur ex eo, quod ipsum textum Lucę expendens, quam Lucas tertiam tentationem proponit, ille secundam explicat, sicut, & tertiam ille vocat, quam Lucas secundam describit. Hoc tamen nullatenus concedit Augustinus, qui propter hanc diuersitatem Euangelistarum concludit, verè incertum esse ordinem, quem diabolus tenuit in tentationibus, quod & Diuus Thomas *a* refert, & sequi videtur. Sed, & Beatus Chrysostomus *b*, iudicat, dæmonem sequutum fuisse ordinem, quem Lucas enarrando tentationes tenet, quia primò tentauit eum de concupiscentia carnis per gulam, secundò de concupiscentia oculorum, ostendens ei omnia regna mundi, & tandem de superbia vitæ, aut inanis gloriæ cupiditate, statuens supra pinnaculum templi, quod, & clarius alibi scripsit *c* ac tradidit. Ita, & Origenes *d* senserat, & idipsum Theophylactus *e* Haymon *f* ex professo. Caietanus *g* tamen annotat, Matthæum omnem abstulisse dubitationem, nam non tantum tentationes refert, sed, & earum ordinem exprimere apertè videtur, finita enim prima tentatione dicit: *Tunc assumpsit eum diabolus*, consequutionem vnius post aliud apertè indicans, & similiter post secundam tentationem subiungit: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excel-*

Lib.4 in Lucam.

Libr 2. de consens. Euang.c.15.

a 3.p.q.41. art.4.ad 5.
b Hom. de lapsu primi hominis.
c in Ps.50.
d Hom.30. in Lucam.
e In cap.4.
f In cap.4. Matth.
g 3.p.q.41.

excelsum valde, & ostendit omnia regna mundi, postquam subijcit, diabolum deuictum recessisse: *Tunc*, inquit, *reliquit eum diabolus*. Hicque communior est Sanctorum Patrum sensus, Irenæi *a*, qui expresè tentationem, qua diabolus regna mundi promisit, vocat tertiam: Chrysostomi *b*, qui in commentarijs super Matthæum hoc sæpè repetit, rationem reddens, cur ad vltimum locũ diabolus regna, & diuitias reseruarit, & alibi sæpè idipsum repetit: Ambrosij *c* multis in locis, signanter in Lucam: vbi agens de vltima tentatione, quænam fuerit prima, quænam secunda, quæ itidem tertia, proprijs nominibus expressit. Leo Papa *d* idipsum fecit, & Euthymius *e* annotat, Lucam non tam ordinẽ tentationum, quàm tentationes ipsas scribere voluisse, vt sæpè scriptores sacri faciunt; Matthæum autem, qui primus scripsit, non solum tentationes ipsas, sed, & ordinem quem tentator tenuit expressisse. Quod, & ex professo explicat Diuus Thomas *f* annotans ex Beato Gregorio *g* satanam, cùm viros spirituales tentat, hunc ordinem tenere, quod à leuioribus incipiens ad maiora statim perducere contendit: quod diabolus (inquit Diuus Thomas) obseruauit in tentatione primi hominis: nam primò solicitauit mentem ipsius ad esum ligni vetiti, dicens: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradisi*. Secundò, ad inanem gloriam, cùm dixit: *Aperientur oculi vestri*. Tertiò perduxit tentationem ad extremam superbiam, cùm dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*. Et hunc etiã tentandi ordinem seruauit in Christo, nam primò tentauit eum de eo, quod appetunt quantumcunque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis vitæ per cibum: secundò, processit ad id in quo spirituales viri quandoque deficiunt, vt scilicet aliqua ad ostentationẽ operentur, quod pertinet ad inanem gloriam, tertiò perduxit tentationem ad id, quod iam non est spiritualium virorum, sed carnalũ, vt scilicet diuitias, & gloriam mundi concupiscant vsque ad contemptum Dei. Et ideò in primis duabus tentationibus dixit: *Si Filius Dei es*, non autem in tertia, quæ non potest conuenire spiritualibus viris, quĩ sunt per adoptionem filij Dei, sicut duæ primæ. Ita Diuus Thomas. Ex quibus patet id, quod Sancti Patres annotarũt, rectè dici posse, Christum omni tentatione tentatum, quem Paulus, tẽtatum per omnia asserit, quia hæ tres tẽtationes, quibus fuit impetitus, capita sunt omnium tentationum, ex quibus cæteræ oriuntur; sub quibus omnia mala comprehendit Ioannes: *Omne quod est in mundo* (cui diabolus dominatur) *aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Ita annotarunt Diuus Thomas *a*, & Anselmus *a*: ita, & annotauerant ex professo Augustinus *b*, & Ambrosius *c*, expendens illa verba: *Et consummata omni tentatione*. Propriè, inquit, omnium criminum fontes, hæc tria genera demõstrãtur esse vitiorum: neque enim cõsummatam omnem tentationem Scriptura dixisset, nisi in ijs tribus esset materia omnium delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cauenda. Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum, quia causæ tentationum, causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatũ sunt carnis oblectatio, species gloriæ, auiditas potentiæ. Hæc Beatus Ambrosius, quæ & similiter expendit Chrysostomus: Quomodo, inquies (ait Chrysostomus) quod omnem tentationem consummauerit. Mihi quidem videtur is, qui præcipua capita tentationum enumerauit, omnia dixisse, vt ea omnia intelligas, quæ sub illis tribus principalibus continentur. Hæc enim sunt, quæ in se mala innumera comprehendunt, seruire ventri, inanis appetitu gloriæ quicquam facere, ac furioso pecuniarũ amore superari; quod, & sæpè repetere Chrysostomus ipse solitus fuit, quem Theopylactus, & Euthymius *d*, more suo sequuntur.

a Lib. 5. cõt. hæres. c. 21.
b Ho. 13 in Matth. & hom. 5. in imperf.
c Lib. 1. de Cain. cap. 5. & in cap. Luc.
d Serm. 4. Domin. 1. Quadrag.
e In cap. 4. Matth.
f p. q. 41. art. 4.
g Lib. 31. Mor. a. c. 32. ¶ 122.
Genes. 3. 1.
Ad Heb. 4. 15.
1. Ioã. 2. 16.
a In cap. 4. ad Hebr.
b Tract. 2. in 1. can. Ioã ad fin.
c In cap. 4. Luc.
Hom. 13. in Matth.
Hom. de lapsu primi hominis citata.
d In cap. 4. Matth.

§. 23. *Exploraturus dæmon, an Christus Filius naturalis Dei eßet, opus Deo proprium, quantum ad ſubſtantiam, & modum poſtulauit.*

¶ 123. *Ad Heb. 4. 15.*

SI *Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Rectè, vt Paulò ante cœpimus annotare, dixit Paulus, Chriſtũ tentatum per omnia feciſſe: tria enim (inquit Auguſtinus) ſunt iſta, & nihil inuenies, vnde tententur cupiditas humana, niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum, aut ambitione ſæculi: quoniam omne, quod eſt in mundo, ſicut diuinitus dictum eſt, (ait Auguſtinus) concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi. Concupiſcentia carnis, voluptatis infimæ amatores ſignificat, concupiſcentia oculorum curioſos, ambitio ſeculi ſuperbos: & per iſta tria tentatus eſt (inquit Auguſtinus) Dominus à Diabolo: deſiderio carnis, quando dictum eſt ei: *Si Filius Dei es, dic lapidibus iſtis, vt panes fiant*, quando eſuriuit poſt ieiunium; tentatus eſt, & deſiderio oculorum de miraculo, quando ei dixit; *Mitte te deorſum, quia ſcriptum eſt; Angelis ſuis mandauit de te, &c.* de ambitione autem ſeculi tentatus eſt, quando eleuauit eum in excelſum, & dixit ei; *Hæc omnia regna tibi dabo*, nam de elatione regni terreni voluit tentare Regem ſeculorum. Quibus tribus tentationibus tentatum fuiſſe Adam probat Chryſoſtomus. *Vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet, & gratia.* Rom. 5. 20. Nunc primam tentationẽ explicemus. Duo ſimul intendebat Diabolus, vt ex Ambroſio dictum eſt, primum erat, cognoſcere an Chriſtus verus eſſet Dei Filius, ſecundum erat, ſi tantum eſſet purus homo, auertere illum à ieiunij propoſito, & prouocare illum ad inordinatum appetitum cibi, quem vehementer fame oppreſſum videbat, aut ad triſtitiam, quod cùm grauem eſuriem pateretur, nec panis buccellam haberet, aut ad Dei contemptum, qui ſe in deſerto, ad quod ſe receperat, vt ei inſeruiret non ſuſtentabat, ſicut ſuſtentauerat Iſraelitas, & Eliam. Quoniam autem hæc omnia ad gulæ peccatum ſpectant, communiter cenſent Patres, vt ſupra cœpimus inſinuare, dæmonem his verbis, Chriſtum de gula tentare voluiſſe, ita Sanctus Ignatius *a*, Beatus Cyprianus *b*, & Diuus Gregorius Nazianzenus *c*, aſſerens, quod dæmon voluit Chriſtũ deijcere per eſum, ſicut Adam, quod eiſdem verbis dixerunt Chryſoſtomus *d*, Baſilius *e*, Ambroſius *f*, Auguſtinus *g*, & Gregorius *h*. Vnde diabolus ſic tentationem conſtruit, vt ſi Chriſtus facit, quod petit, hoc ipſo cognoſcere poſſit eſſe verum Deum, ſin minus, ad ea, quæ diximus poſſet eũ excitare. Idcircò *Si Filius Dei es*, inquit, *dic vt lapides iſti panes fiant*. Duo petit, quæ propria ſunt Dei: primum eſt, modus operandi, proprium enim eſt Dei operari ſola dictione, aut verbi ſui imperio, cui ad nutum obediunt omnia. Vnde idem eſt: Dic, ac impera, iube, præcipe, manda, tanquam totius naturæ Dominus, cuius dicere, facere eſt. Nec inuſitatum eſt in ſacra Scriptura, dicere Dei ſumi pro eo, quod eſt imperare. Ita illud *i*: *Et dixit Dominus piſci*: Septuaginta reddunt: *Præcepit Dominus ceto*, id quod clarè Dauid *k* expreſſit, qui quod primò poſuit, dicere, poſtea expoſuit, mandare. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Alterum eſt, res ipſa, quam fieri petit, immutare ſcilicet naturam lapidis in panem, *vt lapides iſti panes fiant*, vt enim docuit Ambroſius *l*, ſolius Dei proprium eſt, pro ſua voluntate rerum immutare naturas, vt conuertere vxorem Loth in ſtatuam ſalis, virgam in ſerpentem, aquam in vinum, quod, & tradit Auguſtinus *m*, agens de nuptijs factis in Cana Galilææ, & ex profeſſo Diuus Thomas *n* demonſtrat. Primò itaque dolo, inquit Beatus Leo Papa *o*, ſcrutatus eſt, an ipſe eſſet ſubſtantiarum creator, qui rerum corporearum poſſet, in quæ vellet mutare naturas. Quod ſi dicas: Nonne Magi multas fecerunt rerum tranſmutatio-

Tract. 2. in 1. c. an. Ioã. ad fin. *1. Ioã. 1. 16* *Lib. de vera religio. c. 38 tom. 1.*

Hom. de lapſu cita.

a *Epiſtola. ad Philip.*
b *Lib. de ieiun. & tẽt. Chriſti.*
c *Oratio. in laud. D. Cypri. & hom. in ſanct. baptiſm.*
d *Hom. 13. in Matth.*
e *Hom. de abdica. rerum corpo.*
f *Lib. 4. in Lucam. & epiſt 82. ad Eccle. Vercellenſ.*
g *Tract. 2. cita. & lib. de vera relig. cit. & in Pſal. 90.*
h *Hom. 16. in Euang.*
i *Ioan. 2. 11*
k *Pſ. 145. 5*
¶ 124.
l *Orat. de fide reſurrect.*
m *Ser. 41. de verb. Domini.*
n *1. p. q. 114 art. 4.*
o *Serm. 4. Domin. 1. Quadrag.*

nes Ioannes enim, & Mambres præcipui inter maleficos Pharaonis (quorum tam celebris fuit memoria, vt eorum nomina multis postea seculis Paulus referat *a*, quorum, & meminit Numenius Pythagoricus *b*, quem refert Eusebius *c*, meminit, & Plinius *d*, quamuis falsò, credens, illos Iudæos fuisse) serpentes transmutarunt in virgas, & aquam in sanguinem, & ranas subitò produxerunt, vt patet ex Scriptura sacra. Et apud Gentiles inuenimus, magos admirandas operatos fuisse transmutationes, vt de Apollonio Tyanæo, cuius vitam pluribus libris scripsit Philostratus: de Zoroastre, quem Iustinus historicus *e*, & Augustinus *f* inuentorem magicæ artis constituunt: de Simone itidem mago, qui varijs eiusdem artis operibus: honores diuinos etiam apud Romanos Principes obtinuit. Sed dicendum est, illas non fuisse veras transmutationes, sed simulatas, & fictas, atque tantummodo apparentes, quas, vt obseruauit Diuus Thomas, multis modis potest diabolus, aut eius virtute magnus præstare: primò per ludificationem, & conturbationem sensuum eius, qui videt, cuius species, spiritus visibiles, diabolo operatione conturbantur, vt verè intueri credant, quæ nullatenus sunt. Non enim mirum, quod diabolus possit agere, & huiusmodi conturbare spiritus, quod facere potest, & facit vis morbi in phrænecticis, aut melancholicis, qui propter conturbationem spirituum sensitiuorum videntur aspicere, quæ non sunt. Secundò, per ludificationem circa res, quas diabolus repræsentat: quod facit primò immutando species visibiles, quæ sunt in aere, quas Philosophi intentionales appellant. Vt in oleo, in quo vua à primo flore vsque ad maturitatem fuit seruata, lucernam accendas, totum spatium, quod illuminatur tali luce, plenum vuis pendentibus appareat; similiter si elychnum aqua vitis, madefacias, & accendas, omnes astantes videntur habere languidas, & deficientes facies, admodum hominis expirantis: quid mirum, quod diabolus talia circa medium proferat, quæ referant species earum rerum, quas ipse voluerit repræsentare? Præterea per aeris condensationem: potest enim diabolus ex aere condensato rem, quam vult, repræsentare: aut verò potest circa quodcunque corpus: ita aerem densum applicare, vt illud eam referat figuram, aut personam, vel rem, quam voluerit ostendere. Sicut enim potest ex aere formare corpus phantasticum eius rei, quam vult exhibere: ita poterit hic circa virgam, verbi gratia, aerem condensare, & præparare, vt serpentis expressam referat figuram, quam ipse mouere potest, vt nihil à serpente verò differre videatur. Hæc omnia breuissimis verbis complexus est Tertullianus, dicens: Possunt, & solent dæmones phantasmata præstare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniant. Et aliquo ex his modis magos fecisse serpentes in Ægypto, censent multi sancti Patres. Iustinus martyr: Quæ ab incantatoribus, inquit, facta sunt, opera dæmonum facta sunt, qui spectantium oculis eas præstigias effuderunt, vt qui serpens nõ esset, eũ viderent, quasi serpentem, & non sanguinem, quasi sanguinem, & non ranas, quasi ranas. Tertullianus vocat opus magorum, mendacium, quod Moysi veritas deuorauit. Gregorius Nyssenus, Ambrosius, & alij, qui referuntur à Lippomano idem senserunt, quorum doctrinam egregiè complexus Rupertus: hoc signum, inquit, fecit Moyses, tanquam Deus Pharaonis, quia quod solius diuinæ potestatis est, virgam inanimatam in verum animal conuertit, videlicet quia transformauit in colubrum, deuorauitque virgas magorum, specie tantum serpentes. Illæ itaque magorum virgæ erant quod fuerant, sed per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam opera, fascinauerant magi oculos hominum, vt virgæ viderentur eis speciem habere draconum. Deuorari ergo, & non deuorare potuerunt, quæ deuoratrices esse videbantur, & non erant. Hoc ipsum senserat Iosephus, & tales fuisse transformationes illas famigeratissimas, quibus Circes illa malefica Vlyssis socios in

varias

a 2. *ad Tim.* 3. 8.
b Lib. 3. *de bono.*
c Lib 9 *de præpar. Euangelic. c.* 3.
d Lib 30 *c.* 1
e Lib. 1. *in princ.*
f Lib. 21 *de ciuit. c.* 13.
3 *p. citat.*
¶ 125.
Lib. de anim. c. 57.
Quæst. 26. *ad Orthod.*
In caten. Exod. 7.
Lib. 1. *in Exod.*
Lib. 2. *Antiquit.*

varias animalium transformasse dicitur formas: illamque apud Arcades, vbi, qui quoddam stagnum traijciebant, vertebantur in lupos, vt ex professo tradit, & disputat Augustinus, qui, & narrat, suo tempore fuisse quasdam in Italia stabularias mulieres, quæ viatoribus quendam caseum, maleficis incantationibus confectum dabant, quem qui comedebant, mutabantur in iumenta, quorum opera ad portanda onera aliquandiu vsæ, in pristinas postmodum figuras reformabant. Potest insuper intelligi, fieri à dæmone veras transformationes, non quidem virtute propria, sed inuisibiliter applicando actiua passiuis: Sunt enim in rebus naturalibus virtutes occultæ, & ignotæ nobis, vt in quibusdam herbis, lapidibus, aquis, succis, animalibus, quæ incredibiles effectus producunt quorum nonnulla exempla perhibent Plinius *a*: & Albertus Magnus *b*. Harum notitiam diabolus habet, quibus, & Deo, permittente vti potest, & effectus producere admirandos, qui tamen vera miracula nõ sunt, vt demonstrat Diuus Thomas, quia non virtute superante naturam, sed potius facultate naturali producuntur. Et ita credunt aliqui sancti Patres factos fuisse dracones in Ægypto à Magis, vt Augustinus *d*, Theodoretus *e*, Diuus Thomas *f*, quam sententiam tenuisse visus est Philo *g*, qui de magorum serdentibus, tanquam de veris serpentibus agere videtur, tenuerunt que Lyra *h*, Burgensis *h*, Abulensis *h*, & ex professo Caietanus *h*, supponẽs, non esse verendum in dubium, virgas magorum versas esse in serpentes: Scriptura enim, inquit, eisdem verbis vtitur: narrando transmutationem virgæ Aaron, & transmutationem virgarum magorum: verè namque mutatæ sunt virgæ in serpentes; sicut verè mutata est aqua in sanguinem, & verè productæ sunt ranæ. Nec est impossibile opera dæmonum applicando actiua passiuis, verti citò virgas in serpentes, &c. Hæc vt explicet, multa subinfert ibidem Caietanus, & certè quotidiè experimur in æstate, subito ex terra, aut vapore, ranunculas effor-

mari, hoc ipso, quod aqua, dum pluit, terram contingit. Ita, & Apollonium varias fecisse transformationes, docuit B. Iustinus martyr, sed de ijs satis. Certum hoc sit, dæmonem, aut magos, nullatenus posse virtute sua rerum naturas transmutare. Propterea igitur diabolus ad inuestigandum, an CHRISTVS verus esset Deus, non simpliciter postulauit, vt transformaret lapides in panem, sed quod hoc faceret sola voluntatis suæ iussione, mandato, & dictione. *Dic*, inquit, *vt lapides isti panes fiant*. In plurali autẽ numero loquitur apud Matthæũ, & in singulari apud Lucam: *Dic lapidi huic, vt panis fiat*: frequenter enim (inquit Euthymius) apud Euangelistas, huiusmodi, quæ nihil officiant, diuersitates reperias, nec vlla est repugnantia: nam sæpè scriptores sacri, singulare pro plurali ponunt: *Vt, ave nit musca grauissima*: quomodo Augustinus *b*, intelligendum docet illud, quod Dauid in singulari loquutus fuit, dicens *c*: *Misit in eos cœnomiam*, (aut cynomyam, idest, muscam caninam) *& comedit eos & ranam, & disperdidit eos*. Et iterum *d*: *Dixit, & venit cœnomya, & cinifes*; cum tamen multitudinem muscarum, ranarum, & cinifum voluerit intelligere: quo etiam modo credit intelligi posse, quod deturri Babylonica Scriptura loquitur; forsitan enim multæ fuerunt turres extructæ ad superbiam hominum indicandam. Sæpè itidem Scriptura plurale pro singulari ponit, vt *e*, *conualuerunt de infirmitate*, vbi sermo singulariter est de Ezechia. Iuxta hoc institutum explicat Augustinus *f*, illud Matthæi *g*: *Mortui sunt, qui quærebant animam pueri*, cum de vno Herode loqueretur. Theophylactus, & alij credunt, vere diabolum numero plurali vsum, vt sic ad superfluos cibos excitaret illum, cui vnus panis sufficiens esse poterat. Incœpit autem à conditionali nota; *Si Filius Dei es*, quasi fundans in illa Patris confessione, quam paulò antè audierat in Iordane: *Hic est filius meus dilectus*: & nescieus, an de filio naturali, vel potius adoptiuo, sermo explicandus esset, eadem

Quæst. 24. ad Orthod.

In cap. 4. Matth.

a *Exo. 8. 14*
b *r. De ciuit cap. 4.*
c *Ps. 77. 45*
d *Psa. 104. 31.*

Gen. 11.

e *Ps. 108.*

f *ad Heb. 11. 34.*
g *Matt. 2. 20.*
in cap. 4. Matth.

18. De ciu. cap. 17. & seqq.

a *Lib. 2.*
b *Li. de mineral & animal. 1. p. citat.*

d *3. De Trinit. c. 7. & 8. & li. 83. qu. 79.*
e *in Exod. q. 18.*
f *1. p. cit. & in cap. 24. Matth.*
g *L. de vita Moysi.*
h *In cap. 7. Exod.*
¶ 126.

dem verba vsurpans: *si Filius Dei es*, ad id inuestigandum procedit; *Dic*, inquit, *vt lapides isti panes fiant* Et vt egregiè annotauit Chrysostomus, non dixit: Quando quidem esuris, sed *si Filius Dei es*, videlicet existimans posse illi aliquid per laudum blandimenta subfurari. Idcircò non commemorauit esuriem, ne hoc ei quasi exprobrare, & obijcere videretur: magnitudinē quippe tantæ dispensationis ignorans, istud erubescēdum ei putabat, propter quod dolosa illud adulatione palpando solius mentionem facit dignitatis Ita Chrysostomus quem sequuntur Theophylactus, & Euthymius.

Hom. 13. in Matth.

In cap. 4. Matth.

§. 34. *Diabolus Christum de gula tentans, primò intendit accusare, & calumniari Deum, quod illum dimitteret fame consumi, meritò vocatur Diabolus, id est, accusator.*

¶ 127. DIximus, Diabolum intendisse agnoscere, an Christus verus esset Deus: si tamen non esset, ne in vanum rete misisset, voluisse inducere eum ad peccatum gulæ, tum, vt inde ille nunc inciperet, vnde quondam primò hominem in paradiso, vicit, vt Beatus Ambrosius *a*, annotauit, tum quia primum diaboli telum, & spiculum solet esse gula, vt idem Ambrosius *b*, obseruauit, quam Basilius *c*, primam malorum originem vocat. Ad gulam ergo vult per hanc primam tentationem excitare tentator. Ita illam explicare videtur Augustinus *d*, vt tentator Deum accusare velit quod relinquat Christum esurire, & pati famem, postquam propter eius obsequium se in desertum receperat, & excellentissimum perfecerat ieiunium, volens à ieiunio suscepto, & tali obsequio eum auertere, & incitare, vt ad quærendum cibum se conuerteret, quē Deus non ministrabat. Qua etiam tentatione primò inuasit Israelitas, quando excussa Pharaonis seruitute, & egressi de Ægypto, ex Dei præcepto ad ei obsequendum, inuenerunt se in deserto esurientes, & carentes cibis, quibus refici possent. Illis propterea suadere conatus est, quod melius esset in Ægyptum regredi, vbi cibos abundantes habebant, quam in illa manere solitudine, in qua is, qui illos eò aduexerat, relinquebat, vt fame morerentur: qua tentatione ita sunt commoti, quod varie afflixerunt spiritum Moysi. Secundò itidem, eodem modo eosdem tentauit, quando vociferabantur dicentes. *Cur eduxisti nos de Ægypto, vt morere mur in solitudine. Deest panis, non sunt aquæ, &c.* Hæcque tentatio est, qua communiter expugnare contendit Diabolus illos, qui relicto peccato seipsos obsequio Dei tradiderunt. Videt mulierem, quæ postquam sceleratam vitam deposuit, famem sentit, nec habere videtur coram se nisi lapides; similiter, & vsurarium, qui postquam restituit, quæ per vsuras rapuerat, videt se habere sacculos vacuos, horrea exhausta, &c. Hos statim aggreditur, repræsentans, quod Deus dimittit eos, qui sibi obsequuntur, sine cibo, & facultatibus, vt nihil præter lapides eis occurrat, ad quod manum possint extendere. Iste est proprius ac principalis tentandi modus, quo dæmon vtitur, à quo, & hoc nomen præcipuum accepit, quo Diabolus vocatur. Varijs certè nominibus, inquit Hieronymus, in Scriptura sacra ille describitur, quibus multiplex eius malitia designatur. Appellatur enim leo, vrsus, aspis, draco, basiliscus, belial, malleus vniuersæ terræ, de quibus nominibus videndus est Rupertus. Appellatur itidem, & describitur à Deo, nomine, & figura Behemoth, id est Elephanti, & leuiathan, id est, balenę, quod sicut ille omnia animalia, hęc omnes pisces continere videtur, quantum ad quantitatem, & qualitatem, sic dæmon omnium malitiam solus ipse cōtinet, & includit, vt superius dictum est, qua de causa, vt annotauit Augustinus, à Sancto Iob absolutè vocatur impius: *Terra data est in manus impij*, vt Polichronius *e*, & Philippus *f*, diaconus

Num. 3.

a Lib. 4. in Luc.

b Epist. 82. ad Eccl.

c Hom. de abdica. rerum corp.

d In Ps. 90. cont. 2.

Exod. 16.

Epist 146. ad Damas.

Lib. 1. de vita. verbi Dei c. 6. & 7.

Epist 120. ad Hono. c. 16.

e Iob 9. 24.

f In caten. Iob. 9.

conus exponunt, & Caietanus, & Eusebius sentiunt. Et iterum: *Nunquid bonum tibi videtur, &c. consilium impiorum adiuues*, id est dæmonum, iuxta Olympiodorum, & Philippum. Similiter & à Christo Domino sæpè vocatur, *Malus* absolutè, per antonomasiã, non quod natura malus sit, secundum quam est creatura Dei, sed quia praua voluntate, omnem malitiæ nequitiam continet, vt sæpè annotauit Augustinus, sicut Deus dicitur absolute, *Qui est*, aut *ens*, quia omnium entium rationes in se altissime præhabet. *Omnis*, inquit Christus apud Matthæum, *qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit, quod seminatum est in corde ipsius*, id est, *venit diabolus*, vt clarius expressit Lucas, & in græco voci, Malus, præmittitur articulus, vt ille malus, per excellentiam significetur. Ita in oratione dominica *a*, *Sed libera nos à malo*, id est, diabolo, vt Gregorius Nyssenus *b*, Chrysostomus *c*, Tertullianus *d*, & Petrus Chrysologus *e*, sicut namque Deus dicitur absolute bonus, per antonomasiam (*f Nemo bonus*, inquit Christus, *nisi solus Deus*, quia in seipso habet totius bonitatis rationem, quę in creatura quauis reperitur, eminentiori, & excellentiori modo, ita diabolus absolutè vocatur malus, quia omnem malitię rationem, & quidquid noxium, in quouis venenato crudelique animali reperitur, eminentius præhabet. Qua etiam de causa, ab Apostolo vocatur absolutè. *Nequissimus*, qui supremam totius nequitiæ rationem prehabeat. Nomina tamen, quibus proprius, & explicatius Scriptura sacra eum designant, sunt duo, diabolus sc licet, & satanas. *Proiectus est draco magnus* (inquit Ioannes) *serpens antiquus qui vocatur diabolus, & satanas*: quo duplici nomine à Matthęo nunc describitur. Primò enim vocat eum diabolum, dicens: *ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à diabolo*: & deinde vocat satanam, inducens Christum dicentem: *vade Satana*. De nomine satanæ infra dicemus, nunc ad nostrum institutum nomen diaboli oportet explicare. Et quidem Beatus Isidorus credit, nomen esse simul hebræũ & Græcum, & quod apud Hebræos significat deorsum fluens, quoniam de cœlis decidit: apud Græcos idem, quod accusator. Idipsum sensit Rupertus *a*, qui, & contendit Dauidem fuisse, qui primò diaboli nomen vsurpauit, quando dixit *b*, *diabolus stetit à dextris eius*: quamuis beatus Iustinus *c*, martyr iam Sanctũ Iob idem nomen vsurpasse supponat. Pammelius *d*, credit, has duas voces, diabolus, & Zabulus, non esse diuersas, sed vnam, & eandem, apud Græcos sola pronũciatione Attica, aut Dorica distinctas. Vnde sæpè Sancti Patres, pro diabolo zabulum ponunt, vt Cyprianus *e*, Paulinus *f*, & Hilarius *g* qui textum Euangelistæ ita legit, *vt tentaretur à Zabulo*, imò, & Ecclesia in Hymno Angelorum: *Michaelem in virtutem conterentem Zabulum*. Sanctus Iræneus *h* dicit, diabolum significare Apostatam. Sed de ijs Beatus Hieronymus *i*, in illud. *Contra versutias diaboli*: Vbi quamuis concedat, vocem, diabolus, similitudinem habere cum voce Zabulus, esse tamen intelligendum, hanc vocem diabolus, tantum esse Græcam. Diaboli igitur nomen Græcum est, & significat apud Græcos accusatorem, criminatorem, calumniatorem, delatorem, aut detractorem, à verbo diaballo, quod est criminor, & à voce diaboli, quæ calumniam significat, vt obseruauit Augustinus, explicans verbum Græcum diabolin, & ex professo Sanctus Basilius *k* Tertullianus *l*, Chrysostomus *m*, Isidorus *n*, Rupertus *o*, omnesque alij Sancti Patres. Vt autem bene obseruarunt Origenes *p*, & Beatus Iustinus Martyr aptè appellationem hanc inimicus noster nactus est, suis studijs conuenientem: nihil enim magis illi proprium, quam deferre, accusare, calumniari, detrahere, & criminari. Id autem varijs modis facit: tres tamen sunt præcipui, quos obseruat Chrysostomus hoc ipsum explicans. In primis enim nos inter nosipsos criminatur, & seminat inter fratres discordias, satorque zizaniæ meritò à Christo vocatur. Ita antiquitus calumniatus est Christianos, apud Gentiles, imponens illis varia scelera, & crimina, vt Gentiles indu-

Iob.1.9.

¶ 128.

Matt.13.19
Luc.8 13.

a *Mat 6 13*
b *Lib de o rat. Dom.*
c *Ho.20 in Matt.*
d *Lib. de pœnit.*
e *Ser. 67 et 69.*
Ephes 6.16

Apoc 12 9.

Lib. de thimol. cap. 11

a *Lib. 1. de victo. ver. c. 6. 25. & 26*
b *Psal. 108*
c *Dia. cum Tripho. fol. 71.*
d *In li. Cypri. cont. Demet.*
e *Lib. cont. Deme. n. 45*
f *Epi. 4. & 31.*
g *Can. 3. & 29. in Mat.*
h *Li. 5. cõt. hæres. c. 24*
i *In c. 6. ad Ephes 10. 6.*
Lib. qq. in num. q. 49.
k *Hom. 9. quod Deus non est author malorũ ad finẽ, & ep. 75. ad Neocæsa. ria. & 77. ad Episcopos trans.*
l *Lib. 6. cõt. Marc. c. 10.*
lib. 5. c. 18.
m *Hom. 20. in 2. ad Co.*
n *Loco cit.*
o *Tract. in Iob ad meãtum fol. 12. col. 3.*
p *Dial cum Triph. cit.*
1. Matt. 13. 25.

¶ Ita-

indueeret, ad illos perſequẽdos: & ſæpè dum in Idolis reſponſa dabat, clamabatque, propter Chriſtianos introductos, immiſiſſe Deos fames, peſtes, bella, & mala, quæ Gentiles patiebantur: de quibus calumnijs alijſque ſimilibus, agũt egregiè Auguſtinus *a*, Tertullianus *b*, Cyprianus, *c*, Arnobius *d*: Hoc ſimiliter fecerant, quando *e*, vt totum populum Iſrael conturbaret, poſitus in ore ſuorum Prophetarum, calumniatus eſt veros Dei Prophetas, ſignanter Michæam, apud Regem Iuda, & Iſrael, & omnem populum, ſuadens, illum fuiſſe mendacem, & temerarium. Hac de cauſa illi impij, qui iuſtum Naboth apud Iudices, & populum calumniati ſunt, vocantur filij diaboli: *Adductus*, inquit *f*, *duobus viris filijs diaboli*, qui à parente ſuo didicerunt calumnias, & crimina confingere, vt accuſarent. Inſuper hac de cauſa Iudas prædictus à Chriſto Domino diabolus, (*Vnus ex vobis diabolus eſt*) propter id quod poſtea fecit, dum calumniatus eſt Mariam, propter effuſionem vnguenti apud condiſcipulos, & CHRISTVM ſimiliter apud Phariſæos, propterea quod eam permiſit vnguentum expẽdere, propter quod factus eſt illius traditor. Accuſat itidem, calumniatur, & criminatur homines apud Deum: quod probat Chryſoſtomus ex hiſtoria beati Iob: cũ enim audiret inimicus Deum laudantem ſanctum, & dicentem. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir iuſtus, & rectus, &c.* Statim cœpit illum accuſare & calumniare, dicens: *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? tu vallaſti eum, &c. ſed tange omnia, quæ poſſidet, niſi faciem benedixerit tibi.* Merito (inquit Origenes diabolus eſt dictus, id eſt, accuſator ſic namque, & tunc Iob accuſauit circa Deum, quaſi non propter ſinceritatẽ, ſed propter pecuniæ blanditionem Deum coluerit: & Deum etiam accuſauit, & reprehendit, non minimè ſed potius quam maxime, quaſi nõ libere, ſed cohibenter, Iob diuitias tribuerit, ob hoc ſolum, vt adorarent illum homines, & colerent. Id quidem tunc *quodam die factum fuit*, ſed nunc die ac nocte hoc agit, qui propterea *accuſator* dicitur *fratrum, qui accuſat eos ante conſpectum Domini die, ac nocte*, id eſt, inceſſanter, perpetuò. Signanter autem (inquit Baſilius *a*, dixeratque Origenes *b*) id facit erga peccatores, quos ſummo ſtudio excitat ad peccandum: & hoc ipſo, quod ad peccatum pertraxit, ſe conuertit ad accuſandum illos coram Deo. Idem, & in peccato cooperator, & accuſator noſter eſt, ait Baſilius: atque ipſemet capitalis noſter hoſtis, ſolet Domino noſtram exprobrare negligentiam, & qui nos à bono reuocare contendit, ſubitò ſe conuertit, vt noſtram coram Deo calumnietur ſegnitiem. Optime illius mores cognoſcebat Dauid, quando diuinum auxilium poſtulans, dicebat: *Dixi: Ne quando gaudeant ſuper me inimici mei, & dum commouentur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.* Hoc ipſo quod vident pedes hominis motos ad committendum peccatum, loquuntur ſuper illum magna, quia ſtatim ſe conferunt ad illum coram Deo accuſandum, & calumniandum. Vnde cum aliquid mali diabolus ſuadet, dicere ei poſſemus, quod ſapienter reſpondit miles ille ad Ioab, cum illum increpabat, quod non occidiſſet Abſalonem, quem viderat pendentem ex quercu: *Nequaquam*, inquit, *mitterem manum meam in filium Regis: ſed etſi feciſſem contra animam meam audacter, nequaquam hoc Regem latere potuiſſet, & tu ſtares ex aduerſo.* Suadet dæmon, cum peccas, vt in CHRISTVM Dei filium manum mittas, eius conculces ſanguinem: attende quod hoc ipſo atque id feceris, ille ſtabit, ex aduerſo, coram Deo ſupremo Rege vociferans, & petens, vt contra te commoueatur: qui enim in peccato nobis eſt cooperator, ſit ſtatim accuſator. Ex his manifeſtiſſimum ſit caput tertium Zachariæ, in quo propterea ſanctus egregiam refert viſionem. *Oſtenait*, inquit, *mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini: & ſatan ſtabat à dexteris eius, vt aduerſaretur ei: & Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli:* Multi hæc de Chriſto Domino ſacerdote ſummo credunt intelligenda, ſi quem,

a *Lib priuilegiis ae ciui D i*
b *In Apolog.*
c *Ad Demetrianum.*
d *Lib. contgen.*
e *3 Reg. 22 & 1. Para. 18.*
f *3. Reg 21.*
Ioan. 6. 7.
Hom. 2. si.
Iob. 1. 8.
Iob 1. 9.
Tract. 2. si.
Iob 1. 6. Apoc. 12. 10.
a *Hom. 9.*
b *Hom. 3 in Leuit.*
Hom. ci. & ora. 1. de amore in Deum, pag. 796.
Pſ. 37. 17.
2. Re. 18. 13.
¶ 130.
Zach. 3. 1.

vt dixit Tertullianus, etiam nomen Iesu quadrat. Hebræi tamen, vt inquit Beatus Hieronymus, credunt sermonem esse de Iesu filio Iosedech, sacerdote magno, aut supremo, de quo multa Esdras in libris suis, & multa etiam Zacharias ipse secundum litteram enarrant: ita etiam sentiunt Cyrillus *a*, Theodoretus *b*, Euthymius *c*, Beda *d*, Lyranus, & recentiores. Dicitur autem indutus vestibus sordidis, quoniam verè peccauit, primo quod negligens fuit in populi correctione, quem eo tempore in peccatis constitutum, sæpe describit Aggæus. Sub occasione enim captiuitatis, quam omnes pariebantur, eum incitauit diabolus, vt sua tantummodo curarer: qui namque captiuitate tenetur, satis agere videtur si sibimet prospiciat. Deinde verò, ex eadem occasione eum induxit, vt permitteret filijs, & fratribus suis, ducere vxores alienigenas, imò vt ipsemet idipsum faceret, sicut Hieronymus confert, & demonstrat: quod graue erat peccatum, & vehementer iram Dei concitabat, vt patet apud Malachiam Propheram. Hocque est, quod Esdras dicit: *Et inuenti sunt de filijs sacerdotum, qui duxerunt vxores alienigenas, de filijs Iosue, filij Iosedech, & fratris eius, &c.* Diabolus ergo, qui hæc suasit peccata, & eorum fuit cooperator, statim factus fuit accusator, criminator, & detractor coram Deo, aut Angelo illo, qui vices Dei, & nomen gerebat, qui, & paulò inferius ab eodem Zacharia vocatur, Dominus. *Et Satan*, inquit, *stabat à dextris eius, vt eis aduersaretur.* Rectè (inquit Hieronymus) stabat a dextris eius non à sinistris, quia vera erat accusatio, eò quod, & ipse cum cæteris alienigenam accepisset vxorem, quod in Esdra, & Malachia plenissimè scriptum est. Dicitur autem quod *stabat*, quia firmissimè, & constantissimè eum accusabat. Et tam firma fuit illius accusatio, vt eum increpauerit Deus, qui ex misericordia volebat Iesum saluare, & eruere eum, sicut liberatur torris extractus ab igne, &c. Septuaginta hoc in loco, vbi nostra Vulgata legit cum Hebræo, *Satan*, transferunt *diabolus*, quia hoc eius studium, accusare homines coram Deo: tuncque præcipuè constantissimè accusat, accusandoque perseuerat, quando aliqua mala secundùm eius inductionem committimus. Est enim ad peccatum instigator suasor, & inductor, & statim in rigidum transit accusatorem. Pseudopropheta, qui Prophetam Dei in qua fraude decepit, & induxit, vt contra Dei mandatum ageret, & commederet ipsemet, hoc ipso, quod vidit illum Dei mandatum transgredientem, surrexit, iustamque damnationis, & mortis sententiam contra illum tulit, intimauitque dicens: *Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Et certè sunt innumeræ horribilesque historiæ apud Climacum, Athanasium, & apud Gregorium, in quibus videmus, quàm constanter diabolus officium accusatoris fuerit executus coram Deo, falsè, & rigidè accusans de multis; rigidissimè autem de ijs, quæ verè fuerant eius instigatione commissa. Tandem autem hoc nomine dignus est (inquit Chrysostomus, quem sequitur Theophylactus, ex eo præcipuè, & quia sicut calumniatur homines coram Deo, ita vehementissimè conatur accusare, & calumniari Deũ apud homines. Hoc primum fuit, præcipuumque illius studium, in mundi exordio, cum Deo detrahere coram parentibus nostris contendit, quos Deus ipse paulò ante condiderat, à qua prima calumnia egregiè nomen diaboli promeruisse demonstrant Beatus Iustinus martyr, & Tertullianus, qui tres celebres calumnias, quibus Deo detrahere coram parentibus nostris voluit, deprehendit, quas omnes fere Sancti Patres expendunt. Primò enim accusauit Deum, quod graue præceptum durissimumque imposuisset, prohibens lignum pulchrum visu, & suaue ad vescendum: mendaciumque inferens, quo rem duriorem faceret. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus, vt non comederitis de omni ligno Paradisi?* Mendacium, inquit Ambro-

In cap. 3. Zach.

a In cap. 3. Zach.
b In Psal 108
c In Epist. Iudæ
d In cap. 3. Zachar.

In cap 3. Zach. & li. 2. con. Ioui.

Malach 2.

Esdræ 10. 14. 17. 18.

¶ 132.

3. Regu. 13. 20. 21. 22.

In schalæ spirit. in visa Antonij.

Lib. 3. & 4. dialog.

Loco cit. in cap. Matth.

In orat. panegyric. ad gentes

Lib 2. cont. Marcio.

Gen. 3. 5.

Libr de parad.

brosius, inseruit: non enim dixit Deus, quod non comederent de omni ligno Paradisi, sed potius: *De omni ligno Paradisi comedes*: quod & omnes sancti Patres similiter obseruant: Considera, inquit Chrysostomus, malignitatis excellentem subtilitatem: inducit namque sub ratione interrogationis, etiam quod non erat dictum, quasi scilicet curam ipsorum haberet. *Cur, inquit, praecepit vobis Deus?* Cur Deus qui vobis deberet parare delitias, magna vos fruitione priuauit? Cur non concedit, vt participes fitis bonorum, quæ sunt in Paradiso? Præstitit quidem vt vescifructeromini, maiori tamen voluptate interdixit. Quare hoc? quæ vtilitas, versari in Paradiso, & non frui ijs, quæ in illo sunt? Secundo calumniatus est, & accusauit Deum de inuidentia, vt Sancti Patres, signanter autem Rupertus expedit, quasi Deus ex inuidentia quadam prohibuerit esum: *Scit enim Deus*, inquit, *quod si comederitis eritis, sicut Dij, scientes bonum, & malum*. Nullum, inquit, patitur sui similem, &c. Et tandem, mendacium eidem imposuit, suadens illum esse mentitum, cum dixit: *In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini*: quasi Deus mendacij comminatione hominem auertere vellet ab esu illius ligni eo modo, quo nos mendacibus comminationibus pueros continemus, ne hoc vel illud commedant. Hoc ipsum studium sequutus deinceps diabolus fuit, procurans viros sanctos retrahere à Dei obsequio, idem detrahens, illum accusans, & calumnias contra eundem excitans: quod Chrysostomus egregiè ex eadem Sancti Iob historia comprobat. Cum enim diabolus primo calumniatus fuisset virum illum iustum coram Deo, vt dictum est, deinde totum se conuertit ad accusandum Deum coram illo. Hoc enim contendebat, cum dicebat: *Ignis Dei descendit de cœlo, & tactas oues, puerosque consumpsit, &c.* Expende vim illius verbi, *ignis Dei*, quasi dicere voluerit: Nō solum te nō defendit à Chaldæis, sicut par erat, cum venerunt, vt bona tua raperent, sed ipsemet contra te bellum agit, & quæ illi reliquerunt, ipse consumpsit igne suo de cœlo missō; inimicorum tuorum conatus fouet, &c.

Hom.16.in Genes.

In cap.3. Gen.

Loc.cit.

Iob.1.16.

Et tandem suprema voce calumniatus est Deum, voce vxoris dicentis *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere*. Expende pronomen, *Tu*: tu, qui sapientem te exhibuisti, qui credebas omnia tibi prosperè euentura, si in Dei obsequio permaneres; tu, qui talia expertus es de Deo, vide quomodo tecum agat; tu benedicis, & seruis ei, & ille te dimisit omnibus inimicis expositum, qui non defendit à Caldæis, & Sabæis, sed potius plagas, & mala tua auxit, & mala tibi pro bonis retribuit, & etiamsi morieris, nihil ille curabit. Quis tam tyrannus seruo fideliter obsequenti talia rependat? Vxor quidem loqui videbatur, sed (vt annotat Chrysostomus) verius diabolus erat, qui Deum accusabat: quod, & obseruauit egregiè Origenes, expendens illa verba: *Dixit ad eum vxor eius*. Vxorem dixit dixisse, sed verè diabolus dixit: sic namque, & olim ait: *Dixit serpens ad mulierem*: serpentem dixit dixisse, non tamen serpens dixit, sed diabolus, qui per serpentem loquutus est, Sic, & nunc isthic, vxorem dicit dixisse, sed vere non vxor dixit, sed aduersarius, qui per vxorem est loquutus. Ita Origenes: qui vt hoc paulò inferius probet, expendit illud verbum: *Respiciens in eam*: non dixit, respiciens eam, sed in eam, id est, ad eum, qui in illa loquebatur: quod, & similiter Chrysostomus obseruauit. Vi de autem quo affectu Deum calumniari contendat. *Quousque, inquit, sustines.* Omnis substantia tua consumpta est filij tui, quos fidem docuisti, quos pietatem induisti, quos charitatem ad inuicem circa omnes habere instruxisti: filij tui, pro quibus fuisti corde solicitus, & animo cogitasti, & singularia sacrificia immolasti, quos hæredes fore speraſti, à quibus sepulturam te acceptu rum Expectasti, per quos nomen tuum ac memoriam post te permanere credidisti: isti, quibus inter homines nihil est dulcius, &c. filij tui, quorum visionem non expectabis amplius quorū faciē non videbis vlterius, &c. terra illos subitò

¶ 132. *Iob.2.9.*

Ibidem.

Tract.2. in Iob post medium.

Gen.3.

ſubitò cooperuit, domus ruina commune ſepulchrum cunctis illis effecit: & non ſolum filij, ſed, & filiæ, &c. Hæc omnia ille operatus eſt, cui tu benedicis. *Quouſque?* liquefactæ ſunt carnes tuæ; conſumpta ſunt oſſa tua, & nerui. putrefacta eſt etiam ipſa terra ſub te; quid adhuc ſuſtines? nihil reſtat ei agendum, niſi te occidere, *adhuc*, inquit, *permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quidam non incongruè ſimplicitatis nomine, ſtoliditatem intelligunt, videbaturque illi ſtolidum eſſe, perſiſtere aliquem in eius obſequio, à quo extrema recipit mala. Cœpit Iob ſentire bonorum iacturam, cum audiuit, veniſſe Chaldæos, & furatos fuiſſe camelos, tunc benedixit Deum: ſtatim audiuit, ignem deſcendiſſe de cælo, & conſumpſiſſe oues, ſimiliter Deum benedixit. Illico audit filios ſuos triſti nece conſumptos, & ad benedicendum Deum ſe conuertit. Tandem videt ſe vlcere peſſimo percuſſum: & in eodem perſiſtit. Clamat propterea vxor, aut verius diabolus in ea: Adhuc in hac permanes ſtoliditate? perſeueras adhuc in re tam ſtolida, benedicere, & obſequi ei, qui tibi talia infert, qui ita te affligit, & in afflictione dimittit? Benedic Deo, & morere, perſeueta in hoc, & morieris; perſeuera in hoc, & omnibus bonis te inuenies deſtitutum: vt iam ſola mors ſit à te expectanda. Ita enim ſegerit Deus, quod tradit laboribus, ærumnis, & miſerijs obſequentes, & benedicentes ſibi: *Sirue-le, y hallaras, que te dexa ſin coſa para beneficio de tu vida.* De ijs videndus eſt Beatus Auguſtinus, qui egregiè loquitur, in illud: *Draco iſte.* Similiter poſſumus intelligere apud ſanctum Tobiam, dæmonem fuiſſe, qui in eius cognatis, & vxore, Deum calumniari contendebat, quando ſanctus ille vir, poſt varia obſequia Deo exhibita, cæcitatem, & paupertatem incurrit: propterea, vitam eius parentes, & cognati eius irridebant, dicentes: *Vbi eſt ſpes tua, pro qua elemoſynas, & ſepulturas faciebas? Et vxor eius; Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua.* Hæc certè verba, diabolo inſtigante proferebant, quibus calumniam contra Deum exprimere conabatur apud ſanctum Tobiam, ſuadere intendens, Deum nullam mercedem rependere pro ſeruitio, & eſſe quouis Domino crudeliorem: nullus enim Dominus eſt tam ſæuus, qui pro ſeruitio grato rependat cæcitatem, & miſeriam: idcirco contendebat perſuadere, vanam eſſe ſpem eorum, qui Deo obſequuntur, qui dimittit obſequentes ſibi, vt incurrant cæcitatem, paupertatem, contemptum, &c. Hac tentatione Iſraelitas à Dei cultu, ad Solis, & Lunæ, & Stellarum obſequium reuocauit, ſuadens eis, qui dimittit, vt famem patiantur ſui cultores, quos nec curare videtur: at ſi dijs ſeruirent, cibum, potum, veſtimenta, omniaque neceſſaria eſſent habituri. Eſt ille inſignis locus apud Ieremiam, vbi poſtquam Propheta lóga oratione ex Dei nomine habita, Iudæos conatus fuit ab idolatria ad verum Dei cultum conuertere: *Reſponderunt Ieremiæ omnes viri, & vniuerſa mulieres, quarũ ſtabat multitudo grandis, & omnis populus: Sermonẽ, quem loquutus es ad nos in nomine Domini, nõ audiemus ex te: ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus regina cœli,* id eſt lunæ, *& libemus ei libamina, &c. & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autẽ tempore quo ceſſauimus ſacrificare regina cœli, & libare ei libamina indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Simili tẽtatione, vt diximus repræſentat diabolus mulieri, quod cum ei obſequitur, omnibus neceſſarijs abũdat, cuncta, aũt deſũt, ex quo cœpit Deo inſeruire, ideoque eã excitat, ſicut illã, quæ dicebat: *Vadam poſt amatores meos, qui dãt mihi lanam meam, & vinum meum, oleum meum, & panem meum.* Similiter proponit mercatori, quod ſi ſecundum Dei leges negotietur, remanebit tandem ſine lucro, & quod potius abſumentur, quam augeantur eius diuitiæ, &c. Talis eſt hæc tentatio, qua Chriſtũ impugnat: *Si Filius Dei es, &c.* eſt enim quædam Dei detractio, calumnia, & criminatio: idem eſt namq; ac ſi dicat:

in ipſa. 103

Tob. 2. 16. 22.

¶ 133.

Iere. 44. 15.

Oſea. 2.

Vide qualiter Deus, qui te Filium suum vocauit, tecum agat: vide qualiter eos tractet, quos filios vocat, & qui eius seruitio se tradunt: nihil tibi prouidet, nihil mittit de cœlis, lapides solos, quos desertum secum fert, habes: aliam propterea oportet te viam tenere, si viuere cupis, necessarium est alio modo vitæ tuæ consulere: desertum relinque, in quo tantum lapides inuenies, cibum quære, ad altrius obsequium te conuerte, qui non te dimittat post tam longa ieiunia, inter meros lapides, ad quos solos ora conuertere possis. *Ex* quibus patet primò, satis esse similem hanc primam tentationem illi vltimæ, qua tandem Iob aggressus fuit per vxorem: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Cũ enim dicit, *si Filius Dei es, &c.* idem est, ac si dicat. Quid permanes in Dei obsequio ieiunans; & fame te conficiens: qui nihil tibi, tot diebus ieiunanti contulit; vt nunc, cum esuris, possis refici? Ieiunasti primis diebus, & vacuus remansisti: perstitisti in ieiunio, & nihil tibi prouidit: tandem ductus es ad mordacissimam, & molestissimam famem, & nihil tibi dedit, sed reliquit te inter lapides, ad quos nisi te conuertas, non habes aliquid aliud. Ne in hoc persistas, sed eum deserens, qui te fame affecit, ad ea, quæ tibi expediunt, quærenda festina. Patet secundò quanto maiores fuerint tentationes, quibus diabolus tentauit Christum, quam fuerint illæ, quas contra Iob extruxit, quæ enim fuit suprema, vltima, & fortissima contra Beatum Iob, hæc prima est, qua contra Christum agere incipit.

(?)

§. 37. *Voluit diabolus suadere, falsò dictum fuisse. Hic est Filius meus dilectus, sed insipienter argumentatus est.*

¶. 134. Homil 13. in Matth. In Ps 90.

ALio modo tentationem istam, *Si filius Dei es, dic vt lapides, &c.* explicat Chrysostomus, quem etiam indicat Augustinus, quod scilicet per eam voluit Diabolus inducere Christum, vt non crederet voci cœlo delapsæ, quum paulò ante audierat in Iordane: *Hic est filius meus dilectus.* Hæc, inquit Chrysostomus, diabolus dicebat, vt ipsum de infidelitate conuinceret. Hac siquidem arte primos, homines decepit, incitans eos, ne crederent id, quod paulò antè dictum fuerat: *In quacunque hora comederitis,* Gen. 2. 17. *morte moriemini,* vt per hanc incredulitatem a Dei obsequio reuocaret, & ad malum perduceret. Et sicuti tunc incœpit, supponens vocem, quã audierant: *Cur,* inquit, *præcepit vobis Deus, &c.* ita, & nunc aggreditur, supponens vocem, quæ ad Christum facta fuit: *Si Filius,* inquit, *Dei es,* quasi dicere volens: Cui dictum est ad te: *Hic est Filius meus.* Qui enim fieri potest, vt te Deus tanquam filiũ habere dicat, & dimittat affligi fame, & esurie, & omni penitus alimento destitutum, vt nec panem habeas, neque aliquid ad manum; nisi nudos lapides, ad quos te conuertas? Aut ergo ad experiendam huius vocis veritatem te applica, aut illam iudica fallacem; non enim dimittit Deus eum, quem in filium recipit, quod moriatur fame, cum sæpè dictum sit, quod, *non interficiet fame animam iusti:* Prou. 10. 3 quod, *non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem, &c.* Hoc ergo est argumentum diaboli, qui nescit coniungere filium Dei, cum esurie, fame, inopia, & carentia panis. Impio tamẽ ille progreditur discursu. Imò hoc ipso, quod voce cœlesti Christus dictus est filius Dei, erat consequẽs, vt famẽ, & sitim. Quod egregiè Paulus prosequit: *Obliti,* inquit,

inquit *estis consolationis, qua vobis tanquam filijs loquitur, dicens. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autẽ omnem filium, quem recipit.* Reprehendit illos in primis Paulus, quoniam laboribus afflicti, non reuocabant in mentem id, quod pro iustorum solatio Deo scriptum reliquerat, nam *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Oportebat igitur, inquit Paulus, non obliuisci illius sententiæ, quam ad filiorum solatium Deus protulit, iuxta Septuaginta: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini*: In græco. *Ne paruifacias disciplinam*, tanquam donum magnum æstima, quod te affligi sinat: *Statim enim vltionem adhibere, magni beneficij est indicium*, vt Spiritus sanctus dixit. *Neque fatigeris*: in græco, *ne dissoluaris animo*, ne desponeas animum, ne credas Deum te dereliquisse; quin potius oppositum iudica, & animos tibi fac, & crede hoc ipso te à Deo diligi: *Quem enim diligit Dominus castigat*: Non potes dicere, ait Chrysostomus, quia est iustus aliquis, qui expers tribulationis exiſtat. *Ego, quos amo, arguo & castigo*: dixit Dominus. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit*: id est, vt ait Theophilactus, quem approbat, quẽ præ cæteris assumit, & familiarem amicũ sibi conciliat. Ita habent Septuaginta, quorum lectionẽ sequitur Paulus, quod in nostra Vulgata habetur. *quasi pater in filijs complacet sibi.* Pater, cum in aliquo filio propter gratũ seruitium sibi cõplacet, signa profert externa, quibus idipsum manifestat. Et quidem *parentes carnis* (ita vocat Paulus eos, qui nos genuerunt) signa exhibent carni conuenientia, quæ certos reddant filios de hæreditate obtinenda; vnde eos ornant vestibus, auro, argento, vt omnes intelligant illis hæreditatem paratam, quos tali afficiunt honore, quo ad eam disponantur. Deus autem, qui *Pater spirituum*, ab eodem Apostolo vocatur, hoc ipso, quod in aliquo tanquam in filio complacet sibi, signa dat, carni quidem contraria, sed spiritui conuenientia: illa sunt labores, fames, persecutiones quibus spiritus ornatur, & augetur, aptiorque fit ad illam hæreditatem comparandam, quam nemo pertingit, nisi per talem dispositionem. Ex quo tandem infert Paulus; *In disciplina perseuerate, tanquam filijs offert se vobis Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?* Græca clarius: *si disciplinam sustinetis tanquam filijs se vobis offert Deus*, vt Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius: idest, ne credatis, Deum vos dereliquisse ex eo, quod vos videtis vndique laboribus circumdatos: potius hoc ipso iudicare debetis, Deum se verum parentem vobis offerre, qui, & hæreditatem sit redditurus. *In disciplina perseuerate*: agnoscite vestram fœlicitatem; non vos abijcit Deus, qui potius ex hoc notum facit, quod tanquam filios vos habet. Ex quo tandem infert: *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes* filij Dei *ergo adulteri, & non filij estis*: in græco adulterini (spurij), qui non filios Dei vos reputare possitis. Et his patet, quam debili argumento nitatur diabolus; potius enim ex hoc, quod Christus famem patitur, & inuenit se nudis lapidibus circundatum, inferre poterat, bene dictum esse: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: quia enim pater in filio cõplacet sibi Deus, in iusto, quem videt fortiter sustinere famem, & esuriem: nec vnquam aliquando pater aliquis ita sibi in filio complacuit, videns eum aliquid gratum sibi facientem, sicut complacet sibi Deus in viro iusto, cũ videt eum laboribus, & ærumnis circundatum, patientiam tenere, & firmitus sibi adhærere. Certè Paulus, qui arguit Hebræos, quod non tenerent memoria, quę ad eorum solatium scripta erant, nequaquam oblitus fuit historiæ sancti Iob, quæ ad nostram, institutionem fuit scripta, ad quam verè alludere visus est, ad supremam namque, & vltimam tentationem, vxorem adhibuit diabolus, (Fortissimum, inquit Chrysostomus, pugnan-

Rom. 15. 4.

Prou. 3. 11.

2. Macha. 6. 13.

Homie. 29. epist ad Hebræos.

Apoc. 3. 19.

In cap. 12. ad Hebræ.

ad Heb. 12. ¶ 135.

Ibidem.

In cap. 12. ab Hebræ.

In catena. in c. 2. Iob.

pugnandi instrumentum, quo Adamum deiuicerat) quæ accessit dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quæ verba aliter, quam supra diximus, etiam possumus ad nostrum institutum explicare. Varia enim, & innumera fuerunt, quæ voluit diabolus ijs verbis exprimere, quibus Iob ipsum torqueret. Et nomen *simplicitatis*, alludit ad illud, quod paulò ante Deus de eodem Iob ad diabolum dixerat: *Vir simplex, adhuc retinens innocentiam.* Vult itaque dicere: Adhuc credis, quod Deo gratus sis: adhuc credis te innocentiam retinere? quando Deus tibi tribuebat bona, poteras credere te illi gratũ extitisse; sed nunc cum tibi mala etiam ad mortem vsque infert, quomodo te illius retinere gratiam credis? certè, vel ex hoc ipso intellige, benedictiones, quibus eum benedicis, ei minus esse gratas, quod pro eis etiam mortem inferat, & rependat. Respondit
q 136. ille: *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es.* Chrysostomus refert ad Heuam, quæ fuit vna, imò, & prima de stultis mulieribus, vt velit dicere; Sicut Heua excitata à diabolo, insipienter, & stultè loquuta fuit, vt Adamum deijceret, ita, & tu. Ita Origenes. Sed obseruandum est verbum
כבל Hebræum *Nabal*, quod verè, & pro
In caten. in cap 1. priè exprimit, carere sapientia, sensu,
Iob. discursu, ratione. Ita exposuit prudens
1. Reg. 25. illa Abigail, *Nabal secundum nomen suum, stultus est*: atque propterea hoc verbum de illis dicitur, qui minus benè, & indignè, & insipienter de Deo sentiunt. Idcircò eodem verbo
Deut. 32. 6 vsus Moyses: *Populo*, inquit, *stulte, & insipiens*. Bene ergo sanctus Iob vxori blasphemiam subnotauit, dicens: *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es*: id est: Insipienter de Deo sentis, & indigne, atque ignoranter de ijs, quæ Dei sunt, iudicas. Insipientes, & stulhoc tanquam signum habent, ad iudicandum aliquem acceptum Deo, cum bonis temporalibus vident eum abundare, & hoc ipso, quod vident alium laboribus opprimi, tanquam signum accipiunt, vt credãt eum à Deo relictum, deiectum, & odio habitum. Hoc iudicium stultum est, ideſt, omni sapientia vacuum. Certiora signa sunt, fames, sitis, persequutiones: ideoque nunc firmius credo, ait Iob, me illi gratum existere, quam quando bona temporalia conferebat: certiora nunc signa exhibet dilectionis: dum acri disciplina afficior, tanquam pater offert se mihi Deus, ad æternam hoc ipso me præparans hæreditatem. Vanas fuisse eleemosynas, & misericordiæ opera sancti Tobiæ, eius cognati, & verius vxor eius, comprobare nitebantur, quoniam post talia opera superuenerat ei excitas, & fames. *Manifestè*, dicebat vxor eius, *vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt*: quasi tribulationes illæ, & necessitates, quas sanctus vir incurrerat, manifestè, & euidenter ostenderent, vanè, & inaniter se credidisse, quod Deo esset acceptus, & eius eleemosynæ essent illi gratæ: sed imprudenter loquuta fuit: nam hoc potius ostendebat, quod ipse, & eius opera Deo extitissent gratissima, qui propterea subintulit ea, quę Deus exhibere solet ijs, in quibus tanquam in filijs sibi complacet. Quod, & Angelus postmodum clarissimè pronunciauit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. Ego obtuli orationem tuam Domino.* Gratus eras Domino, cuius preces tanquam pretiosas delitias eidem ego offerebam: sed hoc ipso, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Qui enim extra disciplinam es, non est Deo tanquam filius acceptus, sed adulterinus iudicatur. *Necesse*, inquit, quia sine laboribus nullus potest æternam hæreditatem obtinere. Idcircò fortes estote fratres (ait Augustinus, & quando aliqua inopia tentamini, Deo flagellante, & erudiente vos, quibus, & parat, & seruat æternam hæreditatem!, non vobis suggerat diabolus: Si iustus esses, nonne per coruum tibi mitteret panem, quomodo misit Eliæ? vbi est quod legisti: *Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem?* tu respondes diabolo: Verum dicit Scriptura; Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens

Tob. 2. 16. 21.

Tob. 12. 12.

in Psal. 90.

3. Reg. 17. Psal. 36. 23

panem

panem; habeo enim panem meum, quem tu non nosti. Quem panem? Audi Dominum? *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Ita Augustinus.

§. 36. *Nondum erat Christus in necessitate extrema constitutus, quamuis id diabolus more suo persuadere fuerit conatus.*

¶137. 3.p.qu.41. art. 4.ad 1. SAnctus Thomas alio modo istam tentationem expendit, explicans, an diabolus intenderit Christum ad peccatum prouocare, si ille purus esset homo. Non enim videtur quod peccaret Christus, etiamsi ea occasione ad quærendum miraculum se conuertisset nam non est malum, miraculum à Deo quærere, quando nullatenus sine eo potest homo conseruari: tunc namque consueuit Deus miracula facere. Vnde, & Dominus filijs Israel miraculosè manna præbuit in deserto, vbi aliunde cibus haberi non poterat. Et similiter Christus in deserto turbas pauit miraculosè, vbi aliter cibi non poterant suppetere, Cùm autem Christus in deserto post tam longum ieiunium esurijt, nullum videbatur subsidium interesse, quia ibi tantum lapides erant Non igitur peccasset Christus, si admiraculum quærendum se conuerteret. Respondet nihilominus D. Thomas, verè voluisse dæmonem inducere Christum ad peccandum, si purus esset homo, nam verè reputabat ille, quod Christus peccaret, si ad subueniendum fami miracula facere attentaret: quia etsi vti necessarijs ad sustentationem, non sit peccatum gulæ; sed est gulæ peccatum, si homo propter sustentationē aliquid inordinatum faciat. Inordinatum est autem, quod aliquis, vbi potest recursus haberi ad humana subsidia, miraculosè sibi cibum quærere velit. Christus autem ad subueniendum familiariter sibi poterat prouidere, sicut, & Ioannes Baptista fecit, in eodem deserto se sustentans, vt legitur apud Matthæum: vel etiam ad loca proxima properando. Intelligendum est ergo, hanc fuisse dæmonis astutiam, quod verè Christus non erat constitutus in tali necessitate, cur sine miraculo subueniri non posset: Erat enim in deserto, in quo prius fuerat Ioannes Baptista, vt alibi dictum est, in quo locustis, ac melle siluestri poterat sustentari, sicuti Ioannes ipse fecerat; aut ad aliqua oppida, quæ non longè distabant se conferre: sed diabolus necessitatem illam tanquam extremam repræsentare voluit: quoniam nihil ibi nisi lapides esse videbantur, quos cùm comedere non posset, nisi in panes conuerterētur, excitauit Christum, vt hoc intentaret. Hocque ille agere solet, repræsentans res aliter quàm sint, vt ad id pertrahat, quod vult. Quando enim nos excitare intendit ad illicita, proponendo aliquid pulchrum, ita pulchritudinem illius repræsentat, vt quasi supremam eam domonstret. Ita pulchritudinem pomi repræsentauit Heuæ & suauitatem cibi, vt nihil dulcius ac pulchrius excogitari posse videretur: id namque significat illud: *Vidit mulier lignum, quod pulchrum esset visu & suaue ad vescendum.* Ita, & vitulum in deserto repræsentauit splendentem, vt Hebræi iudicarent illum dignum, cui diuinos honores deferrēt. Ita repræsentat luxurioso mulieris pulchritudinem, tanquam excellentem, quæ sæpè deformissima est: & auaro pecuniarum vtilitatem, quasi summam; & ambitioso honoris excellentiam, quasi in culmine bonitatis, sine qua viuere nō possit. Similiter quando vult nos à bono reuocare, aut ad illicita inducere timore pœnæ, aut mali imminentis, illud tanquam supremum, & irremediabile repræsentare nititur. Ita repræsentat mulieri extremam miseriam esse, quam patitur, & quod non possit nisi ad amorem illicitum se conuertat, liberari. Similiter auaro repræsentat domus suæ necessitates, quibus non possit subuenire, nisi vsuras exercēdo, &c. Egregiè Deus, qui eius mores nouit, eum describit, dicens ad Iob: *Stringit caudam quasi cedrum.* De Behemoth, aut Elephante sermonem instituerat. Sed difficile est valde explicare, quomodo ea verba possint elephanti cōuenire:

Gen.3.6.

¶138.

Iob. 40.

Matth.3.

ſtat enim in primis, cedrum eſſe arborem altiſſimam, omnes arbores ſuperantem, vt patet ex Scripturis, & indicatur apud Ezechielem. Conſtat etiam, caudam elephanti breuiorem eſſe caudis omnium animalium, proportionaliter loquendo: omnia ſiquidem animalia, vt docuit Plinius, caudas habent à natura, corporum ſuorum magnitudini reſpondentes: ſolus elephantus eſt qui eam habet breuiſſimam, ſtrictam, nullis pillis veſtitam, adeò vt nec muſcas poſſit cauda abigere; quas propterea occidit, cutem in rugas contrahens intra quas illas capit, & comprimit. Quomodo igitur poteſt elephāti conuenire, quod *ſtringit* (in Hebræo *Haphaſt* quod quidam vertunt, eleuat, erigit) *caudam quaſi cedrum?* Sed certè diuina ſapientia hæc ſententia referta eſt, qua non tam elephanti caudam, quàm dæmonis actiones voluit deſcribere. Breuiſſima ſanè eſt elephantis cauda, & eam nihilominus conatur erigere, eleuare, ſtringere, quaſi altiſſimam cedrum. Caudæ nomine in Scriptura ſacra, cùm de dæmone agitur, ſignificatur eius tentatio, qua ad agendum & nocendum, ac ſuperandum vtitur metaphora ſumpta à dracone, & ſerpente, qui cauda agit, percutit, & eam nititur ad inuadendum alterum, ſimiliter metaphora ſumpta à ſcorpione qui cauda pungit, & per eam venenum emittit: vt enim dixit Plinius, ſcorpionis cauda ſemper in ictu eſt. Nullo momento diabolus meditari ceſſat, ne quando deſit ille occaſioni. Ita illæ *locuſtæ, quæ ex puteo abyſſi aſcenderant, habebant caudas, & in caudis aculeos*, quibus varias, & validas diaboli tentationes Spiritus ſanctus expreſſit. Ita, & in Apocalypſi draco perhibetur, quod *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*, quia tentatione, & ſuahone ſua, multos, & innumerabiles ad ima pertraxit. Cauda ergo huius Behemoth breuiſſima eſt; ſed eam ſtringit tāquam cedrum, quia ſi verè attendantur bona, quæ tentando promittit, ad quæ animum allicere cupit; & mala quæ tentando, fugienda proponit, à quibus nos auertere conatur, breuiſſima ſunt, & decurtata: ſunt enim temporalia bona, & mala, vnde tam bona, quibus allicit, quam mala, quibus terret, breuiſſima ſunt: illa tamen erigit, & extollit quaſi cedrum, & quaſi ſuprema exhibet, quia bona, ad quæ excitat, repræſentat tanquam excellentia, & mala tanquam omninò irremediabilia: quo fit, vt cor hominis hoc ipſo ſtringat, & quaſi ad ſupremas ducat auguſtias. Quis enim dicere poteſt, quomodo repræſentat mulieri neceſſitatem, quam patitur, tanquam ſupremam, & extremam; & quod iam nullum remedium ſuperſit, niſi illa agat, quæ ipſe ſuadet? Quis explicare poſſit, quomodo, ſtringat cor hominis, qui habet filios, familiamque copioſam, repræſentans ei, nullum remedium ſubeſſe, niſi manum ad illicita extendat; Quis dicat, quomodo Iudæ repræſentauit, quod non poterat viuere inter homines, qui tam deteſtandum commiſit facinus, nec aliud medium ſubeſſe, niſi laqueo ſe ſuſpendere? Chriſtum ipſum ita ſtringere videtur, repræſentans ei neceſſitatem famis, quam patitur, talem, quam niſi miraculum induceret, non poſſet euadere: cùm tamen ibi Chriſtus haberet, quod edere poſſet, accomodans ſe loco, & tempori, cibo vtens, quo Ioannes ſe ſuſtentauerat. Ita quidem tu, ò mulier, attende, quod verè habes media tuæ ſuſtentationi proportionata: labora, manuum operibus intende, alteri inſeruito, &c. tu itidem homo contentus eſto cibo, veſtituque communi, &c.

(·.·)

Ezech. 28.

Lib. 11. ca. 25.

Iob

Apoc. 9. 10.

Apoc. 12. 4

§. 37. *Chriſtus ſimilis eſt labro lucido ad cuius conſpectum omnes debent vitam ſuam componere: illi ſingulariter, quos diabolus ex fame tentant.*

¶ 139. QVi reſpondens dixit: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Qui tentari voluit pro nobis (inquit Auguſtinus) magiſtrum ſe exhibet, docens ſuo exemplo, quomodo tentationes vincamus. Certum eſt Deil Filium venire in mundum inter alia, vt omnibus hominibus ſeipſum præberet magiſtrum, qui omnes ſuo inſtrueret exemplo: quibus propterea dicere viſus eſt: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benedicitis ſum etenim, exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quibus verbis alludere viſus eſt, ad illud labrum, aut concham, quam præcepit Deus, vt faceret Moyſes, cuius ad aliud inſtitutum meminimus, *Facies*, inquit, *labrum æneum*, (Septuaginta trasferũt, *Peluim*: Chaldaica, *luterem*) *cum baſi ſua ad lauandum.* In Hebræo pro *Baſi* habetur dictio, *Chan*, fortè à verba *Chon*, quod eſt firmare, quod maxima firmitate ſtabiliendum eſſet. *Poneſque illud inter tabernaculum teſtimonij, & altare: & miſſa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus, & pedes.* Chaldæus, *Et pones ibi aquas, & ſanctificabunt Aaron, & filij eius manus, & pedes.* Cum hanc peluim fecit Moyſes, dicitur: *Fecit labrum æneum, cum baſi ſua, de ſpeculis mulierum, quæ excubabant* (in Hebræo, *quæ conueniebant admodum exercitus*) *in oſtio tabernaculi* Chaldæus, *quæ veniebant vt orarent in oſtio tabernaculi fœderis.* Caietanus cenſet, concham dici factam de ſpeculis mulierum, nõ quod incruſtata eſſet ſpeculis, ita, quod ſpecula ſuperponerentur æri, ſed quia ex, ex quo confecta erat, tam terſum, & lucidum erat, vt verè tenerent ſpeculorum omnium re lucentiam, & claritatẽ, ita quod, quamuis innumeræ eſſent mulieres, quæ ad modum exercitus accederent, omnes ibi melius, quam in lucidiſſimo ſpeculo ſe poſſent inſpicere: ac b apertius diceretur, inquit Caietanus: Fecit concham æream, tam terſam, & lucidam, quod in illa videbant ſeipſas exercitus mulierum: ita quod non ſignificatur concha incruſtata ſpeculis æreis, ſed ipſum æs conchæ tam terſum, ac politum, vt eſſet in quo ſiſterent, ad ſeipſas videndum, mulieres ad inſtar exercitus conuenientes, ad oſtium tabernaculi. Hæc autem Caietani ſententia ex eo confirmari poſſe viderur, quod Deus, quando præcepit Moyſi, vt labrum conficeret, non ſtatuit, vt illud ſpeculis mulierum incruſtaret, & certum eſt Moyſen non facturum, niſi quod Deus illi præcepiſſet, cui dixerat; *Omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt.* Fecit ergo, quod Deus præcepit, conficiens labrum ex æra, tam terſum, vt verè quouis ſpeculo eſſet lucidius. Deinde Salomon quando templum ædificauit, poſuit in eo aliam concham, ad ſimilitudinem illius, quam fecit Moyſes, quam vocauit mare, propter ingentem aquarũ quantitatem, quam caperet, ad eundem effectum, ex æra quidem, quod Dauid deferri iuſſerat, tam lucidum, & præclarum, vt auro ipſo pretioſius tunc haberetur, ſicut dicit Ioſephus, nec tamen illud incruſtauit, aut operuit ſpeculis mulierum, ſed tam terſũ erat, vt quicunque accedens ad vas illud, clarius in illo, quam in quocunque ſpeculo poſſet ſeipſum conſpicere. Quod ſi Caietano opponas: labrum illũd non fuiſſe poſitum, vt mulieres in illo ſe ipſas inſpicerent, ideoque iubetur poni inter tabernaculum, & altare, vt Aaron, & Filijs eius lauarent manus ſuas, & pedes, Reſpondedebo, nec Caietanum id negaſſe, ſed tantum dicere, voluiſſe, tã terſum fu ſe æs, ex quo illa peluis confecta, vt poſſent mulieres ſeipſas, tanquam in clariſſimis ſpeculis inſpicere: quomodo ſolemus, de re aliqua clariſſima loqui, dicentes, quod mulieres poſſunt in ea ſe conſpicere, quamuis nec illam contingere valeant. Alij cenſent verè Moyſen illam cõcham incruſtaſſe ſpeculis, quibus mulieres Hebrææ abun-

in Pſal. 90.

Ioan. 13. 13

Exod. 30. 18.

כיור *Theſa Pagnin pag. 3249.*

Exod. 38. 8

In cap. 38. Exod.

Exo. 25. 29

2. Reg. 22.

2. Reg 8.

Lib. 7. anti. cap. 6.

¶ 140.

In caten. Exod. 38.

abundabant, ex ijs quæ Ægypto depor tauerunt, vt author græcus apud Lippomanum. Apud Ægyptias enim mulieres frequentissimus erat speculorum vsus, & vt dixit R. Abraham, mos fuit omnibus Hebræis mulieribus, singulo mane ad specula ænea, aut crystallina, vel vitrea, suam decorare faciem, & aptare tiaram: & hæc specula contulerũt aliquæ deuotæ mulieres, quæ spreta seculi vanitate conuenire solebant ad orationem, & doctrinam legis, ex quibus Moyses labrum illud incrustauit. Sed siue hoc, siue illo modo dicamus, certum est statutam fuisse firmissimè in tabernaculo concham ex ære confectã, cuius superficies omnibus speculis erat clarior, ad cuius præsentiam, omnes Sacerdotes, & Leuitæ, possent seipsos videre, & mundare, in qua etiam erat aqua, qua omnia quæ immunda deprehenderent, mundare valerent. Et quidem nemini dubium est, peluim illam, symbolum fuisse Christi Domini, qui clarissimis omnium virtutum fulgoribus splendens, omnibus seipsum exhibet tanquam vas lucidissimum, in quo quiuis possit id, quod agendum est, cõspicere, in quo, & simul inueniant omnes ingentem aquarum gratiæ abundãtiam, per quam animas suas emundent. Nec enim Christus tantum id efficit, vt deformitates, quibus animæ facies fœdatur offendæ, sicuti lex antiqua faciebat, per quam tanquam per speculum peccatorum immunditiæ patebant, gratiam tamen non præstabat ad eorum emundationem. Christus Dominus vtrumque præstat: qui propterea dicitur:

Ioan. 1. 14. *Plenus gratia, & veritatis:* veritatis quidem, aut claritatis, qua mentes nostras illustret, ad cognoscenda omnia, quæ agere debemus, gratiæ verò, qua nostra adiuuet infirmitatem, vt ea quæ ipso docente fugienda, vel agenda cognoscimus, fugere vel agere possimus. Est igitur Christus Dominus, quasi speculũ lucidissimum omnium oculis expositũ, in quo omnes possunt deprehendere, quid vnumquemque agere oporteat,

3. p. q. 40. art. 2. qui iddirco (vt Diuus Thomas demonstrauit) vitam gessit quasi omnibus cõmunem, vt omnibus se magistrum exhiberet. Quod, & egregiè dixit Nicolaus Papa I V. Cum Christus, inquit, omnibus sit propositus in exemplar virtutis, oportuit vt omnes, & infirmi in eo haberent, quod imitarentur, atque in illum intuentium, nullus posset desperare virtute consequenda desperare. Et hoc ipsum Chrysostomus colligit ex illis verbis Christi Domini: *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, &c. venit filius hominis manducans, & bibens.* Ex quibus etiam verbis, collegit Beatus Irenæus Christum ita conuersatum fuisse cum hominibus, vt eorum communibus cibis vteretur, & vinum biberet, quæ & similiter prosequitur Augustinus, quem Diuus Thomas refert, & explicat. Communem ergo vitam sequutus est Christus, per quem vnusquisque suam posset reformare, & diuerso tempore diuersa operatus est: nunc ieiunauit, & nunc comedit, conuijs interfuit aliquando in ciuitate, & eſuriem sæpè passus est in deserto, hominum frequentia fuit sæpè conuersatus, & solitudinem non semel sequutus est, ex opere manuum, antequam ad prædicandum egrederetur victũ quæsiuit, alio tempore ex eleemosynis vixit, & aliquando ei tanquam omnium Domino, angeli ministrarunt: honores non semel fugit, & refutauit, sæpè aliquando oblatos acceptauit, contumelię verba sustinuit, iterum laudis vocibus fuit exaltatus, nunc fugit inimicos, & se abscondit, aliquando eis obuiam venit, aliquando lætatus est cum Apostolis in Spiritu Sancto, aliquando verò fleuit amarè, quodam tempore nudis pedibus incessit, aliquando calceamenta portauit, cum peccatoribus comedebat aliquando, etiam oblatos ab Apostolis cibos in Samaria non accepit. Certè magister cantorum omnes aliorum voces vnus ipse solus refert, & vocem agit communem, nunc supremam refert, nunc depressiorem producit, nunc mediam agit, vt omnes doceat, & vnicuique exemplum præbeat, ita quod in vna sua voce vnusquisque cantorum suam reformare vocem addiscat. Sic omnia pro te factus est Dominus, inquit Ambrosius ijs, qui sub lege sunt, quasi sub lege esset, cum ipse sub lege non esset, circũcisus est, vt eos qui sub

In c. Exitu qui semen, verborum signif.

Hom. 31. in Matt. 8. Matt. 11

Lib. 4. cont. hæres. c. 51.

Li. 16. com. Faust. c. 30 & 31. ¶ 141.

Præf. lib. 4. in Luc.

lege

lege ſunt lucrifaceret, his qui ſine lege erant, conuiuij communitate ſociatus eſt, vt lucrifaceret eos, qui ſine lege viuebant. Factus eſt infirmis infirmus per corporis paſſionem, vt infirmos lucrifaceret. Omnibus poſtremo omnia factus eſt, pauper pauperibus, diues diuitibus, flens flentibus, eſuriens eſurientibus, ſitiens, ſitientibus, profluus abundantibus, in carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cum Apoſtolis epulatur, cum Samaritana ſitit, in deſerto eſurijt. Ita Ambr. Ex his duo loca Pauli intelliguntur, quæ difficilia alioquin videntur. Primus eſt: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, id eſt, ſtatuit. Patet æternus, vt qui ad gloriã erant ab ipſo approbati, conformarent vitam ſuam vitæ Chriſti filij ſui. Qui fieri poteſt, vt cum inter prædeſtinatos, ſint homines tam diuerſæ vitæ (quidam enim ſunt pauperes, alij diuites, quidam in honore conſtituti, alij in contumelia, &c.) ad vnius Chriſti vitam poſſint ſuam conforma re? Certè quia vita Chriſti talis fuit, vt vna ipſa omnibus exemplar perfectiſſimum eſſe poſſit. Secundus eſt: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, Id eſt, Imitamini ita eius vitam, vt Chriſti perſonam agere videamini. Nunquid vna eademque veſtis poteſt omnibus corporibus conuenire, quomodo namque quæ in gigantem quadrat poterit eſſe apta pygmæo. Quia vna eademque vita Chriſti, verè omnibus, poteſt apta ri, qui omnibus perfectũ viuendi præbuit exemplum, eſtque quaſi quædam tela panni longiſſima, ex qua quinis poteſt conſcindere portionem ſibi aptiſſimam, & conuenientem, & quando paupertatem habet, & quando diuitijs, & panibus abundat, quando infirmatur, & cum ſanus eſt, &c. Omnibus propterea ſuadet Paulus: *Vt vita Ieſu manifeſtetur in corporibus neſtris.* Famem ergo & eſuriem Chriſtus pati voluit, inquit Auguſtinus, & eius occaſione tentari, vt quoniam ſæpè famem patiuntur fideles, nec eis ſupereſſe videntur niſi lapides, cuius occaſione à tentatore excitantur facere, quæ non conueniunt, doceat eos, quomodo reſpondere tentatori debeant, vt non vincantur, ſed vincant, non ſuperẽtur, ſed ſuperent, intelligant, quod non propterea dimittuntur à Deo, quoniam panes deeſſe videntur: nec ægrè ferant, quod differat Deus eis prouidere, & quod poſt quadraginta dierum ieiunium non conſpiciãt niſi lapides, attendant ea, quæ ſcripta ſunt, diſcant reſpondere ſicut Chriſtus reſpondit: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, &c.* Inde diabolus cœpit (inquit Ambroſius) vnde iam vicit, & ideò inde incipio in Chriſto vincere, vnde in Adam victus ſum, ſi tamen mihi Chriſtus imago Patris, virtutum exemplum ſit. Diſcamus igitur eius exemplo cauere gulam, &c. Et propterea vt annotauit Sanctus Leo Papa *a*, & ex eodem obſeruauit Diuus Thomas *b*, Chriſtus Dominus non reſtitit tẽtatori poteſtate ſuæ diuinæ virtutis, ſed teſtimonijs legis, vt hoſtis humani generis, non quaſi à Deo, ſed quaſi ab homine vinceretur, & hoc ipſo plus hominem honoraret, quem docuit ſimili ratione inimicum reuincere. Ita, & Ambroſius obſeruauit. Vides, inquit, quo genere armorum vtatur, quod hominem à ſpiritualis nequitiæ incurſione defendat, aduerſus irritamenta gulæ ſeptum atque munitum, non enim quaſi Deus vtitur poteſtate (quid enim mihi proderat) ſed quaſi homo commune ſibi arceſſit auxilium, &c. His mire concinũt illa Apoſtoli verba, quibus Chriſtum inducit *tentatum per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato*, quæ etſi variis modis poſſint explicari, ſed aptè Beatus Anſelmus, & Diuus Thomas intelligunt de iſtis tentationibus, quibus à Diabolo in deſerto tentatus fuit, ſecundum quas dicitur tentatus per omnia, quia ad omnia vitiorum genera his tribus tentationibus Chriſtum diabolus incitauit, vt ex ſanctis Patribus dictum eſt ſupra. Dicitur autem tentatus pro ſimilitudine, aut, vt Diuus Thomas legit, ſecundum ſimilitudinem, quia ideò tentatus eſt, vt daret nobis exemplum, vt ſecundum ſimilitudinem eius, tentationem ſuſtineremus, & omnia conaremur euincere. Sicut enim ille ita ſuſtinuit, vt nullo modo peccato conſenſerit, ſed Scripturæ ſacræ doctrina

omnem

Rom. 8. 30.

¶ 142. 2. Cor. 4. 10

In Pſal. 90

Li. 4. in Luc.

a Serm. 1. Quad. ante medium.

b 3. p. q. 11. art. 4. in c. ad finem.

Loc. cit.

ad Heb. 4. 15.

In cap. 4. ad Heb.

omnem repulit tentationem, ita, & nos agere hoc ipso docet, & vt tentatori, cũ ad illicita pertrahere conatur respondemus dicentes: *Scriptum est. Non in solo pane, &c.*

§. 38. *Diuini verbi gladio Christus tentatoris ictum repercutit, quo si muniamur, illius tentationes eludemus, qui idcirco curauit Scripturam sacram abolere.*

¶ 143. ADimplere nunc visus est Christus, quod Beatus Iob promisit, quod quę supra iam alia ratione exposuimus: Iob 40. 14. *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum applicabit gladium ipsius.* Vt enim in principio annotabamus cœpit Deus describere dæmonem sub Behemoth, In c 40 Iob aut Elephanti specie, & ita quamuis aliqua dixisset, quæ verè in Elephantum quadrant, tamen ita sermonem ad dæmonem describendum conuertit, vt difficilè possint, quę subdit, Elephanto cõuenire, egregie autem dæmoni aptantur, qualia sunt hęc, quę non nisi violenter, vt ibi ait Diuus Thomas, ad Elephantum applicant aliqui. Quomodo enim dicitur ille principium viarum Dei? Quisnam gladius est, quem Deus applicat contra eum? Dęmonem ergo, & quæ circa eum sunt, hęc verba mire describunt. Dicitur enim diabolus, principium viarum Dei, vt ibi exponit 32. Moral. Gregorius, quod naturæ, & gratiæ dotibus creatus fuit, omnes creaturas excedens: iuxta illud: *Cedri non fuerunt* Ezec. 31. 8. *altiores illo, in paradiso Dei, abietes non aquauerunt summitatem eius platani nõ fuerunt aquę frondibus illius, omne lignũ paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius, qui speciosum fecit eũ in multis condensisque frondibus.* Quod verò subdit: *Qui fecit eum, applicabit gladium ipsius*, egregiam continet doctrinam, excellentemque Dei promissionem, quam Sacer Euangelista nunc adimpletam exhibere videtur. Qui enim fecit eum, Filius Dei est, *per quem* Ioan. 1. 3. *omnia facta sunt*, qui per Esaiam dicit: *Ego creaui fabrum*, id est, dæmonem, vt Hieronymus exponit. Ille qui in mundi initio fecit illum, nunc applicat gladium suum. Aliqui intelligunt gladium suum, id est, ipsius diaboli, quę sensum supra prosequuti sumus. Alij intelligunt gladium suum, id est, ipsius Dei, qui sensus nostro nunc potest instituto deseruire. Gladius namque Dei, verbum diuinum est, iuxta Paulum; *Gladius spiritus, quod est verbum Dei.* Hũc ad Eph. 6. 17. gladium nunc applicat, quoniam ad vnamquamque tentationem reuincendam, vt notat Rupertus, non diuinæ potentiæ vires educit, sed peculiare Dei verbum cuique tentationi opponit, & Scriptura sacra descriptum, quo inimici vim, & robur dissecat, & eneruat. Nec dicit. Qui fecit eum percutiet eũ, aut vulnerabit eum gladio suo, sed *applicabit gladium suum*. Verbum enim, *applicare*, significat, apponere aliquid, iuxta alicuius congruentiam: idcirco commune est apud medicos, qui pharmaca propterea dicuntur applicare, quia iuxta cuiusque infirmitatis exigentiam eam apponunt. In Hebræo, vt supra annotabamus, est verbum *Hagos*, quod significat offerre alteri, ideoque, vt aduertit Brixianus in sacrificiorum ritu sæpè vsurpatur. Idem est ergo, ac si dicat. Qui fecit eum, supponet, offeret ei gladium suum, metaphora, quantum existimo, sumpta abeo, qui ictui inimici supponit, & offert gladium, quo illius ictũ suscipiat, hoc enim frequens est in duellorum vsu. Gladium suum contra te inimicus tuus vibrat, gladium tuũ illius ictui supponis, quo teipsum defendis, offers gladium tuũ, quo gladium alterius excipias. Etsi gladius tuus fortissimus, validissimusque sit, hoc ipso confringitur, retundit, & discindit vires, & aciem gladij inimici. Gladio equidem suo diabolus Christũ impetijt, sed Dei Filius gladium suum supposuit, eumque obtulit, quo inimici impetum excipiat, offert namque eius tentationi diuinum verbum, & quoniã ¶ 144. hic eius gladius validissimus est: (*Vi-*

תגרש
In Arca to. 1. p. 132.

ius

ius est namque sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.) ita gladius inimici fuit retusus, confractus, & dissectus, vt dicere possimus: *Inimici defecerunt framea in finem:* finis enim, vt exponit Augustinus, Christus est, de quo dixit Paulus: *Finis legis Christus.* In eum inimicos vires suas conuertit, frameis suis illum impetiuit, sed offerens ille gladiũ verbi Dei, omnes frameæ inimici hoc ipso sunt retusæ, & defecerunt. Ex libro ergo Deuteronomij Christus Dominus diuina verba depromit, & cuique tentationi gladium proprium applicat, & offert, in quo libro tota lex diuina continetur, Vocatur enim Deuteronomium, vt inquit D. Hieronymus, quasi secunda lex, aut iterata lex, quod legem, quam Deus primò tradidit in monte Sina, secũdo Moyses iam moriturus populo proposuit: de quo optimè Abulensis. Quoniam autẽ, vt dictum est, Christus Dominus tentari voluit, vt magisterium vincendi exhiberet, hoc ipso, vt obseruauit Gregorius, docet nos, gladium hunc diuini verbi à nobis assumendum, applicandumque, aut offerendum ictibus tentatoris, quo eius vires rerũdamus, & discindamus. Egregiè de lectulo Salomonis loquitur Spiritus sanctus, id dicens, quod infra exponere cœpimus: *En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiũt. ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi, vnusquisque ensis super fœmur suum, propter timores nocturnos.* De lectis Salomonis quidam locum intelligunt, quos credendum est fuisse magnificos, excellentissimosque sicut & omnia alia, quæ habebat erant sumptuosa, & illustria. Credendumque est viros fortissimos fuisse designatos ad custodiam Regis dormientis, qui ex cubias agerent. Id enim commune regibus fuisse tradit recens, & doctus author. Sed horum verborum spiritum attigisse visus est Philon Carpathius, qui supponit id, quod omnes Sancti Patres, tanquam cõstitutissimum statuunt, Salomonem typum expressissimum tenuisse Christi Domini. Hic, priusquam suo sanguine Ecclesiam comparasset, non habuit vbi caput reclinaret, sed postea non solum Ecclesiam, sed vnamquamque animam sanctam, tanquam quietis locum habet, dicente ipso: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum &c.* Et ideò, non lectus vocatur, sed lectulus, quia de quacunque anima Sancta, in qua Salomon ille pacificus requiescit, sermonem instituit, quæ hoc ipso, quod humilis est, paruulam se reputat. Oportet autem diligenti custodia lectulum illum seruare, *propter timores nocturnos*, id est, propter dæmonum impetus, & tentationes. Chaldaica, *à spiritibus nocuis, & dæmonibus, qui ambulant in nocte:* Nocturno enim tempore principes tenebrarum magis insurgunt, & qui tenebras diligunt, in tenebris maiori conatu se excitant. Vnde noctu dæmon suffocauit septem viros maritos Saræ, suffocaturus etiam nocte Tobiam, nisi Angelus peculiari custodia illum seruasset, media nocte Angelus (quem Hieronymus credit dæmonem fuisse) primogenita Ægypti interfecit: nocte Beatũ Antonium diris, varijsque tentationibus dæmones vrgebant, vt in eius vita refert B. Athanasius. similiter, & nocte S. Hilarionẽ sub mulieris specie sæpe tentauit, vt refert D. Hieronymus [a], in eius vita, & huiusmodi multa enumerant Seuerus Sulpitius [b], & Palladius [c], Sozomenus [d], & Euagrius [e]. Oportet ergo animam seruare propter dæmonis impugnationes, quæ maximè nocturno tempore sunt timendæ. Vnde maiori cura Sancti noctu seipsos tradũt pœnitentiæ, & mortificationis operibus. Hanc autem oportet custodiri omni solicitudine, & integra, ac omnimoda cura, quod expressit subdens: *Sexaginta fortes custodiunt, ex fortissimis Israel:* quasi alludens ad illas tam varias, ac vigiles curas, & solicitudines, quibus tentatus est Iacob, quando Israelis nomen promeruit, tunc enim intelligens, quod frater suus magna potentia stipatus, veniret contra se, summa solicitudine omnibus suis prospiciens, vxoribus, filijs pecoribus, &c. magna vigilia nocte tota cum Deo colluctans, precibus, lacrymis, & oratione agens, vt dicitur apud Oseam, victor euasit. Dicere ergo vult his verbis, quod alibi clarioribus expressit: *Omni custodia*

ad Heb. 4. 12. *Psal. 9. 7.* *Rom. 10. 4.* *Deut. 6. & 8.* *Epi. 103 ad Paulinum.* *In 4. Reg. 6. 22. qu. 10* *Hom. 16 in Euangel.* *Cant. 3. 7.* *Soto maior in c. 3. Can.* *Esa. 66. 2.* *Tob. 8.* *In cap. 24. Esai.* *Exod 12.* *In vita Antonij.*

[a] *In vita Hilario.*
[b] *In vita Martini.*
[c] *In Lausiaca histo.*
[d] *Li. 6. hist. tripar. c. 23*
[e] *Li. 2. c. 13 histor. Eccles.*

Gen. 32. *Ose 12.* *Prou. 4. 23.*

ſerua cor tuum. Hæ tamen curæ ac ſolicitudines, non inermes eſſe debent ſed potius armatæ ac munitæ: *Omnes tenentes gladios*, id eſt, diuinæ legis præcepta, verba diuina, quibus poſſint omnes inimici impetus retundere. Et dicuntur *ad bella doctiſſimi*, quia cuique tentationi ſciunt diuinæ legis peculiaria verba, & ſententias applicare; quomodo fecit Chriſtus Dominus, qui propterea applicaſſe gladium ſuum dicitur. Notum eſt enim Scripturæ ſacræ authorem, Deum eſſe, qui ita doctrinam ſuam nobis tradidit, vt nos circa quæcunque agenda, verè inſtruxerit. Vnde, & Paulus; *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, &c. perfectus ſit homo Dei & ad omne opus bonum inſtructus.* Expende illud, *ad omne opus bonum inſtructus*, D. Bernardus expendit illud, quod de Sponſo ſuo dicit Sponſa: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lactis ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima*: Oculi inquit Sponſi, Sancti viri ſunt, qui ſicut columbæ in ſimplicitate viuunt, *ſuper riuulos aquarum* eſſe perhibentur, quia ſemper in refectione Sanctarum Scripturarum conuerſantur: *Qui lacte ſunt loti*, quia per gratiam Dei in baptiſmo à peccatis ſuis ſunt mundati. Quid per *fluenta pleniſſima*, iuxta quæ ſedent, intelligimus, niſi ſacræ Scripturæ profunda, & arcana dicta, quibus nos reficimus, dum ea legendo, aut audiendo haurimus? Iuxta fluenta iſta columbæ reſidere ſolent, vt vmbram volantium auium in aqua videant, ſuper quam ſe proijcientes, vngues rapaces effugiant: Sancti namque viri in Scriptura ſancta fraudes dæmonis proſpiciunt, & ex deſcriptione quam vident, quaſi ex vmbra inimicum cognoſcunt & eius deceptiones fugiunt, &c. Ita Bernardus. Hæc eadem longo diſcurſu proſequitur Chryſoſtomus: Omnia, inquit, in diuinis Scripturis ſcripta, non alia de cauſa memoriæ ſunt tradita, quam propter noſtram vtilitatem, & humani generis ſalutem. Hæc ſecum quiſque expendat, ſuſque congrua vulneribus pharmaca imponat. Propterea enim ſcit cuius ſunt propoſita, &c. Nulla enim eſt in humana natura, vel corporis, vel animæ paſſio, quæ medicinam hinc accipere nequeat. Triſtitia, & negociorum ſolicitudine oneraris? Audi Prophetam; *Quare triſtis es anima, & quare conturbas me, ſperæ, in Deo*. Inopia premeris: Audi Prophetam: *Iacta cogitatum tuum in Domino*, & iterum: *Ne timeas cum ditatus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, &c.* Calumnias ſuſtines, & inſidias: Doceris ab eodem Propheta, in talibus anguſtijs, non ad humanum præſidium confugiendum, vnde dicit: *Ipſi detrahebant mihi, ego autem orabam*. Hæc, & alia ibi Chryſoſtomus, ex quibus annotare poſſumus, labrum illud aqua plenum, ſpeculis circundatum, quod ſupra diximus fuiſſe ſymbolum Chriſti Domini, poſſe etiam ita accipi, vt ſanctæ Scripturæ typum teneat, quæ aquâ continet, id eſt, doctrinam, circa quamcunque virtutem, & ſpeculis abundat, quia hiſtorias refert, quas, vt dixit Paulus, ad inſtructionem, & correctionem noſtram Deus ſcribi voluit. De quibus videndus eſt Gregorius *a*, & Baſilius *b*, qui poſtquam peculiares ſacræ ſcripturæ hiſtorias, ad cuiuſque vitam componendam aptas expendit, ſubdit: Quemadmodum pictores cum imaginem pingunt, exemplar identidem reſpectantes lineamenta eius transferre conantur, magno ſtudio ad ſuum opificium, ita qui ſeſe meditatur; omnibus numeris virtutis abſolutum reddere, veluti ſimulacra quædam ſpirantia, & actuoſa. Sanctorum vitas reſpicere oportet, probaque opera illorum, ſua imitando facere. Quibus, & concinit Sanctus Bernardus, docens Scripturam ſacram eſſe ſpeculum, non quidem falſum, ſed verum, de quo propterea dixit Dauid: *Tunc non confundar, cum proſpexero in omnibus mandatis tuis*. Ex his patet, cur tam ſolerti cura omnibus impoſuit Deus, vt diuinæ ſuæ legi ſtudioſiſſimè attenderent. *Fili mi, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat, &c.* & *Fili mi, auſcultia ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam, ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui, vita.*

2. ad Tim. 3.16.

In tractat. modus bene viuendi ad ſororem Serm. 55. Cant. 5.12.

Hom. 29. in Gen.

a Hom. 17. in Euang.

b Epi. 1. ad Gregorium Theolog.

Pſ. 41.6.12.

Pſ. 54.23.

Pſa. 48.17.

Pſ. 108.4. & 146.

1. Cor. 10.11.

In Euang. de ſeptẽ panibus. c. 15

Pſa. 118.6.

Prou. 3.1. Prou 4.20.

ta enim sunt inuenientibus ea, &c. & Cō-
Prou.6.20. serua fili mi præcepta patris tui, & nō di-
mittas legem matris tuæ; liga ea in cor-
de tuo iugiter, & circumda gutturi tuo,
cum ambulaueris gradientur tecum, cum
domieris custodiant te, & euigilans lo-
quere cum eis, quia mandatum lucerna
est, & lex lux, &c. & Fili mi, custodi ser-
Prou.7.1. mones meos, & præcepta mea reconde ti-
bi. Fili mi serua mandata mea, & viues,
& legem meam quasi pupillam oculi tui:
Iosue 1.8. liga eam in digitis tuis, scribe illam in ta-
bulis cordis tui &c. & ad Iosue: Non re-
cedat volumen legis huius ab ore tuo, sed
meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt
custodias, & facias omnia, quæ scripta
sunt in eo: tunc diriges viam tuam, &
intelliges eam. Quibus verbis alludere
Psal.1.2. vitus est Dauid: Beatus vir, qui non
abijt in consilio, &c. sed in lege Domini
voluntas eius, & in lege eius meditabi-
In epist. ad Paulinum. tur die ac nocte: quem locum ad hoc in-
stitutum obseruauit Hieronymus, &
latius, & ex professo Diuus Augusti-
a Lib.qq.ex vtroque te-stam tom.4 nus a. Hinc illud insigne præceptum
b Deu. 17. 18. Domini b: Cum sederit Rex in solio re-
gni sui, describet sibi Deuteronomium le-
gis huius in volumine, &c. Et habebit se-
cum, legetque illud omnibus diebus vitæ
Hom.8.in Luc quæ est de Lazaro. suæ, vt discat timere Dominum Deum
suum, &c. Nec enim, vt annotauit Chry-
sostomus, tantum monachorum opus
est, diuinæ legi intendere, sed, & homi-
nes negotijs implicati, tantò magis de-
bent iuxta se habere eam, & mente re-
uoluere, quantò maioribus occasionibus ad lapsum, & ruinam inducuntur.
Describat ergo Rex sibi Deuteronomium, aut legis summam, in qua, quæ
Deus regibus præcipit, videat, conspiciatque Sanctorum, & improborum regum historias, vt ex his, quę in illis vi-
¶ 1.17. det, addiscat, quomodo in quacunque
occasione se gerere debeat. Consideret
diues diuinam legem, & attendat, quid
diuitibus Deus præcipiat, quid aliquos
diuites in Scriptura sacra reddiderit
commendabiles, & quid alios in Gehen-
nam pertraxerit. Animaduertat pau-
per, quid circa pauperes Deus statuat,
& quorum pauperum in Scriptura sa-
cra curam peculiarem Deus susceperit, & ita omnes cuiusuis status homi-
nes similiter faciant, etenim siue de re-
ge loqui volens, inquit Chrysostomus, Hom.1. de Dauide & Saul ad fi-nem.
siue de militibus, siue de re familiari, si-
ue de publicis, ciuilibusque negotijs, vi
debis in Scripturis horum magnam co-
piam, & huiusmodi commemoratio-
nes magnam afferunt vtilitatem Impos-
sibile est enim, impossibile inquam est,
animum in hoc genus historijs versan-
tem à cupiditatibus superari. Ita ille.
Sicut autem Deus valde commendat
diuinæ legis studium, voluitque, vt li-
brum legis homines perpetuò reuo-
luerent, quo se contra dæmonis impe-
tus munirent, ita suprema dæmonis cu-
ra est, huiusmodi studium abolere, tunc
enim quasi contra inermes procedere
sibi videtur. Idcircò sæpè procurauit
libros Sanctos legis abolere, vel abscō-
dere, quod cum obtinuit, ingentem in
homines stragem inuexit. Ita tempo-
re Achaz, vt ex Rabbi Salomone tradit In 4.Reg. 22.
Lyra, induxit Regem, vt omnes libros
legis combureret: ex quo factum est il-
lud, quod dixit Oseas, qui tempore hu- Ose 4.1.
ius Regis prophetauit: Non est scientia
Dei in terra, maledictum, homicidium,
& furtum inundauerunt sanguis sangui-
nem tetigit, &c. Ex quibus illam potuit
haurire sententiam Chrysostomus; Hom.8.in Luc.cit.
Scripturarum ignoratio vitam corrup-
tam inuexit. Quoniam autem postea
succedente Ezechia rege pijssimo, libri
legis restituti sunt, iterum diabolus cu-
rauit, vt succedente impio Manasse, om-
nes abolerentur: cuius tempore perie-
runt omnes fere libri legis, vt Abulen- In 4.Reg. 22.9.13.
sis probat, adeo, vt cum Iosias ille pijs-
simus eius nepos regnare cœpisset, nul-
lus liber legis reperiretur, nec facta
fuerit in eius vnctione cærimonia illa,
quæ ex Dei ordinatione fieri solebat,
quod cum vngebatur Rex, ponebatur
in manu eius liber legis, quam tam in-
concusse erant soliti Principes, & Sacer-
dotes seruare, vt etiam quando vnctus
est Rex Ioas, quamuis tantum ætatis es- 1.Par.23. 11.
set septem annorum, *imposuerunt ei*
diadema, & testimonium, dederuntque
in manu eius tenendam legem, &c. Non
ergo, cum cœpit regnare Iosias, liber
aliquis legis, aut eius breuis summa in-
ueniebatur: sed eo iam regnante, & 4.R.g. 22.
summa pietate curante, vt templum
rc.

repararetur, inuentus est ab Helcia, qui erat summus sacerdos, liber legis. Refert Lyranus ex R. Salomone, quod cum antea impius Achaz quæsierit libros legis Domini ad comburendum, ille fuit absconditus in muro, aut pariete templi, vnde cum ex ordinatione Iosiæ templum repararetur, inuentus est à summo sacerdote liber ille, quem tanquam rem nouam, & summo ardore conquisitam misit statim ad Regem Iosiam, quem cum pius Rex legi iuberet, statim totum se conuertit ad componendos mores, & religionis cultum instaurandum: de quo Abulensis. Insuper cum postea populus ad legis contemptum se conuertisset, & in talia incidisset peccata, vt propterea traditus fuerit in captiuitatem, ita curauit diabolus, vt omnes legis libri abolerentur, quod nullum iam exemplar reperiretur, adeò vt oportuerit, quod ille Sanctus doctor Esdras, libros legis de nouo scriberet, quos Dei fauore memoriter tenebat, vnde, & dictus est Scriba legis. Et tandem cum postea tempore Machabæorum in grauissimas angustias populus Dei incidit, quando Antiochum illum, quem *Raditem peccati* Spiritus sanctus vocat, contra eundem Dei populum, diabolus excitauit: *Qui ascendit Ierosolymam in multitudine graui & intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis &c & ædificauit abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per vniuersas ciuitates Iudæ in circuitu ædificauerunt aras, &c. Libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quemcunque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.* Propterea certè curabat diabolus ita fieri, quoniam sciebat, quantum conducat legis notitia, contemplatio, & meditatio, ad quamcunque eius tentationem reuincendam.

4 Reg. 22.

In 4. Reg. c. 22. q. 20.

2. Par. 36. 15.

1. Mac. 1. 11

1. Mac. 1. 22.

§. 39. *Meritò Sancti Patres ad legendam Scripturam sacram inuitant, quam vtilius vulgares homines ex Catholicorum prædicatorum ore audire debent.*

¶ 168.

INtelligentes Sancti viri, quam tradidimus doctrinam, diligenti studio curauerunt seipsos totos tradere contemplationi diuinæ legis, & Sanctarum Scripturarum, & cum voluerunt populum à peccatis reuocare, hoc saltem curauerunt ei persuadere, vt diuinæ legis lectioni aures accommodaret. Ita Moyses, Iosue, & Esdras: Sancti itidem illi Machabæi huius lectione se sustentabant, qui dicebant: *Habentes solatio Sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Ezechiel iussus est deuorare librum, *in quo erant lamentationes, carmina, & væ*: quia qui mentis ventre recondit Scripturæ sanctæ, & diuinæ legis verba, inuenit quibus excitetur, ad plangenda peccata, gaudia æternæ vitæ desiderãda, timendas pœnas peccatoribus positas, vt B. Gregorius exponit. Hinc Bernardus ad sororẽ suam: Tu inquit, soror in meditationibus Sanctarũ Scripturarũ esto assidua, quia in eis poteris cognoscere, qualiter hostiũ insidias valeas declinare, tè consiliis sacræ Scripturæ ex toto committe, quia ibi inuenies, qualiter fraudes dæmonum fugias, ama scientiã Scripturarum, & contemnes vitia carnis. Ita ille, quæ & desumpsisse videtur ex Epistola B. Hieronymi, cuius est illa celebris, sæpèque repetita propositio: Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis, qui propterea Demetriadẽ ad Scripturarũ studiũ incitat, & ad Oceanum scribens, Fabiolã laudat, quod in lectione Prophetarum, Euangeliorum, Psalmorum, & totius Scripturæ, maximè versaretur, & difficiles quæstiones dissoluendas, ipsimet Hieronymo proposuisset. Alagathã similiter commendat epistola ad eam missa, quod studio diuinæ sapientiæ, sicut altera

1 Mac. 12. 9

Ezech. 2. 9.

Hom. 5. in Ezech. in modo bene viuendi ad sororem ser. 55.

Epist. 8. ad Demet. & Epi. 30. ad Oceanum.

Epist. 151. Algas.

altera Regina Saba teneretur Hedi-
Epiſt. 150. ad Hedib. biam itidem propter eandem cauſam, quod cum in extremis Galliæ finibus ageret, graues circa Scripturam ſanctam quæſtiones intelligere deſiderans, ad ipſum miſerit Betheleemitico rure latitantem. Summis encomijs euehit Paulum, ad Euſtochium filiam
Epiſt. 27. poſt med. illius ſcribens, quod quaſi memoriter Scripturam ſacram teneret: vnde ad hanc tanquam ad ſacram anchoram currebat, cum laboribus, tentationibus, perſequutionibus, & infirmitatibus vrgebatur: quæ latè ille tradit,
Epiſt. 7. ad Lætam. & proſequitur in epiſtola ad Lætam de educatione filiæ, tradens quænam oporteat, vt filiam ſuam doceret, vanitates ſcilicet fugere, virtutes ſequi, &c. Pro gemmis, inquit, & ſericis, codices diuinos amet, in quibus non auri, & pellis babylonicæ vermiculata pictura, ſed ad fidem placeat emendata, & erudita diſtinctio: diſcat primò Pſalterium, his ſe Canticis auocet, & in Prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam, in Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt calcare: in Iob virtutis, & patientiæ exempla ſectetur: ad Euangelia tranſeat, nunquam ea poſitura de manibus: Apoſtolorum acta, & Epiſtolas, tota cordis imbibat voluntate: cumque pectoris ſui cellarium his opibus locupletauerit, mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum, & Regum & Paralipomenon libros: Eſdræ quoque, & Heſther volumina. Ad vltimum, ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, ne, ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis, ſpiritualium nuptiarum Epithalamium non intelligens, vulneretur: caueat omnia apo-
¶ 149. chripha, &c. Cypriani Opuſcula ſemper in manu teneat, Athanaſij Epiſtolas, & Hilarij libros inoffenſo de-
Epiſt. 8. ad Demetri. currat pede, &c. Ita Hieronymus, qui epiſtolam longam citatam, quam ad Demetriadem de virginitate ſeruanda ſcripſit, ita ferè concluſit: Finem iungo principio, nec ſemel monuiſſe contentus ſum: Ama ſanctas Scriptu-
Hom. 8. in Luc. cit. ras, & amabit te ſapientia, &c. Similiter, & Chryſoſtomus omnes hortatur, vt lectionibus Scripturæ ſacræ vacent, & docet, hoc magis neceſſarium eſſe ſecularibus, quam monachis cuius verba, quoniam grauiſſima ſunt, libet tranſcribere: Ne quis mihi dixerit: Ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero negotia, opificium exerceo, vxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero; mundanus homo ſum, non eſt meum legere Scripturas, ſed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt. Quid dicis homo? Non eſt tui negotij Scripturas euoluere, quoniam innumeris curis diſtraheris? Imo tuum magis eſt, quam illorum. Neq; enim illi perinde Scripturarum egêt præſidio, atq; in medijs negotiorum vndis iactati: nam monachi quidem à foro, forenſibus negotijs liberi, quiq; in deſerto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, ſed in illa quieta tranquillitate, cum omni ſecuritate philoſophantur, ac velut in portu: nos contra, velut in medio mari fluctuantes, innumeriſque peccatis obſtricti, ſemper opus habemus perpetuo, iugique Scripturarum ſolatio. Illi ſedent procul à conflictu, eoque nec multa vulnera accipiunt, tibi verò, qui perpetuò ſtas in acie, qui frequenter accipis plagas, idcirco magis opus eſt remedijs, vt quem vxor prouocat, & filius contriſtat, atque ad iram commouet, & inſidiatur hoſtis, & inuidet amicus, & vicinus inſectatur, paupertas eſt moleſta, & domeſticorum amiſſio luctum affert, & proſperitas inflat, & aduerſitas contrahit: breuiter, varia curarum, varia perturbationis, varia mœroris varia iactantiæ, varia timoris, tum occaſio, tum neceſſitas, vos vndique circumuallat, innumeraque ex omni parte tela volitant, vnde neceſſe eſt indeſinenter à Scripturis armaturam ſumere Agnoſce quod in medio laqueorum incedis, &c. Quemadmodum arma regalia repoſita, etiam ſi nemo fuerit, qui poſſideat, tamen ijs, qui habitant in ædibus, vbi repoſita ſunt, multam præbent cuſtodiam, ac tu tamen, dum neque latrones, neque parietum perfoſſores, neque alius quiſquam ſceleratorum audet eam ingredi domum: ſic vbicunque

q e fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio. Si enim quippiam ausi fuerimus eorum, quæ prohibita sunt, reuersi domum, conspectis libris acrius nos condemnat conscientia. Si in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores, firmioresque; nam simul atque tetigit aliquis Euangelium, mox compositæ suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit; id ex ipso solo aspectu. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter quam in sacris aditis rebus diuinis vacans, anima sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per ipsas Scripturas colloquente. Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione ¶ 150. multa nascitur sanctimonia. Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis inuenire, quod dicitur; accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, &c. Memento Eunuchi reginæ Æthiopum, qui cum esset homo barbarus, immensisque distentus sollicitudinibus, & negotijs, nec intelligebat, quæ legebat, legebat tamen in curru sedens. Quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita, qualis fuerit domi versans: si nihil intelligens legebat, nec destitit à lectione, multo minus postquam didicerat, &c. Magna aduersus peccatum munitio est Scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio, magna salutis perditio. Ea res vitam corruptam inuexit, nam fieri non potest, vt quis sine fructu discedat, qui assidua, attentaque Scripturarum lectione fruatur Ita Chrysostomus: qui hæc dicens, & demonstrat, quid de nostra inscitia, & negligētia circa lectionem Sacrorum librorum sentiret, deque diligenti nostra cura, qua prophanos libros legimus, ac relegimus. Tanta autem solicitudine sancti Patres ad Scripturarum studia omnes excitarunt, quod videns diabolus, iam non posse fideles

Act 8.

à talibus studijs reuocare, quippe cum videret etiam mechanicos artifices, & textorias mulieres sacris literis personare, curauit medicinam in venenum conuertere, inducens vnūquemque, vt pro suo captu Scripturas sacras explicandas contenderet, ex quo innumeri errores orti sunt, adeo, vt oportuerit, quod Ecclesia sancta statueret, ne Scripturæ sacræ omnibus essent peruiæ, nec cōmuni, vulgarique sermone circumferrentur, nec paterent omnibus: curauit tamen, vt euangelicis prædicatoribus Ecclesia adeo abundaret, vt nunquam tanta eorum copia extiterit, qui Scripturam sacram varijs modis proponerent, & exponerent, vt ex eorum ore vtilius quisque fidelis addiscere possit, quod in Scriptura sacra continetur, quam ex propria cuiusuis hominis vulgaris lectione. Vnde hoc fidelibus vtilissimum est, diuini verbi prædicatores audire, eorum doctrinam pectori recondere, & facere quod CHRISTVS dixit: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,* Custodire dicuntur verbum Dei, non tantum, qui illud opere complent, sed qui in mentis scrinio illud conseruant, extracturi tempore necessitatis, cum scilicet quis diaboli impugnatione impetitur, metaphora sumpta ab eo, qui arma in peculiari loco reponit, & reposita seruat. Vnde optime Beatus Gregorius Nyssenus, de Paulo, alijsque sanctis prædicatoribus explicat illa Sponsi verba, Sponsam alloquentis: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Beatus quidem Gregorius Magnus, de sacra Scriptura intelligit, quæ propter eius eminentiam, turri comparatur, quæ continet vniuersi generis arma, contra spirituales hostes, quibus se possunt omnes fideles munire: quam Origenes comparat officinæ, omnibus medicamentorum, & remediorum, seu præsidiorum generibus referta: quod, & similiter tradit Chrysostomus *a*, & Diuus Basilius *b*, quæ, & congruunt ijs, quæ supra diximus, expendentes illud Apostoli de

Luc. 11. 28.

Hom. 7. *in Cant.*

Cant. 4. 4.

Hom. 15. *in Ezech.*

In Psal. 23. ¶ 151.

a *Hom.* 43. *in Genes.*

b *Epi.* 1. *ad Gregor. Theolog.*

sacra

sacra Scriptura, quod per eam instituitur homo Dei ad omne opus bonum. Aut verò elegantissima fit allusio ad Psalmos 119 & 120. si Hilarij expositionem audiamus. Psalmus 119. est primus Cantici graduum, vbi Propheta hominem depingit, patientem sæuam inimicorum impugnationem, & coactus fuit propterea ad Deum clamare, & ab illo petere fauorem, dicens: *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Sed quodnam remedium sufficiens erit, quod oppositum linguæ dolosæ eam confodiat, & mutam reddat? *Sagittæ*, inquit, *potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs*. Solæ Domini potentes sunt, & acutæ sagittæ, inquit Hilarius, quæ linguam dolosam valeant configere, habentes in se virtutem perimendæ fraudulentiæ, atque vastandæ, de quibus in septimo Psalmo ait: *Sagittas suas ardentibus operatus est*, (ita legit quod Vulgata, *Sagittas suas ardentibus effecit*) quæ sibi vtraque conueniunt, Dei enim verbum omnem nequitiam configit, & omnem sensum petulantiæ conuulnerat, & ipsum illum vehementissimum mortis aculeum compungit, &c. Ita ille, quem sensum etiam sequutus visus est Beatus Augustinus, vt verè verbum Dei, sagitta sit acuta, qua configimus aduersarij linguam. Sed vbi sagittas has inueniemus? quisnam arma hæc suppeditabit? Certè Scriptura sacra, in qua Dei continentur verba. Vnde statim homo ad has sagittas hauriendas, quasi seipsum conuertens, inquit: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*. Mentis oculos, inquit Hilarius, Propheta eleuauit in montes: quosnam montes? Non vtique in hos lucis, atque aris prophanatos, & conuentibus impios, neque in illos syluis horridos, saxis nudos, præruptis inuios, niuibus concretos? quid enim in ijs admirationis, aut spei situm est? Sed montes accepimus Prophecicos libros, ex terra in altum elatos, per quos sit in superiora conscensus, &c. Ita ille. Montes itaque sunt scripturæ sacræ libri, propter doctrinæ altitudinem eminent cæteris omnibus libris, sicut collum omnibus membris altius est. Quod ergo Sponsus vocat collum, quod simile dicit turri excelsæ, ex qua deducuntur omnes armaturæ fortium, Dauid vocauerat montes: vnde auxilium prouenire sperabat, ex Scripturis scilicet sanctis: inde auxilium homo extrahet, inde sagittas hauriet, quibus inimici impetum transfigat, cui quamcunque rem opponenti, respondere possit: *Scriptum est*: ita enim Christus respondit, vt nos doceat iuxta Chrysostomum, similiter tentatoris machinas eludere, eius linguam dolosam confodere.

Psal. 119.

Psal. 119.

Psal. 119. 14.

Ibid.

Psal. 120.

Ibidem.

Hom. 13. in Matt.

§. 40. *Aptè Christus respondet, diuini verbi potentiam inducens, cuius virtute potest homo sine pane, imò, & per ipsummet ieiunium sustentari.*

NOn in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Egregiè expendit Ambrosius, omnes tentatoris conatus Christum vnico verbo mirificè eneruasse. Ille quidem sic tentat, vt exploret; sic explorat, vt tentet. Tentationem namque proposuit ad vtramque partem: aut iste est verus Filius Dei, aut purus homo. Si filius Dei est, illum manifestè per miraculum, quod peto, cognoscam: sin autem purus homo, eum ad gulam excitabo. E contra Dominus (inquit Ambrosius) sic fallit, vt vincat; sic adhuc vincit, vt fallat: sic enim seipsum dissimulat, vt non confiteatur aliquid de sua diuinitate; sic se hominem confitetur, vt nullo modo ad cibum præter Dei voluntatem quærendum, se exhibeat incitatum. Mediè ergo respondit, (inquit Ambrosius) qui suam professus humanitatem, suam diuinitatem dissimulauit. Excæcauit propterea magis eum, inquit S. Irenæus, hominis confessione, qui de filiatione diuina, quam ille inquirebat, nihil re-

¶ 125. *Lib. 4. in Luc.*

Lib. 5. cont. hæres. 21.

ſpondit, & eum, vt Chryſoſtomus obſeruat, in maiorem ſuſpẽſionem, quam antea tenebatur, induxit, nihil enim de ſeipſo confitetur, aut negat, imò nec de ſeipſo in particulari reſpondet: ſed ſententiam profert omnibus hominibus conuenientem. Nec dixit, inquit Chryſoſtomus: Poſſum facere, & nolo: ne ſe oſtenderet Filium Dei, nec dixit: Non poſſum, ne mendacem ſe exhiberet. Non dixit: Non in ſolo pane viuo, vt non videatur de ſe peculiariter dixiſſe, ſed mediè: *Non in ſolo pane viuit homo*. Quid aliud poterat reſpõdere, & Filius Dei abſcondens ſe, ne oſtendatur quod poteſt; & homo aſtutus excuſans ſe, vt non oſtendatur, quod non poteſt. Certum eſt autem ſententiam illam ſcriptam fuiſſe in Deuteronomio, quam ad præſens inſtitutum ita accõmodauit Chriſtus, vt manifeſtè demonſtret, quam ſit ad bella doctiſſimus, & quomodo gladium diuini verbi mirifice applicans, & vibrans, omnem frangat impetum tentatori. In Deuteronomio refert Moyſes, aut potius Deus, quanam de cauſa Iſraelitarũ populum ſuſtentauit cibo illo admirando è cœlo delapſo. Egreſſus fuerat populus de Ægypto, traiectoque mari rubro, poſt mirifica prodigia, ductu columnæ lucentis per noctem, & operientis ab æſtu Solis per diem, venerunt in vaſtã ſolitudinem; in qua, cum deficeret panis, nihilque niſi duros lapides conſpicerent, cœperunt conqueri, dicentes contra Moyſen, & Aaron: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate; cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem iſtam?* Tunc Deus admonens illos per Moyſen, vt optima exigerentur ſpe, de cœlo miſit manna, quo melius ſuſtentarentur, quam quocunque pane, aut cibo terreſtri: tamque abundanter ſubminiſtrauit, vt non per vnum diem, aut per menſem, vel annum, ſed quadraginta annis quouſque peruenerunt ad terram repromiſſam, omni fructuum genere redundantem. Hoc Deus in memoriam reducens, dicit ideo factum, vt omnes ſcirent, quod quantumcunque qui ſe inuenerit ſine pane, aut cibo, nec videat niſi duros lapides poterit Deus dare vnde ſuſtentetur. *Afflixit*, inquit, *te penuria, & dedit tibi cibum, manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Quaſi diceret: Ad hoc ordinauit Deus, vt ille tam grandis populus ſuprema affligeretur penuria, & adduceretur in horridam ſolitudinem, in qua nec oculis videre, nec mente aliquid poſſet repræſentare, quod famem ſatiaret, vt omnes homines doceret, non deponere ſpem, nec retrocedere ab eius obſequio, qui ſine pane, & vbi nihil ſuſtentationi congruũ apparet, abundantiſſimè præſtare poteſt, quicquid ad vitã ſeruandã fuerit neceſſarium. Certè violenta tentatio eſt, qua diabolus aliquem excitat, vt à bono opere ceſſet; & ab itinere virtutis arrepto, ſe ad priorem ſtatum reuocet, repræſentans famem, quam ſuſtinet, dum ſe tradidit Dei ſeruitio, & propterea ſuadet, vt in Ægyptum reuertatur, vbi panes abundanter ſupererant. Diximus ſupra ex ſanctorum Patrum doctrina, dæmonem noſtrifmet affectibus vti, vt nos impugnet: & quo affectus vehementior fuerit, validiorem inde tentationem extruere. Inter omnes autem affectus, validior, violentior, ac potentior eſt appetitus cibi, & potus, quippe cum non ſolum ad neceſſaria excitet, ſed quod nihil magis ſit intolerabile, quam vitam per famem, aut ſitim abſumi. Quod egregriè ponderat Baſilius. Humanarum, inquit, calamitatũ, fames eſt caput, cuiuſuis genere mortis duriorem afferens finem: in alijs namque periculis, vel enſis cuſpide cito peribis, vel ignis impetus breuiter vitam extinguit, aut ferarum dentibus membra ſtatim diſcerpta intereunt, quæ quidem dolorem morienti minimè protrahunt: at fames diuturnius malum, ocius torquet, lentius tabefacit, ſenſim occidit. Quid fames non cogit? Naturæ leges ſæpè peruertere, ac tranſgredi mul-

tis

Hom. 5. in imperfe.

Deut. 8. 3.

cap. 8.

Exod. 16. 3.

¶ 153.

Hom 8. in diuit. & aum.

tis suadet, & hominum corporibus, vel propinquorum vesci: matrem, quem peperit natum, impulit in ventrem male recondere, quam tragœdiam Iudaica commemorat historia, à Iosepho graui authore conscripta, quando Hierosolymitanos duræ pœnæ, & iustæ apprehenderunt, &c. Ita Basilius, satis conformiter ad id, quod in lamentationibus suis dixit Ieremias: *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame*. Egregio epitheto Poetarum princeps vsus est: Et metus, inquit, & malesuada fames, & turpis egestas. Nullum appositum, aut epitheton aptius poterat fami applicare, quam quod sit malesuada, id est, quod suadeat mala, sicut, & egestas. turpia. Quid enim suadet pauperi furtum, mulieri luxum, & innumera facinora hominibus, nisi fames, quam fugiunt omnes per saxa per ignes? Expendit Diuus Cyrillus angustias illas, ad quas redactus fuit Abraham propter famem, qui descendit in Ægyptum, vbi ingens periculum incurrit cum voluit Rex Agypti eius vxorem auferre, vbi quanta mala fames suadeat prosequitur. Tam potens est illa ad suadenda mala, & remittenda bona, vt dixerit Beatus Petrus Chrysologus, quod ex ea dæmon sumpsit occasionem, vt Christum à ieiunio, & vitæ asperitate reuocare contenderet: Amputare, inquit, voluit ieiunium diabolus, non parare cibum. Quoniam ergo tentatio hæc grauissima est, & admodum violenta, voluit Deus sufficientissimum antidotum ministrare, vt illam vinceremus. Qui propterea sæpissimè seruos suos in summo quasi discrimine constitutos, vbi nullatenus panis aderat, pauit, & sustentauit, vt palam faceret, quod potest vnumquemque sine pane sustentare, quomodocúque illi placuerit. Ita sustentauit Moysen in vertice montis quadraginta diebus similiter, & Eliam: Henoch vsque in hodiernum seruat in loco, quem ipse scit: innumerum Israelitarum populum in teterrima solitudine agentem, vbi nihil nisi lapides, & feræ reperiebantur, abundantissimè aluit ex cibo, quem illi nullatenus poterunt cogitare aut vero desiderare: *Vt scires*, inquit, *quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Semper voluit Deus suadere, quod ad sustentandos suos, non eget cibis, aut rebus, quas communiter necessarias censemus. Expendit Chrysostomus pulchritudinem Solis, de quo illud intelligit: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultauit vt gigas, &c. nec est qui se abscondat à calore eius, &c.* Pulcher est, egressusque eius lætificat mundum, sicut egressus sponsi pretiosis monilibus ornati; procedentis de thalamo suo: velocissimus item est cursor, tamquam gigas, qui in instanti ab oriente, vsque in occidentem claritatis suæ radios diffundit; in vno temporis momento per totum orbem sua luce discurrit, & à finibus in fines radios suos mittit. Est insuper supremæ actiuitatis, qui ita omnia penetrat, vt nihil sit, quod virtutis illius participationem effugiat: *Non est qui se abscondat à calore eius*: intima terræ penetrat, & abditiora maris profunda illius operatio pertingit, nullaque res, quæ eius non indigeat. Quærit propterea Chrysostomus: si hoc ita se habet, cur non in mundi exordio eum creauit Deus, quem die quarta factum fuisse Scriptura sacra perhibet; & docet ante Solis productionem, lucem fuisse creatam, & quod iam non semel, sed iterum, atque iterum factum fuerit vespere, & mane, prima, secunda, & tertia die; & quod ante illam diem, in qua Sol creatus est, iam ad Dei præceptum terra germinauerat herbas, & fructus, & aquæ produxerant pisces, & aues erant in aere. Aptè tamen diuina Scriptura præuidens homines ad errorem, & desperationem propensos, inquit Chrysostomus, docet nos post tertiam diem Solem conditum, postquam terra omnigena semina protulit, & secum accepit ornatum, vt nihil posthac dicere liceat, quod sine Solis cooperatione non matureſcant fruges, & prouentus terræ: & idcirco monstrat tibi antequam Sol formaretur, omnia fuisse impleta, vt prouentuum fructus nō Soli adscribas, sed omnium opifici Deo, qui solo

Tren 4. 9. *Virgil 6. Aeneid.*

Libr. 1. de adorat. *Gen. 12.*

Serm. 11.

¶ 154.

Homi. 6. in Genes. *Psal. 18. 6.*

verbo suo produxit fructus, lucem, diem, vesperè, & manè, qui sine Sole potest hæc omnia ipse modo, quo voluerit, producere. Iuxta idem institutum obseruat illa verba, quæ post omnium retum creationem subnectit Spiritus sanctus: *Iste sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus cælum, & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnēque herbam regionis priusquā germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, &c.* Grandis thesaurus (inquit Chrysostomus) in paucis istis verbis reconditus est. Hoc vult dicere, quod sermone, & præcepto illius, quæ prius non erant, vt essent prouenerunt; & quæ non erant, subito comparuerunt. Et dicens: *Herbam*, omnia semina dicit, sine pluuijs, sine manus humanæ, aut creatæ operatione, sine germine præexistente, absque eo, quod aliquid appareret, aut esset: quasi posteris omnibus dicat: Audite hæc, & discite, quomodo ab initio omnes terræ prouentus sint producti, & ne terram colentium diligentiæ omnia tribuit, neque eis hanc germinandi vim, sed verbo, & mandato, quod à creatore suo audiuit: vt intelligas, quod sola illius virtute, etiamsi nihil panis appareat, potest hominem sustentare. Egregiè autem respondio hæc CHRISTI Domini satisfacit tentatiuni inimici. Dixerat ille: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Dic, inquit, solius verbi tui imperio vtere, Dei enim verbum efficax est ad ea omnia agenda, quæ voluerit ipse. Hoc quidem fatetur CHRISTVS quod Deus solo verbo suo potest quicquid voluerit agere: ex quo infert, quod propterea non oportet esse solicitum illum, qui Dei seruitio intendit, quantumcunque panis desit, quem Deus ipse sine pane potest in vita seruare, solius verbi sui virtute. Panis sanè virtutem habet sustentandi, quia Deus hāc illi verbo suo indidit: idcirco eiusdem verbi virtute potest à pane auferre sustentandi vim, & dare ei, quod sibi bene visum fuerit. Quod vt ostenderet, aliquando à pane talem abstulit facultatem, vt quando quosdam nimis comestioni intentos punit, dicens: *Comedistis & non estis satiati bibistis, & non estis inebriati*: & aufert Deus aliquando, vt dixit Isaias; *Robur panis*: & hanc virtutem tribuit, vel aeri ipsi, imo, & ieiunio, quo fit, vt sæpè saturior sit sanctus ieiunans, quam mundanus comedens *Omnia enim portat, & sustentat Deus verbo virtutis suæ.* Et sæpè per ieiunium ipsum, visus est egregiè Sanctos suos sustentasse, vt expendunt sanctus Athanasius *a*, & Tertullianus *b*, ex illorum sanctorum iuuenum historia, quam Daniel recenset. Ducti fuerunt in captiuitatem filij Israel, ex quibus electi sunt, qui in palatio Regis starent, Daniel eiusque socij, iuuenes sancti, quibus *Constituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino. Vnde ipse bibebat vt enutriti tribus annis, possent stare ante conspectum Regis.* Sed proposuit Daniel eiusque socij abstinentiam seruare Vnde Principem Eunuchorum rogauit ne tales cibos tam validos ei ministraret: & timente Principe Eunuchorum, quod macilentiores alijs redderentur, dixit Daniel: *Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo Regio, &c.* Mirum certè videtur Beato Hieronymo, quomodo Daniel decem dierum spacium præfixerit ad experiendum, quod proponebat. Reprehensus namque est Ozias Princeps Betuliæ à sancta Iudith, quod quinque dies præfiniisset, post quos si non superesset subsidium, se traderent Assyrijs: *Et qui estis vos*, inquit, *qui tentatis Dominum? Non est sermo iste, qui misericordiam prouocet, sed potius: qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei?* Daniel nihilominus, inquit Hieronymus, non temeritate, vel imprudentia, decem dierum terminum statuit, sed fidei magnitudine, fiduciaque diuini auxilij firmissima, certo credens, quod Deus miraculo manifesto apud gentes illas, & nationes barba-

Hom. 12. in Genes.

Gen. 2. 4.

¶ 155.

Aggai. 2. 6:

Isa. 3. 1.

ad Heb. 1. 3.

a Libr. de virgint.

b Libr. de ieiun.

Dan. 1. 5.

Dani 1 12.

In cap. 1. Dan.

Iud. 8. 11.

gis declararet, quam sibi esset grata legis suæ obseruantia, & abstinentiæ cultus, vt verè per ieiunium magis sustentaret Deus Danielem, & socios eius, quam alij sustentarentur per cibos Regios. Vnde, & id factũ est, quod *post decem dies apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo Regio* Hoc enim diuini verbi virtus operatur, & efficit, inquiunt Athanasius, & Tertullianus, quod aliquando crudis leguminibus, firmiores, fortiores, pulchriores, & corpulentiores aliqui euadunt, quàm qui voluptuosissimis vescuntur dapibus. Ionam in ventre ceti non solum carentem cibo, sed ipse quasi cibus piscis factus, & deuoratus, tribus diebus valide sustentauit. Mariam illam sanctam Egyptiacam, decem, & septem annorum spatio, tribus panibus aluit, quos nec tam longo tempore assumpsit. Illa itidem Maria, admirabilis eremi cultrix, ad cuius speluncæ os, accedentes discipuli Beati Quiriaci Anachoretæ, vt in eisdem Quiriaci vita refert Metaphrastes, vox intrinsecus ex spelunca resonuit dicens: Quid ex me vultis? sum etenim fœmina. Instantibus autem eis, vt seipsam proderet: Nomen, inquit, mihi est Maria: cum autem essem psalteria, scio me plurimis præbuisse causam offensionis: Deum itaque rogaui, vt ipsa liberaret à laqueis diaboli. Aliquando autem corde contrita, & in anima diuino igne accẽsa, descendi ad sanctum Siloe, & cum vas aquæ implessem, quod apud me adhuc manet, lupinis in sporta acceptis huc accessi. Nihil autem horum est diminutum, vsque in hodiernum diem, neque ab illo tempore vidi hominem, nec vllum sum allocuta, &c. Septẽ dormientes per trecentos ferè annos, eo ipso aere, quem respirabant, Deus sustentauit: & huiusmodi innumera in sanctorum historijs legimus. Hoc Deus illa sententia: *Non in solo pane viuit homo*, qua Christus tentatorem repulit, ex quo repulit (inquit Augustinus) docuit & pugnare militem, qui propterea, inquit Chrysostomus, nunc testimonium de veteri protulit testamento, vt nos doceret similiter sẽtire, & dicere, cum famem patientes, & necessitate agitati excitamur à dæmone, ad aliquid iuxta illius voluntatem faciendum: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Certum est enim, quod qui tam facile potest quoscunque sustentare: *Non interficiet fame animam iusti*: qui vt hoc intelligeremus, non solum scriptam, sed à se factam, ordinatam, & constitutam dixit Deus totam illam historiam filiorum Israel, vt omnis homo addisceret, necessitate premente, & tentatore vrgente, oculos conuertere ad Dei potentiam & dicere cum Dauid: *Non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Literaturam vocat rationes, discursus quibus sæpè mens humana discurrit, & turbatur, proponens difficile esse permanere in Dei obsequio, cum non nisi lapides remanere videntur; cum vrget fames, premit egestas: tunc enim oculi sunt ad diuinam potentiam considerandam eleuandi, & memoria recolere debet homo diuinam iustitiam; si enim inter homines nullus adeo est à bonitate alienus, qui dimittat, vt fame moriatur ille, qui se totum illius mancipauit obsequio, præsertim cum facillimè, & sine dispendio potest alere, sustentare, & à periculis liberare; quanto æquius, & iustius est, hoc ipsum de Deo optimo maximo æstimare; qui ita iustos curat, vt dixerit Dauid:

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, & semen eius quærens panem &c.

(·.·)

¶ 156. *Loc. citat.*

Ion. 2.

Apud Surium 29. Septemb.

Tract. 2. in 1. can. Ioan. ad finem.

Hom. 3. in Matth.

Prou. 10. 3.

Psa 70. 15.

Psal 36. 25

§. 41. *Diabolus exactor est pro carne, cuius vox exaudienda non est.*

¶ 157. *Li. de vera reli. c. 38.*

VErbis istis: *Non in solo pane, &c.* ille vnus, & solus magister, inquit Augustinus, ita domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, vt nec fami cedendum sit, quod, & similiter Chrysostomus obseruauit. Commune, & vsitatum est dæmoni, per effectus carnis ad illicita pertrahere, & à bonis reuocare, vt dictum est, Egregiè S. Iob mortuorum statum extollit, & laudat, qui in sepulchro positi: *Ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vincti pariter sine molestia, non exaudierunt vocem exactoris.* Quæ verba facilem habent intellectum, si tantum secùndum corticem considerentur. Mors enim in primis à Philosophis dicitur terminus, & meta laborum, & periculorum, vnde quiescere dicuntur homines, cum moriuntur, & qui cum viuerent, vincti erant, vitamque in captiuitate agebant, amaritudine plenam, in sepulchro, iam tali molestia depositi quiescunt, in quo non conturbantur voce exactorum. Exactor communiter dicitur minister iustitiæ, qui ab homine rigidè, & molestè exigit, quod alteri debet, quomodo præfecti operum in Ægypto dicebantur, *Exactores*, qui durè, & asperè exigebãt ab Israelitis illum laterum numerum, quem secundum Pharaonis statutum tenebantur quolibet die persoluere. Huius exactoris vox, illum, qui in sepulchro est, iam non molestat, nec arctat. Sed altiorem Philosophiam in his verbis Sanctus Gregorius, ac cæteri Sãcti Patres contemplantur. Mortui namque sunt, & ad mortuorum numerum transferuntur, qui baptizantur, dicente Paulo: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, consepulti ei per baptismum in mortem*, de quo supra dictum est. Similiter, & qui per veram pœnitentiam priori vitæ, & peccato moriuntur, & Dei obsequio se tradunt, quibus dicit Paulus: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Horum mortuorum statum videtur S. Iob considerasse, isti namque verè quiescunt. Quis enim nesciat, laboriosam vitam solummodo illam esse, quam quis in peccato agit *a*? *Tribulatio enim, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum: b, Non est pax impij*: quorum *c, cor* est, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest*, Vnde verè Christus Dominus peccatores vocat *d, qui laboratis, & onerati estis.* Mirum certè est, dum homo peccato viuit, quantas ab eo patiatur molestias, quot desiderijs carnalem suammet angit concupiscentiã? quot timoribus, & periculis illum premit? ad quos sumptus, & curas eum obligat? Quantas patitur iracundias, & vltor afflictiones à sua passione? in quos eum conijcit labores? Quot quantisper inutilibus, & nociuis desiderijs auaritia torquet auarum, ad quos labores eum adigit? Ambitio similiter, quam duram imponit seruitutem. Cum autem quis peccato moritur, tunc quiescit, & suaui quiete eius animus reficitur, & gaudet: *Gloria enim, & pax omni operanti bonum*, inquit Apostolus, cuius frequens est illa vox, qua gratiam cum pace coniungit, dicens: *Gratia vobis, & pax*, quia vbicunque fuerit gratia Spiritus sancti, ibi vera pax, & quies reperitur. Ibi ergo quieuerunt fessi robore, quomodo quieuit peccatrix ad pedes Christi, & Paulus ad pedes Gamalielis, &c. Ibique cum quondam vincti essent, iam excusso seruitutis iugo, sine molestia quiescunt, non minus, quam Israelitæ, liberati à dura seruitute Pharaonis, in qua ærumnis, & molestijs affligebantur innumeris. Fœlices qui tali morte mortui sunt, per quam tam durum iugum asperasque molestias excusserunt. Hi similiter: *Vocem exactoris non exaudiunt.* Exactoris nomine Beatus Gregorius diabolum intelligit, qui quæ carni, & mundo à nobis debita videntur, ingenti molestia exigit, & ita instar vocibus extorquere volens quod petit, vt nunquam aliquis minister iustitiæ, ita quæ debita sunt suo principali tam durè exegerit. Quẽ propterea Christus Dominus (vt ait Beatus Gregorius) *Exactorem* vocat:

Hom. 13. in Matth.

Iob 3. 17.

Exod. 5. 6.

4. Moral. cap. 41.

Rom. 6. 3.

ad Col. 3. 3

a *Rom. 2. 9.*
b *Isai. 49. 22. & c. 57 21.*
c *Isai. 57. 10.*
d *Matt. 11. 28.*

Rom. 2. 10. ¶ 158.

Rom. 1. 7. & sæpè.

Lib. 4. Moral. c. 41. cit.

Luc. 12. 58

quasi

quasi enim carnis, & mundi procurator, inflat, vt ea præstemus, quæ carni, & mundo præstanda videntur. Famem carnis repræsentat, sicut exactor necessitatem, & inopiã sui principalis, quod ad relinquenda ieiunia, & quærendos cibos instigat, mundi nomine à nobis exigit, vt honori nostro consulẽtes, nõ relinquamus iniurias inultas, &c. Mirũ est, quàm durè, ac rigidè pro carne exigat, repræsentans, quod nisi ei succurras, deficiet caput, soluentur vires, nec poterimus officij nostri obligationibus satisfacere, quod si lõgum teneas ieiunium, oportebit te opera necessaria remittere, &c. Similiter rigidè exigit pro mundo, petens, vt non patiaris honorem tuum minui, sine quo nullius efficacitatis eris in Republica, quod sumptus facias ad fernandum, & augendum honorem, &c. Quasi itaque procurator carnis exigit acerbè, & molestè, quæ carni videntur congruere, somnũ, cibum, potum, delitias, voluptates, &c. Huius ergo exactoris vox est (inquit Gregorius) tentatio miseræ suggestionis, quam audimus, cum eius tentationem pulsamur, sed non exaudimus, si pulsanti resistimus, audit enim, qui tentationem sentit, exaudit verò, qui tentationi consentit. Dicitur itaque de iustis: *Nonne exaudierunt vocem exactoris*, quoniam suggestionem eius, etsi audiunt, quia tentantur, non exaudiunt, quia ei consentire contemnunt. Christus Dominus vocem exactoris audiuit, sed nequaquam exaudiuit, docens nos similiter agere, & qui non obstante tam valida fame, qua caro eius vrgebatur, nequaquam acquieuit tentanti, docuit nos, non ei acquiescere, quamuis aliqua vrgeamur fame, & premamur egestate, nondum enim quadraginta diebus sine cibo egimus.

§. 42. *Per verbum procedens de ore Dei quidam Sancti Patres Christum intelligunt, qui seipso, sine pane viuificaturus erat hominem.*

¶ 159. LIbet propter reuerentiam Beati Ambrosij, & aliorum Sanctorum Patrum, breuiter aliam explicationem horum verborum: *Non in solo pane, &c.* *Serm. 35.* subnectere. Ambrosius namque illum sensum tenet, ad quem aliqui Sancti Patres alludere videntur, quod Christus Dominus locum induxit, in quo Scriptura sacra de ipsomet Christo loqui videtur, qui dici potest; *Omne verbum quod procedit de ore Dei*: quia nihil penitus Deus loquitur, nisi per hoc Verbum, & quicquid dicit per hoc Verbum dicit: quod tantæ est virtutis, *vt omnia* *Ioan. 1. 3.* *per illud facta sint, sine quo factum est nihil.* Idem est ergo, iuxta Ambrosij sententiam, ac si dicat, non est solus panis, quo homo sustentatur in vita, quam præcipuè potest sustentare verbũ Dei, per quod omnia subsistunt, & sunt. Si autem Verbum Dei tanta virtute præstat, vt ipsummet per se solum possit alia sustentare sine pane, aut alio cibo, multò magis ipsummet Dei Verbum sine pane poterit sustentari. Quod aũt verius verbum Dei hominem sustẽtet, quàm panis, dictum credit Ambrosius, propter Sacramẽtũ Eucharistiæ à Christo instituendũ, in quo ipsum Dei Verbum efficiendum erat cibus, de quo ille postea dixit: *Caro mea verè est cibus: qui* *Ioan. 6. 56.* *mãducat hunc panem, viuet in æternum.* Si igitur Verbum Dei tãtam habet virtutem, vt factum panis, sine alio pane sustentet hominem, verius, ac melius ipsum poterit sine pane sustentari. Voluit itaque dicere, quod ipse non egeret pane ad sui sustentationem, quippe cùm potius ipse esset, qui omnium vitas, & esse sustentat. Ita etiam sensisse visus est Augustinus: Audi, inquit, Dominum: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, &c.* *In Psal. 90* Putasne verbum Dei non sit panis? Si non esset panis, non diceret Verbum Dei, per quod facta

Serm. 13. facta sunt omnia: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Similiter, & Diuus Petrus Chrysologus: Videamus, inquit, quid responderit de pane, panis qui de cœlo descendit: *Non in solo pane viuit homo sed in omni verbo.* Quam verè viuit in verbo Dei, Dei Verbum? quam verè panis non indiget pane. Ita ille. Aptèque inducit Christus locum ex Deuteronomio citatum, in quo quãuis de manna, filijs Israel dato, sermo sit, quoniam tamen illud expressa erat figura illius supremi cibi, quem Christus daturus erat, vo'uit iam tunc per illud manna mentes hominum disponere ad illum cibum, quem manna ipsum

Deut. 8. 3. præfigurabat. *Dedit*, inquit, *tibi Deus manna ad manducandum, cibum, quem ignorabas vt scires, quoniam non in solo pane viuit homo sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Id est, vt intelligeres, & mentem ex his, quæ oculis vidisti, ad altiora eleuares, quod qui nunc verbi sui virtute dedit tibi cibum admirandum, quem ignorabas, ad sustentandam vitam corporis, sine pane aliquando daturus est tibi cibum, ipsummet omne Verbum Dei integrum, & substantiale, ad sustentandam vitam animæ, quæ verè, & propriè vita dici po

¶ 160. test, & debet. Nunc datum est tibi Verbum Dei, non in substantia, sed in effectu, & figura, scilicet in manna, tunc dabitur ipsummet Verbum Dei, cuius manducatione homo viuat in æternũ. Et fortè non inepte, iuxta hunc sensum

Sap. 16. 20 intelligere possumus illud: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratũ panem de cœlo præstitisti illis: substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Quidam legunt: *substantiam tuam, & dulcedinem ostendebas.* Ita Beatus Fulgentius, etsi ita

Respons. cõtra Arriã. legamus, egregiè mysterium Eucharistiæ exprimunt: per manna enim ostendebat substantiam suam, id est, Eucharistiæ mysterium, eo modo, quo substãtia per accidentia demonstratur. Accidens erat manna tantum continens Dei verbum in figura, at Eucharistia illud continet in substantia. Lectio tamen emendatior est, *Substantia tua.* Nomine substantiæ, ipsum manna escam illam Angelorum, panem illum de cœlo intelligi, vt volunt permulti authores, Hugo, Cantacuzenus, Iansenius, Vatabalus, quem substantiam dici, quia vnũ cum esset, in se omnem saporem continebat, sed talis substantia, aut cibus substantialis ad nutriendum corpus datus est, vt per illum ostenderet dulcedinẽ, quam filijs suis reseruabat, & daturus erat. Quamuis verum sit fatisque cõmune, Israelitas vocari sæpè Dei filios, sed propriè verè vocati sunt serui, quia populus ille statum seruorum habuit, qui *acceperat spiritum seruitutis in timore*, vt dixit Paulus, sicut populum Christianorum statum habet filiorum, qui *receperunt spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater.* Esca ergo illa exhibita seruis, ostendebat dulcedinẽ, quam erga filios Dei erat exhibiturus, si enim seruis talem præparauit escam, quæ panis dictus est Angelorum, & quasi manibus Angelorum videbatur subacta, quæ, & de cœlo descendere visa est, in quam omnem bonum saporem conclusit; quam escam daturus erat filijs, quos summo amore dilexit? Certè illam, qua nulla superior, validior, excellentiorque dari posset, vt non iam homo solo pane viueret secundum corpus, sed ipsomet Dei verbo, quod de ipso ore Dei procedit, viueret verius in anima: de qua verè diceret Christus: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui mãducat hunc panem viuet in æternum.* Et iterum: *Non Moyses dedit vobis panẽ de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Maiora ergo respondit Christus, quàm diabolus posset intelligere, quibus eum magis suspensum redderet, & rem grauissimã, quã Christus fa-

In cap. 10. Sapien.

Rom. 8. 31.

Ioan. 6. 50.

Ioan. 6. 32.

cturus erat, exprimere inciperet. De ijs tamen alio in loco.

§. 43. *Non*

§. 43. *Non omnes tentationes Christi in deserto fuerunt, nam verè inde ductus in Ierusalem, & inde in montem excelsum,*

¶ 161. *TVnc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Quidam authores, quos suppresso nomine refert Diuus Thomas existimãt, omnes tres tentationes, quas sacri Euãgelistæ referũt, factas fuisse in deserto: supponunt enim Christum ductum in desertum, vt tentaretur à diabolo, quasi desertum esset palæstra, & totius pugnæ stadium, in quo isti duo pugiles inter se decertarent, & certè si extra desertum tentandus erat, non oportebat in desertum duci, vt ibi tentaretur. Ita sensisse visus est Beatus Cyprianus, dicens, hunc motum, quo Christus assumptus dicitur in sanctam ciuitatem, & quo dicitur ductus in montem excelsum, nõ fuisse verum, & realem factum à dæmone, sed potius spiritualem, & imaginarium. A multis, inquit Cyprianus ambigitur, vtrum fuerit hæc translatio corporalis, & si de loco ad locum Christus se transferri permisit, eo modo quo Habacuc de Iudæa in Chaldæam translatus, & Philippus de Azoto in occursum Eunuchi, sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quod humeris eius Saluator insederit, & prouehiculo vsus fuerit, quem præcipitatorem sciebat, vel ei ferendum se commiserit, cuius insidias cognoscebat. Suo itaque spiritu credendus est ductus, & in desertum, & super templum, vt vtrobique eum diabolus assumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deserto prima tentatio fuit, sed cæteras eo modo circunduxit tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Saluatoris, quomodo Ezechiel, cum iuxta fluuium Chobar sederet, Ierosolymam raptus in spiritu, ciuitatem ædificat, metitur, & muros instaurat. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu, sciens quid antispiritus affectaret, & hosti se de vana gloria propalsaturo, oportunitatem parabat. Ita Cyprianus. Quibus verbis duo manifestè asserit, vnum est, Christum non realiter ductum à diabolo, nec in pinnaculum, nec in montem excelsum: alterum, quod ductus fuit in templum, & montem ab eo Spiritu, à quo in desertum fuerat ductus. Istam autem adductionem non fuisse realem, sed tantum imaginariam, aut secundum imaginationem, vel mentem, sub obscurè dicere videtur. Communis tamen sanctorum Patrum sententia est, verè secundum corpus Christum ductum in pinnaculum templi, & montem excelsum, & ab ipsomet dæmone fuisse deportatum: nam sacri Euangelistæ verba planissima sunt, & historica, & cùm verè possint secundum planum sensum accipi, non sunt in alio sensu detorquenda, alioquin nulla historica narratio secundum sensum, quem verba ipsa referunt, accipi deberet. Ita Hieronymus *a*, Chrysostomus *b*, Beda, *c*, Euthymius *d*, Diuus Thomas *e*, Gregorius *f*, de qua re Abulensis *g* longè lateque disputat. Quod si obijcias: Si extra desertum Christus duas tentationes sustinuit, cur dicitur ductus in desertum, vt ibi tentaretur à diabolo? Respondebo: Quoniam ibi cœpit diabolus Christum tentare, & ex ieiunio, quod in deserto vidit in Christo, accensus fuit summo desiderio explorãdi, an Christus verus esset Deus, quem fugeret, an purus homo, quem ad peccatum petraheret, vt supra dictum est. Quod sentiunt illi, quos suppresso nomine refert Diuus Thomas, omnes tentationes posse dici in deserto factas, quia Ierusalem etiam dicitur desertum, quoniam erat iam à Deo derelicta, & de ea dicturus erat Christus: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, nullam habet cum textu cohærentiam, tum quia in sensu historico facer Euangelista de Ierusalem agit, tũ quia verè eam vocat ciuitatem sanctã, quo nomine nõ vocasset, si propter peccata vellet deserti nomine eam describisse. Certum igitur sit, Christum verè ductum à Diabolo, tam in Sanctam ciuitatem, quàm in montem excelsum:

3. p. q. 41. ar. 2. ad 3.

Li. de ieiu. & tentat. Christi.

Daniel. 14. Act. 8.

Ezech. 1. & 40.

a *In cap 4. Matth.*
b *Hom 5. in imperfe.*
c *In cap. 4. Luc.*
d *In cap. 4. Matth.*
e *3. p. q. 41. cit.*
f *Hom. 16. in Euang.*
g *In cap. 4 Matt. q. 7.*

3. p. cit.

Matth. 23. 38.

§. 44. *Chri-*

§. 44. *Christum assumpsit, & duxit diabolus, sicut Angeli homines, vt transferant de loco ad locum, ad quod transfigurauit se in Angelum lucis.*

¶ 162. *Assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem.* Variè explicant Doctores, quomodo Christus ductus fuerit Ierosolymam. Quidam enim existimant, nullatenus esse dicēdum, quod diabolus rapuerit Christum, & transportauerit eum ducendo eum super se, aut virtute sua per aerea: reputāt enim indecens Christo, quod diabolus eum potuerit assumere, & ducere quò vellet, & quod ei se Christus crederet deducendum per aerea, cuius fallacias agnoscebat, & sciebat, quod in medio itinere poterat ab eo dimitti, & tunc si Christus virtute diuina se liberaret à dæmone, posset ab eodem cognosci, quod esset Deus. Ita philosophantur Cyprianus *a*, Chrysostomus *b*, Origenes *c*, & Anselmus *d*. Ductum igitur dicunt admonitione eo modo, quo vnus homo alium ducit, quo vult, ita quod vnusquisque eorum propria, virtute progreditur, & incedit, quomodo Christus duxit tres discipulos *e* in montem excelsum, vt se coram eis transfiguraret. Communior tamen sententia est, verè Christum assumptum fuisse, & acceptum à dæmone, cui permisit, vt se duceret quo vellet, sustentaretque suis ipsius dæmonis viribus, ac si purus esset homo. Ita Gregorius *f*. Hieronymus *g*, Chrysostomus *h*, Augustinus *i*: expenditque ad hoc institutum optimè Euthymius *k* verbum, quo vtitur Euangelista: Assumpsit, inquit, hoc est, assumendo duxit. Ecce, inquit Gregorius, cùm dicitur, Deus homo, vel in excelsum montem, vel in Sanctam ciuitatem assumptus à Diabolo, mens refugit credere, humanæ hoc aures audire expauescunt, cùm tamen non esse ista incredibilia cognoscimus, si in illo, & alia facta pensamus. Quid enim mirum, si permisit à dæmone in montem duci, & tentari, qui pertulit à membris illius duci in montem, & crucifigi? Quis nesciat, inquit, Eusebius Emissenus, Pilatum, & Iudæos, qui eum occiderunt, non solùm membra diaboli, sed eius quoque seruos fuisse? Et quidem maior nobis iniuria esse videtur, quam à seruis alicuius hominis patimur, quam si ab ipso eorum domino eam pateremur. Vnde non magis horrendum est quod Saluator noster à diabolo ducitur, quàm quod à Iudæis occiditur, & flagellatur, sicut enim Christus occiditur non sibi, sed nobis, sic nobis tentatus est, tum vt suo nos instruat exemplo ad vincendum tentatorem, tum vt illius vires eneruet, & victū exhibeat. Hanc rationem eleganter expenderat Beatus Epiphanius, docens se per eam Marcionitas quosdam reuicisse. Certū est enim, Christum ab hominibus ductum ad Crucem, & certum est, diabolū potentiorem esse hominibus, non igitur mirum est, quod permittat se duci ad templum à diabolo, qui postea permisit, se duci ad crucem ab hominibus iniquis ipsius ministris. Qua in re Chrysostomus non diaboli potentiam, sed Christi patientiam expendendam obseruat, quæ talis fuit, vt ab ipsomet dæmone duci se permitteret. Permisit postea se assumi in sacro Eucharistiæ sacramento à Iuda, quem diabolum ipse vocauit, & duci in illius corpore ad proditionem illam, ad quam illico impius processit. Permittit quotidie se à peccatoribus in sacra Eucharistia assumi, & duci ad ea loca, in quibus ingentia cōtra eum peccata committunt. Hæc illius patientia, nunc ad suæ bonitatis ostentionem, hæc illius patientia, tunc ad inimici nostri euersionem, cui patiēter indulsit, inquit Beatus Petrus Chrysologus, vt inimicus suomet laqueo teneretur, & caperetur inde, vnde capere se putabat. Permisit Deus arcam suam, in qua residebat, arripi, assumi, ac duci à Philistæis, & statui in templo Dagonis sui, sed vt tandem victoriam de eis reportaret, eis illuderet, timorem suum eisdem incuteret, & omnes

Hom. in hoc Euang.

Lib. 1. hæres. 42.

Hom. 5. imperfect.

Serm. 11.

1. *Reg. 6.*

a *Lib. de ieiun & ten.*
b *Hom. 5. in diuers. Matth.*
c *Hom. 31. in Lucam.*
d *In cap. 4. Matth.*
e *Matt. 17.*
f *Hom. 16. in Euang.*
g *In cap. 4. Matth.*
h *Hom. 5. in imperfe.*
i *Lib. qq. ad Dulcit. simpli. q. 3*
k *In cap. 4. Matth.*

nes illorum conatus reuinceret. Eſt
dæmon draco, cui Deus voluit illudere,
¶ 163. vt diximus ſupra, permittitque propterea illi, ad breue tempus agere, quæ vult, vt tandem illum vinctum retineat: ſicuti piſcator, qui illudere vult piſci, cui permittit, vt pleno ore eſcam arripiat, quo tãdem eundem hami virtute ſubijciat, & comprehenſum teneat. Permittit certè Deus, patiturque ſæpenumero, iuſtos, & ſanctos arripi ab impijs, & duci, quo volunt ij, abſque eò quod eis obſiſtat, vt materiam exhibeat iuſtis victoriæ, & excellentis coronæ. Ita permiſit Deus Herodi occidere Iacobum fratrem Ioannis gladio, & *vt apprehenderet Petrũ,*
Act 12. *& poneret eum in carcere vinctum catenis duabus*: & tyrannis permiſit, vt Apoſtolos ducerent ad Reges, & præſides: & alteri Herodi, vt faceret de Ioanne quicquid vellet: *Fecerunt e-*
Mat 17.12 *nim in eum quæcumque voluerunt*, certè vt Chryſoſtomus demonſtrat, quo
Hom 49. in Matth. fulgentiores victorias, coronaſque ille conſequi poſſet, de quibus alibi ſæpè. Quomodo autem diabolus
1.p.q.110. art.3. Chriſtum aſſumpſerit, & duxerit, fiet manifeſtum ex doctrina Diui Thomæ, quam omnis Theologia probat: quod Angelus poteſt naturali ſua virtute mouere omnia corpora localiter, à quocunque loco, in quemcumque locum. Habet quiuis Angelus virtutem limitatam, ideoque
Opuſc. 19. art. 5. non poteſt quiuis eorum mouere totam terræ molem, & ad orbem Lunæ eleuare, vt Diuus Thomas docuit:
De malo q. 16. art. 9. ad 2. & ar. 10. ad vlt. imò nec totum vnum elementum à loco ſuo in alium locum transferre, quo totus ordo vniuerſi ſolueretur, vt idem Diuus Thomas demonſtrat.
Ibidem. Dan. 15. Act. 8. Cæterum quoduis particulare corpus, poteſt quiuis Angelus in quemcumque locum transferre, etiam in ingentem montem, & grauiſſimum ſaxum, ſola applicatione ſuæ virtutis, vt Diuus Thomas declarat. Ita duxit Angelus Habacuc de Iudæa in Babylonem, & Philippum à loco, in quo erat cum Eunucho, in Azotum. Quoniam autem dæmones verè ſunt Angeli, nec naturalem virtutem, & potentiam per peccatum amiſerunt, ſimiliter poſſunt quæcunque corpora ab vno loco in alium ſubitò mouere, & trãsferre, niſi Deus hoc illis impediat. Ita Simonem magum in aera eleuabat diabolus: ita, & de Apollonio ferunt, quod cum eſſet in conſpectu Domitiani Imperatoris, repente ex oculis aſtantium exceſſit, & in loco diſtante ſe præſentem exhibuit, ſanè ſubitò à dæmone de loco in locum tranſportatus. Ita apud quoſdam ſanctos Patres, Magi Pharaonis, ſerpentes in omnium oculis exhibuerunt, quos inuiſibiliter dæmon ex alijs locis ſubitò illo aduexit. Ita, & verè mulieres maleficas ſæpè diabolus ad remotiſſimma transfert loca, ſubitoque in propria reducit: & hoc, inquit Abulenſis, verè inuentum eſt, & iudicialiter punitum: nec poteſt dici illud per ſomnium ſolummodo accidere, cum non ſolum ipſi, qui ducti ſunt, ſed etiam plures alij huius rei teſtes extiterint. De ijs multa in Malleo maleficarum. Et ſi his opponas
In cap 4. Matt. q 47 Concilij Ancyrani decretum; ita dicentis: Sceleratæ quædam mulieres dæ-
Refert. 26. q. 5. c. Epiſcopi. monum illuſionibus ſeductæ, nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum, credunt ſe equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa ſpatia terrarum tranſigere, quæ falſa opinione decepta hæc vera eſſe credunt, & credendo à fide deuiant, &c. & infidelis mens; hæc non in animo, ſed in corpore opinatur euenire, &c. Reſpondebo, ſine dubio decretum Concilij non eſſe reijciendum, vt quidam faciunt, ſub prætextu, quod illud Concilium fuit Prouinciale, nam hoc Concilium confirmatum fuit in Concilio Nicæno, ¶ 164. vt refert Hermæus Græcus, & in ſexta Synodo generali, & eius mentio fit in Concilio Florentino. Sed explicandum eſt decretum; prout ibidem ab Abulenſi explicatur, qui dicit, ibi non negari mulieres portari à dæmonibus ad diuerſa, diſtantiaque loca: ſed aſſeri, nullatenus eſſe credendum id, quod illæ aſſerebant, quod ambulabant cum Diana Dea Paganorum, & cum Herodiade, & cum diuerſis animalibus, & beſtijs du-

cebantur: nam hæreticum est credere, dari Dianam, quæ Dea sit, & vera animalia non erant, in quibus ipsæ se credebant equitare, hæc sunt quæ prohibentur credi, tamen credere, quod sæpè mulieres istæ ducantur de loco in locum, non prohibet credere Concilium, hoc enim verum est, experientiaque compertum. Et ex his explicat idem Augustinus quæstionem illam, quomodo anima Samuelis potuit Pythonissæ opere è limbo adduci, vt appareret Sauli. Verum quidem est, Augustinum dubium valde extitisse, an ille verus fuerit Samuel, an tantum eius spectrum à dæmone confictum. Quomodo enim fieri poterat, inquit ipse, vt arte magica attraheretur vir, & natiuitate Sanctus, & vitæ operibus iustus? Aut si non attractus est, consensit: quod vtrumque de viro iusto credere absurdum est. Si enim inuitus adductus est, nullum suffragium habet iustitia, si autem voluntarius, amisit meritum spirituale. Vnde alibi dicit, fuisse aliquod phantasma, & imaginariam illusionem, diaboli machinationibus factam, quam Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Vnde, & Pharao dictus est vidisse spicas, & boues, cum solum spicarum, & bouum imagines in somnijs conspexerit, &c. Diuus Thomas dicit, quod si authoritas libri Ecclesiastici recipiatur, dicendum est, quod verè Samuel apparuit Sauli. Ita enim in illo dicitur: *Dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ.* At certè illius libri authoritas, tam est Sancta, & irrefragabilis, sicut, & cæterorum librorum Scripturæ sacræ. Certum est igitur animam Sanctam Samuelis verè eò deductam fuisse. Dices: Quomodo ergo id factum est. Optimè Augustinus: Si hoc, inquit, mouet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare, nonne magis mirandū est, quod Satanas, ipsum Dominum assumpsit, & constituit super pinnaculum templi. Nisi fortè quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam, ad Deum viuum, vnde voluit assumendum, & vbi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum. Quod si illud ex Euangelio, nos ideò non perturbat, quia Dominus voluit, atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis, & diuinitatis id fieri, non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis, permissum fuisse, vt non inuitus, nec dominante, ac subiugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ, & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi aspectibus Regis, diuina eum sententia percussurus. Ita ille. Potest itaque dæmon res, quas voluerit, ad diuersa loca deportare. Homines autem etiam inuitos aliquando rapit, & transfert, Deo permittente, voluntarios verò sæpè, vt ibidem Abulensis demonstrat, iustos etiam, & Sanctos, quando id, quia expediens est, illi Deo permittente conceditur, vt de Samuele, & Christo Domino obseruauit Sanctus Augustinus. Diabolus igitur assumpsit Christum Dominum, consentientem quidem, & liberè permittentem, quem subitò per aera portauit Ierosolymam, & constituit supra pinaculum templi. Nec oportebat, inquit Abulensis, quod super scapulas, vel super humeros suos poneret ipsum: nam Angelus portauit Habacuc de Iudæa in Chaldæam, non super humeros, sed per capillum vnum capitis. Quod ita intelligendum est, quasi Angelus per manum illius corporis phantastici, quod assumpserat, solummodo videbatur vnum capillum tangere, & tenere, cæterùm verè totum corpus Propheræ inuisibiliter sustentabat, & ferebat: si enim solum vnum capillum teneret, pondere corporis capillus rūperetur, & caderet Habacuc, aut certè grauissimam pœnam sentiret. Itaque licet Angelus de corpore assumpto non applicare, aliquid ad ipsum Habacuc, nisi digitos ad vnum de capillis illius, tamen extēdebat virtutem suam inuisibilem, & illam applicabat toti moli corporis, & ita ab eo portabatur. Similiter igitur de dæmone dicendum est,

Ii 2. qq. ad Simpl. cit. & lib. 2. ad Dulci cit. q. 6. Li. qq. vet. & noui. test. q. 27.

Ii 2. qq. ad Simpli. q. 3.

Gen 41.

1. p. q. 89. art. 8. ad 2.

Eccl. 46. 23.

Ad Simpl. & Dulc. cit.

Locis citat.

In cap. 4. Matt. q. 35

Dan. 14.

¶ 165.

est, quod Christum assumpsit, aut tenendo eius manum, aut brachium, si diabolus in hominis figura, quam primò acceperat, permansit, & nihilominus applicando virtutem suam ad sustentandum, & ferendum totum Christi corpus. Vnde Chrysostomus obseruauit, dæmonem nunc deceptum verè fuisse, qui existimabat, se assumpsisse, & duxisse Christum inuitum, & quasi non potentem resistere eius virtuti, sicut nec Habacuc potuit resistere virtuti Angeli ducentis ipsum, cum tamen Dominus verè sponte assumi permiserit, ideoque, inquit Chrysostomus, non infirmitas, sed ipsius patientia fuit, quod à dæmone assumeretur, & duceretur. Vt hoc commodius intelligatur, supponendum est, quod indicat Beatus Hieronymus, finita prima tentatione, non amplius diabolum se merum hominem finxisse, & exhibuisse; has enim transportationes, non posset purus homo facere, neque tamen se diabolum statim demonstrasse, sed se transfigurasse in Angelus lucis, imitans Angelos, qui similes fecerant assumptiones, vt tantò grauius tentaret, eoque maiorem sibi in suadendo conciliaret authoritatem, quo nobilioris naturæ personam ostendebat, sanctioremque se simulabat. Vnde existimo, quod statim ac Christus primam eius tentationem eluit, se ei repræsentauit, tanquam Angelum lucis miro fulgore splendentem, depromentemque erga Christum adulatoria verba, & quasi fingens, se velle tam excellentem hominem toti mundo notum facere, ne lucerna lateret sub modio, duxit Ierosolymã, & statuit super pinnaculum templi, vbi posset ab omnibus habitantibus ciuitatem videri, qui maximam sui admirationem captaret, si se deorsum mitteret. Ex his explicari potest difficultas illa, an omnes istæ tres tentationes, vno eodemque die factæ fuerint. Qui censent Christum ductum à dæmone per solam suasionẽ, eo modo, quo homo ducit eum, quem vocat, vt sequatur se, oportet vt plures dies statuant, ad has tentationes: nam à deserto, vsque ad Ierosolymam sunt quasi duodecim leucæ, à Ierosolyma vsque ad montem excelsum, in quo ostendit regna mundi, sunt multò plures, & tam longum iter non posset agi, nisi per spatium aliquorum dierum. Ex quo consequens fieret, vt non solum ieiunauerit Christus quadraginta diebus, sed, & aliquot alijs, quibus tentationes perdurarunt. Alij censent, vno quidem die tres istas tentationes fuisse finitas, & breue spatium interfuisse inter primam, & secundam, & inter secundam, & tertiam. Post primam enim tentationem, in qua diabolus superatum se vidit, recessit aliquantulũ, & tunc iterum veniens in forma Angeli lucis, secundam tentationem intulit, sed verè credo, diabolum postquam semel accessit ad tentandum Christum, nunquam ab eo recessisse, quousque omnes tres tentationes, quibus omnem malitiam suam effudit, fuerunt finitæ: *Consummata enim*, inquit Lucas, *omni tentatione recessit diabolus ab eo*: & Matthæus: *Tunc reliquit eum diabolus*. Hæc manifestè quadrant narrationi historicæ sacrorum Euangelistarum. Primò enim venit diabolus sub specie hominis sancti, & cum nihil proficeret, secundò ibidem in Angelum lucis subitò se transfigurauit, & cum nec sic aliquid efficeret, subitò etiam tandem in vera Satanæ forma se demonstrauit promittens regna mundi, vt dicemus.

Hom. 5. in imperf.

In Psal. 90

Luc. 4.

§. 45. Ierusalem vocatur ciuitas Sancta, & terra Promissionis vocatur Sancta, & Sacramẽtum Dei, & terra Deo chara.

¶ 166. IN *Sanctam ciuitatem*. Lucas nomine proprio eam vocat: *Duxit illum in Ierusalem*: Matthæus autem nomine communi, quo vulgariter appellabatur, scilicet ciuitas sancta. Vocabatur autem hoc nomine, inquiunt Beda, & Haymon, quia in ea erat templum, & religio, cultusque omnipotentis Dei, vel propter differentiam ciuitatum Gẽtilium, in quibus Idola colebantur, aut, vt ait Euthymius, quia hanc ciuitatem elegit Deus, tanquam sedem suam, in qua solummodo sacrificia offerrentur. *In cap. 4. Matth.*

2. *Par. 6. 5.* *A die*, inquit Deus, *qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi ciuitatẽ de cunctis Tribubus Israel, &c. sed elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea.* Et

2. *Par. 7. 16* alibi: *Elegi, & sanctificaui locum istum, vt sit ibi nomen meum in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. Loquitur de templo Ierosolymis ædificato. Ideò vocabatur Ie-

a *Psa 47. 3* rosolyma *a*, *Ciuitas Regis magni*, &

Matt. 5. 35 mons Sion, in quo illa ædificata fuit, vo-

b *Psa. 47. 2* cabatur *b*, *Mons Sanctus*, *c Locus Sãctus*,

c *Dan. 9. 16* communique nomine vocabatur Ierusalem ciuitas Sancta. Vt videre est variis in locis Scripturæ sanctæ, apud Isa-

d *Isa. 52. 1.* iam *d*, Danielem *e*, Zachariam *f*, Mat-

e *Dan. 3.* thæum *g*, Ioannem *h*, & ab Ecclesiasti-

28. & c. 9. co *i*, vocatur *Electa sanctitatis ciuitas*.

24. Quin, & tota illa Promissionis terra

f *Zach. 8. 3* vocatur Sancta, quoniam in ea illi San-

g *Matt. 27* cti Patriarchæ peregrinati sunt, quam

53. acceperunt à Deo, tanquam singulare

h *Apo. 11. 2* munus pro filijs suis. & in ea conserua-

i *Eccl. 49. 8* tus fuit vnius veri Dei verus legitimusque cultus, ibi vera Sacramenta, & Sacrificia, quæ tunc mũdus habebat: in ea Deus erat assumpturus humanam carnem, cum hominibus conuersaturus, & totius mundi sanctitatem, & redẽptionem operaturus. Ita sapiens loquens de Chananæis, quos Deus ex illa eiecit: *Inhabitatores*, inquit, *terra sanctæ tuæ*. Imò, & multi non infimæ notæ authores credunt, ab eodem vocatam sacramentum Dei, qui ita legunt, quod ibidẽ sequitur: *A medio Sacramento tuo, authores parentes animarum inauxiliatarũ perdere voluisti, per manus parentum nostrorum*. Sermo est de Chananæis, quos per manus populi Israelitici perdidit, & eiecit, *à medio Sacramento suo*, id est, à terra illa, quæ *in medio terræ* habitatæ posita dicitur in Scriptura sacra, vocaturque illa Sacramentum Dei, quia ibi erant omnia sacra secreta Dei, Lex, Prophetia, Sacerdotium, Sacrificium, quæ sacra Dei secreta continebant. Et paulò post dicitur de illa: *Quæ tibi omnium charior est terra*, hæc enim est, de qua dixit Moyses: *Quod oculi Domini sunt super eam à principio anni, vsque in finem*. Nec mirum, quod charior Deo terra fuerit, in qua eius progenitores secũdum carnẽ commorati sunt, in qua, & ipse erat humanam carnem assumpturus, & acturus vitam, & operaturus redemptionis humanæ mirabilia Sacramenta. Verum quidem est, aliquãdo ciuitatem illam vocatam, meretricem, Sodomam, Gomorrham, vt apud Isaiam, & Apocalypsim patet, tum propter suprema scelera, quæ cõmisit, tum quia sæpè eius ciues relicto Deo ad idololatriam se conuertebant, tum deinde, quia ibi persecutionẽ passi sunt Prophetæ, & facta fuit quasi carnificina Prophetarum, qua de causa dixit Christus, quod, *non capit Prophetam perire extra Ierusalem*, tum præcipuè, quia Dominum omnium Prophetarum, conditorem suum, erat crudelissima morte interfectura, quo scelere, ita Sodomorum iniquitatem excessit, vt visa sit illorum acta iustificare, sicut Deus per Ezechielem prædixerat, quod qua ratione intelligendum sit, explicauit Beatus Gregorius. Quæ tamen propter hanc rationem, ignominiæ nominibus meritò vocata fuit: propter rationes superius dictas, iure ciuitas Sancta appellabatur, sicuti Ecclesia, quæ aliquando propter peccatores, & impios vocatur nigra, sicut tabernacula Cedar, quæ tamen absolutè propter

1. *Sap. 11. 3*

Psal. 73. 12

Deut. 11. 12

Isa. 1. to. 21

Apoc. 11. 8

Luc. 13. 33

Ezech. 16. 51.

Li. 28. Mo. c. 17.

ter Sanctos, & propter leges, Sacramenta, fidem, religionem, quam profitetur, vocatur formosa, & pulchra *a*, sicut pelles Salomonis: de quibus Origenes *b*, & Diuus Irenæus *c*, alijque sancti Patres.

a *Cant.* 4.
b *In cap* 14 *Mat tract.* 10. & *in c.* 26 *trac* 35 & *cont. Cels. lib.* 4.
c *Lib* 4. *c.* 8.

§. 46. *Pinnaculum templi, ala erat, aut subgrunda, super præcipuum templi parietem, locus toti ciuitati manifestè patens.*

¶ 167. ET *statuit eum supra pinnaculum templi.* Manifestũ est, pinnaculum templi fuisse aliquem locum altum, & eminentem: summum templi vocat. Hilarius *a*, & Cyprianus *b*, & Origenes *c*, culmen templi. Dubium est tamen, quisnam locus templi in particulari dicatur pinnaculum. Quod enim quidam intelligunt, fuisse turrim quãdam fastigatam, & acuminatam, in qua locata esset lamina, vẽtorum flatu versatilis, ad templi summitatem, quę pinnaculum vulgo dicitur, quale nunc in templis nostris conspicimus, manifestè reuincitur ex eo, quod talis turris nullatenus in illo templo fuerit, cuius tectum supernè planum erat, sicut, & cæteræ domus in Palæstina, & Ægypto, quarum tectum erat complanatum, aptumque ad sedendum, deambulandum, confabulandum, & cœnandum, vt patet ex libris Iosue, Iudicum & Regum, & alibi sæpè, & latè demonstrat Hieronymus. Ita Salomonem ædificasse tectum templi, patet ex sacra Regum historia. Ex eisdem etiam patet, pinnaculum templi non fuisse dorsum tecti, quod à Græcis, vt ait Theophylactus vocatur, diriton, quale apud nos videmus, cum ædificata domo superponitur expãsum tectum in duas alas, incipientes ab altiori quodam dorso, vt vtrimque aquæ fluant: non enim ita tectum templi erat extructum vt dictum est. Euthymius, pinnaculum inquit, erat, domuncula excelsa valdè, ad latus templi superstructa. Alij crediderunt fuisse aliquod tabulatum, adhærens parietibus templi. Vt enim in libris Regum insinuatur, explicatque ibidem Beda, per circuitum templi erant tria tabulata, vel deambulatoria, quæ meniana vocantur, primum elevatum à terra cubitis triginta, secundum cubitis sexaginta, tertium circa tectum altitudinis cubitorum centum viginti, de quibus idem Beda *a*, Angelonius *b*, Richardus *b*, Liranus *b*, Comestor *c*, & signanter Abulensis *d*. Quidam ergo credunt ductũ fuisse CHRISTVM, ad supremum illud tabulatum, illudque vocari pinnaculum templi. Ita ex professo Haymon *e*, tradit. Ad dunt aliqui, in quouis tabulato fuisse peculiarem locum pro doctoribus Iudæorum extructum, excelsiorem, & patentiorem, quasi Cathedram, quam pinnaculum vocabant. Ita Remigius, quem refert Abulensis *f*. Nonnulli existimant, pinnaculum templi fuisse peribolum circa tectum templi extructum. Præceptum erat: *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti, per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente* Huiusmodi murum circa tectum templi à Salomone ædificatum, probat Beda ex illo: *Et ædificauit tabulatum super omnem domũ quinque cubitus altitudinis*, in supremo tanè domus tecto p circuitũ, ne quis ad altiora perueniens, repente. laberetur ad ima. Tectum, inquit Lyra, desuper planum erat secundum modum domorum Palæstinæ, & vltra planiciem ascendebat quædam clausura in circuitu, per modum propugnaculorum, ad decorem, & defensionem: Huiusmodi turriculæ, aut latera, aut peribola vocantur ab aliquibus pinnacula templi, supra quæ statuit diabolus CHRISTVM. Beda ipse pinnaculum credit, ipsum tectum templi planũ, ideoq; Christus dicitur statutus super pinnacula templi, quia in illo tecto templi cõstitutus est. Vt tamen rem explicemus, supponendum est, templũ illud (vt dimittamus porticus, atria, & muros, quibus cingebatur) extructum in quadrum, ex quatuor parietibus, ad modũ turris vt de Salomonis templo Lyra obseruauit.

a *Can* 3. *in Matth.*
b *Lib. de ieiun & ten.*
c *Hom* 31. *in Lucam.*
Iosue 2. 6.
Iudic. 6. 27.
1. *Reg.* 9. 23
Epist. 135. *ad Suuiam & Fratelã.*
Cauelle tedel teado. in c. 4. *Mat.*
a *Lib. qui in lib. Regum qu.* 13.
b *In* 3. *reg. cap* 6.
c *Lib* 9.
d *in lib* 3. *Reg c* 5. *q.* 11.
e *In cap* 4. *Matth.*
f *In cap* 4. *Mat. q* 33.
Deut 22. 8.
Reg 6. 5.
In 3. *Reg.* 6.
Vide Riberam libr. 1. *de fabrica templi cap.* 12. 14.
In cap. 4. *Matth.*

qui habebant altitudinem centum viginti cubitorum, quam eandem habuerat templum à Salomone primò ædificatum, vt constat ex Scriptura. Destructum hoc quidem fuit à Chaldæis, & restauratum à Zorobabele: tunc que eleuatum fuit ad altitudinem sexaginta cubitorum dũtaxat, vt dicitur in libris Esdræ. Sed cum tandem Herodes Rex Iudeæ paucis annis ante Christi Natiuitatem, supremis sumptibus tẽplum illud restaurandum assumpsit, secundum pristinam altitudinem ad centum & viginti cubitos altitudinis euexit, vt Iosephus Iudæus *a*, & Iosephus Gorionis *b*, tradiderunt. Huius templi rectum planum erat, sicuti, & alibi tecta in Iudæa, vt dictum est, super quod ascendi poterat per cochleam iuxta parietes. aut potius intra parietes extructam: & quantum ex vtroque Iosepho colligitur, omni ex parte subgrundis extendebatur. Est subgrunda, vt ait Budæus, pars tecti prominens, qua stillicidia à parietibus arcentur. Herodes enim maximè curauit, vt parietes templi, quos pulcherrimos etiam exterius perpolitosque extruxit, mũdissimi conseruarentur, qui vbi deaurati non erãt candidiores niue apparebant; & ne ab infidentibus auibus polluerentur, aureis verubus in summo muniuit: multò igitur magis credendum est, subgrundas superposuisse, ne pluuijs, quæ ibi frequentissimæ sunt, manerent expositi. Et fortè huiusmodi subgrundæ, vocantur pinnacula templi, a pinna, quæ proprius pẽnam alarũ significat, quod per huiusmodi subgrundas, ad modum alarum se tectum extẽdat super parietes. Vnde quidam recens autor, vocem Græcam, pterigion, aliam dicit significare. Aut si ethymologiam ex Hebræo verbo ducas, vt dicatur pinnaculum, à verbo *Panah*, quod prospicere significat, quasi pinnaculũ significet aliquid eleuatum, expositum omnium prospectui, aut ex quo quis aliquid possit prospicere. Quamuis autem circa tria templi latera, essent ædificata deambulatoria, aut tabulata, circa latus tamen ad orientẽ, in quo erat maior templi porta, nihil erat extructum, sed erat paries pulcherrimus, crustis aureis gratissimus, qui ad ortũ Solis, igneo splendore lucebat, vt vterque Iosephus asserunt, in supremam altitudinem euectus, centum scilicet, & viginti cubitorum: subgrũdaque, qua ille paries operiebatur, locus erat aptissimus dæmonis instituto, vt dicemus; quippe cum patentissimus esset, non solum omnibus accedentibus ad templum, sed, & toti ciuitati, ex quo tota ciuitas patens erat ei, qui ibi erat constitutus: ipseque similiter toti ciuitati erat conspicuus. Vnde credo huiusmodi subgrundam, aut alam tecti, vocatam ab Euangelista pinnaculum templi, quam vocat Lucas pinnam. id est, alam. Quibus congruit Syriacum Euangelium, quod pinnaculum vocat *Canepha*, à nomine Hebræo, *Canaph*, quod significat alam, oram, aut extremitatem, quo Scriptura sæpè vtitur agens de ora vestis, vt cum dicitur: *Præcidit Dauid oram clamydis Saul*: similiter, & de ora, aut extremitatibus terræ, vt cum dicit Ezechiel: *Venit finis super quatuor plagas terræ*: in Hebræo, *super quatuor Chenephat*: Septuaginta, super quatuor alas, aut extremitates. Hinc Hispana vox, qua extremitatem vestium, opere phrygionico contextam vocamus *Canepha*. Itaque pinnaculum templi, idem est, ac extremitas, aut ala tecti templi. Hæc sententia placuit docto cuidam Cardinali, qui asserit; pinnaculum templi dici extremitatem frontispicij, aut summam partem templi, quæ totum ædificium superabat, cuius summitas, dicta est pinna, siue pinnaculum.

(·.)



a Li. 15 antiq. c. 14.
b Li 5. hist. Iudæ. c. 25.
Elala, ora seu tela.
Beauxam. 51.
2. Paral. 3.
1. Esdr. 6.
Reg. 24. 5.
Ezech. 7.
Toletus in c. 4. Luc.

§. 47. *De inani gloria diabolus Christum tentat, quæ præcipuè solet excitari post aliquam de principe tenebrarum victoriam.*

¶ 169. ET dixit *ei, Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapide pedem tuum.* O nefanda artis astutia (clamat Chrysostomus) & damnanda temeritatis audacia. Qui viderat se à Domino, responso legis fuisse percussum, iam non tantum nequitiæ suæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus est, sed, & ipse legis testimonium mutuatur, & inde tentat vincere, vnde dolebat se fuisse iam victum, & qui audierat: Scriptum est, audit, & dicere, Scriptum est. Communius est autem sanctorum Patrum sententia, diabolum, ijs verbis tentare voluisse Christum de inani gloria. Voluit quidem ille explorere, an verus Filius Dei esset, ita tamen, vt si purus esset homo, eum induceret ad desiderium inanis gloriæ, quo affectaret appetereturque ab hominibus æstimari, & magnificari. Ita Cyprianus *a*, Ambrosius *b*, Chrysostomus *c*, Bernardus *d*, Augustinus *e*, Gregorius Nazianzenus *f*, Diuus Thomas *g*, Euthymius *h*, communiterque omnes sancti Patres. Augustinus *i*, sanè sensit, dæmonem tentasse nunc CHRISTVM de curiositate: quam sententiam sequutus fuit Rupertus *k*, vt scilicet, si crederet quod audierat se à Deo haberi tanquam filium, experimento vellet comprobari, mittens se ex alto sperans Deum missurum Angelos suos, qui eum sustentarent. Sed hæc sententia in idem recidit: curiositatem enim, ad inanem gloriam diabolus ordinabat, vt scilicet omnes viderent qualiter à Deo diligeretur homo, ad quem sustendandũ Angelos suos mitteret; qui illum in manibus portarent. Hac igitur occasione loci, inquit Cyprianus, hortatur, & consulit, vt in vrbe Sancta, & frequẽtia populorum, quasi nouus funambulus, in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi iactet intrepidus, addens ex testimonio Scripturæ, Angelorum astutura suffragia, quæ ruentem exciperent, & conseruarent illæsum. De inani ergo gloria eũ tẽtaturus (inquit Abulensis *l*) aptè deserto extrahit, & in celeberrimã totius orbis ciuitatem duxit, & in loco totius ciuitatis eminentiori statuit: inanis enim gloria tunc validè excitatur, cum quis in cõspectu plurimorum habetur excellentissimus. Vnde obseruandum est, quod Diuus Thomas *m* ex Chrysostomo *n*, expendit, diabolum quidem in hac assumptione, & adductione, illusum fuisse à CHRISTO. Nam Diabolus, ita quantum ad suam mentem assumpsit CHRISTVM, vt crederet, quod CHRISTVS ab hominibus videretur, tam cum per aera ferebatur, quam cum in pinnaculo fuit constitutus, vt sic animum Christi ad inanis gloriæ cupiditatem inciperet inflammare, quem omnes mirarentur per aera volantem; qui, & propterea confisus de Dei fauore, ad demittendum se ex alto procederet, vt cum Angeli, accurrerent ad eum sustentandum, in summa veneratione ab omnibus haberetur. Christus tamen, diabolo inscio, ita egit, vt à nemine videretur, nec cum ferebatur, nec cũ statutus fuit in pinnaculo templi sicut, & postea fecit, cum transiens per medium Nazareitarum ibat. Si enim Habacuc (inquit Chrysostomus) purus homo, à nullo visus est, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babylonẽ, quantò est credibilius de Christo, non fuisse visum, cum volens à diabolo assumptus fuit? Callidissima autem astutia, vt obseruat Chrysostomus, diabolus postquam vidit CHRISTVM sanctum, & operibus mortificationis traditum, imò, & victorem in primo congressu, statim se conuertit ad eum tentandum de inani gloria; quia hoc vitium statim post huiusmodi opera excitatur, & hoc generale

Hom. 5. ex diuers. in Matth.

a Li. de ieiu. & tent. Christi.
b In cap. 4. Luc & li. 1 de Cai. c. 5.
c In Psa 90 et ho de lapsu primi hominis.
d Serm. 34. in Cant & ser. 14. in Psal Qui habit.
e in Ps 90.
f Oratio. in S. Baptist. non longè à princ.
g 3 p. q. 41. art. 4.
h In cap 4. Matth.
i Lib. de vera reli. cap. 38.
k In cap 4. Matth.

l In cap 4. Mat. q 33.

m 3. p. q. 41 art. 1 ad 2.
n Ho. 5. in imperf.

Luc. 4. 30.

malum, inquit Cyprianus, diabolus in humano genere agnoscebat, quod hoc ipso, atque quis victoriam de inimico tentante reportat, inanis gloriæ periculo subijcitur: statim enim illa excitatur validè, cum homo seipsum conspicit victorem, triumphatoremque: & illa, vt dixit Augustinus, benè proficientes animos tentare non cessat. Huius naturâ Beatus Ioannes Climacus comparauit formicæ: sicut namque formica tritico ad maturitatem perducto, & purgato, egreditur ad illud rapiendum, & comedendum, ita cœnodoxia, aut inanis gloria opere aliquo ad perfectionē deducto. Quod Cassianus in Ezechia, & Ozia eleganter demonstrat, de quibus supra latè dictum fuit. Et certè nihil est, quod magis ad inanem gloriam hominem disponat, quam insignis aliqua victoria de validis hostibus parta. De Nabuchodonosore, quæ futura erant, Propheta Habacuc præuidens: *Ipse*, inquit, *de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, ipse super monitionem ridebit, &c. tunc mutabitur spiritus eius, & pertranſibit, & coruet.* Symmachus, & Aquila, vt annotat Hieronymus, legunt: *& delinquet: Hæc est fortitudo eius Deo suo.* Certè quæ postea euenerunt prædixit Propheta. Cùm enim Nabuchodonosor vidisset, se de Regibus triumphasse, & validas inimicorum munitiones facillimè euertisse, talibus victorijs ita fuit elatus, vt credere se Deum esse, qui propterea sui auream statuam effinxit: quam proposuit omnibus hominibus adorandam, vt patet ex historia Danielis, & Chrysostomus explicauit. *Tum*, inquit, *mutabitur spiritus eius*, à principio namque Nabuchodonosor agnouit, Deum esse cuius virtute ipse in filios Israel præualebat: quod, & dux eius Nabuzardan confessus est, vt Ieremias dixit: sed victoria obtenta, *spiritus mutatus est*, sibimet gloriam tribuens talium victoriarum, quibus eleuatum fuit cor ipsius. Radix superbiæ Romanæ, ac inanis gloriæ illius populi, fuerunt victoriæ, quas de cæteris gentibus reportarunt, vt tradit Augustinus: tuncque vt docet Sanctus Ioannes Climacus, aptissimus est homo, vt Cœnodoxiæ, seu inanis gloriæ spiritu impetatur, cum contra spiritualia nequitiæ dimicâs, de principibus tenebrarum victor euasit. In cuius confirmationem refert, senem quendam mira sanctitate præstantem, & acutissimo mentis oculo illustrem, vidisse duos dæmones ad sui expugnationem properantes, quorum vnus eum impugnare cœpit, varias suggestiones inferens: quas cum ille Dei auxillo munitus, superasset, victorque euasisset, statim alius surrexit, eum excitans ad inanē gloriā propter victoriam, quā obtinuerat, & inducens, vt seipsum magnificaret, qui tam excellenti virtute præstabat, vt facilè dæmonem tentantem euicisset, quique tot tantisque fauoribus à Deo esset munitus. Hæc agendi callidita-te, vicit dæmon Heronem Anachoretam, de quo refert Cassianus, quod cum quinquaginta annis in deserto esset commoratus, rigorem continentiæ perpetuò seruans, & miro feruore opera mortificationis exercens, tandem ab Angelo Satanæ fuit delusus. Apparens enim illi, tanquam Angelus lucis, eidem suasit, vt se in puteum dimitteret, qui enim tanti erat apud Deum meriti, considerare poterat, quod nullam læsionem inde corpus eius esset recepturum. Præcipitem se propterea dedit, miserèque interemptus est, amittens per superbiam, quod lucratus fuerat per abstinentiam, & mortificationem.

(?)

Lib. 5. de ciu. c. 1. in Scala spirit. gradu. 21.

¶ 178.

Habac. 1. 10.

Dan. 3. Lib. de reparat. lapsi.

Ierem. 40.

Lib. 3. de ciu. c. 13. Gradu. 21. cit.

Lib. 2. col. cap. 5.

§. 48. *Dia-*

§. 48. *Diabolus expertus Chriſti fiduciã in Deum, ad nimiam illum excitat confidentiam, de extremo ad extremum ſe transferens.*

¶ 171. CErtum eſſe, ſub ſpecie Behemoth, aut Elephanti, Deum voluiſſe deſcribere dæmonem, docent ſancti Patres, particulariter Beatus Gregorius Nazianzenus, illud obſeruans admiratione dignum, quod in tali deſcriptione dixit Deus; *Oſſa eius vt fiſtulæ æris.* Quæ verba dicta de Elephante, quidam credunt, propter dentes, qui fortiſſimi, ac quaſi ærei ſunt, nulla cauitate vacui: alij propter omnia illius oſſa, ſignanter coſtas, accipiunt, quæ quia fortiſſima ſunt, ærea vocantur: vnde alij legunt: *Oſſa eius velut fortitudines, robuſta, violenta, æris, aut chalybis.* Sed nec magnum quid hæc ſententia cõtinet, ſi de oſſibus elephãti dumtaxat loquatur: vnde dæmonis oſſa voluit Deus deſcribere. Vocantur dæmonis oſſa à Sanctis Græcis, eius tentationes, ſuggeſtiones, machinæ, conſilia, fraudes: & meritò, inquit Gregorius; nam ſicut in oſſibus poſitio corporis roburque ſubſiſtit, ira in fraudulentis conſilijs tota ſe eius malitia erit. Hæc ærea dicuntur apud ſanctos Græcos propter obſtinationem, & pertinaciam, inflexibilemque malitiam: apud Beatum verò Gregorium, quod dulciter ſuauiterque ſonare videntur. Notum eſt ſiquidem, in Scriptura ſacra, æris nomine eloquentiam ſignificari: qua propter, vt annotauit Hieronymus, in ſtatua illa, quam vidit Nabuchodonoſor, venter æreus ſignificabat Græcos, quia eloquentia, ac ſapientia vigebant; æs enim, inquit, eſt vocaliſſimum maximeque ſonorum. Eloquenter ergò, & ſuauiter ad modum fiſtularum ærearum diabolus ſonare videtur, & varijs tentationibus agens, quaſi varijs fiſtulis perſonat. In organo varijs fiſtulæ æreæ, quas ſapiens pulſator ordinatiſſimè pulſat: primò enim perſonat fiſtula depreſſum ſonum emittente, & ſubitò conuertit manum ad eam pulſandam, quæ altiſſimum acutiſſimumque reddit, & ita acutum ſonum depreſſo temperat, vt mirum concentum reddat. Acceſſerat diabolus ad tentandum Chriſtum, ſonauitque fiſtula, quæ depreſſum ediderat ſonum: *Si Filius Dei, dic vt lapides iſti, &c.* Quibus verbis, vt dictum eſt ex Chryſoſtomo, voluit animam Chriſti deprimere, titulo neceſſitatis, & famis vrgentiſſimæ, excitareque, vt de Deo diffideret, qui illum reliquerat in deſerto ſine pane: extrema fame quaſi confectum, Solis, nudiſque lapidibus circumdatum. Ex Chriſti tamen reſponſione comperit, illum eximia in Deum confidentia præſtantem, tali, vt crederet, quod Deus eum eſſet etiam ſine pane mirabiliter ſuſtentaturus. Subitò propterea ſe conuertit ad aliam fiſtulam pulſandam, quæ acutiſſimum redderet ſonum, excitans, vt nimis de Deo confideret, ita quod etiam ſi ſe dimitteret ex pinnaculo, ſperaret Deũ miſſurum Angelos ad ſuſtentandum ſe. Quaſi dicens: Tu qui tam egregia in Deum confidentia præſtas, vt credas, quod etiam ſine pane, verbi ſui virtute ſuſtentabit te, quia id Deus in Scriptura ſacra voluit docere, cum cæleſti cibo Iſraelitas aluit, hac confidentia innixus mittete deorſum, qui enim illud ſcribi voluit ad iuſtorum ſolatiũ, hoc ſimiliter ſcriptum reliquit: *Quia Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c.* Obſeruat Chryſoſtomus, in illud: *Non ignoramus cogitationes eius*: hanc eſſe dæmonis aſtutiam, quod cum hominẽ ad vnam partem non poteſt trahere, ſtatim ſe conuertit, vt illum in contraria deijciat. Conſiſtit enim virtus in medio, vt omnis Philoſophia docet; & ideò iubemur ſæpè in Scriptura ſacram mediumtenere, & non declinare ad dexteram, neque ad ſiniſtram, vt apud Ioſue, & Iſaiam: Vnde vt diabolus nos à ſtatu virtutis deturbet, primò in vnum extremum impellit: dum autem nos, vt ei reſiſtamus, in aliud

in catena Iob c.40.

Iob 40.13.

L.12. Moral.c.20.

Incap.2. Daniel. Dan.2.

Hom.4. in 2.ad Cor.

2.Cor.2.12

¶ 172.

Ioſue 1.7. Iſai. 30.21

vrgemur propendere, subitò vires suas conuertit, vt in illud deijciat, ad modum astuti luctatoris, qui cum eum, quem vincere cupit, conetur in dexteram partem impellere, videatque se id consequi non posse, quia in sinistram illum videt propendere, subitò vires suas conuertit, vt ad sinistram proijciat, ad quam senserat inclinatum. Ita expendit Chrysostomus, dæmonem egisse circa quendam hominem apud Corinthios, de quo Apostolus ad eosdem scribens loquitur: quem primò quidem excitauit ad hoc, vt non curaret peccatum quoddam graue, quod commiserat, neque pro illo pœniteret. Postquam autem sui peccati grauitatem, Paulo prædicante, & agente cognouit, cœpitque dolere, illum diabolus ad nimiam tristitiam, & desperationem ita adigere fuit conatus, vt oportuerit Paulum Corinthij, committere, quod illum consolarentur, *ne nimia tristitia absorberetur*. Timebat autem hoc Paulus: *Non enim*, inquit, *ignoramus cogitationes Satanæ*. Visusque est alludere voluisse ad illud, quod diabolo dictum fuerat: *Tu insidiaberis calcaneo illius*: vt ex Diuo Irenæo dictum est. Calcaneum namque est pars corporis, cui præcipuè nititur, qui luctam sustinet: cum autem diabolus accedit incitans aliquem ad aliquod vitium, hoc diligenter attendit, cui rei tanquam calcaneo nitatur, vt secundum illam extruat nouam tẽtationem, & impetum. Ita ergo accessit primò ad tentandum Christum, & illum excitauit ad gulam, exponens quod nullus ibi panis esset, & idcircò quod si ibi perseueraret, nõ curans quo sustentari posset, certum sibi maneret exitium. Vidit Christum fortiter substitisse, fundatum in confidentia Dei, qui vel solo verbo suos sustentare nouit: subitò propterea ex hac confidentia nouam tentationem extruit, excitans vt se mittat de alto, confidens, quod Deus missurus sit Angelos, &c. Ex eadem solutione, qua Christus primam tentationem eius dissoluit, nouum constituit argumentum, more acuti Dialectici, vel Philosophi, qui ex solutione aduersarij nouum argumentum extruit ad eum cõcludendum. Hocque diabolo esse in more, Chrysostomus ex S. Iob historia comprobat. Primò quidem cœpit illum tẽtare, dicens (censet enim Chrysostomus nuntium, qui venit ad Iob, ipsummet diabolum in specie hominis fuisse) *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi*. Hanc tentationem Iob reuicit, & soluit, oculos, & mentem ad Deum leuans, cum vidisset se ab hominibus vexari: bonoque animo fuit, sperans, quod quamuis homines bona eius rapuissent, manebat Deus, qui alia daturus esset; qua sanè actione diaboli tentatio videbatur delusa: subitò propterea se conuertit ad ignem è cœlo dimittendum, quo oues Beati Viti, pueriosque consumpsit, & continuò eum diabolus in specie hominis impetiuit, dicens: *Ignis Dei descendit de cœlo, & tactas oues puerosque consumpsit*: quasi directe contra solutionem datam nouum constituens argumentum, & dicere volens: Ne credas tibi suffragium manere in cœlo apud Deum, si homines contra te surrexerunt: ipse namquemet Deus etiam de cœlo tibi aduersatur, qui de cœlo ignem contra te misit, vt quæ tua sunt absumeret. Hæc, & alia latè Chrysostomus prosequitur, docens huius inimici callidas cogitationes; qui ex eo metipso, quo primam tentationem eius dissoluimus, ad aliam validiorem extruendam se conuertit, & in oppositum omninò trahere contendit. Excitauit primò Israelitas, vt odio haberent Moysen, quem Deus eis ducem, & magistrum designauit, per quem illos instituendos assumpsit: cum autem videret se id consequi non posse, quin potius oppositum expertus est, se conuertit, vt eos ad niminum amorem erga Moysen induceret, talem, vt oportuerit, quod eo moriente Deus illius corpus absconderet, ne tanquam Deum adorarent. Curat primò te à ieiunijs abstrahere, exponens corporis imbecillitatem, & infirmitatem, sed cum te inueniat ad ieiunia propensum, vt carnis petulantiam coerceas, ad nimiam abstinentiam inducit, per

Hom. 1. & 2. de pat. Iob.

Iob 1. 14.

¶ 173.

Exod. 17. 1 & Numer. 14. 2.

quam

quam deficiat caput, vires, & ſalus, & reddaris inutilis ad alia, quæ agere oportebat, vt ex Beato Hieronymo eleganter tradit Diuus Thomas. Cupit ille te ab orationis retrahere exercitio, ſed cum videat ab eo non poſſe auelli, quippe cùm audias Scripturam dicentem: *Orate ne intretis in tentationem*, hinc nouam extruit tentationem, incitans, nimis orationi incumbas, ita, ſcil. quod propter orationem dimittas aliqua, quæ ſecundum tuum ſtatum agere tenebaris. Itaque non ſolum tentat diabolus ad ſecularia excitans, & ad gulam, & loquacitatem impellens; ſed cum vidit nos ſpiritualibus affectos, inde nobis laqueos parat. Ita adigit vxoratam, quam ad vana pertrahere non potuit, vt mariti obſequiũ non curans & familiæ ſuæ curam negligẽs, totam diem in templo agat: iudicem etiam, quem non potuit à ſpiritualibus reuocare, vt ita ſe eis tradat, quod proceſſus, & cauſa, quos percurrere tenebatur, negligat. Nec enim ſolummodo diabolus ad plateas, & ſeculi loca homines ducit, quaſi ad ſecularia trahere volens, ſed, & ad templum eos aliquando ducit, ſuadens, vt nimis rebus ſpiritualibus intendant, nimiaque confidentia in Deum delinquant.

Quod l. 5. art. 18. Matth. 26.

§. 49. *Viam difficillimam, & periculoſam conatur diabolus facilem, & ſecuram repræſentare, qui, & præcipitium, tanquam rem glorioſam proponit.*

¶ 172. *Lib. 32 Moral. c. 20. & 21. Iob. 40. 13.*

BEatus Gregorius alio modo explicat, quod ſupra de dæmone induximus dictum à Deo: *Oſſa eius vt fiſtulæ æris.* Supponit Gregorius, & quod, & ſupra dictum eſt, dæmonis oſſa eſſe eius tentationes, ſuggeſtiones, conſilia, quibus tota eius vis nititur, & ſuſtentatur. Hæc ſimilia dicuntur fiſtulis æreis, nam æris fiſtulæ, dum dulciter auribus ſonant, animum demulcent, & diſponunt, vt ſibi placeat muſicæ concentus, & eius delectationem admittat. Magna certè dexteritate hic modulator fiſtula ſonat, qui non nudas tentationes proponit, ſed ſuauiter ſonans eaſdem exhibet, gratiſſimam modulationem cuiuſuis auribus inferre contendens. Propterea non nudè, & ſimpliciter dixit Chriſto: *Mitte te deorſum* ſed vt annotauit Chriſoſtomus, præmittens adulatoria illa verba: *Si Filius Dei es*: quaſi enim ei adulans, dicere voluit: Vidi ſupra te cœlos apertos, cui cæli ipſi reuerentiã exhibere viſi ſunt: audiui ſupernam vocem reſonantem, qua Pater te, tanquam Filium ſuum nobis ſuſcipiendum propoſuit. Quid facilius Dei Filio, quã mittere ſe deorſum, in cuius obſequium iam Pater Angelos paratos exhibuit, dicens per Dauidem: *Angelis ſuis mandauit de te, &c.* Ita dulciter ſonare, procurat, & ita nititur aſpera in vias planas conuertere, vt horrendum præcipitium, tanquam ſecurum, glorioſumque proponat. Ita ille agere ſolet, qui hoc modo facilè homines per vias difficiles ducit, & inducit, vt, & in profundum ſe ipſos periculoſo præcipitio demittant. Egregiè Dauid conſiderans vias, quas peccatores tenent, & præcipitia, quibus ruunt: *Via* inquit, *illorum tenebræ & lubricum.* Videtur Dauid reſpondere velle cuidam interrogationi, aut admirationi, qua miramur ſæpè, attendentes quoſdam homines, qui vias arripiunt difficiles, ſpinis plenas, & innumeris perculis ſeptas, qui miſerè in profundum peccatum ſe demiſerunt: inquirimuſque: Qui fieri potuit, quod talis homo nobilis, diues, qui quietam cum vxore agere poſſet vitã, ita ſe in viliſſimum demiſit luxum? &c. Qui fieri poteſt, vt talis homo, inquietus totis noctibus incedat? &c. qui ſubitò poteſt vitam finire, & cetera. Reſpondet Dauid: *Via illorum tenebræ, & lubricum.* Lubricum apud D. Iſidorum, dicitur locus, in quo quis facilè labitur, & per quem potius fluit, quam percurrit, ſicut terra glacie concreta, aut aqua durata gelu, aut terra argilloſa humectata, aut marmora leuigata: vnde, & piſcis lubricus dicitur, facilè manibus effluit, vt anguilla: ideoque via lubrica dicitur, quæ ita diſpoſita eſt, vt per eam quis facillimè

Hom. 5. in imperf. *Pſal. 34. 6.* *Luc. 4.* *Lib. 14. Ethymol. cap. 2.*

feratur aut defluat, à qua remota sunt omnia impedimenta, quæ detinere, possunt. Talem exhibet diabolus peccatoribus viam, quam vt eos impellat lubricat primò, aut lubricam facit. In Hebræo verbo, *Hhalach*, quod significat lenire, metaphora sumpta ab eo, qui cum aliquem vult per scalam, aut per funem impellere, prius lenit, & lubricat pinguedine, aut sapone, & sicut qui vult oßium impellere, cardinem oleo linit: quia diabolus ita suis modulationibus viam linit, mollit, facilem, lubricamque reddit, & omnia impedimenta remouere videtur; vt facilè hominem per eam impellat, & ducat: quæ eadem vox habetur apud Ieremiam: *Via illorum quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea.* Hoc ipsum indicauit Spiritus sanctus: *Via peccantium complanata lapidibus.* Est namque via peccatorum innumeris difficultatibus plena, & summis periculis implicata: conatur tamen diabolus aspera conuertere in vias planas, & lapidibus planissimis viam sternere, & facillimam ad percurrendum reddere, impedimenta omnia, quę detinere possunt, suis fraudulentis consilijs remouere: vt nunquam Cæsar tam facilè reddiderit militibus suis iter per montes, quàtum diabolus repræsentat facilem viam peccatoribus; imò, & securum suadet præcipitium. Facilem ergo reddit viam difficillimam, & supremum præcipitium tanquam rem securissimam repræsentat, dicens: *Mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis, &c.* Deus qui te in filium suscepit, te tanquam filium diligit, cuius propterea mortem non vult; ideo Angelos innumeros posuit, quibus *mandauit de te*, id est, quibus te commisit, vt de tua tutela, salute, & liberatione sint soliciti, qui paràti sint te suscipere; *ne offendas ad lapides pedem tuum*, id est, vt interpretatur Basilius, nullum, vel minimum detrimentum incurras. Angeli sunt Sacerdotes, quorum tam ingens est multitudo, vt vbique eos inuenias paratos ad dimittenda peccata, quorum Principi Petro dixit: *Non dico septies sed, & septuagies septies.* Confessarios in Ecclesia sua statuit, qui te ma-

¶ 175.

Ierem. 23. 11

Eccl. 21. 11

Scholia in Psal. 9.

nibus excipiēt, vt nullatenus illisus pereas; citò medicinam adhibebunt tam efficacem, vt nec cicatrix maneat, &c. Quomodo hæc, & alia dulciter hic mo dulator auribus inferat, egregiè tradit Gregorius. Sæpè equidem parentes, qui vitam agere decreuerunt quietam in Dei obsequio, hortatur, vt ad illicitas etiam negociationes se demittant, quia scriptum est: *Patres debent thesaurizare filijs.* Vxores similiter ad excessinos ornatus, & corporis cultus impellit, quia scriptum est, quod debent placere viris. Eodem pacto virum nobilem incitat, vt vltioni intendat, quia scriptum est, honori esse prospiciendum, & curam de bono nomine habēdam. Quem à ieiunio videt non posse reuocare, circumuenire curat, inducēs scriptum esse: *Rationabile sit obsequium vestrum.* Ad illum, quem deprehendit carnis petulantiam cohibentem, accedit proponens scriptum esse; quod *nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed vnusquisque nutrit, & fouet eam.* Quem misericordiæ, & eleemosynæ operibus videt omnimodo traditum, reuocare ab eisdē nititur, clamans scriptum esse *Vade ad formicā, qua congregat in æstate, qua comedat in hyeme &c.* Ita lubricū facit iter, & lapidibus complanat, & omnes difficultates tollit. Sic, & impius Rex Iebus contra sanctum Iosue processit, adducens in sui adiutorium reges Araba, iuxta Ceneroth. De quo annotatione sequenti.

Matt. 18. 22.

Loco cit.

2. Cor. 12. 14.

Rom. 12. 1.

Ad Ephes. 5. 29.

Prou. 6. 6.

Iosue 11.

(∴)

§. 50. *Promiſit Deus Angelos, qui cuſtodiant iuſtum ambulantem in vijs ſuis, non autem in præcipitijs.*

¶ 176. SCriptum eſt: *quia Angelis ſuis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te.* Locum Scripturæ deſumpſit diabolus ex Pſalmo nonageſimo. Multis tamẽ efficaciſſimisque rationibus Sancti Patres illum redarguunt, quod truncatè, contortè, extra inſtitutum diuinum, imò contra illud Scripturam ſacram citauerit, & allegauerit, quin, & locum induxerit, qui iuxta legitimum ſenſum acceptus, potius dæmonis conſilium eneruare poterat. Proſequitur egregiè Origenes huius inimici mores, ſub typo regis Iebus, qui Sanctum Ioſue, ſuperbo conatu expugnãdum aſſumpſit. Hic cùm in primò congreſſu, quem cũ ſancto fortiſſimoque duce habuerat, ſe victum conſpiceret, vt in ſecundo victor euaderet, in ſui auxilium vocauit, *Ioſue* 11. duxitque reges, qui erant *in Araba cõtra Generoth*, aut iuxta Ceneroth, vt dicitur in libro Ioſue. *Hom.* 14. *in Ioſue.* Et quidem ſupponit Origenes, quod Iſrael ſecundum carnem huiuſmodi bellum carnaliter tantum conſiderabat, nihil niſi bella, & ſanguinis effuſiones, congreſſuſque corporeos intelligens: ſed qui eſt Iſrael ſecundùm ſpiritum, & fidem, altiora bella ſub hac litera intueri debet, illa ſcilicet quæ diabolus rex ſuperbiæ cõtra noſtrum inclytum ducem Ioſue cõmiſit. Superbus ergo rex iſte, in primò congreſſu victus, fortiori impetu acturus, ſecundum bellum parat, munitus fauore regum Araba iuxta Ceneroth. Interpſetatur autem Araba, inſidiæ, Ceneroth verò, quaſi lucernæ, non lucernæ, inquit Origenes, ſed quaſi lucernę: aliud eſt enim lucerna, aliud quaſi lucerna. Certè lucerna eſt Scriptura ſacra, *Pſal.* 118. & 105. iuxta legitimũ ſenſum inducta, de qua ipſe Dauid: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: & Salomon: *Verbum lucerna* *Prou.* 6. 23. *eſt, & lex lux.* Quaſi lucernæ autem ſunt loca Scripturæ ſacræ, quæ contortè, aut truncatè, vel fucatè inimici Dei, diabolus ſcilicet eiuſque miniſtri inducunt, quibus vtuntur, inſidioſè agere contẽdentes, & per callidas ſuggeſtiones victoriam, quam expetunt, reportare cupientes. Ita ſe habet nunc diabolus, qui non aperta expugnatione, ſed inſidijs, callidiſque cauillationibus vtitur, fingens ſe Angelum lucis, & inducens diuinum teſtimonium, non ſecundum legitimum ſenſum, ſed contortè, & truncatè, vt non lucernam, ſed quaſi lucernam verè inducat: & cùm Dauid dicat: *Lucerna pedibus meis, verbum tuum*, ipſe quaſi lucernam adfert, qua Chriſti pedes ad offenſionem, & præcipitiũ trahat. Ita, vt paulò ante ex Chryſoſtomo diximus, agere ille conſueuit cum ijs, quos à manifeſtis vitijs videt abhorrentes, fugientes intemperantiã, ieiunia tenentes, &c. Diſce propterea, inquit Ambroſius, quia Sathanas transfigurat ſe velut Angelum lucis, & de Scripturis ipſis diuinis laqueum fidelibus parat, qui teſtimonijs Scripturatũ vtitur, non vt doceat, ſed vt circumſcribat, & fallat. Quaſi lucernam ergo diabolus in ſui fauorem adducit, non lucernam: ſi enim legitimè verbum Dei induxiſſet, potius contra ſe, quàm pro ſe egiſſet. Imò propterea locum non integre, ſed trũcatè citauit, vt egregio diſcurſu docuit Bernardus, quaſi per inſidias agere contendens. Vide, inquit, quomodo ſeipſum occultauerit Baſiliſcus. *Scriptum eſt*, inquit, *quoniam Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te.* Quid ſcriptũ eſt malignè, quid ſcriptum eſt? *Angelis ſuis mandauit de te.* Quid mandauit, animaduertite, & videte, quoniam ſubticuit malignus, & fraudulentus, quod malignitatis ſuæ commenta diſſolueret. Quid enim mandauit, nempe quod in Pſalmo ſequitur: *Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Nunquid in præcipitijs. Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere ſe deorſum, non eſt via hæc, ſed ruina, & ſi via tua eſt, non illius. Ita Bernardus. Vide ergo quid Deus viro iuſto repromittat: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.*

Lib. 4. *in Lucam.*

Serm. 14 *in Pſ. Qui habitat.*

¶ 177. *tuis*. Viam tene, fuge præcipitia; nec enim mandauit, vt te custodiant in præcipitijs, sed in vijs tuis. Et sanè sæpè in Scripturis sacris edocemur, quæ sint viæ viri iusti. Sanctus Bernardus latè id prosequitur, exponens, in Scriptura sacra multiplices vias inueniri: dantur enim viæ hominum, seu filiorum Adã, viæ iustorum, viæ impiorum, viæ dæmonum, & viæ Dei, de quibus agit ipse: quam doctrinam latius tradit Hugo Cardinalis. Sed quoniam in Psalmo nonagesimo de viro iusto agitur, expendendum est nunc solummodo: quænam viæ viri iusti in eadem sacra Scriptura dicantur. Hæ certè illæ dicuntur, quæ secũdum Dei legem stabilitæ sunt, sicut, & illæ dicuntur viæ impiorum, quæ secundum legem carnis, aut appetitus sunt stratæ. Ita dicitur: *Iustorum semita quasi lux splendens, via autem impiorum tenebrosa*, &, *Semita iusti recta est, rectus callis ad ambulãdum*. Vbi quãuis, quia in singulari de iusto sermo instituitur, Hieronymus de Christo Domino locum explicet, sed Septuaginta ad omnes iustos sermonem extendunt, quorum Christus caput, & dux est, qui eos vocat, vt sequantur se: *Via iustorum recta facta est*. Dicitur autem via iustorum recta, quippe quæ rectificatur secundum diuinę legis regulam, de qua dixit Dauid: *Iustitiæ Domini rectæ*. Et vide quam eleganti loquendi forma viam iustorum describat Propheta. Primò enim eam vocat semitam, quæ angusta esse solet, deinde vocat callem, quæ iuxta vim vocis Hebrææ significat viam tritam, amplam, & latam, quam plaustra, & carrucæ percurrere possũt: Talis est via iustorum, quæ angusta videtur prima facie, de qua dixit Dominus: *Arcta est via quæ ducit ad vitam*: sed lata est ijs, qui charitate Dei inflammati, dicere possunt: *Viam mandatorum cucurri cùm dilatasti cor meũ*: & iterum: *Latum mandatum tuum nimis &c.* Aut verè vocatur callis rectus, *camino drecho carretero*, quia nihil magis contrarium est ei quàm præcipitia. Viro igitur iusto promittit Deus, missurum se Angelos, qui eum custodiant, ambulantem in vijs suis, quia dum vetat quis viam iustorum perambulat, quam, & Deus approbat, (*nouit enim Dominus viam iustorum*) Angelos suos mittit, qui illum etiam in euidentibus periculis defendant, & custodiãt, prout saluti illius viderit expedire. Hocque ex ipsis sacris Scripturis manifestissimũ redditur. Iussit Rex Darius ex impijssimorum Satraparum consilio, ne aliquis vllum Deum oraret: Daniel autẽ viam iustorum tenere decernens, totũ se contulit ad orandum Dominũ, sciẽs, inquit Chrysostomus iustum sine oratione vix ac ne vix quidem consistere posse, missus est propterea in lacũ leonum, quem grandi lapide concluserũt. Sed quid factum est? *Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt ei, & nulla læsio inuenta est in eo, qui credidit Deo suo*. Omnia hæc expende, videtur enim Spiritus sanctus quasi digito indicare completum, quod promisit dicens: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, &c. ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, id est, vt exponit Basilius, vt nullam vel minimam læsionem incurras. Et quidẽ quamuis idem Basilius *a* hoc tribuat ieiunio Danielis, & Beatus Damascenus *b* virginitati, & Chrysostomus *c* vtrique, & Sanctus Matthias, innocentiæ, & simplicitati Danielis (*Daniel*, inquit *d*, *in sua simplicitate liberatus est de ore leonum*) sed clarius hoc ipsum explicans ibidem Spiritus sanctus, id tribuit eius fidei: *Quia credidit*, inquit, *Deo suo*: quod, & Paulus *e* expendens, confirmauit dicens, viros Sanctos (loquitur peculiariter de Daniele, ponens plurale pro singulari) *per fidem obturasse ora leonum*. Credidit enim per veram, viuamque fidem, ex qua certa processit confidentia, quòd Deus missurus erat Angelum, qui eum ambulantem in vijs suis custodiret. Idipsum, & in Susannæ historia fit manifestum. *Parentes quidem eius, cùm essent iusti, erudierunt filiam suam secundùm legẽ Moysi*: & cùm iuxta spiritus sancti sententiam, *Adolescens iuxta viam suam, etiã cùm senuerit, non recedet ab ea*, ita hanc virtutis tenuit viam, vt nullatenus eam deserere voluerit, etiam cum præsentissimo, imminentissimoque mortis periculo. Sed vide, quomodo misit Deus

Serm. 11. in Psal. Qui habitat.

In Psal. 90.

Prou. 4. 18

Esa. 26. 7.

Psal. 18. 9.

Matt. 7. 14

Psl. 118. 32.

Psl. 118. 96.

Psal. 1. 6.

Lib. 1. de orat. tom. 5.

Dan. 6.

Dan. 6. 22.

Schol. in Psal. 90.

a *Homil. de laudibus. ieiunij.*

b *Lib. 4. de fide.*

c *Varijs in locis.*

d *1. Mach. 2. 61.*

e *ad Hebr. 11. 33.*

Dan. 13. 3.

Prou. 22. 6.

An-

¶ 178. Angelum, qui eam in via sua ambulantem custodiret. Nec enim tantum excitauit spiritum pueri iuuenis, Danielis scilicet qui Angelus dici poterat, sed, & verè Angelum suum misit, quem Daniel ipse oculis clarioribus à Deo illustratus vidit, cùm dixit ad impium senem: *Manet Angelus Domini habens gladium, vt fecet te medium, &c.* Quod etsi de Angelo custode illius sanctæ puellæque fœminę, intelligi commodè possit, sed etiam de alio Angelo, peculiariter ad eius custodiam misso accipere idipsum possumus, sicut, & de Angelo comitante sanctam Iudith nõ cõtemnendi authores obseruarunt. Viam illa tenuit iustorum, percurrit, & ambulauit, mille quidem periculis implicatam, sed tandem audi ipsam dicentem: *Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc eũtem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, &c.* Quia enim res illa, quam aggressa erat, grauissima fuit, & magni momenti, credere possumus, Angelum aliquem excellentissimum è superis missum, ad eam seruandam, dirigendam, custodiendam, ne vel minimam læsionem incurreret. Quo etiã pacto peculiaris Angelus, vnusque ex septem, qui astant ante Dominum, missus fuit ad Tobiam, qui eum in vijs illis, quas ex patris sui præcepto arrepturus erat, custodiret, defenderet, seruaret. Id insuper latè expendit Daniel circa pueros illos sanctos, ad quos ambulantes in vijs iustorum, Angelum suum Deus misit, qui flammam ardoréque ignis in placidissimum rorem convertit. Missi quidem fuerunt *in caminũ ignis ardentis, colligati, &c. non cessabãt, qui miserant eos ministri Regis succendere fornacem naphtha, & stupa, & pice, & malleolis* (id est, palmitibus vitis, &c.) *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit, &c.* Hæc autem ita præstitit Deus, vt, & impius Rex ipse coactus fuerit hoc confiteri, dicens: *Deus eorum misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum.* His annectere possumus Angelos missos, vt custodirent Eliseum, & Angelum missũ, vt custodiret Iacob in omnibus vijs suis, & missum, vt Petrum è carceribus liberaret, & alia multa, quæ Diuus Bernardus cõsiderans, miram erga nos Dei beneuolentiam expendit, exponẽs hæc verba: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te.* Mira, inquit, dignatio, & magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, & quid mãdauit? studiosè cõsidere mus fratres, &c. Iustus ergo intelligat, Deum præcepisse Angelis suis, vt eum custodiat, ambulantem in vijs suis: Si ad præcipitia diuertere velit, non vtique ab Angelis custodiendus, sed deserendus. Tene ergo viam viri iusti, & ne timeas pericula, in omnibus enim te Angeli seruabunt, sed si in præcipitia tendas, nequaquam id speres. Si tu iuuenis graui te periculo exponis, vt tuæ satisfacias libidini, credis quod quantumcunque te Angelo commendes, aderit tibi, in re iniusta fauorem præstiturus? Si tu virgo contra legem Dei, parentumque obedientiam, matrimonium clandestinè machinaris, & te præcipitem das: Si ludo tu immoderato totaliter intendis, si tu ambitionem tuam sequens, regum curias frequentas, maiores expensas faciens, quam tuæ facultates permittant, si tu familiarem conuersationem cum aliena vxore contrahere contẽdis, hęc præcipitia sunt, in ijs ne speres, quod Deus mittet Angelum suum, qui te custodiat, quin imò miserè rues, & allides ad multos lapides pedem tũum, imò, & te totum.

Iudith.13. 20.

Tobia 3. & seqq.

Dan.3.

4.Reg.6. Gen.48. Act.12. Serm.12.in Psal Qui habitat.

§. 51. *Tentare dicitur Deum, qui potens aliquid obtinere per media ab ipso constituta, miraculosè vult exhiberi.*

¶ 179.

Ait illi Iesus: Rursum scriptum est; Non tentabis Dominum Deum tuum. Aduerbium, *Rursum*, potest præcedenti verbo adiungi, vt legas; *Ait illi Iesus rursum*, id est iterum, ac si dicat: Primam enerauerat Iesus diaboli tentationem inducens sic sacræ Scripturæ locum, quod os illius omninò obseruauit: idipsum fecit iterum, cum secundam adiecit tentationem: & sicuti prius Scripturam ita induxit, quæ tentionē pelleret, & seipsū non faceret manifestū, ita, & ad secundam tentationē reuincendā, illam Scripturam citauit, quæ verè tentationem eneruaret, & ipse nullatenus se proderet: siquidem illam Scripturam citauit, quam quiuis homo purus, si ita tentatus fuisset, posset respondens inducere. Ita Hieronymus *a*, Chrysostomus *b*, Hilarius *c*, Theophylactus *d*. Congruentius tamen aduerbium illud sequentibus adiungitur, vt sit vox à Christo dicta: quomodo exemplaria Sixti legunt. *Ait illi Iesus: Rursum scriptum est*, vt clauum clauo trudens, & Scripturam inepte à dæmone traditā, per eam, quam ipse rectè, atque inducebat temperans, dicere voluerit: Fateor scriptum esse, quod dicis: sed iterum scriptum est, Deum non esse tentandum eam simul insignem explicandi sacras literas regulam exhibens, ad legitimam earum intelligentiam, non tantum considerandum esse, quod in vno loco scriptum fuerit, sed expendenda etiam, quæ in alijs locis sunt dicta, & vnum locum cum alio esse conferendum, vt latius alibi dicemus. Hanc lectionem indicat Ambrosius *e*, & sequuntur expressè Augustinus *f*, & Euthymius *g*. Communis autem huius responsionis explicatio in eo sita est, quod ex Diuo Thoma *h* docet eius interpres Caietanus *h*, tentationem interpretatiuam (vt relinquamus tentationem formalem) in hoc præcipuè positam esse, quod homo velit per miraculū obtinere, quod naturali via consequi potest: & quod à Deo ipso velit fieri, quod per causas secundas secundum naturæ cursum à Deo statutas, potest obtinere. Quam doctrinam egregiè, latèque prosequitur ex scripturis sanctis Beatus Augustinus, qui illam habet celebrem propositionem: Pertinet ad sanam doctrinam, vt quādo habet, quod faciat homo, non tentet Dominum Deum suum: sicuti verè agricola Deum tentaret, qui cum posset messes colligere, terram colendo, & serendo, his omissis actionibus, vellet miraculosè à Deo sibi eas exhiberi. Prædicator itidem, qui cum posset per studium concionem præparare, nullo præcedente studio eam agere aggrederetur, volens quod Deus miraculosè dicenda suggereret: de quibus idem Augustinus egregiè, sed excellentius Spiritus sanctus: *In via*, inquit, *ruinæ non eas; & ne offendas in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum*. Diaboli consilium est, vt te præcipitem des, aut in periculo constituas, quod securus ab offensione futurus sis ex custodia Angelorum à Deo parata. Sed melius Spiritus sanctus consulit, te securiorem euadere ab offensione in lapides, si non te præcipitem des, & viam ruinæ fugias, nec te credas *viæ laboriosæ*, id est, difficili, in qua difficilè sine peccato ambulari potest. Cum diabolus te excitat, vt te periculo tradas, diuinum, tibi fauorem proponens, quo liber ab omni offensione euades, intellige, certius te ab offensione liberandum, si non te exponas periculo. Hoc enim facere teneris, cum necessitas non incumbit, & arctat, ne Deum tentes, & tibi exitium pares. Christus poterat ex illa eminentiori parte templi per communem scalam descendere: templum enim ita ædificauit Salomon, quod in crassitudine parietis inclusit cochleam, per quam ad superiores partes templi, ad tabulata, & cellas, quæ circa eius parietes erant, imò, & ad tectum vsque ascendi

Li. 22. cont. Faust. c. 35

in procem. lib. de doct. Christi.

Eccl. 31. 25

¶ 180.

a *In cap. 4. Matth.*
b *Hom. 13. in Matth. & hom. 5. in imper.*
c *In cap. 4. Matth.*
d *In cap. 4. Matth.*
e *Lib. 4. in Lucam*
f *In Ps. 90.*
g *in cap. 4. Matth.*
h *2. 2. q. 97 art. 1.*

ascendi poterat. Ita intelligitur illud: *Ostium lateris medij in parte* (alij textus communiter, *in pariete*) *domus dextra, & per cochleam ascendebant, &c.* Dicitur, inquit Abulensis, ostium lateris, quia erat in latere, scilicet in pariete, qui erat ad latus templi: & dicitur lateris medij, quia erat in medio parietis, & intra grossitiem eius: de quo, & Iosephus. Templum similiter secundum, quod tempore Nehemiæ extructum fuit, similem habuit cochleam: illud itidem quod tandem ab Herode fuit reædificatum, vt apud Iosephum videre licet. Per hanc ergo poterat Christus descendere facilè, hęc patens erat descendendi via, idcoque si ea relicta vellet descendere, se dimittendo, sperans ab Angelis sustentandum, diceretur Deum tentare, & in via ruinæ ire, & viæ laboriosæ se credere, ideoque respondit: *Non tentabis, &c.* idest, vt inquit Augustinus; Si hoc fecero tentabo Deum. Ex quo intelligere possumus, nequaquam nobis miraculosè sperandum auxilium, dum communi via, & ad manum habemus, quæ agere valeamus. In cuius confirmationem annotauit Diuus Thomas illud sancti Regis Iosaphat. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, quod oculos, nostros dirigamus ad te.* Pertinet enim ait Augustinus, ad sanam doctrinam, vt cum homo habet quod faciat, non tentet Dominum Deum suum: iuxta quam, multi sunt qui Deum tentare videntur: tu videlicet, quasi per Angelorum manus cibum obtinere, dum pedes labore manuum tuarum, aut inseruiendo alijs, victum comparare, nec laborare, aut inseruire vis; similiter tu, qui quæris, vt Deus Angelos mittat ad portandum in cœlum, cum tibi patens sit scala mandatorum, quam cum tenere possis, non vis vel attingere. Tu itidem qui te demittis voluntariè ad occasiones peccati, sperans quod Deus manibus suis te sustentabit, ne offendas ad lapidem pedem tuũ cum tibi pateat securitatis via, quam possis tenere, fugiendo talem occasionem. Susanna quidem diuinitus sibi auxilium, dãdum confidebat, & *cor eius erat fiduciam habens in Domino*, quia nulla alia salutis via patebat, hocque solum habebat residui, vt oculos suos ad Deum dirigeret: miracula tamen quærere, aut expectare, est tentare Deum.

3.Reg 6.8. In 3. Reg. 6.q.11.12.

Li 8. anti. cap.2.

Tra.2.in 1 can.Ioan. ad finem.

2.2.q 97. a.1.2.Par. 20.12. Loco cit.li. 22. contra Faust.

Dan.13.25

§. 32. *Ostendit euidẽter Christus dæmoni, se eius comprehendisse mentem, quod ad reuincendum illum est efficax.*

PResſius hæc Christi responsio expendenda: nam Scripturam sacrã tam aptè iuduxit, sicut decebat illum, qui eiusdem Scripturæ erat præcipuus author, & conditor. Locus habetur in Deuteronomio, & quamuis in Hebræo, vt videre est apud Pagninum, legatur in plurali: *Non tentabitis Dominum Deum vestrum, sicuti tentastis in loco tentationis*, tamen apud Septuaginta, iuxta quos Christus, & Apostoli frequentius Scripturas citarunt, sicut Christus retulit, habetur: quo etiam modo Hieronymus in Vulgata legit, nec vlla est discrepãtia, cũ in singulari legitur, *Nõ tentabis*, aut quia ibi sermo erat cum singulari populo, aut vt ostendatur, ea quæ in communi à Deo statuuntur, ita ab vnoquoque legenda, & accipienda, ac si cuiuis in particulari directa sint. *Non*, inquit, *tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*. Ad eam alludit historiam, quæ habetur in Exodo, quando tam impia tentatione populus tentauit Dominum, vt ab ea locus ille nomen acceperit, vocatusque fuerit. *Tentatio*. Tentare propriè loquendo, vt ex professo ad hoc institutum annotat Diuus Thomas, est experimentum de aliqua re sumere. Vnde quando homo aliquid agit, tantum ad experiendum, & sciendum, dicitur tentare, nautis, qui equo insidet, non ad iter agendum, sed tantum ad experimentum iumendum illius: similiter, qui ostium im-

q 181.

Deu. 6 16.

Exod.17.7

1.2.q 97. art 1.

impellet, tantum ad experiendũ, apertũ ne sit, an clausum. Idcirco tunc verè aliquis dicitur tentare Deum, quando aliquid facit, aut ab eo fieri postulat, tantum intendens experimentum sumere diuinæ potestatis, seu pietatis, vel gubernationis, aut scientiæ: vt si aliquis peteret aliquid fieri à Deo, vt Deus ostenderet se rem aliquam scire, aut verò potestatem habere, vel prouidentiam, & gubernationem orbis. Hocque populus ille egit quando defectum aquarum sensit. Duo enim ibi peccata commisit, inquit Caietanus; primum iurgij aduersus Moysen: *Iurgatus enim est populus contra Moysen, dicens: Da nobis aquam ad bibendum.* Secundum tentationis contra Deum, dicens: *Esne Deus in nobis an non?* Et propterea Moyses hæc audiens, arguit eos dicens: *Cur tentatis summum Deum?* Verè enim tentabant, vertendo in dubium propter penuriã aquarũ, vtrum Deus esset gubernator eorum: & optando se certos reddi, quæ fierũt, & exegerunt prouisionem aquæ, non tam vt haberent aquas, quam vt scirent, an Deus eorum gereret prouidentiam. Debebant autem visis tot miraculis præcedentibus, humiliter, & reuerenter recurrere ad Deum, petendo fidelibus precibus, vt daret eius aquam: non verò quærere experimento prouisionis, an Deus prouidentiam haberet. Hæc similiter annotauit Hugo da Sancto Victore, & Rupertus idipsum ex professo prosequitur, annotans, populum illum hanc petitionem ad sui etiam superbiam, & iactantiam ordinasse, vt scilicet posset gloriari, quod Deus singulariſſimam illius curam gerebat. Et quamuis Deus vellet, vt omnes hãc sui erga populum illum curam intelligerent, ad ipsiusmet Dei gloriam; populus tamen ad sui ipsius gloriam, & iactantiam ordinabat eiusmodi petitionem, vt scilicet posset se extollere, tali experimento comprobans, quod Deus esset cum eis. Tentauerunt ergo Deum, qui non vt eum colerent, aut præcipuè vt sibi prouideret, aquas ab eo postularunt, sed vt per hoc n edium inuestigarẽt, an Deus tãam illorum gereret curam, qualem per os Moysi promiserat, vt hinc possent in semetipsis extolli, & gloriari, quod habebant Deum ad mensuram oris sui. Quod factum Deo ita displicuit, vt nunquam ab eius memoria excidisse visum fuerit: quam tentationem perpetuò illi populo improperauit; & propterea tandem in Deutêronomio, idest, secunda vel iterata lege, vt annotat Hieronymus, id apertè expressit: *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis;* Hinc patet, quam aptè Christus Dominus nunc hanc inducat Scripturam: vult enim diabolus, & petit, quod se demittat, non quidem humiliter à Deo postulando auxilium propter aliquam vtilitatem, sed ad inuestigandum, inquirendum, & sciendum, an Deus eum tanquam filium diligeret. Excitat propterea Christum, vt experiatur, an Deus gerat illam ipsius curam, quam per os Dauidis promiserat: *Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* Et id quem non ad Dei gloriã, sed ad ipsiusmet Christi factum, & iactantiam, vt omnes viderent, quantus esset homo, quem, cum se expinnaculo demitteret, Angeli manibus exciperẽt, vt dictum est. Optimè ergo ea verba inducit, quibus similis actio expressè, & singulariter prohibita fuit à Deo, dicente: *Non tentabis, &c.* Et verè sensus iste non latuit Sanctos Patres, quem indicant Hilarius *a*, Chrysostomus *b*, Augustinus *c*, & Ambrosius *d*. Manifestè ergo CHRISTVS Dominus ostendit, se apertè comprehendisse dæmonis intentionem, & mentem; qui verè illum inducebat, vt expendit Beatus Maximus *e*; idem est enim, inquit, ac si dixisset: Hoc quod suades diabole, tentationis præsumptio est, non consilium sanitatis, iactantiæ vanitas, non virtutis exemplum: Deum enim tentat, qui iactantiæ suæ vitio superfluam, & inutilem vult ostentare virtutem. Sic caput, & mentem serpentis statim conterere voluit, inquit Sanctus Irenæus, sicut de illo prædictum, ostendens se eius mentem comprehendisse. Occultam igitur diaboli in-

Exod. 17. *In cap. 17. Exod.*

In caten. Lippo. K In cap. 4 Matth.

¶ 182.

in cap. 4. Matth.

a *Cant. 3. in Matth.*
b *Hom. 13. in Matt. s in imper*
c *In Ps 90*
d *Lib. 4. in Lucam.*
e *Hom. 1. et 4. Dem. 1. quaerag.*

Lib. 5 cont. Haref. c. 21.

ten-

tentionem prodidit, & in lucem dedit, quo facile eum potuit reuincere: oſtendens ac docens, quomodo tentationes quædam occultæ, quas diabolus titulo ſanctitatis proponit, à nobis ſint reuincendæ, id ſiquidem fiet, ſi cum ad aliquid excitamur, quod Sanctum, bonumque apparet, intentionem finemque excitantis diſcutiamus. Quod egregiè annotauit Beatus Bernardus, expendens illud quod Sponſus dixit: *Capite nobis vulpes paruulas*. Circa quod, quærit duo: primum, cur tantum vulpes paruulas capi iubeat. Nunquid enim maiores vulpes relinquendas voluit, aut verò minus cauendæ ſunt maiores, & ſeniores; deinde cur non abigi, occidi, fugari, expelliuè, ſed tantum capi iubeat, melius, & ſeuerius videretur, occidere eas, quam capere. Sed reſpondet in primis, Sponſum cœleſtem, nomine paruarum vulpium, intelligere quaſdam tentationes occultas, ſubtiles, quas titulo ſanctitatis, aut Scripturarum ſanctarum exẽplo, diabolus inducit; quas puſillas dixit, non malitia, ſed ſubtilitate, aſſutum ſiquidem natura hoc genus eſt animantis, promptumque admodũ ad nocendum in occulto, & videtur mihi congruentiſſimè deſignare, ſubtiliſſima quædam vitia, ſpecie palliata virtutum, nec enim aliter nocere queunt, niſi quod ſe virtutes, virtutum quadam ſimilitudine mentiuntur. Sunt autem hæ cogitationes hominum, aut vanæ aut factæ immiſſiones per Angelos malos, *Angelos Satanæ, qui ſe transfigurant in Angelos lucis, parantes ſagittas ſuas in pharetra*, hoc eſt, in occulto, *vt ſagittent in obſcuro rectos corde*. Vnde puſillas propter hoc reor dici, quod cum cætera vitia, quadam quaſi corpulentia ſui manifeſta ſe præbeant, hoc genus pro ſui ſubtilitate, haud facilè agnoſci, & ideò nec caueri poſſit, niſi duntaxat à perfectis, & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis, ad diſcretionem boni, & mali, maximeque ad diſcretionem ſpirituum, qui cum Apoſtolo poſſint dicere; *Quia non ignoramus aſtutias Satanæ, nec cogitationes eius*. Et vide, ne fortè ob hoc ab Sponſo iubeantur, non quidem exterminari, vel abigi, vel occidi, ſed capi, quod videlicet, huiuſmodi ſpirituales doloſaſque beſtiolas, omni vigilantia, & cautela obſeruari oporteat, & examinari, & ſic capi, id eſt, comprehendi in aſtutia ſua. Ergo cum proditur dolus, cum fraus aperitur, cum conuincitur falſitas, rectiſſimè tunc dicitur capta vulpes puſilla, quæ demoliebatur vineam. Ita Bernardus, & acutè quidem, verbum enim capiendi, abſolutè prolatum, non tantum ſignificat, quod eſt manu, aut laqueo apprehendere, ſed, & id quod eſt intellectu comprehendere, quod fit, cum videlicet mentem intentionemve alicuius aſſequimur. Ita intelligo illud Apoſtoli: *Capite nos*, id eſt, videre, quid ergo intendam: ita, & dicitur quis capere verbum alicuius, quomodo, & Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum iſtud*, proprijſſimeque dicitur hoc verbum, quãdo penetramus mentem, intentionemque eius, qui dolos contra nos inſtruit, hoc namque ipſo, quod ei oſtendimus, nobis iam eius mentem patere, ille comprehendi dicitur, qui iam hoc ipſo nihil agere poteſt in noſtri exitium. Et verè alludit Sponſus, ad naturam vulpis, quæ præcipuè fraudibus agit, & ſuperat, & vel hoc ſolo fugatur, quod quis ei oſtendit, ſe illam vidiſſe. Quod eleganter proſequutus eſt Beatus Epiphanius, dæmonis mores ex vulpis conditionibus declarans, quas exprimunt, qui illius animalculi naturam deſcribunt. Vulpes, inquit, verſutum eſt animal; cum enim eſurit, & cibo caret, aprica loca adit, & humi ſtrata, animamque continens, ac ſimulans ſe mortuam, ſupina iacet oculis, & pedibus ſurſum electis, Aues itaque dilabuntur, vt ipſa veſcantur: illa verò arripit eas ſubitò, ac pro libito deuorat. Ita ille. Quod, & Gyllius clarius dixit: Cum autem, inquit, greges ſubuolantes videt, humi ſtrata iacet, ſimul, & oculos claudit, & roſtrum in terram deponit, & animam continet, & dormientis, vel potius extinctæ ſpeciem ſimilitudinemque gerit. Cùm autem ſic ad terram abiectam aues conſpiciunt, mortuam arbitrantes, gregatim dilabuntur, in eaque hæſitantes, tanquam illudunt, ac vulpes eas ad roſtrum

Ser 64. Cantica. Cant. 2. 15

¶ 183.

2. *Cor.* 11. 14.

Pſal. 10. 3.

2. *Cor.* 2. 11

2. *Cor.* 7. 2.

Matt. 19. 11. 12.

In Phyſiol. c. 19.

Exo lib. 2. *Oppiani.*

¶ 184. Lib. 2. Ethimol. cap. 2.

strum appropinquantes, ore hiante, atque imminente devorat. Similiter eius fraudes describit Beatus Isidorus, & Albertus Magnus addit, eam exertam habere tunc linguam, Michael Herus subiungit, in argilla rubra eam prius volutari, inquinarique, vt vulnerata, ac sanguine cruentata appareat. Itaque quasi mortis operculo se induit, quo securas reddat auiculas. Si illæ hanc vulpis mentem, dolumue apprehenderent, dicerentur eam capere, & hoc ipso eam deluderent. Ita, inquit Epiphanius, diabolus nobiscum agit, operit se aliquo indumento securitatis, sicuti nunc agens cum Christo, Scripturæ sacræ verbis tentationem operit, idque sæpius facit, dum sub specie diuini verbi, vel virtutis abscondit laqueum. Capienda est vulpecula, id est, mens eius comprehendenda, tenenda intentio illius, hoc enim ipso quod ostenderimus eius mentem percepisse, nihil habebit, quod agat. Dum ergo excitaris vt honori consulas, ne patiaris te ab alijs cõtemni, quia scriptum est: *Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ* attentè considera, an potius ad vindictam vel iram, quam ad verum honorem, quem Christianum decet, inducat. Si ad seruandas facultates diuitiasque impelleris, quia scriptum est: *Vade piger ad formicam, quæ congregat in æstate, &c.* cape excitantis mentem, an verius auaritiam, quam prouidentiam suadeat. Si ad proximorum opera consideranda, vel inquirenda mouearis, quia scriptum est: *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, vide ne potius ad curiositatem, quam ad proximi vtilitatem inducaris. Iuxta hanc doctrinam sæpè exponere visus est Beatus Hieronymus illud Ecclesiastes: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio facit cessare peccata maxima.* Spiritus nomine diabolum intelligit, sicut etiam Sanctus Gregorius Taumaturgus *a*, Olympiodorus *a* Ambrosius *b*, & Cyrillus *c*, & Gregorius Papa *d*: illum non simpliciter vocat Spiritum, sed cum addito, *potestatem habentis*, id est, Dei, quia nullam potestatem diabolus habet, nisi quam Deus, cui subest omnis potestas, ei indulserit, concesserit, vel permiserit, vt recte annotant Augustinus *a*, & Gregorius *b*. Hic spiritus dicitur ascendere super te, cum surgit ad expugnandum te. Vnde Symmachus legit: *Si superuenerit tibi, aut irruerit in te, locum tuum ne dimiseris*. Hieronymus legit *cor tuum*, quomodo etiam Diuus Cyrillus Alexandrinus *c*, amboque credunt, id nobis imponi, quod alibi dictum est, *Omni custodia serua cor tuum*. Itaque vult dicere: Cum tentator irruit, sta attentus, sta super teipsum, quod Hispanè dicimus, *Esta enti*, diligenter attendens, quid tentator intendat: *Curatio enim facit cessare peccata maxima*: curationis nomine Hieronymus intelligit, diligentem, solertemque curam, qua tentatoris mentem quis capit, & eius intentionem comprehendit: hoc enim ipso cessat ille tentare, quo suas fraudes notis à nobis comprehẽsas sicuti, & nunc factum est, hoc namque ipso quòd Christus explicuit se eius intentionem comprehendisse, & quod intellexit, se sub titulo confidentiæ, quam Scriptura sacra suader, induci verè ad id, quod Deus manifestè prohibuit, scilicet ad tentandum Deum, non habuit quo vlterius progrederetur, sed ad tertiam diuersamque omninò tentationem inducendam, se totum conuertit.

Prou. 22. 1.

Prou. 6. 6.

Eccl. 17. 12

Epist. 8. & lib 2. Apol. cõt. Ruffin. & in c. 4. ad Ephes. Eccl. 10. 4

a In cap 10 Eccles.

b In Ps. 37 41.

c Catehe 2

d 3. li. mor. cap. 17.

a Lib. 2. qq. ad Simpl. q. 1.

b Lib. 18. mor. cap. 3.

c In cap. 1. Esai.

Prou 4. 23

§. 53. *Loca, ſicut Balaam mutat diabolus, qui tandem duxit Chriſtum ad altiſſimum montem, non temerè definiẽdum, quis hic mons fuerit.*

¶ 185. *ITerum aſſumpſit eum diabolus in mõtem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Balaam ariolus omnes ſuas vires applicauit, vt populo Dei
Num. 23. & 24. malediceret: id autẽ in primo congreſſu conſequi non valens, loca mutabat, & ad aliam partem diuertebat, inſtigãte Rege Balac, qui credebat, vt ait Rupertus, ex mutatione locorum, mutandam populi fortitudinẽ, & quod quem ex vna parte fortem inuenerat, ex alia deprehendere poſſet infirmum. Idcirco ſecundò, & tertiò loca mutauit. Ita diabolus volens ſuperare Chriſtum, loca mutat, & quem ex vna parte primò conſiderauit, ex altera conſpiciendum ſibi proponit, & quem non potuit circa gulã vincere in deſerti ſolitudine, vbi ſumma panis erat inopia, adduxit ad populoſiorẽ orbis ciuitatem, vt ad inanem gloriam prouocaret. Quod cum minus potuiſſet perficere, locum tertiò mutat, & ex alia parte Chriſtum aggreditur, ducens eum in montẽ excelſũ, & promittens omnia regna mũdi, ſi ipſi cederet. Supremam fortioremque vltimo loco tentationem extruit, inquit Chryſoſtomus, & vt dixit D. Ephrẽ Syrus, omnem ſuam euacuauit poteſtatem. Sicut fortis athleta, inquit Chryſoſtomus, tunc omni virium ſuarum potentia contra inimicũ inſurgit, quãdo videt ſe prioribus congreſſibus, non ſolum non profeciſſe, ſed ſaucium vulneratumque remanſiſſe: & quanto in illis maiores inimici vires expertus eſt, tanto magis ipſe ſuas exerit, ſciens in vltimo congreſſu poſitam eſſe victoriæ gloriam. Sicut ergo diabolus victus à Chriſto in deſerto, eum aſſumpſit in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit ſupra pinnaculum, &c. ita, & ibi, ab eodem ſuperatus, locũ mutauit: *Aſſumpſit*, enim *illum*, & duxit, *in montem excelſum valde*. Ambroſius, in montem altiſſimum legit, ex quo omnia mundi regna poſſet oſtendere. Quidam cenſent, hunc fuiſſe montem Nebo, qui erat eminentiſſimus in campeſtribus Moab, vltra Iordanem: nam erat altior ſublimiorque pars montis Abarim, cuius ſupremus vertex, dicitur Phaſga, à quo tota regio circumſtans, etiam Phaſga vocatur, vt B. Hieronimus dixit. Huic proximus eſt mons Phogor, ita dictus, propter eminentem altitudinem, quaſi ſpecula agri, vt ait Hieronymus, in cuius vertice Balaam ariolus tandem aſcendit, maledicturus populo Dei, vt dictũ eſt. In hunc autem montem Nebo, aut Phaſga, Deus ſubduxerat Moyſen, totam promiſſionis terram eidem demõſtraturus, vbi, & mortuus eſt. De his montibus multa in libris Numerorum & Deuteronomij. Et vere ſi iſte fuit mons, aſſtute diabolus Chriſtum duxit ad illum, quaſi demonſtrare volens ſe largius cũ illo agere velle, quam Deus cum Moyſe: quaſi dicẽs: Deus, vt probè ex Scriptura noſti, tantũ conceſſit Moyſeruo ſuo, cum illum in hunc montem duxit, videre regna Chananæorum, Amorrhæorum, &c. non tamen tradidit poſſidenda, imò nec permiſit, vt aut leui veſtigio calcaret: ego verò non tantum hæc regna terræ Chanaã, ſed omnia regna mundi tibi oſtendo, non tantum quæ oculis luſtres, ſed vt verè poſſideas, ſi mihi adorationis ſeruitium impendere volueris. Deus Moyſen ſeruum ſuum poſt plurima obſequia in hoc monte defunctum reliquit: ego ſi mihi obſequutus fueris, non ſolum non defunctum relinquam, ſed ad omnia, quæ conſpicis regna, poſſidenda traducam. Alij cenſent, fuiſſe montem quendam eminentiſſimum in tribu Beniamin, inter deſertum, in quo Chriſtus ieiunauit, & Ieroſolymam, propinquiſſimum ipſi deſerto, à quo tantum diſtat per duo milliaria: eſtque propinquus ex parte Auſtrali ciuitatibus illis famigeratiſſimis Bethel, & Hai, inter quas Abraam tabernaculum tetendit. Vnde mons iſte propinquus valde eſt

Libr. 4. in Luc.
Beaux. in harmonia
De locis Hebraic.
Deut 33.
Deut. 34.
In li. Num.
Hem 13. in Matth.
Lib. de pœni. ante medium.
Adrichomius in theatro de tribu Beniamin ex Sanctio, &c.
¶ 186. *Gen. 12.*

loco illi celebri, in qua Iacob dormiēns vidit scalam, qui cum prius vocaretur Luza, tunc vocatus est Bethel, & postea tempore Ieroboam, Bethauen: iuxta illum enim posuit Ieroboam vitulos aureos, de quibus in libris Regum, & alijs in locis. Hunc autem fuisse montem, ex eo confirmant, quod vsque in hanc diem, hac de causa Mons diaboli nuncupatur. Ita sensit S. Bonaventura, & aliqui, qui referunt in illo monte constitutum sacellum, quod visitantibus concessa est indulgentia. Et verè si hic fuit mons, astutissime egit diabolus: considerauit enim montem illum propinquissimum fuisse loco, in quo rex Ieroboam facillimè populum ad supremam impijssimamq; idololatriam duxit, promissionibus regijs, quibus illum tam per seipsum, quam per suos principes allexerat: de quibus egregiè Oseas sub mira metaphora clibani, & fermenti loquitur, nam sicut pruna clibano immissa, paulatim totum clibanum succendit, & parua fermenti particula in massam iecta, totam paulatim corrumpit, ita rex Ieroboam misit in cor populi promissiones regias. quæ paulatim illud ita per concupiscentiam succenderunt, & corruperunt, vt summo affectu, quasi furentes procubuerint adorantes idola, aut dæmonem in idolis, & tam firmiter illis promissionibus radicata fuit adoratio sacrilegia in ipsorum cordibus, vt nunquam amplius fuerit penitus eradicata: vt patet ex Prophetis. Vnde de hac re agēs Dominus: *Profunde* inquit, *peccauerūt, sicut in diebus Gabaa.* In Hebræo: *Profundè fuerunt corrupti, sicut in diebus Gabaa.* Chaldaica: *Adduxere corruptionem sicut in diebus Gabaa* scilicet non solum ingens facinus Israelitæ commiserūt, sed, & seipsos accinxerunt, ad illud, vsque ad extremum vitæ spiritum defendendum, de quo in libro Iudicum. Quia ergo Rex Ieroboam quibusdam promissionibus tangens corda totius populi, sacerdotum, principum, nobilium, & cæterorum, ita illa subiecit, vt omnes proni, & procidentes adorarent dæmonem in idolis, quæ ille exhibebat, quāuis exigua respectu cuiusque posset esse promissio, quæ tot hominum milibus erat communis credidit diabolus, quod facilius, & efficacius posset cor vnius hominis subijcere, non decem tribuum, sed omnium regnorum mundi tam ampla promissione, vt illi soli illa omnia, vniuersamque eorum gloriam tradenda promitteret. Grauis certè imò grauissima, & suprema tentatio, vt dicemus. Alij tandem censent fuisse aliquem ex montibus propinquis Ierosolymæ, quam circumdatam montibus perhibet Dauid, dicens: *Montes in circuitu eius.* Sed verè Euangelista, quamuis montem non nominet, quia id, vt ait Euthymius, nihil ad rem conducebat, dixit altissimum illum fuisse, & excelsum valde: & verè circa Ierosolymā non est aliquis mons, cui hoc conueniat montes namque qui sunt in circuitu, minores sunt monte Moria, in quo templum erat extractum ideoque pinnaculum templi illis omnibus eminebat, nec oportuisset ad regna mundi ostendenda, Christum ad aliam ex circumstātibus montibus transferre. Credo igitur montē fuisse altiorem pinnaculo, & omnibus montibus circa illū existentibus, Imò, & Beatus Chrysostomus, quem citat D. Thom. asseruit montem fuisse altiorem mundi, & hoc inquit D. Thomas, videtur sonare cum dicitur: *Excelsum valde.* An autem fuerit mons Nebo, aut eius vertex Phasga aut verò alius mōs in tribu Beniamin, de quibus dictum est, nequaquam diffiniendum existimat Euthymius. Hoc certum sit, Christum à diabolo in mōtem excelsum ductum, quod considerās Chrysostomus: Mira, inquit, & mirabilis Domini patiētia, & diaboli singularis audacia: prouocat tertio nūc inimicus, & ascendit in montem excelsum, vt tentet, & Dominus sequi non dedignatur, vt vincat.

Gen. 28.

2. Reg. 12.

Lib de vit. Christ. cap. 17.

Osee 7.

Osee 9.

Iud. 19. & 20.

Mald. in 4. Matth.

Psal. 124.

In cap. 4. Matth.

In cap. 4. Matth.

Hom. 5. ex varijs in Matth.

(.·.)

§. 54. Regna mundi, & eorum gloriam ostendit Christo diabolus in momento, quæ non vera, sed phantastica fecit apparere.

ET *ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Origenes inquirit, quænam fuerint hæc regna mundi, quæ sibi tradita diabolus profitetur. Dixit enim apud Lucam: *Quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* Et respondet, mundum hoc in loco sumi, non pro machina ista à Deo creata, sed in malam partem pro hominibus carnalibus, aut mundanis, suos affectus prauos sequentibus. Eo modo, quo sæpè in Scriptura sacra dicitur: *Totus mundus in maligno positus est, & qui amicus est huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Huius mundi diabolus dicitur princeps à CHRISTO Domino: *Venit*, inquit, *Princeps huius mundi.* Absit nâque, inquit August. vt diabolum mundi principem ita dictum existimemus, vt eum cœlo, & terræ dominari posse credamus, sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto terrarum orbe diffusi sunt: & hoc modo mûdû sæpè in Scriptura accipi, frequenter docet idem August. Sunt autem huius mundi regna, homines diuersis peccatorum generibus craditi, super quæ diabolus regnat: hæcque sibi tradita dicuntur. Sciebat igitur diabolus, inquit Orig. Christum venisse, vt regnum eius tolleret, & vt ij, qui sub eo erant, inciperent esse sub Christo. Idcirco omnes homines vitijs traditos, tanquam diuersa regna, in quibus regnabat, ei ostendit, dicens: Ideo veniſti, vt aduersus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc subiectos habeo: nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando molestiam: vnum est quod precor: Procidens adora me, & accipe regnum omne, quod teneo. Ita ille. Hanc sententiâ sequi videtur B. Cyprianus: à communi tamen sanctorû Patrum sensu procul abest, qui docet, regna orbis terræ à diabolo esse ostensa Christo. Voluit namq; in eo cupiditatê excitare, & ideo illam ostendit, quæ ad eam excitandam poterant conducere, qualia sunt regna terræ, eorum amplitudo, diuitiæ, & gloria. Ita Ambro. *a* Hieron. *b*, Chrysost. *b*, Rupertus *b*, Theophyl. *b* Euthymius *b*, D. Th. *b*. D. Ephrem Syrus *c*. Signanter autem quod Origenes dicit, dæmonem cognouisse Christum, minus probabile est: tota enim eius cura erat, hoc agnoscere, & ad hunc finem omnem tentationem destinauit, vt ex S. Patribus dictum est. Quomodo autem hæc omnia regna, & eorum gloriam ostenderit diabolus, non facilè est explicare, præsertim cum S. Lucas dicat, ostensa fuisse: *in momento*: quia videtur in primis impossibile, dari montem in mundo, ex quo omnia regna mundi conspici possint: nam si talis mons daretur, etiâ ipse ex omnibus regnis posset videri: & certum est, nullum talem montem dari, qui ex omnibus mundi partibus videatur. Deinde, quia etiam si daretur, non potest humanus obtutus, quæ longissimè distant, videre: nam debet inter potentiam, & obiectû esse debita distantia: ideoque multæ stellæ sunt in cœlo, quæ à nobis videri distinctè non possunt, quamuis ingentis sint magnitudinis, quia longè distant. Et quamuis omnia regna mundi ex aliquo eminenti loco videri possent, non tamen inde posset discerni cuiusuis gloria, peculiaris ornatus: nam experientia compertum est, quod etsi montem à longè videamus, nullatenus arbores, fontes, herbas, aliaque, quę ad eius ornamentû faciunt, visu deprehendimus. Diabolus aût non quomodocunque dicitur ostendisse Christi regna, sed *& gloriam eorum.* Hoc ergo difficile est; ait Rupertus, nam neque naturâ rerum, neque oculorum, hoc admittit, vt de monte quolibet, quantumuis excelso, cuncta terræ regna, & regnorum omniû gloria simul, & in momento possit ab homine perspici. Deo sanè facile esset, omnia regna, & eorum gloriam, imò, & minores atomos, clarissimè oculis cuiusque exponere videnda, sicut verè exposuit D. Benedicto, referturque Gregorius: nam cum sanctus vir nocturnas orans ageret vigilias, subito vidit lucê fusam desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, târoque splendore clarescere, vt diê lux illa reuin-

a *Lib. 4. in Lucam.*
b *In cap. 4. Matth.*
c *Lib. de Pœnit. ante medium.*

¶ 185. *Hom. 30. in Luc Luc. 4. 6*

1. Ioa. 5. 19 Iacob. 4. 4.

Luc. 4. 5.

Ioan. 14. 30 Tract. 52. in Ioan.

Tract. 52. in Ioannê circa initium, & Epi. 120. ad Honor. c. 3. & 1. de doctrin. Christ. ca. 32. & in Ps. 30. cõt. 3. & c.

¶ 188.

in cap. 4. Matth.

L. de ieiun. & tent. Christi circa finem.

2. Dialog. cap. 35.

ceret, sub qua omnis mũdus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Hoc inquit Rupertus, mirantes veneramur, quod egit cũ homine omnipotens Deus, qui cum totius lucis sit author, quam voluerit lucem potest producere, & infundere, sub qua omnia quę ille voluerit repręsentare, clarissimè conspiciuntur. Sed tenebrarum author nullatenus potest, quam vult lucem producere, sub qua totus mundus, & quæ in ea sunt glorioſa, clarè cernantur. Vnde D. Thom. non approbat dictum B. Remigij asserentis, dæmonem eo modo ostendisse Christo regna mũdi, & eorum gloriam, quo Deus ostendit B. Benedicto vniuersum mundum, & omnia, quæ in eo sunt, luce quadam desuper immissa. Deinde facilè est Deo, per imaginariam visionem, omnia quæ vult ita represẽtare, ac si oculis clarissimè cernerentur; quomodo futura ita Prophetis ostendit, vt videtes meritò dicerẽtur. Imo, & diabolus ipse hoc modo potest multa ita imaginationi repræsentare, vt oculis conspici videantur, qũo sępè Lamijs res ostẽdit, vt cũ verè immotæ in vno loco persistãt dormiẽtes, credant se in tali, vel loco reuera stetisse, hæc, aut illa vidisse, &c. & quamuis sint, qui credant, ita dæmonem ostendisse Christo regna mundi, & gloriam eorum, ſpecies in eius imaginatione commouens, aut inducens, sed nõ satis pium est, inquit Ianſenius, dicere, diabolum interiores Christi sensus, aut imaginationem commouere potuisse, nouis apparentium rerum ſpeciebus. Nec vllatenus ita sensit B. Titus Bostren. quamuis quidam diligens author ita illum fuisse referat: tantum enim dicit, dæmonem ad modum eloquẽtis oratoris, verbis depinxisse regna mundi, & eorum gloriam, credidisseque, ita res à Christi mente cõceptas, sicut ille verbis expressérat: Qũo Titus Bostrenus credit, regna mundi à dæmone ostensa fuisse Christo. Alij dicunt, dæmonem ostendisse, non quidem expressè repræsentando regna, & eorum gloriam oculis Christi, sed digito iudicãdo, & demõstrando, dicens: In illã partẽ est regnũ Persarũ; versus istã est Romanorũ regnũ &c. & *eorum gloriam*, ostendit, quia in vnoquoque regno quid excellens esset recensuit. Ita Chrysost. *a*, Euthymius *b*, D. Th. *b*. S. Bonauẽt. *c*, & multi ex recentioribus: hæcque sententia probabilis est. Quidam nostri temporis doctus author *d*, existimat: dæmonem verè omnia regna mundi, & eorum gloriã, & ornatum, aut quæ in illo pretiosa sunt, obtulisse oculis Christi, quia potuit species visibiles rerum, quas philosophi intentionales appellant, ex remotissimis locis vsque ad oculos Christi deferre, per quas res omnes, quãrum illæ erant ſpecies, clarissimè intueretur. Hoc tamen vel ipſi philosophiæ repugnare credo, quæ docet, ſpecies visibiles pẽdere à rebus, non solum in fieri, sed, & in conseruari: neque puto, dæmonem tanta virtute præstare, vt possit cuiusuis rei veras ſpecies visibiles in quemcũque locũ deportare, aut conseruare, etiã in absentia rerum, quarum sunt ſpecies, vt latè pbat Abulẽsis. Alij ergo tandẽ existimant diabolum non vera regna mundi obtulisse Christo videnda, sed phãtastica, & à se conficta. Ita ex professo Rupertus, *e*, & egregiè Theophyl. *f*, & elegãter D. Ephrẽ Syrus *g*. Hanc ego credo verissimam esse sententiã: hoc enim decens aptũque est, & cõditioni, & potentiæ dæmonis. Cõditioni quidẽ, quia mendax est, & pater mendacij, & mẽdacia confingere est illi maximè proprium, & solũ fucata bona exponere. Cõtendit B. Augustinus *h*, columbam, in cuius ſpecie Spiritus S. apparuit in baptiſmo Christi verum animal fuisse: quia decuit, inquit, vt ſpiritus veritatis, non vteretur fictione, aut figura mendaci. Quam sententiam docuerat Tertullia. *i*, & ſequutus fuit Ansel. K, & ex professo Diuus Thomas *l*, propter eandem rationem demõstrat: quia indecens est Spiritui veritatis, fallax rerum expressio: dæmon autem est ſpiritus mendacij, vt ore suo ipſemet fatetur *m*, & proprium est illi mendacia loqui, & fingere; idque semper agit, cũ ex proprijs agit *n*. Decẽs ergo erat, suæque conditioni conueniẽs, nõ vera regna demonstrare, sed mendacia falsa, & conficta. Hoc ipſum est eius potẽtiæ proportionatum; quia potest fictè repræ-

In cap. 4. Matth.

In cap. 4. Luca. Toletus.

a *Hom. 5 in imperf.*
b *In cap. 4. Matth.*
c *In cap. 4. Luca.*
d *Tolet. in ca. 4. Luc. annot. 16. q. 189.*
In cap. 4. Mat q. 43.
e *in cap. 4. Matth.*
f *in cap. 4. Matt. & in c. 4 Luca.*
g *Lib. de pœn. cit.*
h *Libro de Agone Christ. c. 22*
i *Li. de carne Christi cap. 3.*
K *in cap. 3. Matth.*
l *3. p. q. 39. art. 7.*
m *3. Reg. vlt. 22.*
n *Ioa. 8. 44*

repræſentare quaſcunque res duobus modis: primò ad modum pertiſſimi ſculptoris, aut pictoris, qui poteſt tã excellenter, & ad vnum res exhibere depictas, vt veriſſimæ videantur. Id namque potuit Zeuxis Heracleotes, qui vt refert Plinius, in certamen picturæ cum Parrhaſio deſcendens, ita perfectè vuas depinxit, quod ad eas comedendas aues ſe demitterent. Parrhaſius ſimiliter, qui linteum attulit pictum, ita veritate repræſentata, vt Zeuxis ipſe flagitaret tandem remoto linteo, oſtendi picturam, intellectoque errore concederet illi palmam, quoniam ipſe aues fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem, vt idem Plinius recenſet. Secundo ex aere denſato poteſt dæmon quarumlibet rerum figuras, & effigies, ac naturales motus effingere, vt humanos ſenſus fallat. Lamia illa, quam refert Philoſtratus, quæ ſimulauit ſe velle nubere Melippo iuueni, plurimas opes, & pretioſa ornamenta, ingentemque vini, & epularum copiam in conuiuio oſtentabat, quæ omnia cum Apollonius diceret, fuiſſe phantaſtica, & conficta, ſubitò euanuerunt. Hoc modo repræſentat diabolus lamijs palatia illuſtriſſima, omnibus mundi ornamentis excellentia, quæ ſubitò diſparent. Ita coram oculis Beati Antonij aliquando innumeras pulcherrimarum mulierum formas nudo corpore exponebat, vt refert D. Athanaſius, & aliquando ferociſſimorũ animalium horribiles figuras. Quod, & Catharinæ Senenſi accidiſſe ſimiliter enarrat B. Antoninus. Quo etiam modo coram S. Benedicto in ſolitudine ambulante, expoſuit vas argenteum, vt B. Gregorius enarrat: & huiuſmodi innumera ſunt in hiſtorijs Sanctorum. Ita ergo credo, diabolum oculis Chriſti Domini exterius, omnium regnorum, ciuitatum, hominum, &c. ſpecies ex aere effermaſſe, vt apparerent vera mundi regna, veraque eorundem magnificentia, & gloria. Ex quibus aptè explicari poſſunt duo: vnum eſt, quomodo regnorum gloriam potuit diabolus demonſtrare, alterum eſt, quomodo id potuerit, ſicut dixit Lucas, *in momento* perficere. Origenes namque

Lib. 35. c. 10.

Lib. de vita Apollonij cap. 5.

in vita Antonij.

3. p. Hiſtor. titu. 23.

¶ 190.

Luc 4. 5.

Hom. 3. in Luc.

dixit, Euangeliſtam more Scripturæ loquutum, ſecũdum quam omne tempus quantucumque longum, æternitati comparatum, iudicatur momentum breuiſſimũ: & ante oculos Dei, *mille anni tanquam dies heſterna, quæ præteriit*. Alij intelligunt, momentum pro breui tempore poſitum ab Euangeliſta Luca, ſecundum communem Scripturæ loquutionem, qua per Eſaiam ait Dominus: *Ad modicum in puncto*, id eſt ad breue tempus, *dereliquit te*. Ita Euthymius. Cæterum iuxta noſtram ſententiam manifeſtè apparet, quomodo in momento omnia regna mundi, & eorum gloriam oſtenderit: quia ſubitò, & citius quam Necromantici omnes poſſent operari, ipſe talia regna fecit apparere. Credo enim ibi innumeras dæmonum legiones aſtitiſſe, ſuo principi famulaturas, quem videbant in prioribus congreſſibus ſuperarum, quæ omnes ex aere, varia omnium regnorum expreſſerunt ſimulachra; & omnes eorum ciuitates pulcherrimas ita expreſſerunt, vt quidquid in vnoquoque regno, & in quacunque ciuitate pretioſum, ſplendidum, concupiſcibileque eſſe poterat, fulgentiſſimum coram Chriſti oculis ita exhibuerint, vt omnia regna mundi, & eorum gloriam manifeſtè conſpicere videretur. Illic Romam exhibebant triumphantem, ſumma concupiſcentia dignam. Ibi Babylonem pulchrioribus muris cinctam, quam cum Semiramis muros illius extruxit, & cum Nabuchodonoſor ex eius ſolo dominio in ſummam fuit elatus ſuperbiam. Ex illa parte regnum Ophir, auro ſplendidiſſimo abundans, ex iſta regnum aliud illuſtriſſimum, &c. Regna itidem repræſentabat, plena nobilibus clariſſimiſq; viris, & redundantia innumera hominum multitudine, ornata fontibus clariſſimis, circumdata nemoribus fertiliſſimis, in quorum agris ingentes pecudum copiæ apparerent. Mare ſimiliter plenum triremibus, & nauibus totius generis: inſulas etiam, &c. vt ſi vnius regni cupiditate homines ad quodcunque facilius impelluntur, omniaque ſibi licere, vt regnent, cenſere ſolent, valdè poſſet

Eſa 26. 20.

in cap. 4. Matth.

Christum inducere ad sui adorationē, cui propterea non vnum, aut alterum, sed vniuersa regna tam illustria, tam
In *Psal.* 1. liberaliter offerret. Hunc dicendi modum tenet Chrysostomus, quam breuibus verbis concluſit Diuus Bonauē-
In cap. 4. *Luc.* tura. Omnia, inquit, concupiſcipibilia mundi, in quibus, & per quæ homines regnant, oſtendit. Neque incongruum iudico credere; dæmones omnia prædicta repræſentantes, illi ſupremo eorum principi varijs, & plurimis reuerētiæ ſignis fuiſſe obſequutos, & ea ſubiectionis, atque obſequij ſigna dediſſe, quæ coram legitimo rege regna ſolent exhibere, vt validius hoc ipſo perſuaderet Chriſto, ſe illorum regnorum omnium plenum accepiſſe dominium, & poteſtatem. Id ſi quidem indicare videntur verba illa, quæ apud Lucam diabolus dixit: *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum.* Nomine enim *poteſtatis*, intelligunt Ambroſius *a*, & D. Cyrillus Hieroſolymitanus *b*, authoritatem regendi, & diſpenſandi res, de qua dicit Apoſtolus *c*. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Quaſi dicere voluerit, iuxta mentem Beati Bonauenturæ: Tibi dabo, vt habeas hoc dominum poteſtatis, & præconium laudis, vt tibi illud exhibeatur, ſicut vides mihi exhiberi.

Luc. 4 6.

a *Lib.* 4. *in Lucam.*
b *Cathe.* 4 *ad ſi to.* 2. *Bib i. SS PP.*
c *Rom.* 13. 1.

§. 55. *Violenta fuit vltima tentatio, vt Diabolus, quod intendebat perficeret.*

¶ 191. HÆc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Mendax, arrogans, falſa, doloſaque fuit hæc pollicitatio, vt dicemus. Quid tamen per eam diabolus intenderit, dubium eſt, & ex eo difficile, quod non præmiſit nunc illud, quod duabus præcedentibus: *Si Filius Dei.* Neque aliquam habet probabilitatis ſpeciem, quod dixit Origenes, diabolum nunc iam cognouiſſe Chriſti perſonam, quod etiam Beatus Gaudentius Epiſ. Brixianus aſſerit. Præterquam quod enim hoc eſt contra communē ſanctorū Patrū conſen-

Hom. 30. *in Lucam.* *Serm.* 18. *de villico in iq to.* 2. *Biblioth. SS. PP. col.* 186.

ſum, eſt etiam contra manifeſtam rationem, quam D. Thom. inſinuat. Quomodo namque diabolus, ſi Chriſtum cognouit, ab illo petiiſſet ſe adorari, qui propterea quod eius perſonæ ſimilitudinē, cum primò creatus fuit, affectauit perpetuæ damnationi fuit addictus? Probabile eſt autem quod alij per oppoſitum cenſent, diabolum ex præcedentibus tentationibus omninò deceptum euaſiſſe, & depoſuiſſe omnem illam, quam habuerat ſuſpicionem, quod Chriſtus erat Filius Dei, ex eo quod vidit, non conuertiſſe lapides in panem, & fortè credidit, quod à pinnaculo templi non ſe demiſit, quia auſus non fuit ſe demittere. Videns inſuper Chriſtum à ſe liberè raptum, & ductum quò volebat abſque aliqua reſiſtentia, credidit, quod verè non potuit illum prohibere. Idcircò non iam exploraturus an eſſet filius Dei, quem putum hominem, ſanctiſſimum tamen credebat, ſe totum conuertit, vt ad grauiſſimum idololatriæ peccatū induceret. Ita B. Hilar. *a* S. Bernard. *b*, & S. Th. *c* Cæterum S. Ambroſ. *d* perpetuus eſt in ea, quam tanquam fundamentum præmiſit; ſententia, diabolum ita tentare, vt exploret; ita explorare, vt tentet: quia in omni tentatione conatus fuit explorare, an Chriſtus eſſet filius Dei, vt ſi eſſet, illum cognoſceret, & fugeret; ſi non eſſet, ad peccatum pertraheret. Quod, & dixit S. Iræneus *e*, & clarius B. Hieron *f*, & D. Th. *g*, ſatis apertè indicauit. Fuit autem ad hæc duo, accomodatiſſima, validiſſima, & acutiſſima hæc vlma tentatio, vt ſapienter meditatus eſt Caietan. *h* hanc quæſtionem ex profeſſo pertractans, cuius mentem ſequutus videtur Ianſenius *i*. Cogitauit apud ſe callidus tentator, inquit Caietanus, per viam indirectam explorare, imò, & extorquere, an Chriſtus eſſet filius Dei. Sciebat ille, quantum Deus odiſſet ſuperbiam, & quod nullatenus patitur, vt aliquis ſibi gloriam eius ſuffuretur. Non erat in ſui exordio, ex eo quod dixit: *In cœlum conſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo: ſuper aſtra exaltabo, &c.* perpetuæ damnationi ab ipſo fuiſſe ſe traditum, cui proprium eſt ſuperbis reſiſtere. Sciebat itidem, Patrē

3 p. q 48. art. 4.

Eſa. 14 13

a *Can.* 3 *in Matth.*
b *Ser* 1. *in die Pent.*
c *In cap.* 4. *Matth.*
d *Lib.* 4. *in Lucam.*
e *L* 5 *cont. hæreſ c.* 21.
f *in cap.* 4. *Matth.*
g *3 p. q.* 41 *art.* 4.
h *Tentatā. vlt. q. vlt.*
i *In cōcord. c.* 19.

ater-

æternum per generationem æternam omnia tradidisse, Filio, quem constituit hæredē vniuersorum: ideoq; proprium esse Dei filio, quod omnia à Patre sibi tradita fuerint, & quod cùm homo fieret, adorandus erat ab omnibus Angelis Dei. Ex quo inferebat, quod si Christus erat verus Filius Dei nullatenus pateretur superbum, extollentem se supra astra, & sibi vendicantem, nō solùm omnia, quæ Dei filio tradita erant, sed, & adorationem illi soli conuenientem: ideoq; quod tunc ostensurus esset, se potius esse, cui omnia tradita fuerunt, quique ab omnibus esset adorandus; Et hac de causa diabolus non ad quoduis peccatum prouocauit, sed ad sui adorationem, & ad illum actum latriæ sibi exhibendum, qui soli Deo exhiberi potest. Violenta igitur tentatio fuit ad explorandum. Erat itidem validissima, ad inducēdum purum hominem ad peccatum: nihil enim, inquit Chrysostomus, potentius hominem allicit ad aliquid aggrediendum, quàm honoris, & bonorum consequutio: supremos autem honores, & suprema bona totius mundi, diabolus pro vnico adorationis actu ira promittebat, vt diceret apud Lucam: *Tu ergo procidens si adoraueris me, erunt tua omnia*: de quo statim latius. Dilemmate itaque acutissimo apud se diabolus agebat: Aut hic est verus Dei Filius, aut purus homo: Si Dei filius est, certum est, quod nō sustinebit me superbientem, & iactantem quæ sua sunt, & exposcentem adorationem sibi ipsi soli debitam: sed hoc ipso ostendit, se potius esse illum, cui omnia sunt tradita, quique ab omnibus est adorandus: nullus enim paritur, vt de bonis suis alius se iactet, & multo minus Deus ipse. Si autem purus est homo, vtique tam ingenti bonorum, & honorum copia alicietur, ad id præstādum, quod tam facile, & breui tempore, & sine labore facere potest, procumbens scilicet me adorare.

Hom. 13. in Matth.

§. 36. *Vltima tentatio fuit ambitionis, & auaritiæ, quæ suprema est, vt diabolus ad sui adorationem trahat, vt in Aaron, & Balaam, & Antichristo patet.*

MOs dæmonis est, inquit Chrysostomus, cùm tentat, à minoribus ad maiora procedere, & potentiores validioresq; fagittas ad postremos cōgressus seruare. Quod ex professo, tam ipse, quam B. Ambrosius ex historia B. Iob demonstrant: cuius patientiam sub uertere contendens, paulatim à minoribus ad suprema deuenit, & terribiliorem sagittam ad vltimum reseruauit congressum, vt, & Origenes egregie expendit. Huc morem, inquiunt Chrysostomus, & Ambrosius, nunc tenuit, Christum impugnans: ideoque, tentationem fortiorem, validioremque, tāquam potentissimum acutissimumque telum ad vltimum reseruauit congressum, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, &c.* Et quamuis Chrysostomus *a*, & Gregorius Nazianzenus *b*, censeant fuisse tentationem auaritiæ, & Ambrosius *c*, & Augustinus *d* ambitionis; sed ipsimet se explicant, vt intelligamus, simul ambitionis, & auaritiæ fuisse; quamuis enim propriè loquendo, ambitio sit cupiditas honoris, & gloriæ, & auaritia cupiditas pecuniæ, & exteriorū bonorum; tamen, vt docuit D. Augustinus *e*, auaritia non solum est pecuniarum, sed etiam honoris, & potestatis ambitio: Simul autem dæmonē ad hæc duo, Christum excitare voluisse, docent Cyprianus *f*, Ambrosius *g*, & Diuus Thomas: *h*, nam non solùm gloriam regnorum, & supremam potestatem ostendit, sed & omnia regna cum omnibus bonis, quæ in vnoquoque eorum reperiebantur: ideoque suprema bona mundi, ac supremos eius honores demonstrauit, & omnia promisit, nihil excipiens, aut sibi reseruans. Ideò, & sancti Patres expendere solent, dæmonem nūc totam suam extraxisse potentiam. Quasi semetipsum colligens, inquit

¶ 191. *Hom. 3. in Matth.*

Libr. 4. in Lucam.

Tract. 4. in Iob ante fi.

a *Hom. 13. cit.*
b *Orat. in sanct. baptisma non lōgè à prin.*
c *Libr. 4 in Luc cit.*
d *Tract. 2. in 1. Canon. Ioan. ad fi.*
e *Libr. 11. super Gen. c. 15. & in Ps 118. Concio. 11.*
f *Lib. de ieiun. & ten.*
g *Libro de Cain c. 5.*
h 3. p. q. 41. art. 40. & ad 1.

Irenæus, vniuersam quam habebat vir tutem exeruit. Omnem suum impetum inquit B. Ephræm Syrus, inimicus euacuauit. Inde Anselmus explicat quod dicitur, Christum fuisse *tentatum per omnia*: Vel in sola tentatione, inquit, quia diabolus ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, in quibus omnia continentur, de quibus humana corda tentantur: quia ibi proponebatur res ad gustum suaues, ad videndum admirabiles, ad possidendum ditissimæ, ad regnandum celebres Ibi innumeri homines obsequentes, mulieres pulcherrimæ applaudentes, deliciæ, & voluptates, excitantes appetitum, Regna supremos honores exhibentia, &c. & hæc, ait Cyprianus, proposuit, non vt multo labore essent conquirenda, aut violenter coactis exercitibus extorquenda, sed quæ liberaliter ab eodem offerebantur, qui rogare videbatur Christum, vt illa vellet acceptare; vnicum ab eo, facilemque actum adorationis expostcens. Inter omnes cupiditates, illæ potentius agunt in cordibus virorum fortissimorum, quæ circa honores, & diuitias versantur. Quid enim pro imperandi, & regnandi libidine homines non egerunt, aguntque? Et quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? commune fuit mundi prouerbium: Ius pro sola dominandi cupiditate violandum: & *Multi dati sunt in auri casus*. Ex quibus explicat Cyprianus; quomodo diabolus ausus fuit in hoc tertio congressu, Christum ad supremum malum inducere, non occultè, aut fucatè, sed clarè, & manifestè, quem in prioribus nec ad minora mala, etiam sub specie boni trahere potuit: hoc siquidem à dæmonis astutia videtur alienum. Quomodo enim obtenturus erat, vt pecccatum supremum manifestè committeret ille, quem nec ad minorem culpam sub specie virtutis potuit inclinare? Sed scit diabolus tentandi artes, & inuerecundè (inquit Cyprianus) ambitiosos aggreditur, & eos, quibus terrena bona promittit. Experientia namque comperit, etiam ad idololatriam homines trahi, si eis offerat honores. aut terrena bona. Mirum est, quomodo Aaron tractus fuerit ad adorandum idolum, & committendum illud nefarium scelus, quem Dominus verè pœnas mortis mulctasset, inquit Theodor. nisi Moyses illius frater pro eo ingenti rogasset affectu, sicut ipse dixit: *Deprecatus sum Dominum pro Aaron fratre meo, & mortuus non est.* Certè non alia de causa, nisi propter Sacerdotij honorem, quem sibi à populo auferri, si non eius petitioni consentiret, timuit: & quamuis sciret, quod populus non poterat tollere sacerdotij dignitatem, quam à Deo ipso acceperat, ne tamen sibi subtraheret externum illum honorem sacerdotij, quo illum omnis populus prosequebatur, neglecto certo, & agnito Deo, inquit Lippomanus, populo stulto acquieuit, in tam nefario facinore. Quod egregiè expendit Caietanus dicens: Aaron primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari, sed statim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare, ad sacrificandum ei. *Et præconis voce clamauit, dicens: Cras solemnitas Domini est.* Iuxta Hebræum habetur: *Et clamauit Aaron, & dixit: Festum Iehoua cras.* Non meretur à tanta blasphemia Aaron excusationem, sed potius meretur accusationem. Insaniuit enim ipse longè magis quam alij: nam alij, non nisi Elohim, & Elohe, quæ sūt nomina communia attribuerunt idolo: ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen Tetragrammaton, attribuit idolo, nullo ad hoc instigante: & quod peius est, voce publica. Et vide studium Aaron, ad accelerandum sacrificium: vt vidit vitulum, ædificauit altare, & clamauit: *Cras festum vitulo, tamquam summo Deo.* Non poterat festum citius indici. Ecce quo ducit ambitio principatus. Hæc, & alia Caietanus. Ad tam impiam ergo adorationem vituli cum totius populi scandalo, diabolus ipsum Aaron, virum à Deo electum, & probatum, misere pertraxit, solius sacerdotij externum honorem eidem proponens. Ad nefandissimum parricidium Absalonem impulit, proposito regno paterno, quod se obtinere posse, si patrem occideret, suggerebat. Huiusmodi historijs pleni sunt.

Lib. 5. cont. hæres. c. 21. *Lib. de pœnit. cit.* *In cap 4. ad Hebr.* *Ad Heb. 4. 15.* *Lib. de ieiun. & tentat.* *Eccl. 31. 6:* *Lib. de ieiun. cit.* ¶ 193. *Exod. 32.* *In cap. 32. Exod.* *Deut. 9. 20.* *In obten. Exod. 32.* *In cap. 32. Exod.* *Exod. 32. 5*

ſunt libri, tam ſacri, quam prophani: & verè id quotidie clarius in noſtris actibus, quam in codicibus videmus. Ad quid enim non pertrahit diabolus hominem, cui honoris vel dignitatis excellẽtem offert gradum? Quot ſunt, qui adorant idola colunt, & venerantur impios, & eorum impietates, per quos ſperant ſe ad eminentiora loca poſſe conſcendere? Innumeri ſunt, qui peruertunt iudicia, vt placeant ijs, quorum auxilio credunt, ſe altiorem honorem conſequuturos. Similiter, & qui teſtimonia dicunt contra eos, quos digniores agnoſcunt, ne ſibi præferantur. Inſuper, & qui corrumpunt muneribus, quos deceret eſſe incorruptos, &c. Eadem ratione conſueuit dæmon homines ad quodcumque facinus pertrahere, ex hoc, quod eis offert diuitias, & temporalia bona, vt annotauit Chryſoſtomus *a*. Quod, & alibi *b*, confirmat ex illo Iob *c* *Omne aurum maris ſub eo eſt*, id eſt, nititur diabolus auro, vt ſuper eo ſuas grauiores tentationes fundat: hoc fundamentum ſternit, ſub quo ad capiendam mentem animamque conſcendit. Per occaſionem enim auri, & cupiditatem diuitiarum, multos illaqueare, & decipere conſueuit. Egregièque dixit Spiritus ſanctus, quod explicare cœpimus: *Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio ipſorum*. Clarius Græca: *Multi dati ſunt in caſum propter aurum*. Innumeri enim fuerunt, & ſunt, quos dæmon ad ſui adorationem trahit, facitque vt cadentes, eum adorent, ex eo quod aurum oculis eorum oſtendit, & illius ſpeciem ipſorum menti repræſentat. Videtur alludere his verbis ad factum Balaam. Vocatus ille fuit à Rege Balac, vt Deum eiuſque populum malediceret: ad illumque primò, *perrexerunt ſeniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus*; deinde alij plures, & nobiliores, regis nomine acceſſerunt dicentes; *Ne cunctẽris venire ad me paratus ſum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi, veni, & maledic populo iſti*. Iter propterea arripuit Balaam, admonitus non ſolum à Deo, ſed ab aſina ipſa, cui inſidebat: & ab Angelo, quem gladio euaginato tandem vidit, viam ſuam nihilominus proſecutus eſt, & conatus fuit totis viribus, Deum eiuſque populum maledicere, & ſemel, & iterum quod intendebat aggreſſus, ædificatis ſeptem aris dæmoni, ſacrificijſque paratis, ad illius cultum, & adorationem, coram eis cadebat, apertos habẽs oculos. Cadebat enim coram dæmonis altaribus dæmonem ipſum adorans, ſed oculos à vero Deo illuſtratos tenebat, vt videret pulchritudinem populi Dei, cui propterea maledicere non poterat. Et hunc credo ſenſum fuiſſe eorum verborum, quæ ſæpè ipſe repetebat. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos*. Coram dæmone eiuſque altaribus cadebat, illum adorans, intelligens, & videns, malum, & iniquum eſſe, quod agere aggrediebatur. Tam miſerè autem coram diabolo cadebat eum adorãs, quia diabolus prius pretium eidem oſtẽdit in manibus nũtiorum regis Balac. De illo propterea dixit Apoſtolus Iudas, *mercedem effuſum fuiſſe*, ideſt, ſe totum ex corde dæmoni ſubiecciſſe propter mercedem, & pecuniam, quam ei oſtenderat: quomodo dicitur de auaro: *In vita ſua proiecit intima ſua*. Et verè: *facta eſt in ſpecie auri perditio ipſius*: Nam eo ipſo, quod auri ſpecies coram oculis ſuis fuit exhibita, in perditionem prolapſus eſt. Inuerecundè namque, vt ait Cyprianus, dæmon eos aggreditur, quibus pecunias offert, ab eis liberè petens, vt cadentes eum adorent. Specie auri oſtenſa, quid non obtinet? Hæc eleganter proſequitur Beatus Auguſtinus, inquiens, quomodo fuerit poſſibile vt non terreretur Balaam, videns aſinam loqui. Nimirum, inquit, tanta cupiditate ferebatur, vt nec tanti mõſtri miraculo terreretur; & reſponderet ad aſinam, quaſi ad hominem loquens. Expende inſuper lectionem, quam iuxta Hebræum ſequuntur multi: nam vbi vulgatus legit: *Perrexerunt ſeniores, habentes diuinationis pretium in manibus*. In Hebræo habetur, *diuinationes aut incantationes in manibus eorum*, vt obſeruat

a *Hom. 13. in Matth.*
b *Hom. 5. in Matth.*
c *Iob. 41. 21*
¶ 194.
Eccl. 31. 6.
Num. 22. 7
Num. 23. & 24.
Lib. 4. qq. in Num. q. 50.
Num. 22. 7

uat Caietanus, legitque Regia. Et quidem prima fronte, incongrua videtur lectio: non enim illi, qui habebant pretium in manibus, habebant diuinationes, aut incantationes, quas potius à Balaam postulabant, qui incantationes, & diuinationes exhibere debebat, & Balaam potius erat, qui incantationes in manibus habebat, qui ideò vocabatur, vt per incantationes Dei populum perderet. Elegantissimè tamen loquitur Spiritus sanctus, indicans, hoc ipso, quod seniores pretium habebant in manibus, quod offerebant incantatori, iam iudicari posse, quod in manibus habebant incantationes, quas postulabant: eo modo quo dicimus, omnia in manu habere illum, qui pecunias in manibus defert. Aut verò indicat, diuitias ostensas, esse incantationes quasdam, quibus potius, qui illas offerebant incantabant Balaam: nihil enim est, quod ita incantare videatur, etiam ipsum incantatorem, quam grādis pecuniarum, aut bonorum quantitas ostensa, & oblata. Potius itaque incantatus mansit Balaam, à petentibus incantationes, quam incantaret ipse. Potentissimum enim hoc est incantationis genus, quo vnusquisque quasi incantat illum, à quo aliquid, quantumcumque magnum petit, grandi proposito pretio. Quomodo incantat virginem, quæ pudica erat, & vxoratam, quæ honesta extiterat, ille qui aurum, & argentum in manibus portat? Quomodo incantat hominem Christianum, qui ostenso pretio ad perfurium incitat? Tandem obserua, quod dicebamus, seniores Moab adduxisse Balaam, ad dæmonis adorationem, quam etiam apertis oculis, id est, videns, quod dæmonem adorabat, exhibebat, quia ad hos extremos casus inducuntur homines, propter aurum. Bene ergo dicitur: *Multi dati* ¶ 195. *sunt in casum propter aurum*. Quot peccata propter aurum committuntur, quot perfuria, fraudes, mortes, diræ crudelitates; vnde, & meritò ibidem *Eccl. 31. 7.* subdidit Spiritus sanctus: *Lignum offensionis est aurum sacrificantium*. In *Num. 21.* Græco: *sacrificantibus illi*. Quidam censent allusionem fieri ad lignum illud, super quod serpens æneus fuit elevatus. Sicut enim Deus, metallum illud, in formam serpentis compactum, eleuari iussit, vt hoc ipso, quod aliquis illud conspiceret, consequeretur salutem, totusque in melius reformaretur, ita diabolus aurum eleuat, & menti nostræ contemplandum proponit, vt hoc ipso, quod quis attentè ad illud considerandum se conuerterit, ruinam & exitium sibi acquirat. Sed Rabbanus, quem refert Ianſenius, credit allusionem fieri ad lignum illud paradiſi, quod egregiè dici potest lignum offensionis, & scandali, in quod offenderunt, & impegerunt, & misero casu ad pedes diaboli subiecti ceciderunt parentes nostri, sicut enim tunc illud fuit in offensionem, quoniam illius excellentiam, & pulchritudinem eorum oculis mendaci promissione exponens diabolus, impulit, non solum vt transgrederentur mandatum, quod ex ipsiusmet ore Dei acceperant, sed vt seipsos eidem traderent perpetua seruitute subiectos, ita, & nunc, ostenso auro, & pecunijs, quæcunque vult diabolus hominibus suadet, quos illius promissione pertrahit, vt Dei mandata transgrediantur, & seipsos illi tradant in seruos, & adoratores. Vnde optimè subditur; *Va illis, qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo*. Hinc intelligemus alitutam diaboli, qua in fine mundi vsurus est, vt fere omnes homines Antichristum tanquam verū legitimumque regem, imò, & Deum, adorent, & venerentur. Erit quidem ille, vilis, despectus, & indignus omni honore seruili, nedum regio, vt dixit Daniel; *Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius*. De Antichristo à Catholicis Doctoribus hæc intelligenda dixit Hieronymus, quia verè ex vilissima, & ignominiosissima stirpe, & ex parentibus extrema abiectione despicatissimis, abiectissimus homo oriatur, cui nullo titulo regius honor erit dicens: imò in sui exordio nihil minus cogitabunt homines, quam vt ei regium honorem deferant. Id namque significat illud, *& non tribuetur ei honor regius*. Nihilominus diabolus faciet, cum tanquam

In c. 31. &c.

Eccl. 31. 7.

Dan. 11. 21.

In cap. 11. Dan.

regem,

regem, imò, & tanquam Deum adorari: *Sedebit enim in templo Dei tanquam sit Deus.* Id autem iuxta eiusdem Danielis Prophetiam, perficiet Diabolus, innumeras ei diuitiarum copias conferens, quas possit illis offerre, qui cadentes adorauerint eum. *Dominabitur*, inquit, *thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti*. Notum est enim, quod diabolus ei conferet omnes thesauros, qui absconditi sunt in visceribus terræ, & in abditis locis, & in profundo maris, vt ex Scripturis sanctis noster demonstrat Mauenda. Diuitiarum ergo promissione homuncio ille, minimo etiam indignus honore, omnes ferè homines, etiam reges, & duces, nobiles, & pios trahet, vt se procidentes adorent, sibique regios honores, imò diuinos deferant. Quod, & Beatus Gregorius egregiè annotauit, expendens illud, quod de dæmone sub specie Behemoth, aut elephantis dicitur: *Stringit caudam quasi cedrum*. Septuaginta, *erigit caudam, aut eleuat caudam*, quomodo & legit Gregorius. Antichristus quidem cauda dæmonis dicitur, tum quia in fine seculorum venturus est, eritque vltimus qui partes dæmonis est acturus, tum quia vilissimus homo erit, meritò proinde sub typo caudæ elephantis expressus. Vt enim alibi diximus, inter omnes animalium caudas, vilissima, & breuissima est cauda elephantis. Nihilominus eriget se, & extollet, quasi cedrus altissima, aut potius diabolus hanc caudam eriget, & extollet, dans ei virtutem ad mendacia, prodigia, & signa: in manu eius ponens immensas thesaurorum copias. Quod egregiè dixit Daniel, vt annotauit Gregorius: *Roborabitur fortitudo eius, non in suis viribus*, quia Satanæ virtute diuitias, quibus ad se homines trahet, obtinebit: *& interficiet*, inquit, *robustos*, id est, eos, qui sanctitate, videntur firmiter stare: *& in copia rerum omnium occidet plurimos*. De morte peccati præcipuè est hoc intelligendum, innumeros enim trahet, ad negandũ Deũ, & adorandum se, *in copia rerum omniũ*: cum namque hanc promittet, *faciet, & prosperabitur*. Ita Daniel. Benè autem dixit Deus de dæmone agens, *stringit caudam quasi cedrum*, quia ille per Antichristum, ex eo quod ditissimũ faciet, stringet firmissimè, ac validè corda Sanctorum; nam nihil magis cor arctat, stringit, & quasi compellit ad aliquid, quam abundantissima diuitiarũ, & omnium temporalium bonorum promissio. Si ergo diabolus omnes ferè homines trahet ad adorãdum vilissimũ homuncionem, filium terræ, quem omni honore indignum manifestè cognoscent, ex eo quod ita ditissimum faciet, vt possit abundantes diuitias offerre, quantò magis diabolus ipse trahet ad adorandum se hominem, si ei offerat omnia regna mundi, & vniuersa imperia, ac amplissimam omnium illorum potestatem, & gloriam? Propterea ergo sub tam ampla, & liberali promissione inuerecundè Christum ipsum ad ortus est dicens: *Hæc omnia tibi dabo*.

c. ad Thes. 2. 4.

Dan. 10. 43

Lib. 6. de Antichris. c. 9. & seq. ¶ 196.

32. Mor. c. 12. & seq.

Iob. 40. 12.

Lib. 32. Mor. cit. cap. 12.

Dan. 8. 12. 24.

Loc. cit.

§. 57. *Promissione bonorum temporalium diabolus ab hominibus obtinet, quod vult, qui cuique accommodata bona promittit.*

¶ 197. *Iob. 17. 5. Lib. 13. Mor. c. 16.*

Diximus alibi diabolum egregiè à Beato Iob, iuxta Beati Gregorij mentem, describtum, cum dixit: *Prædã pollicetur socijs*, quia hoc eis studium, ad sui societatem homines pollicitationibus, & promissionibus trahere, ita, quod hoc perpetuò in ore habet: *dabo tibi*. Carnalem trahit ad luxum, dicens: *Dabo tibi* delectationem: auarum ad furtum, dicens: *dabo tibi* pecunias: mulierculam ad perditionem, dicens: *dabo tibi* victum, & vestitum: iracundũ ad vindictam, dicens: *dabo tibi* honorẽ, &c. Præcipua tamen promissio, aut pollicitatio est, qua bona huius seculi (quæ alibi diximus, propriè prædæ nomine exprimi) promittit, inter quæ præcipuum locum habent diuitiæ, ac facultates regnorum, hæ enim vocari possunt gloriæ Regnorum. Ita de Affluero rege dicitur, quod *ostendit diuitias gloriæ*

gloria regni sui: quia tantò regnum aliquod est glorioſius, & illuſtrius, quantò abundantius diuitijs, & facultatibus. Propterea Beatus Bernardus dixit, diuitias, & temporalia bona, eſſe laqueum, quem Dauid vocat, venantium. Quiſnam, inquit, laqueus venantium? Nolo ergo adinuenire ex me, nec dubium aliquid tradere vobis: oſtendat nobis Apoſtolus laqueum iſtum, ipſe enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, Beate Paule, quis ſit laqueus iſte diaboli, à quo ſe liberatam fidelis anima congratulatur: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri in hoc ſeculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.* Ergone laqueus diaboli diuitiæ ſunt huius ſæculi, & quidem laqueus firmior, & potentior ad animas capiendas iſte eſt, quem cum ille tendit, pauci euadũt. Quod adeò verum eſt, vt nec Apoſtolus, cui laqueum iſtum diabolus paranit, euaſerit. Qui propterea ſapienti Dei permiſsione, exterius in corpore laqueo tentus vitam miſerimè finiuit, vt oſtenderetur, interius laqueo diaboli prius ſpiritum eius fuiſſe comprehenſum. Tetendit enim diabolus laqueum, cum diuitias, & argenteos oculis eius repræſentauit, & tam potens fuit, vt ad vendendum Deum ipſum, & ſupremam contra ipſum proditionem committendam induxerit. Vſque ad mortem Domini (inquit Cyprianus hoc expendens) amor lucri ſe ingerit, nec vitæ Saluatoris quęſtus deſiderium parcit. Heu, inquit Beatus Bernardus, quam paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent. Quam multos, qui dolent, quod parum ſibi videntur irretiti, & adhuc quantum poſſunt, ipſi ſe inuoluere, & intricare laborant. Quam potens laqueus eſſet is, ad quem non ſolum aues ſumma velocitate, ac propenſione ſe demitterent, ſed qui illis ita placeret, vt, & ſeipſas validius illo implicare, & arctare contenderent? Hic ergo eſt laqueus validus diaboli.

Hæc magna ipſius fortitudo, qua ſæpè munitiores vrbes capit, ſibique ſubijcit. Hæc potentiora eius arma, inquit Chryſoſtomus, quibus quando fortius imminet bellum, vtitur. Sub typo illius crudelis tyranni Nabuchodonoſor Sancto Propheta Habacuc de dæmone agit, cuius propheria tribus punctis comprehenditur. Primò enim miratur, illius potentiam conſiderans, qua omnibus dominatur, non tantum barbaras nationes, ſed & Dei populum ſibi ſubijciens. Deinde tamen illum a Chriſto reuincendum tradit, cuius victoriam tandem elegantiſsimè concinit. Dæmonis ergo potentiam, qua omnes ſubijcit, deſcribere volens, modum quem, vt expugnaret munitiores ciuitates, tyrannus ille tenebat, exprimit verbis quidem obſcuris, ſed quę nõ incongruè nobilis noſtri temporis author expoſuit: *Ipſe*, inquit, *ae regi lus triumphauit & tyranni ridiculi eius erunt. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit & comportauit aggerem, & capiet eam, &c. hæc eſt fortitudo eius, &c.* De Regibus, & ſummis principibus, quos tyrannos Propheta vocat, ita triũphauit Nabuchodonoſor, vt verius videretur ludere; quam ſeriò agere, quãdo ad eorum expugnationem progrediebatur: ideoque dicuntur ridiculi eius, quos quaſi irridens, & ludens facillimè ſubijciebat. Ciuitates autem, quas expugnare aggrediebatur, quo munitiores videbat, magis irridebat, & ad eas ſibi penitus ſubijciendas, non multa tormenta bellica, aut falcatos curros, aut arietes validos ferebat, ſed *comportabat aggerem*. In Hebreo vox, *Ghaphar*, quæ puluerem ſignificat, qua eadem vſus eſt Deus dicens: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Vrbes ergo expugnaturus, pulueris magnam congregari iubebat copiam, & erigi cumulos, & aceruos pulueris coram eis, quos *aggeres* Propheta vocat, vt flante vento, & eleuante puluere, & ducente ad oculos habitatorum ciuitatis, excæcarentur illi, & deficerent eorum vires: de qua pugnandi vincendique ratione, alibi dictum eſt. Quanto autem ciuitas, quam expugnare contendebat, maior, & fortior erat, maiorem pulueris abundantiam circa eam ſtatuebat, quo ſecurius eam poſſet capere. Mirus certè pugnandi ordo, ſed quæ de tyranno illo ad literam Propheta explicabat, de diabolo ſecundũ ſpi-

Heſych. l. 6. Serm. 2. in Pſal. Qui habitat.

1. ad Tim. 6. 9.

Habacuc. 1

Habac 2.

Habac. 3. ¶ 298.

Gueuarra in Habac. Hab. 1. 10.

Gen. 3. 19.

Zi. de ieiun. cit.

Hom. 13. in Matth.

spiritum intelligi volebat. Hic est, qui de Regibus, & principibus excellentissimis sæpè triumphauit, qui omnem munitionem irridet, de quo Deus ipse sub specie ceti dixit: *Reputabit ferrum quasi paleas, & es quasi lignum, &c. deridebit vibrantem hastam, &c.* Si quæras, quisnam modus sit, quo vtitur ad munitas ciuitates capiendas, eas inquam animas, quæ sanctitatis viam tenentes, quasi munitæ sunt ciuitates, ille ipse est, quo vtebatur Nabuchodonosor. Comportat enim, aut congregat puluerem, & coram eis exponit, vt flante vento, oculos eorum, quos obsidet, excæcare possit. Quid pulueris nomine, nisi diuitiæ, & temporalia bona aptius intelligere possumus? Coram oculis hominum hæc exhibet, & ostendit, & suasione, ac instigatione, ac promissione, quasi valido vento perflat, dicens: *Hæc omnia tibi dabo*. Ita Iudam (qui tanquam ciuitas erat supra montem posita) cepit, & ad nefandissimā proditionem traxit. Ita Giezi discipulum Elisæi ad symoniam incitauit. Ita milites custodientes Christi sepulchrum corripit, per Iudæos pecuniam abundantem promittentes, & ad sacrilega mendacia impulit. Hoc modo munitas capit ciuitates, mulieris castitatem euertit, Iudicis integritatem corrumpit, sacerdos religionem prophanat, amicorum fidelitatem lacerat, filiorum pietatem exterminat: cum enim accesserit, & puluerem ex aduerso ponit, & perflat dicens; *Hæc tibi dabo*, rarò in vxore remanet fidelitas erga maritum, in filio pietas erga parentes, in seruis secura subiectio erga dominos, in amicis amicitia vera ergo amicos, imò nec in homine recta obedientia, subiectio, & religio erga Deum. Quo autem ciuitatem magis munitam experitur, eo maiores pulueris aggeres, aut cumulos opponit, validissimoque vento perflans, eam totam puluere operire conatur. Nec enim Diabolus æqualiter omnibus bona temporalia promittit. Ad eos namque capiendos, quos infirmos, & debiles comperit, breuem pugillum pulueris applicat, quem sufficientem iudicat, quales erant illi, de quibus conquerebatur dicens: *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis*. Ad eos tamen expugnandos, quos tanquam ciuitates munitas inuenit, magnam pulueris copiam comportat. Annotanda est visio illa mirabilis, quam ad apertionem tertij sigilli vidit Ioannes. *Et ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua*. Circa quam multa Sancti Patres annotant, & magno consensu asserunt, equum illum nigrum significasse hæreticorum cœtum, qui ad modum equi effrenis (nec enim frenum habebat equus) in Ecclesiam irrumpere conatur, & secundum cordis sui prauitatem effrenatè procedit: qui quoniam *tenebris obscuratum habent intellectum*, colore nigro exprimuntur. Equitem autem, diabolum esse, qui est princeps tenebrarum, qui quoniam *excæcat mentes infidelium, ne fulgeat illis claritas Euangelij gloriæ Christi*, tali equo insidere dicitur. Ita Rupertus, Richardus de Sancto Victore Diuus Thomas, & alij. Aptè tamen describitur ferens stateram in manu: ipse enim etiam suo modo res disponit in pondere, & mensura, siquidem hic tenebrarum, & deceptionum princeps, non eodem modo omnes aggreditur, sed maximè cum pondere, & quasi in statera librat, & ponderat, quid ad vnum quemque reuincendum videatur necessarium, & sufficiens. Nec enim si breuissima re potest te deijcere, applicabit aliquid magnum. Ad fideles itaque, communi tantum virtute præditos, superandos rem parui ponderis sufficientem iudicans, non magnam applicat, aut inducit. Hinc est, quod talibus res paruas offert, vt per peccatum sibi eos subiiciat. Excitat te ad periurium, vna argenti dragma proposita, incitat te ad mendacium, pro leuissimo commodo, quod proponit, vt honestatem exponat mulier, vestimentum oculis illius ostendit, vt vsuram committas, paruum lucrum demonstrat. Quando autem inuenit hominem in virtute firmum, qui animo generoso præstat, nec vilia curat, rem magni ponderis proponit, & promittit, veluti

Iob.41.18.

Ioan.13. & Luc.22.5.

4.Reg.5.

Matt.28. 15.

Ezec.13.

¶ 109. *Apoc.cap.5*

ad Eph.4. 18.

2.Cor.4.4.

In cap.6. Apoc.

velu ti honorem excellentem, dignitatem Episcopalem, abundantem copiam diuitiarum, &c. Itaque iuxta cuiusuis animi excellentiam bonum proponit, vt per illud alliciat, & ad sui obsequium trahat. Et hæc causa est, cur Christo Domino tot tantaque ostenderit, & liberalissimè promiserit: *Ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum*. Non tãtum substantiam regnorum, sed qualitates, diuitias scilicet, & rerum abundantissimam opulentiam: eius namque sanctitatem, & animi generositatem fuerat expertus, viditque illum non esse de eorum numero, quem vel vnico pulueris pugillo capere posset, aut re parui momenti, vel ponderis, deijcere. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo*. Expertus fuerat Dauid fidelissimi Uriæ fortissimum inuictumque animum: nam cum primò vellet cibo Regio illum allicere, non potuit: quem repulit Urias, tanquã sibi, qui miles erat, indecentem. Deinde cum eum induceret, vt in domum suam se conferret, quo vxoris suæ potiretur consortio, nequaquam acquieuit, iudicans indecorum militi, quiescere in lecto cum vxore, cuius dux super faciem terræ manebat. Propterea tandem statuit, illum ponere in supremo discrimine; *Vbi fortissimum erat prælium*: nõ tantum forte, aut fortius, sed fortissimum, vbi fortissimi cadebant milites, vbi pauciss imi permanebant stantes, nec enim in loco minus ad cadendum oportuno, credidit casurum, quem tam firmum expertus fuerat. Ita diabolus, primò Christum allicere voluit, vt indulgeret ventri, cibumque caperet, nec potuit, deinde illum excitauit ad se demittendum è pinnaculo, nec consequutus fuit, tandem decreuit, eum statuere in loco, vbi fortissimum est prælium in monte, in quo ostendit omnia regna mundi, & eorum gloriam, quæ omnia illi promittit. Certè fortissimum est hoc prælium, in quo pauci remanerent stantes.

2. Reg. 15.

§. 58. *Diuinos honores sibi exhiberi voluit diabolus, & qui in sui principio voluit similis esse Altissimo, maiora postea ambijt.*

¶ 200. *Hom. 13. in Matth.*

Si cadens adoraueris me. Deum se esse diabolus studuit proficiti, inquit Chrysostomus, & ita petijt adorari, ac si cunctorum esset creator. Vnde quamuis verbum adorandi, dumtaxat secundum Scripturæ vsum, significet eũ honoris actum, quem soli Deo exhibemus, qui latria vocatur, vt ait Beatus Augustinus, vt tamẽ clarius hoc ipsum exprimeret diabolus, non quamcunque adorationem petijt, sed eam, quæ fit cũ totius corporis demissione, vel subiectione, dicens: *Si cadens*, aut vt Lucas: *Si procidens*. Nulla equidem est corporis actio, aut demissio, quæ peculiariter fit à natura, vel ex diuina institutione determinata ad Dei adorationem, sed adoratio latriæ præcipuè in animi intentione, & subiectione est posita, quæ aliquando solo interiori actu fit, aliquã do cum corporis actione, vel motu, hoc vel illo modo. Vnde, & Deum adoramus, non solum procidentes, sed aliquando etiam stantes, sicut cum *a. Moyses stetit in confractione*, & cum orabat pugnante Iosue *b*, aliquando etiam sedentes, quomodo Dauid adoraturus Dominum *c, sedit coram ipso*. Homines similiter, nedum Angelos, sæpè adoramus genua flectentes, imò, & toto corpore procumbentes: quomodo fratres Ioseph adorauerunt eum *d*, Abigail *e*, *adorauit, & cecidit ad pedes Dauid*; Iudith *f*, adorauit Holofernem; Achior *g*, adorauit ipsam Iudith. Nihilominus inter omnes actus exteriores, quibus Deum adoramus, magis proprius videtur is, quo toto corpore deijcimur, cum genua flectimus, aut cadimus, aut procidimus coram eo, significatur enim per illum, non solum animi, sed, & omnimoda corporis subiectio. Ita Abraham *h*, cecidit coram Domino. Elie-

10. *De ciu. cap. 1.*

a *Psal. 105. 23.*
b *Exod. 17.*
c *2 Reg. 7. 18.*
d *Gen. 42 6*
e *1. Reg. 25 23.*
f *Iudith. 10 20.*
g *Iudit. 13 30.*
h *Gen. 17. & 18.*

i *Gen.14.* 50. liezer *i*, etiam, Moyſes, & Aaron k, & viginti quatuor ſeniores *l*. Ad hanc ex-
k *Nu.14.5* citat Dauid, dicens *m*: *Venite adoremus,*
l *Apo.4.10* *& procidamus ante Deum*. Hanc a-
m *Pſ.94.6.* dorationem præſtare conſueuerunt ho mines ijs, quos tanquam Deos colebãt.
n *Dan.3.10* Hanc petijt Nabuchodonoſor *n*, ab ijs, quos volebat, vt ſtatuam ſuam aureã, quam erexit, tanquam Deum adora-rent. Hanc exhibebant, qui profite-
o *Iſa.46.6.* bantur idola eſſe Deos *o*: *Conducentes aurificem, vt faciat Deum, & procidant, & adorent*. Hanc prædixit Da-uid præſtandam Chriſto, tanquam ve-
p *Pſ.71.9.* ro Deo *p*: *Coram illo procident Æthiopes*
q *Matt.2.* 11. talem exhibuerunt Magi *q*: *Procidentes adorauerunt eum*: & is qui cæcus fue-
r *Ioã.9.39* rat *r*, alijque, qui hac ipſa adoratione Chriſtum verum Deum eſſe profite-bantur. Hanc ergo adorationem cum totius corporis demiſsione petijt dia-bolus à CHRISTO, qualis erat,
f *Num.23.* & 24. quam ei præſtitit Balaam *f*, cadens co-ram aris dæmoni extructis. Voluit qui-dem diabolus ab initio exaltare ſolium
a *Iſai.14.* 13. ſuum, & ſimilis eſſe Altiſsimo *a*, & vt dixit Gregorius Nazianzenus *b*, pri-
b *Orat. de* mariæ excellentiſsimæque pulchritu-
calam an. dinis gloriam, ſummũque, ac Regium
ſua ad fin. Dei honorem affectauit. Tunc Deus *confregit capita draconis*, vt dixit Da-
c *Pſ.73.14* uid *c*, id eſt, vt exponit Auguſtinus *d*,
d *In Pſ 73.* omnẽ eius ſuperbiam contriuit. Dici-
e *Eccl.10.* 14. tur *e*, ſiquidem *ſuperbia*, caput, aut *ini-tium omnis peccati*. Confregit autem, quia in ſummam miſeriam eum præci-pitauit, & dedit. Nihil aliud, inquit Gregorius Nazianzenus, conſequutus eſt, quam vt pro luce, tenebris obte-geretur, pro excellentiſsimis, quibus affulgebat muneribus innumeris malis
¶ 201. maneret ſubiectus. Quod, & ſignifi-cat Dauid ſubdens: *Dediſti eum eſcam populis Æthiopum*. Orta fuit ſuperbia da monis, ex donorum excellentia, quibus vidit ſe ornatum, ſpoliauit eum Deus omnibus talibus donis, & reman
Oſe.3.1. ſit ſicut dixit, Prophera, tanquam vua expreſſo vino, cuius ſolum modo rema-nent vinacia, de quo alibi. Hoc ſuffi-ciens videbatur, ad eius ſuperbiam cõ
Ezec.28.17 terendam. Ita per Prophetam: *Eleua-tum eſt cor tuum in decore tuo, in terram proieci te, &c.* Omnibus ergo bonis ſpo liatus, non ſolum ſuperbiam non de-poſuit, ſed, & auxit. *Superbia* (inquit ibidem Dauid) *eorum qui te oderunt, a-*
Pſa.73.23. *ſcendit ſemper*. In Hebræo verbum, *Ghalah*, quod ſæpè in ſcriptura ſignifi-cat creſcere, aut augeri, aut incremen-ta ſuſcipere, ſumpta metaphora à plan-tis, & herbis, quæ quo magis aſcen-dunt, maiora incrementa ſuſcipiunt. Ita apud Iſaiam: *Aſcendet ſicut virgul-*
Iſai. 53.2. *tum coram eo*: & Amos: *In principio*
Amos 7.1. *germinantium plantarum*, in Hebræo, aſcendentium: vt velit dicere Dauid: Superbia eorum qui te oderunt, etſi confringi conterique potuit, ex eo quod illos deieciſti, non ſolum tamen non extincta fuit, quin potius creſcit, & maiora incrementa, quantum ad ef-fectum quotidie recipit. Propterea, vt inquit Beatus Gregorius Nazianze-
Orat. in ſan nus, hoc perpetuo diabolus optauit, *ctalum.* procurauit, & omni conatu conten-*poſt princi.* dit, exaltare ſolium ſuum, & ſimilem ſe altiſsimo exhibere, cui omnia ſubiecta exiſtunt. Et hac de cauſa ſub tot Deorum ſimulachris ſeipſum expo-ſuit, vt ſi non ſub vna ratione, ſaltem adoraretur ſub alia. Poſuit ſe propte-rea ſub ſpecie Solis, lunæ, ſtellarum, ig-nis, aeris, aquæ, terræ, plantarum, ani-malium, hominum, fontium, fluuio-rum, montium, vallium, &c. vt in quacunque re, ad quam quiuis oculos conuerteret, eum colere, & ſub qua-cunque re, ad quam quiuis eſſet pro-penſus, adorare poſſet. Qui lucis pul-chritudine delectatur, in Sole, qui te-nebras amant, in Plutone, qui cœlo-rum influxus attendunt, in ſtellis, qui ſublunarium mutationem, in luna, qui ſapientiam diligunt, in Mercurio, qui bella, in Marte, qui luxum, in Pria-po, qui ciuitates, & diuitias amant, in Ioue, qui atra bili triſtantur, in Satur-no; qui ſanguinei ſunt, in Venere, qui ardoribus æſtuant, in fontibus; qui hominum frequentias fallidiunt, in montibus. Omnibus, inquit Gre-gorius Nazianzenus, omnia fieri, ille doloſus procurauit, vt omnes ſibi red-deret ſubiectos. Quod ergo ab exor-dio appetijt, ſimilem eſſe Altiſsimo, perpetuò proſequutus eſt, quærens ab omnibus hominibus, tanquam author

om-

omnium adorari. Sed nec hoc solo contentus; *Superbia eius semper ascendit*, & crescit, dum maiora sibi exhiberi, quam quæ Deo fuerunt exhibita concupiuit, procurauit, & verò aliquando obtinuit. Vnicum statuit Deus locum, in quo à suis populi hominibus coleretur, vbi sibi offerrentur sacrificia, ad quem qui longè erant venire tenebantur, cum sacrificaturi erant, & præcipua festa celebraturi. Diabolus autem, vt dixit Diuus Augustinus, talis extitit, & ita sibi honorem arrogauit diuinum, vt impleret mũdum templis, & templa altaribus, & altaria simulachris, vt vbique eum honoribus diuinis ac sacrificijs prosequerentur homines, imò, & in penetralibus cuiusque domus, sub typo Deorum, quos propterea Pennates vocabant (de quibus idē Augustinus) adorari, & sibi sacrificari voluit. Ab vnico homine Abraham, Deus petijt sibi filium offerri, vt ostenderet se in mundo amicum tam fidelem habere, qui non parceret vnigenito filio suo propter se: sed diaboli superbia vlterius progressa est, dum non ab vno, sed ab innumeris cuiusuis generis hominibus, filios in sui obsequium mactari postulauit. Et quidem Deus ita petijs ab Abraham, vt sola voluntate viri contentus, cædem excusari præceperit, & sanguinem filij effundi prohibuerit: diabolus autem vlterius progrediens, ita voluit fidelitatem suorum demonstrari mundo, vt non sola voluntate sibi satisfactum, sed opere ipso expresserit: & obtinuit, vt non solum homines de media plebe, sed, & nobiles, imò, & Reges in sui obsequium, filios primogenitos, regnorum hæredes, mactarent, & igne absumerent, nec tantum à Gentilibus, sed ab his, qui Dei populus dicebantur, quos deplorat Dauid, dicens: *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, & sacrificauerunt sculptilibus Chanaam.* Deus petijt ab hominibus cor, & viscera, ita tamen, quod quiuis illud offerret affectu, & animo, non re ipsa corpus exenterans, quod clarè professus est, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum, ex corde tuo*, & ita petebat cor dicens; *Fili præbe mihi cor tuum*: & in huius signum nunquam voluit, vt verè cor alicuius hominis ex corpore eductum sibi offerretur, sed tantum vt corda animalium, quæ sacrificabant, in huius signum, incenderentur. Hoc Deus contentus erat, sed diaboli superbia maiora postulabat, vt scilicet re ipsa, corda, & viscera ex ipsis corporibus hominum educerentur, sibique offerrentur super ardentes prunas. In huius confirmationem etsi multa possemus antiqua adducere, illud sufficere potest, quod religiosissimus vir Ioannes de Zumarraga Minorita, primus Archiepiscopus Mexicanæ ciuitatis, in Epistola ad sui Ordinis congregationem, collectam Tolosæ, anno M. D. XXXII. refert, quod in sola illa ciuitate, cum diabolus ibi colebatur à Gentilibus, singulis quibusque annis, plusquam viginti millia cordium puerorum, & puellarum solita erant ipsi offerri, vt videas, non solum huius tyranni incredibilem crudelitatem, sed etiam quomodo eius superbia perpetuò creuerit: perijt enim multo maiora, quam Deus ipse vnquam petere cogitauerit. In principio quidem similis voluit esse Altissimo, sibique eadem, quæ illi præstari, postea tamen vlterius progressa est eius superbia, & maiora ipse petijt, & voluit. Vide nunc quid petat ab ipso, quem Altissimum, Altissimique Dei Filium suspicabatur, vt se supplex, & procidens adoraret, qui non tantum iam creaturas vult habere subiectas, sed, & earum conditorem, non tantum sedem suam supra sidera exaltare nititur, vt similis sit Altissimo, sed, & supra Altissimum sedem suam extollere contendit. Vt tandem consideremus, quam inuerecundè nunc CHRISTVM fuerit aggressus, & clare pateat, quod supra diximus, voluisse, vel hoc modo prouocare CHRISTVM, credēs, quod si Filius Dei erat, nullatenus talem inuerecundiam esset dissimulaturus, quæ cogere eum posset, vt seipsum proderet, ad eum vindicandam. Si enim cum in principio voluit se Altissimo æquare, ab illo dejectus fuit in terram cum Angelis suis, nunc

In Psal. 96

1. D. ciuit. cap. 2. & 3 & Viues. Gen. 22. 2.

¶ 202.

Psal. 105. 37 & Deu. 32 17.

Deu 9 5. et Matt. 22. 37.

Pro. 23. 29

Lib. de ori. gine Scrap. religionis par. 3.

cum

eum ſupra Altiſſimum ſe extollere pro
Apoc.12.9 ponit, acriori vulnere erat confodiendus. Sed nullum periculum timet, nullumque malum recuſat, vt victor euadat, id aſſequens, quod per tentationes intendebat, aut cognoſcere manifeſtè Chriſti perſonam, ſi Diuina erat, aut ad aliquod peccatum illum pertrahere, ſi purus erat homo. Hinc clarè patet eius ſuprema ſuperbia, hirſutum cor, in flexibiliſq; ad malum voluntas.

§. 95. *Magna diabolus promittit, qui minima præſtare non poteſt, cuius eſt loqui ſublimia, ſermones grandes, & verba ventoſa.*

¶ 303.

QVæ breuiter Matthæus perſtrinxit, Lucas latius narrat, ſcribens damonem oſtendiſſe Chriſto in momẽto temporis omnia regna orbis terræ, & dixiſſe: Luc.4.6. *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt & cui volo, do illa &c.* Poſſumus certè diabolo dicere illud, quod beata illa Anna Samuelis mater cecinit: 1.Reg.2.3. *Nolite loqui ſublimia gloriãtes; recedant vetera de ore veſtro quia Deus ſciẽtiarũ Dominus eſt, & ipſi præparãtur cogitationes*: Solebat antiquitus dæmon ſe glorians, iactans, & ſublimia loquẽs, homines decipere. Et ita poſſumus, ſequentes Beatum Gregorium, accipere illud, quod alibi ad aliud inſtitutum expendimus: Hom.21.in Ezech. Ier.11.16. *Olivam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis, ignis exarſit in ea, & combuſta ſunt fruteta eius*: Quibus verbis expreſſa videtur humani generis perditio. Condidit Deus hominem, tanquam oliuam vberem. In Hebræo vox *Reghenan*, quæ viridem, & vberem ſignificat: aut à radice, *Raghah*, quæ ſignificat, paſcere; quaſi dicat: oliuam paſcentem, fertilem, fœcundam in fructu, ramis, & folijs, aut virentem, & vmbroſam, vt legunt Septuaginta. Ita autem deſcribitur homo qui totius humani generis erat radix & principium, tanquam oliua pulchra, quam Deus omni virtutum, & donorum genere ornauit; fructifera, aut fertilis, & ſpecioſa, qui filios generaret, non tantum ſibi ſimiles in natura, ſed, & in pulchritudine, & gratia. Acceſſit diabolus loquens ſublimia, & grandia promittens ipſummet eſſe diuinum, & dicens: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*: hæc fuit vox grandis loquelæ. Ad quam vocem, ignis exarſit, quia cupiditate eius, quod promittebat, ſuccenſi fuerunt parentes noſtri, & inde tam miſera conſumptio amorum, & fructuum prodijt, vt omnes in perditionem fuerimus coniecti, totamque humanam naturam ſibi Satanas ſubiectam reddiderit. Hoc ipſum ſecundum literam de Synagoga intelligere poſſumus, quæ erat tanquam oliua fructifera, ſpecioſa, cuius pulchritudinem omnes orbis nationes reuerebantur, & mirantur, & mirabuntur; plantata in terra Promiſſionis abundantiſſima; ſed ad vocem loquelæ grandis, id eſt, promiſſionem, quibus dæmon ore Regum vtebatur, ignis exarſit in ea. Vt enim patet ex Prophetis, alibique probauimus, Reges magnificis Regijs promiſſionibus conati ſunt, inducere populum ad idololatriam: ad vocem talium promiſſionum omnes ſuccenſi ſunt cupiditate erga promiſſa bona, & ita ad idololatriam deflexerũt, quæ fuit fons, & origo illarum captiuitatum, in quas iuſto Dei iudicio coniecti fuerunt. Loquela ergo grandi vti ſolebat diabolus ad res magnas conficiendas. Eſt eius lingua *Magniloqua*, qualis deſcribitur à Dauide, quam, & propterea dabit Antichriſto, vt per eam poſſit totũ ſibi ſubijcere orbẽ. Quod ſæpe replicat Daniel, dicens; cornu paruulo, id eſt, Antichriſto, (quem ſub paruulo cornu Deus oſtendit, ad exprimendã eius vilem abiectiſſimamq; proſapiam) fuit datum *a, Os loquẽs ingentia*: & quod datũ eſt ei os emittens *b, vocem ſermonũ grandium* & tandẽ *c* datũ eſt ei *os loquẽs grãdia*. Cui concinit Ioan. *d, datũ eſt ei os loquẽs magna, & blaſphemias*: quibus verbis duo Pſal.15.4. a Dan.7.8. b Da 7 11 c Da 7 20. d Apoc. 13.

preſſit Ioannes, quæ procedent ab eius ore, magna ſcilicet, & blaſphemiæ: qua dicendi ratione voluit indicare, non ideo dici: Datum eſt ei os loquens ma-
¶ 104. gna, quia blaſphematurus ſit Deum; id enim iam expreſsè poſtea exprimitur ſed quia loquetur de ſe ſublimia, & vtetur lingua magniloqua, ingentes promiſſiones faciens hominibus, per quas viam ſibi ſternet ad balſphemandum Deum: per illas enim homines ita auertet à veri Dei cultu, vt ſimul conuertat ad honores diuinos ſibi deferendos. Vnde, quod dicitur; *Et ſermones contra excelſum loquetur*, Pagninus le-
Dan. 7. 25. gi; *Et ſermones ex parte Altiſſimi loquetur*, id eſt, ita de ſe loquetur, ac ſi ipſe ſit, cui Altiſſimus dedit omnia regna, & potentiam, vt poſſit ipſe dare cui voluerit. Beatus Hieronymus obſeruat Symmachum legere: *Sermones quaſi Deus loquetur*, vt qui Dei aſſumpſit
In cap. 7. Dan. potentiam, inquit Hieronymus, verba quoque diuinæ ſibi vendicet maieſtatis. Os ſanè ita loquens, os diaboli eſt, qui dixit: *Hæc omnia tibi dabo, mihi enim tradita ſunt, & cui voluero, do illa.* Hæc quidem vſitata, diaboli conſuetudo, loqui magnifica, vti lingua magniloqua, iactanti, ſuperba, ſed per hanc imperitos, & minus cautos decipit, non Chriſtum, *Nolite loqui ſublimia, gloriantes, recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt.* Omnia nouit, & ab eo qui ſcrutatur renes, & corda, non ſunt abſcondita cogitationes, qui ſcit diabolum extrema paupertate premi, & nihil boni habere, quod dare poſſit, in quem egregiè quadrat illud: *Nubes, & ventus, & pluuia*
Prou. 25. 14 *non ſubſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Videbis in æſtate nubem atram extenſam, emittentem ſonora tonitrua, & fulgentiſſimas coruſcationes, quæ abundantiſſimam aquæ copiam promittere videtur: & quidem homo inſipiens, qui Philoſophiæ regulas neſcit, talibus tonitruis, & fulgurationibus motus, aquam certo euenturam iperat; qui tamen ſapiens eſt, irridet huiuſmodi indicationes: nouit enim nubem illam non habere in ſe niſi partes ſiccas, & vapores aridos, & ardentes, ex æſtatis calore genitos, tumentes vento illic incluſo, quæ omnia in ventum tandem reſoluta, ſubito tranſibunt. Ita ſe habet diabolus, quem vocat virum glorioſum, in Hebræo *Mithallel*, quod ſignificat iactans, tumens, laudans ſeipſum, quomodo legit Pagninus: nihil namque magis illi proprium, quam iactantiæ verba effutire, adeo vt, & cum ipſomet Deo agens, hanc eandem iactantiam inuerecunde tenuerit. *Vnde venis?* inquit DEVS Reſpondet: *Circuiui terram, & perambtaui eam.* Septuaginta, *perambulaui eam, quæ ſub cœlo eſt*, Quibus verbis, vt animaduertit Didymus, voluit iactare ſe, quod pleno dominio ſubiectam haberet terram, & totam aeream regionem, quæ ſub cœlo eſt, per quam, tanquam legitimus dominus inceſſiſſe ſe perhibet, quem nullus impedit; cui nullus obſiſtit: eo modo, quo dominus in domo ſua, & in ſuę ditionis terrâ ambulare pó. In Hebræo verbũ *Halech*, quod ſæpè nõ ſimplicem deambulationem, ſed eam, quam facit dominus in domo ſua, & in terra ſuæ dominationi ſubiecta ſignificat: quomodo Dauid: *Perambulam*, inquit, *in innocẽtia cordis mei in medio domus meæ*: & de Deo: *Qui ambulas ſuper pennas ventorum*. Imo, & aliquando abſolute poſitum, ſignificare eam ambulationem, quam per ſupremam ſuperbiam, & iactantiam, tanquam ſupremus dominus non recognoſcens ſuperiorem, aliquis facit. Ita de Nabucodonoſor: *In aula Babylonis ambulabat, & dicebat: Nonne hæc eſt ciuitas Babylon, quam ego ædificaui, &c.* Quam deambulationem ipſemet poſtea pœnitentia ductus confeſſus fuit, eodem verbo, in Hebræo, vtens. Deus *gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*. Itaque ambulare, aut perambulare eſt, incedere cum ſuperbia, iactantia, faſtu, tanquam ſupremus Dominus. Id ergo diabolus voluit dicere Deo, ſe perambulaſſe terram, tanquam dominum illius, cui omnia abſque contradictione aliqua ſubiecta exiſterent. Quam inuerecundam iactantiam Deus non patiens, aut ferens, reſpondit: *Nunquid noſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis*

התהלל

Iob. 1. 7.

In caten. Græc. cap. 1

הלך

Pſal. 102.

Pſal. 103. 3

Dan. 4. 26.

Dan. 4. 34.

Iob. 1. 8.

ſimilis in terra? Inter omnia, quæ ſub
¶ 205. cœlo ſunt, principem locum obtinet homo, inter omnes autem homines, ita cunctis excellit Iob, vt ille vnus, omnes alios longo ſuperet interuallo. Quaſi dicat: Quid te dominum vniuerſorum, quæ ſub cœlo ſunt, iactas? Vbi, & ſeruum habeo fidelem, qui tuus non eſt (ideo vocat, *ſeruum meum Iob*) qui ſolus præſtat omnibus alijs, & ipſa terra, & cunctis, quæ in ea ſunt, pretioſior eſt: ac ſi clarius dicat; In ipſa terra, quam tuam iactas, iactas, & profiteris, habeo ego maius aliquid, ſeruum ſcilicet meum, Iob. Vnde a ſuperbium illud, *Quod*, intelligo hoc in loco vim cauſalis habere: voluit enim Deus probare, mendaciter dæmonem totius terræ iactaſſe dominium, in qua verè exiſtebat Iob, qui illius dominio ſubditus non erat, quem Deus ore pleno ſuum ſeruum vocat. *Nunquid*, inquit, *conſideraſti ſeruum meum Iob?* In Hebræo: *Nunquid poſuiſti cor tuum ſuper ſeruum meum Iob?* Septuaginta: *Nunquid attendiſti ſeruum meum Iob?* Quaſi dicat: Velociter cucurriſti, non res omnes intrinſecus, ſed tantum ſecundum exteriorem ſuperficiem conſideraſti: non profero cœleſtis exercitus multitudinem, ſed vnicum ſeruum meum Iob. Hic tuus non eſt, qui ſeruus meus vetè exiſtit. Et hoc ſolo nomine mirus, quid ego habeo in terra? hic enim vnus, longo interuallo omnia alia ſuperat; vnus namque meus, pro decem millibus, imò centum millibus tuis, computatur. Egreſſus autem Satan congredi cum ſancto Iob totis viribus cœpit, cuius omnia bona perdidit, oues, boues, aſinos, camelos, domum, filios, filiaſque, nec tamen vel minimam portionem cordis illius Beati Viri potuit acquirere, aut ſuam facere: quin, & vidit illum, ſe Dei ſeruum exhibentem, illum corde, animo, corporeque adorantem, & benedicentem. Et nihilominus, iterum ſecundo coram Deo ſe præſentem exhibens, interroganti, vnde veniret, ſimili iactantia ſuperboque faſtu, ſicuti prius reſpõdit: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Sciebat Deus, inquit Chryſoſtomus, vnde Satanas aduenire, & quod à iuſſo iam ſuperatus eſſet: ſed tamen id agere volebat, vt diabolus, vel pudore confuſus, modeſtè illam priorem iactantiam temperaret, qua omnia ſua eſſe, paulò ante ſe glorioſè extollens, effutierat: & verè nullam modeſtiæ notam partem, inquit Olympiodorus, qui totius eſt magiſter ſuperbiæ, & faſtus. Vnde, & iterum ſimiliter reſpondit; *Circuiui terram, & perambulaui eam*; quibus verbis, non ſolum omnia, quæ ſub cœlo ſunt, ſua eſſe voluit iactare, ſed vt Euagrius notat, omnes à ſe pertentatos, in ſuam ditionem redactos, & ſubiectos iactanter voluit refirmare. Recte ergo vocatur diabolus, vir glorioſus, ideſt, ſe iactans, ſuperba gloriatione iactantiæ verba effutiens: Hic ſimilis eſt nubi fulguranti, tonitrua emittenti, & ingentem aquarum copiam promittenti in æſtate, quæ quoniam tantum partes habet vento tumentes, & vapores calidos, & ſiccos continet, nec guttam vnam verè dare poteſt. Nihil in ſeipſo diabolus habet, per quod gloriam, aut honorem poſſit præſtare, nihil continet ille niſi ardorem ignis æterni, & aridos, ac ſiccos inuidiæ vapores, tumentes, & inflatos vento ſuperbiæ: effundit propterea quaſi fulgurationes clariſſimas, & tonitrua reſonantia, verba ventoſa: *Hæc omnia tibi dabo, mihi enim tradita ſunt, & cui voluero do illa*: vt dicere ei poſſimus, illud quod ſanctus Iob ad amicum ſuum tumidè, iactanterque loquentem, dixit; *Nunquid habebunt finem verba ventoſa?* id eſt, turgida, inflata, plena vento (vt exponit Auguſ.) quibus teipſum extollis? ventoſum dicitur apud Latinos, vento plenum. Ita apud Plin.*a*, Vētoſus aer: & apud Virgilium *b*, Ventoſi folles. Alij, inquit, vētoſis follibus auras. Accipiunt reſonuntque. Per translationem autem accipitur pro tumido, elato, inflato, iactantioſoque. Ita apud Plinium *c*. Superbiebat, inquit, ventoſa, & inſolens natio: & Virgilius *d*, ventoſa gloria, & Horatius *e*, ventoſa Plebs: & apud Ciceronẽ: ventoſum imperium, & ventoſus homo, is ſ. qui multo ſono reboat & ſeipſum iactat, & de ſeipſo glorioſa

in Catena.

in eadem catena.

in Caten. Iob 1.

Iob 16.3.

a Lib. 2. c. 18.

b 8. Aeneid.

c In Panegy.

d in Aeneid.

e 1. Epiſt. 19.

prædicat, qui in ſeipſo nihil eſt. Ventoſa ergo verba dicuntur, quæ iactat aliquis ſummo boatu reboans, quæ nihil eorum, quæ exprimit, & promittit, habet, vel complere poteſt: & nulla propterea magis ventoſa verba, quam hæc, quæ diabolus depromit, *Hæc omnia, & c poteſtatem hanc vniuerſam, &c.*

§. 90. *Quod diabolus offert, non eſt vtile, quippe cum minima promittat, & magna requirat.*

¶ 205. SPiritus ſanctus regulam ſtatuit, quam ſeruare debemus, quando nobis aliquid promittitur, aut datur: conſiderare namque oportet, an illud acceptandum ſit necne: *Eſt* enim, inquit, *datum, quod non eſt vtile*. Et ſi
Eccl. 20. 9. quæras: Quodnam hoc eſt? Reſpondet: Illud, quod non liberè datur, ſed pro quo aliquid repetitur, in duplo præſtantius *Datum*, inquit, *cuius retributio eſt duplex*. Certè cum quis dat rem, quæ valet centum, petens pro ea illam, quæ bis centum æſtimatur, datum illius non eſt vtile. Ex quo infert paulò inferius, quod *datum inſipientis non erit vtile tibi: oculi enim illius ſeptemplices ſunt: exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius, inflammatio eſt*. Quæ verba etſi de multis hominibus, de mũdo, & carne offerentibus nobis aliquid, intelligi poſſint, aptè tamen in dæmonem quadrant, quem inſipientis nomine exIere. 17. 11 preſſit Propheta. Illius datum, vtile eſſe non poteſt: nunquam enim liberaliter, & gratis aliquid donat, qui oculos dicitur habere ſeptemplices, ideſt, omni ex parte attendentes ad id, quod à nobis expectat: nunquam dat, niſi intendens multis modis aliquid ſibi retribui, & nunquam dat niſi exigua, pro quibus petit magna. Tantum namq; dat, aut potius offert breuem delectationem, vilem pecuniam, gloriã mũdi inanem, & momentaneam; & multa improperat, ideſt, petit multa, in dedecus, & opprobrium, & improperiũ noſtrum. Vnde verè, id, quod petit, *inflãmatio eſt*, ideſt, abſumptio, vel cõſumptio: *Lo que pides es fuego, que te abraſe y conſuma*. Et hanc credo illius loci legitimam intelligentiã. Dat ergo exigua, & petit pro illis pretioſiſſima. Promittit Chriſto, quod eũ conſtituet Regem ſuper Regna mundi, quorum gloria eſt momentanea: & petit ab eo, vt illum quantum eſt ex parte ſua, conſtituat Regem ſuper Regna cœlorum; petit enim, vt ſibi tanquam vero Deo diuinos deferat honores: offert illi gloriam terrenam, & petit honores diuinos. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo*: Nunquid liberaliter, & gratis? Nequaquam, eſt namque datum inſipientis, qui exigua dans, petit ea, quæ opprobrium ſempiternum inducunt: *Si cadens*, inquit, *adoraueris me*. Ille quidem, inquit Chryſoſtomus, multa ſæpiſſimè pollicetur, non vt det, ſed potius vt accipiat: promittit plurima de rapinis, vt aut auferat Regnum atque iuſtitiam, & quaſi quoſdam laqueos tendens, atque decipulas, theſauros pollicetur in terra, vt etiam nos, & iſtis theſauris, & cœleſtibus ſpoliet. Et certè nulla res magis nobis poteſt opprobrio eſſe, quam adorare dæmonem, qui omnium creaturarũ eſt viliſſimus: & nobis tanquã Deum conſtituere eum, qui vilior redditus eſt mure, & verme, formica, & pulice. Hæc à nobis cõſideranda ſunt: nunquam ille gratis aliquid dat, perpetuò pro exiguis, quæ offert, petit magna, quæ ei exhibeamus. Offert enim tantum res huius mundi viles, caducas, & inanes, petit autem ſibi offerri animam ipſam, & teipſum: notum eſt autem animam pretioſiorem eſſe omnibus Regnis mũdi, cuius valorem optimè probauit ille diuinus negociator, qui dedit omnia ſua, vt compararet eam: imò qui *dedit ſeipſum, vt nos redimeret*. Quãdo pyratæ capiunt in mari merces alicuius mercatoris, ſi videres mercatorem redimere volentem merces illius, dare pro eis immenſas diuitias ſuas, inde colligeres, quanti ſint valoris tales merces. Nos ſumus Dei merces, vt dixit B. Gregorius Nazianzenus, quas cepit pyrata infernalis: vt has Deus redimeret, dedit omnia ſua, imò, & ſeipſũ, ſuã diuinita-

Hom. 13. in in Matt.

¶ 207.

ad Tit. 2. 14.

nitatem, potentiam, gloriam, ſanguinem, animam, &c. Vt hinc colligas, quam ptetioſa ſit anima tua, pro qua hæc omnia dedit Sapientiſſimus negotiator, vt verè illi dicere poſſimus, quod Saul dixit Dauid: *Pretioſa fuit anima mea in oculis tuis.* Hanc petit diabolus, vt ei tradas, ſubijcias, ſub eius dominio proſternas. Vide quod cum tibi loquitur, offerens aliquid, *Apertio oris illius inflammatio eſt*, id eſt, perditio. Caue propterea datum inſipientis, non enim eſt tibi vtile, nam maiora à te exigit, quando dat tibi delectationem in luxu, quando honorem in vindicta, quando diuitias in vſura, &c. Exigua dat, & magna imperat. Et hoc inſuper attendēdum eſt, quod non dat de præſenti, ſed tantum offert de futuro; *Tibi dabo.* A nobis, inquit Beatus Gregorius Nazianzenus, ſemper petit quod de præſenti exhibeamus; qui ſemper, quæ promittit, in futurum reſeruat; Nec mirum, nam quod offert, non poteſt ille exhibere; offert namque appetitus noſtri ſatietatem, hanc nullatenus poteſt ille præſtare, quoniam tantum bona finita, & exigua poteſt dare, & appetitus noſter non niſi bono infinito repletur. Vnde tacitis dilationibus vtitur diabolus, & re vna exhibita, cum eius inſufficientiam experimur, ad offerendam aliam ſe conuertit: ſicque perpetuò ea, quæ daturus eſt, magnificat; cum ea, quæ exhibuit, experimur nullius fuiſſe ponderis, in quem egregiè, vt ſupra diximus, quadrat illud: *Prædam pollicetur ſocijs, & oculi filiorum eius deficient.* Quos primò ſocios vocat, hos eoſdem filios nuncupat, quibus perpetuò pollicetur prædam, ſed quam attentis oculis expectant, nunquam manibus contingunt. De quo alibi latius.

1. Reg. 26. 21.

Orat. in ſanctum Baptiſt. poſt princ.

Iob. 17.

Tamen à nobis de præſenti petit, vt diuinos ei deferamus honores, & ſtatim nos eius voluntati ſubdamus, & tradamus.

§. 61. *Chriſtus diabolum, tanquam elephantem acri vulnere percuſſit, omnia eius crimina vnico Satanæ nomine eidem exprobrans.*

¶ 208.

TVnc dicit ei Ieſus: *Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deū tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Multis nominibus poſſet Chriſtus tentatorem appellare, quibus promiſcuè ſanctæ Scripturæ vtuntur, de quibus alibi: ſed appoſitiſſimè Satanam eum nuncupauit, inquit Beatus Iuſtinus martyr *a*, appellationem hāc nactus, conuenientem ſuis ſtudijs. Et quidem huius nominis varias ſignificationes ſancti Patres tradunt. Quidam credunt ſignificare ſupremum dæmonem, aut vt Chryſoſtomus *b*, dixit Archidæmonem. Ita Nilus Abbas *c*, S. Anaſtaſius *d*, Epiſcopus Nicænus, ex Theodoreto, & Euthymius *e*, videturque Tertullianus *f*, idem ſenſiſſe. Alij dicunt ſignificare Apoſtatam, ſeu defectorem, vel tranſgreſſorem. Ita B. Irenæus *g*, D. Iuſtinus martyr *h*, idem inſinuat Cyprianus *i*, D. Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus K, Beda *l*. Alij dicunt ſignificare aduerſarium, contrarium, inimicum: Ita Origenes *m*, & Tertullianus *n*, B. Hieronymus *o*, qui annotat, id quod in noſtra Vulgata habetur in libro Geneſis *p*, *Inimicitijs*, in Hebræo haberi, *Satan*; quam vocem Aquila, & Symachus traduxerunt aduerſum, aut contrarium. Ita, & alijs in locis idem Hieronymes aſſerit. B. etiam Baſilius *q*, idipſum probat ex eo, quod in libris Regum dicitur *r*, *Excitauit Dominus Salomoni Satan. Ader Regem Syrorum.* Ita Cyrillus Hieroſolymitanus *ſ*, Rupertus *t*, Diuus Thomas alijque innumeri. Multi credunt nomen Satan, vtrunque ſignificare *ſ*, Apoſtatam ſcilicet, ſeu defectorem, & aduerſarium, ſeu inimicum. Ita Theodoretus *u*, & Iſidorus *x*, omneſque credunt, ex Hebræo illam oriri ſignificationem, quam intendunt. Et quam uis multi noſtri tēporis authores multa ad hoc inſtitutum dicant, exiſtimo

a Dialo cū Triph poſt med.
b in Pſ. 2.
c L. de octo vitioſis cogit. ī biblijs SS. PP. tom. 5.
d L. qq. in ſac. Script. q. 61.
e Ap. Lipp. cat. Exo. 15
f L. de teſti. ani. c. 3.
g L. 5. cont. hæreſ. c. 21
h Dial. cit.
i Li. ierun. & tentat.
K L. qq. cit.
l in cap. 16 Matth.
m Hom. 1. in Matth.
n Iob. 3. cōt. Marcio. c. 21.
o Epiſt. 25. ad Marcel. & de trad. Hebraicis.
p Gen. 26. 21.
q Hom. 9. quod Deus
r 3. Reg. 14.
ſ Cathec. 2
t In cap. 12 Apoc.
u L. qq. in 2. Re. q. 37.
x 8. Ethym. cap. 11.

huius diuersitatis varietatem, ex variis verbis Hebræis, à quibus nomen Satan potest deduci, processisse. Tria enim sunt verba Hebræa, inter se maximè similia; Primum est *Satah*, quod significat declinare, aut diuertere, aut in contrarium se detorquere, aut deficere à fidelitate, quam quis tenetur seruare: & nouem vicibus ad summum in Scriptura inuenitur, & semper in malum; præsertim autem de muliere dicitur, quæ fidem coniungalem fregit: Ita *y*, *Vir cuius uxor erraue-* y *Num.* 5. 12.
rit, & z sin autem declinauerit mulier à viro suo, z *Num.* 5. 20.
& a, si declinauerit mulier à viro suo. a *Num.* 30.
Ita sumitur pro eo, qui auertitur à veritate ad mendacium *b*, *Qui non respexit in vanitates, & insanias falsas*, id- b *Ps.* 39 50
est, auersus est, defecit: & pro eo qui facit prævaricationem *c*, *Facientes*, inquit, *prævaricationem odiui*, *&c.* Ab c *Psal.* 100
hoc verbo existimat B. Iustinus martyr *d*, oriri nomen Satanæ, ideoque significare prævaricatorē, Apostatam, desertorem, & eum qui defecit à fidelitate, quā seruare tenebatur, quia scilicet à Deo, & veritate deficiens, se cōuertit ad mendacium, & ad seipsum, & in veritate nō stetit. Censet autem nomen Satanæ, cōpositum ex verbo Satah, & nomine Nas, aut potius Nahas, quod serpentem, aut anguem, vel colubrū significat, à verbo Nihes, quod *Genes.* 2. 5. significat obseruare, & insidiari. Hinc enim dicitur, serpentem callidissimum esse omnium animantium. Satan, inquit, Iudæorum, Syriorumque lingua, desertorem significat: hæc autem vox Nas, quod interpretatur serpens Hebræis: ita ex vtroque vnum vocabulum componitur, Satanas, vt velit dicere, Serpens, apostata, aut desertor. ¶ 209. cvv Secundum est verbum *Satam*, quod significat odire, aut perperes inimicitias ducere. Ita dicitur *a*: *Oderat ergo* a *Gen.* 39. 14.
(in Hebræo, Satam) *semper Esau Iacob pro benedictionis & b, inuiderūt illi habē* b *Gen.* 49. 23.
tes iacula, & alibi sæpè pro inimico ponitur, in Hebræo Satam. Ab hoc verbo si educas vocem Satam, significat, osorem, odio habentem, inimicum, qui bandositates ducit nobiscum per modum habitus perpetui. Tertium verbum est *Satam*, quod ita significat actu aduersari alicui, vt communi phra- cvv

si Hebræorum, esse in Satan, sit actu agere, aut insurgere contra aliquem, aut actu esse illi contrarium, vel inimicum. Ita dixerunt Philisthijm de Dauid *d*: *Conuertatur vir iste, & sedeat* d 1 *Re.* 29. 4.
in loco suo, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius. In Hebræo, in Satan: & *e*, *Cur efficimini* e 2 *Re.* 19. 22.
hodie mihi in Satan? & f suscitauit Do- f 3 *Reg.* 11 14. 25.
minus Salomoni Satan: & signanter cum inducitur aduersarius à dextris Iesu, filij Iosedech, vt ei actu aduersaretur, vocatur *g*, *Satanas*. Ab hoc ver- g *Zac.* 3. 1.
bo educunt nomen Satan, qui dicunt significare aduersarium, vel contrarium. Et ita ad concordiam omnes sancti Patres reuocari possunt. Ex his enim sequitur primò, vocem Satan, significare tria: primo defectorem, aut apostatā, à fideli veritate, & seruitute, quam seruare tenebatur. Secundo inimicum, qui per modum habitus permanentis, inimicitias nobiscum gerit. Tertio inimicum, qui in actu particulari se exhibet aduersus Deum, vel nos aliquid gestientem. Sequitur secundo, aliquam differentiam posse tradi inter vocem Satan, & Satana, aut Satanas, vt non tantum differant ex terminatione Latina, vel Hebræa, quasi Satan Hebræam habeat terminationem, & Satana, aut Satanas, Latinam, sicut Saul, & Saulus, Iacob, & Iacobus: nam vox Satan, quia verè oritur à verbo Satan, quod est aduersari, proprie aduersarium significat: sed vox Satanas, quia orta videtur à verbo Satah, & nomine Nas, proprie significat serpentem, apostatam, aut defectorem, vt dixit Diuus Iustinus martyr: *Dial. cit.*
quamuis secundum communem vsum his nominibus promiscuè, quasi synonimis vtamur. Sequitur ex his, nomen Satan propriè loquendo, non significare supremum dæmonem, quem Chrysostomus Archidæmonem vocat: *In Psal.* 2.
omnibus enim dæmonis hoc nomen aptè conuenit, qui omnes apostatæ fuerunt, & aduersantur Deo, & nobis. Ideoque Christus Dominus maiores, & minores hoc nomine nuncupauit, dicens: *Si Satanas Sata-* *Mat.* 12. 26 & *Luc.* 11.
nam eijcit. Tamen ex accommodatione, & per antonomasiam, sæpè ei 15.

ablo-

absolutè nomen Satanæ tribuitur. Ita dū de illo agitur, qui est caput malorū Angelorum dicitur; proiectum fuisse, *Apoc.* 12. 9 *& Angeli eius cum eo missi sunt, &c qui vocatur Diabolus & Satanas.* Quomodo dixit Tertullianus: Satanam nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris *Libr. de testim. anim. cap. 3.* artificem, totius sæculi interpolatorem per quem homo à primordio circumuentus, &c. Vbi nomine Satan, tanquam declinabili vtitur Tertullianus, quamuis alibi *a*, (vt eius Scholiastes *b*, notat) indeclinabiliter nomine, Hebræorum more vtatur. Iuxta has igitur varias significationes, expendunt sancti Patres, meritò nunc diabolum à Christo vocatum Satanam. Quidam dicunt voluisse vocare illum, inimicum, aut contrarium, tam in actu, propter illud quod tunc petebat, quam in habitu; insinuans eum esse communem humani generis hostem: vt voluerit dicere: Vade inimice. Ita Hieronymus *a*, & Maximus *b*. Alij dicunt, eum vocare voluisse aduersarium Dei, qui perpetuo Deo aduersari contendit, procurans debitum illi honorem suffurari, & aucupare ita Rupertus *c*, & Diuus Thomas *c*. Alij credunt voluisse eum vocare, apostatam aut desertorem, quo nomine illius inuerecundiam, iustissimo, & aptissimo ¶ 210. improperaret opprobrio. Ita Beatus Cyprianus expendit, dicere voluisse: *Lib. de ieiu. & tentat.* An me putas posse tecum apostatam fieri, & quod à Dei subiectione defecturus sim, allectus pulchritudine *Ezech. 28. 17.* gloriæ, creatæ, sicut tu, *cuius cor eleuatum est in decore tuo?* Voluit, inquit Remigius, in memoriam reuocare, anti- *In caten. D. Thom.* quam illius iniquitatem, cui dixit: *Vade retro Satana*, id est, Reminiscere & recordare, in quanta gloria conditus fuisti, & in quantam miseriam ceciderit. Hoc idem breuissimis verbis Beatus Hilarius asseruit: Crimi- *Can. 3. in Matth.* num, inquit suorum, in Satana nomen audiuit. Supremo igitur opprobrio voluit Christus diabolum, quem vincebat, percutere, agnoscens illum mores elephanti tenere, quem vt sæpè dictum est, antiquitus sub specie elephanti descripsit: nullo acriori vulnere elephantus percuti potest, quam

a Li. 3. con. Marc. c 21
b Pameli. ibid. n. 155
a In cap 4. Matth
b Homil. 2. Domin. 1. Quadra.
c In cap. 12 Apoc.

contumeliæ, & opprobrij verbis eius ruditatem exprobrando. Illud namque quod Deus de illo agens, dixit, loquens ab Iob: *Ecce Bethemoth, quem feci tecum*; quidam dictum intelligunt, *Iob. 40. 10.* quod inter omnia animantia nullum est, quod magis ad hominis naturam accedat, quia videtur participare aliquid rationis, & prudentiæ, adeo, vt Cicero non vereatur affirmare, non paucas hominum nationes, sensu, & ingenio esse illo inferiores. Et vere talia facit, quasi rationis esset compos, *Lib. 8. c. 3.* quorum multa refert Plinius ingenti *4. & 5.* admiratione digna. Illud autem est singulare, quod sicut nulla re ita delectatur, sicuti cum reuerentia ei exhibetur, & honorificis verbis, & inclinationibus coram eo factis extollitur, eique adulatorijs verbis tribuuntur mens, ratio, nobilitas, quorum omnium est expers; ita nulla re offenditur, nec acriori vulnere lædi potest, quam cum verbis contumeliæ, contemptus, & opprobrij irrationalitas sua exprobrando proponitur. Hoc durius est, quam si ligno quocunque, vel fuste percuteretur. Huiusmodi mores diabolus tenet. qui cum superbissimus sit, nulla re ita delectatur, sicuti cum ei reuerentia illa exhibetur, cuius ille nulla ratione capax esse potest. Idcirco tot adorationis genera, tot sacrificiorum oblationes instituit, quibus à Gentilibus tanquam Deus honoraretur. Idcirco nec aliquo acriore potest vulnere percuti, quam cum ei contumeliæ, & opprobrij verbis sui miseri status infœlicitas exprobratur. Hinc viri cordati ad eum fugandum, cum quis se ab ipso impeti sentit, consulunt, eum verbis contumeliæ, & approbrij exprobrandum, quibus in memoriam reducatur eius miseria, qualia sunt illa: *Deut. 32. 18* *Deum qui te genuit dereliquisti, oblitus es Domini creatoris tui*: illa itidem: *In profundum laci detractus es: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Agnoui hominem quem visibiliter diabolus insequebatur, qui nulla re ita illum, quam huiusmodi verbis fugabat. Nulla autem ad hoc institutū aptiora, quā illa, quib. ei Christus exprobrauit apostasiā, infide-

litatem, contrarietatem ad Deum: *Vade Satana:* omnia enim sua crimina, vt dixit Hilarius hoc solo nomine sibi obiecta cognoscit. Annotat insuper perductos recens autor *d*, (quod, & Diuus Iustinus *e*, martyr insinuauit) hæc nomina, Diabolus, & Satan, differre propter actionis, & studij diuersitatem, quatenus enim dæmon agit apertum aduersarium, vel hostem, dicitur Satan: quatenus vero dolo, fraude technis discurrit, & vtitur, Diabolus vocatur. Vnde Paulus, quando eum inducit dolo, & occultè agentem, vocat Diabolum: *Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* At quando aperto bello contra seipsum sentiebat agentem, vocauit Satanam. *Datus est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Idcirco in historia Sancti Iob sæpe Satanas vocatur, quoniam aperto certamine, & quasi signo dato, accessit eum expugnaturus: similiter, & quando descriptus est agens contra Iesum filium Iosedech. Et hæc causa est, cur tentator in duabus primis tentationibus, quibus contra Christum egit, vocatur diabolus; quia callidè potius, & sub velamine sanctitatis agebat: cum autem se apertè prodidit, suosque aduersus Dei gloriam, conatus perspicuè patefecit, vocatus est Satanas.

d *Anton. Porez quod l. 3. expositi hoc ca 7. nn. 35.*

e *Dial. cit.*

ad Eph. 6. 11.

2. *Cor. 12. 7*

Zach. 3. 2.

§. 62. *Adimpleuit Christus illud: Percussisti caput de domo impij, & denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*

¶ 212. *Lib. 5 cont. hæres 21.*

Hab. 3. 13

VAde Satana. Egregiè Beatus Irenæus obseruauit Christū, qui hucusque dissimulasse visus fuerat, quasi tentatorem non agnouisset, nunc hoc nomine tentatorem denudasse, & manifestè ostendisse, quisnam ille esset, denudans eum, inquit Irenæus, per hoc nomen. Et vere alludere visus est S. Doctor ad illud: *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Edidit sanctus Propheta Habacuc canticum, insigne quidem, sed plurimis difficultatibus implicatum, quod propterea *Propter ignorantiæ* inscripsit, in quo quamplurimi autores contendunt decantasse victorias mirabiles, quas antiquitus populus Dei, illius fauore munitus, consequutus fuerat: quibus non contradico; sed existimo, in illis Prophetam vidisse Christi Domini excellentiores victorias, quæ sicut illis antiquis præfigurabantur, ita à Propheta in illis expendebatur. Ita Tertullianus *a*, qui per varia capita huius cantici versus enarrat, & Hieronymus *b*, Gregorius Nyssenus *c*, Augustinus *d*, Eusebius, Rupert. Euthymius, Theophilact. & alij, quos doctus Ribera *e*, recenset. Excellentissimâ autem victoriam concinit, dicens: *Egressus es in salutem populi tui, in salutē cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamenta eius vsque ad collum.* De illa insigni victoria, quā de Pharaone reportauit quidā hæc verba intelliguntur: & verè in cortice, illa exprimitur. Opprimebatur populus Dei operib. duris luti, & lateris, & filij masculi proijciebantur in flumen, & tot malis premebantur, vt compulsi fuerint clamare ad Dominum: qui tunc egressus dicitur in salutem, cum descēdit in rubum, vt liberaret populum. Ita que quod ibi dicit Deus: *Descendi liberare eum*, dicit Propheta: *Egressus es in salutem populi tui.* Dicitur autē egressus, cum Christo suo, id est, Moyse, qui vocatur Christus, id est, vnctus: quia quamuis verè corporali vnctione non esset vnctus, tamen quia populi dux fuit, & Propheta, atque sacerdos, vnctus vocatur, ex consuetudine postea subsequuta, qua Reges, Prophetæ, & sacerdotes vocabantur Christi, aut vncti, qui verè oleo vngebātur. Vnde, & Deus etiam eos antiquos Prophetas, qui non fuerunt corporaliter vncti, Christos suos vocat: *Nolite* inquit, *tangere Christos meos*; qui autem hi sint, statim explicat subdens: *& in Prophetis meis nolite malignari.* Aut vero dicitur vnctus, vnguēro illo, quo Christus Dñs præcęteris cōibus vnctus traditur: *Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, i.e. præ cōibus Patriarchis, Sacerdotib. Regibus, Prophetisq; Dicitur

a *Lib. 1. cōt. Marcio.*

b *In Præmio lib. 2. in Habac.*

c *Orat. 1. in Cantic.*

d *18. De ciuit. c. 32. & 16. con Fa. c. 19. & or. cōt. Iudeos, initio to. 6.*

e *In cap. 3. Habac.*

Exod. 3. 8.

Ps. 104. 15.

Psal. 44. 8.

citurque Deus egreſſus cum Moyſe,
a *Exo.3.12* alludens ad illud *a*: *Ego ero tecum*: &
b *Exo.4.12* *b*, *Perge igitur, & ego ero in ore tuo*; &
c *Exo.4.15* iterum *c*. *Loquere ad Aaron, & ponam verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis: quid agere debeatis.* Quid igitur fecit? *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Domus impij vocatur Ægyptus, quam poſteri impiſſimi Cham habitauerũt. Certum eſt Cham vocari impium propter eam, quam contra patrem ſuum commiſit inuerecundam impietatem, per quam vt Beroſus narrat, non tantum patrem irriſit, ſed, & eum incantationibus ligauit, ne vlterius filios generaret: credit enim Beroſus illum fuiſſe magicæ artis ſtudioſum, quem Zoroaſtris nomine poſtea vocarunt. Inter alios genuit vnum, quem Meſraim vocauit, qui terram Ægypti incoluit, cui, & nomen ſuum indedit, vt in diuina Scriptura perpetuò Aegyptus vocetur, Meſtaim, & vſque ad ſua tempora hoc retinuiſſe nomen, teſtatur Ioſephus. Quo factum eſt, vt in Scriptura ſacra, terra Ægypti appelletur Domus Cham, aut terra Cham. Ita Dauid plagas Aegypti recenſens: *Percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham: &, Intrauit Iſrael in Ægyptum, Iacob accola fuit in terra Cham*: & ibidem agens de Moyſe, & Aaron: *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum in terra Cham*: *& obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham.* Caput autem huius domus erat Pharao, qui erat rex Aegypti: hoc caput percuſſit Deus: *Et denudaſti fundamentũ eius vſque ad collum.* Pharaonẽ, quem primo vocauit caput domus, nunc vocat fundamentum eiuſdem, rex, enim, ſicuti eſt caput regni, ita dicitur fundamentum eiuſdem, ſicuti caput in homine fundamentum vocatur, qui dicitur arbor inuerſa. Quomodo autem Rex dicatur fundamentum Regni, egregiè explicuit B. Gregor. Hoc modo fundamentum, aut caput denudari vſque ad collum, eſt totaliter tonderi, & abradi, vel decaluari, vt nec minimus remaneat capillus: nam in Scriptura ſacra, nudare caput, ſæpè idem eſt quod tondere. Multa autem apud antiquos ſignificabat capillorum abraſio, vel exciſio, ſignanter autem duo: primò ſeruitutem: mox enim, vt quis in captiuitatem, vel ſeruitutem miſeram venerat; ita tondebatur, vt decaluari diceretur, ſicut apud nos, qui damnantur ad triremes. Hinc prouerbium illud natum eſt (vt ex prophanis aliquid inferamus) quod Ariſtophanes vſurpauit: Seruus cum ſis, comam geris? Sed in Scriptura hoc ſæpè inſinuatur, quæ caluitij, aut tonſuræ, vel raſuræ vocabulo, ſeruitutẽ atque captiuitatem exprimit. Deſcribens futuram captiuitatem, ait Iſaias: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion*; & Michæas; *Decaluare, & tondere ſuper filios delitiarum tuarum, dilata caluitium tuum, ſicut aquila, quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Eſt inſignis locus in Deuteronomio; *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes, de cruore occiſorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Minatur, ſe inimicos ſuos eſt abſumpturus, morte, & captiuitate viliſſima; morte quidem, vt fluat ſanguis, & cruor occiſorum ab ictu ſagittarum, & gladijs: captiuitate autem tali, vt inimici nudent, & tõdeant eorum capita, quo nomine captiuitatem abiectiſſimam, deſpectiſſimam, & contẽptiſſimam ſeruituẽ declarat. Sũt aliquando ſerui, qui in pretio habentur, & honore apud dominos, & honorificis deputantur miniſterijs, qualis fuit Ioſeph apud Putiphar in Aegypto & Tobias in Niniue, & Daniel, ac eius ſocij in Babylone, non hanc ſeruitutem comminatur Dominus, ſed viliſſimam, quam vocat captiuitatem, in qua inimici nudabunt, aut tondebunt caput victorum. His concinunt, quæ Pomponius, agens de triumpho Eleſiani, dicit: Moris, inquit, erat, vt omnes qui à captiuitate, & ſeruitute inimicorum, induſtria, & viribus Imperatoris triumphantis liberabantur, in curru triumphali, raſis capillis in ſignum antiquæ ſeruitis, à qua fuerant illius triumphatoris virtute erepti, veherẽtur. Erat itaq; capillorũ ab-

in Auibus.

Iſa.3.17. *Micha.1. 16.*

Deut 32. 42.

¶ 212.

9 *Moral. cap. 13.*

abſciſſio vel abraſio, ſeruitutis miſerimæ ſignum. Hinc factum eſt, quod tondere alicuius caput, idem eſſet, ac magnam ignominiam inferre, quam aliquæ nationes ad ſupremam pœnam acriorem ipſa morte reſeruabant. Apud Indos, inquit Stobæus, aliqui morte damnantur propter aliqua crimina: illum autem qui maximum aliquod delictum perpetrauit, Rex tonderi iubet, tanquam extrema ignominia afficiendum. Apud Germanos (quod, & Rauiſius tradidit) adulterã ſciſſis crinibus maritus expellebat domo, quam verbere per omnem vicum agebat. Imò, & ſanctus Eſdras, eos qui impium facinus commiſerant, ducentes mulieres alienigenas, puniuit: *Obiurgaui*, inquit, *eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros, & decaluaui*. Nuditas ergo capitis, eiuſque raſura ſummo probro, ac ſuprema turpitudine fuit. Vnde dixit Poeta.

Vide Antonium Gueuara in Habac.

In ſua officina.

2. *Eſdr.* 33. 23.

Apud Gueuaram.

Turpe pecus mutilũ, turpis ſine gramine campus.
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Hac de cauſa, inquiunt Beda, *a*, & S. Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus *b*, Petro Apoſtolorum Principi cum Antiochiæ prædicaret, caput ab improbis abraſum fui, vt cunctis ludibrio foret, nec auderet egredi domo, aut inter gentes conuerſari, quomodo, & Demoſthenes ſtudiorũ cauſa, vt intra domum ab omnibus remotus cogeretur manere, aliquando caput radebat. Quod tamen Petro in opprobrium datum fuit, ad gloriam Eccleſia hoc ipſi conuertit, & tonſuram miniſtris ſuis impoſuit, de quibus diligens Baronius videndus eſt. Significat ſecundò abraſio, aut tonſio capitis, ingens, ſupremũque malũ. Quãdo enim alicui incõmodũ aliquod eueniebat, quod ſupremum malum reputabat, radere caput ſolebat. Hoc ex Gentilium factis probat eleganter doctus quidam author, nã Achilles in Protochi funere, ad grande malũ exprimẽdũ cæſariem præſcidit: Romani itidem in morte Germanici. Alexandrũ in funere Hepheſtionis, equos, & mulos totõdiſſe tradit Plutarchus, ibi autem, & ſuis fortiſſimis militibus abraſiſſe capita, ſcripſit Ælianus. Hoc ẽt ſæpè Scripturæ ſacræ indicãt, nã Iob audito omnium facultatum ſuarum diſpendio, & filiorũ nece: *Tonſo capite corruit in terram*: & Ezechiel aſſumens lamentum ſuper Tyrum, ait: *Et radent ſuper te caluitium, & accingentur cilicijs, & plorabunt te in amaritudine animæ, ploratu amariſſimo*: Et Iſaias de Moab: *in cũctis capitibus eius caluitium, & barba radetur*. Peculiariter autẽ hæc conſuetudo apud Ægyptios fuit perpetua. Vnde cũ bos ille, quẽ Apim vocabant, & tanquã Deum colebant, iuxta ætatem, quam non permittebãt excedere, à ſacerdotibus mactabatur, dum aliũ quærebãt, quẽ tanquam Deum adorarent, qui in dextro latere candicantẽ maculam, aliaqs inſignia haberet, luctũ, ducebant, radentes capita, hoc ipſo indicantes, ſe in ſupremo malo poſitos, q Deum nõ habebant: apud quos etiam erat cõmune, in amicorum, & conſanguineorum funere tondere capita, & omninò abradere in ſignũ mali ſupremi: quam conſuetudinem voluit Deus à populo ſuo ex Ægypto egreſſo exterminare: qui ꝓpterea præcepit: *Nõ vos incidetis, neque facietis caluitiũ ſuper mortuo*: vt ſ. non de mortuis cenſerent ipſi, qui fideles erãt, ſicut ſentiebãt infideles Ægyptij. Hinc factũ eſt, quod Deus cũ ſignificare vellet, q ſupremam ignominiam, extremumque malũ inducturus erat, diceret, ſe abraſurũ caput. Ita apud Iſaiã: *In die illa radet Dominus in nouacula cõducta in his, qui trãs flumen ſunt, in Rege Aſſyriorũ, caput & pilos pedum & barbam vniuerſam*. Non tantum dicit, quod tondebit, ſed quod radet, & quod omninò radet, vt nec in barba capillus, aut pilus remaneat: nã cum capilli omninò abradebantur, ſuprema ignominia, extremo malo coniuncta indicabatur. Ita, & hæc comminari volens Deus Iudæis dicebat: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, &c.* Ex his ergo clare patet ſenſus verborum Prophetæ, celebrantis victoriam, quam Deus de impio Pharaone reportauit. Egreſſus fuit tunc in ſalutem, aut ad ſaluandum populum ſuum, cum Moyſe, aut in Moyſe Chriſto ſuo; & primò

a *De geſtis Anglor. lib. 5. c. 22.*

b *In Theoni rerum Eccleſiaſt.*

Tom. 1. annal. an. 58. n. 108. & 104.

Gueuarra loco cit.

¶ 213.

Iob. 1. 20.

Ezech. 27. 31.

Iſai. 15.

Deut. 12. 8

Iſa. 7. 20.

Iſa. 3. 17.

mò quidem caput, aut Regem illius domus impij Cham, id est, Ægypti, acerbissimis percussit plagis, per virgam illam celebrem, & tandem ipsum met, qui erat totius Regni fundamentum, & caput, omninò, ac penitus decaluauit vsque ad collum, abscidit capillos, quia suprema ignominiæ, & extremo malo illum tradidit, sicuti videmus eũ in medijs fluctibus miserrimè pereuntem, vt non solùm ipse, sed & omnes eius curtus, & equites ignominiosissimè ſe perire, & nullatenus euadere posse viderent. Hanc quidem victoriam in cortice decantare voluit Propheta: sed verius eam, quam Christus de supremo dæmone reportauit, voluit celebrare: *Egressus es*, inquit, *in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*. Ad Eternum Patrem videntur verba referri, præsertim si sexta editionis lectionem, quam Hieronymus annotat, sequamur. *Egressus est, vt saluares populum tuum, per Iesum Christum tuum*: quibus audere visus est Christus, illis loquendi formis: *Pater in me, & ego in Patre*, & *Pater in me manens, ipse facit opera*, aptissimè tamen ad Christum ipsum verba intelligemus directa, si sequamur lectionem Septuaginta; *Egressus es in salutem populi tui, vt saluares Christos tuos*: quam sequitur Tertullianus *a*, Augustinus *b*, Eusebius *c*, Cyrillus *d*, Theodoretus *d*, & Hesychius *d*. Ecce ad quid Filius Dei venit, egressus est vt gigas, à summo cœlo egressus est, quia *e Exiui*, inquit, *à Patre, & veni in mundum*. Egressus, quando Verbum, quod in principio erat apud Deum *f*, *caro factum est*, & propter nos homines, & nostram salutem descendit de cœlis. Est autem verbum egrediendi, vt sæpe diximus, verbum militare, quo Scripturæ vtuntur, cùm describunt aliquem egredientem ad bellum. Quomodo egressus est Dauid contra Goliath, in salutem populi sui. Egressus est Christus in salutem populi sui, qui ideò iussus est vocari Iesus quia *ipse saluum faciet populum suum &c. vt saluares Christos tuos*. Cyrillus, & Hesychius intelligunt, quos sanguine tuæ hostiæ vnxit: Theodoretus autem Christos vocat eos, qui fidem consequuti sunt, & Euangelium recipientes, diuini Spiritus gratiam sunt adepti. Aut verò vocat Christos Christianos, à chrismate, quos hoc ipso vngendos chrismatis oleo præuidebat Propheta. Aut certè hunc primum congressum considerasse visus est Propheta, præuidens Christum, à Spiritu sancto ductũ, & eodem Spiritu comitante procedentem ad desertum, qui egressus est in salutem populi sui, nec enim ipse tali egebat egressu, quo tanquam miles ad pugnam processit, armatus ieiunio, & oratione. Caput de domo impij, vel impietatis, erat suprema, dæmon: *Qui est Rex super omnes filios superbiæ*. Vt namque diximus, supremus dæmon fuit is, qui ad congrediendum cum Christo accessit. Hunc semel, & iterum percussit gladio diuini Verbi: tandem autem denudauit hoc caput vsque ad collum, abrasit, & decaluauit illud, quia summa eum affecit ignominia, & in supremas coniecit angustias, & extremo contemptui tradidit, dicens: *Vade Satana*: quibus verbis omninò caput eius denudauit, imò, & abrasit. Operto capite ille accesserat, qui mentem suam perfidam, tanquam quibusdam capillis tegere voluerat, primò quidem titulo necessitatis, & compassionis erga famelicum, deinde sub specie diuini fauoris promissi in Psalmo, tandem sub magnifica promissione illa; *Hæc omnia tibi dabo*, voluit se tanquam suprem um Dei filium exhibere, sed Christus caput eius omninò denudat, abradit, & decaluat, quia offendit manifestè quisnam ille sit, & hoc ipso eum suprema afficit ignominia, & in tales angustias conijcit, vt coactus fuerit fugam arripere. Et quidem Pharaoni non datus fuit locus fugiendi, quia vltimum congressum cum illo Deus in mari confecit, at diabolo locum concessit fugiendi, cum quo postea validius in Caluariæ palæstra erat congrediendum. Hoc est quod dicit Lucas: *Recessit ab eo, vsque ad tempus*. *Vade*, inquit, *Satana*. Suprema ignominia eum affecit, eidem aptè repræsentans suam apostasiam, & infidelitatem erga Deum, & quod à

Deo

In cap. 3. Hab.

Ioan. 14. 10

a 4. Cont. Marci cap. 39.

b 18. de ciu. cap. 32.

c D. de monstr. c 4.

d In cap 3. Habac.

e Ioan. 16. 28.

f Ioã. 1. 14. ¶ 214.

1. Reg. 17.

Matt. 1. 21

Iob 41. 25.

Luc. 4. 13.

Deo recedens, qui eſt omne bonum, nullam habere poterat gloriam, quam daret, aut qua potiretur, repræſentans itidem eius perfidam mentem, qua perpetes nobiſcum gerit inimicitias, maiores quàm Eſau cum Iacob: quia in nos translatam videt benedictionẽ, quam iure primogenituræ ille prætendere poterat, tandem repræſentans eũ, cùm aliquid promittit, non amicum, ſed aduerſarium agere, qui perpetuò contendit Deo nobiſque aduerſari: qui ſicut expulſus fuit cœlo, quando voluit ſimilis eſſe Altiſſimo, ita, & nunc ignominioſè ex illa palæſtra erat eijciẽdus, vbi tanquam Deus voluit adorari. Hæc omnia ſignificare voluit, dicens: *Vade Satana*.

§. 63. *Aptè Chriſtus legem citauit, vero Deo adorationem, & ſupremo Domino ſeruitium ſtatuendum.*

¶ 215. *Deut. 6. 13 & 6. 20. 20*

In cap. 4. Matth.

SCriptum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Habetur locus bis in Deuteronomio, ſicut & alia duo quæ Chriſtus ad duas præcedentes tentationes retuincendas induxit. Hocque conſiderandũ eſt (inquit Haymon) quod Dominus omnia teſtimonia contra diabolum ex Deuteronomio ſumpſit. Quod in Dauid longè ante præfiguratum agnouimus, qui pugnaturus contra Gigantẽ, etſi quinque eſſent lapides limpidiſſimi, quos de torrente elegit, vnico tamen ex illis ſuperbiſſimum hoſtem deiecit. Cùm quinque libros legis Dominus per Moyſem tradiderit, ſolius Deuteronomij authoritatem, & verba contra diabolum iecit, quo caput eius contudit, mentem turbauit, ſuperbiam ſtrauit. Deuteronomium idem eſt, quod Secunda lex, ideoque Euangelium deſignat, nã omnis antiqua Scriptura pro vna lege habetur. Euangelium autem Secunda lex dicitur, quod antiquo Teſtamento

Ibidem.

ſuccedit. Notandum, inquit Beda, quod Chriſtus neceſſaria teſtimonia tã tum de Deuteronomio protulerit, vt ſecundæ legis ſacramenta monſtraret. Rectè autem Chriſtus Dominus locum inducit *Dominum Deum tuum adorabis*. In Hebræo habetur verbũ, *Iara*, quod quia propriè ſignificat timerè, metuere, expaueſcere. Vulgatus vtrobique tranſtulit: *Dominum Deum tuum timebis*. Aptè nihilominus Chriſtus dixit: *Adorabis*, legitimum ſenſum in Scripturis ſanctis vſitatiſſimum tenẽs, in quibus timere, aut metuere idem ſignificat, quod colere, reuereri, adorare: qui enim timet alterum, eum reueretur, & colit, ſeque eidem ſubmittit. Ideoque apud Hebræos, cõmuni phraſi, timere Dominum, ponitur pro eo quod eſt, eum adorare, & cultum ſupremum impendere. Qua etiam loquendi forma homines religioſi, fideliterque Deum colentes, vocantur Timentes Deum, ſicuti de Iob dicitur: *Timens Deum*: & alibi; *Timenti Deum benè erit in extremis*: & apud Malachiãs *Loquuti ſunt timentes Dominum*. In Pſalmis ſemper eſt huiuſmodi phraſis, quomo do dicitur de Tobia, quod *docuit filium ſuum ab infantia timere Deum & &c.* Verum quidem eſt, verbum, Timẽdi, & Adorandi, in Scriptura ſacra, ſignificare ſepè reuerentiam exhibitam creaturis: *quia Abraham adorauit populum terræ*, videlicet filios Heth, Moyſes cognatum ſuum, adhuc paganum, legitur adoraſſe, communeque erat adorare Reges, & viros illuſtres, adeò vt Dauid adorauerit Saulem ſe perſequentem, diabolico ſpiritu agitatum; tamen quia, vt Caietanus ſæpè annotauit, prædicata alicuius propoſitionis, verbum cui iunguntur, coarctant, cùm dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis*, non de quacunque adoratione intelligendũ eſt, ſed de ſuprema ſoli Deo exhibenda, quam Græci Latriam appellant. Et ita intelligendus eſt Beatus Auguſtinus, qui hanc ſententiam expendens, docet, verbum adorandi in ea poſitum, ſignificare ſupremam ſeruitutẽ, & cultum illum exhibere, quem Græci Latriam vocant, non enim ſolam vim verbi dumtaxat conſiderauit, ſed prædica-

Iob. 1. 1.
Eccl. 1. 13.
Mala 3. 16
Tob. 1. 10.

Gen. 23. 7.
Exod. 16. 7

1. Reg. 24. 9

Epi. 66. ad Maximũ.

dicatum ei adiunctum, quod verbum
q 216. ipsum contrahit, ad adorationem, quæ soli Deo debetur, intelligendam. Verbum item, *Ghabad*, absolutè significat
Gen. 27. 40. seruire, quomodo dicitur: *Fratri tuo seruies*: & *Inimico tuo seruies*. Imò, & si-
Deu. 28. 48 Gen. 2. 5. gnificat, opus alteri impendere, aut operari circa aliquid: quomodo ponitur in Hebræo, vbi noster Vulgatus transtulit: *Homo non erat, qui operaretur terram*: hoc namque apud Hebræos est alteri seruire, erga alterum opera exhibere: quomodo dicitur; *Qui producit in montibus fœnum, & herbam, seruituti hominum*. Id est, hominibus operantibus terram, & quoddam seruitij genus ei impendêtibus. Nihilominus hoc in loco, non de quacunque seruitute Deus loquitur, sed de illa, quæ soli Deo, tanquam supremo Domino debita est. Quod vt Septuaginta explicarêt, quãuis in Hebræo tantum legatur. *Et illi seruies*, addiderunt adiectiuum illud, *Soli*, scientes, hanc seruitutem Deum petere, quæ sibi soli debita est, quam alijs
Rom. 13. 1. Dijs impendere prohibuit. Non itaque prohibet Deus, adorationem, & cultum impendere Sanctis eius, vt impij hæretici garriunt: imò nec quem, vt Apostolus docuit, Regibus ac Principibus tenemur exhibere. Similiter neque impedit seruitutem dominis tẽporalibus debitam, quam Spiritus sanctus, eiusq; Apostoli, & Prophetæ præceperunt, & commendarunt, quia loquitur tantum de adoratione, & seruitute suprema, quæ soli Deo debita est, tanquam verò Deo, & supremo Domino. Duo ille habet, est enim verus Deus, est itidem supremus Dominus. Quia verus est Deus, illi debetur adorationis suprema cultus: quia supremus est Dominus, suprema seruitia soli ipsi sunt exhibenda. Vt autem Beatus Augustinus annotauit, dictio, *Soli*, personam alienæ naturę
Epi. cit. excludit; quia ex eo, quod solus Pater est suprema adoratione colendus, non excluduntur Filius, & Spiritus sanctus, qui licet sint distinctæ personæ, sunt tamen eiusdem numero naturæ. Sic vim
1. p. q 31. a 4. & 5. 2. 2. q. 1. art. 1. vocum exclusiuarum interpretandam Diuus Thomas ex sacra Theologia docuit. Ex his patet suprema exercendaque diaboli superbia, eiusque inuere-

cundia intolerabilis, qui non quamcunque adorationem, aut seruitutem sibi à Christo impendi postulauit, sed illam omnium supremam, quę soli Deo debita est, ipsique soli exhibenda.

§. 64. *Recessit diabolus, cuius pharetra fuerat exhausta, & euacuata relinquens Christum in monte excelso.*

TVnc reliquit eum diabolus. Chry- q 217.
sostomus censet, diabolum recessisse, non voluntarium, sed coactum, *Hom. 5. in imperf.* virtute, & potentia Dei, qui non permisit, vt amplius tentando procederet, ipse namque, inquit, quantum est in se, nunquam cessaret tentans, nec enim aliud habet opus, quod agat. Non manducat, nõ bibit, non dormit, nõ aliquid operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat, hic cibus illius, hic honor, hoc gaudium. Propterea infatigabilis est in malo, sed potentia Dei repellit eum, cui tempus tentandi, & tentationes determinat. Affert itidem Chrysostomus *Hom. 13. in* Christum Dominum verborum suorũ *Matth.* vi, & præcepto fugasse diabolum, & verè credo, ipsum nimio terrore correptum fugisse, vt alibi dictum est. Beatus *Lib. 4. in* Ambrosius censet, ideò recessisse, quia *Luc.* iam non videbat, quid amplius agere posset: expẽditque verba Sancti Lucæ: *Luc. 4. 13.* *Et consummata omni tẽtatione, diabolus recessit ab eo, vsque ad tempus*. Omni quidem tentatione diabolus Christum tentauit, inquit, Ambrosius, quia in his tribus, omnium est materia delictorũ, quæ sunt carnis oblectatio, species gloriæ, auiditas potentiæ, quæ tria Paulus cauenda præscripsit, designans tres esse species peccatorum, à quibus liber expectat coronam iustitiæ: *Neque enim*, *1. ad Thess.* inquit, *in verbo adulationis fuimus, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est*: *2. 5.* *neque gloriam quærentes ab hominibus*. Hæc, & alia prosequitur Ambrosius, & similiter Chrysostomus, & alij, de quibus supra. Omnes ergo sagittas suas Satanas expẽderat, omnẽ malitię suæ pharetram euacuauerat, vt ait Beatus Ephrẽ Syrus, nulla in ea restabat sagitta, *Loco citato.*

quam

quam iaceret, receſſit propterea, cui nihil ſupererat agendum. Malitia quidem eius finita non fuit, nec conſummata inuidia, inquit Ambroſius: finitæ ſunt tamen nocendi artes, & machinæ, & omnes ſagittæ pharetræ exhauſtæ, non tentandi cupiditas eſt finita, ſed perſiſtere, & inſtare formidat, quia frequentius triumphari refugit. Vnde hic eius mos, quem ex Sanctis Patribus notat Diuus Thomas, quod ſi in vnius generis tentatione vincitur, ad aliud tranſit, nec in eodem perſiſtit, conſummato autem omni genere tentationis, recedit ad tempus, conſiderans innatã hominum inſtabilitatem, & mutationem, & quod ſi hac die non vicit hominem, ſequenti eum ſuperabit. Receſſit propterea nunc, *vſque ad tempus*, ſcilicet paſſionis, vt ex Beato Ambroſio notat. Diuus Thomas quando reuerſus fuit aperte pugnaturus contra eũ, per manus Iudæorum, quibus propterea Chriſtus dixit. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria eius vultis perficere.* Ita ingreſſus eſt Iudam, in cuius cor miſit, vt eum traderet, & in illis veniebat, quibus Chriſtus imminente paſſione dixit; *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Diceſſit ab eo vſque ad tempus inquit Chryſoſtomus oſtendens quod poſtea per ſua aduerſus eum inſtrumenta pugnaturus erat. *Reliquit eum diabolus.* Vbinam? num in monte excelſo? nam communis Sanctorum ſententia eſt, Angelos ei miniſtraſſe in deſerto, in quo ieiunauit. Abulenſis ſententiam credo veram, qui dicit diabolum deuictum a Chriſto, & increpatum, fugiſſe relinquẽdo eum in eodem illo monte excelſo, in quo omnia regna mundi eidem oſtenderat, nec enim ille auſus fuiſſet iterum Chriſtum aſſumere, vt in deſertum, a quo primò illũ extraxerat, reduceret, imò nec Chriſtus iam id illi permiſiſſet. Fugiente autem diabolo, acceſſerunt Angeli, quorum miniſterio reductus fuit ad deſertum, in quo ieiunauerat, vel ſua propria virtute ad illud deſertum redijt, id namque ſibi facillimum erat, in quo Angeli ei miniſtrarunt, parantes menſam, & deferentes cibaria. Ex hoc loquendi modo Euangeliſtæ, colligit Abulenſis, diabolum non reliquiſſe Chriſtum ab eo tempore, quo primum acceſſit, petens, vt ex lapidibus panes faceret, vſque nunc, cum omnem finiuit tentationem, quibus conſentit Lucas, dicẽs: *Conſummata omni tentatione, diſceſſit diabolus ab eo.* Non ergo diſceſsit quouſque omnem tentationem cõſummauit. Nec propterea credendum eſt, longa temporum ſpacia cum Chriſto duxiſſe. Ad has enim tres tentationes, ſufficiebat ſpacium vnius diei, imò, & minus continuæ namque fuerunt. Et prima tentatio breui tempore fuit conſummata, ſecũda ſimiliter, nam breuiſſimo momento ductus eſt Chriſtus ad pinnaculum templi, & tertia cum ex illo ductus eſt in montem excelſum, imò credo, quod die ipſa Quadrageſima prima, omnia iſta perfecta fuerunt, venit diabolus tentauit, victus, & confuſus aufugit, & eo recedente, Angeli miniſtrarunt Chriſto.

1 p. q. 114. art. 4.

3 p. q. 41. art. 3. ad 3.

Ioan. 1. 44.

Ioan. 13. 2.

Luc. 22. 33.

Hom. 13. cit.

In cap. 4. Mat. q. 59.

In cap. 4. Mat. q. 58.

Luc. 4. 13.

§. 65. *Exhibet iam Euangeliſtæ Behemoth, aut Elephantum victum, quem irrident Angeli, quorum innumeram multitudinem Chriſtus habuit ad ſui obſequium deputatam.*

¶ 212.

ET *ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Triumphantem exhibet nobis Euangeliſta Chriſtum, & victoria potientem, qui poſt tot tamque validos congreſsus, compulit inimicũ fugam arripere, omni eius mente deuicta, & ſuperata. Vt enim ſupra diximus, vnum è duobus diabolus intendebat, aut cognoſcere Chriſtum, ſi verus erat Deus, aut ſi purus erat homo, ad aliquod peccatum trahere. Et in vtroque victus, confuſuſque remanſit: quia nec vel ad minimum peccatum potuit eum pertrahere, nec cognoſcere, an verus eſſet Deus. Nihil namque Chriſtus protulit contra illum agens, vt D. Leo Papa annotauit, quod non purus homo poſſet proferre, nam ſtatuit illum ita vin-

Ser. 1. De. 1. Quadr.

vincere, vt puris hominibus vincendi magisterium exhiberet, ideoque nequisquam hostis astutiam, non potentia deitatis, quæ puris hominibus conuenire non potest, sed humilitatis mysterio Scripturæ sacræ doctrinam proferens, vicit. Vnde, illa testimonia diuinæ legis produxit, quæ quiuis purus homo posset inducere, & dæmoni opponere, quæque non dedecerent Christum, etiamsi verus Deus esset. Idcirco non potuit diabolus, quod inquirebat agnoscere. Qui venerat non decipi, sed decepta saluare, inquit Diuus Maximus, explorantis artem tanta mensura cautissimæ responsionis euacuauit, vt tenebrosus hostis, non solum mysterium pro nobis propositum videre non posset, sed magis magisque respõsis Dominicis circumactus, obscuriore confunderetur incerto: tam simplex in eius responsione prudentia, & tam circumspecta simplicitas, per quam nec veritas reticeretur, nec reprobus poterat non probare, quæ inducebantur. Incertus igitur tentator venit, redijt incertior, aggressus est vt probaret, reprobatus abscessit. *Fue por lana y boluio trasquilado*, dubius venit, & in maiori ambiguo, inquit Hieronymus, fuit constitutus, & relictus. Quãdo Deus loquens cum beato Iob, dæmonem sub typo Elephanti descripsit, quem à se vincendum proposuit, postquam eius fortitudinem, actiones, machinasque depinxit, rem totam concludit, dicens: *In oculis suis, quasi hamo capiet eum, & in fodibus perforabit nares eius.* Qui nimium cortici adhærent, & hæc verba ad literam de Elephanto explicare contendunt, se in omne latus vertunt, & torquent, quærentes, quidnam in illo animali reperiatur, ratione cuius hæc verba possunt illi quadrare. Et quamuis varij varia expendant, illud non incongruum videtur, quod quidam existimant, hoc ideo dictum fuisse, quoniam venatores ad Elephantum capiendum, vincula, & laqueos absconditos ponunt, quibus illum superponunt cibum, qui Elephanto gratus est, quem ille oculis videns, currit ad illum capiendum, sicque capitur vinculis, non aliter, quam piscis properans ad deglutiẽdum cibum, quem videt, capitur hamo, quẽ cibus tenebat opertum. Vnus enim ex modis, quem authores, qui de capiendo Elephanto scribunt, iste est, de quibus Aristoteles *a*, Plinius *b*, Strabo *c*, Ælianus *d* & Diuus Ambrosius *e*, quos recẽset nostri temporis doctus author *f*. Sub hoc typo Deus descripsit modũ, quo dæmonem capturus erat, quem, & nunc tenet, seipsum enim coram oculis eius exposuit famelicum, & infirmum, in similitudinem carnis peccati, ad quẽ propteres, tanquam ad cibum sibi congruum subitò accessit, vt deuoraret, qui tamen latenti diuinæ virtutis loqueo, captus mansit. Hunc sensum sequitur Beatus Gregorius *g*, annotans id nos in oculis habere dici, quod coram nobis positum videmus. Exultabat diabolus, quod homines comprehendebat in oculis eorum: *Sicut aues capiuntur laqueo, & pisces comprehenduntur hamo*, quia exhibebat eorum oculis, quod concupiscerent, sub quo laqueum peccati, & perditionis tendebat, ideoque illos currentes ad apprehendendũ, quod sibi delectabile, aut vtile conspiciebãt, laqueo tenebat comprehensos, quales erant illi, de quibus Apostolus: *A laqueis diaboli, quibus tenentur captiui ad illius voluntatem.* Quomodo, & nunc multos comprehendit, ostenta voluptate carnis, alios exposita diuitiarum iactantia, multos exhibita honoris gloria; vere enim, ex eo quod vident, capiuntur in oculis suis, sicut pisces capiuntur hamo. Simili modo voluit Deus illum, qui capiebat, capere, cui prædixerat: *Qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? & qui spernis nonne & ipse sperneris?* Itaque in oculis eius, quasi hamo nunc illum cepit. Sed de ijs multa in sequenti tractatu dicenda sunt. Alio modo possumus eadem verba intelligere, quod videlicet voluerit per illa significare subtilitatem, quæ dæmonem cepit, vtens phrasi, quam Hispana loquutio egregiè explicat, subtilitatem, & mirum artificium, quo quis aliquid agit alteri illudens, accipiens aliquid ab eo, aut comprehendens eum: *Cogiolo à sus proprios otos, y asuvista, entre otos y cara lo cogio, la atrampò.* Profun-

Hom. 2. 3. & 4. Dom. 1. Quadr.

In cap. 4. Matt.

Iob 40. 19.

a *Lib. 9. de nat. anim cap. 1.*
b *Lib. 8 c. 8*
c *Li. 15. & 16.*
d *Lib. 15. c. 19.*
e *Lib. 6 Hexaem. c. 5.*
f *Pined. in cap. 40. Iob*
g *23. Mor. c. 10.*

Ecclesiast. ¶ 219.

2. ad Tim. 2. 26.

Isai. 33. 1.

fundius tamen aliquid hæc verba includere credo, quibus iuxta superius dicta, verius quæ ad dæmonem, quam quæ ad elephantum pertinent, Deus expressit, cuius postquam vires, astus machinasque descripsit, rem totam concludens, modum tradit, quo à se capienda erat crudelis bestia, dicens: *In oculis suis, quasi hamo capiet eum.* Id dicitur fieri in oculis, quod manifestè, clarè, & euidenter fit, quodque nulla ratione potest abscondi. Voluit propterea dicere, se comprehensurum illum tam clarè, tamque apertè, vt nulla ille posset tergiuersatione obscurare. Nihil magis diabolus curat, vt indicat Beatus Chrysostomus, quam cum ab aliquo vincitur, illius obscurare victoriam, & suadere, se non victum, sed victorem potius euasisse: more aliquorum superborum militum, qui quando maiori lapsu victi sunt, magis sibi victoriam cessisse prædicant. Ideo CHRISTS assumens hunc inimicum expugnandum, & reuincendum, tam manifestè voluit illum superare, vt illi cæterisque omnibus esset euidentissima victoria. Ita annotauit Paulus, de suprema, quam contra illum victoriam reportauit, quod *spolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Expende illud: *palam triumphans*, apertè, clarè, manifestè, vt in oculis suis verè captus esse dicatur. Idipsum, & nunc præstitit: manifestè illum vicit, profecit, fugauit, quod nullo posset ille colore offuscare. Quomodo autem id perfecerit, aptissimè subdidit, dicens: *In fudibus perforabit nares eius.* Mirè protecto victoriam, quam nunc retulit, in elephanto descriptam exhibuit. Nares elephanti sunt tuba illa, quam proboscidem, aut pronomidam vocauit Galenus, de qua multa superius dicta sunt. Hæc illi pro naribus, quæ ad extremum duo habet foramina, quibus odoratur, & respirat, quam propterea Aristoteles, narem prolixam validamque, vocat. Hac ille vtitur, ad ea capienda quæ vult, non minus, quam venaticus canis. Si hæc foramina fudibus occludantur, omnis eius respiratio intercipitur, virtusque ita remaneat compressa, vt seipsum omninò victum exhibeat. Sudes, inquit Beatus Gregorius, pali sunt, aut ligna, quæ acuuntur vt figantur. Quoniam autem, vt idem obseruat Gregorius, per nares odor, trahitur, & reducto flatu hoc agitur, vt res etiam quæ longè posita est cognoscatur, narium nomine, callidæ dæmonis insidiæ describûtur, per quas sagacissimè nititur ea, quæ occulta sûnt, quasi olfaciendo cognoscere. Et verè id nunc ille intêdebat ad Christum accedens, qui tanquam venaticus canis ex pectore aerem expirando emittebat, vt respirando odorem traheret eius, quem exterius coram se videbat, & quis esset cognosceret. Accessit nares applicans, & expirans: *Si Filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Sudem tunc Christus immisit, in nares, qua illud foramen ita occlusit, vt nec minimum odorem trahere posset, dicens: *Non in solo pane viuit homo, sed, &c.* Ad aliam partem nares cõuertês, expirauit similiter illud: *Si filius Dei es, mitte te deorsum &c.* odorem eius quem ante se habebat captare nitens: sed sudem aliam acutissimam immisit Dominus, qua illud foramen occlusit, vt nihil olfacere diabolus posset, dicens: *Scriptum est, Nõ tentabis &c.* Tandem quasi toto naso spirans ad trahendum odorem: *Hæc*, inquit, *omnia tibi dabo, &c.* Sed acutioti præuandaque sude, veluti omnia naris orificia occludens: *Vade*, inquit, *Satana, &c.* eum omninò stupidum, ignarumque reliquit, & qui incertus erat circa CHRISTI personam, quando ad eam cognoscendam accessit, incertior factus, fugam arripere est compulsus, victum se manifestissimè exhibens. In victoriæ igitur signum, inquit Christianus Druthmarus, accesserunt Angeli, eum adorantes, illique ministrantes. *Ecce*, inquit, *accesserunt Angeli.* Ad hanc victoriam contuendam nos facer Euangelista prouocat, qui nobis iam Behemoth, aut Elephantum captum, & vinctum exhibes, cui nos illudere iam possimus. Videtur enim dicere, id factũ esse, quod

Hom. 4. in epist. ad Coloss.

Coloss. 2. 15

Iob 40. 19.

Lib. 17. de vsu pati. cap. 1.

Lib. 1. de hist. anim. c. 11. & lib. 2 cap. 1.

33. Moral. cap. 11. ¶ 220.

in cap. 4. Matth.

ued fit, cum Elephantus à venatoribus vincitur, & alligatur. Est ille inter animalia terrestria robustior, vt sæpè dictum est, qui nihilominus, si ingentem hominum multitudinem videt, reformidans fugit, ac in abditum se recipit: idcirco qui illum capere vult, eos quos secum in sua fert societate, abscondit, & tenere silentium iubet, quo terribilis fera liberè, & sine timore egrediatur, & eò feratur, quò laqueis capi, irretirique possit. Ea autem iam comprehensa, & irretita, egrediuntur omnes, illo gaudio lætantes, quo *exultant victores capta præda*, qui omnes belluæ illudunt, & illam irridet. *Isa. 93.* Ductus CHRISTVS in desertum, vt ferum Elephantum, aut Behemot, sicut promiserat, caperet, & laqueis constringeret, ligatumque exhiberet. Ferebat CHRISTVS secum in numeram multitudinem Angelorum, non vt ei adiumentum præstarent, sed vt obsequia exhiberent, triumphatorisque canerent trophæum. Si illos omnes diabolus videret, fugisset, & in abditis se continuisset absconditum: idcircò sapientissimus venator voluit, vt *In cap. 4. Matth.* omnes Angeli tunc laterent. Tempore quidem tentationis, inquit Euthymius non permisit eos apparere, ne prædam perderet. sed iam ea capta, vinctoque crudeli Elephante, ecce accesserunt Angeli, omnes seipsos fecerunt manifestos, celebrantes victoriam, irridentes inimici superbiam, & illudentes ei, vt verè nunc illud adimpleat, quod ¶ 221. iuxta Septuaginta promisit, se taliter exhibiturum illum victum, *vt illuderetur ab Angelis suis.* de quo supra dictũ est. Quæ etiam breui sermone Beatus *Hom. 13. in Matth.* Chrysostomus explicauit: Quandiu fuit in conflictu positus, inquit, nequaquam eos apparere permisit, ne sua præsentia ante victoriam dæmonem fugarent. postquam verò per cuncta illum deuicit, & victum fugere præcepit, tunc Angeli consequenter apparêt *Hom. 5. in imperf.* *Accesserunt Angeli.* Non dixit, inquit Chrysostomus: Descenderunt Angeli de cœlo, vt ostendat, quia semper ad ministerium eius iam Angeli erant in terris. Hi, præcipiente Domino, elongauerunt se ab eo, vt locus diabolo daretur, ne fortè illos videns circa CHRISTVM, non auderet appropinquare ad eum. Ergo vt diabolus liberè accederet ad tentandum, steterunt illi à longè, diabolo quidem incognitisnam, vt ait Chrysostomus, Angeli sancti quando volunt, etiam ipsi diabolo inuisibiles se reddunt: sed Regem suum contemplabantur pugnantem, & duellum attentis oculis circumspiciebant. Hoc ipso quod Christum viderunt victoriam excellentem adeptum, & acri increpatione expellentem Satanam, *accesserunt*, non vnus aut duo, sed in numero multitudinis, *Angeli*. Nota siquidem est D. Thomæ doctrina, CHRISTO non fuit se datum aliquem singularem Angelum ad sui custodiam deputatum, sicut cæteris omnibus singularis deputatur Angelus: non enim indigebat Angelica custodia, qui custodiebat Israel: imò, & Angelos ipsos: & qui immediatè secundum quod homo regebatur, & dirigebatur à Verbo Dei, & secundum animam erat comprehensor, & beatus. Ratione tamẽ passibilitatis corporis, secundum quod erat viator, dati sunt ei quam plurimi Angeli, non qui tanquam custodes eius essent illo superiores, sed qui tanquam inferiores, ac serui, ei ministrarent. Ideoque perpetuò Angelorum innumera multitudo ei assistebat: vt verè dicere possimus quod *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Et nos Angelos, aut eorum quam plurimos, aliquando visos esse ab Apostolis circa CHRISTVM discurrere, censent Caietanus esse certum, ex illo: *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super Filium hominis*: quamuis Euangelistæ non designauerint, quando hoc factum fuerit. Quod, & egregiè colligit Beatus Cyrillus expendens illud, quod præcepit Deus Moysi, vt propitiatorio, ex vtraque parte apponeret Cherubim, quorum vultus ad propitiatorium essent intenti. Est namque propitiatorium CHRISTVS, inquit Cyrillus, qui quamuis apparuerit in carne, nihilominus vere, ac natura Deus est: ideo circum se, seruilem in modum stantes habuit supremas illas Virtutes, paratas ad sui obsequium, ideo, & attentis sunt erga eum oculis,

1. p. q. 113. art. 4. ad. 2.

Ioan. 1. 51.

Li. 9 de adora. pag. 216.

Exod. 1. 25.

culis, similitudinem fidelium seruorum exprimentes, de quibus Dauid: *Sicuti oculi seruorum in manibus Dominorum suorum.* Hoc ipsum sæpè idem Cyrillus comprobat, ex eo, quod similiter Deus statuit, vt arca, & propitiatorium circumdaretur cortinis, in quibus depicta essent Cherubim, vt verè arca videretur Cherubinorum præsentia circundata, quia verè sicut non est decens Regem sine famulis ad ministrandum paratis existere, ita non fuit decens, vt Christus Dominus esset sine frequenti Angelorum multitudine, qui omnes administrandũ ei essent parati. Et hos fuisse illos, de quibus nunc Euangelista loquitur, dicens: *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Beatus Cyrillus, & Diuus Thomas docent. Nec tantum eos nunc adfuisse Angelos existimo, qui ad ministrandũ Christo fuerunt deputati, sed credo, alios innumeros conueniſſe, ad eius gloriam & victoriam celebrandam: sicuti cum natus fuit, facta est cum Angelo loquẽte pastoribus, multitudo cœlestis militiæ, laudantium, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, &c.* Expendit Chrysost. moriente Lazaro quõdam paupere non tantum illum Angelum astitisse, qui datus erat ei ad custodiam, sed, & innumeros alios conueniſſe, qui victoriam patientiæ, & sustinentiæ illius celebrarent, & canerent: ideoque Euangelistam in numero plurali dixisse: *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*: quantò magis nunc credendum est, innumeros conueniſſe Angelos ad Christi triumphum, & celebrem victoriam decantandam? Neque his obstat doctrina Theologorum, asserẽtium, plures Angelos simul in eodem loco esse non posse, quam tradit Diuus Thomas cum Magistro; nam vti ipsimet explicant, non est inconueniens plures Angelos simul concurrere ad vnum effectum, quãdo eorum multitudo superflua non est, sed vtilis ad aliquem finem, & præcipuè ad Dei gloriam amplificandam. Quomodo multi Angeli conuenerunt moriente Lazaro ad eius animam deportandam, quia quamuis vnus sufficeret, sed multitudo vtilis erat, vt Deus ostenderet, quanta in æstimatione sit apud eum pauperculus, contemptus in mundo. Idcirco etiam nascente Domino, omnis multitudo cœlestis militiæ adfuit, vt gloriam nascentis, eiusque maiestatem protestarentur. Ita, & nũc, quamuis vnus sufficeret ad ministrandum, innumeri tamẽ accesserunt, quia id decẽs erat Christi Domini maiestati, & dignitati: deinde quoniam mihi probabilissimum, pijssimumque videtur, non ad vnum effectũ Angelos cõuenisse, sed ad plures, quos vnico verbo Euangelista exprimit, dicens: *Et ministrabant ei.*

Psal. 122. 2.

¶ 222.

Luc. 2, 14. Hom. 5. ex varijs in Luc.

Luc. 16, 22.

2. p. qu. 52. ar. 3. & 1. 1 37. qu. 3. art. 3.

§. 66. *Angeli varijs modis ministrarunt Christo, signanter autem deferentes cibum, quo reficeretur.*

¶ 223.

ET *ministrabant ei.* In quo ministrabant? Varijs modis hæc verba exponi posse tradit Abulensis. Primò vt significent, quod Angeli recedente diabolo se præsentes exhibuerunt Christo, paratos ad omnia, quæ ille iuberet obsequia. Elongauerant se aliquantulum accedente tentatore, vt plenum tentandi locum concederent: eo recedente, iterum accesserunt, & *ministrabant ei*, id est, seipsos exhibuerunt paratos administrandum. Chrysostomus censet, verè in aliqua re ministrasse, eam tamen nobis ignotam esse. Quod ministrabant, inquit, ei Angeli, scimus: in quibus autem rebus illi ministrãrit, scire non possumus, vtrum ad sanitates infirmitatum circa aliquos operandas quemadmodum, & per Angelum Raphaelem sanauit Tobiam, an ad correctionem animarum, an ad effugationem dæmonum, &c. Communis sententia est ideo dictos ministrasse Christo, quia adduxerunt cibum, & potum, quo Christus reficeretur, & ei comedenti inseruierunt. Notum est enim, in in Scriptura sacra sæpè ministrãdi verbum absolutè positum, significare seruitium circa mensam, in ciborum apparatu, appositione, & exhibitione. Ita dicitur a: *Nõ est æquũ, nos relinquere verbũ Dei,*

In cap. 4. Mat. q. 62.

2 Hom. 5 in imperf.

Act. 6. 2.

a

Dei, & ministrare mensis: & Martha
b *Luc.10.* conqueritur *b, quod soror mea reliquit*
40. *me solam ministrare*: Et socrus Petri *c,*
c *Luc.4.39* *surgens ministrabat illis*: *& d Quis ma-*
d *Luc.22.* *ior est, qui ministrat an qui recumbit? &*
27. iterum *e*: *Transiens ministrabit illis*.
e *Luc.12.* Angeli ergo ministrarunt Christo, de-
37. ferentes cibum, & potum, quibus re-
ficeretur, nam quamuis posset ille
creare, noluit, sicuti nec ad sustentan-
dum Eliam in deserto, & ad sustē-
dandum Danielem in lacu leonum. Si-
cut ergo per manus Angelorum pro-
uidit manna populo suo; ita voluit, vt
sibi per Angelorum manus deportare-
tur cibus, & potus. Sed vnde? Nun-
quid è nubibus? certè nescimus: for-
tè deportauerunt fructus ex arboribus
remotis, aquam ex fontibus limpidis-
Ser Dom. simis. Aut verò secundum piam Apo-
1.Quadr. stolici concionatoris B. Vincentij Fer-
rarij sententiam ex domo Beatissimæ
Dan.14. Virginis: sicut cum Danielem fame-
licum voluit reficere, non aliunde
cibum asportari voluit, nisi ex domo
amici sui Habacuc: qui messoribus
suis illum parauerat. Pauperculum ci-
Lib.medi. bum Virgo Beatissima sibi parauerat,
vitæ Chri- Angeli detulerunt. Confidero siqui-
sti cap.17. dem cum S. Bonauentura, eorum quā
plurimos ad Virginem Beatissimam
accessisse, cui renuntiarunt, longum
ieiunium, quod vnigenitus suus con-
confecerat; quomodo valide Satanam
vicerat, & quod fame valida esuriret.
Offert virgo Deipara pauperem ci-
bum, quem ditissimum iudicat, si filio
suo exhibeatur. Illum Angelis offert,
adiurans eos, vt reliquis filij sui, sibi
ad sui satietatem reportent. Conue-
niunt ergo innumeri Angeli: quidam
hos cibos deferunt, alij aquam limpi-
dissimam comportant, alij flores odo-
riferos colligunt, alij mensam flori-
bus sternunt, alij musicos edunt con-
centus, canentes triumphatori glo- *Apoc.12.*
riam, & dicentes: *Nunc facta est sa-*
lus & virtus, & potestas Christi eius,
quia proiectus est draco magnus serpens,
antiquus, & Satanas. Alij varijs modu- *Apoc.5.13*
lationibus concinebant: *Agno benedi-*
ctio, & honor, & gloria, & potestas in
secula seculorum. Alij vires inimici *Exod.15.*
confractas cantabant dicens: *Cante-*
mus Domino, gloriosè enim honorifica-
tus est, &c. Defecerunt inimici framea *Psal.9.7.*
in finem. Illi se fœliciſſimos censebāt,
qui in aliquo possent obsequi Christo,
omnesque coram eo se posternentes
exhibebant promptos, ad quæcunque
ministeria præstanda illi, cui iustum
est, vt omne genuflectatur, cœle-
stium, terrestrium, & infernorum,
in secula seculorum.

Tractatus septimi, qui est primus de ieiunio, & ten-
tationibus Christi, finis.

TRACTATVS OCTAVVS,

QVI EST SECVNDVS, DE IEIVNIO, ET TENTATIONIBVS CHRISTI.

ARGVMENTVM.

DEVS, qui primo, ſub metaphora elephanti obſcurè dæmonis mores, & vires deſcripſit, & modum, quo à ſe vincendus erat tradidit, ſecundò, ſub obſcura itidem, ac difficili metaphora ceti, non minus eleganter idipſum expoſuit. Quæ autem tunc ſub ænigmate, & in figura ſolummodo propoſita erant, apertè nunc reipſa oculis noſtris expoſita inducit. In hoc tractatu, id proſequitur, quomodo Dominus opere compleat, quæ circa dæmonem agenda promiſerat, cum ſub typo ceti illum deſcripſerat, ſicuti in præcedenti tractatu, quæ de illo ſub figura elephanti ſpoponderat adimpleta dæmonſtrauimus.

§.1 *DEVS Damonem quem antiquitus ad literam typo Leuiatham, aut balana deſcripſerat, hamo capit, linguam eius fune ligat, maxillam, freno comprimit, & tanquam paſſerculum ligatum exhibet illudendum.*

§.2. *Chriſtus melius, quam Michael nos roborans, ad deſertum ducitur, feris venenatis plenum, quod prius Baptiſta incoluerat, idque ſexta Ianuarij die.*

§.3. *Chriſtus ductus eſt in deſertum, non vt diabolus eum tentaret, ſed vt diaboli tentationes ſuſtineret, & vinceret.*

§.4. *Deſertũ locus eſt aptior quã ciuitas ad congredienaũ cum diabolo ipſo,*

ideo Christus, vt ab illo tentaretur, in desertum ductus fuit.

§.6. Desertum locus est aptus ad vincendum ipsum dæmonem, qui in populorum frequentia est Leuiathan, sociorum auxilio vincens.

§.6. Sapientis sententia de rapto à Deo, quæ dicta sunt probat.

§.7. Nō tam curat diabolus persequi carnales, & mundanos, quam sanctos, quos Iordanis nomine Deus expressit.

§.8. Caput diaboli dicitur esse in nauibus piscatorum, quia principaliter Sanctos capere intendit.

§.9. Desertum locus est aptus ad virtutum opera, quibus diabolus prouocatur ad pugnam, ideò aptus etiam ad congrediendum cum eo.

§.10. Bene sponsa, cum describitur pulchra sicut Ierusalem, describitur etiam terribilis, vt castrorum acies.

§.11. Docet Christus primum armorum genus, quo muniendi sumus, esse assistentiam Spiritus sancti, cuius inuictam virtutem exposuit Isaia.

§.12. Christus filios suos munit Spiritus sancti virtute potentiori contra dæmonis virus, quam Marsorum, & Psyllorum contra serpentum venena.

§.13. Virtute Spiritus sancti homines ornantur, sicut cœli, & instar fulminis reddūtur fortes, sicut dixit S. Iob.

§.14. Vt homo vincat dæmonem, Spiritum Dei secum habeat, sicut Iacob Angelum.

§.15. Requiruntur etiam ex parte nostri ieiunia, quibus equus celebris terram excauat, vt in occursum pergat armatis.

§.16. Spiritus sancti donis Christus adiunxit ieiunium, quia caro est mortificanda, vt simus adiutores gratiæ Dei.

§.17. A ieiunio initium sumit Christus, nostra enim perditio à gula sumpserat exordium.

§.18. Fame valida Christus Leuiathan prouocauit, vt venientem ad deglu-

tiendum carnem fragilem hamo diuinæ virtutis comprehenderet.

§.19. Diabolus, sicut balena ad expugnādum Christum accessit, videns carnem eius famelicam, cuius cura est impetere, quos videt Dei obsequio tradi.

§.20. Diabolus contra Christum, patris voce laudatum, vires suas conuertit: idem facit contra illos, qui habent testimonium Iesu Christi.

§.21. Diabolum vocat Euangelista, tentatorem, quia hoc eius officium, & dolos tota die meditatur.

§.22. Quia diabolus semper, & vbique arcus habet intentos, Sācti semper, & vbique se exhibent similes rotis oculatis Ezechielis, indutos veste oculata sacerdotali.

§.23. In quibus primus Adam victus fuit, vincit secundus; & inuentus est fidelis, tentatus, in quibus Israelitæ infideles fuerunt comprobati.

§.24. Diabolus ad gulam Christum famelicum excitat, qui vnumquemque in illo tentat, ad quod videt propensum, obseruans cuiusque calcaneum.

§.25. Tentatio est tam grauis, quam occulta, hortari ad superflua sub specie vtilitatis, carni necessaria concedantur, superflua denegentur.

§.26. Diabolus pauperrimum se probat, qui solum ad ipsius hominis sumptus ipsum inuitat.

§.27. Diaboli astutia est, quæ grauissima sunt, tam facilia repræsentare, ac si solo verbo possimus perficere.

§.28. Fune diuini verbi linguam Leuiatham Christus alligat, & desolat linguam maris; sic iusti agunt.

§.26. Caput serpentis contriuit Christus, docens, non dandum locum diabolo, qui post caput totum corpus introducet.

§.30 Curādum, nec minimæ diaboli suggestioni concedere locum; nam inde ad vltimum exitium inferendum precedet.

§.31. Non tā panem corporis quā animæ, nec tam cibum ad vitam corruptibi-

lem, quam incorruptibilem quærendum, docet Christus.

§.32. *Verbum Dei alimentum animæ, maximè faciendum, docet Christus iuxta Sanctorum expositionem.*

§.33. *Diuina collocutione sæpè sustentatur homo, de qua multi Patres Christi verba intelligunt.*

§.34. *Deus potest sustentare sine pane etiã per ipsummet ieiunium, qui creaturarum qualitates, sicut in organo transmutat.*

§.35. *Christus, quæ diabolus petebat facere noluit, quia nihil inutiliter operatur, quem potentes imitari debent.*

§.36. *Sufficiens ratio, ne Christus faceret, quæ diabolus petebat, fuit: esse inimicum cui in æternum credendum non est.*

§.37. *Diabolus semel victus, ad acrius tentandum se conuertit, cuius cor constringitur, sicut malleatoris incus.*

§.38. *In loco eminenti statuit Christum diabolus credens, quis in pinnaculis sunt, facilè præcipites dari.*

§.39. *Diaboli vox est, Mitte te deorsum; qui curat, vt caput deorsum demittamus, sicut Pythonissæ verba indicarunt.*

§.40. *Diabolus non potest compellere ad malum, sed sicut bos lingua agere, ideo habet cornua in capite, Deus in manibus, qui illius potentiam comprimit.*

§.41. *Deus non permittit dæmoni tentare vltra vires nostras, nec nisi ad vtilitatem nostram, ideo dicitur applicare gladium Behemoth, concludere mare, & cetum, & ventos librare.*

§.42. *Tantum conceditur dæmoni agere verbis ad deprecandum cõpositis, ex quo Deus probat, se non esse crudelem, illum nobis suscitans impugnatorem.*

§.43. *Nemo læditur nisi à seipso, & cum homo peccat, non tam in diabolum quam in se culpam referat, vt dixit Sapiens, & expositit Ausonius.*

§.44. *Stultè diabolus tentat; Angelorum inducens custodiam, quæ tanta est, vt contra tria genera dæmonum impugnantium, tria genera Angelorũ custodientium indicarint Sapiens, & Zacharias.*

§.45. *Diabolus Scripturam sacram induxit diminuiè, tantum inducens, quæ suo instituto satisfacere credebat.*

§.46. *Hæretici parentem suum imitantur, Scripturas sacras truncatè, & contra legitimum sensum inducentes.*

§.47. *Scripturam sacram, eiusque legitimum sensum tradit Ecclesia Catholica: hæretici, diabolo similes ad sui intentum deprauant illam, & libros Sanctorum.*

§.48. *Sententias difficiles Scripturæ, iuxta Patrũ sensum exponendas, & nouitates doctrinæ fugiendas, docuerunt Sapiens, & Paulus.*

§.49. *Diabolus, tanquam astrologus, futura prædicit, diuersas constellationes ad inuicem non conferens, idcirco decipit.*

§.50. *Hæretici imitantur dæmonem, non conferentes diuersas Scripturæ sententias, quas ad modum cortinarum tabernaculi copulatas, quinis simul trahere debet.*

§.51. *Cognosces, quæ tibi suggeruntur, vtiliane, & sancta sint, si examines secundum diuinæ Scripturæ regulas, iuxta sensum, quem Ecclesia recipit.*

§.52. *Difficilia visa sunt Salomoni, quæ facilia in Christo reddunturs, signãter via colubri super petram.*

§.53. *Diabolus mentitur promittens bona, quæ tamen repræsentat gloriosa, cuius linguam Dauid vocauit dolosam cum carbonibus desolatorijs.*

§.54. *Diabolus ostendit Regnorum gloriam apparentem, qui vera mala abscondit sub apparentibus bonis: è contra Deus sub apparentibus malis, vera bona abscondere solet.*

§.55. *Felix, quem non induxit in errorem artis pictura: qua diabolus seducere consuevit, sicut ciues Ierusalẽ Chaldæorum picturis.*

§.56. *Si-*

§.56. *Sicut altènigena mulier veſte denudanda erat, ne ornatu, & fuco deciperet: ita quæ diabolus proponit ornata, & glorioſa.*

§.57. *In momento, Regnorum mundi gloriam oſtendit diabolus, quæ talis eſt, vt momento conſpici poſſit: gloria Regni cœleſtis æternitatem exigit.*

§.58. *Mentitur diabolus, dicens, ſua eſſe Regna mundi, quæ poteſt dare cui voluerit ſunt enim Dei, quæ ipſe gubernat, dat, & transfert.*

§.49. *Mentitur diabolus, dicens, ſe dare gloriam Regnorum terræ, qui nõ niſi pœnas habens, ſolum poteſt pœnas dare: Deus eſt, qui dat diuitias, & terrenam fœlicitatem.*

§.60. *Ipſe dæmon explicat, illum adorare, eſſe cadere, qui à minimis incipiens, tãdem ſupremã ſuadet iniquitatem.*

§.61. *Aggreditur Chriſtus, quod Iob prophetarat, opprimere magnum cetum, quem blaſphemantem, verbi ſui virtute fugauit.*

§.62. *Ab increpatione Chriſti talem nunc timorem diabolus concepit, vt deinceps ſolo eius nomine audito terreretur, nec ſtaret.*

§.63. *Diabolus vincitur, ex eo ſolum, quod illi reſiſtitur, victus aufugit; vincenti cum eo, quem vicit, manet & perſeuerat.*

§.64. *Euangeliſta nos excitat ad videndos Angelos accedentes, miniſtraturos vinconei, animos ad pugnandum, & vincendum nobis faciens.*

R. P. F.

HIERONYMI BAPTISTÆ DE LA NVZA, ORDINIS PRÆDICATORVM, ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS,

TRACTATVS OCTAVVS EVANGELICVS,

Qui eſt ſecundus de ieiunio, & tentationibus Chriſti.

§. 1. *Deus dæmonem, quem antiquitus ad literam typo Leuiathan, aut balænæ deſcripſerat, hamo capit, linguam eius fune ligat, maxillam freno comprimit, & tanquam paſſerculum ligatum exhibet illudendum.*

Habetur tom. 2. Cõciliorum.

¶ 1. SANCTVS Gregorius Magnus (quem in tractatione rerum moralium, cæteris Doctoribus præfert ſeptima Synodus Toletana) edidit famigeratiſſimam illam expoſitionem moralem in librum Beati Iob, tã excellentem, vt cum deperditam dolerent Patres in octaua Synodo Toletana congregati, ad totius Eccleſiæ vtilitatem cõquirendã decernerent. Ad idq; (vt Rodericus Archiepiſcopus Toletanus refert) Taionẽ Cæſarauguſtanũ Epiſcopũ, qui ad illã Synodũ conuenerat, Romã vſq; miſerũt, cui, poſtquã quod quærebat, cũ Pontifice ſummo cõtulit, poſt feruẽtes orationes, aſperaq; ieiunia, vigilias in tẽplo B. Petri agenti, ad mediam noctẽ ipſemet S. Gregor. excellẽtiſſima illuſtriſſimorum

Lib. 2. virũ Hiſpanic. cap. 20.

rum Beatorum societate comitatus apparuit, & locum, in quo latebat Moralis expositio, quâ quærebat, indicauit, Deo manifestè huiusmodi miraculo ostendéte operis vtilitatem, & excellentiam. Quamuis autem totum opus authoris sui mentem, manumque redoleat, quę tamen circa vltima capita, B. Iob, scribit, admiranda sunt. Nec mirum: proponit enim Deus talia sapiẽtiæ, ac potentiæ suæ opera, quib. non tam naturæ mirabilia, quam quæ tempore gratiæ facere disponebat voluit exprimere, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.* Inter illa autem eminet, quod ad vltimum locum, tanquam rem supremam Deus reseruauit, seipsum describens, vt idem Gregorius considerat, sub specie piscatoris: qui arundine linea, aut funiculo, & hamo, procedit, immanissimum, & ingentissimum piscem expicaturus, cuius linguam ita erat ligaturus fune, & ora cõpressurus freno, vt pueri, & puellæ cum eo ludere valerent, sicuti cum passerculo ligato, quem, & eius amici possent facili negotio euincere, & deuorare. *An* inquit, *extrahere poteris Leuiathã hamo? & fune ligabis linguã eius? Nũquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Nũquid illudes ei, quasi aui, aut alligabis ancillis tuis? Concidẽt illum amici, & diuident illum negociatores.* Quid Leuiathan verè, & propriè significet, dubium est. Hebræi n. varias fabulas confingunt in suo Thalmud, indignas, quę à nobis referãtur. Nonnulli authores censent esse draconem, aut animal ingens ferocissimumq; terrenum, vt nostri tempore diligẽs author latè disputat. Cõstans tamen, & indubitatum est apud vniuersos ferè Patres Græcos, & Latinos, Leuiathan esse vastissimũ piscem, qui omnes alios magnitudine, & voracitate superat. Quod B. Gregorius *a*, ex ipso contextu Iob demonstrat, & Caietanus *b* ex nominis significatione confirmat. Leuiathan enim significat, additamentum eorum, id est, piscem tã vastæ magnitudinis, vt ad magnorum piscium quantitatẽ ahuc addat, illã longo excedens interuallo: qbus concinunt alij authores, qui dicũt, vocem Leuiathan, significare congregationẽ eorũ, s. piscium, quasi dicas, aceruum piscium; eo quod tantæ sit magnitudinis, vt in illo vno, omnes alij coaceruati videãtur, eo modo quo de Elephanto diximus, vocari à Deo Behemoth, id est, bestiæ in plurali, qa vnus cum sit, omnes bestias in se continere videtur. Leuiathã ergo nomine, supremũ piscẽ, omniũ suffragio significari voluit Deus. Quoniã aut em omnibus certũ est, piscẽ omniũ maximũ esse cetũ, idcirco cõmunior, veriorq; sentẽtia est, Leuiathã significare cetũ. Quãuis autẽ nomẽ ceti cõmune sit, & genericũ; ad omnes maiores pisces, balænã, physiterem, phocã, orcã pristẽ, lamiã, caniculã, similesq; ingentis magnitudinis marinas bestias, vt ex varijs authorib. tã sacris, quam prophanis in historia Ionæ ostẽdemus, quoniam tñ, vt Plinius *c* dixit, inter omnes huiusmodi belluas balæna notior est, & omnibus maior: Nomẽ ceti cõmuniter assumitur, ad balęnã significandã, cuius magnitudinẽ, qui de rerũ naturis disputãt, quasi immensã describunt, Solinus *d* nãq; & Plinius *e* expressè asserũt, dari cetũ tã grãdis magnitudinis, vt occupet quatuor iugera terræ hoc est, tantũ spaciũ, quantũ quatuor diebus par boum arare potest, ideoq; magno mõti æquale. Quod, & Caietanus *f* canquam communem sententiam affirmauit, & Ambrosius asseruit, se id didicisse ab illis, qui viderunt, constat (inquit Basilius) hæc animalia tantæ esse molis, vt maximis montibus æquentur, quæ cum ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpè numero apparent, ideoque vocantur *cete grandia*. Ita Basilius: de quibus multa in historia Ionæ subinferemus. Leuiathan ergo cetum significat. Quod, & manifestè satis indicat Esaias, qui quem primò vocat *Leuiathan*, postea nominat, *cetum qui est in mari*. Hoc supposito, admiranda apparent, quæ Deus ipsi Iob proponit *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Nõ quãcunq; expiscationem B. Greg. intelligendam voluit: dantur n. modi apud aliquas nationes, quibus facilè hanc belluã expiscatur, quos Sanctus Basil. recẽset; sed de piscatione, quę sit per

Esa. 64. & 4. & 1. Corinth. 2. 9.

Lib. 33. Mor. c. 12.

Iob. 40. 20.

Camerens. lib. 4. de animal. c. 6. & seqq.

a Lib. 33. mor. cap. 29.
b In Psal. 140. apud Hebreos.

c Lib. 9. c. 3. 4. 6.

d cap. 36.

e Lib. 9. c. 3 4. 6. citat.

f In Psalm. citatum.

Lib. 5. Hexam. cap. 10. Homil. 7. Hexamer. post. mediũ. ¶ 2.

Esa. 27. 1.

Homil. 11. Hexamer.

per arundinem, ineam, aut funiculum, & hamum quam ideo tãquam rem omni admiratione maiorem, & humanis viribus superiorem, Deus proponit. *An extrahere poteris Leuiatham hamo?* Qui enim fieri potest, vt accipiens homo arundinem, lineam, & hamum ex eapendentem talem belluam possit expiscari?

Haba. 1 15. Certè Habacuc varia instrumenta piscandi ponit: *Sagenam*, *rete*, *& hamum*, duo priora ad maiores pisces, hamum ad minores, & notum est satis, eum qui arundine, & hamo ad piscationem procedit, neque intendere, neque posse capere nisi piscículos paruulos, vnde, & talem piscatorem sæpè irridemus. Quomodo igitur tam ingens bellua ita extrahi poterit? Quinimò, & Deus ipse ibidem paulo inferius fateri videtur, tam grandem esse hanc bestiã, vt nec sagena nec rete capi possit, vnde

Iob 40. 26. interrogat: *Nunquid implebis sagenas pelle eius aut gurgustium piscium capite illius*: Gurgustium piscium, vocatur instrumentum bimineum, quod Hispanè dicimus, *Garlito*, quasi indicans, quod hæc bestia non potest capi sagena, nec illis cunctis instrumentis piscatorijs, quibus capiũtur alij pisces. Quo igitur modo hamo poterit extrahi. Hęc quidem admiranda sunt, quod tamen hominibus est impossibile, Deus se facturum pollicetur. Neque hoc tantummodo, sed etiam, quod linguam eius esset fune ligaturus, *aut fune*, inquit, *ligabis linguam eius*. Miranda res: quæ namque manus tam valida esse potest, vt huius draconis aperiat os, eius dentes non reformidans, linguam eius apprehendat, ac liget, & quis funis tam validus, vt dentibus eius possit resistere, & linguam illius ingentem colligare. Sed insuper prædicit, se immissurum circulum in naribus eius, id est, eius superbos conatus compressurum. *Nunquid*, inquit, *pones circulum in naribus eius?*

a In c. 27. Esai. Hieronymus *a* tale est enim per transfert: *Circumdabis capistrum naribus eius: Perforabis cheneberrar fus narizes*, habent Bal-

b Lib. 9. c. 6. c Li. 10. c. 1 Li. 12. Ethymol. cap. 6. lænæ (vt ait Plinius) *b* foramina, aut orifi[illegible] quædam in frontibus (fistulas *Æ*lianus *c* vocat) per quæ spirant, quæ propterea nares vocantur, per quæ ingentem aquarum copiam efflant, & eructant. Immò, & Beatus Isidorus balænæ nomen deductum censet ab emittendo, & fundendo aquas, balim enim Græcè, emittere dicitur, vnde forsan vox Hispana processit, qua globos ferreos plumbeos vel lapideos, quos tormenta bellica emittũt, balas vocamus. Et quidem Plinius id peculiare demonstrat, de quodam balænarum genere, quod propterea Physiter à Græcis dicitur, id est, flator, quod reflando soleat ingẽres nimbos emittere, de quo Strabo, & alij, quos refert diligens interpres Iob. Idcirco Deus ibidem cum Iob agens, sternutationem Leuiatham formidabilem notat, dicens: *Sternutatio eius, vt splendor ignis*, quia aquarũ nimbos maxima vi per nares eructat, qui luce perfusi instar flammarum resplẽdẽt, vt verè videatur igneos fluuios per nares efflare, vt Diuus Thomas annotauit Idcirco igitur tanquam rem summè difficilem proponit Deus: *Nunquid pones circulum aut capistrum*, quo nares huius immensæ bestiæ possis comprimere? Id Deus se facturum pollicetur. Neque hoc solum, sed, & frenum se immissurum in os eius validum, quo crudelis bestia, non minus quam equus duro robustoque freno contineatur, quod explicat subdens: *Aut armilla perforabis maxillam eius*: Armillæ nomen, etsi cõmuniter significet ornamentum brachii in modum circuli, vt idẽ sit, quod brachiale, vox tamen Hebræa significat instrumentum curuum, instar vncini, aut hami acuti, & hoc in loco frenum exprimit validum, quod ex vncinis cõponitur, & non quodcunque, sed fortissimum, pungens, & perforans labia, & fauces, ita illis infixum, vt nullatenus excuti valeat. Vnde, & Theodoretus transtulit: *Freno perforabis maxillam eius*, neque hic finis, sed vlterius tam immanem, ingentemque belluam, ita se ligaturum promittit, vt eam tradat pueris, & ancillis ad ludendũ. *Nunquid illudes ei, quasi aui, aut ligabis ancillis tuis?* Solent enim pueri ligatis passerculis illudere, quos nec ipsi, nec teneræ puellæ vllatenus timent. Et randẽ prædicit, se tam inualidam, & infirmam hanc belluam relicturum, vt eam contemnere possint, & ad nihilum ducere

Lib. 9. c. 4.

Libr. 15. ad finem. Ioannes Pineda, in c. 40. Iob.

In cap 41. Iob lect. 2.

¶ 4.

eius

eius amici, & diuidere quicunque negotiatores. *Concident eum amici, diuident negotiatores.* Septuaginta, *Pascentur eo:* Pagninus, & Vatablus, *cœnabunt;* Caietanus, *prandebunt*: secũdum enim phrasim Hebræam, comedere aliquem est illum totaliter, & facilitate summa euincere, & superare, vt noster annotauit Oleaster: quo modo dictum est: *Si cut panem, ita possumus deuorare eos*, id est, ita prævalebimus, sicut in panem prævalet, qui illum diuidit, & comedit. Quod obseruauerat Beatus Augustinus, in illud: *Dedisti eum escam populis Æthiopum*. Hæc quidem Deus sibi faciendа proposuit, *que, hecho pescador hauia de coger con anzuelo la gran ballena, atarle la lengua con vna trenca, encabestrarle las narizes, infrenarle la boca, atarle de suerte, que como vn paxarito asado y vegnan y burlẽ de ella los ninnos de su casa, y hagan della quanto quisierem*. Hæc omnia compleuit Deus cum homo factus est, quæ mirè explicat Beatus Gregorius *a*, & explicauerat prius Diuus Chrysostomus *b*. Et certè cõcors est sanctorum Patrum sententia, Deum sub typo Leuiathan, ita dæmonem ipsum exprimere voluisse, vt multa dicãtur hoc in loco, quæ certis conuenire nullatenus, aut difficilè possunt, sunt autem ipsi dæmoni propria, quem cum prius expressisset, ac delineasset sub specie Behemoth, qui est inter animalia terrestria ferocior, tãdem describit sub specie Leuiathan, qui inter animantia aquatilia primas tenet. In primis siquidem, vt annotauit Gregorius, & Sancti Patres expẽdunt, Hieronymus, *a* Philippus, *b* Beda, *b* Diuus Thomas *b* nomen Leuiathan egregiè in dæmonem quadrat. Leuiathan namque (vt diximus) significat additamẽtum eorum, dicitur à verbo *Lauah*, quod significat addere, adiungere, applicare, copulare, sociare, aut, vt alij clarius vertunt, idem est, ac sibi copulans, aut adiungens, vel associans, *el que y vnta otro y si*. Vnde, & tertius Lyæ filius vocatus est ab ea, *Levi*: quæ postquam peperit, dixit: *Nunc quoque copulabitur mihi vir meus*, id est, mihi adhærebit, sociabitur, &c. Vnde, & rectè in balænã tale nomen quadrat, aut quia vnus piscis cum sit, in seipso omnes alios quasi copulatos, & iunctos tener, quippe quæ habet omnium aliorum voracitatem, crudelitatem, agilitatem, &c. aut quia omnes pisces, & quidquid inuenerit, sibi copulat, & cõcorporat, deglutiens quidquid se sibi obtulerit: ideoque vt Ionas à pisce deglutiretur, præparatus est cetus à Deo: quoniam enim animal hoc tam ingentis est magnitudinis, & molis, summa fame ita perpetùò vrgetur, vt ne omnes pisces maris Mediterranei deuoret, à Deo summa prouidẽtia cuncta disponente, tanquam in carcere in magno Oceano inclusus sit, per fretum Gaditanum, tanquam per ostia valida, vt annotant S. Patres in illud Iob; *Nunquid cetus ego sum, quia conclusisti me carcere.* Sed melius multò dæmoni tale nomen conuenit, qui vnus, omnium piscium, imò, & omnium bestiarum in seipso vnitos habet noxios, crudelesque mores, vt alibi dictum est, qui etiam non solum nunc sibi spè alios spiritus immundos, & inimicos adiunxit, ad expugnandum nos, vt dixit Christus Dominus, sed, & ab initio conatus fuit sibi omnes Angelos copulare, quorum *tertiam partem* sibi adhærentem traxit: conatus est etiã in mundi exordio, omnem humanã naturam deglutire, & sibi copulare, perpetuòque curat, omnes deuorare, & in corpus suum traijcere, quod ex ingenti iniquorum multitudine, quos sibi copulauit, tanquam ex membris cõstituitur, vt Deus ibidem describit, & Beatus Gregorius exponit. Est quidem Christus Dominus caput, cuius corpus Ecclesia est, quod Spiritu suo viuificat, & regit, omnes propterea homines conatur sibi copulare, & adiungere, qui Patrem orabat dicens: *Oro Pater, vt vnum sint sicut, & nos*: ideò, & conatur omnes in corpus suum traijcere, qui tanquam membra sua suo Spiritu viuificentur. Vnde, & ipsi primò pastori (inquit Gregorius) dictum est. *Macta, & manduca.* Qui mactatur quippe, à vita occiditur, id verò, quod comeditur, in comedẽtis corpus commutatur. Macta ergo, & mãduca, dicitur, id est, à peccato eos in quo viuunt, interfice, & à seipsis illos in tuum corpus conuerte, &c. Diabolus è diuerso, omnium malorum est caput, quorum vniuersitas est ipsius corpus, & ille regit gubernat, & spiritu suo in-

In cap. 14. numer. *Num. 14.9*

In Psal. 73. *Psal. 73.14*

a In cap 41 Iob.

b Homil 5. ex varijs in Matth.

Vide tract. 6. n. 23. 24. 25. 26.

a In cap. 27 Esai.

b In ca. 40. Iob.

לרח

Gen. 29. 34

Iona 2.

Iob 7. 12. & 4.

Mat. 12. 44 & Luc. 11. 26.

Apoc. 12. 4

Libro 33. moral. c. 30

Ioan. 17. 22

Libro 18. moral c. 21

Act. 10. 13.

quo

quo animat, quē propterea ibidē Deus, eandem sequens loquendi rationem ea
Iob. 41.25 put omnium iniquorum dixit: *Ipse est ea pus super vniuersos filios superbiæ*, quos
Iob. 41.6. tanquam corpus eius describit, dicens: *Corpus eius scuta fusilia, quasi squamæ se prementes, & spiraculum non incedit inter eas* Hæc propterea ipsius summa cura, omnes homines sibi sociare, in tale corpus traijcere, & in membra, quæ sibi cohæreant transmutare. Hic ergo Leuiathan, aut balæna erat in hoc marimagno, supremam habens potestatem, vt pleno ore illius Princeps diceretur, nec vllus erat, qui hanc vastissimam belluā
Iob 41.24. posset expiscari, *neque potestas erat in terra, quæ ei posset cōparari.* Quare Deus nostri misertus, suaque omnipotentia vsus, manum apposuit, vt eam caperet, ligaret, infrenaret, & iam infirmam nobis exponeret reuincendam, iuxta id, quod eidem sub typo Pharaonis Regis
Ezec. 29.3 Ægypti comminatus fuerat: *Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorū, & dicis: Meus est fluuius, &c. extraham te de medio fluminum, & ponam frenum in maxillis tuis, &c. & proijciam te, &c. & bestijs terræ, & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum.* Eum
Lib. 33. moral c. 12. autem cepit, & extrahit hamo, vt enim
Hom. 5. cit. Beatus Gregorius optimè prosequitur
Hom. 5. e varijs cit. & annotauerat prius Chrysostomus, Christus Dominus rectè hamus vocari potest. Hamus namque in se ferreā, aut æream habet naturam fortissimam, sed ita coopertus est exterius carne rubra vermiculi, vt verè nihil aliud quā quidam vermiculus videatur. Ita Christus Dominus, in se veram habebat naturā diuinam, nam verus erat Deus, æqualis Patri, coopertus tamē fuit carne rubra vermiculi, hominis scilicet, qui in Scriptura sacra sæpè vermis dicitur, & ita
Rom. 8.3. factus est *in similitudinem carnis peccati*, taliterque ea fuit opertus, vt ab omnibus reputaretur vermis, id est, homo communis, & peccator, immò, & ipse
Psal. 21.7 per os Dauid prædixerat: *Ego autē sum vermis.* Ostendit Paulus veram naturā
Ad Philip. 2.6. æream, & carnem infirmam cooperientem illam, cum dixit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualē Deo: sed semetipsū exinaniuit, formā serui accipiens, in similitudinē hominum factus.* Quod, & Beatus Ioannes

similitet præstitit, qui supponens, quod erat in principio Verbum Deus apud Patrem, carne ita se exhibet opertum, quod: *Verbum caro factum est.* Ecce ergo Ioan. 1. 14. & 5.
Hamum. Et sicuti hamus mittitur à piscatore in mare alligatus lineæ, ita Christus missus est hodie à Patre in desertum per Spiritum sanctum, tanquam per lineam, cui perpetuo adhærebat, vbi eum (inquit Gregorius) Leuiathan ad tentandum inueniret. Vnde sacri Euangelistæ, quasi hoc mysterium indicare volētes, eo verbo vtuntur, quo ad actum piscatoris mittentis hamum in mare alludere videantur. *Expulsit eum Spiritus in desertū*, inquit Marcus: *Agebatur in Spiritu in desertum*, inquit Lucas, sicut expellit piscator hamum per lineam, in mare, & hoc, vt tentaretur à Diabolo, qui videns vermiculi speciē, carnem scilicet Christi famelicam, & fame quasi confectam, accessit pleno ore Christum volens deglutire, nec enim fore suspicabatur (inquit D. Gregorius Nazianzenus) vt humanitatem, & infirmam carnem aggressus, in diuinitatem incurreret. Sicut ergo in hamo (inquit Chrysostomus) escę prędā posita, pisces decipimus, & illudimus, qui videntes escam, hamum non considerant, & dum auidi prędam volunt rapere, hamo capiūtur, sic, & diabolo cōtigit, dum tantum corpus hominis in Dei Filio considerat, & Deum in corpore non agnoscit, quasi ad preparatā sibi predam, solita rapina festinat, sed dum vult auidus prædam rapere ipse draco, vt piscis adductus in hamo, prædā Domini captus afficitur, & comprehenditur, eo modo quo *pisces capiuntur hamo & aues comprehenduntur laqueo.* Eccl. 9.12.
Vnde idem Chrysostomus etiam id quod subdit Deus ad Iob: *Nunquid illudes ei quasi aui*, secundum hanc intelligentiam exponit, vt voluerit dicere, se dæmoni illusurum, ad eum modum quo venatores, & piscatores deludunt aues & pisces, quibus exponunt exterius cibos, quos videant, in quos, dum feruntur, comprehenduntur hamo, & capiuntur laqueo, qui opertus erat. Proinde Ambrosius piam fraudem dicit adiuentam à Domino, offerente carnem famelicam, cuius specie allectus dæmon, ad tentandum, quasi piscis Lib. 4. in Luc.

ad

ad deuorandam escam se demitteret. Ita ergo dæmon captus est nunc, cuius linguam verè fune verbi Dei alligauit Christus, qui diuino verbo vsus, ita eius loquacitatem, & omnes rationes illius verbosas compressit, vt tanquam e linguis redditus fuerit. *Et posuit circulū in naribus eius.* Nares namque in Scriptura sacra indicant iracundiæ, & superbiæ spiritum, qui namque eo agitur, narium respiratione illū demonstrat. Cōspicere visus est Ioannes hanc belluam, maxima ira concitatam, quasi ingentes aquarum nimbos naribus efflantē, quādo de cœlo vidit expulsam, ideoque clamat: *Væ terræ, & mari, quia diabolus descendit ad vos magnam iram habēs.* Cōpressit tamen nunc Christus Dominus superbam, & audacem eius iracundiā, qua in homines superbè agebat, dum tam plenum timore reliquit, vt nec coram seruis illius iam audeat respirare: *Et armilla perforauit maxillam eius.* Id est, tam valido freno compressit, & ita violentum eius impetum coercuit, vt iam quasi cum ligato passerculo possint pueri paruuli, & infirmæ puellæ ludere. Idcirco (inquit Chrysostomus) subdit, hunc draconem tanquam passerem ab infante illudi. *Alligabis* (ait Deus) *tanquam auem, & illudes illi, tanquam infantes passeri.* In quibus, & potentia Filij Dei, infirmitas diaboli demonstrata est, quem iam ligatum tanquam passerem exhibet. Vinxit namque (inquit Olympiodorus hostem Dominus noster, eumque vinculis constrictum, ijs qui conuersi sunt, & effecti sunt paruuli, vti passerem quempiam illudendum obijcit Saluator generis humani (inquit Hieronymus) qui virtutum, & cōuersationis suæ reliquit exemplū, post baptismum statim assumitur à Spiritu, vt pugnet contra diabolum, & oppressum, atque contritum tradat discipulis suis conculcandum, imò tanquam passer ligatus (inquit Origenes) & Domini benignitate ac munere vinctus Satanas, infantibus, & lactentibus (è quorū ore laudem perfecit Deus) subiectus est, & tam inualidus iam nobis proponitur, vt possint amici Dei, & negotiatores Regni cœlestis eum concidere, & diuidere, id est, verbi Dei gladio illum percutere, & ad nihilum ducere. Quo & verè Sanctos viros fecisse cōpertū est, si eorum vitam consideremus, quos videmus illudentes dæmoni, & eū verberibus affligentes. Ludebat enim cum eo Beatus Dominicus, & illudebat ei, vt D. Antoninus enarrat, similiterque contemnebat Sanctus Antonius, vt Diuus Athanasius latè prosequitur, & quasi omninò inermem, & infirmum spernebat Sanctus Benedictus, vt tradit Diuus Gregorius Hæc omnia Christus Dominus nobis præstitit, quæ egregiè considerauit Beatus Augustinus exponēs, quomodo Dauid in deserto superbiam Goliæ deijciens, fastum vincens, vires eneruans, caput amputans, & relinquens viribus priuatum, typum tenuerit Christi Domini. Ante aduentum (inquit) Christi, fratres charissimi, solutus erat diabolus, veniens Christus: fecit de eo, quod in Euangelio dictum est: *Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem.* Venit ergo Christus, & alligauit diabolum. Dicet aliquis: Si alligatus est namque tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi securitate mortifera coniunxerit. Iam videte fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet, tu te illi per cupiditates, & voluptates secu[illegible] coniungere, & ille ad te non præsumet accedere, latrare potest, sollicitare pōt, mordere animo nō potest, &c. Ita ille. Hanc Christi victoriā, à Dauide prophetatam, & decātatam considerat Ambrosius: Innumeris (inquit) validisque laqueis diabolus orbē repleuerat, sed videt Dauid eos oēs cōtritos, ideoq; exultans canit: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantiū, laqueus cōtritus est, & nos liberati sumus.* Et quasi auderet inter rogātē. Quisnā hos laqueos contriuit, nosque in libertatē reduxit? respōdet: *Adiutorium nostrū in nomine Domini*, prophetans, quod venturus esset in hanc vitā, qui contereret laqueū diaboli præparatum. Sed nō potuit melius conteri laqueus, nisi præda aliquā diabolo

Apoc. 12. 12.

q 6.

In catena.

Epist. 8. ad Demetr.

In catena.

3. p. histor. in vita Antonij.

Li. 2. dial.

Serm. 197. de tempor.

1. Reg. 17.

Matt. 12. 29.

Lib 4. in Luc.

Psal. 123. 7.

bolo demonstrasset, vt dum ille festinaret ad prædam, suis laqueis ligaretur. Quæ potuit esse præda, nisi corpus? Oportuit igitur hanc fraudem diabolo fieri, vt susciperet corpus dominus Iesus, & corpus hoc corruptibile, corpus infirmum, vt dum diabolus infirmitate excitatus, in eum irrueret, captus per diuinitatis vim remaneret, quem iam omnes vincere possemus. Hæc, & alia Ambrosius.

§. 2. *Christus melius quam Michael nos roborans, ad desertum ducitur feris venenatis plenũ, quod prius Baptista incoluerat, idque sexta Ianuarij die.*

¶ 7. SI Filium Dei contemplemur humana carne vestitum, ductum, & missum à Spiritu sancto, omnibus ipsius donis armatum ad impugnandas Luciferi cateruas, & inferni acies fugandas, poterimus vires resumere, vt infracto animo ducem istum sequentes, easdem inimicorum legiones reuincendas assumamus. Admirabilis est historia, quam ipse Spiritus Sanctus refert, quæ S. Machabæorum tempore accidit. Lysias, vir illustris quidam genere, *a Homo nobilis, de genere Regali, b, & propinquus Regi*, dux superbus, suæ nobilitatis confideratione tumẽs, multis elatus victorijs, grande bellum contra Dei populum agere constituit, *& mente effrenatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum & in octoginta elephantis confidebat.* Tantò autem impetu Iudæam ingressus, procedebat, vt magnam stragẽ faceret, cunctisque timorem incuteret. Vnde fideles *cum fletu, & lachrymis rogabant Dominum, vt bonum Angelum mitteret, ad salutem Israel.* Egredientibus autem illis, *Ierosolymis apparuit præcedens eos eques, in veste candida armis aureis, hastam vibrans*: ad cuius conspectum, intelligentes illum datum sibi diuinitus ducem, qui inimicos esset superaturus, *omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis, non solum homines, sed, & bestias ferocissimas, & muros ferreos paratis penetrare. Ibant prompti, de cœlo habentes adiutorium. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostrarunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos, vniuersos autem in fugam verterunt.* Vide quales animos illis fecit, videre cœlestem equitem præcedentem, quod nec homines, nec ferocissimas bestias timerent, & parati essent muros ferreos penetrare, omnesque leonibus similes se exhibuerunt, impetu irruentes contra inimicos. Et quidem non est dubium, equitem illum fuisse Angelũ, qui in assumpto corpore ex aere, apparuit. Satis fuit vsitatum, cum Dei populus inimicorum potenti exercitu affligebatur, misisse Deum Angelum, qui opem fidelibus suis ferret, & inimicos profligaret. Sic misit contra potentem exercitum Sisaræ, hoc namque exilissimo Debboram Prophetissam suo Cantico exprimere voluisse, cum dixit: *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Stellarum nomine, Angelos intellexit, qui pro Dei populo dimicare cõsueuerunt, vt Glossa interlinearis *a* intelligit, colligique potest ex lectione, quam Augustinus *b* explicandam assumpsit. Similiter nota est historia, quando contra exercitum Senacherib, obsidentem sanctam ciuitatem, misit Deus Angelum, *qui vna nocte percussit in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia.* Et tempore ipsorumamet Machabæorum, *cum vehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cœlo, viri quinque in equis frenis aureis decori ducatum Iudæis præstãtes, ex quibus duo, Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum, incolumem conseruabant, in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo, & cæcitate confusi, & repleti perturbatione, cadebant.* Hoc igitur Dei fauore antea muniti, cum postea à Lysiæ exercitu obsiderentur *cum fletu, & lacrymis rogabãt Dominum, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel.* Vnde Angelus fuit, qui apparuit. Quis tamen esset, non con-

2. *Mach.* 11. 1.
a 1. *Mach.* 3. 32.
b 2. *Mach.* 11. 1.

Iudic. 4.
Iud. 5. 20.
a *In cap. 5. Iudicum.*
b *Li. qq. in Iudic. q. 26.*
4. *Reg.* 19. 35.
2. *Mac.* 10. 29.

constat. Quidam credunt fuisse Angelum Gabrielem, quem Sanctus Hieronymus vocat; *Præpositum prælijs*, cuius nomen interpretatur; *Fortitudo Dei*. Alij censent, fuisse Michaelem, qui illius antiquæ Ecclesiæ dux extitit, & conseruator, vt omnes fatentur; traduntque Hieronymus, *a* Theodoretus *b*, & Chrysostomus. *b* Sic indicat Beatus Gregorius, *c*, qui docet, in Michaelem esse, qui mittitur, quotiescunque miræ virtutis aliquid agēdum est. Hocque credo veritati conforme, nam ideo (vt alibi expositum dedimus) vidit illum Zacharias Propheta, tanquam equitem, sedentem super equum rufum. Apparuit autem nunc in corpore ex aere formato, equo insidens, veste candida, armisque aureis indutus, hastam vibrans. Qui talem ducem de cœlo venientem vident, meritò animos sibi faciunt tales, vt nullos impetus inimicorum, nec ferociſſimas bestias, muros ferreos timerent, sed tanquam leones in omnes hostes irruerent. Si ita animati sunt illi, vt omni timore depositō nullos fortissimorum hostium impetus formidarent, sed validè cōtra illos insurgerent, quali robore debemus nos firmari, videntes, non Michaelem, aut aliquē Angelum, sed ipsum Angelorum Dominum præcedentem, & ducem nostrum effectū ante nos procedentem, vt inimicorum nostrorum vires comprimat, & eneruet, exercitum deijciat, & in fugam conuertat? Apparet, non in corpore phantastico, sed vero, & quidem Spiritus Sanctus opere in sacratissimæ Virginis vtero ex illius purissimo sanguine formato: quod quidem veſtis candida dici potest, quippe quod nulla fuit labe infectum. Armatus insuper appareret, armis aurei omnium donorū Spiritus S. diuini Verbi, aut Scripturæ diuinæ lanceam vibrans, cuius impetu omnes inimici impetus transfixi; quo factum est, vt omnes illius acies deiectæ manserint, deiectæ fuerint, & in fugam datæ. Vires igitur resumamus, & illius ducatum sequentes leonibus similes effectī; nec bestias inferni ferociores, nec muros ferreos potētiæ diaboli, timeamus. Videamus itaque ducem nobis de cœlo datum, præcedentem nos, & procedentem ad inimicorum cateruas eneruandas. *Tunc ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Quamuis vniuersa terra promissionis ita fuerit habitatoribus plena, vt mirum sit, quomodo tam exigua terræ quantitas, tot tantaq; hominum millia capere potuerit, erant nihilominus in ea quamplurimæ solitudines, & deserta, quorum Scriptura sacra sæpè meminit. Hæc vocabantur deserta, non absolutè, sed sub peculiaribus nominibus: desertum Ziphi, *a* quod erat inter occidentem, & meridiem, longè à Ierusalem: desertum Maon, *b* illi vicinum: desertum Engaddi, *c*, desertum Pharan, *d* desertū Idumææ ad meridiem. *e* Vnum tamen erat, quod absolutè, & simpliciter desertum vocabatur, quod, vt ait Hieronymus, *f* solitarium valdè erat, montuosum, & asperum, inter Ierusalem, & Iericho, latronibus plenum, à quo egredientes, tot homines interficiebant, vt ipsemet *g* dicat, ibi fuisse locum dictum *Adomim*, hoc est, sanguinem, quia multus ibidem sanguis latronum incursionibus fundebatur, cuius occasione Christus Dominus parabolam construens, de homine incidente in manus latronum, huius loci meminit: de qua re Andreas Massius *h*. Incipit autem hoc desertum iuxta Anatoth, & se extendit super Galgala, vsque ad desertum Tecuæ, & Engaddi, iuxta mare Mortuum. Hoc desertum diuersum erat ab alijs prædictis, nam alia non ideo deserta vocabantur, quod omninò habitatoribus essent vacua, sed quod minus frequenter habitarentur; eo modo quo apud nos sunt montana: ita Ioab sepultus dicitur *i* in domo sua in deserto, quia aliquæ domus in illis desertis erant; & Idumæa desertum vocatur, K cum plures habeat habitatores; & Tribui Iuda sex ciuitates, cum suis villis in deserto assignatæ dicuntur. *l* Desertum autem hoc, quamuis in sui ingressu primo aliquos haberet incolas, qui dicebantur habitare in deserto Iudææ, tamē eius interiora omninò erant habitatoribus vacua, & hominibus inuia. In huius deserti interiori solitudine

In cap. 8. Dnnie.

a *In cap. 10*
b *Hom. 41. in imperf.*
c *Hom. 34. Euang.*

Zach. 1. 8.

a 1. *Reg. 26. 2.*
b 1. *Reg. 23. 24.*
c 1. *Reg. 24. 1.*
d 2. *Reg 15. 1.*
e 4. *Reg 3. 8.*
f *In c. 20. Matth.*
g *Epist. 27 ad Eustho. Luc. 10.*
h *In cap. 21 Iosue vers. 1. & cap. 7 vers. 2. ¶ 8.*
i 3. *Reg 34*
k 1. *Reg. 3. 8.*
l *Iosue 14. 61.*
Marc. 1. 4.

ne Ioannes à pueritia, vsque ad trigesimum annum vitâ egit, quod, & Lucas indicauit, *Erat*, inquit, *in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*. Deserta vocat in plurali, propter deserta loca illius solitudinis, tam remota ab omni humana conuersatione, vt per triginta fere annos, quibus Ioannes ibi mansit, nullum viderit hominem, nec ab aliquo homine visus fuerit, vt B. Chrysostomus obseruauit. Quod, & D. Lucas in citatis verbis indicasse visus est, dicēs, fuisse Ioānem in deserto, vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel; nulli namque vsque ad illam diem Ioannes patuit, sed in illa solitudine ab hominibus semotus, cum Angelis, inquit Chrysostomus, philosophabatur: de quibus multa Origenes tradidit. Dum autem ibi Ioannes maneret, anno ætatis suæ quasi trigesimo, *Factum est verbum Domini super eum in deserto*, vt scilicet egrederetur iam ad prædicandum. In huius rei memoriam extat adhuc sacellū ibidem, in honorem eiusdem Ioannis constructum: de quo Adrichomius, ex Breidembacho, Brochardo, Vitriaco, & Saligniaco. Tunc autem Ioannes non ad populosas ciuitates prædicaturus se contulit, sed in priores solitudinis illius oras, Iordani proximas, se continuit; ibique prædicare cœpit, & baptizare. Ideoque dicitur prædicasse in deserto Iudææ, iuxta Iordanem. Hæc quia hæretici nostri temporis non intellexerunt, varias nænias de Ioannis deserto commentati sunt, Ioanne itaque hoc deserto egresso, Christus post baptismum illud ipsum ingressus est. Qua in re hoc obiter possumus expendere, quam verè Ioannes fuerit Christi Præcursor, quod verè visus est Christus ibi pedes ponere, vnde Ioannes suos extrahebat. Nam sicut Ioannes primò in huius deserti interioribus vitam egit, quo se recepit, vt inde egrederetur ad prædicandum, & manifestandum se mundo; ita illo inde egresso, Christus Dominus illud ingressus fuit, vbi vitam non paucis diebus egit, vt inde egrederetur ad prædicandum, & manifestandum se hominibus. In hoc deserto est mons altus, ascensu difficilis, hominibus inuius, bestijs venenatis refertus, ex cuius pede fons ille celebris, qui ab Elisæo dulcoratus est, scaturit, quique terram Iericho irrigat. Ad hūc ductus est Christus à Spiritu sancto, qui propterea mons. Quartana hodie dicitur, quia in eo Christus Dominus quadraginta diebus ieiunauit, in cuius cacumine sacellum extat adhuc, ruinosum quidem, sed ieiunio, & oratione Christi venerabile, vt ex eisdem refert idem Adrichomius. Ex quibus intelligitur id, quod Marcus dixit: *Erat in deserto quadraginta diebus, & cætera, eratque cum bestijs.* Vult enim, vt Chrysostomus *a*, & Euthymius *b* annotarunt, indicare, quale desertum illud fuerit, bestijs scilicet plenum, & omni humano solatio destitutum. Bestiarum autem nomine, secundum literam, non dæmones intelligere voluit Euangelista, sicut Eusebius Cæsariensis sentire videntur; sed venenata animalia, bestiasque crudeles, quas, & nomen græcū *Cirien* indicat, quod significat bestiam feram, & venenatam. Et verè quidam Author, qui terra illa lustrata, eam describit, adhuc magnos, atros, horribilesque lacertos, ibi conspici. Vnde, & Rupertus vocat locum horroris, & vastæ solitudinis. Multi quidem sancti Patres cum bestijs, & feris vitam in desertis incolumes egerunt, quibus illæ obsequebantur, vt coruus Eliæ, & Paulo Eremitæ, & leæna Malcho captiuo, & leones Antonio, cum Paulum sepelire gestiebat, tutioque illis fuit cum furiosis sæuissimisque animantibus in solitudine, quam cum hominibus in ciuitatibus habitare. Peculiariter tamē Christus Dominus illæsus inter bestias egit, quippe qui pleno iure illis dominabatur, quibus, & ille potius formidabilis, erat (inquit Euthymius) cui potiori iure, quam Adæ, ante inobedientiam illud conuenire poterat: *Dominamini bestijs terræ: sitque terror vester super omnia animātia, & bestias terræ.* Ad hoc desertum ductus fuit Christus *Tunc*. Istud *tūc*, inquit Chrysostomus, ad illud proculdubio tempus aptandum est, quo descēdit Spiritus S. cum insuper delata vox ait: *Hic est filius meus, & cætera.* Quod

Marcus

Luc.1.80.

Homil.2. ex varijs in Ioan.

Hom 9. & 11. in Luc. Lu 6.3.2.

in Theatro c ap de Tribu Beniamin. 94. 97. 98.

4. *Reg.2.*

Marc.1.13

a in catena

b in cap.8. Marci.

Lib.9. de monstr.7.

Aranda cap.27.

in cap.4. Matth.

In cap.1. Marci. Gen.1.28. Gen.9.2.

Hom.13. in Matth.

Marcus expressit, dicens: *Statim*, scilicet post Baptismum, *Spiritus eum expulit in desertum.* Vnde si Christus baptizatus fuit die sexta Ianuarij, vt communiter Patres sentiunt, eadem sexta die in desertum ductus fuit, in quo ieiunans quadraginta diebus, vsque ad diem decimam quintam Februarij, qua tentatus fuit, mansit. Cùm igitur Christus esset quasi annorum triginta, instaretque propterea tempus, quo Deus erat Leuiathan expiscaturus, postquam baptizatus fuit statim illum expulit Spiritus sanctus in desertum, tanquam hamum in mare mittens, vt excitatus Leuiathan carnis infirmitate, quam videbat, & accedens ad eum deuorandum, captus comprehensusq; virtute diuinitatis, quam non videbat, remaneret. Hocque est illud: *Vt tentaretur à diabolo*: hoc est, vt diabolus ipsum aggrederetur, & in eum ageret, in quem omnes vires suas conuerteret quem, & pleno ore, apertisque faucibus deuorare intenderet.

§. 3. *Christus ductus in desertum est, non vt diabolus eum tentaret, sed vt diaboli tẽtationes sustineret, & vinceret.*

¶ 9. *Ho. in hoc Euangel.*

DVbitat Beatus Eusebius Emissenus (aut is, cuius expositio in hoc Euangelium, sub nomine fertur Emisseni) à quonam spiritu Christus ductus sit in desertũ. Suspicatur enim à spiritu illo ductum fuisse, à quo ductus in Ierusalem, & in montem excelsum postea perhibetur. Sed verè (inquit Diuus Gregorius) & absque vlla quæstione conuenienter accipitur, vt à Spiritu sancto ductus credatur in desertum, vt illuc eum suus Spiritus duceret, vbi hunc ad tentãdum malignus spiritus inueniret: quod ex professo demonstrant Origenes *a*, Hieronymus *b*, Chrysostomus *c*, Theophylactus *d*, Euthymius *d*, Beda *d*, & alij. Et certè dum S. Lucas dicit: *Agebatur à Spiritu*, voluit illum Spiritum exprimere, quo Filij Dei aguntur. de quo postea dixit Apostolus: *Qui Spiritu Dei aguntur, ij Filij Dei sunt.* Hoc supposito dubium commune quidam proponunt, qui fieri possit, vt Spiritus sanctus ducat Christum, vt tentetur à diabolo: tẽtatio nãque diaboli opus est malũ, & actio iniqua, per quam id, quod verè malũ est, intendit. Quomodo ergo Deus talem vult tentationem, cuius voluntas non potest malum intendere. Quod si dicas Deum non intendisse malum, sed bonum, quod inde poterat oriri, statim obijciam Paulum docentem: Non esse faciendа mala, vt inde oriantur bona. *Rom. 3. 8.* Quidam dicunt, explicandã esse Euangelistę loquutionem permissiuè, vt velit dicere, Christum ductum à Spiritu sancto in desertum, vt permitteret diabolo, illum tentare: Certum est namq; Deum non intendere malum, permittere tamen. Alij cõiunctionem, *Vt*, exponunt, quod non habeat vim causæ finalis, sed explicet consequutionem, iuxta communem Scripturæ phrasim: ita illud: *Vt iustificeris in sermonibus tuis*: id est, parcens mihi, hoc cõsequetur, quod verba tua, & promissiones, quibus promisisti pœnitentibus veniam, ostendentur veræ. Ita, & illud: *Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam*: id est, ex eo quod hoc factum est consequens fuit, vt prophetia maneret completa. Sed de ijs alibi. Hic ergo erit sensus Euangelistæ: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, & statim hoc consequutum fuit, vt tentaretur à diabolo. Cæterum loquendi forma, qua vtitur Euangelista, omnem tollit difficultatẽ: quia non vtitur verbo actiuo, nec dicit Christus ductum à Spiritu, vt diabolus tentaret eum, quasi intenderet Spiritus sanctus, vt diabolus tentaret Christum, sed vtitur verbo passiuo, *vt tentaretur à diabolo.* Duo.n. sũt, quę in hoc opere possumus cõsiderare, actionẽ s. diaboli tentãtis, & passionẽ Christi sustinentis tẽtationem Actio quidẽ diaboli mala fuit, cuius voluntas erat iniquissima passio, qua Christus eius tentationes sustinuit, & passus est, fuit sãcta, & maximè frugifera, vt dicemus. Idcircò actio diaboli non

Hom. 16. in Euang.

a Hom. 29. in Lucam.
b In cap. 4. Matth.
c Hom. 13. Matth.
d In cap. 4. Matth.

non fuit intenta à Spiritu sancto, sed solummodo permissa; passio tamen illa fuit, quam verè Spiritus sanctus intendebat, quia omnibus modis erat bona. Sicut certum est, Deum non intendisse, vt Iudæi Christum occiderent; quia id erat omnibus modis malum: voluisse tamen, vt Christus mortem ab illis iniustè illatam, sustineret patienter: id namque innumera bona continebat. Similiter, nec volebat Deus, vt Tyranni martires torquerent; volebat tamen, & intendebat, vt martyres pœnas ab illis illatas patienter ferrent, quia sicut actio erat mala, & inuisa Deo, ita passio erat bona, & Deo gratissima. Sicut ergo Deus non misit Filium suum in mundum, vt eum occiderent Iudæi, quia hoc malum erat, sed vt pateretur mortem, quam Iudæi Deo permittente erant illaturi, quia hoc erat ad nostram salutem expedientissimum, ideoque Caiphas, qui Dei sententiam nesciens expressit, non est vsus verbo actiuo: dicens: Expedit, vt vnum occidamus hominem, sed passiuo *Expedit, vt vnus moriatur homo.* ita, & nũc Matthæus, explicare volens Dei decretum, cùm misit Deus Christum in desertum, non vtitur verbo actiuo: non namque actionem diaboli intendebat Deus, sed passiuo, *vt tentaretur*, inquit, quia hoc intendebat, quod Christus diaboli sustineret tentationes, & ictus; nam hoc erat bonum, & vtilissimum, vt demonstrat, & explicat Diuus Thomas, multas rationes expendens, propter quas oportuit Christum tentari. Quia primo (inquit) ex eo quod tentatus est, tentatoris vires eneruauit: quam rationem explicat ex illa celebri sententia Beati Gregorij: Nõ erat indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, ficut mortem nostram venerat sua morte superare. Quam eandem rationem obseruauerat Beatus Athanasius, expendens, tentatoris vires à Christo esse confractas, ita vt à Christianis possit iam conculcari, & ludibrio haberi. Idipsum, & Ambrosius *a*, dicens, Christum nobis vicisse tentatorem: quod & Augustinus *b* egregiè prosequitur & Beatus Maximus *c* excellenti sententia concluſit, dicens: Ergo nũc fratres charissimi, ieiunantis Domini victoriam recensentes, triumphum nostræ salutis agnouimus. Ad hoc institutum potest exponi illud: *Inimici defecerunt framea in finem* Frameæ enim aut gladij inimici nostri, eius inquam tentationes, acies, & astus defecerunt, eneruatæ sunt, & amiserunt vires, cùm ille in finem, id est, Christum eas conuertit; eo modo, quo gladij acies, & vis retusa manet, si quis illum in durissimum lapidem, vel firmissimum saxum conuertat. Secundò voluit tentari, inquit Diuus Thomas, propter nostram cautelam, vt nullus quantumcunque sanctus, se æstimet securum, & liberum à tentatione; neque quispiam de cordis sui puritate confidat, inquit Sanctus Leo Papa, vt putet se nullis tentationum periculis subiacere, cum peruigil ille tentator, eos acrioribus pulset insidijs, quos maximè videt abstinere à peccatis: nam à quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum maiestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Et iterum: Cuius (inquit) hostis ille nequissimus, nõ audeat impugnare propositum, cuius nõ appetat violare ieiunium, quando versutias suas nec ab ipso mundi Saluatore continuit? Hanc rationem tradiderunt Hilarius *d*, Christostomus *e*, & Tertullianus *f*, quam ex professo expendit D. Hieronymus *g*, refellens Iouiniani errorem, qui censebat eo ipso, quo quis baptizatus est, immunem ab omni tentatione reddi. Tertio propter exemplum vt scil. nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus: quam rationem egregiè prosequitur Augustinus *h*, expẽderatque Cyprianus *i*: Voluit (inquit) Sapientia Dei, erudiendos informare exemplo, & contra tentamẽta proponere documẽta, &c. Propterea vt obseruauit Sanctus Leo Papa *k*, nequissimi hostis astutiã, non potentia deitatis, sed humilitatis misterio vicit, ea solummodo agens, & proponens, quæ quiuis

a *Lib. 3. de mirabili. S. Script. c. 6.*
b *Ho 1. Domin. 1. Quadrag.*
c *Psal. 9. 6.*
Ioan. 18. 50
Sermon. 5. Domin. 1. Quadrag.
Sermon. 4. Domin. 1. Quadrag.
d *Can. 3. in Matth.*
e *Hom. 13. in Matth. & hom. 5. ex varijs in Matth.*
f *Lib de baptisca vlt.*
g *Li 1. contra Iouin.*
h *Lib. 4. de Trin. c. 13.*
i *Lib de ieiu. & tent. Christi.*
k *Serm. 1. & 2 Dom. 1. Quadra.*
3. p. qu. 41. art. 1.
Hom. 16. in Euang.
Lib. de passio. & Cru. Dom. ad fi.
a Libr. 4. in Lucam.
¶ 10.

quiuis purus homo agere posset, & inducere. Vnde etsi diabolus victus remanserit, non tamen eius diuinam potentiam potuit manifestè cognoscere. Quartò, vt nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. Vnde dicitur: *ad Heb. 4. 15.* *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatũ autem per omnia, vt misericors fieret.* *Hom. 5 ex varijs in Matth.* De ijs rationibus alibi multa diximus, & alia statim subinferemus. Ex his explicat B. Chrysostomus, cur Deus, quasi mores mutasse visus sit antiquitus nam que tam ægrè ferebat se tentari, vt homines tentantes se in deserto mortifero serpentum morsu percusserit; idque perpetuò admonebat, *Exod. 13. 3* ne aliquis auderet se tentare, ne compelleretur ad nihilum redigere. Hinc recusabat ire cum populo, ne fortè illum consumere compelleretur, si aliquo modo tentaretur ab ipso. Nunc autem tentari ab ipsomet diabolo patitur, & tentatorem prouocaturus in desertum ducitur, quia id nobis erat expediẽs; patitur namque Deus quicquid nobis est vtile, quantum cunque sit contra eius conditionem, & mores.

§. 4. *Desertum locus est aptior, quam ciuitas ad congrediendum cum diabolo ipso, ideo Christus, vt tentaretur ab illo, in desertum ductus fuit.*

¶ 11. *3 p. q. 41. art. 2.* QVæstionem proponit D. Thomas, cur Christus ducatur à Spiritu in desertum, vt tentaretur. Si enim intendebat Spiritus sanctus, vt Christus tentationes sustineret, eò videbatur ducendus, vbi maior, abundantior, & frequentior esset copia tẽtationum, & tentatorum. Hoc autem non est desertum; sed potius ciuitas, aut locus, in quem innumera hominum multitudo confluit. In ciuitatibus quippe sunt instrumenta, & arma, quibus diabolus solet homines impugnare: ibi allicit mulierum pulchritudine, & ornatu; terret mundi iudicijs, & vocibus: ibi diuitiæ, epulæ, luxus, amici instigantes ad omne malũ, occasiones ad omne peccatum. Vnde, & viri sancti, vt tentationes fugerent, earũque occasiones præciderent, ad deserta confugiebant, vbi non stimularẽt species pulchritudinis vanæ, nec mouerent syrenarum voces, nec frangerent mũdi tumentes, fluctus. Dauid propterea desiderabat solitudinem. *Quis* (inquit) *Psal. 54. 7.* *dabit mihi pennas, sicut columba, & volabo, & requiescam?* Nec mirum: *Nam vidi*, inquit, *iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.* Egregia sunt verba Pauli, quibus exprimit Moysen Ægyptum reliquisse. *Reliquit temporalis peccati iucunditatem.* *ad Heb. 11. 25.* Quod quidam de palatio Pharaonis Regis Ægypti explicant, quod meritò Paulus vocat *iucunditatem temporalis peccati*, quia locus, in quo peccata grauissima cum iucunditate, & delectatione committuntur, sunt palatia Regum, & principum, in quibus innumeræ sunt peccatorum occasiones: ibi crapula, & luxus, superbia, fastus, & ambitio, inuidia, & liuor, mendacia, detractiones, & proditoriæ persecutiones, ibi assentatores, & qui *laudant peccatores in desiderio animæ suæ.* *Psalm. 9.* Ab hoc loco abest longè veritas, mortificatio carnis, ieiunium, silentium, mundi contemptus, seculi, & delitiarum, ac diuitiarum aspernatio, in quo, aut veritas est neganda, si quis vult vitam conseruare, vt fecit Petrus; aut vita amittenda, si quis veritatem vult asseuerare, vt fecit Ioannes Baptista. Theodoretus verò, nomine *Temporalis peccati*, intelligit ciuitatem, impijs hominibus plenam, in qua tot tantæque se offerunt occasiones, vt vix, ac nec vix quidem possit homo impollutum spiritum conseruare. Obseruauit Hieronymus, apud Hebræos fuisse in more, iudices in portis ciuitatis tribunalia sua habere constituta, adeo vt communi phrasi dicatur, *Sedere in portis*, pro eo quod est sedere in tribunali iudicis. Ita dicitur: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ*: & alibi: *Ibit ad iudices, qui sedent in porta ciuitatis.* Hoc autem ideo faciebant, ne homines simplices, qui in desertis, aut oppidulis morabantur, cum

In cap. 11. ad Hebræos.

In cap. 5. Amos.

Prou. 31. 23.

Deut. 17. 5.

propter negotia aliqua ad ciuitates veniebant, occasionem haberent ingrediendi, & lustrandi illius vicos, & plateas, ne qui simplices erant, malitia ciuitatis corrumperentur. Dauid, qui dum in desertis, & solitudinibus manebat, conseruabat animam suam mũdam, ac si esset in loco quodam sancto (*In terra, inquit, deserta, inuia, & inaquosa, sicut in sancto apparui tibi*) vbi, & inimico tuo pepercit, & cum cordis scrupulo oram chlamydis eius abscidit; in ciuitate positus non euasit tentationem superbiæ, qua diabolus excitauit eum, vt numeraret populum; nec oculos sine macula aperuit, qui videns Bethsabee, eam concupiuit, & fidelissimũ Vriam proditorie occidit: & huiusmodi sunt innumeræ historiæ. Hinc fit, quod si ab eo, qui mundum deserere intendit, inquiras, cur id faciat, respondebit se id facere, vt laqueos diaboli effugiat, & tentationes vitet. Si Monachos, Eremitas, Anachoretasque interroges: cur relictis vrbibus, deserta abditiora quæsierint, respondebunt, vt liberum seruent animum ab inimici incursionibus. Et si ab Ecclesia quæras, cur Baptista ætate infantili hoc idem asperũ desertum incoluerit, nec egressus fuerit vsque ad annum trigesimum, cum factum est verbum Domini super eum respondebit: Ne leui saltem, maculare vitam, famine posset. Propterea sancti Patres erant in *solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ*, vt dixit Paulus, qui securius vitam inter feras se posse seruare credebant, quam in hominum ciuitatibus, & ciuitatibus, vbi omnia sunt inextricabilibus laqueis plena. Si ergo Christus ductus est à Spiritu sancto, vt tentaretur, vtque tentationes fortissimas, validas, & multiplices sustineret, ad Regum palatia videbatur ducendus, vbi tentationes sunt abundantiores, aut saltem ad populosam numerosamque ciuitatem, in qua sunt validi laquei, atque multiplices, & nõ ad desertum, ad quod duxerat Ioannẽ, vt liberum à laqueis inimici seruaret. Respondet tamen D. Thomas, apto sapientique consilio Spiritum sanctum duxisse Christum in desertum, vt tentaretur à diabolo: necessarium namque erat, vt Christus Dominus diabolum vinceret, ad cuius opera, & vires soluendas venerat, quem nisi ille vicisset, nos vincere non possemus. Vt autem eum vinceret, necessarium erat cum eo congredi, & pugnare: vt verò cum eo congrederetur, expediens fuit eundem ad pugnam prouocare: ad hoc autem locus aptissimus desertum est, vt dixit Ambrosius. Comminatus fuerat Deus inimico nostro, postquam humanum genus deiecit (inquit Diuus Irenæus) quod semen mulieris, quam ille seduxerat, esset calcaturum, & contriturum illius caput, talemque de illo victoriam reportaturum, vt relinqueret inualidum, & infirmum, sicut manet serpens contrito capite. Voluit propterea Deus ipsum inimicum ita prouocare, vt per seipsum ad pugnam accederet. Expedientissimum propterea fuit in desertum duci Christum, quod locus est proprius, in quo diabolus per seipsum pugnam committat, & aggrediatur. Hanc doctrinam varijs rationibus possumus explicare: licque prima desumpta ex familiari quodam exemplo. Quando Princeps, aut Rex aliquis per tyrannidem aliquam prouinciam sibi subiecit, electo proprio Rege, ac naturali Domino, ipse quidem quando res tota confecta est, ad quiescendum se recipit in palatium. Quoniam autem semper in prouincia reperiuntur aliqui, qui minus bene ferunt tyranni dominatum, & legitimi Domini, ac Regis memoriam seruant, & appetunt, curat tyrannus, duces aliquos validos in prouincia statuere, quibus committit, vt maxima solicitudine agant contra eos, quos in se rebelles persenserint. Id quidem præstant duces, nec tyrannus ipse ad bellum egreditur per seipsum, quamdiu illi ad id peragendum sufficiunt. Cum verò aliquis insurgit vir egregiæ fortitudinis, qui tales duces, & eorum copias, & vires contemnit, eosque superat, illorum gladios spernit, illudit astutias, & machinas, ipsemet Rex tyrannus ad bellum agendum se accingit,

Psal. 62. 3.

¶ 12.

Ad Hebr. 11. 38.

Ibidem

Lib. 4. in Lucam.

Lib. 4. cont. hæres. c. 21.

cingit, ipsemet progreditur, vt cum tali viro congrediatur. Subiecit quondam sibi princeps tenebrarum prouinciam huius seculi, quando hominem in Paradiso vicit, ac superauit, idque tam validè vt pleno ore, *Princeps huius seculi* diceretur. Quamuis autem talem prouinciam pacificè possidere videretur, intelligens fore multos, qui aliquando proprij naturalisque Regis tenerent memoriam, cui tanquam legitimo proprioque Regi afficerentur, qualis erat ille, qui dicebat; *Sitiuit anima mea ad Deum viuum*: ille itidem qui suspirabat, dicens: *Anima mea desiderauit te in nocte*, quosdam duces supposuit, quibus commisisse visus est, vt contra tales agerent bellum, omnesque sub dominio suo continerent. Hi duces sunt, mundus, & caro. Astutoque consilio, eis diabolus vti voluit. Considerauit namque hominum genus duo mala incurrisse, in illo primo congressu, quando hominem vicit, ignorantiam scilicet, & tenebras in intellectu, & infirmitatem, ac fragilitatem in voluntate. Vt insipientes, ac ignorantes, & stultos sub dominio suo contineret, mundum supposuit; contra hos namque agit mundus: armaque, quibus tales expugnat, sunt ipsius iudicia, dicta, & sententiæ, quæ nihilo ab inani aura, vel vento differunt. Mirum certè est, quomodo tam leuia arma deijciant tot hominum millia: sed hoc ipso ostenditur, illos vanos, & stultos, contra quos tam inane genus armorum præualet. Quam enim inanem hominem iudicares, & fine pondere, quem leuis aura, aut exiguus venti flatus huc illucque propelleret, & circumduceret? Hincque intelliges, cur tot homines ab huiusmodi duce vincantur, *quoniam stultorum infinitus est numerus*, qui mundi iudicia, sententiasque obseruant, qui proinde seipsos demonstrant stultos. Nonne stultissimus est homo, qui quietam potest agere vitam, si sua sit forte contentus, qui tamen vt mundi expectationi satisfaciat, ingentibus curis, & solicitudinibus torquetur? Non minus seipsum stultum comprobat, qui omnes facultates, quibus commodè viuere posset, in nimio vestium cultu consumit, vt vocibus mundi obtemperare videatur. Ille similiter, qui vt mundanam gloriam conseruet, aliena non restituit, & æternam gloriam perdit. Is itidem, qui cum tranquillè agere posset, & gratum obsequium exhibere Deo, parcens inimico, vitam summis inquietudinibus, & corporis, & animæ periculis plenam ducit, auscultans mundi voces, dicentes, honorem seculi cunctis rebus anteponendum. Vt verò infirmos, ac debiles diabolus sibi subiectos teneat, alium ducem supponit, qui suas partes agat, carnem scilicet: quia hæc tantum deijcit infirmos. Quid namque caro nisi fœnum? Quantæ infirmitatis, ac debilitatis esset homo, quem alius sola fœni stipula prosterneret, vulneraret, occideret? Rem tam indignã iudicauit Abimelech ille, à fœmina occidi, vt cum mulier quædam a superiori arce fragmen iaciens, cerebrum eius confregerit, cirò vocauerit armigerum suum dicens: *Euagina gladium tuum & percute me, ne fortè dicatur, quod à fœmina interfectus sum*, de qua re loquitur optimè Beatus Augustinus, ostendens, quam sit indecens, & indecorum hominem à carne sua superari. His duobus ducibus seculum videtur diabolus commisisse, vt illud sibi subiectum conseruent, quod, & verè faciunt. Quot enim hominum millia diabolo subijciuntur, expugnati à mundo? Quot quantique sunt, qui eius voces auscultant, iudicia sequuntur, sententias tenent, adeò, vt cum se offert occasio, in qua, aut lex Dei, aut iudicia mundi seruanda sint, semper hæc proponunt, illam autem transgrediuntur? Quot itidem quantique sunt, quos caro subiectos diabolo tenet? *Multos vulneratos illa deiecit, & Propter speciem mulieris multi perierunt.* Idcirco diabolus non est solicitus, aut curat, in seculo per se ipsum bellum agere, & eos, qui in illo viuunt per seipsum impetere: quid namque opus est, vt ipse per seipsũ solicitet, quẽ per

Ioan. 14. 30.

Psal. 41. 3. Isai. 26. 9.

¶ 189.

Isai. 40. 6.

Iudi 9. 54.

4. De ciui. cap. 18.

Pro 7. 26. Eccl. 99.

¶ 14. mundi voces deijcit, & vincit, & per carnis motum subiectum tenet? Quãdo aũt datur aliquis vir egregius, qui illustratus à Deo, sapientiaque diuina præstans, mundum spernit, eius vires vanas, & stulta iudicia contemnit, seque à mundo separat, quique fortissimo animo rebellãtem carnem per ieiunium, & aspera mortificationis opera comprimit, & frenat hunc diabolus per ipsum insurgit, contra eum ipsemet bellum, & acies instruit. Id-

Ephe.6.12 que egregiè Paulus expressit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Expende pronomen illud, *Nobis*. Quasi dicat: Contra insipientes quidem, ac stultos, contra infirmos, & imbecilles, non per seipsos insurgunt principes tenebrarum, quos per duces suos, mũdum s. & carnem, deijciunt. Non valdè sollicitus est diabolus, bellum agere contra eos, quos videt seculo affectos, inseruientes carni, insequentes honorem, quærentes delitias: non curat impugnare mercatorem, qui animam vili pretio expositam habet, contra sensualem, quẽ quæuis mulieris species perturbat, &c. *Nobis* seipsum refertur, vt contra nos luctetur, qui primitias spiritus habentes non spiritu huius mundi ducimur, quibus mundus crucifixus est, qui carnis petulantiam castigamus, & corpus in seruitutem redegimus. Hoc ipsum clarè patere poterit, si sanctorum Patrum acta consideremus: nam videmus dæmonem tunc per se ipsum accessisse ad eos impugnandos, quando eos videbat contempsisse mũdum, eiusque iudicia calcasse; carnem etiam duris mortificationis operibus subiecisse. Ita contra B. Antonium, qui se ad solitudinem receperat, & contra S. Benedictum, & contra B. Catharinam Senensem, contra quos, vt ageret, ipsemet varias figuras assumebat, imò, & innumera dæmonum multitudo confluebat, ex quibus aliqui supremam mulierum pulchritudinem referebant, alij varijs formis mundi delitias exprimebant, & omnia, quæ in mundo pretiosa sunt repræsentabant, alij horribiles formas oculis offerebant, vt timorem incuterent, &c. vt quos videbant non posse à carne, & mundo superari, à seipsis superarentur. Signanter autem diabolus id præstat, cum videt tales viros se ad deserta recipere, in quibus non sunt fœminæ, quarum conspectus possit carnem ad luxuriam prouocare, nec mundi rumor auditur, quo excitetur quis ad obsequendum illi. Hinc potest explicari, cur dæmones dixerint, locum suæ habitationis eremum esse: vt enim refert B. Athanas. cum se S. Antonius ad desertum recepisset, *in vita Antonij pa. 638.* in quo varias, diuersasque victorias de dæmonibus reportauit, formidantes amplius cum eo congredi, ad ostium habitaculi illius accesserunt multi, ac innumeri, vociferantes, & dicentes: Quid te ingeris nostris habitaculis? Quid tibi, & deserto? Abscede à finibus alienis, nec potes hic habitare. Cur diabolus vocat desertum habitaculum suum? Nonne verius in ciuitatibus commoratur, & in seculo, vbi quicquid conspicitur: *aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ, quæ non est ex Deo, sed ex malignO?* Ratio est, quoniam diabolus in seculo habet illos duos duces, quos diximus, quibus tradidisse videtur seculum, vt in eo suas partes agant: ipse autem ad desertum se recipit, ibi acturus bellum, quo seculum non pertingit, & caro inermis redditur; in quo mundus non clamat, nec caro habet vnde vires resumat. Quoniam ergo volebat Spiritus sanctus, vt Christus diabolum ipsum vinceret, ad hoc autem necessarium erat, vt ipsiusmet diaboli tentationes sustineret, quarum proprius locus desertum est, in quo alij inimici, mundus scilicet, & caro minus versantur, illum ad desertum ducit. *1 Ioan.2. 16.*

§. 5. *De-*

§. 5. *Desertum locus est aptus ad vincendum ipsum dæmonem, qui in populorum frequentia est, Leuiathan, sociorum auxilio vincens.*

¶ 15. AD desertum meritò CHRISTVS trahitur, superaturus dæmonem, vt nos doceat, similem locum a nobis quærendum, si diabolum superare volumus. Tentatus est, vt ex Cyriano *a*, Augustino *b*, Diuus Thomas *c*, cæterisque Patribus dictum est, quatenus nobis vincēdi magisterium præberet: vt autem id præstaret, noluit (inquit D. Leo Papa *d*) illum vincere diuinitatis potestate, sed per ea media, quæ homini puro, quem instruebat, essent congruentia. Inter media autem homini puro necessaria ad victoriam, vnum est, fugere populorum, gentiumque mundanarum frequentiam, vbi diabolus magna pollet potestate, vbi non solus nos impetit, sed auxiliatoribus socijs comitatus. Quando homo aliquis habet inimicum validum, quem videt socios in sui adiutorium aduocasse, quibus comitatus incedit, timetne nec enim Hercules contra duos, quanto magis contra plures? Vt igitur commode illi possit resistere, ipsius occursum fugit in loco, quo socij ipsum comitantur, & ei auxiliari possunt, & ad illum trahere curat, in quo sociorum auxilio sit destitutus, vt solus cum solo congrediens, victoriam reportet, de qua poterat desperare, si ageret cum eo sociorum adiutorio munito. Inimicus noster diabolus est: *Aduersarius vester diabolus*, inquit Diuus Petrus. Et benè illum Deus, *Leuiathan* nomine descripsit, quod vt diximus significat, sibi copulans, aut associans; quia quos secum socios assumit, & copulat, mundum scilicet, & carnem, quos ad expugnandos nos secum trahit: adiutus siquidem violenti mundi vocibus, & iudicijs, & validis carnis motibus, ac affectibus, contra nos agit. Vicit certè Regem Achab adiutus vocibus Pseudo prophetarum, qui ibidem in Regis palatio commorabantur, quos in adiutorium sumpsit: deiecit Dauidem, adiutus carnis stimulis, & motibus, quibus eius spiritum cōculcauit. Hoc propterea timendū est, congredi cum illo vbi videmus talibus socijs munitum: nam tunc de victoria desperare possumus. Quomodo namq; diabolum vincere potest homo, qui mundanorum communione, & frequentia non egreditur, semper in publicis ludis, spectaculis, locis, perpetuò in plateis oberrans, speciem alienæ considerans eorum se adiungens consortio, qui nihil nisi terrena curant, vbi mundi leges æstimantur, & præualent, vbi caro commessationibus, & ebrietatibus tradita, liberè carnalia appetens, innumeris, acutisque stimulis spiritum pūgit? Quid faciet miser taurus, quātumcunque sit validus, & fortis, idcirco positus, & conclusus, qui spectatorum vocibus, insultationibus, & sibilis, conturbatur, & cursorum circumstantium se stimulis vique ad intima penetrantibus pungitur? Quid faciet spiritus hominis non fortis, sed infirmus, nullius virtutis excitatione munitus, inter mundanorum frequētiam positus, illorū sibilis, & vocibus perturbatus, & carnis aculeis stimulatus? His socijs adiutus diabolus, ferè semper securam habet victoriam. Ad vindictam ibi facilimè pertrahit, adiutus vocibus mundi, clamantis, vtilem & infamem esse hominem, qui vltionem de inimico non sumit. Ad auaritiam impellit, mundi sibilis, magnificantis tolummodo diuites, serpentis pauperes, & illum beatum iudicantis, cui facultatū abundantia subest, cuius ēt clamoribus adiutus in superbiā, & ambitionē miserè deijcit. Ad luxuriā similiter inclinat, p carnē libertati donatam, cibo, potuq; impinguatam, nescientē ieiunij frena, & mortificationis flagella non timentem. Vt ergo sācti viri inimicum iustum vincant, curant a socijs suis illum separare, & ad eum locum conuertere, in quo soli cum solo cōgrediantur. Propterea de-

a *De ieiun. & tentat. Christi.*
b *In Ps 90. & 4 de Tri ca. 13.*
c 3 p q. 41. art 1.
d *Serm. 1. & 2 Dom. 1. Quadr.*
1. Pet 5. 8.
3. Reg. vlt.
2. Reg. 11.

¶ 16.

ſerta petunt, ad quę mundus non peruenit, vbi & carnem vehementer macerant, vt diabolum ſociorum ſuorum deſtitutum adiutorio, vincant, & ſuperent. Hac de cauſa Eſaias deſertum, & ſolitudinem laudat, quod
Eſa 32.16. ibi ſit *ſecuritas vſque in ſempiternum*
Lib. 2 cont. Pelag. Irridet Pelagianos Beatus Hieronymus, quod aſſererent, hominem in medio ciuitatis poſitum, & quibuſque occaſionibus tentationum circumſeptum, facilè poſſe eaſdem ſuperare. Si namque hoc verum eſſet, inquit Hieronymus, cur ij, victores euadere cupierunt, deſerta petebant conſortia, cellulis ſe includebant, oculos claudebant, ne fœminas aſpicerent, aut pulchritudine auri incitarentur; occludebant aures, ne mundi voces auſcultarent? Et ad hoc inſtitutum illud obſeruare videtur, quod iuxta Septua
Zac. 9. 15. ginta dixit Zacharias: *Lapides ſancti voluuntur ſuper terram.* Sancti quippe viri, qui lapides dicuntur, ex quibus cœleſtis Ieruſalem extruitur, tanquam viuis ex lapidibus, dum in ſęculo manent, & terrarum loca inhabitant, in occaſionibus poſiti ſæpè voluuntur; ſicuti accidit Dauidi, dum in ſolario ciuitatis, & domus ſuæ conſpexit mulierem ſe lauantem: & Petro, domum Pontificis ingredienti, poſitoque in occaſione timoris. Quid igitur faciet, qui nondum lapidis fortitudinem eſt aſſecutus, ſed tanquam fragile lutum exiſtit, quod vel leuis ſtipula poterit penetrare? Optimè propterea clamat Spiritus ſanctus, inquit Hieronymus: *Ne circumſpicias in*
Eccl 9.7. *vicis ciuitatis, neque oberraueris in plateis illius, neque circumſpicias ſpeciem alienæ: auerte oculos à multere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam propter ſpeciem enim mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcet.* Nullum efficacius remedium ſulphureo pulueri conferuando, quam illum ab eo loco ſeparare, in quo ignis ſuccenditur, & ſcintillas multas emittit ardentes: qui enim fieri poterit, vt ab hac vel illa, non totus ſuccendatur, & pereat? Cõfidera diabolum, cum in magna frequentia te poſitum videt, ſtatim ſilice & ferro hinc, & inde percutientem, excitantem ſcintillas ardentes, quibus qui magis diſpoſitus es, quam ſulphureus puluis, ſuccedaris. Ex pecuniarum abundantia, quam vides micantes ſcintillas auaritiæ excutit; ex iniuria tibi illata, ſcintillas iræ excitat, quibus te accendat; ex alienæ circumſpectione, & ex conſpectione pulchritudinis illius, luxuriæ flammam extrahit, ex qua *concupiſcentia tua quaſi ignis ardeſcat.* In huius confirmationem expendit Beatus Auguſtinus, quod idem Sapiens clamauit; *Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.* Additque: nam, & Beatus Ioſeph, vt impudicam Dominam poſſet euadere, pallium quo apprehenſus erat, reliquit, & fugit. Videndus eſt Beatus Chryſoſtomus, qui ſæpè eloquentiſſime illud perpendit conſilium Spiritus ſancti, admonentis eum, qui in ciuitate aut hominum frequentia habitat: *Communionem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis*: quaſi eum alloquens, qui inter mundanorum frequentiam agit: Scito ibi communia eſſe mortis pericula, & quod iam cum morte habetur communicatio, quæ tam certa eſt, ſicut aui volanti inter laqueos multos, captura, & comprehenſio; & ei qui ambulat ſuper dolentium arma (in Græco, ſuper pinnacula) certum præcipitium. Chryſoſtomus lectionem Septuaginta ſequutus, ita legit: *Agnoſce quod in medio laqueorũ tranſis, & ſuper propugnaculis vrbium habitas*: quæ verba expendẽs, carnis (inquit) concupiſcẽtiæ, acrius inſurgunt aduerſus eos, qui in hominũ viuunt frequentia, quos & decora facies capit per oculos, & verbum obſcœnum per aures ingreſſum turbat nobis rationẽ frequẽter, &c. & iterũ ex profeſſo: Hoc (inquit) verbũ, ipſi in mente noſtra ſcribamus, & in memoria noſtra sẽper circũferamus, & nõ peccabimus. Nõ dixit aſpice, ſed *agnoſce*, quia obumbratus eſt laqueus, quãdoquidẽ nõ apertè mors apparet, neque manifeſta clades, ſed vndique obiecta adiacet. Multa itaq; opus eſt agnitione, & diligẽti ſcrutatione: ſicut nãq; pueri terræ laqueos, ſic diabolus

Libr. de honeſtate mulierum. to. 9.

Eccl. 9. 5.

Ho. 15. ad pop. & alibi.

Eccl. 9. 20.

¶ 17.

Hom. 3. in Lucam.

Hom 15. ad popul.

vitæ

vitæ voluptatibus peccata circumte
xit. Itaque perscrutemur diligenter,
si lucrum occurrit, ne lucrum a picias
solum, sed scrutare diligenter, ne fortè mors, & peccatum intra lucrum sit
absconditum: cum delectatio occurrit,
ne solam respicias, sed ne fortè aliqua
iniquitas in voluptatis profundo obumbrata sit: si honor se offerat, &c. Si
insuper vnus, aut duo laquei forent,
facilis esset custodia; sed ipsorum multitudinem Salomon ostendere volens
adiecit: *In medio laqueorum.* Vtrinque
nobis voragines, vtrinque doli. Hæc,
In Ps. 141. & alia latè Chrysostomus, quæ similiter annotauit Augustinus, eadem
Sapientis verba expendens. Ex quibus facilè intelliges; quam sit difficile, euadere illæsum, quem diabolus in medio seculi positum, impugnandum aggreditur, vbi adiutus carnis motibus, & mundi rumoribus, & iudicijs, tot, ac tantos laqueos vbique
tendit, vt difficillimum sit homini, ac
quasi impossibile, victorem omninò
euadere. Hæc egregiè Deus ipse depinxit, agens cum beato Iob, & explicans, quomodo aliquis omnibus laqueis liberetur, saluaturque: *Quis* (inquit)
Iob. 39. 5. *dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, & vocem exactoris non audit.*
Lib. 7. mo. c. 3. & l. 10. cap. 23. Onager, asinus est syluestris vt Beatus
Gregorius annotauit, animal notum
satis, cuius feracissima est Asia, & Afri-
Lib. 8. cap. 15. ca, vt Plinius scripsit. Sed quæres: Cur
magis de onagro, quam de alijs animalibus hæc dixerit Deus, quibus hæc
magis conuenire videntur, qualia sunt
ceruus, capreæ syluestres, vnicornis,
&c. hæc namque magis ab hominum
frequentia separata viuunt, & liberiora à vinculis manent, quippe quæ nũquam capta cicuriunt, & hominibus
non inseruiunt sicut onagri, de quibus
dixit Varro, eos captos mansuefieri, &
maximo capientibus vsui esse; præsertim ad seminationem, & agriculturã.
Sed hinc ego ducor, vt ab illorum
sensu sæpè discedam, qui cortici literæ nimis adhærent, quasi Deo maxima
cura esset de onagri libertate, & de solutione vinculorum eius, & de passu
illius esset valde solicitus. *Numquid de* 1. *Cor* 9. 9.
de bobus cura est Deo? inquit Apostolus
Cura quidem illi est, qui *aperiens ma-* *Psal.* 144.
num suam, omne animal implet benedi- 16.
ctione: & nec vnus passerculus cadit in *Ma.* 10. 29.
terram sine Patre vestro: non tamen
de illis præcipua cura, sed de ijs, quos
ipsorum voluit figura, & typo significare. Vnde similia animalia describens, sæpè dicit, quæ illis difficilè, ijs
verò, quos sub eorum nomine exprimit, mirificè congruunt. Onagrum ¶ 18.
propterea assumpsit, ad insigne mysterium explicandum. Onager enim
in Hebræo. Vocatur *Phere*, & quamuis פרא
hoc nomen absolute, feram omnem
syluestrem, fugientem hominum consortia significet, vnde fortè Latinum
feræ nomen deductum est: peculiariter tamen onagro tribuitur, quia nomen illud dicitur à verbo, *Pharad*,
quod est separare se, & diuidere: vt
idem sit Phere, quod solitarius, aut se
separans, & diuidens. Idcirco illi animali peculiariter tribuitur, cui iuxta
vulgarem opinionem solitudo gratissima est, & hæc illius maxima cura, se
ab hominum frequentia, & conuictu
separare, & diuidere: est animal timidum iuxta illud Poetæ, *Sæpe etiam cur-* *Virgilius*
su timidos agitabis Onagros: ideo nus- *Georgicon.*
quam se reputat securum, nisi in solitudine, ab omni hominum frequentia
semotum. Ideo Deus apud Ieremiam
illum à solitudine describit, vt Beatus
Gregorius annotat: *Onager assuetus in* *Lib. 16. mo.*
solitudine & apud Oseam dicitur: *Ona-* *cap. 23.*
ger solitarius sibi id est, qui solitudi- *Ier. 2. 24.*
nem tanquam suam, & sibi propriam *Osea. 8. 9.*
reputat. Effigitur animal, cuius præda
summopere leo delectatur, vt annotauit Albertus Magnus, quia Onagrum *Lib. de ani.*
vehementi odio prosequitur, & eius
esum gratissimum ducit. Quod, &
Spiritus sanctus docuisse visus est,
eum vocans venationem leonis, quia *Ecc. 13. 23.*
hæc leonis venatio suprema. *Venatio*,
inquit, *leonis Onager in eremo, sic, &*
pascua diuitum sunt pauperes. Tanquam
nihil ducit leo, alias feras capere, Onagri venationem in pretio, & delitijs habet. Ex eo tamen liber à vinculis, & laqueis venatorum, & leonis

insi-

infidijs manet Onager, quia iuxta nominis sui significationem ad solitudinem se recipit, & ab omnibus se separat. Optimè propterea eius typo Deus iustum descripsit, vt Beatus Gregorius contendit, primò quia semper est pauidus, & vbique sibi timet, & in ipsa securitate, vt inquit Gregorius, securũ se non reputat. Secundò quia ille est, cuius prædam rabidus leo vehementer exoptat, de quo Diuus Petrus: *Diabolus tanquam leo rugiens circuit, &c.* cuius faucibus hæc est suauissima esca, vt statim dicemus: quem hoc nomine Deus diligentissimè describẽdum assumpsit, nec enim iumenti nomen indecens est iusto, etiam sapientissimo, cum Dauid cuiusuis iusti nomine dixerit: *Vt iumentum factus sum apud te, &c.* Onagri autem epitethon egregiè ei quadrat, qui se separat, & diuidit ab hominum mundanorum frequentia, vbi laqueorum innumera multitudo expansa est, & ex hoc liber manet, quia se separat, & fugit loca, vbi laquei sunt extructi, & vbi diabolus tanquam leo rugiens insidias parat, singulari auiditate illum venari cupiens. *Quis*, inquit, *dimisit Onagrum liberum & vincula eius quis solvit*, id est, quis eum vinculis, & laqueis liberum seruauit? Deus est sine dubio, cuius fauore, & gratia id fit, hoc namque huiusmodi interrogatione voluit indicare, vt Beatus Gregorius sæpè annotat. Sed quomodo iustum Deus seruauit liberum? *Cui dedi*, inquit, *in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis, contemnit multitudinem ciuitatis.* Expende duo, quæ Deus facit, vt liber seruetur Onager à vinculis, primò ad solitudinem ducit, quam non transcurrim, sed permanenter inhabitet: *cui*, inquit, *dedi domum in solitudine*: secundo eius tabernaculum facit tanquam terram salsuginis. Quidam ad litteram, ideò hæc dicta credunt, quod Onagri nascantur, & viuant in Arabia, quæ solitaria maxime est, & ideò vocatur *Arabia deserta*, vbi herbis salsuginosis sustentantur. Sed, qui huius animalis naturam describunt, non hæc annotarunt, nec enim in Arabia sola viuunt, vt supra ex Plinio dictum est, nec salsuginosæ terræ solum herbis aluntur, quin potius vt Oppianus apud Æ lianum dixit, Onagri pastu aluntur herbarum, quas abunde fundit terra: quæ autem salsuginosa est, non abundanter fert herbas. Aliquid altius voluit Deus indicare: duo scilicet, quæ in iusto operatur, vt eum liberum seruet a laqueis, & vinculis diaboli. Primò eum separat à populorum frequentia, & mundanorum consortio, & multitudine ciuitatis: quo nomine impiorum, & carnalium cõgregationem intelligit, quorum infinitus est numerus. Pauci sunt in ciuitate, qui iusti etiam vndequaque teneant. *Circuite per vias Ierusalem*, inquit Dominus, *& quærite si inuenitis virum facientem iudicium, &c.* Hanc multitudinem contemnit, ac se separat, & mundum fugit. Deinde tabernaculum suum constituit in terra salsuginis. Si Deus de animali loqui vellet, ad quidnam tabernaculi nomen vsurparet, quod animalibus incongruum vtique est, & vt Beatus Bernardus annotauit, vocabulum est pastorale, militare, & castrense, in quo pastores, & milites commorantur, vel castrametantur, significatque habitaculum mobile, & instabile, vnde, & castra, aut tabernacula moueri dicuntur in Scriptura. De qua re egit Origenes, ad mores cõuertens, quæ de festo tabernaculorum Deus tractat. Nomen propterea est ad mysterium, quod Deus intendebat, explicandum, mire conueniens. Tabernaculum iusti est eius caro, vel corpus, in quo illius spiritus sicut in tabernaculo habitat, dicente Apostolorum principe: *Velox est depositio tabernaculi mei.* De quo argumento late loquitur Pineda, ostendens, aptè tabernaculi nomine humanum corpus exprimi. Hoc facit in terra salsuginis. Notum est, fertilem terram, & herbarum feracissimã, sterilem reddi, si salsuginosa fiat, & cõspergatur sale. Sic Deus reddidit *terram fructiferam in salsuginem*, quæ si aliquid profert, id minimum, & parui momenti. Est caro nostra terra, quæ abundantissime herbas illas noxias profert, quas Apostolus enumerat: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt impudicitia, ira, rixæ, contentiones, &c.*

Li. 30. Mo. ra. cap. 23. & seqq.

1. Pet. 5. 8.

Psa. 73. 23.

¶ 19.

Lib. 5. c. 22.

Ierem. 5. 1.

Ser. 26. in Cantica.

Hom. 25. in Num.

Leu. 23. 40

2. Pet. 1. 34.

In Iob.

Psl. 106. 34

per.

Gal. 5. 19 per salem mordentem pœnitentiæ, & mortificationis, hæc terra comprimitur, ne huiusmodi germinet, & proferat, quia corporali ieiunio Dominus vitia comprimit, &c. vt non validi, sed exiles motus insurgant, tabernaculumque spiritui in terra fuliginis propterea dare dicitur. His duobus auxiliatoribus diaboli remotis, facilè erit illum superare, & eius vincula, & laqueos euadere. Vnde subdit. *Et vocem exactoris, non audit.* Quis alius, inquit Gregorius nomine exactoris debet intelligi, nisi importunus ille persuasor, de quo dixit Dominus: *Et iudex tradet te exactori.* Huius vox est, tentatio miseræ suggestionis, quam qui mundum fugit, & carnem compressit, non audit, nec admittit, sed liberè repellit, valideque obstitit. Mundo namque relicto, & carne superata, inualidus hic exactor redditur, qui illis sociatus, vires quasi insuperabiles resumpserat. Idcirco igitur pauci sunt, qui huius euadant laqueos, liberosque se à vinculis peccatorum seruent, quia pauci sunt, qui se Onagros exhibeant, fugientes mundanorum consortium, & carnis lasciuiam comprimentes. Adhuc tamen non omnia expressa sunt, quæ Deus propositis verbis indicare contendit. Hoc siquidem quantum existimo, voluit explicare, quomodo iustum ille seruet liberum à peccatis, & à laqueis diaboli; *quibus multi captiui tenentur ad ipsius voluntatem*, & quomodo victorem illum contra huiusmodi exactorem faciat, hoc enim opus Dei est, qui triumphat, & vincit in nobis, & ab omni malo nos liberat, dicitque se id præstare, separando iustum a mundanorum consortio, & illius carnem mortificationis operibus comprimendo. Quærens namque: *Quis dimisit Onagrum liberum, & vincula eius quis soluit*, subdensque: *cui dedi in solitudine domum, &c.* voluit explicare, se per hæc media, illud operatum fuisse. Dices: Nunquid Deus non potest in media ciuitate conseruare iustum, & inter fluctus impiorum liberum seruare, qui arcam inter vndas aquarum seruauit illæsam diluuij tempore, & Danielem inter leonum ora, & dentes? Potest quidem, sed non vult Deus miracula facere, nec ab illo petenda, aut expectanda sunt, quando res secundum communem regulam, & cursum fieri possunt. Et verè miraculum esset, liberum seruare à vinculis diaboli hominem, implicatum carnalium, & mundanorum frequentiæ, & carnis desiderijs indulgentem.

Luc. 12. 32

2. Ti. 2. 26.

¶ 20.

§. 6. *Sapientis sententia de rapto à Deo quæ dicta sunt probat.*

¶ 21.

IN huius confirmationem sæpè consideraui, id quod dicitur de illo, qui inter peccatores erat, quem Deus liberare voluit: *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit eum educere de medio iniquitatum.* Beatus Ambrosius *a*, locum de Henoch intelligit, de quo Scriptura sacra dicit *b*, quod *placuit Deo, & ab illo raptus fuit* ante diluuium: quam sententiam sequutus fuit Sanctus Bernardus *c*. Plurima Sanctorum pars de aliquibus in particulari iustis intelligit, quos immatura morte Deus rapit, vt liberet à peccatis, quibus si in vita permanerent, inquinarentur. Ita Cyprianus *d*, Augustinus *e*, Prosper *f*, Fulgentius *g*. Paulinus *h*, Anastasius Niceus *i*, & ipse Bernardus *k*. Eo modo ij Sancti Patres istam sententiam exponunt sicut illam Isaiæ *l*: *A facie iniquitatis collectus est iustus*: de quibus supra dictum est. Sed siue de Henoch, siue de alio iusto sententia intelligatur, est magna expensione digna. Ante diluuium, quando iam incipiebat omnis caro corrumpere viam suam, vt Deus liberum seruaret Henoch, rapuit eum, & eduxit de medio iniquorum, aut verò sæpè Deus iustum aliquem, quem diligit, & ab æterno prædestinauit, immatuaa morte rapit, quia inter peccatores viuens, & peccatorum iniquitatum laqueis tandem comprehendendus

Sap. 4. 10.
a *in Psal. 4. & lib. 2. de Apol. Dauid c. 4. & ora fune. 2. de Obitu Satyri.*
b *Gen. 5. 24. & ad Heb. 11. 5.*
c *Serm. 3. Ascens.*
d *Li. de imm. & li. 3. ad Quirinum. c. 58.*
e *Epist. 115 & 107. & Serm 1. de cõsol mort.*
f *Li. de ingrat c. 32.*
g *Epist. 2. ad Gallam*
h *Epist. 35.*
i *Quæ. 17. in Script.*
K *Serm. 5. in Psalm. Qui habit.*
l *Esai. 57. 1*

dus erat, si in vita perstaret, ideò rapit eum Dominus. Nunquid non poterat Deus illum seruare incolumen, & illæsum, & si omnibus circundaretur iniquis, & iniquitatibus, & omnium peccatorum occasionibus esset circumseptus, sicut, & seruauit pueros Sanctos inter flammas ardentissimas fornacis, incombustos, & Danielem intactũ inter leones rabidos, & famelicos, & Israelitas alacres, & saluos inter maris undas, & profundissimas aquas, & arcam suam, & populum inter Iordanis fluenta rapidissima, cum ille aluei sui omnes ripas impleuisset? Certè tota terra Ægypti tenebris densissimis obscurata, seruauit Israelitas, ne obscurarentur, quibus erat lux maxima, clarissimaque, & eadem aqua, quæ Ægyptijs erat sanguis venenatus, Hebræis potum dulcissimum ministrabat: & gladius Angeli percutientis, qui Ægyptiorum primogenita vastabat, non tetigit illos, quos in media Ægypto seruãdos Deus decreuit. Cur igitur, vt seruaret Henoch, & seruet iustum inter peccatores constitutum, illum rapit, & inde extrahit, quem tam facilè ibi potest seruare immaculatum? Et expende vim illius verbi: *Propter hoc, properauit illum educere de medio iniquitatum*, id est, occasionum seculi, & societate iniquorum. *Properauit*, diligentiam adhibuit, festinauit, metaphora sumpta ab eo, qui vt rem periculo maximo expositam liberet, properat, currit, ne si se contineat, iam de illa actum sit. Obseruauit Beatus Augustinus, quæ circa arcam Noe facta, & scripta sunt, expendens, non illis assentiendum, qui Sanctæ Scripturæ historias, secundum nudam literam intelligendas, & explicandas assumunt, cum certum sit, nec illas Dominum ordinasse, nec scribi voluisse, nisi magno significationis sacramento, & mysterio. Potuit Deus diluuium missurus, humanum genus seruare sine arca, & rapere Noe, & filios eius, sicut rapuerat Henoch, seruandos toto tempore diluuij, restituendos post illud mundo, ad illius propagationem, potuit, & post illud, animalia de nouo condere, & hæc facilia multo in se essent, quam seruari per arcam tam ingentis magnitudinis, & constructuræ. Et dato, quod arcam fieri vellet, vt animalia etiam seruarentur, posset illa sine cibo seruare, toto tempore quo inclusa manerent, esset que facilius, quam iubere in arca cibos recondi, pro animalium sustentatione. Quis, inquit Augustinus, nisi mente peruersus, hæc facta, & tanta diligentia dictante Spiritu sancto scripta, & per tot annorum secula in Ecclesia conseruata credat, nisi aliquid spirituale vellet Deus per hęc corporalia facta, verba, & scripta demonstrare. Hæc latè circa arcam Noè prosequitur Augustinus, quæ eadem dicenda circa nostrum institutum censeo. Potuit Deus seruare Henoch inter improborum iniquitates, & in medio omnium occasionum, excitantium ad malum: potest, & iustum, quem diligit, inter peccatores constitutum, mũdum ab omni iniquitate seruare: voluit tamen illum rapere, & educere de medio iniquitatis, ad eum seruandum, idque tam singulari verborum pondere scribi, vt demõstret, quam sit necessarium, eum, qui vult laqueos diaboli effugere, & se ab illius vinculis seruare illæsum, fugere, mundanorum consortia, & occasiones seculi, in quibus Deus ipse, vt iustum seruet liberum, properat educere, & rapere. Potest itaque Deus inter laqueos mundi seruare iustum, immaculatum, & liberum, sed id quasi miraculum est. Quando Deus repleta terra Ægypti muscis, seruare voluit Israelitas ab illis liberos, rem miraculosam dixit se facturum: *Faciam*, inquit, *mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ*. Mirabilis, & miraculosa terra, quæ coniuncta ei, quæ muscis est plena, à muscis non læditur. Similiter quando vastante grandine greges, & possessiones Ægyptiorum, seruaturus erat greges, & possessiones Israelitarum, dixit, se rem mirabilem facturum. *Et faciet*, inquit, *Dominus mirabile inter possessiones Israel & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat, ex ijs quæ pertinent ad filios Israel.* Ipsemet Deus, in cuius conspectu nihil est mirabile, mirabile iudicat, liberum aliquem seruari inter eos, qui grandine va-

Lib. 15. de ciuit. c. 20. 27.

Exod. 8. 22.

¶ 22.

vastantur, & pereunt: quia verè nihil mirabilius videtur, quam hominem seruare liberum à laqueis diaboli, implicatum mundanorum consortio, & carnis delitijs deditum. Miracula autem magna non facit Deus sine necessitate, ideò vitam tenens communem, quam seruare vult, rapit, & extrahit à carnalium societate, & conuersatione, ducit ad solitudinem, & pœnitentiæ sale carnem eius comprimit. Quibus alludere visus est Dauid: *Scitote*, inquit, *quia mirificauit Dominus Sanctum suum*. In Hebreo verbum *Hiphlach*, quod significat seperare, & diuidere, & mirabilē facere: ideò Hieronymus, quem sequitur Pagninus, transtulit: *Scitote quia separauit Dominus sanctum suum*. Quem sanctum vult Deus facere, & monemque vincentem, separat Deus à mundanis rebus, conuersationibus, & spectaculis, vbi mundus diabolum adiuuans, multos laqueos homini parat. Et expende idem verbum, quo vsus est Dauid, significare mirificum, aut mirabilem facere, & separare, aut diuidere, quia non facit Deus Sanctos suos mirificos, & ipsi cœlo admirabiles, nisi separando eos à mundi consortio, & carnis voluptatibus. Quomodo fecit Apostolos mirificos, quomodo Paulum, nisi segregando, & separando eum à carne, & sanguine in Euangelij ministerium? Quomodo martyres fecit inclytos, nisi diuidendo eos ab effectu bonorum carnalium, & à mundi cōcupiscentijs, & calmoribus? Quomodo Anachoretas? quomodo Religiosos? quomodo denique Virgines præclaras? Idcirco *properauit*, inquit, *educere illum de medio iniquitatis*. Visus est etiam sapiens his verbis alludere voluisse ad illud, quod cum Beato Loth Angeli fecerunt: cui cùm præcepissent egredi de ciuitate, ignis ardentissimis flāmis succendenda: *Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & uxoris, ac filiarum, eo quod parceret ei Dominus, & eduxerunt que eum, & posuerunt extra ciuitatem*. Si parcere ei volebat Dominus, cur non illum inter flammas seruauit illæsum? quia miracula sine magna necessitate quærenda non sunt, nec expectanda. Si ergo Deus, quos vult mirabiles facere, victores diaboli efficere, & ab illius laqueis seruare, à mundanorum consortio, & frequentia populi educit, quia in occasionibus positos sine miraculo seruari non posse cognoscit: quomodo tu te illæsum seruace contendis, in mundo agens, mundanis rebus assistens, mundi voces auscultans? Si Deus saliuginosum reddit habitaculum iusti, id est, eius carnem pœnitentiæ, & mortificationis sale comprimit, vt liberum seruet, quomodo seruare poteris tu carnem delitijs, & voluptatibus roborans, & fœcundans, & vires eidem, vt contra te agat, submistrans. Illum qui liberari vult à damonis impulsibus, & incursionibus, admoneat Propheta, clamans. *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam*: & Angelus splendidissimus hortatur: *Exite de illa populus meus: vt ne participes sitis delictorum illius, & de plagis eius non accipiatis*. Non vult te, qui in mundo es, compellere, vt de mundo egrediaris, sed quod à mundanis rebus te separes, fugias domum, in qua ludo intenditur, spectacula in, quibus periculum tibi imminet, conuersationes, in quibus mundi leges æstimantur, & expendūtur, carnem comprimas abstinentiæ, & mortificationis sale, si enim diabolus his locijs destitutus fuerit, victus succumbet, & huius exactoris clamorem contemnere erit facillimum. Hæc ergo Christus cœlestis magister militiæ Christianæ præbere vult documenta, quem, vt vincat diabolum, separat Deus ab hominum frequentia, & valido ieiunio carnem eius infirmam reddit.

Psal. 4. ¶ 23. חסיד

Ier. 51. 6.

Apoc. 18. 4

Gen. 19. 16

§ 7. *Non*

§. 7. *Non tam curat diabolus persequi carnales, & mundanos, quàm Sanctos, quos Deus Iordanis nomine expressit.*

¶ 24. INter rationes, propter quas Christus tentari voluit, illam secundam ex Beato Ambrosio *a* tradidit Diuus Thomas *b*, vt diximus supra, quam, & insinuauit Hilarius *c*, vt nos cautos redderet, & doceret, cuique quantacunque sanctitate fulgenti, timendos esse diabolí incursus, qui illos validius expugnandos assumit, quos clariori vitæ sanctimonia videt fulgentes. Vnde Spiritus sanctus volens Christum à diabolo validè, fortiterq; tentari, eximiam Sanctitatis eius speciem illius oculis spectandam exhibuit, tum per ea, quæ in baptismo præcesserant, tum per egregia ieiunij, & mortificationis opera in deserto facta, vt hoc ipso diabolum prouocaret, eiusque auidam voluntatem capiendi, & deglutiendi Sanctos, excitaret. Piscator namque, qui piscem vult hamo comprehendere, oculis eius exhibet hamum opertum, illo cibi genere, quod piscis concupiscit, & appetit, & cuius conspectu efficaciter prouocatur, vt ad illud deglutiendum pleno ore se totum demittat. Vt ergo Deus Leuiathan, aut dæmonem capiat, Christum tanquam hamum oculis illius exponit, ita specie sanctitatis fulgidum, quæ offensa fuit in Iordane, super quem cœli aperti sunt, qui etiam in deserto operibus sanctis intenderet mortificationis, orationis, & ieunij, quia huiusmodi cibum ille vehementer appetit, de quo dixit Habacuc: *Habac. 1. 16.* *Cibus eius electus*. Hæc ratio fiet manifesta ex ijs, quæ Sancti Patres docent, diabolum nihil facere eos, quos videt impios, iniquos, & sceleratos, appetere autem viros Sanctos, & iustos, adeò vt eo ipso maiori appetitu, & pondere, ac effectu in aliquem feratur, quo eum viderit sanctiorem, Deo obsequentiorem, maioribus donis cœlestibus auctum, carnis domitorem, mundi cõtemptorem, &c. Ad hoc institutum expendit Beatus Gregorius illam difficilem quæstionẽ, quam Deus proposuit Iob: *Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram*. Circa quam, etsi multa obseruare possemus tam circa literæ contextum, quàm circa eius intelligentiã, hoc tantum nunc considerandum est, quod Beatus Gregorius annotat, aptè Deum hęc duo coniunxisse, sparsionem lucis è cœlo, & ardorem æstus super terram: nam hoc ipso, quod Deus è cœlo lumẽ spargit, quo aliquem illustrat, & fulgore sanctitatis clarum facit, mũdi rectores, aut principes tenebrarum, qui in terram missi dicuntur, rabido æstu inflammantur, accenduntur, atque excitantur, vt contra eum agant, & perdãt: & eo ipso, quod quis bonorum operum claritate lucet, æstus ardoris inuidiæ succendit dæmonem, vt varijs diuersisque modis illum expugnandũ assumat. Præcipua enim causa, vt sæpe demonstrauit Basilius, ob quam diabolus nos expugnare contendit, est inuidia: nec enim ferre potest, vt homo vilis vermiculus è puluere terræ conditus, ad eam perueniat beatitudinis, & gloriæ celsitudinem, quam ille, qui excellentiorem habet naturam, amisit. Id quod egregiè indicauit Sapiens: *Sicut perdix*, inquit, *inducitur in caueam, & vt capreæ in laqueum, sic & cor superborum*: vbi Græca: *Perdix capta in cauea, sic est cor superbi* Perdix capta, & cauea conclusa, tristatur affligiturque quodam naturæ pondere, quod libertate sua amissa, non possit montium latera, & cãpestria peruolare: ideoque naturali instinctu vidēs alias sui generis auiculas illa libertate quã ipsa perdidit perfruentes, quasi cuiusdã inuidiæ stimulis pũcta, & agitata, simili cauea cõcludere optat, & gestit. Vnde quo liberius eas per cãpestria videt incedẽtes, maiori conatu voces validas, ac varias edit, sonoroq; cãtu personat, mirũque est quã edat harmoniã, vt per eã alias quas videt lõgè positas, aut à se recedẽtes cõuocet, & sibi adũgat. Nec mirũ est, q; hoc Sapiẽs tribuat ¶ 25. perdici, cui Ieremias latrocinij insignem dolum de ea referat, vt alibi dicemus.

a Lib. 4. in Lucam.
b 3 p. q. 41 art. 1.
c Can. 3. in Matth.
29. Moral. cap. 14.
Iob. 38. 24.
Apoc. 12. 11.
Hom. 9. 11.
Eccl. 11. 32.
Ieremi. 17.

mus. *Ita*, inquit Sapiens, *cor ſuperbi*. Non ſuſtinet ſuperbus, qui corruit, & miſerè de excellenti decidit loco, concluſuſque carcere tenetur, videre alios ſtantes in ſublimi, & liberè incedentes, &c. Summè torquebatur Aman videns Mardochæum hominem communem, ſuffectum, vt principatus locum, quo ipſe deiectus erat, obtineret. Inter omnes ſuperbos diabolus principatum tenet, de quo ſub Leuiathan typo Deus loquens dixit: *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, ſicut, & Balæna, aut Leuiathan ſuper omnes piſces maris: ſeipſum autem videt libertate amiſſa, perpetuæ damnationis carceri addictũ, ſicut de illo ſub figura ceti dixit Iob: *Nunquid cete ego ſum, quia carcere concluſiſti me?* Vnde ſicut perdix circumſcripta cauea, mœros varioſque cantus edit, vt perdices, quæ libertate perfruuntur pertrahat, ſimili cauea concludendas; ita ſuperbiſſimus dæmon, quem perdicis nomine expreſſit Ieremias, de cœlo pulſus, & æterna damnatione, & pœna concluſus, & colligatus, innumeras voces, & cantus edit, varias, inquam, tentationes excitat, eos, quos videt ad cœlum tendere, deijcere cupiens; vt ſimilibus pœnis damnationis, quas ille patitur incluſus, comprehendãtur. Ideoq; quo aliquem videt magis cœleſtia petere, magis impetere curat, & cõtra eos virium ſuarum acies conuertit, nos videt cœleſti lumine illuſtratos, ſanctitate fulgentes, mundum fugientes, carnem caſtigantes. Mirum eſt, qua rabie ſuccenſi fuerint Chananæi, qui terrã repromiſſam incolebant, cum intellexerũt. Dei populum, ipſius virtute à poteſtate Pharaonis ereptum, & quod tendebat ad eam terram occupandam, quam ipſi paterno iure ſe poſſidere credebãt *Tunc*, inquit Moyſes, in illo triumphali Cantico, *Conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerũt omnes habitatores Chanaan.* Aptè Moyſes principes Edom inducit conturbatos. Edom vocat filios, & ſucceſſores Eſau; qui appellatus fuit Edom, ideſt, rufus, propter coctionẽ illam rufam lentium, quam appetiuit, pro qua primogenita vendidit. Quã ob cauſam *vocatum eſt nomen eius Edom*. Non itaque, inquit Rupertus, naturæ accidens color, quem à nativitate habuit, reprehenſus fuit, vt propter hoc tali vocabulo denotaretur præſertim cum, & Sanctus Dauid rufus fuerit, quod, & ſingulariter non ad vilipendium ſui Scriptura diuina deſcripſit, ſed animæ vitium, & immoderatus rufæ coctionis appetitus, qua de cauſa Deus illum cum vocat *contemptibilem, & paruulum*, qui cum maior natu honoratiorque eſſet, minor, & contemptibilis factus fuit. Quamuis autem hoc fuerit; cum tamen vidit reipſa Iacob vocatum à patre ad hæreditam, à qua ſe intuebatur excluſum, *fleuit, & irrugijt clamore magno*: indeque implacabile odium contra Iacob concepit, vt alibi diſtum eſt: nihilque illi execrabilius, quam videre, ſe à primogenitis excluſum, ad illa Iacob vocatum, admiſſumque. Hic liuor, & æmulatio Eſau contra Iacob manſit perpetuò in eius filijs, contra filios Iacob, nulloque acriori vulnere poterat cor eorũ amplius feriri, quam videndo filios Iacob minoris, ad ea poſſidenda vocatos, & procedentes, quæ ſibi ipſius iure maioratus, & primogenituræ debita credebant. Vnde ſicut quieti, & læti manebant, videntes filios Iacob in Ægypto concluſos, & ſub impio rege dura captiuitate oppreſſos, atque detentos; ita videntes illos à Deo fauore ſingulari de Ægypto deductos, & libertati donatos, & ad terram illam patribus repromiſſam poſſidendam directos, qua ſe excluſos conſpiciebant, *conturbati ſunt*. In Hebræo *Nibhalu*, à verbo *Cahal*, quod ſignificat tremere, turbare, ad modum furioſi agere, & inſurgere, ob nouum aliquem infauſtumque ſucceſſum: quomodo dicitur: *Et fama turbabit eum, ab Oriente, & Aquilone*. Ita illis accidit. Tunc namque ex vna conturbati ſunt tremore, & timore, ex alia, inuidiæ, & liuoris zelo exagitati, quaſi furioſos ſe ad arma capienda, & illos expugnandos cõuerterunt; illique maiori conatu, qui inter eos maiorem locum obtinebant, & excellentiores principes erant. *Tunc cõturbati ſunt principes Edõ.*

Gen.25.30 in Abdiã.

1.Reg.16. 12. & 17. 42.

Abdiæ verſ.2.

Gen.27.34

¶ 26.

נבהלו

Dan.11.44

Adhuc

Iob.41.25.

Iob.7.12.

Exo.15.15

Adhuc filij Iacob à terra repromissa longè distabant, multi erant gressus agendi, multa itinera terræque circuitus transeundi, & iam illi nimio zelo, liuoreque ardentes, se totos ad illos expugnandos, & iter eorum impediendum rabido furore conuerterunt. Idipsum dæmoni accidit, quem sub typo Edom, egregiè Scriptura sacra, Moyses ipse voluit declarare, cui primogenita debita videbantur; primo creatus, & quasi de vulua Dei procedens, cum gratia, & donis supernaturalibus, Beatitudinis iura, quasi primogenitus habuit. Cæterum propter vnam escam rufam, propter vnum propriæ excellentiæ appetitum, *Apoc.12.3* quo fuit succensus (qua de causa sub colore rufo fuit Ioanni demonstratus draco ille, inuidentiæ, & liuoris dolore concitatus) ius primogenituræ in hominem Deus transtulit: ideo nihil illi acerbius durius, quàm videre illum ad eam gloriam vocatum, qua ipse meritò fuit priuatus: liuore tunc, & odio ardet, furiosa ira succenditur. Vnde quando videt hominem miserâ captiuitate peccati, quasi in Ægypto detentum, non contra eum bellum mouet, quietus manet, quando videt aliquem carnis laqueis, & operibus carnalibus quasi in cœnosa Ægypto conclusum, aut duræ auaritiæ seruitute captum, aut superbiæ tyranni detentum; aut Ægyptijs ollis, peponum, carnium, & ceparum auidè suauiterque comedendis traditum. Quando autem videt hominem Dei potenti manu ex peccato eductum, & veræ libertati per diuinam gratiam restitutum, cœlestibusque donis, & fauoribus auctum, ad terram illam cœlestem repromissam procedentem, cuius possessionis iura ille amisit, tunc cõturbantur omnes principes Edom, & simili liuore, zelo, inuidia, & dolore, puncti, quo Edom, aut Esau contra Iacob, furore rabido, & ira furiosa, ac odio implacabili, ad eum expugnandum, & iter eius impediendum se conuertunt: non solum dæmones communes, & minores, sed principes Edom quos Apostolus vocat. *Principes tenebrarum* *ad Eph 6. 12.* *harum, & mundi rectores.* Hanc escã ille appetit, cui à mundi exordio data est terra in cibum, cuique dictum est, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* *Gen.3.14. & 27.* Terra vsque ad nauseam satiatus, cœlum appetit, aut cœlestes viros, aut quos cœlestibus donis videt fulgentes. Hæc confirmari, & explicari possunt ex duobus illis supremis animalibus Behemoth, & Leuiathan, idest, Elephanto, & Balæna, sub quorum typo ex professo Deus diabolum describit, vt sæpè dictum est. Agens namque primo de dæmone sub specie Elephanti, quem Behemoth vocat, eius insatiabilem sitim annotare volens: *Absorbebit*, inquit, *fluuium*, & *Iob.40.18.* *non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanus in os eius.* Quibus verbis Deus suo more agere primum de Elephanto videtur, sed ita statim transit ad dæmonem describendum, vt quæ subdit, non Elephanto, sed dæmoni conuenire possint. Habet quidem Elephantus insatiabilem sitim nec mirum, quia est corpore ingenti, & calore nimio abundat: vnde cum ad bibendum accedit, tanta auiditate, & insatiabili appetitu hausturn ingentem facit, vt quasi totum fluuium exhaurire velle videatur, de qua Aristoteles. Hanc propterea sitim egregia loquendi forma explicat Deus, dicens: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur*, id *Lib. 8. de hist. anim. cap. 9.* est, non pro magno ducet, non laborabit, vt id agat. Alij legunt, *Non festinabit*, id est, sine eo quod valdè laboret. Quod autem summè exoptat, sperat, & desiderat, est, Iordanem deglutire. Quibus verbis dæmonis affectum exprimit, non Elephantis: nam vt docet Aelianus, non solum *Lib. 14. c. 44.* non appetit Elephantus aquas claras, quales sunt aquæ Iordanis, sed eas fugit, & odio prosequitur. Claræ (inquit) aquæ potio Elephanto inimicissima est; turbulentam, & sordidam suauissimè bibit: & si ad flumen, aut ad fontem accesserit, non priusquam cœnum pedibus perturbarit, & pulchritudinem aquæ deformarit, ad hauriendam aquam incunbit. Hæc ille. Dæmonis ergo sitim nõ Elephanti, exprimere vult Deus. Et quidem vt egregiè, ac latè prosequitur Beatus *Li. 33. mor. c. 7 et seq.* Gregorius fluuij nomine, naturam huma-

humanam iniquorum egregiè describit, quæ procedens à primo illo fonte infecto Adam, quasi fluuius tendit ad mare, id est, mortem, & damnationem. Nomine autem Iordanis, intelligit viros sanctos, aut quia eos Iordanis vnda abluit, & sanctificauit, aut quia aquæ Iordanis sanctæ reputãtur, quas Deus tactu suæ mũdissimę carnis sãctificaturus erat, aut qa Iordanis, inquit Gregorius, dixeratq; Augustin. significat, descẽsum eorum: quod in sanctificatis completur, in quibus reperitur descensus diuinarum personarũ, dicente Domino: *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansiõnem apud eum faciemus.* Hicque descensus, considerari potest in Iordane: nam ibi descendere visus est Pater in voce, Filius in humanitate, & Spiritus sanctus in columbæ specie. Non ergo diabolus magnum facit, nec solitudine tenetur, vt deuoret auaros, superbos, iracundos, luxuriosos, qui naturæ corruptæ cursum sequentes, perenni cursu tendunt ad æternæ mortis mare. Quod summè exoptat, & quod vehementer appetit, est, deglutire iustos, & sanctos, in quibus diuinas personas habitare conspicit, quos diuinis donis cœlo delapsis plenos videt. Antiquus hostis, inquit B. Gregorius, hoc pro magno non habet, quod sub iure suæ tyrannidis, terrena quærentes tenet: Propheta quippe attestãte cognouimus, quia *esca eius electa.* Neque enim mirum putat, si eos absorbebat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia augustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluuiũ, & non mirabitur, quia pro magno non æstimat. cum eos deuorat, qui per ipsa vitæ suæ studia deorsum currunt. Sed illos magnopere rapere nititur, quos de spectis terrenis studijs iungi iam cœlestibus contemplatur. Ita Gregorius. Quibus, & illud quadrat, sicut expendit B. Hieronymus quod dixit Dominus: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ.* In cribro, inquit Euthymius, triticũ transfertur, concutitur, & cõfunditur: ideo cribare est, turbare, mouere, concitare. Theophilact: cribrare, est turbare, nocere, tentare. Hoc Satanas expetiuit, concupiuit, & appetijt: iam equidem Iudam, sacerdotes, scribas, Pharisæos, Iudæosq; absorbuerat, quos omnes tanquam fluuium ad mare perditionis fluentem, intuebatur: id non magnifaciebat: expetiuit tamen tanquam rem sibi gratissimam, & palato suo maxime delectabilẽ. Apostolos *Expetiuit vos*: Quid est *vos? Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis & ego dispono vobis &c. vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo & sedeatis super sedes &c.* Hoc, inquit Euthym. Satanas expetiuit cuius mos est, præstantiores expetere ad palæstram; hoc. n. ipso, quod aliquẽ videt Deo familiarem, eius donis illustrem, & ab ipso cõmendatum, summa fiti illum expetit: sicuti, & B. Iob docet historia. Cum namq; tunc totum mundum, quasi fluuium absorbuisse videretur; illud nõ pro magno ducebat, cõcupiscebat autem B. Iob (quem quasi Iordanem clarissimis aquis virtutum fluentem, à Deo videbat laudatum) deglutire, & expugnare, Ita, & Apostolos, quos vidit à Christo laudatos, quod secum permansissent in tentationib. & cœlestibus, ac diuinis promissionibus auctos sibi tum expetiuit, & appetijt. Optime Hier. cum prius Eustochium admoneret, illã famigeratissimam B. Petri vocem expendens: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiẽs, circuit quærens quem deuoret*, subdit: Non quęrit diabolus homines infideles, non eos qui foris sunt, & quorũ carnes Rex Assyrius in olla succendit (alludit ad c. 29. Ieremiæ) de Ecclesia Christi rapere testimat: *Esca eius*: secundum Habacuc, *electa sunt*. Iob iubuertere cupit: & deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem. Ita Hieronymus. De qua re videndus Origenes, qui late prosequitur diabolum nihili facere Gentiles, curatis vitijs traditos, sed singulariter desiderare baptizatos noua regeneratione natos deglutire, similem Pharaoni, qui pueros populi Dei, hoc ipso quod nascebãtur, & in lucem prodibant iuliocare, & perdere nitebatur.

In illud Ps. 41. de terra Iordanis,

Ioan. 14. 24.

¶ 28.

Habac. 1. 17.

Lib. 2. cont. Iouin.

Luc. 22. 31.

In c. 12. Lu.

Epist. 22. ad Eustoc.

1. Pet. 5. 1.

Hab. 1. 7.

Hom. 2. in Exod.

§. 8. *Caput diaboli dicitur esse in nauibus piscatorum, quia Sanctos capere principaliter intendit.*

¶ 29. HOc ipsum Deus latius statim prosequitur, agens de eodem dæmonione sub specie Leuiathan, aut Balænæ, & cũ in principio multa dicat, quæ cum in Balænam quadrãt, mirè dæmonis mores describi: vt cũ depingit Balænæ os, oculos, nares, squamas, supercilia, carnes, ossa; eius itidem actiones respicere, respirare, sternutare, incedere, &c. quædam tamẽ subinfert, quæ minus ꝓpriè possunt Balænæ cõuenire vt se de dæmone loqui demõstret, quæ & expendit B. Hieron. qui quod nostra vulgata legit: *Cor eius indurabitur, quasi malleatoris incus, cum sublatus fuerit timebunt Angeli, &c.* Ipse legit: *In nauibus piscatorum caput eius stat, sicut incus infatigabilis*: aliaque subdit Deus, quæ difficilè explicari possunt, nisi de dæmone ipso intelligantur *Sub ipso*, inquit *erunt radij Solis, & sternet sibi aurum quasi lutum*: Et post alia tandẽ subinfert: *Omne sublime videt.* Et vt intelligamus, non tam de Balæna, quam de dæmone loqui, concludit: *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Quasi dicat: Is de quo omnia, quæ prædixi intelligẽda volo, est Lucifer, qui dicitur Rex super omnes filios superbiæ: hunc describere volui, & exprimere curaui. De illo igitur optimè dicit: *in nauib. piscatorũ caput eius stat.* Prædixerat Deus inquit B. Hieron. *Saginantur in eo nationes Æthiophum, & partiuntur eum Phœnicum gentes*, quo indicare voluit diabolum habuisse quidem tanquam sui cultores Ætiophes, & Phœnices, sub quorum typo omnes gentium populos intellexit, qui saginabantur eo, quia eius cultu sustentabantur, & delectabantur, & pro delicijs habebant eidẽ obsequi: diciturq; diuisus, aut partitus inter eos, quia sub varijs figuris, & idolis eum colebant. Et sicut voluntas Patris æterni dicitur cibus Christi, hæcque data est ei in cibum, quoniam hanc ille curabat summè, & reuerebatur excellenter; ita diaboli voluntas, dicitur cibus gentiũ, quæ pro summis delicijs habebãt, dæmonis volũtatem perficere etiamsi esset cum iactura salutis propriæ, & vitæ filiorum suorum. Sed omnes eorum populos, quantumcunque sibi subditos, & obsequentes, non ille magnificiebat, non reputabat, aut tanquam rem gratissimam habebat: *Caput*, inquit, *eius in nauibus piscatorum stat.* Nulli dubium est, hoc seculum, maris nomine designari, in quo homines magnificiunt aurum, aut diuitias, & mundanum splendorẽ, & gloriam. Reperiuntur in mundo homines abundantes diuitijs, & fulgentes gloria mundana. Hos quidem nos magnificimus: sed ille, *Sternit subter se aurum tanquam lutum, & radij Solis sub eo sunt* quia nec diuitum facultates, nec mundanorum gloria, eius trahũt animum, aut excitant appetitum. Aut verò intelligit nomine auri, & radiorum Solis excellẽtes militum exercitus, qui omni armorum genere muniti procedãt, inter quos quidã reperiuntur, qui spectantium oculos rapiunt, aut quia ita auro repleti sũt, vt nihil in eis nisi aurum appareat, aut quia lucidissimis armis induti, radios solis à seipsis emittere videtur. Hos quidẽ magnificimus & hos contendunt apud homines inimici superare, & appetunt euincere: istos tamen ille parum curat. Et verè ¶ 30. credo hunc esse legitimum horũ verborum sensum, quod clarius patebit consideranti, Deum ibi voluisse exprimere, quomodo diabolus, nullos ex militibus corporalibus timeat incursus, qui nihil reputat omnia armorum genera, ferrea,ærea, argentea, vel aurea. Non ergo appetit ille hominem, quem videt diuitem, aut glorioſum in mũdo aut maxima corporis fortitudine præstantem: sed *caput*, inquit, *eius in nauibus piscatorum est.* Piscatores namque sunt Apostoli; & apostolici viri, qui omnia pro Christo reliquerunt, & se totaliter ipsius tradiderunt obsequio, quos Dominus vocauit, vt sequerentur se: in his est caput ipsius, id est, hos appetit, & concupiscit, vt

hos

Lib. 2 cont. 1 ou nõ longe à prin. Iob. 41. 15.

Ioan. 4. 34.

hos capiat, & ſubijcia, ita eſt eius tota mens, cogitatio, animus, *ſicut incus infatigabilis*: id eſt, abſque eo quod vel laſſitudine, vel labore frangatur. Hocque illud eſt, quod tandem ſubdit: *Omne ſublime videt oculus eius.* Videre, eſt attentè conſpicere rem, quam deſideramus, in qua oculos figimus: ſicut *videt mulier lignum, quod pulchrum eſſet viſu, & ſuaue ad veſcendum.* Non res infimas contemplatur, non rapiunt eius oculos homines perditi, & qui ſeipſos eidem tradiderunt; ſed in viros ſublimes, & quos excellentiori videt ſanctitate fulgere, maiori affectu infectatur. Optimè propterea dæmon vocatur phyrata; vt annotauit Chryſoſtomus: pyratis enim nulla cura eſt, inuadere nudam tabulam, aut ſuberis lignum, quod vident ſuper aquas natare, aut ſcapham conuulſam, & laceratam, vacuam, & quâ venti huc illucque ducunt: cum tamen vident nauem mercimonijs ditiſſimis onuſtam, aureis telis repletam, & plenam gente illuſtri, omnes cogitatus ſuos ad eam capiendam referunt, & conuertunt. Quemadmodum, inquit Chryſoſtomus, pyratæ, qui mare nauigijs infeſtant, non tunc, vbi conſpexerint naues è portu exeuntes inuaduut (quid enim fructus caperent, ſi ſcapham inanem demergerent?) ſed vbi redierint onuſtæ, plenæque ſarcinis, tunc demum, omnes expediunt artes; ita ſceleratus ille dæmon, ſimul atque videt aliquem multa collegiſſe, videlicet ieiunia, preces, eleemoſynam, caſtitatem, reliquaſque virtutes omnes, vbi viderit nauigium noſtrum eſſe plenum pretioſis pietatis lapidibus, tunc irrumpit, vndique theſauros perfodiens, vt in ipſis portus oſtijs ſcapham demergat, atque nudos nos ad portum deijciat. Ita ille. Quamdiu mulier illa peccatrix, per mare ciuitatis, tanquam ſcapha conuulſa, quouis vento ferebatur, non ipſam inſequi curabat: cum autem eam vidit ad pedes Chriſti propoſitam, vbi ditiſſimis theſauris, pretioſiſque monilibus onuſtam conſpexit, inſequi ſtatim toto pectore curauit, cõtra quã propterea excitauit Phariſæum murmuratorem, & ludam frementem, imò, & Martham reprehendentem. Non curat diabolus perſequi te, cum tu ipſe ad vitia procedis, & in peccatis iaces ei ſubiectus, cum te videt tanquam ſuberem ferri per mare, quouis vento, aut impulſu: cum tamen videt te egredientem è ſacello, in quo oraſti, aut à pedibus confeſſarij, vbi diuinam gratiam accepiſti; aut ex altaris pede prodeuntem, vbi pretioſum theſaurum Euchariſtiæ tuo condidiſti pectore, tunc appetit, & curat te inſequi, & quo maiores in virtute feceris progreſſus, eo maiori conatu curabit te expugnare. Hinc magna illa celebriſque viſio, quam habuit Antonius, quam Beatus Athanaſius refert. Quadam enim nocte cum Beatus Antonius ſuo eſſet incluſus habitaculo, audiuit vocem clamantem, & dicentem: Antoni, exurge, exi, & vide. Qui exurgens, & egreſſos, eleuatis ad cœlum oculis, vidit quendam hominem longum, atque terribilem, vſque ad nubes attollentem caput. Vidit inſuper aues multas ad cœlum volantes, & peruenire cupientes, quibus ille ſe opponebat, & manus extendebat, vt eas prohiberet, & in eas maiori conatu agebat, quas promixiores cœlo conſpiciebat. Et quidem quaſdam apprehendebat, & elidebat in terram, tuncque ſummo afficiebatur gaudio: aliàs autem cum retinere, aut impedire non poſſet, mœrore ſummo conficiebatur. Hæc cum aſpiceret Antonius, aliam vocem audiuit dicentem: Antoni animaduerte, quod vides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere, animarum eſſe conſcenſum, quem diabolus prohibere omnibus modis nititur. Qui nihil equidem curat eos, quos in terra iacentes pecudum more videt, ſed quos conſpicit in modum auium ſe ſupra terram eleuare, & per eximia opera ad cœlum tendere, manus, & vires ſuas conuertit, vt eos ad vitiorum ima deijciat. Ex doctrina illa explicat egregiè Beatus Gregorius, explicaueratque prius Origenes, ſententiam quam Iſraelitæ dixerunt, forte, inquit Origenes, neſcientes quid dicerent, ſicuti Caiphas. Certè quandiu Iſraelitæ in Ægypto quietè permanebant, nullamque repromiſſæ

Gen. 3. 6.

Hom 3 in verba Eſa. Vidi Dom. & Hom. 1. de Ozia.

¶ 31.

In vita Ant. p. 650

Li. 29. Moral. cap. 1. Hom. 3. in Exo. circa finem.

terræ referebant memoriam, nec aliquatenus egredi de Aegypto cogitabant, nullatenus gladium contra eos arripuit Pharao, quos quietè possidebat, tenebatque subditos, comedentes ollas carnium, pepones, cepas, & allia. Cum verò Deus illos misericorditer aspexit, excitauitq; vt de egressu Aegypti cogitarent, & terrâ Promissionis concupiscerent, & cœperunt
Exod. 5. 3. clamare: *Eamus in solitudinem, vt sacrificemus Domino Deo nostro.* hæc ipsa vel sola vox, animum Pharaonis commouit, vt summa rabie contra eos agere inciperet: imo, & hæc sola sufficiens fuit, quæ gladiũ poneret in manu eius, vt eos ingenti persequeretur furore. Quod conspicientes Israelitæ contra Moysen, & Aaron voces querulas emittere cœperunt, dicentes:
Exod. 5. 21 *Videat Dominus & iudicet; quia fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius* idest, odiosos nos reddidistis eis, hoc ipso quod de egressu nostro tractare cœpistis. metaphora sumpta ab eo, qui rem fœtentem sustinere non potest: *Et præbuistis ei gladium, vt occidat nos,* quia hęc fuit occasio, vt gladium contra nos arripiat, & ad persequendum nos se totum conuertat, videre, quod egressum de Ægypto cogitamus. Imo, & Moyses ipse *reuersus ad Dominum,* dixit: *Cur Domine afflixisti populum istum, ex eo enim quod ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum.* Hæc occasio quæ illum excitauit, vt fureret in populum tuum. Ita sane cum diabolus videt homines quietam in peccato vitam agere, & tantum intendere facere appetitus carnis, traditos operibus lutis qui nec curant à peccato exire, nec vlla cœlestis patriæ memoria excitantur, nullatenus contra eos agere curat: cũ vero à Deo excitatos videt ad supernam patriam aspirare, & diabolicæ seruitutis iugũ velle excutere, hoc ipso maximè mouetur, vt illos subiectos teneat, & ab incepta virtutis via reuocet. Quæ omnia ad hoc idem institutum expendit Sanctus Bernardus, hortans eos, qui Dei obsequio se tradiderunt, quod hoc ipso se præparẽt ad resistendum impugnationibus diaboli,
Serm. 18. in Cant.

quæ, & Cassianus expenderat: obseruauerantque omnes sancti Patres, cõsiderantes illud: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, stà in timore, &c.* De quibus D. Thomas: quæ statim latius prosequemur. Ex his patet, cur tu nullas sentias dæmonis tentationes: te enim pyrata iste contemnit tanquam lignũ vile, & inutile, quem super aquas natare videt, quem omnis ventus huc, illucque circumfert: nulla cura ad te retinendum agitur, dum videt, te nullatenus de exitu à peccato cogitare, per quod pacificè, tanquam rem suam te possidet.
Lib. 21. c. 28.
Eccl. 2. 1.
3. par q. 41 art. 1. & 2. ad 2.

§. 9. *Desertum locus est aptus ad virtutum opera, quibus diabolus prouocatur ad pugnam: ideo aptus etiam ad congrediendum cum eo.*

¶ 32.

ALiam rationem, aut potius superioris explicationem possemus annotare, cur Spiritus sanctus Christum in desertum duxerit, cum vellet eum à diabolo tentari, quia videlicet desertum, vt dixit Beatus Ambrosius, locus est proprius, in quo diabolus ad certamen vocatur, & prouocatur ad pugnam: quia tunc quis ad pugnam excitatur, aut prouocatur, quãdo aliquis contra eum agit, cum scilicet contra eum gladium stringit, iacit sagittam, aut manum mouet. Quãtumcunque namque quis cum alio congredi recusat, si videt alterum cõtra se mouere manum, aut colaphum impingere, hoc ipso se ad pugnam prouocatum agnoscit, succenditurque ira, & ad eum qui se percussit expugnandum, conuertit. Contra diabolum tunc aliquis verè agit, quãdo orationi vacat, aut ieiunio carnem conficit, aut cæteris operibus sanctis intendit; cum se totum Deo tradit, & in Deum tota mente conuertit. Cũ enim tale aliquid agit, quasi sagittam mittet transfigẽtem intima dæmonis, & quasi colapho illum percutit. Id quod egregiè Paulus indicauit, sua egregia virtutũ opera referens. *Ego sic pugno, nõ quasi aerem verberans, sed castigo*
Lib. 4. in Lucam.
1. Cor. 9. 19

stigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Idcirco cum manus contra meam carnem conuerto, per ieiunium, & mortificationem, & cum castigo corpus meum, non in aerem, aut in vanum ictus iacio, quin potius gladium contra diabolum stringo, & eum percutio. Vnde illud intelligitur, quod
Eccl.2.1. supra citatum est: *Fili accedens ad seruitutẽ Dei sta in timore & prepara animam tuam ad tentationem*. Hoc ipso quod Deo obsequeris, agnosce te diabolum prouocasse, qui se percussum videt opere sanctitatis, non minus quam Goliath lapide, quem Dauid contra ipsum coniecit. Locus autem aptissimus ad hæc opera sancta, quibus diabolum percutimus, & vulneramus, desertum est, & solitudo. Ibi oratio feruens, ibi contemplatio quieta, ibi contemptus seculi, ibi ieiunium
Esa.32.16 validum, &c. *Habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmel sedebit, & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentiũ, & securitas in sempiter-*
Li.3.anti- *num*. Carmelus mons est Galilææ,
quit.c.ap.4 vt dixit Iosephus, sæpissimeque indicant Scripturæ sacræ, ad quem tanquam ad desertum quietissimum se recipiebant Elias, & Eliæus, eorumque discipuli, qui Prophetarum filij dicebantur. Iudicium, quia propriè loquendo, vt dixit Diuus Thomas, est
2.2.q.60. art.1. actus iustitiæ, reddentis vnicuique quod suum est, significat id, quod quisque agere tenetur, tam erga Deum, quam erga seipsum, quamque erga proximũ. Clamat autem sæpè Deus tale iudiciũ in ciuitatibus, & populorum turmis minimè inuenit: *Circuite*, inquit, *vias*
Item.5.1. *Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Quod si etiam, Viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt, &c. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, & ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui: & ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula, &c.* similiter, & conqueritur, quod iudicium, & veritas quasi exulare de ciuitatibus videatur: *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi & facta est veritas in obliuionem, & qui recessit à malo prædæ patuit*. Egregijs rethoricis tropis, & figuris, Propheta, aut Deus per Prophetam, rem quam intendit, declarat, loquens de iudicio, iustitia, veritate, & æquitate tanquam de personis habentibus mentem, & sensum, & per seipsas agentibus, *Conuersum est*, inquit, *retrorsum iudicium*. In Scriptura, vt annotat Sanctus Basilius, conuerti retrosum tunc aliquis dicitur, quando procedens ad aliquid agendum, tam valida, potentique manu expellitur, vt cogatur fugiens locum deserere, & eodem itinere quo venerat, confusus regredi; quomodo accidit Regi Senacherib, qui ingenti exercitu coacto, progressus ad Ierosolymam occupandam, conuerti retrorsum coactus fuit, dicente Deo:
4 Reg.19. *Non ingredietur vrbem hanc, neque mittet contra eam sagittam, &c per viam, qua venit reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur*. Ita Dauid petebat:
Psal.34.4. *Auertãtur retrorsum, & confundantur*, id est, confusi regredi cogantur. Et
Psal.39.15. *conuertantur retrorsum & reuertantur, qui volunt mihi mala*. Aut verò, conuerti retrorsum dicitur is, qui cum maximo in pretio prius haberetur, fulgens potentia, & diuitijs, ab illo statu decidit, & in tantum venit contemptum, vt nullus iam ad eum oculos conuertere dignetur: quomodo dixit Ieremias de Ierusalem: *Ipsa au-*
Thre.18.13 *tem gemens, conuersa est retrorsum*. Conuertum est (inquit) retrorsum iudicium, quia progrediebatur illud, vt ciuitatem occuparet, in qua res æquè, & secundum regulam debitam componeret, & ordinaret: tantam tamen ibi inuenit malitiæ, & iniquitatis vim, & potentiam, vt confusum regredi fuerit coactum, totum campum dimittens iniquitati, vt liberè agat. Conuersum est etiam retrorsum, quia à suo nobili glorioso que statu decidens, in omnium venit contemptum, vt nullus sit, qui oculos ad illum conuertat. *Et iustitia longè stetit*. Quando aliquis desiderat, ad aliquem locum accedere, qui violen-

Esa 59.14 ¶ 33. Sch in Ps. 34 & 39.

ter detinetur, & nullatenus ei appropinquare permittitur, à longè stans, locum defixis oculis considerat: quomodo qui nauigant mare, & ad terram applicare nituntur, quos ventorum impetus impedit, & continet ne terræ appropinquent, illam à longe conspiciunt. Quomodo filij Prophetarum vidêtes Eliam, & Elisæum trâseuntes Iordanem super pallium, non audentes accedere ad fluuij decursus,
4. *Reg* 27. *steterunt è contra longe*, ne raperentur aquarum valido impetu. Aut verò qui ciuitatem succendi videt, quam liberare non potest, à longe stat, non audens appropinquare, quem flammarum ardor, & vis repellit. Iustitia à longe stat, quam impetus iniustitiæ, & impietatis continet, ne ad ciuitatem appropinquare possit: videt iustum opprimi, innocentem damnari, viduam affligi; appropinquare vult, & nititur, sed potentium impetuosi flatus, & impulsus non permit
Dan. 2. 7. tunt, quos tanquam ventos vidit Daniel, impetu furioso perflantes; videt totam ciuitatem acribus concupiscentiæ flammis ardentem, per quas violent a infertur pauperi, vis pupillo, iniuria egeno, iniustitia iusto: vellet illa appropinquare, sed ardent, flammæ, quas temperare non potest, impediunt: ideo stat à longè, sicuti Petrus non audens appropinquare ad defendêdum Christum, & amici Dauidis ad ei præstandum auxilium, de quibus
Psal. 37. 11 dicit: *Amici mei, & proximi mei de longe steterunt*. Idcirco liberè iniusti iustos vexant, potentes deuorant pauperes, viduæ bonis spoliantur, virgines ad impudicitiam trahuntur, quia stetit à longe iustitia. *Corruit in platea veritas*. Egregia certè loquendi
פ. נשׁר phrasis. In Hebræo verbum, *Chasal*, quod dicitur verè, & proprie, cum quis simpliciter, & sine cautela impetu procedês, impingit in aliquid, quod fortè iam ibi erat, aut ab antiquo latenter appositum fuit, quo faciem lædit, oculos profundit, lucem amittit, caditque, & corruit. Ita comminatus fuerat Deus, in illos, qui rebelles sibi
¶ 34. extitissent, quod illorum pedibus offendiculo, quo impingerent posito, casuri essent, & ruituri. Illam namque vim in Hebræo habet illud: *Corruent singuli in fratres suos*; Ita, & apud Nahum minatur, hic se impleturum ciuitatis plateas cadaueribus mortuorum, quod *corruent*, id est, impingent, *in corporibus suis*. Inducit Propheta veritatem plateam ingredientem, cuius est simpliciter planè progredi, & cõfidenter, quia qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: sed ibi statim pedibus eius opponuntur lapides, mendacia inquam dura, doli, fraudes, machinæ, garrulationes, quibus illa impingit, & oculos, ac lucem mittit, & perdit, & quasi confusa, se in abdita recipit: id enim significat, quod subdit Propheta: *Et veritas facta est in oblivionem*. Verbum siquidem Hebraum, vt noster annotat Forerius, propriè significat, in angustum redigi, & veluti domi præ confusione recludi: vnde, & alij transtulerunt: *Et est veritas collecta, & recessit à malo expoliata, aut direpta*: metaphora sumpta à virgine pudorata, & pudica, quam in platea inuaserũt impudici prædones, & spoliarunt, nudamque reliquerunt, quæ nihil magis curat, quam fugere, & se abscondere. Ita veritas, &c. *Æquitas nõ potuit ingredi*. Æquitatem vocat id, quod rectum est, & regulæ conforme, quod alij vertunt, rectum, aut rectitudo: hæc ingredi non potuit ciuitatem. Cõsiderat illam Propheta, quasi conantem ingredi, & omnia ad ingressum media tentantem, & nulla sibi patuit via. Talibus sæpè muris, portis, vectibus, seris, & militum præsidijs clausa tenetur ciuitas, vt quantũcunque quis ingredi procuret, nõ possit: ex hac parte impediunt mœnia, ex illa portæ firmissimis vectibus conclusæ; ex alia milites prohibentes ingressũ, & ita ciuitas munita, & clausa est, ne æquitas, aut rectitudo ingredi possit, vt quocunque illa se vertat, viam omnem occlusam inueniat: nam tot sunt fraudes furta, periuria, violentiæ, vt vix, ac ne vix quidem pateat ei, quod rectum est, & iustum, ingressus. *Nec enim defecit de plateis vsura, & dolus*. Hæc omnia a semetipso comprobata profitetur Deus, qui eos prouocat, vt accedant ad audiendam sententiã, quam ferre ipse decreuit,

Leu 26. 37

Nahum. 3. 3.

in cap. 57.

Psal. 54. 12

uit, visis omnibus quæ in ciuitatibus terræ reperiuntur. *Audite*, inquit Prophe-
Ose.4.1. ta, *verbum Domini filij Israel: quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ.* Quasi dicens: *si omnis terra confue-*
3. Reg.10. *bat ad audiendam Salomonis sapientiam* & currebant omnes, vt audirent iudicium, quod, circa causam aliquam erat prolaturus, accedite nunc, vt audiatis sapiẽtiam Dei, & iudicium, quod prolaturus est in causa, quæ coram eo pendet, circa habitatores terræ, id est, qui morãtur in ciuitatibus, & oppidis mũdi. Id namque significat vox, *iudicium*, sentẽtiam, quã omnibus pensatis quis
¶ 35. profert. Quæ est ergo sententia, quam Deus ille supremus iudex, qui fallere nec falli potest, circa illos profert? *Non est veritas.* Omnia plena sunt dolis, & fraudibus: *Non est misericordia*, omnia crudelitate redundant: *Non est scientia Dei in terra.* Scientia ad decipiendum proximũ, ad augẽdas opes, ad sequẽ a desideria omnes abundant; sed scientia ad seruiendum Deo, ad virtutum opera, carent: *Maledictum, & mendacium, & homicidiũ, & furtum, & adulterium, inundauerũt, sanguis sanguinem tetigit.* Hinc fit, vt sæpè Sancti viri, qui verum iudicium facere cupiunt, & veritatem quærunt, sanctitatemque concupiscũt, ad deserta se conferre procurent. *Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum?* Dicebat Ieremias *& relinquam*
Ierę 9.2. *populum meum & recedam ab eis. Quia omnes adulteri sunt, cœtus prauaricatorum &c.* Nec mirum. *Nam habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit* Verbum sedendi, indicat ex professo habitare, aut permanere: ex quo dicẽdi modo explicat Augustinus
Ser. 119 de tem. illud, quod dicitur de Christo: *Sedet à*
Marc. vlt. *dextris Dei:* de quo alibi. Si aliquando iustitia in mũdo reperiatur, illud quidem est raptim, & per transcursum, quam impediũt innumeri doli, fraudes impietates, obligationes, quibus quisque clamat se tantum ad ea, quæ status sui sunt curanda; & quam plurimæ occupationes, & seculi occasiones, vt si quis orare velit, non possit nisi raptim; & si bonũ agere, id faciat transcursim, impeditus varijs curis, solicitudinibusque, quas Christus spinis pugentibus, & suffocantibus triticum comparauit, quia sicut impossibile est aliquẽ quietum permanere, quem spinæ pungunt, *Luc.8. 14.* & triticum referre fructum abundantem, quem spinarũ copia in agro suffocatsita impossibile est, quietè diuinis occupationibus vacare, & cum abundanti fructu, dũ seculi solicitudinibus, & curis aliquis angitur, pungitur, & eius mens quasi suffocata tenetur, vt aliò diuertere nõ possit. In deserto autem, seu solitudine, potest quis cum gustu, & suauitate, quietè, & ex professo intẽdere orationi, meditationi, ieiunio conseruare pacem, & quietẽ conscientiæ. Moyses, qui Deum videbat (inquit *Epist.82.* Ambrosius) solus extra castra habebat *ad Ecc. vercellens ad* tabernaculum, quãdo loquebatur cum *finem.* Deo, & hostiarum, quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur, quia nemo intra huius mundi vitia positus peccatum deponit. Alludit Ambrosius ad id, quood præcipiebat Deus, vt animalia quæ pro peccato offerenda erant, ad altare adducerentur, quia vt quis peccata à se effũdat, & expellat, quæ sanguinis nomine Scriptura sacra exprimit, à mundanis rebus superari, & ad altaria, in quibus Dauid quietem inueniebat, se conuertere debet. Obseruãs etiam idem Ambrosius, *Ibidem.*
quomodo Elias fugiens pericula, ad so- *3. Reg 19.*
litudinem se recepit, vbi Angelus eum cibo, & potu roborauit. Duratus igitur inquit, ad patientiam est, solitudinum incolatu, & tanquam pastus ad virtutis adipem agresti alimento, processit fortior. Ioannes quoque in deserto adoleuit, & Dominũ baptizauit, & conscẽtiam illic prius exercuit, vt postea Regem increparet, quoniam in deserto roboratur spiritus, &c. Ibi Sancti noctes diebus orando iungebant, absqueo quod aliquis ab oratione impediret: ibi ad superna mentem eleuabãt, & quasi choris Angelorum, vt Hieronymus de *Epi. 22. ad* ipso dixit interesse videbantur: ibi *Eustoch. de* patienter ferebant omnium rerum se- *cust. virg.* culi inopiam, & cum solo CHRISTO se ditissimos reputabant: ibi mundi contemptus perfectus, cum eorum spiritus *eleuabatur tanquam aquila, & in arduis ponebat nidum suum, &c.* Ibi in terra solo corpore constituti, cogitatione, & auiditate in æterna patria commorabantur, in quibus id

compleatur, quod de onagro Deus dixit *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis:* Quod aliter, quam supra expositum est, explicari potest si annotemus, salsuginis terram dici posse illam, quæ herbas fert lepidas, sapidasque, quibus oues, & armenta auidissimè reficiuntur, quas magna cum delectatione carpunt, quia in solitudine orationis, & contemplationis, ac cœlestis desiderij opera producuntur, quibus animus iusti suauissimè pascitur, sapidissimeque reficitur: nec enim credendum est, opera sanctorum qui mundi fugiunt consortia, insipida esse, sed potius salsissima, sapidissimaque. Hæc autem omnia sunt quædam valida iacula, quæ dæmonis præcordia transfigunt, gladij quibus illius viscera petunt, & lapides, qui rabidi canis ora contundunt. Ideirco namque, qui terram cernens de longe, in deserto, & solitudine talia agit, dicitur lapidibus, & saxis munitus, & circundatus. *Isa. 33. 16. Iste*, inquit, *in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius:* quia eiusmodi opera lapides quidam sunt præualidi, quos in diabolum proijcit. Propterea, (vt annotat Diuus Thomas *a*, ex Ambrosio *b*, quod, & Chrysostomus *c*, eisdem docuit verbis) diabolus maximè obseruat eos, qui ad desertum se recipiunt: nam hoc ipso, quod videt aliquem solitariam vitam arripere, vt orationibus, ieiunijs, ac aliis sanctis operibus intendat, seipsum ad pugnam prouocatum intelligit. Hinc tot dæmonum careruæ contra Beatum Antonium egressæ sunt, eo ipso quod desertum petiit; & quo ad secretiora deserta se recipiebat: eo maiores dæmonum insultus videbat cõtra se paratos, vt in eius vita annotauit Athanasius. Quod similiter D. Benedicto accidit, alijsque innumeris, qui eremiticam vitam elegerunt. Eo ipso, quod mirabilis mulier illa in cœlum se recepit, vbi apparuit *amicta Sole & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim* visum est statim aliud signũ in eodem cœlo: *Ecce enim draco magnus & rufus habens capita septem, & cornua decem, & c. Et stetit ante mulierẽ, quæ erat paritura filium, vt cum peperisset, filiũ eius* *Iob 32. 6.* *devoraret.* Quid namque cœli nomine nisi desertum, & solitudinem intelligimus, vbi homo seipsum abscondit, & celat, vt liberè possit Deo vacare? Anima quæ se ad hoc cœlum recepit, cœlesti luce illustratur, & mundana omnia (quorum typum Luna tenet) conculcat, & cœlestibus cogitationibus, & desiderijs, tanquam stellis radiantibus caput eius splendet. Ibi nititur parere opera bona, quæ concepit Deo inspirante; si ibi intendit mortificare carnem & vigilias tenere, terrena contemnere, &c. Opera inquam, in quorum partu dolores sentit. Opera enim virtutum difficilia sunt, quorum parturitio dolorem carni affert. Sed ecce hoc ipso draco seipsum prouocatum intelligit, ideoque subito ibidem assistit, *habens capita septem, & cornua decem.* Id est, omnibus astutijs, & viribus munitus, vt mulierem impugnet, partũque omnino absumat. Hoc ipso, quod te ad solitudinem receperis, aut oratorium ingressus fueris, vt ibi tanquam in cœlo teipsum Deo tradas, & hoc ipso, quod conuersationem mundanam fugere cœperis, & operibus sanctis edẽdis tradideris, statim expectandus est inimicus, qui omnibus viribus contendat tui animi affectus bonos deuorare. Nihil ille curat, quos videt in terra sedẽtes, id est, terrenis rebus inhærentes qui dicere possunt: *Adhæsit in terra vẽter noster*, quibus, et id cõuenit, quod dixit Christus: *Qui de terra est, de terra loquitur.* Quos quasi ad cœlum euectos videt, appetit, & impetere tot is viribus contendit.

Psa. 43. 25 *Ioan. 3. 31.*

a 3. 3. q. 41 art. 2.
b Lib. 4. in Lucam.
c Ho. 13. in Matt.

§. 10. *Bene Sponsa, cum describitur pulcha sicut Ierusalē, describitur etiam terribilis, vt castrorum acies.*

¶ 37. HInc intelligemus verba cœlestis Sponsi, amorem quo flagrabat, redolentia, Sponsam alioquentis, *Cant. 6. 3.* *Pulchra es amica mea, suauis, & decora tanquam Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quæ variè, ac diuersè admodum SS. PP. exponũt, propter ambiguitatem vocis Hebrææ *Tirsah*. Ita enim in Hebræo habetur: *Pulchra es amica mea sicut Tirsah, & decora sicut Ierusalem*. Tirsah, duo significat, primo ciuitatem quandam speciosissimam, & pulcherrimam in terra Iuda, quam noster Vulgatus vocat Thersa, quæ regalis iam erat, quando Israelitæ ingressi sunt terram Promissionis, cuius Regem cum alijs illius terræ Regibus interfecit Iosue: *Iosue 12. 24.* regaliſq; postea habita fuit, ideo cum Regnum Israel tempore Roboam diuisum fuit à Regno Iuda, sicut Reges Iuda habitabant in Ierusalem, tanquam in Regia ciuitate, ita Reges Israel in ciuitate Tirsah, ibi primus Rex Israel Ieroboam, vbi domus eius dicitur *a*, constituta: illius itidem successor Basa *b*, in qua postquam regnauit, sepultus fuit *c*. Ibidem sedem habuit Ela, filius Baasa, qui ei in Regno successit *d*. Ibi qui post illum regnauit Zambri, &c. Brixianus *g*, putat fuisse Tribu Gad, quia dicitur *h*, ex illa processisse Manahem, Regem, Israel, filium Gadi. Volens ergo Sponsus diuinus eximiam Sponsæ suæ pulchritudinem, elegantiam formæ, & venustatem exprimere, & indicare, nihil in ea reperiri, quod non regale esset, maiestateque Regia dignum, imo in ea omne quod regale excellentissimumque est, ac Regio splendore dignum, inueniri, duabus illis Regijs ciuitatibus pulcherrimis, quæ in Palæstina erant, Thersa, & Ierusalem, eam comparauit. Hunc sensum Hebræi probant, signanter Auẽ Ezras: nec est omninò incongruus. Secundò significat Thirsah, beneplacitum, à verbo *Rasah*, quod significat placere, diligere, gratum habere, quomodo dicitur *a*: *Pater in filio complacet sibi*: Et *b*, *placuerunt illi lapides eius*: Et *c*, *Asser sit placens fratribus suis*. Hanc significationem sequuntur Septuaginta, qui vocem Thirsah, transtulerunt voce Græca Eudocia, quæ beneplacitum significat, aut rem, in qua summè complacemus, quomodo dixit Dauid: *Beneplacitum est Domino super timentes eum*. Et Paulus: *Non in pluribus eorũ beneplacitũ*: Quo Euthymius *d*, Paternam illam vocem explicat *e*: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Iuxta hunc sensũ vult Sponsus indicare, quam grata Sponsa eius oculis esset, quasi dicat: Pulchra es in oculis meis amica mea, in qua propter decorem, & pulchritudinem complaceo, & beneplacitum est mihi, sicut in Ierusalem. Ita sancti Patres Græci explicant, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Psellus, Philo Carpathius Episcopus; ita, & ex Latinis D. Ambrosius. Laudatur, inquit, Sponsa à sponso, quæ iam non solum soror dicitur, sed, & beneplacita nominatur, quasi ei complacita, qui cõplacuit Patri. Ita, & ex Hebræis R. Selemoh, qui ita tantulit: Pulchra es amica mea, quæ beneplacita es mihi, decora sicut Ierusalem. Alludere videtur Salomon ad illud, quod frequentissimè vocatur Ierusalem, ciuitas à Deo electa, in qua beneplacitum illi erat habitare. Commune regibus fuit, ædificare sibi ciuitatem suis moribus conuenientem, in qua gratissime habitarent. Ita Ieroboam factus Rex: *Ædificauit Sichem in monte Ephraim*: Erat enim ipse Ephrateus, & *habitauit ibi*. Similiter, & Nabuchodonosor Babylonem reædificauit, quam tam gratanter habitabat, vt in aula Babylonis deambulans, sibi in illa ciuitate complacens diceret. *Nonne hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui, in domum Regni, & robore fortitudinis meæ?* Deus supremus Rex in mũdo habere voluit ciuitatẽ Regiã, in qua gratissimè habitaret: illa fuit Ierusalẽ, quæ

a 3. *Reg* 14. 12. 17.
b 3. *Reg.* 15 21. 23.
c 3 *Reg.* 16 9
d 3 *Reg.* 16 6.
e 3. *Reg* 16 15 17
f 3. *Reg* 16. 23.
g *In arca tom.* 2. *fol.* 287
h 4. *Reg.* 15 17.

Ezras: nec est omninò incongruus. Secundò significat Thirsah, beneplacitum, à verbo *Rasah*, quod significat רצה
placere, diligere, gratum habere, a *Prou.* 3. 12.
quomodo dicitur *a*: *Pater in filio complacet sibi*: Et *b*, *placuerunt illi lapides* b *Psal* 101 13.
eius: Et *c*, *Asser sit placens fratribus* c *Deut.* 33. 24.
suis. Hanc significationem sequuntur
Septuaginta, qui vocem Thirsah, transtulerunt voce Græca Eudocia, quæ
beneplacitum significat, aut rem, in
qua summè complacemus, quomodo
dixit Dauid: *Beneplacitum est Domino* *Psal.* 145.
super timentes eum. Et Paulus: *Non in* 11. 1. *Cor.*
pluribus eorũ beneplacitũ: Quo Euthy- 10. 15.
mius *d*, Paternam illam vocem explicat *e*: *Hic est filius meus dilectus, in quo* *e in cap.* 3.
mihi bene complacui. Iuxta hunc sensũ *Matth.*
vult Sponsus indicare, quam grata *d Matth.*
Sponsa eius oculis esset, quasi dicat: 3. 17.
Pulchra es in oculis meis amica mea,
in qua propter decorem, & pulchritudinem complaceo, & beneplacitum est
mihi, sicut in Ierusalem. Ita sancti Pa- *in c. 6. Cãt.*
tres Græci explicant, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Psellus, Philo
Carpathius Episcopus; ita, & ex Latinis D. Ambrosius. Laudatur, inquit, *L. de Isaac*
Sponsa à sponso, quæ iam non solum *& anim. c. 7.*
soror dicitur, sed, & beneplacita nominatur, quasi ei complacita, qui cõplacuit Patri. Ita, & ex Hebræis R.
Selemoh, qui ita tantulit: Pulchra es
amica mea, quæ beneplacita es mihi,
decora sicut Ierusalem. Alludere videtur Salomon ad illud, quod frequentissimè vocatur Ierusalem, ciuitas à
Deo electa, in qua beneplacitum illi
erat habitare. Commune regibus
fuit, ædificare sibi ciuitatem suis moribus conuenientem, in qua gratissime habitarent. Ita Ieroboam factus
Rex: *Ædificauit Sichem in monte E-* *3. Reg.* 12.
phraim: Erat enim ipse Ephrateus, & 25.
habitauit ibi. Similiter, & Nabuchodonosor Babylonem reædificauit, quam
tam gratanter habitabat, vt in aula
Babylonis deambulans, sibi in illa
ciuitate complacens diceret. *Nonne* ¶ 38.
hæc est Babylon magna, quã ego ædifica- *Dan.* 4. 27.
ui, in domum Regni, & robore fortitudinis meæ? Deus supremus Rex in mũdo habere voluit ciuitatẽ Regiã, in qua gratissimè habitaret: illa fuit Ierusalẽ,

quæ

quæ propterea in Scriptura vocatur
3. Reg. 8. 16 & 48 & 3 Reg. 1. 1. 3 & 36 & alibi sæpè. *Dei electa ciuitas*, de qua Dauid ex professo: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitũ est Deo, habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem.* Loquitur de monte
Ps. 67. 16. Sion, super quem Ierusalem ædificata fuit, quem vocat Montem coagulatum. Dictio Hebræa, & Græca à caseo dicitur, vnde Euthymius vertendum dicit:
In Psal. 67. Mons caseatus, & Augustinus, Mõs incaseatus, quasi caseo conspersus: Hilarius, montes caseatos, vt significetur abundantia butyri, & casei, præ pinguedine terræ. Montem etiam pinguem vocat: in Hebræo, Bassan, qui fertilissimus erat, ad illius fertilitatem exprimendam. In hoc monte, inquit, beneplacitum est Deo, habitare in eo, quia ciuitatem ibi extrui voluit, in qua regni sui sedes, quæ templum erat, collocaretur. *Etenim Dominus habitabit in finẽ.* Tam benepacitam habuit hanc habitationem, vt in perpetuum ibi sit habitaturus. Hæc verius per allegoriam sunt exponenda, de quibus alibi. Hoc supposito rectè Sponsi verba intelliguntur. *Pulchra es*, inquit, *amica mea*, & beneplacita mihi propter decorem, sicut Ierusalem: sicut enim illa est electa ciuitas, in qua beneplaceo habitare, gratissimam habitationem, placidamque mãsionem habeo, ita, & in te, tecum viuere, tecum commorari, conuersari, in corde tuo requiescere. Ex quibus possumus aliquatenus considerare, animæ iustæ, & sanctæ, quam sibi Deus Sponsam assumpsit, excellentiam, in qua is, quem cœli cœlorum capere non possunt, gratissimam ducit habitationem, & beneplacitũ est Deo habitare in eo,
Ioan. 14. 23. de quo dixit Christus: *Si quis diligit me, &c. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc Deus in delicijs habet, hoc sibi suaue, & beneplacitum, in iusto habitare, cum eo conuersari, colloqui, & permanere in eius corde, tanquam in sublimi Regni sui sede, nec vnquam Rex aliquis tam gratè, & suauiter in aliquo Regno suo, quam Deus in anima iusti habitat: quæ pro-
Hom. 38. in Euang. pterea, vt Diuus Gregorius annotauit, dicitur; *Regnum Cœlorum, & Cœlum, & Sedes sapientiæ.* Hæc si expendas, animæ sanctæ fœlicem sortem poteris ponderare. Sed si talis illa est, quomodo additur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quod, & iterum post pauca verba repetit. Ierusalem ciuitas est pacis, vt nomine suo indicat. Salem enim, pax est. Et quoniam Deus, *non dissensionis, sed pacis Deus est*, talem ciuitatem, quæ pax vocaretur, elegit, de qua Dauid: *In pace* (in Hebræo Salem) *factus est locus eius, & habitatio eius in Sion.* Sion mons excelsus erat, cuius vertex videbatur locus ab omnium inferiorum, perturbatione quietus, & alienus: idcirco habitatio eius in Sion, in excelso, in pace. Talis est locus, in quo Sponsus suauiter, quietèque requiescit, qui dicit; *Lectulus noster floridus.* Quomodo igitur, dicens Sponsam esse sibi beneplacitam ad quiescẽdum, & habitandum sicut Ierusalem, addidit: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* In Hebræo, nomen fœmininũ *Aiumah*, quod nusquam alibi in Scriptura sacra reperitur, & significat terribilem, formidabilem, horribilem, horrorem cæteris incutientem, & tam paratam ad bellum, vt vexillum habeat eleuatum. Vnde Theodoretus legit, *terrorem injiciens*: Pagninus: *castra cum vexillis*: alij: *terribilis vt vexillata*, id est, vt castra, quę vexillo eleuato ad bellum prouocant, & procedunt. Si sicut Ierusalem pacifica ad habitationem Sponsi beneplacita est, quomodo terribilis, & terrorem incutiens. Diuus Gre
Ora. 15. in Cant. gorius Nyssenus confitetur, rem esse hanc difficilem ad explicandum, sed quæ nostrum institutum elegantissimè declarat. Videtur namque Salomon alludisse ad id, quod de ciuitate Ierusalem Dauid, pater illius præcinuerat,
Psal. 47. quod egregiè Beatus Basilius explicat. Dicit Dauid, Deũ ædificasse super montem Sion, ciuitatem Ierusalem, quæ ciuitas Dei nostri, & ciuitas Regis magni vocaretur, in qua habitationis suę sedẽ beneplacitam haberet: qui statim, vt ioquit Basilius, Aquilonis meminit, quo-
Sch. in Ps. 47. niam illinc continuò, exoriebantur ipsorum Barbarorum belli, & Propheræ continuò Aquilonis Regem exponentes, & ollam ex ea orbis regione ardentem describserunt. Illuc enim

Per-

1. Cor. 14. 33.

Psal. 75. 3.

Cant. 1. 16

ענמה

In cap. 16. Can. ¶ 39.

Perſarum ſita eſt regio reſpectu Paleſtinę, Babyloniæ, Chaldæę, Syriæ, vnde inſurgebant Reges inimici, Ieroſolymam expugnaturi. Hęc egregiè Dauid proſequitur. *Magnus*, inquit, *Dominus & laudabilis nimis*. Multis nominibus & rationibus innumeris, laude
Eccl.43.33 digna eſt, imò & *maior omni laude*: peculiariter autem *in ciuitate Dei noſtri*, quam ædificauit in monte Sancto eius. Ædificata fuit Ieruſalem, vt diximus, in monte Sion, qui altior erat omnibus alijs montibus circumſtantibus, qui propterea dictus eſt Sion, id eſt, ſpecula, aut Moria, id eſt, locus conſpicuus, & excelſus. Idcirco in Scripturis ſanctis dicitur *Cornu*, quod eſt in animalibus eminentius & altius. *Vinea*, inquit, *facta eſt dilectio in cornu*, id eſt, in monte Sion. *Piſſolet*, id eſt, vberi & pingui. Propter eandem cauſam dicitur Ieruſa
Eſa 5.2. lem, *filia Sion*, quia ex monte Sion oriri videbatur, ſuper quem erat fundata, & extructa. Hæc ciuitas Dei noſtri, *fundatur exultatione vniuerſæ terræ*, quia iam homines Deum in peculiari loco habitatem conſpiciunt, locumque ſciunt, ad quem recurrere poſſint, quãdo ſacrificium offerre, aut vota emiſſa adimplere, & peculiares orationes fundere voluerint. Sed eo ipſo quod ſupra illum mõtem ciuitas extollebatur, impetenda exponebatur flatibus frigidiſſimis Aquilonis: *Latera Aquilonis ciuitas Regis magni*, id eſt, hæc ciuitas excelſa Regis magni, latera expoſita habuit, ad Aquilonem, illius vehemẽtiſſimis flatibus impetenda. Expende vim loquutionis. Huius enim ciuitatis latera, eo ipſo quod eminebant, & ex fortiſſimis lapidibus erant conſtructa, Aquiloni ſe repræſentabant, illum ad flatus potentiſſimos contra ſe emittẽdos, quaſi prouocabant. Hoc, vt ex Baſilio, annotabamus, ideò dixit Dauid, quia Reges terræ, ſignanter illi, qui ad Aquilonem reſpectu illius ciuitatis erãt, viſu illius ciuitatis, pulchritudinis, & firmitatis eius, quaſi inde prouocati, acre bellum contra illam excitarunt: i-
2.Para.14 deoque ſubdit: *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum.* Quod Propheticè dicit, propter ea quę facta ſunt, cum tempore Regis Aſa cõtra eam Æthiopes, decies centenis millibus venerunt, & tempore Regis Ioſaphat, Moabitæ, & Ammonitæ innumeras copias traxerunt, & tempore Regis Ezechiæ, cum Senacherib, innumerabili militum exercitu Ieroſolymam circundedit, qui tamen omnes fracti ſunt, & territi. Deo ciuitatem ſuam protegẽte, & occidentes nocte vna centum octoginta quinque mille virorum exercitus Regis Aſſyriorum. *Ipſi propterea videntes ſic, admirati ſunt, conturbati ſunt, tremor apprehendit eos, ibi dolores vt parturientis, &c.* His igitur Salomon allusiſſe vitus eſt, diuini Sponſi erga Sponſam amatoria verba exponens. Pulchra es amica mea, & ſuauis, aut beneplacita mihi, ad habitandum, & quieſcendum, propter decorem, ſicut Ieruſalem. Ecce anima iuſti, beneplacita Deo ſicut Ieruſalem, ædificata ſuper montem excelſum, quia terrena reliquit, mundana contemnit, ad altiora ſe euehit, ſuper montem Sion, id eſt, ſpeculam, conſtituit oculos, ab inferioribus auertens, ad ſuperna contemplãda eligens. Ex hoc ergo, beneplacitum Sponſi habitaculum, Sponſa fit, quod mundana, & inferiora deſerens, ad ſuperna, & ſublimia procedit, & in montem Sion ſe collocat, vbi tanquam ex ſpecula poſſit cœleſtia contemplari, vbi tanquam Ieruſalem ex ſanctis meditationibus, orationibus, ieiunijs, vigilijs, &c. tanquam ex viuis lapidibus, vitæ ſuæ latera extruit, & erigit: quæ hoc ipſo ad Aquilonem expoſita patent, ipſumque quaſi prouocant, vt ſuis vehementiſſimis, frigidiſſimiſque flatibus impetenda aſſumat. Notum eſt, Aquilonis nomine, dæmonem in ſcripturis exprimi, vt Auguſtinus *a*, hæc expendens annotat, & obſeruarat Diuus Hieronymus *b*: nam hoc ipſo, quod homo mundum relinquit, ſecularia fugit, altiora loca contemplationi apta tenet, deſertum incolit, & quaſi ſupra montem Sion ſe conſtituit, vt Dei beneplacitum fiat habitaculum, ſeipſum exponit flatibus vehementibus, ideſt, validis tentationum incurſionibus impetendum, & illa opera ſunt, quaſi vexillum quod eleuat, illum ad bellum aduocans, & prouocans: idem namque

2.Para.20 *4.Reg.19.* ¶ 40.

a *In Pſ 47*
b *In ca 40. Ezech.*

que est, ad desertum se recipere, & ibi operibus sanctis incumbere, quod ad arma signum dare, & tympanis resonare, quibus se diabolus prouocatum intelligit. Hoc experiuntur, qui mundana fugiunt, à secularibus se abstinent, & carnalibus desiderijs renuntiant, qualis erat Paulus, qui acri bello se perpetuò impetitum clamabat, qualis Dauid, qui iugem incursionem hostiũ se pati dicebat, tales Sancti omnes, qui piè viuere volentes in Christo, varijs sunt persecutionibus agitati, talis, & Christus Dominus, quem cum Deus vellet tentari, in desertum duxit, ieiunijs, vigilijs, & orationibus intentũ, vt hoc ipso Aquilonem ad illum tentandum prouocaret. Hinc intelliges cur tentationes nõ sentias, nec diaboli impugnationibus affligaris. Quia si tu nec minimum lapidem contra eum mittis, nec vllo bono opere sanctoue prouocas, sed quæ ei sunt placita perpetuò agis, quomodo ab illo impugnandus es? Si perpetuò manes in locis, vbi ipse regnat, obsequia illi grata perficiens, quid contra te aget? Si cum detractoribus perpetuò sedens, proximò detrahis, & cupiditatibus seculi traditus, quæ diabolus suggerere posset, tu quasi illum præoccupans, quæris, quidnam contra te debet mouere? Certè nihil minus ille curat, quam contra te bellum agere, quem quietum dimittis, cui nihil contra te agenti, magis te offers subiectum, quam si te acri bello impeteret. Nec serpens ipse contra eum excitatur, qui illum nulla ratione vrget.

§. II. *Docet Christus, primum armorum genus quo muniendi sumus, esse assistentiam Spiritus sancti, cuius inuictam virtutem exposuit Isaias.*

¶ 41. DVctus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Videsne Dauid Regem Saul, Principem Ionathã, & inclytos Israel Sagittis Philistinorum vulneratos, cecidisse in montibus Gelboe, statim initio regni sui *præcepit filijs Israel, vt addiscerent artem sagittandi*, qua se possent tueri à Philistinorum acutis sagittis. Omnes homines incipientes ab Adam, cadebant dejecti, & vulnerati sagittis dæmonum venenatis, necessarium nobis erat, artem sagittandi addiscere, per quam possemus eius telis resistere. Hanc vt doceret venit Christus Dominus, qui ideò in desertum ducitur, postquã cõmendatus fuit à Patre in Baptismo, vt ipso suo opere, & exemplo nos doceat, qualiter muniri debeamus, vt harum sagittarum vim valeamus infirmare. Poterat, inquit Augustinus *a*, à se diabolum prohibere, sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium nõ præberet, si ille (inquit idem *b*,) non vinceret, quomodo discerres tu cum tentatore pugnare. Ideo ducitur, inquit D. Petrus Chrysologus *c*, vt vincendi formam largiretur. Hodie (inquit *d*) Christus Rex noster, cõmilitones suos de Euangelico allocutus est tribunali, inimicorum dolos prodidit, & conatus, vbi, & quando, & quomodo confligendum sit, nobis triumphali constitutione signauit. Nunc in deserto Christus est (inquit Ambrosius) agit hominem, instruit, informat, exercet, vide ergo arma Christi, quibus tibi, non sibi vicit. Hæc omnia, inquit Chrysostomus, propter te facta sunt: æmulare hanc, atque imitare victoriam. Sacer propterea Euangelista, statim in principio, arma qui-

2 *Reg.* 1. 18.

a *In Ps.* 60.

b *in Ps.* 90. *Conc.* 2.

c *Serm.* 12.

d *Serm.* 13.

Lib. 4. *in Lucam.*

Hom. 13. *in Matth.*

quibus Christus munitus incessit, curauit exprimere, vt ad eadem resumenda nos excitaret. Ad victoriam namque reportandam, summè conducunt arma opportuna. Hæc prima Saulis cura, cùm Dauid seipsum obtulit pugnaturum cum Golia, *imposuit enim galeã æream super caput eius, & vestiuit eum lorica*: & Dauid ipse, arma quæ sibi minus congrua agnouit, reliquit, & lapides limpidissimos elegit, quos iudicauit aptos ad Gigantem deijciendum. Duo autem armorum genera insinuat Euangelista, quibus Christus Dominus se muniuit, & armauit. Vnum ex parte Dei, assistentia scilicet Spiritus sancti, eius virtus, & fauor, alterum ex parte sui, validum scilicet, asperumque ieiunium. Primum armorum genus exprimit dicens: *Ductus est Iesus à Spiritu*: vult namque dicere, vt annotauit Cyrillus, Spiritus virtute armatus, supra humanæ naturæ conditionem incessit, aut vt Cyprianus, ductus est à Spiritu, id est Spiritu sancto duce, & comite. Itaque fauorem Spiritus sancti, eius motum, impulsum virtutem, dona, secum ducebat, quo fauore armati incedunt filij Dei, de quibus Paulus: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Vnde, & optime Euangelista vocat, *spiritum*, inquit Christus, *est qui viuificat* roborat, vires suggerit, & confortat, Spiritus ergo Sancti fauore Christus munitur. Nunquid non ipse potens erat, omnes inimici vires absque aliquo labore confringere, qui est virtus Patris, omniaque portat verbo virtutis suæ. Solus, inquit Beatus Petrus Chrysologus, poterat obtinere victoriam, propter nos tamen, & nostram formidinem, adesse tota iussit præsidia de supernis, vt ea nobis necessaria omnibus modis intelligamus. Fuit Pelagianorum præcipua hæresis, asserentium, hominem posse omnes diaboli incursus viribus proprijs superare, absque peculiari Spiritus sancti fauore, vt sæpè refe runt sancti Patres, signanter Beatus Augustinus, cuius præcipuum institutum fuit, hunc errorem reuincere, & Hieronymus peculiaribus libris cõtra Pelagianos editis. Nobis autem tanquam certissimum Catholicæ fidei dogma supponendum est, primum armorum genus, quo nos oportet muniri ad dæmonem vincendum, esse diuinum fauorem, & gratiam, quam propterea, inquit Basilius, die ac nocte, implorare debemus, orantes, & dicentes: *Deus in adiutorium meum intende.* Edidit Beatus Basilius quasdam Homilias de baptismo, in quibus multa scitu digna explicat de baptismo, & eius effectu, quoniam autem notum est, diabolum statim mouere bellum contra baptizatos, aliam subdidit Homiliam, cui titulũ suppositit: *Quod sine diuina virtute, & gratia nullus possit resistere Satanæ.* Vnde, & ita incipit: Quibus inest diuina lex, non atramento, & literis inscripta, sed Spiritu Dei viuentis, nec tabulis lapideis impressa, sed tabulis cordis carnalibus insita, illi mentis oculi illuminati exactè sciunt, quam impossibile sit proprijs viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat, Qui Verbi Dei honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero se putant arbitrio peccati occasiones inanire posse, &c. Vt hanc doctrinam Basilius cõfirmet, varia Scripturæ sacræ loca expendit. Certe dicturus Dauid de viro iusto, quod superaturus esset diaboli impugnationes: *Super aspidem*, inquit, *& basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*: suppositit prius, illum munitum diuino adiutorio, & cœlesti Spiritus sancti protectione: *Qui habitat*, inquit, *in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commoratur.* Impossibile namque, inquit Basilius, est ambulare super aspidem, & basiliscum, & conculcare leonem, & draconem, qui non prius seipsum quatenus homini possibile est, repurgauit, vt possit corroborari à eo, qui Apostolis dixit: *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* Si humana natura extra Spiritus sancti panopliã, diaboli insidijs resistere posset, vtique ab Apostolo dictum non esset: *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris breui.* Ex quibus infert, meritò Christum Dominum, quãdo docuit nos orare, & quid petere deberemus, iussisse precari, non solum

1. *Reg* 17. 38.

Li. 2. *de Fide ad Reginas* § *de Christi sanctifica.*

Li de ieiu. & tentat. Christi.

Rom. 8. 14.

Ioan. 6. 64.

Serm. 13.

¶ 42.

Homil. de Bap. p. 230

Habetur pag. 253.

Psal. 90.

Luc. 10. 19.

Rom. 16. 20.

ne ingrediamur in tentationem, sed vt liberet nos à malo, id est, diabolo, à quo fine Dei fauore liberari non possumus. Itaque qui diuinæ, inquit, gloriæ particeps esse cupit, opus habet, vt ex omni corde, ac virtute noctes, ac dies diuinæ potentiæ auxilium ambiat. Hoc ipsum ex professo demonstrare assumpsit Hieronymus, in cuius confirmationem expendit verba Christi Domini dicentis ad Petrum: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, &c. ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Nam si in Apostoli potestate situm erat, vt si voluisset non deficeret fides eius, quid opus fuit, Christum sua oratione cœleste auxilium implorare? In quibusdam etiam, inquit, exemplaribus tam Græcis, quam Latinis inuenitur, scribente Luca: *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*: Haud dubium quin Dominum Saluatorem, *& factus in agonia prolixius orabat, factusque est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Saluator in passione ab Angelo confortatur, & Critobolus meus (inquit Hieronymus, ironicè Critobolum pro Pelagij persona supponens) non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrij potestatem, & tam vehementer ille orabat, vt guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione futurus. Qui tali se oratione ante certamen munit, demonstrauit apertè, quo affectu, debeat vnusquisque diuinæ gratiæ fauorem implorare, cum dæmone congressurus. Deinde expedit etiam Hieronymus, quod ibidem subditur: *Quid*, inquit, *dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem.* Debuit, iuxta Pelagianos dicere, Surgite, & resistite, nam liberum habetis arbitrium, & semel concessa vobis à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Insuper annotat verba illa Domini: *Non possum ego à me ipso facere aliquid.* Arriani obijciunt calumniam, sed respondet Ecclesia, ex persona hominis dici, qui assumptus est. Si igitur Christus quatenus homo, nihil potest à seipso facere, nisi Patris fauore, & potentia munitus, quomodo poterit miser homo, sine tali fauore insignem de inimicis spiritualibus victoriam reportare? Huius occasione expenderat Hieronymus illud, quod cum Christus post discessum illius iuuenis diuitis dixisset: Facilius esse camelum intrare per foramen acus, quam diuitem intrare in Regnum cœlorum, interrogauerunt Apostoli: *Et quis potest saluus esse?* Et audiunt à Domino: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum sunt.* Ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt (inquit Hiero.) ex eo possibilia ostenduntur, quod apud Deum possibilia sunt. Ex quibus procedit contra eosdem Pelagianos, ad probandam necessitatem diuini auxilij, & fauoris, ad vincendas diaboli impugnationes: quia non minus possumus nos, quam Apostoli dicere: *Et quis potest saluus fieri?* Quia si homo non potest salutem consequi, nisi omnes diaboli incursus, & vires superauerit, quis potest saluus fieri? Certum est namque, tenebrarum Principem habere vires robustissimas, qui ideo comparatur leoni, draconi, basilisco, de quo ipse Deus fatetur, quod *non est potestas super terram, quæ ei comparetur.* Certū est itidem, hominem esse debilem, & infirmum, quem Iob comparat *folio, quod vento rapitur*, & quem Dauid vocat, *vniuersam vanitatem.* Si ergo homo debet dæmonem vincere, vt saluetur, quis poterit saluus fieri: Optimè respondit Christus, hoc quidem impossibile esse apud homines, possibile tamen esse Deo, qui vires, auxilium, & fauorem hominibus præstat, vt homo possit de tali inimico victoriam reportare. In huius confirmationem expendit Hieronymus illud: *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Nemo enim coronatur, nisi qui legitimè certat, ad legitimum certamen scuto indigemus: hoc præstat Deus, cum suam era, & libera voluntate nobis cœlestem fauorem subministrat. Nostra ergo victoria, & corona victoriæ, inquit Hieronymus, illius protectione, & clypeo paratur. Ex quibus infertur, quanta cura, & solicitudine teneatur homo, cœlestem fauorem implorare, procurare, & quærere. Hæc latius ex Scripturis sacris

Li. 2. cont. Pelag. to. 2. pag. 2. 17.
Luc. 22. 31
Luc. 22. 43
¶ 43.
Ioan. 5. 30.
Matt. 19. 23.
Lib. 3. cont. Pelag.
Iob. 41. 24.
Iob. 13. 25. Psal. 38. 6.
Psal. 5. 13.

ſacris exponenda ſunt, oſtendendumque quomodo Chriſtus, Spiritus ſancti donis munitus ad bellum proceſſerit, eiſdemque donis nos oportere muniri, vt vincamus: *Ductus*, inquit, *eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu*. Videtur Euangeliſta alludere voluiſſe ad illum inſignem locum Eſaiæ, vbi tam manifeſtè de Chriſto Domino ſermo eſt, vt non ſolum omnes Sancti Patres id affirment, & probent, ſed, & Chaldaicus Paraphraſtes expreſſè aſſerat, & plurimi Rabbinorum affirment. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Ieſſe pater fuit Dauidis, idemque eſt, de radice Ieſſe, ac de domo, & familia Dauidis. Et conſulto Propheta non dixit, de radice Dauid. ne quis exiſtimaret, quod virgæ, & flori orituro, aliquid ex dignitate Dauidis accreſceret. Annotat autem Procopius id, quod ex Hebræis, ſignanter R. Kimhi, & multi Latinorum obſeruant, in Hebræo non haberi vocem, *Sores* quæ ſignificat radicem ſub terra cõditam, ſed *Gazagh*, quod ſignificat trũcum, à quo etiam tanquam à radice oriuntur rami, & non quomodocunque, ſed qui truncatis, diſſectiſque ramis ſuper terram, quaſi ſiccus relinquitur. Ita apud eundem Eſaiam: *Et aſcendet ſicut radix de terra ſitienti, non eſt ſpecies ei neque decor*. Ita apud Iob: *lignum ſi præciſum fuerit, &c ſi ſenuerit in terra radix eius, &c.* His itaque verbis, Propheta magnum indicauit myſterium, ſupponens Regnum Dauidis præſcindendum, & remanſurum truncum, quod, vt annotat Beatus Hieronymus, factum fuit tempore Sedechiæ, cui propterea dictum eſt. *Tu autem prophane, auſer cidarim, tolle coronam, impie Dux Iſrael, cuius venit dies in tẽpore iniquitatis præfinita*. Cidaris etſi frequenter ornatum ſacerdotalem ſignificet, ſed frequentiſſimè etiam Regium diadema exprimit: nam propriè, vt Suidas dixit, ſignificat tiaram, quæ vox ornamentum Regibus, & Sacerdotibus commune deſignat. Hanc cidarim, & coronã deponere iubetur, quia in Sedechia, qui Babylonem captiuus ductus eſt, Regum ſeries ex Ieſſe, aut Dauid fuit præciſa, de quo propterea iterum dictum eſt: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis nẽ proſperabitur, nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda*. Quamuis non propterea defecerit Prophetia Iacob, de Regno in Tribu Iuda conſeruando, vſque ad Chriſtum. Nam poteſtas regia manſit apud Sacerdotes, qui ex parte matris fuerunt de Tribu Iuda, de quo Euſebius Cæſarienſis, & nos alibi dicemus. Manſit ergo familia Dauid, aut Ieſſe, quaſi trunca, redacta in priuatam familiam, & ideò dicitur: *Decidiſſe tabernaculum Dauid*: Illam Propheta inſinuare voluit dicens. *Egredietur virga de radice, aut de trunco Ieſſe*, qui præciſus videbatur, & omni ramorum propagine ſpoliatus. Et verè ita fuit: nam quando domus Dauid iam abſumpta videbatur, ortus eſt Chriſtus, &c. Virgæ nomine multi Chriſtum intelligunt, Origenes *a*, Hilarius *b*, Ambroſius *c*, Clemens Alexãdrinus *d*, Procopius *e*, annotantes, virgæ nomine dignitatem Regiam explicari. Ita, & Thargum intelexit, quod ita transfert: *Egredietur Rex ex filijs Iſai, & Chriſtus ex filijs Iſrael creſcet*. Vn de quem primò vocat virgam, a radice procedentem, poſtea vocat florem, ab eadem radice prodeuntem. Sed communius hoc nomine beatiſſimam Virginem intelligunt, Tertullianus *f*. Hieronymus *g*, Auguſtinus *h*, Ephrem *i*, ſignanter autem Beato Leo Papa k. In virga, ait, non dubie, quod Beata Maria prædicta eſt, quę de radice Ieſſe progenita, Spiritu ſancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ vtero quidem materno, ſed partu enixa eſt virgineo. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapiẽtiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis*. Hoc manifeſtum fuit in baptiſmo, quando Spiritus ſanctus in columbę ſpecie requieuit in Chriſto. In Hebræo verbum *Nahhah*, quod ſignificat, conquieſcere, & confedere tanquam in proprio requietionis loco, ſicut apud eundem Eſaiam: *Veniat pax, requieſcet in cubili ſuo*: & Salomon: *In corde prudentis requieſcet ſapientia*. In Chriſto ergo tanquam in proprio ſux requietionis

loco

Eſai. 11. 1.

¶ 44.

In cap. 11. Eſai. apud Leonẽ Caſtrenſ.

Eſai. 53. 2.

Iob 14. 7.

Ezech. 21. 25.

Ier. 22 30.

Lib. 5. de Demõſtratione Euã.

Amos 9. 11

a *Hom. 6. et 9. in Nu. & in c. 2. Ier.*

b *in Pſ. 2.*

c *Li. 3. Of. fic. cap* 14. *& lib. de Iſaac cap. 8.*

d *Lib. 1. Pedagog. c. 7.*

e *in c. 11. Iſai.*

f *Li. de carne Chriſti.*

g *in c. 11. Iſai.*

h *Ser. 4. de temp.*

i *Orat de Laud Deiparæ.*

k *Serm 4. de Natiu. Domini.*

¶ 45

Eſai. 57. 2. Prou. 14. 33.

loco, requiesc, & cōsedit Spiritus sanctus; quod demonstrauit, cum in eo visibiliter sub specie columbæ consedit, mansit, & requieuit; qui in typo veteris columbæ huc usque *non inuenerat*, vbi plene *pes eius requieſceret*. Et meritò Propheta septem Spiritus sancti dona, & septem operationes enumerat, vt indicaret numero septenario plenitudinem Spiritus sancti, vt annotarunt Origenes *l*, & Athanasius *m*, quod, & Euangelista expressit subdens *n quod plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane*: Quid autem Christus postquam plenus Spiritu offensus fuit, fecerit, explicat Propheta subdens: *Et delectabitur infans ab vbere, super foramina aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Beatus Ambrosius *o*, Diuus Gregorius *p*, & glosa ordinaria, similiter de Christo verba hæc accipienda credunt, qui sæpè ab eodem Esaia vocatur puer *q*, & paruulus *r*, & seruus *s*, propter humanitatem, & humilitatē. Quibus verbis significat Propheta, quod Christus Dominus, postquam baptizatus fuit, & quasi ablactatus, & expositus vt iam ad maiora edenda opera se conuerteret, vbi plenus Spiritu sancto fuit demonstratus, processurus erat, ad pugnandum cum diabolo. Hocque illud est: *Mittet manum suam ad foramen aſpidum, & in cauernam reguli, &c.* Figurate (inquit Tertullianus) scorpios, & colubros, appellat spiritalia malitiæ, quorum ipse Princeps dicitur serpens, draco, leo, regulus, quod illo Dauidis significatur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Mittere manum, apud Hebræos est, illam contra aliquem extendere: quomodo dixit Dauid: *Non mittam manum meam in eum: & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam*. Ideoque *mittet manum*, id est, se totum conuertet, vt manus conferat cum Principibus tenebrarum quos tam securè Spiritu sancto sociatus aggredietur, vt verius dicatur, quod *delectabitur* luctās cum illis: non timebit eorum venenum, qui Spiritus sancti donis est repletus. Ex quo, & illud fiet consequens, quod nullatenus possint tales aspides, & reguli illis nocere, qui eodē Spiritu muniti fuerint. Vnde, & subdit: *Non nocebunt, neque occident in vniuerſo monte ſancto meo*. Septuaginta: *Non malefacient, neque poterunt perdere vllum in monte ſancto meo*.

Gen. 8. 9.

l Hom. 6 in Num.
m Lib. Fidei, & Trinit.
n Luc. 4. 1.
o Præf. in Pſal. 37.
p Lib. 17. Mor. c. 18
q Eſa. 9. 6.
r Pſa. 11. 9
s Eſa. 42. 1

Lib. 4. cont. Marcion.

Pſa. 99. 33.

1 Reg. 24. 7
1 Pſal. 80. 15

§. 12. *Christus filios suos munit Spiritus sancti virtute potentiori contra dæmonis virus, quam Marsorum, & Psyllorum contra serpentum venena.*

¶ 46.

SPiritum istum cum tanta plenitudine habuit Christus, vt de illa omnes eius filij possemus accipere, quem in Ecclesia sua reliquit (quam, vt inquit Gregorius, montem suum sanctum *nobiſcum maneat in æternum*. ideo quantum ex se est, id præstitit, quod necessarium est, & sufficiens, vt huiusmodi serpentes, & reguli iam in Ecclesia nulli possint nocere. *Non malefacient*, inquit, *neque poterunt perdere vllum*. Quibus verbis duo insinuātur, alterum, quod Christus ita diaboli vires eneruauit, vt iam amplius ille non possit nocere, modo alibi exposito: alterum, quod illis non nocet, nec eos superare potest, qui hoc Spiritu eius sancto roborantur, & vtuificātur. Meminit Plinius, Marsorum, qui erant quidam gentium populi, descendentes a Marso, filio illius Circis, Regis Sarmatarum vxoris, sororisq; Æetæ Colchorum Regis, quam Augustinus Magam famosissimam vocat, quod eius, incantationes famosissimæ sint, apud Homerum, Virgilium, Theocritum, & alios Poetas. Hæc filium suum Marsum ita sua incantationis, & vnctionis viribus muniuit, vt nullatenus cōtra eum posset vel aspides ipsa praualere, imo leui sputo suo, & halitu, earum, omniumque serpentum venenum eneruabat. Qua virtute etiam præstabant ipsius filij, & ab eo descendentes, qui earundem incantationum, & vnctionū reddebantur participes, quibus muniebātur, vt securè cū aspidibus, & serpētibus cōgredi posset, Qua de causa

Lib. 17. Moral. ca. 18. Ioan. 14. 16

Lib. 7. ca. 2.

Lib. 18. de ciu. cap. 17

dixit

dixit Solinus, gentem Marsorum à serpentibus illæsam esse, qui auita potentia muniti venena contemnunt. Hoc apud omnes autores est receptum, vt dixerit Beatus Hieronymus iam communi nomine, illum qui serpentes incantat, & de latibulis trahit, vocari Marsum. Quod idem de Psylijs refert Plinius *a*, de cendentibus à Psyllo Libiæ Rege, de quibus Lucanus *b*:

a *Lib. 7 cit.*
b *Lib. 9.*

Gens vnicas terras
Incolit, à sæuo serpentũ innoxia morsu
Marmarida Psylli, &c.

Quo factum est, inquit Plinius, quod qui explorare volebat, an filius qui domi nascebatur, legitimusne, vel spurius esset, eum aspidibus, & serpentibus obijciebat: adulterinus statim veneni potentia victus occumbebat; qui legitimus autem, inter serpentes, & aspides manebat illæsus; imò, & eorum venena vincebat, & eneruabat. Quod similiter tradiderunt Silius *a*, agens de Atyro Psyllo, Gellius *b*, Crinitus *c*, & alij multi, singulariter tamen Plutarchus *d*, qui scribit, Catonem iter per deserta Libyæ facientem secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, partim ore sugentes, & trahentes venenum, partim serpentes cantibus medicantes. Et quidem vt annotat hæc eadem insinuans Augustinus, nec laudamus, nec probamus Circis vnctiones, & incantationes, nec incolomitatem Marsi, filiorumque illius, quæ ex diaboli opere procedebant, vt latius idem Augustinus demonstrat, sed ex illis similitudinem trahimus, inquit Augustinus, sicuti Christus ex iniquo iudice similitudinem construxit. Sic igitur Christus Dominus non Circis incantatricis, sed Virginis sanctissimæ filius, ita in eius viscera genitus, vnctione Spiritus sancti fuit munitus, vt hoc ipso liberè posset cum omnibus dæmonum principibus congredi, à quibus nullatenus posset lædi. Hocque illa verba indicant: *Mittet manũ suã in caternam aspidum, &c.* Sed, & omnes qui ab eo spirituali generatione regenerati descendunt, & participes sunt Spiritus, & vnctionis illius, virtutem inde accipiunt, vt possint malignum inimici virtus superare, & eneruare. Et propterea in Sacramento regenerationis vnguntur baptizati, vt hoc ipso insinuetur, quod participes reddũtur vnctionis illius, qua Christus vnctus est Spiritu sancto, & virtute, potiori iure quàm filij Marsi, vnctionis, & incantationis paternæ: adeò, vt hoc ipso possis aliquo modo te ipsum examinare, si inter eius legitimos filios valeas connumerari. Nam si quiuis incursus infernalis serpentis te deijcit, & cuiuis venenato congressui illius succumbis, videre poteris, te ipsum Spiritu Dei destitutum: nec propterea mirũ, quod tam facile cadas, & vincaris, si Spiritus sancti virtutem nequaquam participas, nec vllatenus ad eam habendam te disponis, per orationes, ieiunia, & mortificationis opera. His mi è concinunt verba illa sapientis: *In hoc ostendisti inimicis nostris, quia tu es qui liberas ab omni malo: illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanctas animæ illorum, quia digni erant ab huiusmodi exterminari, filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: nam misericordia tua adueniens sanabat illos.* Sermo est de Ægyptijs, & Israelitis: Ægyptios sanè muscarum, & locustarum occiderunt morsus: tam infirmæ belluæ in eos prævalebant, & muscæ, quæ vel leui flatu agitatæ fugantur, illos deijciebãt *quia digni*, inquit, *erant, ab huiusmodi exterminari*, id est, apti erant, hoc ipso quod tua virtute destituti erant, tam infirmiter subsistebant, vt infirma animalcula possent eos exterminare. At si lij tui, id est, Israelitæ, tua erant virtute muniti, ideoque eos *nec draconum venenatorum vicerunt dentes.* Tradunt Nicander *a*, Plinius *b*, & Aelianus *c*, aspidibus venenũ esse in duobus dẽtib. tenui fistula perforatis, per quos illud infundunt, vt videatur opponere leui fistulæ, qua musca pungit, dentes fortissimos, ac venenatos, quibus draco aut aspis venena mortifera infundit: & offendit, illorum imbecillitatem supremam, quos leuis punctura muscatorum interficiebat; & horum inuictam virtutem, quos nec dentes supremo, lethalique veneno pleni,

a *Lib. 1.*
b *Lib. 16. c. 11.*
c *Lib. 1 c. 5*
d *In vita Catonis.*

In Psal. 57: Li. 11. super Gen. ad lit. c. 28.
Luc. 18. 2.

¶ 47.

Sap. 16. 8.

a *In Theriacis.*
b *Libr. 11. cap 37*
c *Lib. 9 de anim. c. 28.*

possent vel leuiter lædere. *Misericordia*, inquit, *tua aduoniens sanabat eos*: in Græco, *misericordia enim tua exadursose aduenit*, id est, eos muniuit, vt aduersarentur, & se opponerent venenatis dentibus aspidum, Quando hæc facta fuerint, nō omninò constat, quamuis namque de muscis, & locustis inuadentibus Ægyptios, in Exodo sermo sit, sed de draconibus impetentibus Israelitas, nihil ibi scriptum apparet. Et quāuis aliqui ad ignitos serpentes hoc referant, sed apertè satis indicatur, id quod verum credo, verè dracones validos, & venenatos insurrexisse in Israelitas, quando egressi sunt de Ægypto: quorum ingens copia, & multitudo incolit regionem, iuxta mare Rubrum, vt dixit Philostratus *a*, & alatis serpentibus Arabia, quæ proxima erat, abūdabat. vt docuit Solinus: timò, & i Aegypto scorpiones alatos fuisse, autor est Ælianus *b*: quod non obscurè Esaias ipse dixit, in via Aegypti esse *viperam, & regulum volantem*: de quo alibi. In hoc ergo offēdisti, te esse totius virtutis fontem, & originem, & hoc ipso filios tuos comprobasti legitimos, & ab adulterinis discreuisti; quod iustos, vel infirmarum muscarum deiecerūt morsus & leues punctura: illos autem nec validi, ac venenati dentes aspidum vel leuiter potuerunt inficere. Quid mirum, quod te vel leuis mulieris incessus, vel infirmus carnis appetitus, aut quęuis diaboli leuissima suggestio subijciat, qui Ægyptiorum tenes mores, qui nec Deum curas, nec eius aliquam memoriam geris, qui terrenis tantum inhias, & totus traditus es; Quid mirum, quod quinis leuis flatus antiqui serpentis te inficiat, qui forrè verius quam nonnulli dicere potes: *Nec si Spiritus sanctus est nouimus*, cui non solum in corde tuo locum non concedis, sed ipsum longissimè fugas, operibus carnalibus, & desiderijs turpibus adductus? *Nam Spiritus disciplinæ effugiet fictum*, illum, qui nulla lege disciplinæ continetur, nullo mortificationis opere se disponit. Vide viros sanctos, quos nec vniuersa inferni potentia vel leuiter intetficere potuit, qui Dei misericordia, & Spiritu muniti, se ipsos exhibent tāquam eius filios; quique propterea dum Spiritu Dei aguntur, omnium serpentum infernalium venena enecuant, & calcant. Vide illum pulchrum adolescentem Ioseph, quem sæua fera illa, domina eius, in qua tota diaboli potentia agebat, nec leuiter potuit inficere. Cōsidera sanctum Iob, contra quem diabolus suprema rabie excitatus, omnes quos potuit morsus inferens, non solùm non læsit, sed clarissimus ille ex pugna euasit. Oculos conuerte ad tres pueros, aduersus quos vniuersa diaboli potestas, verius quàm impij monarchæ Nabuchodonosor exarsit, qui non solùm non veneno infecti fuerunt, sed Regem ipsum infidelitatis infectione purgarunt. Attende Beatum Antonium, omnes diaboli cateruas, sub crudelium animalium figuris apparentes irridētem, & illudentem, quod de sanctis Benedicto, Martino, Catharina Senensi, alijsque multis expendere poteris, sicut expendit Beatus Athanasius, annotans postquam Christus dixit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpios*, iam pueros, & puellas virgines calcare facilè fauore Spiritus sancti serpentinas voluptates, fallacias astus, machinas, & vires. Sed hæc in sanctis Apostolis videre possumus, quos cùm Christus in mundum vniuersum mittere vellet, prius huius spiritus sui virtute armauit, & muniuit. quo tam validi redditi sunt, vt supremas inimici vires subiecerint: de quibus Tertullianus id exponit, quod supra de Christo exposuimus: *Et emittet infans manum super foramina aspidis, & in cauernas reguli, qui ablactatus fuerit*. Apostoli namque, qui pueri dicti, propter simplicitatem, aut propter eorum naturalem imbecillitatem, qui ex seipsis erant indocti, infirmi, & imbecilles: hi sanè Spiritus sancti virtute manus conuerterunt, vt cum tyrannis, & suprema eorum potentia, cum Philosophis, & eorum diuitijs, & facultatibus, imò verius cum totius inferni exercitu congrederentur, nec vllatenus victi, sed victores omninò euaserunt. Excellenter equidem hæc Beatus Ambrosius prosequitur, explicans illud Apostoli: *Huiusmodi hominem*

Exod 8, & 10.

Num. 21.

a Lib. 3. *de vita Apol. lonij c.* 2.

b Lib. 16. *c.* 42.

Esa. 30, 6.

¶ 48.

Act. 19. 2.

Sap. 1. 5.

Lib.de Passio & cruc. Domini.

Luc. 10. 19.

Lib 4. *cont. Marcionē.*

Lib. de Pœnit. c. 13.

tradidi Satanæ in interitum, id eſt mortificationem *carnis, vt ſpiritus ſaluus ſiat*. Vide quomodo Apoſtolus manum mittat ad ſerpentem, & regulum, & abſque aliqua læſione eum quo vult trahit, & retrahit. Vides (inquit Ambroſius) quemadmodum à Paulo illudatur, vt in cauernam eius, ſicut puer ille Propheticus manum mittat, & nihil ſerpens noceat ei: de latebris eruat eum, de veneno eius faciat ſpirituale antidotum, vt quod venenum eſt, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum ſit ad ſalutem ſpiritus.

§. 13. *Virtute Spiritus ſancti homines ornantur ſicut cœli, & inſtar fulminis reddūtur fortes, ſicut dixit S. Iob.*

¶ 49. *Iob 26. 13.*

AD hoc idem inſtitutum verba quædam Iob explicare poſſemus, quæ difficilia cum ſint, in hunc ſenſum accepta, clariſſima redduntur. *Spiritus*, inquit, *eius ornauit cœlos, & obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus*. Voluit Sanctus Iob Dei potentiam, & ſapientiam explicare, vt amicis ſuis, qui eandem potentiam extollebant, oſtenderet ſe altius quam illos, de ipſa Dei potentia ſentire. Et poſtquam egregia diuinæ potentiæ, & ſapientiæ opera ad huius argumenti amplificationem propoſuit hoc tanquam ſupremam rem concludit, quod Spiritus eius ornauit cœlos, & obſtetricante, &c. Quibus verbis duo potentiæ diuinæ opera tanquam excellentiſſima expendit. Primum eſt, ornatus cœlorum. Nota eſt Diui Thomæ ſententia, ex ſanctis Patribus quam communi ſenſu Theologi ſequuntur, opus creationis diſtinctum fuiſſe ab opere perfectionis, vel ornatus: nam ſicut ſtatuarius primò imaginem ex ligno nudo producit, & facit, quam poſtea viuis coloribus, & ſuperducto auro, & argento, pulchram viuidamque reddit; ita Deus primo ex nihilo cœlos produxit, omni pulchritudine deſtitutos; quamuis ſtatim aliqua luce illi tempori, & occaſione congruente illuſtrauerit, dicens: *Fiat lux*; poſtea tamen, die ſcilicet quarta, illos ornauit, cum dixit: *Fiāt luminaria in firmamento cœli*: tūc enim produxit Solem, Lunam, & Stellas, quibus cœlos reddidit pulcherrimos. Et obſeruandum eſt, verbum illud, *ornauit*, alludere ad illud: *Perfecti ſunt cœli, & omnis ornatus eorum*: in Hebræo habetur vox, *Sabaam*, quæ ſignificat exercitum, aut militiam: vnde multi legūt: *Perfecti ſunt cœli, & omnis militia eorum*: quod dictum eſt ratione Solis, Lunæ, & ſiderum, quæ in Scriptura communi voce dicuntur *militia cœli*, quia per hæc non ſolum Deus pulchros reddidit cœlos, ſed potentiſſimos, & magna vi, ac robore præſtantes; horum namque ſiderum virtute vbique pertingunt, operantur, & quaſi toti terræ dominantur, ſicut Rex per potentem exercitum, quia propter Solis, qui vicem tenet Ducis ſupremi, & Lunæ, quæ illius vicem tenet noctu, & Stellarum influxum, vbique cœli penetrant, omnia producunt, & mundum ſubiectum tenent: quorum virtute producunt in viſceribus terræ auri, argentum, ferrum, æs, &c. & in cauernis illius fontes, in ſuperficie herbas, in arboribus fructus, in aquis piſces: &c. Cœlos itaque Deus creauit, vt in totum orbem agerēt, & ſub motu ſuo, & ductu omnia inferiora continerent, quos propterea ornauit Stellis, quæ non ſolum pulchros redderent, ſed quaſi militibus muniuit, & armauit, quarum potenti virtute omnia inferioria tam terræ, quam maris ſubiecta tenerent, & penetrarent, & vbique operarentur, producentes aurum, argentum, gemmas, herbas, fructus, &c. Hoc igitur vnum opus diuinæ potentiæ, quod Spiritu ſuo perfecit. Alterum eſt, productio, aut parturitio colubri tortuoſi, qui naſcitur, manu eius agente officium obſtetricis, & extrahente eum ex viſceribus, vbi gignitur. Et quidem valdè probabilis mihi videtur illorum ſententia, qui ſub hac metephora in-

1. p. q. 66. ſeq.

Gen. 1. 4.

Gen. 1. 14.

Gen. 2. 1. צבאם

telligunt, voluisse Iob describere fulminis productionem, quod ex nubibus, quasi ex vtero materno, Dei manu agente prodire videtur. Inter omnia quæ philosophia iudicat admiranda, primas tenet fulmen, aut fulgur, tam si eius substantiam, quam si motum consideres. Eius namque substantia, aut materia, nihil aliud est quam vapor leuis, aut exhalatio sicca, qua nihil infirmius, aut imbecillius esse potest, quæ à leui fumo non differt: & nihilominus cum hæc accenditur in nube, tanta vi potentiaque præstat; vt nihil ei valeat resistere: turres namque fortissimas deijcit, ferrum, & æs tanquam leuissimam paleam in momento absumit, saxa validissima comminuit, & penetrat, & verè nihil reperitur, quod ei vllatenus possit obsistere. Motus autem illius mirabilior est, quia, vt annotauit Aristoteles, est valdè irregularis, qui nullis philosophiæ regulis continetur. Nam si est naturalis, quomodo cum ignis sit, descendit? Si est violentus, quomodo circuire videtur? Res enim quæ violenter impellitur, recto tramite fertur. Si res est animata, sub qua animalium specie continetur? Si inanimis, quomodo huc, illucque tanquam si animal esset, fert? Vnde egregiè à Beato Iob vocatur Coluber tortuosus: coluber quidem, quia in modum colubri est prolongatus, tortuosus autem, propter motum huc illucque tendentem: qua de causa quasi proprio nomine à Philosophis vocatur, Obliquum fulmen, vt dixit Seneca *a*, quod obliquè feratur, vt ipsemet exposuit *b*, de quo Magnus noster Albertus *c*. Iuxta Hebræum aliqui transferunt, *Serpens fugax*, quod summam celeritatem teneat, & quod incessu suo videatur habere modum serpentis fugientis. Et sanè inter alias exhalationes ignitas, refertur quædam, quæ ab Astrologis dicitur, Draco volans, quia cum accenditur, draconis volantis similitudinem gerit. Quoniam autem talis est fulminis natura, apud omnes nationes commune fuit, asserere, opus solius Dei, fulgura emittere: vnde, & Ioui (quem vt dixit Augustinus, Patrem Deorum, & eorum supremum Gentiles colebant) hæc arma tanquam sibi propria aduersus mortales tribuebant, quæ fingebant, rubente flammanteque dextra in terras iaculari, cuius propterea nomen erat, Altitonantis Olympi. Imò, & Deus noster, hoc sibi tanquam proprium opus vendicat, dicens ad eundem Iob: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt?* Et quidem propriè loquendo longè sunt diuersa fulgur, & fulmen, vt Seneca *a*, & Plinius *b* annotauit: nam fulgur nihil est aliud, quam lux, quæ succenso vapore, nube discissa clarescit: fulmen autem est, vapor ipse succensus, in calybem, aut lapidem, aut telum igneum coagulatus; fulgetrum à multis dicitur: in Scriptura sacra pro eadem re sumuntur, quia sibi valdè coniuncta sunt, vnde, & ambo eodem nomine vocantur, *Barak*, vt patet in multis locis, quæ à Brixiano *a* expenduntur. Hæc autem fulmina duo habent, quod terrent scilicet, & illuminant: terrent siquidem propter vim quam habẽt, & tonitrum concomitans; illuminant autem propter lucẽm, quam secum ferunt, qua de causa dicuntur iacula, quæ procedunt de lumine, vt annotauit Beatus Gregorius, expendens illud, quod iuxta Septuaginta dixit Habacuc; *In lumine iacula tua ibunt*: nam loquitur de fulminibus à Deo missis tempore Iosue contra Reges inimicos. Hoc igitur Iob, nunc rem concludens, tanquam excellentissimum Dei opus proponit. Et sicut egregia metaphora colubri tortuosi: aut serpentis fugacis, fulmen expressit, ita eius ortum mire verbo obstetricandi declarauit. Obstetricare, quia opus est mulieris, educentis fœtum ex vtero materno. Verbumque Hebræum significat etiam gemere, aut cum doloribus clamare, quia id euenit cum fœtus ex vtero emittitur, quod clamat mulier parturiens in doloribus. Quibus verbis indicat fulminis ortum ex nube: illa etenim intra se recipit exhalationem, quæ materia est fulminis, sicut mater recipit semen, ex quo fœtus

forma-

¶ 5 *p.*

1. *Lib. Meteorum.*

a In Thiest. Act. 2.

b Li. 2. Naturalium quæstionũ, cap. 28.

c Tract. de Fulmine c. 2.

4. de ciuit. cap. 9. & 23. ad fin.

Iob 38. 35.

a Li. 2. Natur. quæst. b li. 2. c. 49

Exod. 9. 23 2. Reg. 22. 15. Psal 17. 15 Ezech 1. 13 Zach. 9. 14 &c.

a To. 1. fol. 83 pag. 1. Li. 30. Moral. cap. 3.

Habac 3. 11.

Iosue 10.

formatur; quam postquam intra se ipsam, tanquam in vtero tonuit, & gestauit, suo tempore maximo tonitruo edito, quod clamoris, aut gemitus tenet vicem, parturit, & in lucem dat
¶ 51. fulmen. Id quidem fit Dei manu, aut potentia obstetricante, ideſt, educente ex intimis nubis, & emittente fulmen, accendente scilicet illam exhalationem, aut vaporem tenuem, & virtutem inuictam illi tribuente. Hoc certè singularissimum Dei opus est, exhalationem leuem, vaporem, aut fumum infirmum, ac fragilissimum, igne succendere, & tam validum reddere, ac fortem, vt non solum nemini cedat, sed omnia vincat, & subijciat: quem etiam ignis virtute tam velocem facit, vt breuissimo tempore longissima spacia percurrat, adeo vt è supera aeris regione prius ad terram perueniat, quam eruptionis sonus, aut tonitrui strepitus sentiantur, velociorque est motus realis fulminis, motu inientionali tonitrui, vt Philosophi expendunt. Hæc quidem iuxta verborum
Li. 17. Moral ca. 16. & Ho. 30. in Euang. L. 11. Moral. c. 14. Serm. 6. de Temp. corticem voluit Sanctus Iob dicere: sed vt annotauit Beatus Gregorius aliquid altius voluit Sanctus Iob prædicere. Erat quidem ille Propheta, & qui sub verborum, ac rerum communium typo, magna prænunciabat mysteria, vt idem Gregorius sensit. Sub inuolucro ergo magnarum rerum, magna, & stupenda futura Dei opera prophetasse credendum est: indecens namque credo, eum quem Diuus Augustinus eximium Prophetam vocat, id tantum voluisse tradere, quod cuique Philosophorum non erat ignotum. Et si attentè totius capitis seriem consideres, videbis Beatum Iob cum amicis suis agentem, illos volentem redarguere, tria de Deo supposuisse: primo illum esse
Iob 26. 1. potentissimum, & fortissimum. *Qui fortis*, inquit, *est*: Secundo esse sapientissimum, ac prudentissimum: *Qui*
Iob 26. 2. Iob 26. 3. *habet*, ait, *Sapientiam*: Tertiò, illum esse totius vitæ, & respirationis principium: *Qui fecit*, inquit, *spiramentum*. Quibus non incongruè tres diuinas personas voluit ex appropriatis attributis describere; quia patri tribuitur potentia, Filio sapientia, & Spiritui sancto respiratio, aut vita. Postquam autem potentiam Patris, & sapientiam Filij, quibusdam peculiaribus operibus prænunciauit, sub cortice quorundam naturalium operum, progreditur ad ostendam virtutem Spiritus sancti, qui Spiritus Dei dicitur, cuius singulare appropriatumque opus voluit describere, dicens: *Spiritus eius ornauit cœlos, & obstetricante manu eius, &c.* illudque sub inuolucro operum naturalium depingit. Non igitur de materialibus cœlis, aut ornatu eorum visibili, nec de fulmine, aut fulgure ex nubibus, cum sensibili tonitruo erumpente, præcipuè loqui voluit, neque huiusmodi opera principialiter declarare: id namque debile; depressumque esset subiectum illi, quem insignem Prophetam confitemur, qui si talia solum vellet describere, superfluè Spiritui sancto peculiariter tribueret: nulla siquidem ratio subest. cur ornatus cœli, & colubri tortuosi parturitio, aut fulminis vis, & motus, peculiariter Spiritui sancto, magis quam Patri, aut Filio; tribui possit. Cœlos ergo illos intellexit, quos & Dauid, quando dixit: *Cæli enarrant gloriam Dei*: quod Paulus de *Psal. 18. 1.* Apostolis sanctis intelligendum docuit. Hos, qui in se nihil erant amplius quam puluis, & cinis, primo
¶ 52. CHRISTVS verbi sui virtute, tanquam cœlos produxit, illud adimplens: *Ecce ego creo cælos nouos*, quos postea Spiritu suo ornauit. *Esa. 65. 17.* Primò namque illos, vocationis suæ voce, quasi producere visus fuit, quando vidit Petrum, & Andream, & vocauit eos: Iacobum similiter, & Ioannem; Matthæum, & alios: quibus statim lucem quandam imperfectam, illi tempori congruentem dedit: nam misit illos Euangelizare, & prædicare Regnum Dei, sanare infirmos, &c. Non tamen tunc plenè ornauit, quos ornandos, Spiritus sui virtute seruabat, quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò: cum venerit* *Ioa 16. 12.*

rit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem. Tùc ergo, inquit Gregorius, hos cœlos ornauit Spiritus, cum repleuit. Quod Luca referente
Actor. 2. 2. didicimus, qui ait: *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedítque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ex eo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris. Scimus namque quod ille, Apostolorum, id est, cœlorum primus, ante acceptam huius Spiritus gratiam: quoties mori timuit, vitam negauit: qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cuiusquam, sed vnius mancipij sola est interrogatione prostratus, & quidem mancipium, ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque vt talis sexus infirmitas etiam officij sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria est ancilla requisitus. Ecce quam vilis ad tentandum persona est requisita, vt apertè proderetur, quanta eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem
¶ 40. ancillæ ostiariæ subsisteret. Sed hic iam paulò ante timidus, qualis post aduentum Spiritus extiterit videamus. Certè Luca testante didicimus, contra Sacerdotes, & Principes; quanta Dominum authoritate prædicauit. Nam cum facto miraculo, quæstio fuisset exorta, & Sacerdotum Principes seniores, ac Scribæ, in Apostolorum persequutionem concurrerent, eos in medio statuentes; in qua virtute miraculum fecerint, curauerunt percunctari. Quibus, repletus Spiritu sancto Petrus, dixit:
Actor. 5. *Principes populi & Seniores, si nos hodie adiudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, hoc notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Iesu* CHRISTI *Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc isto astat coram vobis sanus.* Cumque erga hæc persequentium furor excresceret, eosque Sacerdote, ac Principes Iesum prædicare prohiberent, Petrus dixit: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Sed cum authoritatem prædicantium, resistentium præcepta non premerent, ad flagella peruenitur. Nam tunc Principes Sacerdotum cæsis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu: sed Apostolorum virtutem flagella premere non potuerunt: nam *illi ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Omni autem die, in templo, & circa domos, non cessabant docentes, & Euangelizantes CHRSTVM. Ecce ille paulò ante timidus, iam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem Sacerdotum, ac Principum libera voce increpat, ad prædicandum IESVM, exemplum authoritatis cæteris præstat: ne in nomine eius loqui debeat, verberibus prohibetur, nec tamen compescitur, contemnit flagella cædentium, qui paulò antè requirentium verba timuerat, & qui ancillæ vires requisitus expauit, vires Principum cæsus premit: Sancti namque Spiritus iam virtute solidatus erat. Hæc sunt ornamenta cœlorum. Ita Gregorius, qui ad idem institutum illud explicat, quod etiam obseruarat Diuus Augustinus: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, id est, omni virtute muniti, firmati, roboratique sunt. Recolenda sunt, quæ paulò ante dicebamus, ornatum cœlorum, aut stellas, quibus cœli fuerunt ornati, vocari, militiam cœli, quia vere per virtutes, & dona Spiritus sancti, quibus Deus hominem ornat, ita etiam munitum relinquit, vt non iam minus redditus sit fortis, quàm si grandi esset exercitu, quo bellum ageret, roboratus. Virtutes namque, & dona Spiritus sancti, non solum ornant animam, sed sunt, quasi milites, potentissimi ad debellandas omnes inimicas potestates. Hac de causa, vt dicebamus supra, Sponsa, quæ instar cuiusdã cœli, huiusmodi donis erat ornata,
¶ 53. *in Psa. 33. Isal. 32.*

nata, inducitur. *Terribilis vt castrorum*
Cant. 6. 9. *acies ordinata*. Hæque egregiè quadrant ijs, quæ præcedenti tractatu tradidimus, hominē, cum baptizatur, induci ad militiam, & bellum, cui propterea Spiritus sanctus in baptismo confert virtutes, & dona, quæ instar militum in eo existant. Hos ergo cœlos (Apostolos inquam) ornauit stellis, id est, virtutibus, & donis Spiritus sancti, quibus illos ita muniuit, & armauit, vt totius mundi, Imperatorum, Regum, Sapientum, imò, & totius inferni vires eneruarint, & omnem orbem subiecerint, & ad abditissimas, ac remotissimas orbis, & terræ partes eorum virtus peruenerit, mira stupendaque in cordibus hominum producentes. Hoc quidem primum opus. Sed, & id in eis fecit, quod de tortuoso colubro, aut fulmine dixit Iob, quem Dei manus suo succedente igne, de nube extrahit tenebrosa, & qui primo leuis erat vapor, ignis virtute est in calybem conuersus, omnem mundi virtutem superat, & deijcit, imò, & diaboli, ac totius inferni. Nam quis de materiali tantum fulmine, Deum loqui credat, cui singulari consilio, colubri nomen dedit, vt declaret, se de illis loqui fulminibus, quibus postea dicturus erat
Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, estote prudentes sicut serpentes?* Erant sanè Apostoli, ex seipsis, vapor quidam leuis, aut exhalatio quædam sicca, aut fumus nullius ponderis, quia nulla virtute præstabant, nec enim erant sapientes, nec potentes, nec diuites, aut fortes, sed contemptibilia mundi, peripsemata orbis. Igne tamen cœlesti CHRISTVS eorum corda succendit: & qui in cœnaculo, quasi in quadam obscura nube, aut nubis vtero, conclusi tenebantur, statim hoc igne succensi, sicut fulmen è nube maximo tunc strepitu, tonitruoque audito, egressi sunt, tam validi, ac potentes vt omnes Principum, Sacerdotum, Regum, Imperatorum, imò, & diaboli, ac totius inferni potentias facillimè vicerint. Omnis se illis orbis opposuit, omnis potentia seculi contra eos surrexit, & excitata est. Sæuit tyrannorum manus: gladius exacuatus est contra illos, &c. & omnia superarunt. De illis propterea egregiè Beatus Augustinus illud intelligit: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra*: fulgore namque doctrinæ, & miraculorum lucebant, & tota terra commota est his fulgoribus, à nubibus erumpentibus, & tanquam potentia fulmina, virtute potenti omnia sibi subijciebant, vt Diuus Gregorius similiter prosequitur. Quis illos infirmos, tam validos reddidit; illos fragiles, tam insuperabiles fecit? Certè Spiritus Dei, quo CHRISTVS qui eiusdem Dei manus dicitur, de quo Beatus Augustinus illud intelligit (*Aperiente manum tuam*) eos succendit, & quasi ex nube parturienti eduxit. Videndus est Beatus Gregorius, exponens illud, quod idem Deus dixit ad Iob: *Nunquid mittes fulgura & ibunt?* Quod de Apostolis, & Apostolicis prædicatoribus explicandum credit. His concinit, quod paulò ante induximus: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Certè omnis virtus hominis, ex spiritu procedit, quo recedente omnia cadunt, & in puluerem rediguntur. *Auferes*, inquit Dauid, *Spiritum eorum*, vel ab eis, *& deficient, & in puluerem suum reuertentur*. Expende vocem, *puluerem suum*, id est, in id, quod ex seipsis sunt, & à seipsis habent. Videtur alludisse ad hominis formationem. Finxit namque Deus hominem, pulnerem de terra, ita quod in se nihil erat amplius, quam tenuis, leuisque puluis; ideoque nulla fortitudine præstabat: sed *spirauit in eum spiraculum vitæ, quo factus est homo in animam viuentem*, & ita roboratus est, vt verè habuerit ossa, neruos, vim, & robur, quo stare, subsistereque posset, vt videre possis quid Spiritus Dei in eo operetur. Quod, & in ossibus aridis, coram Ezechiele expensis, videre clarius licet, vt ex professo expendit Diuus Augustinus: cum namque Spiritus virtute erant destituta, humi iacebant, & nullatenus se mouere poterā: dum autem ad vocem Prophetæ, dicētis: *Veni spiritus, & insuffla super interfectos*

In psal. 96 *Psal. 96. 4*

Li. 30. Moral. cap. 3. § 14.

In ps. 144. *Ps. 144. 16*

30. Moral. c. 3. & 4.

Iob. 38. 35.

psal. 32. 6.

Psal. 103. 29.

Genes. 2. 7.

Ezech. 37.

Libr. 10 de Gene. ad lit. cap. 5.

fectos istos, & reuiuiscants statim spiritu adueniente. *steterunt super pedes suos exercitus grandes nimis valdè*: erexerunt se, & in validissimos milites sunt mutata, qui possent quosuis inimicos subiugare. Omnis ergo virtus Apostolorum, & Sanctorum, ex Spiritu Dei eos inhabitante procedit. Hæc omnia intelligens Dauid, conuertit se ad orandum: *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum & creabuntur*, id est, accipient nouam vitam, robur, & fortitudinem. Hoc perpetuo orandum, inquit Basilius, vt Deus suo nos Spiritu roboret, & muniat, imò, & curandum nos ita disponere, vt in nos Spiritus Dei adueniat. sine quo inimicum vincere non possumus Hinc videre licet, cur miserè à quouis aduersario contra nos insurgente deijciamur, quia nihil minus curamus, quam Spiritu Dei abundare, carnisque contrariæ spiritui curas facimus, eam impinguamus, & voluptatibus delinimus, vt verè nihil in nobis spiritus, sed sola caro remansisse videatur, vt verè dicere possis illud Prophetæ: *Ecce iste coopertus est auro, & argento, & omnis spiritus non est in visceribus eius.*

Psal. 103.

Homil. cit.

Hab. 2.

§. 41. *Vt homo vincat dæmonem, Spiritum Dei secum habeat, sicut Iacob Angelum.*

¶ 15. ALio discursu hęc eadem prosequi possumus. Quando inualidus homo, inimicum habet robustissimum, nullatenus audet solus cum solo congredi, certissimè siquidem se reuincêdum agnoscit: vocat tamen in sui societatem amicum, virib. spræstantem, vt quod ipse viribus proprijs perficere non potest, adiutus amici præsentia consequatur. *Si quis enim præualuerit contra vnum, duo resistent ei*: quem locum ad hoc institutum expendit Diuus Thomas. Homo namq; cum infirmis viribus sit, inimicum fortissimum habet, dæmonem scilicet, qui sicut superat hominem natura, ita, & robore si homo solus sit, præualebit absque dubio diabolus contra eum. Curet, igitur homo, secum habere Spiritum sanctum, cuius virtus insuperabilis est, & duo cum sint, resistere poterunt. Hæc intelligebat Paulus, cum dicebat. *Omnia possum in eo, qui me confortat* Videturque alludere voluisse, ad illam celebrem luctam sancti Iacob, quando luctatus est cum Angelo, Dei vices agente. Reuertebatur ille in terram suam. quoniam Deus hoc ei præceperat. Dictum est autem ei, quod Esau frater eius, veniret in occursum suum, cum quadrigentis viris. *Timuit Iacob valdè*, quoniam agnoscebat vires suas impares viribus Esau, & quod vincendus esset ab eo, si cum illo certamen singulare agere vellet. Ad orationem propterea se conuertit, petens diuinum fauorem: tunc que Angelus apparuit, qui tota nocte luctabatur cum eo. Adueniente autem aurora, dixit Angelus: *Dimitte me*. Respondit ille: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* Volens autem Angelus benedictionem dare quæsiuit ab eo: *Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. Ait ille. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: & benedixit eum in eodem loco*. Multa sunt annotatione digna circa hanc historiam: nunc tamen id in primis annotandum est, quod Sanctus Iacob, vires suas intelligens impares viribus Esau, hoc conabatur, & requirebat, vt Deum in sui societatem adduceret, vt qui solus vincere non poterat, tali socio comitatus, vincere posset: & propterea illum nullatenus volebat dimittere. Deinde hoc ipsum clarius voluit Angelus explicare, dum antequam eum benediceret, nomen eius inquisiuit. Cur id fecit? nunquid Angelo non erat notum illius nomen? Ita quidem; sed hoc ipso voluit ad memoriam Iacob reuocare, illud quod accidit, quando natus fuit, nomenq; Iacob accepit. Tunc namque collidebantur in vtero duo paruuli; & rixabātur quasi quiuis eorū primogenitură ambiens, primò nasci contenderet. In hac

Eccl. 4. 12.

3. p. qu. 41. art. 2.

Ad Phil. 4. 13.

Gen. 32. 7.

Gen. 25. 22.

luctа

luctа vicit Esau, qui primò natus fuit, alter autem, quia post eum natus est, tenens illius plantam, vocatus est Iacob. Voluit ergo Angelus dicere: *Si solus incesseris, & occurretis fratri tuo, scito te ab eo reuincendum, qui te in illo primo congressu ita superauit, vt te pedibus suis subiecerit, cuius tantum tu poteris attingere plantam pedis, qui idcirco vocatus fuisti Iacob, quasi hoc ipso nomine, te illo inferiorem viribus agnoscas.* Ideoque nunc, cum victor euades, intellige, non tuis viribus, te assequutum fuisse victoriam, sed quod benedictione, & fauore Dei munitus incesseris, & in tui societatem Deum ipsum adducere curaueris. Tali socio comitatus dicere poteris: *Omnia possum*, non viribus fortitudinis meæ, *sed in eo, qui me confortat.* Hæc omnia breui discursu succingere possumus, iuxta Beati Augustini doctrinam. Nobis quidem statuta est pugna cum dæmone: sed hoc ipso videtur, non posse desperare victoriam, ille namque spiritus est, nos autem caro, & sine dubio spiritus potentior est carne. Quomodo ergo vincendus erit? Propterea Deus, qui nobis talem designauit inimicum, qui spiritus est, paratum offert spiritum suum, vt vires spiritus iniqui, viribus spiritus diuini reuincamus. *De spiritu suo* (inquit Ioannes) *dedit nobis.* Hoc spiritu nos præuenit, & munit, vt quoniam inimicus noster viribus spiritus agit, nos altioris spiritus robore illum superare possimus. Hac pugnandi ratione instructus fuit Dauid (vt Ambrosius annotat) dicens: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Non dicit: Ego contriui laqueum, non ausus est hoc dicere Dauid; *sed Adiutorium nostrum in nomine Domini*: vt ostenderet vnde laqueus solueretur. Hocque etiam est, quod docuit Paulus: *Non*, inquit, *est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ*, id est, contra omnes spiritus maligni nequitias. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis in omnibus perfecti stare. Non sufficiunt vires carnis necessariæ sunt vires spiritus: *Deus autem Spiritus est. Accipit ergo armaturam Dei*, vos spiritus Dei virtute accingimini, vt possitis stare. Certè Christus Dominus cum Apostolos mittebat, vt omnes inimici vires superarent, eos præuenit, dicens: *Vos autem manete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, Quia neque Iacob, vt paulo ante dictum est, ausus fuit in occursum, Esau progredi, nisi cœlesti prius fauore, & benedictione munitus, neque Dauid contra Gigantem processit, nisi in nomine Domini, id est, in virtute, & fauore, & sub auxilio Domini, qui eum fortiorem redderet. *Vos*, inquit, *manete in ciuitate, donec, &c.* nequaquam ad pugnam procedatis, nisi Spiritus sancti virtute prius muniti fueritis. Qui Spiritus Dei virtute non præstas, fuge pugnam, & congressus, vinceris enim. Si inimicum vincere cupis, te ipsum prius præpara, Sacramentorum vsu, quo virtutem Spiritus sancti comparabis, & id tanto maiori cura, quanto pugna quæ se offert, maiores requirit vires, ad orationem te ipsum reuoca, cum Sancto Iacob orans Deum, vt te non dimittat. Ex quibus constat, quod diximus, primorum armorum genus, quod requiritur ad victoriam, esse ex parte Dei, scilicet Spiritus sancti fauorem, auxilium, & gratiam.

§ 16.

Lib. de Natura, & gratia, cõt. Pelag. cap. 58.

1. Ioã. 3. 24

Libro 4. in Lucam.

Psal. 123. 7

Ad Ephes. 6. 12.

Ioan. 4. 34. & 1. Cor. 3. 17.

Luc. 24. 49

§. 15. *Requiruntur etiam ex parte nostri ieiunia, quibus equus celebris terram excauat, vt in occursum pergat armatis.*

¶ 57. ET *cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Diuino Spiritui, quo Christus erat plenus, quo, & agebatur, & ducebatur in desertum, adiunxit validum ieiunium, quamuis namque ex parte Dei munitus esset ad pugnam Spiritus sancti donis, sed aliud armorum genus, ex parte sui superaddendum fuit, asperum scilicet ieiunium. Christus sanè, inquit Diuus Ambrosius, non egebat ieiunio ad vincendum, nihilominus illud arripit, vt prius offenderet opere, quod posteà docturus erat sermone: *Cauete, ne grauetur cor vestrum in vino, & crapula*, vtque nos instrueret, ad victoriam comparandam, esse quidem in primis necessarium Spiritus sancti fauorem, sed oportere etiam adhibere mortificationis, & pœnitentiæ opera, quibus carnem nostram subijciamus. Ieiunans vincit (inquit Origenes) vt, & tu scias, huiusmodi genus dæmoniorum, ieiunijs, & orationibus superandum. Sapientissima fuit illa Salomonis oratio, qua suæ infirmitatis, & imbecillitatis conscius, ad diuinæ Sapientiæ auxilium, & fauorem à Deo postulandum, se conuertit: tam necessaria est enim, quod *etsi quis consummatus fuerit inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur.* Sapientiæ nomine, gratia Spiritus sancti intelligi potest, quæ secum defert veram sapientiam, illuminantem ignorantiam, dirigentem intellectum, adiuuantem infirmitatem, roborantem imbecillitatem nostram. *Mitte*, inquit, *illam de cœlis sanctis tuis, & à sedi magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Augustinus legit: emitte illam, eodem modo, quo in Psalmo: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Mitte*, inquit, *illam de cœlis sanctis tuis*: neque enim terra talia potest præstare, superna est, de qua Iacobus dixit: *illa autem sapientia, quæ desursum est.* Perit autem etiam, vt eam mittat *à sede magnitudinis tuæ*, nam vt dixit Christus: *Pater cœlestis de cœlo dat Spiritum bonum petentibus se.* De quo dixit Dauid: *qui rigat montes de superioribus suis.* Illum autem postulat, *vt mecum*, inquit, *sit, & mecum laboret.* Verbum Græcum, *Copiasi*, laborem denotat cum fatigatione. Non peto diuinæ tuæ sapientiæ, & gratiæ, fauorem, vt illa agat omnia, & ego somno, & delicijs me tradam, sed vt per illam ego adiutus, opera virtutum, quæ cum carnis fatigatione, & labore exercentur, operer: illa quidem est, cui opera tribuuntur, sed ita, vt ego etiam, quæ mea sunt, simul perficiam. Quibus alludere visus est Paulus: *Laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum*: quem locum exposuit egregiè Augustinus, vt voluerit dicere, diuinæ gratiæ addendam esse diligentiam nostram. Hoc igitur armorum genus superaddendum est ex parte nostra, laboriosa opera, qualia sunt, ieiunium, mortificatioque carnis, vt victoriã de inimicis nostris reportemus. Celebris est illa equi descriptio, quam Deus suæ potentiæ opera commendans, tradidit, agens cum Beato Iob. *Nunquid præbebis equo fortitudinem? Terram vngula fodit, exultat audatter, in occursum pergit armatis.* Admirandam equi fortitudinem expendit Deus, quæ à natura ipsa, videtur ad victoriam ordinata. Vnde quod Vulgatus posuit, *Fortitudinem*, in Hebræo est, *Gabar*, quæ vox, dominium, & triumphum significat, quia inter omnia animantia, videtur ordinata equi fortitudo ad triumphum, & victoriam: quapropter eam homines in bello sperant, fidentes in curribus, & equis, vt Sacræ Scripturæ sæpissimè referunt. Vnde, & Plutarchus refert, Romanos solitos fuisse Marti, bellatorum duci, immolare equum victorem, quia animosa, inquit, est bestia, & bello apta, per quam, quia victoria comparatur, dum hæc offertur Marti, significatur, tali Deo victoriam acceptam ferendam. Quod, & Deus expressisse

Vi-

Lib. 4. in Lucam.

Luc. 21. 34

Hom. 2. in Exod.

Sap. 9. 6.

Sap. 9. 10.

Lib. 4. de Trin. c. 20.

Ps. 103. 30

Iacob. 3. 17

Luc. 11. 13

Psal. 103.

1. Co. 15. 10

Lib. de gratia. & lib. arbitr cap. 15.

Iob 39. 19.

In quæstio. Rom. 97.

¶ 58. videtur, subdens: *Vbi audierit buccinæ, dicit: Vah: procul odoratur bellum.* Dictio, *Vah*, interiectio est lætantis, aut excitantis, ficut ea, qua Hispani vtimur, *Ea, ea, fus, fus*, quam vocem fortè Hispanus sermo, sicut plures alias ab Hebræa lingua mutuatus est, in qua equus vocatur *cuc*, *aut fus*. Brixianus superfluum putat inquirere radicem, à qua ita dicatur. Pineda credit dictũ fortè è radice, Sos, quod est gaudere, & exultare, quod equus quasi gaudens sit, & exultans audacter, & seipsum acuens ad bellum, cum buccinam audit, significatque Deus hoc differre equum ab alijs animalibus, alia namque dum audiunt buccinam, fugiunt, aut certè terrefiunt, sed equus quasi agnoscens se natum ad bellum, hoc ipso quod buccinam audit, seipsum ad illud excitat, & vt dixit Aristoteles, feruidus fit, & ardens. *Et procul odoratur bellum*: præsagiunt namque (inquit Plinius) equi bellum tanquam rem ad quam productos se agnoscunt. Vnde, & Virgilius dicit, quod Carthaginenses effodientes ac inuenientes caput equi, tanquam belli augurium illud acceperunt, & ait, quod cum quidam dixisset, se quatuor equos in gramine vidisse, patrem Anchisem, tanquam belli omen interpretatum visionem, dixisse: Bellum, ò terra hospita portas: Bello armantur equi, bellum hæc armata minantur. Quomodo autem ad bellum procedat equus, explicat Deus, dicens: *Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis*. Non contentus est fortitudine, quam ab authore naturæ accepit, sed vt armatos impetat, terram vngula fodit. Non solum (inquit Gregorius) contra venientes inimicos nõ me tuit, sed, & in eorum occursum pergit, vires tamen resumit, & seipsum fortiorem reddit, dum priùs terram vngula fodit. Hoc namque legitimi validissimique equi proprium est, dum inimicos impetere parat, terram priùs vngula excauare, à quo cabelli nomen apud Latinos, & Hispanos, fortiri visus est. Quod, & annotauit Virgilius. Canitque Tellurem, & solido grauiter sonat vngula cornu. Hanc autem pedum concitationem, & excauationem terræ, quidam ad generositatem magnitudinemque animi referunt. Ita Nemisianus cecinit: Nec per officium stando tenet, vngula terram Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat. Similiter, & Ouidius: Quam tumidus, quantoque venit spectandus ad vsu: Compescatque solum generoso concita pulsu Vngula? de quibus videndus est Ælianus, de equo agens. Verè tamen ad quandam naturæ inclinationem referendum est, vt per illam excauationem terræ, animos sibi faciat, vires acuat, & augeat, eo modo, quo qui cursum celerem aggredi vult, prius quosdam retro passus emittit, & seipsum huc illucque impellit, inde in seipso vires, agilitatem, & robur acturus. Vnde postquam terram vngula validè perfoderit *exultat audacter*, in Hebræo *in fortitudine*, vel *fortiter*, quasi inde se fortissimum redditum sentiens, & vires suas exactas agnoscens: *Et in occursum pergit armatis*, in litibus inquam, loricatis, omni armorum genere instructis, & refertis. Septuaginta legunt: *Procedit in campum in virtute*, id est, postquam terram vngula perfoderit, quasi iam inde robur, & virtutem auxerit, & traxerit, in arenam descendit, vt simile sit ei, quod dicit Virgilius; Hinc bellator equus campo sese arduus infert. Hæc quidem cum a Deo tradita sint, ne quaquam vacua cœlestibus mysterijs erunt credenda, vt sæpè similia, quæ Deus proposuit, explicans Gregorius admonuit. Etsi solummodo nunc, de equo, quę in cortice sonant, voluisset Deus proponere, non maiorem sapiẽtiæ profunditatem eius verbis haberẽt, nec altius mentis illius conceptus procederent, quam Philosophorum, & Poetarum, qui naturam, generositatem, audaciam, fortitudinemque equi canoro versu, & soluta oratione mirè prosequuti sunt, semperque in mente ego illam Beati Pauli sententiam habeo: *Nunquid de bobus curæ est Deo*. Vtique propter nos hæc dicta sunt, quos sub typo eorum, quę in quibusdam naturæ operibus expendit, altiori sapientiæ consilio vult instruere. Consideranda igitur sunt naturæ opera, sed ad altiora mens nostra est cri-

In arca. to. 2. fol 4. *In cap. 39. 1sb.* *3. Ethi. c. 7* *Lib. 8. c. 42* *1 Æneid.* *Lib. 31. Moral. cap. 23* *3. Georgic.* *Lib. 6. c. 19* *2. Georgic. ¶ 59.* *1. Cor 9. 9.*

erigendâ. Nec dubium esse potest, his verbis, Deum viros sanctos describere voluisse, quos vt ibi annotat idem Gregorius, sæpè equorum nomine, & specie in Scriptura sacra depingit: vt *a*, *Viam fecisti in mari equis tuis*: Et *b*, *Posuit eos, vt equos gloriæ suæ in bello*. Sicut namque equus ad bellum est conditus, & in mundo constitutus (*Equus paratur in diem belli*, inquit Sapiens) ita ad hoc in mundo constitutus est homo, vt bellum agat contra dæmonem, quem superando, victoriæ coronam assequatur. Cuius propterea vita, dicitur, *Militia*, vt alibi demonstratum est. De qua re videndus est Origenes, explicans illud: *Equitatui meo in curribus Pharaenis assimilauite*. Huic quidem equo, Deus præbet fortitudinem: ipse est namque, de quo dixit Dauid: *c*: *Tu es Deus fortitudo mea*: & iterum, *d*, *Posuisti vt arcum æreum brachia mea*, & alibi: *e Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem*. Homo namque ex seipso infirmus est, & imbecillus, qui nisi diuinæ gratiæ fauore muniatur, vincere nullatenus potest; bellum siquidem agit contra armatos, id est, contra dæmones, quorum Principem CHRISTVS vocauit *fortem armatum*; fortem, propter naturæ excellentiam; armatum, propter innumeras nocendi artes, & machinas, quibus contra homines munitus est. Vt tamen equus victor euadat, non solum supponēda est fortitudo, quæ prouenit ex solo Deo agente, & adiuuante, sed, & necessarium est, vt se ad excauandā terram conuertat, quasi inde virilem animum, fortitudinemque tracturus. Certum est namque, terræ nomine, carnem nostram exprimi, quæ de terra formata est, & terrenis inhiat. Hæc fodienda, & excauanda est vngula dura, id est, ieiunijs, flagellis, vigilijs, alijsque mortificationis operibus: indeque animus fortior redditur ad inimicorum virtutem expugnandam; vt hoc dicere visus sit Apostolus: *Cum infirmor*, per carnis mortificationem, *tunc fortior sum, & potens*. Tunc namque *audacter in occursum pergit armatis*, cum homo Dei fauore munitus, carnem suam validō subiecit ieiunio, & eius vires forti mortificatione cōtriuit. Quæ, & in ipso Beato Iob videre possumus, quē tamen equum gloriæ suæ videtur Deus posuisse. Quem Origenes *a*, vocat Sanctum Dei prælatorem, Chrysostomus *b*, Agonothetam cœlestem, & *c*, patientiæ pugilem, & Augustinus *d*, omnibus militibus superiorem. Et quidem iuxta eiusdem Origenis sententiam, sanctus ille vir, cum amissa bona vidisset, extinctos conspexisset filios, & seipsum sentiret vlcere pessimo percussum, carnemque suam vermibus innumeris scatentem, validum, durumque arripuit ieiunium septem dierum, quibus nec comedit, nec bibit: idque ex eo probat, quod dicitur de amicis venientibus, vt consolarentur eum; *Qui sederunt cum eo septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem eius esse vehementem*. Qui os non aperuerunt ad loquendum, minus credendum est aperuisse ad comedendum; propterea, inquit Origenes, ieiuni, & sine potu, & sine sermone assederunt septem diebus, quos credit, diuina virtute confortatos fuisse. Illi autem ieiunauerunt, & tacuerunt, quia Iob videbant ieiunantem, & tacentem. Et quamuis censeat ille, S. Iob in domo sua sedisse cum amicis, verius tamen est, quod communi sensu SS. Patres docent, textusque ipse indicat, extra ciuitatem in sterquilinio se ipsum recepisse. Itaque S. Iob videns mala, quæ sibi euenerant, ciuitate egressus in sterquilinio se ipsum locauit, & tam validum ieiunium arripuit, vt, & amicos venientes, & astantes, ieiunare compulerit. Ratio horum est, quia intelligebat se equum, positum ad bellum, & vt inquit Origenes ipse, tot dæmones sibi oppositos conspiciebat, quot vermes in corpore sustinebat, in quorum vnoquoque peculiarem inimicum considerabat. Vnde Deo prius gratias agens, & eū adorans, quod spiritus sui fortitudine eū munierit, cœpit terrā vngula fodere carnem inquā suam, valido ieiunio, quasi conficere, & testa eandem radere,

a Hab.3.15
b Zach.10. 3.
Prou.21.31
Iob 7.
Hom.2.in Cantica.
Cant.1.8.
c Psa 42.
d Ps.17.35
e Psa.29.1
Matth.12. Luc.11.
2.Cor.11. 19.

a Tract.1. in Iob.
b Hemil.in Iob.
c Epist.1.ad Olymp.
d Ser.225. de temp.
Iob 2.13. ¶ 60.
Tra.3. in Iob.
Eodē tra. 3.

re, & ſupra nudam humum iacere, vt armatis illis, quos videbat contra ſe venientes, in occurſum pergeret, ſeque tam fortiter opponeret, vt omnes diaboli ſatellites confuſione afficeret, & in fugam conuerteret. Et hoc ipſum in quampluribus viris ſanctis videre licet, ſi eorum vitas expendamus. Beatus Antonius, poſtquam diuinæ gratiæ fauore ſe munitum confidebat, & carnem ſuam multa abſtinentia, vigilijs, & mortificationibus penè confecerat, omnes tenebrarum principes ad bellum prouocabat, quos magnæ contumeliæ verbis proſequebatur, eos vocãs viles, infirmos, inertes, & totius potentiæ expertes, vt Diuus Athanaſius de illo refert. Beatus Martinus manebat in ſuo monaſterio, vigilijs, & abſtinentijs intendens. Inde tanquam fortiſſimus equus ad Eccleſiam proficiſcebatur, ad dæmones expugnandos, qui multorum corpora obſidebant, quo egrediente monaſterio, non minori terrore dæmones afficiebantur, quàm rei, cùm iudicis aduentum, à quo ſe morte damnandos timent, præſentiunt, ita vt clerici, qui nihil de ſui Epiſcopi aduentu cogitabant, illum aduenientem ex dæmonum tremendis vocibus manifeſtè cognoſcerent. Id ipſum videre licet in multis Sanctis, quos quidem cœleſti vi debis fortitudine, & ſpiritu munitos, ſed terram carnis ſuæ ita excauantes, vt quaſi exanguem illam flagellis, & infirmam, imò extinctam ieiunijs, & vigilijs reliquiſſe viderentur, inde traxerũt vires, animoſque ſibi fecerunt, verius quam cùm equus terram vngula fodit, quibus explorata erat illa Ambroſij ſententia: Ieiuna ſi vis vincere, quod ex ſequenti diſcurſu fiet manifeſtius.

In vita Antonij.

Lib. 4. in Lucam.

§. 16. *Spiritus ſancti donis, Chriſtus adiunxit ieiuniũ, quia caro mortificãda eſt, vt adiutores ſimus gratiæ Dei.*

SAluator, qui Spiritu ſancto plenus erat, ieiunij arma rectè ſubiecit, ieiunans quadraginta diebus, & noctibus, quia vt Spiritus ſanctus animam inhabitans, non opera prorumpat, quibus vincatur inimicus, requiritur, vt caro comprimatur, reddaturque infirma. Nota eſt ſiquidem doctrina Apoſtoli, carnem, & eius opera contraria eſſe ſpiritui, impedireque illius opera. Vnde, ſicut quantò caro fuerit validior & fortior, eò magis impedit ſpiritum, ne in opera ſua prorumpat, ita quantò illa fuerit infirmior, & magis compreſſa, liberius ſpiritus ſua opera producet. Hoc vel experientia ipſa compertum eſt. Excitat ſiquidem ſpiritus ad cœleſtium contemplationem, & meditationem, certè ſi caro edulijs vinoque fuerit repleta, ita à tali opere impeditur, vt vix poſſit homo vel leuiter ad ſuperna mentem eleuare, quem ſomnus opprimit, & vapores cerebrum eius obnubilant. Similiter inducit ſpiritus ad caſtitatem, & munditiam: hanc non ſolum impedit caro, comeſſationibus, & delitijs tradita, ſed, & immũdos motus eructat, ideoque Apoſtolus cõmeſſationibus, & ebrietatibus adiunxit cubilia, & impudicitias: *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, nõ in cubilibus, & impudicitijs.* Ad pacem ſeruandam inclinat ſpiritus, quam qui carnem impinguat, difficilè tenet, quoniã abũdans ſanguis circumdans cor, facilè accenditur, & implacabilẽ iram parturit. Cum autem caro comprimitur, hoc ipſo ſpiritus liberior redditur, vt opera ſua perficiat. Idcircò Spiritui Dei debet homo addere mortificationis opera, quibus eũ (vt ita dicam) adiuuet, vt in ſua opera prorumpere poſſit. Ex hac doctrina explicãs Origenes illa verba Chriſti Domini:

¶ 61.

ad Gal. 5. 17.

Rom. 13. 13

Hom. 1. in Pſal. 37.

mini: *Spiritus promptus est, caro autem infirma*, annotat, rectè infirmitati carnis adiunxisse promptitudinem spiritus, & aptè exposuisse, quod dum infirmabatur caro, spiritus promptus erat. Hæc namque, inquit, in se describens, nostris eruditionibus præbebat exēplum: quia propter nos, & nobis infirmus erat. Ideò consideremus nosmetipsos: si infirma est caro nostra, si non delitijs, uxuriaque resoluitur, videsi per abstinentiam quotidianam infirma efficitur caro, etsi per continentiam desideria resecantur, libido comprimitur, &c. Hinc dicitur homo, adiutor Spiritus, & coadiutor Dei in Scriptura sacra, quamuis namque dicat Apostolus, quod *nullus adiuuit Spiritum Dei*, hoc intelligendum est directè, & per se, bene tamen tanquam remouens, prohibens, quomodo adiuuat fontem fluentem, qui terram excauat, per quam liberè fluat, quod alibi latiùs exponetur. Et ita potest intelligi illud: *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: nam quamuis communi sensu Patres intelligant, Apostolum loqui de prædicatoribus, qui *Dei adiutores* ab eodem dicūtur, sed etiam possumus intelligere, quod loquatur de cūctis fidelibus, quos hortatur, vt adiuuent, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Vt namque gratia, per quam Spiritus sanctus habitat in nobis, otiosa non sit, sed potius in opera per virtutum exercitationē prorumpat, oportet, vt, & nos adiuuemur, eo modo, quo granum terræ mundatum adiuuat is, qui terram aratro, aut vomere, aut ligone proscindit, nam quo terra magis fuerit aratro contrita, eo granum maiori potentia germen emittit. Ita cum Spiritus sancti gratia, quę est quasi semen vitę æternę, in homine seritur, quo quis terram carnis maiori cura aratro, & ligone pœnitētię scindere, & excauare conatus fuerit, eò gratia ipla potentius æternę vitæ opera germinabit. In eundem sensum possumus, & illud accipere; *Pacem sequimini cum omnibus, & vitæ sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Communis est sanctorum Græcorum interpretatio, quod Paulus ad continentiam, & castitatem hortatur, quam ille frequenter sanctificationem, aut sanctimoniam vocat. Ita Chrysostomus Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, & ex Latinis, Anselmus. Alij intelligunt munditiam ab omni peccato, vt Gregorius *a*, & Diuus Thomas *b*, sed Beatus Hieronymus *c* nomine sanctimoniæ, videtur intellexisse abstinentiam, ieiunium, & carnis mortificationem: nam quamuis, inquit ieiunū, & abstinentia non sit perfectissima virtus, cæterarum tamen virtutum fundamentum est, sine qua vera animæ sanctitas, & munditia difficilè consistere potest. Ad hanc autem hortatur Apostolus subdens: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.* Est quidem gratia Dei totius boni radix, & fundamentum, & quantum est ex se, adeò potēs, vt minima gratia sufficiens sit, ad omnia peccata vitanda, & omnes inferni acies reuocendas, vt Theologi dicunt: sed ex parte hominis requiritur, vt ipse adijciat ea, quæ conducunt ad hoc, vt talis gratia non impediatur, sed in opera prorumpat, inter quæ primas tenent ieiunium, vigiliæ, & carnis mortificatio, quia sicut nihil magis nos ineptiores reddit ad opera, ad quæ Spiritus impellit, quam ipsius carnis saturitas, & luxus, ita nihil magis adiuuat, ad hoc, vt gratia Spiritus sancti in nobis existens, cum virtutibus infusis, in opera valida prorumpat, quam eiusdē carnis mortificatio, quę præcipuè fit per abstinentiam, & ieiunium. Idcirco hanc exposcit Apostolus, admonēs, quod cùm homo non sufficiat illam, deficit in eo, quod tenetur agere ipse ex parte sua, agente Spiritu sancto per gratiam suam, quod suum est. *Contemplantes*, inquit, *ne quis desit gratiæ Dei.* Videtur Apostolus alludere voluisse ad illud, quod in Scripturis sacris sæpè edocemur; Deum quidem quantum est ex se, dare vnicuique spiritus sui fauorem, quo homo roboretur ad pugnam idque tanta, talique diligentia, vt antequam diabolo concedat facultatem impugnandi hominem, iam ipse constituerit se promptū, & paratum, ad fauorem illi præstandum.

Matt. 26. ¶ 1.

Rom. 11. 34 & 1. Cor. 2. 16.

2. Cor 6. 1.

1. Cor. 3. 9.

Heb. 12. 14 ¶ 62.

a In c. 12. ad Heb. & in illud Matt. 5. Beati mundo corde.

b Li. 9. epi. 10. ad Iſicium Epiſ.

c In c. 12. ad Heb. Ielio. Epiſt. 8. quæ eſt ad Demetr.

dum. Id quod in historia Beati Iob sancti Patres annotarunt, expendentes verba illa varijs difficultatibus plena:

Iob. 1. 6. *Quadam die cum venissent Filij Dei vt, assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Quomodo, & vbi inter filios Dei affuit Satan? Filij namque Dei, Angeli vocantur, qui illi perpetuò assistunt, & *semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Nunquid Angeli sancti patiũtur secum societatem eius, quem ab initio à sua excluserunt sodalitate, & eum habent inimicum sempiternum? Sed non vacat omnia hæc nunc explicare: perspicuam tamen intelligentiam indicat Paraphrastes Chaldaicus, qui legit: *Venit dies magni iudicij, et astiterũt Angeli.* Et quidem magni iudicij dies dicitur, cum Deus statuit, hominem sanctum, & iustum, & sibi perpetuò obsequentem, qualis erat Sanctus Iob, Satanæ tradere impugnandum, & eum exponere omnibus malitiæ suæ iaculis; ita quod in eo, vt dixit Chrysostomus, totam sagittarum suarum pharetram exinaniret. Spectaculum certè mirabile, quod nec tres sapientes Reges eius amici vllatenus intellexerunt. Id autem, quod dicitur; quadam die venisse Angelos, vt starent coram Domino, non significat, eos extra illius conspectum, & præsentiam antea fuisse, sed se promptos exhibuisse ad aliquid agendum iuxta Dei imperium: metaphora sumpta à seruo, qui se præsentem exhibet, & stat coram Domino, cum intelligit, eum sibi velle aliquid præcipere. Itaque omnes Angeli ad modum seruorum se constituerunt coram Deo, promptos ad agendum id, quod illis Deus committere volebat. Cum etenim vni dæmoni esset concessurus facultatem ad impugnandum Beatum Iob, prius innumeros Angelos stantes coram se, repræsentari voluit, paratos ad auxilium ferendum illi Beato Viro, vt hoc ipso quod vnus dæmon accedere intẽtabat ad illum expugnandum, iam antea intelligamus, innumerus Angelos ad eum adiuuandum fuisse paratos: & verè dicere posset Sanctus ille vir, quod postea dixit Eliseus: *Plures sunt nobiscum, quam cum illis.* Quibus omnibus id significare voluit Deus, quod cum facultatem dat dæmoni ad agendum contra nos, prius quantum est ex se, paratum exhibet fauorem, potentiorem, & superiorem multo, omnibus viribus inimici: vt verè dixerit Paulus: *Quod non patitur tentari vltra vires.* Nam quoniam dæmoni concessit, vt magna, imò, & tota vi, contra Iob ageret, prius maiorem multò, quasi totius cœlestis exercitus virtutem in eius auxilium parauit. Et quidem non necesse Deo fuit, tot Angelorum legiones ostendere paratas, in adiutorium Beati Iob, cum ad id minimus Angelus sufficeret, contra omnes inferni portas, & vires: voluit nihilominus hoc explicari, vt abundantiam auxilij, & fauoris, quem impendere ex se ipsa paratus est, agnoscamus, & expendamus, qui totum cœlum, aut omnes Angelos cœli prius paratos ostendit, ad auxilium ferendum Beato illi Viro, quam permitteret Satanæ accedere ad eũ impugnandum. Et iuxta hunc sensum possumus etiã illa Dei difficilia verba intelligere, quæ de vinea sua agens dixit: *Ego Dominus, qui seruo eam, repentè propinabo ei, ne fortè visitetur contra eam*, quæ etsi multi sancti Patres accipiant, quasi verba animi irati, & cominantis, vt videre est apud Hieronymum, & Cyrillum? sed alij exponunt tanquam verba summæ suauitatis, & dilectionis erga vineam, vt ex Hebræo contendunt recentiores. Dominus siquidem in primis exhibet seipsum custodem vineæ: *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam:* ideo præmisit. *Ego Dominus qui seruo eam.* In Hebræo: *Ego Dominus seruans, aut custodiens eam.* Verbum custodiendi ad studiosos curatores vinearum aptè refertur. Ego, inquit, custodio, vt pupillam oculi, & sub vmbra alarum mearum protego. Et propterea necessaria abundanter eidem tribuo. *Repente propinabo ei.* In Hebræo verbum, *Sakah*, quod irrigare, aut aquam effundere significat: vt cum dicitur. *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ:*

4. *Reg. 6. 16*

1. *Cor.* 10. 13.

Epist. 3 ad Olymp. tõ. 5. ad fin.

Isai. 37. 3.

in c. 27. Isa.

Forerius, & Artas Montanus Psal. 126. 7

¶ 63.

נשׁק *Gen. 2. 6.*

Gen. 2. 6. ra: Repente subitò, quantumcunque clanculum veniat inimicus, non longè aberit meus fauor, & gratia, tanquam aqua irrigans eam. Commune est namque in Scriptura sacra Spiritus sancti dona sub aquarum irrigantium metaphora explicari. Aut *Repente*, in Hebræo est, *Singulis momentis* seu *frequentissimè*: vt velit dicere, perpetuò irrigabo eam, singulis momentis aquam effundam vt irrigetur, meum fauorem perpetuò, quantum ex me est, ei præstabo. Neque hoc tantum, sed ¶ 64. *ne fortè visitetur contra eam, die ac nocte seruo eam.* Verbum visitandi, frequenter in Scriptura sacra sumitur in malum, pro eo quod est contra aliquem agere: Ira: Isa. 10. 12. *Visitabo super fructum magnifici Regis Assur:* & Isai. 27. 1. *Visitabit Dominus in gladio suo duro super Leuiathan, &c.* Vult itaque dicere: Quoniam inimicus venturus est ad eam demoliendam, ego prius me accingo ad eam seruandam, & illâ perpetui fauoris auxilio succingo. Quidam Forerius. legunt: *Ne fiat visitatio contra eam, nocte ac die cingo eam.* Cingit Deus vineâ suam miserationibus suis, & ad modum coronæ eam circuit, vt dicere possit Da- Psa. 102. 4 uid: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, id est, vndequaque suæ gratiæ fauore te munit, vt quacunque ex parte inimicus adueniat impugnaturus, te iam munitum inueniat. Huic Libr. 6. hexaemer. c. 8. post med. expositioni fauet Beatus Ambrosius, verba Isaiæ citata expendens, iuxta Septuaginta, qui sic legit: Habes in Isaia, quia iusti anima dicit: *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa.* Munita per Christum, obsessa per diabolum. Si diabolus obsidet, adest Christi munimen, &c. de quibus infra. Deus ergo quantum ex se est, nobis paratum demonstrat, sui Spiritus, & gratiæ auxilium, & fauorem. Restat tamen, vt *nullus desit gratiæ Dei.* Quamuis namque ex se sufficiens sit, sed ex parte nostra exposcit, ad hoc, vt in opus prodeat, quod tua adsit diligentia, qua carnis impedimenta per mortificationis opera tollantur. Et propterea vt antea diximus, sanctus Iob, diuino fauori, quo erat munitus, validum subiecit ieiunium, nolens deesse diuinæ gratiæ, & fauori. Vnde, & Paulus, quâtumcunque audiuit ab ipsiusmet Dei o-

re a: *Sufficit tibi gratia mea*: nihilominus, b *castigabat corpus & in seruitutem redigebat, & c semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferebat*, & perpetuò d *in ieiunijs multis in vigilijs in fame & siti in frigore & nuditate erat*, sciebat namque, ita sibi agere oportere, ne deesset gratiæ Dei, vsque diuina gratia per virtutes infusas, quas secum trahit, in opera egregia facilè prorumpere posset, sciebat, tantò validius spiritum posse opera spiritualia producere, quantò caro, ieiunijs, & vigilijs mortificata, minus posset impedire. Ex quibus videre possumus, cur gratia Dei, & fauor in nobis otiosus comprobetur, quoniam videlicet non subijcimus, quæ necessaria sunt, vt in opera fortissima prorumpat, quia potius carnem curamus, eam delicijs, & voluptatibus impinguamus, quibus ipsum impedimus, & extinguimus Spiritus sancti fauorem, & non solùm non adiuuamus Spiritum Dei, sed, & ipsi impedimenta præstamus, dũ carni fauemus, quæ eidem Spiritui contraria est. Hoc Christus Dominus mirè nos docuit, qui hæc omnia ad nostri inctructionem operatus est, vt ex Beato Augustino e, docuit Diuus Thomas f, qui Spiritus sancti donis, quibus erat plenus subiecit val dum ieiunium, quo carnem vehementissimè maceranit. Et vt ad aliud institutum obseruauit Cyprianus g, si qui non egebat tali mortificatione, quippe qui nullam carnis rebellionem patiebatur, vt nos instruat ita laborat, quid nos agere debemus, quorum spiritus à carnis nostræ concupiscentia ita vexatur, vt cum Dauid orare, & dicere possimus: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die bellans tribulauit me?*

a 2. Corinth. 12. 9.
b 1 Cor. 9. 27
c 2. Cor. 4. 10.
d 2 Cor. 11. 27.
e Lib. 4. de Trin. c. 3. tom. 3.
f 3 p. q. 41. art. 1.
g Epist. 8. ad presb. & diacon.
Psal. 55.

§. 17. Ac-

§. 17. *A ieiunio initium sumit Christus, nostra enim perditio à gula exordium sumpserat.*

¶ 65. AIiunio Christus Dominus initium sumit, & ducit (quod non otiosè tam explicitè facer refert, & scribit Euangelista) vt ordinatissimè procederet. Nam vt dixit Beatus Ambrosius, & expendit Diuus Thomas hoc opus Christi ordinatum fuit ad Adæ liberationem, & reparationem. Quæ sententia varijs modi explicari potest, sed illum breuiter insinuemus quod scilicet Christus initium reparationis Adæ sumpsit à contrario eius quod exordium fuit perditionis illius. Nostræ perditionis initium fuit gula: sit nostræ reparationis principium ieiunium; contraria namque contrarijs curanda sunt, vt recta curationis methodus teneatur, & vt dixit Diuus Hieronymus *a*, oportuit, vt quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries, & Augustinus *b* in Sermone, quem alij Ambrosio *c* tribuunt. Arbitror, inquit, hanc causam esse ieiunij: vt quia primus Adam in Paradiso constitutus, per intemderantiam gulę gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secũdus Adam Christus per abstinentiã repararet: & quia ille contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore, peccatum mortis inciderat nũc secundum mandatum Domini, ieiunans Christus vitæ iustitiam mereatur. Hoc namque egit Saluator, vt eisdem vestigijs, quibus admissa fuerant delicta, purgarentur: hoc est, quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo. Si expendamus, quæ in libris sacris scripta sũt, videbimus, quod destructio ciuitatis Ierusalem initium sumpsit à ruptura muri. Erat ciuitas illa insignis, quam quia Deus in suæ habitationis sedem elegerat, templo illo famigeratissimo, & diuitijs ingentibus, cœlestibusque fauoribus erat illustrissima. Vt tamen hæc omnia seruarẽtur illæsa, muro valido cincta fuit, de quo quidam accipiunt, quod dixit Dauid: *Montes in circuitu eius*, id est, circundatur muro, non minus valido, & firmo, quam si fortissimis montibus esset circundata. Rex Babylonis voluit eam diuitijs spoliare, & in suam redigere seruitutem; vt hoc perficeret, omnes munitionum suarum vires eò direxit, vt murũ deijceret. Hoc cum fecisset, facile potuit ciuitatem ingredi, & de facto eam ingressus, omnes eius diuitias rapuit; liberos in captiuitatem redegit, & templum Dei ardentissimis flammis succendit. Post multos autem annos volens Deus illius ciuitatis reparationi intendere, misit illum insignem virum Prophetam, Sacerdotem, & Doctorem sapientem Nehemiam, qui magno sui labore opus destructum reparandum assumeret. Hæc ille præfiturus, primum omnium manus adiecit ad muri reædificationem, vt inde initium sumeret ciuitatis reparatio, vnde orta fuerat eiusdem destructio. Natura equidem humana extructa, & ędificata fuit à Deo, & ita condita, vt similis fuerit ciuitati Ierusalem, tum propter pacem, qua fruebatur; tum propter diuitias animæ & corporis, quibus abundabat; tũ propter partem superiorem animę, quam sibi Deus quasi quãdam sedem elegit, in qua sicut in tẽplo, virtutum fulgore ornatissimo resideret. Ad horum omnium conseruationem murum abstinentiæ erigere visus est, dicens: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: nam in quacũque die comederis morte morieris.* Rex autẽ Babylonis diabolus est, qui hanc voluit ciuitatem subiugare, eius diuitias deprædari, & illius rem succendere. Idcirco ad diruptionẽ muri omnes tentationis suæ machinas destinauit. Hoc namque curauit, vt abstinentiam præcepto Dei statutam extructam euerteret, cum dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis?* Quod, & obtinuit, dum suasione sua parentes nostros ad comedendum induxit. Cadente muro, totam occupauit ciuitatem, quam, & bonis cœlestibus spoliauit, & concupiscentiæ igne succendit, vt dicere verè posset homo, quod Iob: *Quasi rupto muro, & aperta ia-*

Lib. 4. in Lucam.
3. p. qu. 41. art. 2.
a Epist. ad Eustoc.
b Serm 77. de temp.
c Serm. 37.
4 Reg. vlt. Ierem. 52. Esd. 1. & 1.
¶ 66.
Gen. 2. 17.
Iob. 30. 14.

nua irruerunt super me, & ad meas miserias denoluti sunt. Cum autem venit plenitudo tēporis, misit Deus verum Nehemiam, id est, Christum, cui Nehemiæ nomen egregiè quadrat, quia Nehemias idem est quod consolatio vt namque cōsolaremur, Christus apparuit, quem promittens Deus præmisit: *Esa 40. 1.* *Consolamini consolamini populo meus, dicit Deus vester.* Et ipse in se adimpletam exhibuit prophetiam Esaiæ, dicentis, illum missum à Spiritu Sancto *vt consolaretur omnes lugentes Sion*: de quo, & Prophera dixerat: *Consolabitur* *Esai. 61. 2.* *omnes ruinas eius.* Et quidem, si nascente Noe, dicere potuit Lamech eius pater: *Esai. 11. 3.* *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra,* *Gen. 5. 29.* *cui maledixit Dominus*, verius nascente Christo, consolationem promittere potuit Angelus, dicens: *Annuntio vobis* *Luc. 2. 11.* *gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, &c.* Egreditur igitur iam nunc Nehemias iste ad reparationis opus perficiendum: ad hoc, postquam baptizatus est, ascendit de aqua, & ducitur in desertum. Vnde initium sumet? certè à muri extructione, ab abstinētiæ opere. Hoc propterea quasi initium operum eius, quæ fecit cùm ad annum trigesimum peruenieus, opus reparationis assumpsit, & tam valid̄ murum erexit, & extruxit, vt ieiunauerit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

§. 18. *Fame valida Christus Leuiathan prouocauit, vt venientem ad deglutiendam carnem fragilem, hamo diuinæ virtutis comprehenderet.*

¶ 67. *Libro 4. in Luc. capite de ductu Iesu in desert.*

Postea esurijt. Carnem ingenti esurie affectam, & quasi confectam exhibere voluit, inquit Ambrosius, vt prædam aliquam diabolo demonstraret, vt dum ille festinaret ad prædam suis laqueis ligaretur: vt verè iam cognoscamus quomodo Deus id perficere velit, quod promisit, se hamo expiscaturum Leuiathā. Nam qui piscem expiscari hamo contendit, hamum exhibet opertum fragilis vermiculi specie, & tanto magis operitur hamus fortis, quanto magis vera ostenditur caro vermiculi, quæ illum operit. Volens propterea Deus hunc immanem piscem diuinitatis suæ hamo capere, illum humana carne operuit: & nunc quando eam oculis ipsius Leuiathan offert; hoc singulariter contendit, veram carnem humanam demonstrare vt tanto maiori conatu ad eam deuorandam draco iste procedat, quanto apertius eam videt, veræ humanitatis signis explicatam, inter quæ fames valida, & sitis, principem locum obtinere videntur. Validissima ergo fame, & esurie, Christi Domini caro fuit afflicta. Et certè, vt obseruauit Beatus Hilarius, ita hac fame, & esurie, diuinitatis suæ virtutem abscondit, vt dæmon postea semel, & iterum deus ctus adhuc credere non potuerit, eum Deum, quem tali fame videbat affectum: & propterea ex Christi persona expli cat verba illa: *Operui in ieiunio animam* *Psal. 68. 11.* *meam, & factum est in opprobrium mihi*: quasi enim despexisse visus est diabolus illum, cuius tam fragilem cernebat naturam, quam ieiunium quasi conficeret, de quo propterea credidit, quod adoraturus esset eum, si terrenorum bonorum ei offerret multitudi ē Fuit, inquit Hilarius, ieiunium ei in opprobrium, quia per esurienti opprobrium vsque ad adorandi Satanæ contumeliam, tentatus est. Verè nunc illud dici *In Psal. 62.* potest: *Vt faciat opus suum alienum o* *Esa. 28. 21.* *pus eius: vt operetur opus suum peregrinum est opus eius ab eo.* Nihil magis alienum, aut peregrinum, & extraneum à natura rationali, cui tota diuinitatis plenitudo vnita est, quæ, & infinitam continet totius appetitus, & desiderij satietatem, quam fames & esuries valida. Hanc tamen operatus est Christus in natura sua, quia ipso volente, & cōsentiente fames confectura est, & excitata. Hoc autem à se extraneum, & alienū fecit, vt operaretur opus suum. Quodnā opus eius? *In hoc*, inqt. ioānes *apparuit. Filius Dei, vt dissoluat opera* *1. Ioan. 3. 8.*

di boli

diaboli. Aut verò, *opus suũ* dixit, quod antiquitus sibi faciendum reseruauit, expiscari hamo Leuiathan. Hoc ipse solus præstare poterat, in quo vera erat diuinitas, & vera humanitas: hac allexit, & prouocauit dæmonem, illa eum comprehendit, & cepit, sicut piscator, qui allicit vermiculi specie, & capit fortitudine hami. Et videtur Esaias in mentem reuocare voluisse factum Iosue. Superbus Rex ciuitatis Hai, populum Dei semel, & iterum Deo permittente deuicerat; quibus victorijs elatus, nullum sibi obsistere posse credebat. Decreuit Deus illum reuincere per manus sancti Iosue, voluitque vt Iosue hoc perficeret vtendo insidijs, quas ita instruxit, quod in abscondito, & latibulo posuit quinque mille viros electos, validos milites, quibus iniunxit, vt absconditi manerent. *Ego autem*, inquit, *& reliqua multitudo, qua mecum est, accedemus ex aduerso contra vrbem. Cumque exierint contra nos, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes, ab vrbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere. Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidijs, & vastabitis*, &c. Egregium certè stratagema, prouocare inimicum superbum, & insolentem, & eius animum acuere ad congressum, per fragilitatem, & timorem, quem fuga indicabat; quam oculis exhibebat, & eum comprehendere virtute abscondita militum latentium. Certè Iosue, vt faceret opus suum, capere, scilicet superbum Regem, & eius vires eneruare, id quod à se alienum erat simulauit, scilicet timere, & fugere. Non vacat nunc illam disputare quæstionem, an liceat in bello vti insidijs, nam mẽdacij cuiusdam speciem tenere videntur. Certum est tamen, vt difficit Augustinus *a*, cuius mentem explicarunt Lyra *b*, & Abulensis *c*, in bello iusto licere, imò, & esse opus insignis prudentiæ, celare inimicis mentem: & aliquando abscondere vires necessarium esse, demonstrat Vegetius *d* agens de re militari. Cæterum Beatus Augustinus in facto illo sancti Iosue, mysterium absconditum profitetur, quod quamuis ille non explicet, videtur nunc fieri manifestum in Christo, cuius expressum typum, imò, & nomen tenuit Sanctus Iosue, vt sæpè annotarunt Origenes *e*, Beatus Hieronymus *f*, & multi Sancti Patres. Ad dæmonem namque reuincendum, qui congenita superbia, præteritis aucta victorijs, summa elatione exultabat, validos milites, id est, diuinæ naturæ suæ attributa abscondit, sapientiam, potentiam, fortitudinem diuitias, gloriam, &c. & seipsum præsentem dedit oculis eius, pauperem, infirmum, debilem, famelicum, & esurientem. Itaque superbum hostem prouocauit fragilitate carnis ostensa, cum eam quasi esurie confectam demonstrauit: & ideò (inquit Ambrosius) fames Domini pia fraus est, vt in quo diabolus maiora metuens iam cauebat, famis specie allectus, tentaret vt hominem, ne impediretur triumphus. Et hac in parte figuram veritus ipsa præcellit. Nam Iosue simulauit timorem, & fugam, cum verè non fugeret, sed potius inimicos, specie fugæ prouocare, & acuere intẽderet: at Christus non simulatam, sed veriſſimam fragilitatem, & famem oculis inimici expoſuit, apto ſanè prudentique conſilio, vt dum ille ea excitatus, toto agmine ad eam capiendam procederet, virtute diuinæ ſapientiæ, potentiæ, & fortitudinis retineretur captus: vt verè dixerit Beatus Leo Papa: Malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus eſt; dum proſequitur mortalem, incidit in Saluatorem, neque ſuſpicabatur, ait Gregorius Nazianzenus, vt humanitatem aggreſſus, in diuinitatem incurreret.

Ioſue 8.

¶ 68.

a Lib. qq. in Ioſue q. 11.
b in cap. 8. Ioſue.
c In cap. 8. Ioſue q. 6.
d Lib. 3. de re militari

e Hom. 1. & 4. in lib. Ioſue.
f in cap. 16 Oſea in princ.

Libr. 4. in Luc. de duct. Ieſu in deſert. ad fin.

Serm. 9 de paſſione.

§. 19. *Diabolus sicut balæna, ad expugnandum Christum accessit, videns carnem eius famelicam: cuius cura est impetere, quos videt Dei obsequio tradi.*

¶ 69. Serm. 10. de prouidē tia.

ET *accedens tentator*. Vidit hostis, inquit Theodoretus, famem, & victoriam sperauit, pugnamque confidenter aggressus est, atque Adamum se videre putauit, vbi famis passionem cernit, &c. Non maiori auiditate piscis progreditur ad deglutiendum vermiculum, hoc ipso quod eum videt, quam diabolus accessit nunc ad deuorandum Christum, cum eius infirmam carnem circumspexit. Certum est, sacrum Euangelistam, tentatoris nomine, diabolum intellexisse: qui hoc ipso, quod vidit Christum à Patre in Iordane commendatum, & tanquam Filium approbatum, super quem, & cœlos apertos conspexit, accensus fuerat summo desiderio deuorandi illum. Magno namque studio diabolus Sanctos expugnare desiderat. Apoc. 13. 7 Vnde, & dicitur: *Datum est illi bellum facere cum Sanctis*. Contra peccatores non oportet bellum agere, inquit Homil. 5. in imperfe. B. Chrysostomus, quos in sui obsequio pacificè retinet: nullus enim, quātumcunque tyrannus, quos sibi obsequentes videt, bello impetit. *Ego* (dicebat ille impius crudelisque Holofernes) Iudith. 11. 2. Ioan. 7. & 15. *nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor*. Mundus, vt dicebat Christus, nunquam persequitur, aut odit eos, quos suos retinet, & eius amicitiam tenent: similiter, & diabolus, In sanctificatis hominibus, inquit Hilarius, maximè diaboli tentamenta grassantur, Cano. 3. in Matth. quoniam victoria magis est exoptata de Sanctis. Post varia rerum discrimina, tertia, & vltima 1. Reg. 3. 17 vnctione vnctus fuit Dauid in Regē, quando ab omnibus tribubus Rex fuit acceptatus, & prædicatus. *Audierunt autem Philisthiim, quod vnxissent Dauid in Regem*, & statim vehementissimo ardore moti sunt ad eum expugnandum: vnde, & ingenti exercitu congregato, bellum eidem inferre decreuerunt, tale, vt opus fuerit, quod Dauid se totum conuerteret ad diuini fauoris auxilium deposcendum. Hoc ipso, quod homo vngitur in regem, in baptismo, exterius quidem oleo sancto, interius autem gratia Spiritus sancti, quam exterior vnctio significat, aut in alterius Sacramenti susceptione, aut per veram contritionem in diuinam gratiam admittitur, recipiturque in Dei Filium; & hoc ipso in hæredem regni cœlestis, summa rabie ingens dæmonum multitudo excitatur, & vires suas parat ad eum expugnandum. In huius confirmationem obseruauit Augustinus, quod hoc ipso atque filij Israel biberunt aquam illam miraculosam, fluentem de petra Oreb, statim Amalec contra eos fortitudinis suæ acies direxit. Videre fratres (inquit Augustinus) quia postquam quisque de petra biberit, id est Christi Sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam accedere. Tamdiu enim quisque diabolum contra se pugnantem non sentit, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui verò illum reliquerit, & de petra bibēs, Christum sequi elegerit, necesse est vt illū patiatur infensum, cui iusto iudicio voluit præponere Christum. Ita Augustinus: quod, & similiter obseruauit Origenes, annotans illud quod dicitur in libro Iosue, Iebusæum Regem nullatenus contra Gabaonitas bellum indixisse, quoadusque vidit eos cum populo Dei fœdus inijsse. Tunc namque vocatis adijs quatuor regibus, se totum ad eos expugnandos conuertit. Sic etiam, inquit Origenes, anima humana, cum verbo Dei se sociauerit: dubitare non debet, statim se inimicos habituram; toto agmine diabolus ad inferendum contra eum bellum excitatur, vocatque in sui adiutorium, tam iniquorum hominum quam mūdi, quam rebellantis carnis acies, & vires. Hæc non obscurè admonuit Spiritus sanctus, verbis illis sæpè citati: *Fili, accedēs ad seruitutem* ¶ 70. Eccl. 2. 1.

Serm. 93. de temp. Exod. 17. Hom. 11. in Iosue. Iosue 10.

tutem Dei, sta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem: quem locũ ad hoc institutum obseruarũt Cyprianus *a*, Hieronymus *b*, Gregorius *c*, Diuus Thomas *d*, & Sanctus Leo Papa *e*. Non dicit, cum perfectionis apprehenderis summam, aut ad consummatam virtutem peruueneris: sed *accedens ad seruitutem Dei*, hoc enim ipso, quod à peccato desiteris, & viam virtutis ingredi cæperis ad te expugnandũ diabolus accedet. Videturque alludere ad illud: *Capite nobis vulpes parvulas*, ideſt, omnes vulpes, non tantum annosas, & veteres, sed, & quascunque: *Nam vinea nostra floruit*. Nihil suauius gustui vulpis, quam vuæ, vt dixerunt Galenus *f*, Marcus Varro *g*, Theocritus *h*, & Propertius *i*, quos refert noster Ludouicus Sotomaior K: signanter autem vulpes noxias esse vitibus florentibus, tradidit Beatus Gregorius Nazianzenus *l*, dum enim palmites teneros absumunt, & corrodunt, totum vitis fructum eneruant. Non curat vulpes vites in hyeme, quando nihil præstantius præseferunt, quam siccam quandam radicem, aut aridum lignum: cum vitis incipit palmites emittere, prima erumpere virgulta, & teneros palmites, tunc ad eos lacerandos, & deuorandos se conuertit. Vulpium nomine Beatus Gregorius Nyssenus dæmones intelligit, quos, & Dauid vulpes vocauerat, dicens de impijs: *Et partes vulpium erunt*. Non curat diabolus fidelem, quem etsi per veram fidem in Ecclesia videt plantatum, sed eum conspicit instar vitis in hyeme, omni virtutum viriditate destitutum, qui actibus suis nihilo ab infideli differre videtur: imò, & de quo aliquando *audiuntur aliqua, qualia nec apud infideles*, vt dixit Paulus: sed quem videt tanquam vitem in primo vere, frondes, & flores virtutum emittere incipientem, hunc inuadere statim procurat. Nec solum insequitur viros, qui varios in virtutũ via progressus fecerunt, similesque sunt vitibus, quæ vuis maturis abundant, sed, & illos singulariter aggredi curat, quos videt primos in Dei obsequium propagines, & flores emittere. Quod, & egregiè obseruauit Sanctus Bernardus, expendens rationem à sponso traditam: *Nam vinea*, inquit, *nostra floruit*. Non expectant vulpes, quo adusque vuæ ad maturitatem perueniant, sed hoc ipso quod vident vineas florentes; ad eas corrodendas properant. Non expectauit diabolus, vt peccatrix illa, multos in virtute perficeret cursus: statim in primo flore, cum ne adhuc pedibus Christi excesserat, Pharisæum contra illam commouet, & ad murmurandum excitat: similiter, & Publicanum, Pharisæi conuitijs impetiuit, statim, ac pectus percutere cœpit, vt annotat Chrysostomus. Aut verò illis verbis: *Accedens ad seruitutem Dei, prapara animam tuam ad tentationem*, aut impugnationem, alludere videtur ad illud: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*. Quæ verba Ambrosius accipit, ex persona sororis illius paruulæ, de qua dictum fuerat: *Soror nostra parvula est, & vbera non habet*: quæ pro se respondens, profitetur, se verè habere vbera, & illa quidem ad modum turrium. Verba sunt cœlestibus mysterijs plena. Circa quæ tantum id, quod in cortice relucet obseruo. Videtur enim dicere velle. Pacis fœdera cum dilecto meo iniui: sed ex hoc ipso tempore, me ipsam exhibeo tanquam murum, turribus validissimis munitam. Muri namque extruuntur, vt ciues ab inimicorum incursibus protegantur; extruuntur turres in eis, vt milites ibi residentes, illorum accessus impediãt, & repellant. Hoc namque ipso, quod anima pacis fœdera cum Deo celebrauerit, & accesserit ad obsequendum ei, oportet, vt se ad resistendum inimici incursionibus paret. Sed de ijs multa superius. (?)

a *Libr. de mortali.*
b *Li. 2. cõt. Iouin tõ. 2.*
c *Lib. 29. mor. cap. 12 & hom. 12. in Ezech.*
d *3. p. q. 41 art. 1.*
e *Ser. 1. do. 1. Quadr.*
f *Lib. 4. de alim facu.*
g *Lib. 1. de re rustica cap. 8.*
h *In Bucolis.*
i *Li. 3. Elegiarum.*
K *in cap. 2. Cant.*
l *Orat. 2. de Theol parũ post princi. pium pag. 335.*
Orat. 5. in Cant.
Psa. 62. 11.
1. *Cor. 6. 1.*

Luc. 7.
Luc. 18.
Hom. 62. ad popul.
Can. 8. 10.
Ser. 22. in Psal. 118.
Cant. 8. 8.

§. 10. *Diabolus contra Christum patris voce laudatum, vires suas conuertit, idem facit contra illos, qui habent testimonium Iesu Christi.*

¶71. *Accedens tentator.* Non distulit diabolus toto tempore quadragintà dierum tentare Christum, quod noluerit illum tentare: id namque tota mente totoque conatu desiderabat: sed quia nullum sibi videbatur ostium patere, per quod ingredi ad tentandū posset, quoulq; Christus exhibuit carnem suam esurientem, & famelicam, vt obseruauit Beatus Hilarius *a*, & asseruit Diuus Petrus Chrysologus *b*. Ex fame, inquit, D. Ignatius *c*, audaciam sumpsit, vt ad tentandum accederet: siquidem hoc ipso quod in Iordane vidit Christi sanctitatem cœlesti voce prædicatam, eius personam ab æterno Patre commendatam, cœlum super illum apertum, & Spiritum sanctum descendentem in specie columbæ, cuius præstantiam Ioannes prædicare, & manifestam facere populo cœperat, ad eum expugnandum omnes fortitudinis suæ vires, & machinas conuertit. Nullum siquidem maiori conatu diabolus exterminare procurat, quā virum sanctum, cuius sanctitatem virtutemque cœlo, hominibusque probatam, & cognitam videt. Qui namque talis est, hoc ipso grauissimū nocumentum diabolo infert, dum ex illius potestate, & dominio innumeros peccatores liberat. Nota est ipsi, experientiaque comprobata, illa Spiritus Sancti sententia: *Probata virtus corripit insipientes.* Illa dicitur virtus probata, quæ omnibus est nota, & varijs experimentis, ac vsu comprobata. Hæc maximas vires habet, ad insipientium correctionem: quia nullus tam efficaciter peccatores corrigit, & ad meliorem frugem reducit, quam vir Sanctus, qui suarum virtutum luce, & verborum pondere, illorū tenebras expellit, adeo vt vnus talis sufficiens videatur, ad vnius ciuitatis conuersionē. Et videtur hæc sententia in mentem reuocare velle id, quod dixit Dominus ad Abraham: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Non quoscunque iustos requirebat Dominus, sed eos, qui essent iusti *in medio ciuitatis*. In Scriptura sacra, esse, aut habitare in medio ciuitatis, est esse notum, & in æstimatione habitum apud omnes habitatores ciuitatis. Sic, quando mulier illa, cui suum fauorem Eliseus offerebat: respondit: *Mulier sum, quæ in medio populi habito*: id est: Non egeo alicuius fauore, quippe quæ nota sum omnibus, & in maxima æstimatione habita. Ita, & Dauid: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*: id est, non erit in æstimatione, aut pretio apud me, aut in domo mea peccator. Non ergo Dominus iustos quoscunque requirebat, vt Sodomorum ciuitatibus parceret: multos namque ibi pueros innocentes fuisse credendum est, sed illos qui essent, *iusti in medio ciuitatis*, ideſt, quorum virtus toti ciuitati esset cognita, & explorata. Si namque tales essent, decem eorum, imò, & quinque, sufficientes ad illarum quinque ciuitatum conuersionem iudicarentur. Propterea Beatus Chrysostomus, eos comparat fermento, cuius modica quantitas sufficiens est, ad totam massæ crudꝰitatem corrigendam. Vellem, inquit, sicut Beatissimum illum (de Lot agit) virtute præstantes in medijs ciuitatibus esse, vt quasi fermentum facti alijs, multos ad sui imitationem trahant. Quasi volens Deus aliquid fermenti commiscere, cum populus ille peccauit, dixit ad Moysen: *Descende, vade peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti*: quasi vnicus Moyses sufficere posset, ad eos omnes reparandos. Quid vnicus egit Paulus, *qui ab Ierusalem vsque ad Illyricum, replenit Euangelium*, tot animas ex dæmonis eripiens potestate, quot ad Euangelicæ lucis participationem pertraxit? Quid egit vnius Antonij vita, cum mundo patuit? Augustinum ex dæmo-

a Cant. 3. in Matth.
b Serm. 12.
c Ep 8. ad Philip. tō 3 Bibli. SS. PP. pa. 21.

Sap. 1. 3.

Gen. 18. 20

4 Reg. 4. 13

Psal. 100. 7

Hom. 43. in Gen. 19. 2.

Genes. 19.

Exod. 32. 7

Rom. 15. 16

nis

nis faucibus extrahere cœpit, vt ipse
¶ 72. Augustinus fatetur, & multos Roma-
Lib 8. conf. cap. 6. norum nobiles, ad sequendam Christi
militiam allexit, vt Beatus Hiero-
Epi. 16. ad Principiū. nymus dixit. Quid illius mulieris proba-
ta virtus operata fuit? de qua refert D.
Theodoretus, quod cum à pyratis ab
Iberia in quandam Asiæ ciuitatem
fuisset adducta captiua, vbi idola cole-
bantur, tali vitæ puritate nituit in o-
culis infidelium, quod omnes summo
consensu decernerent, illum Deum
colendum, & sequendum tanquam ve
rum, quem talis, tam inculpatæ vitæ
mulier colebat, quam propterea tan-
quam magistram elegerunt, & idolo-
latria relicta ad Christi fidem, & cul-
tum conuersi sunt. Quid excellentissi-
mi Patres nostri Dominicus, & Fran-
ciscus? quos Deo tanquam sufficien-
tes duces ad totum mundum dæmonis
potestate liberandum, beatissima Vir-
go Maria obtulit, & proposuit Chri-
sto, quando propter innumera scelera,
tribus lanceis in manu vibratis, ita
vehementissima succensus, veniebat
ad illum destruendum, & perdendum
vt Sanctus Vincentius Ferrarius in E-
pistola ad Benedictum tertium decī-
mum late prosequitur, & expendit: &
Diuus Antonius enarrat. Hinc Chri-
3. p. Histor. stus sufficienter prouidit Ecclesiæ suæ
illos famigeratissimos duodecim viros
relinquens, quos sufficientes existima-
uit, ad totius orbis conuersionem, qui-
Matt. 5. 16 bus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera bona, &c.* Si namque ad tenebras totius orbis fu-
gandas, & corporeos oculos illustran
dos, sufficientissimè Deus prouidit,
vnicum Solem producens in cœlo,
quanto magis tot fulgentissimi Soles,
luce clarissima virtutum, miraculo-
rum, & doctrinæ radiantes, sufficere
poterant, ad illuminandum mundum
pellendas ex eo tenebras, & illarum
Principem effugandum? Quos propte-
rea Sal terræ vocauit, quoniam suffi-
cientes erant ad putorem, contagium,
& corruptionem carnis pellendum.
Lucem itidem mundi vocauit, propter
rationem dictam De illis, & eorum si-
Sapi. 3. 7. militibus dicitur: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent:* quem locum Athanasius *a*, Gregorius *b*, de Sanctis viris, clara virtutum luce fulgentibus, intelligunt, & aptè Gregorius arundineti nomine mundum aut seculum intelligit, in quo homines
a Libro de fuga sua.
b Libro 3. moral. 4.
seculares intenti, tanquam calami, aut arundines viuunt, & crescunt. Rectèque vocantur arundines, tum propter inconstantiam in bono, quos leuis aura huc illucque trahit, quomodo Christus de Ioanne dixit: *Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam?* tum propterea quod exterius viriditatem, & pulchritudinem præseferunt, & intus vacui sunt: quomodo Prophera, Iudæorum populum vocauit calamum, quia virens exteriori apparentia, vacuus verò bono interius existebat. Et quidem scintilla si in arundineto accendatur, virorem arundinum consumit, & eas igne splendente succendit, quia Sancti viri, qui virtutum fulgore coruscant, dum inter impios conuersantur, vitiorum viriditatem consumunt, & charitatis igne fulgentissimo accendunt: quia nec minus potens est gratia, quam natura, nec ignis diuinæ charitatis in Sanctis ardens, & lucens, quam ignis corporeus in corporea materia succensus. Hos propterea diabolus peculiariter expugnandos assumit, tanto maiori conatu, quanto eos maiori vidit sanctitatis luce fulgere. Hinc intelligemus visionem illam celebrem, quam supra expendere cœpimus, & tredecim libris eruditissimis, quos de Victoria Verbi Dei inscripsit, explicandam assumpsit Rupertus. *Draco* ille rufus, & immanis, habens capita septem, & cornua decem primum omnium conatus fuit deuorare filium mulieris illius cœlestis; ita quod omnia capita, & omnia cornua, ad hoc direxit. Et quidem sicuti capitis nomine, intelligimus cogitationes, discursusque mentis, quomodo dicere solemus, aliquem carere capite, qui nullatenus discurrit, alium habere caput præstantissimum, quoniam magna sapientia, & integro discursu vtitur: ita nomine cornu, Scriptura sacra, vires, & fortitudinem exprimit, quia animamalia, quæ illud habent, in eo sitam
Matt. 11. 7. Esa. 42. 3.
¶ 73.
Lib. de victoria verbi Dei. Apoc. 12.

vim, & fortitudinem habent, vt alibi dictum est. Draco ergo, septem capita (quo numero Scriptura vniuersitatem designare solet) id est omnia capita, omnē astutiam, omnem cogitationem sapientiam, &c. & omnia cornua, id est omnem potentiam, fortitudinē, & virtutem direxit contra filium, quem mulier illa cœlestis enitebatur. Cum tamen non potuisset illum deuorare, quin potius vidit illum in cœlum se recipientem, cui potestas summa data fuit conuertit se contra mulierem ipsam, & aquarum immensum flumen ex ore profudit, eandem suffocare cōtendens, quæ cœlesti fauore liberata fuit. *Et iratus*, inquit, *est draco in mulierem & abijt facere prælium, cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*: Quæ verba per recapitulationem explicanda credo, quasi voluerit Ioannes explicare, quomodo draco mulierem fuerit persequutus. Iratus namque in illam, omnes malitiæ suæ æstus, & machinas, (quos fluminis nomine ad eorum perennem cursum, & multitudinem indicandam, expressit (contra eam excitauit: hoc tamen ordine, quod post filium in cœlum assumptum bellum acturus contra mulierem. & malitiæ suæ aquas contra eam effusurus, primo *abijt facere bellum, cum reliquis de semine eius*: id est, cum semine, quod in ea relictum fuerat: *Qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*: sicque bellum crudele contra mulierem excitauit. Quo pacto si visionem exponamus, facilè erit componere multa, quæ apud Interpretes magnam habent difficultatem. Quæ omnia Rupertus tredecim libris prædictis eleganter exponit, demonstrans, primo dæmonem omnes astutiæ, & potentiæ suæ vires in eo posuisse, vt Christum perderet, & absumeret, quem mulier cœlestis, Ecclesia scilicet sancta, ex Abraham descendens, per beatissimam Virginem (quæ vterus propter ea Ecclesiæ dicitur) erat paritura. Nullatenus tamen id diabolus consequi potuit: nam quo tempore credidit draco, se Christum deleisse, quem ministrorum suorum manibus affixerat cruci, ille victor euadens, surrexit, in cœlum *fuit assumptus vbi sedet à dextris Dei*, absoluta, & omnimoda potestate in cœlum, & terram accepta. Tunc draco, contra Ecclesiam omnes vires suas conuertit, eam que suffocare tribulationum, & persecutionum aquis contendit, quas innumera contra eandem excitauit. Hoc tamen ordine, quod post Christum in cœlum assumptum, summa rabie, omnes furoris sui machinas, & vires conuertit, vt bellum ageret contra semen, quod in ea relictum fuerat, vt eo innumerabiles filios parturiret. Pars enim magna (inquit Rupertus) restabat, pars nobis optabilis, & necessaria, quæ nobis Gentibus, tali enunciatione semel, & iterum reposita est: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Ad hanc partem perficiendam, Apostoli duodecim electi fuerant, atque reseruati, ipso dicente: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt adimpleretur*, inquit, *sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, &c. Sed egregiè Ioannes, hac descriptione sanctos Apostolos, Apostolicosque viros expressit, in eo primum quod eos vocat, *Semen eius*: quo nomine sæpissimè, aptissimèque illi in Scriptura sacra describuntur. Cum ad literam de Christi mysterijs loqueretur Esaias, rem concludit dicens: *Semen sanctum erit, id quod steterit*. Vbi Theodorion, vt annotauit Hieronymus: *Semen sanctum columna fundationis eius*: quam lectionē, vt ait Origenes, approbauit, ex translatione Septuaginta, & refert etiam translationem Aquilæ: *Semen sanctum erit germen eius*. Quibus verbis nihil aptius dici posse videtur, ad Apostolos exprimendos, quos posuit tanquam columnas ad Ecclesiā fundandā, de quibus per Dauid dixit: *Ego cōfirmaui columnas eius*. Posuit itidē tanq; semen sanctum, id est, semen sanctitatis, aut Sanctorum qui in Ecclesia futuri erant sicuti in Sacra Scriptura, qui iniquos filios producturi erant, vocatur semen nequam aut mēdax, Et videtur Propheta ad illud alludere voluisse, & ipsemet prædixerat: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*, &c. Nisi enim Christus re-

Mat. 19.

Lib. 13. de victor. ver. bi Dei c. 3.

Gen. 22. 18

Ioan. 18. 8.

¶ 74.

Esai. 6. 13. In c. 6. Esai

Psal. 74. 4.

Esai. 1. 9.

li-

liquiſſet Apoſtolos, ex quibus fidelium abundans ſeges conſurgat, omnia conſumpta fuiſſent. Verè itaque dicuntur ſemen, quod relictum fuerat. Quod, & ſimiliter apud eundem Prophetam æternus Pater confirmauit ad literam, cum Filio in carne ſubſiſtēte loquens:

Eſai.44.1. *Et nunc*, inquit, *audi Iacob ſerue meus, & Iſrael quem elegi*. Vbi Septuaginta, vt annotat Hieronymus addiderunt, *Iſrael dilectiſſimè*, quo clarius Chriſti perſona, Iſraelis nomine explicaretur. *Effundens Spiritum meum ſuper ſemen tuum, &c & germinabunt inter herbas.*

L.1.de Spiritu.S.c.7. Quæ verba Cyrillus de Apoſtolis, quos Chriſtus, tanquam ſemen Eccleſiæ reliquit, intelligit, ſuper quos miſit, & effudit Spiritū ſanctum, vt germina emitterent: ſicut aqua veniens ſuper ſemen terræ mandatum, illud facit germinare: de qua re Ambroſius loquitur egregiè. Et huiuſmodi ſunt innumera loca. Sed, & amplius eoſdem deſcribit Ioannes, ſubdens: *Qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti*. Idem eſt, ait Rupertus, ac ſi dicat: Qui vigilantes ſunt in bonis operibus, & ſancto confirmati Spiritu: ipſe namque Spiritus, teſti-

Rom.8.16. monium eſt Ieſu, *reddendo* (vt ait Apoſtolus) *teſtimonium ſpiritui noſtro,*

Par.2.l.4 In Apoc.3. *quod ſumus Filij Dei*. Richardus de ſancto Victore: Qui cuſtodiunt mandata Dei, ideſt, præcepta rectè viuendi, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti, ideſt, fidelem confeſſionem Chriſti. Clarius tamen hæc verba patebunt, ſi obſeruemus, in Scriptura ſacra, habere teſtimonium, aliquid amplius ſignificare, quam reddere teſtimonium. Habere namque teſtimoniū, proprium eſt eorum, de quibus alij teſtimonium reddunt. Ita Paulus de

1.*Tim.3.7* eligēdo in Epiſcopum: *Oportet autem, & illum teſtimonium habere bonum ab ijs qui foris ſunt: & vidua eligatur non minus ſexaginta annorum quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens*. Vnde is habere dicitur

1.*Tim.5.10.* teſtimonium Ieſu Chriſti, qui ita vitam ſuam, vitæ Chriſti conformat, vt omnes teſtentur, eum verum eſſe Chriſti ſectatorem. Qua de cauſa de ſanctis martyribus dicitur, eos occiſos *propter teſtimonium Ieſu Chriſti, quod habebant*, ideſt, quia omnibus patebat, illos fuiſſe Chriſti ſectatores, & omnes teſtimonium illis reddebant, quod erant Chriſtiani. Apoſtoli igitur rectè dicuntur habuiſſe teſtimonium Ieſu Chriſti, quia omnibus erat notū, & omnes teſtimonium illis reddebant, quod erant ſerui, diſcipuli, & ſectatores Ieſu Chriſti. Et verè alluſiſſe viſus eſt Ioannes, ad illud: *Omnes qui viderint eos, cognoſcent eos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* De Apoſtolis, inquit Cyrillus, & diſcipulis Apoſtolorum, & prædicatoribus diuini verbi, hoc dictum eſt, qui toto orbe fuerunt nobilitati, & conſpicui fama, & nomine: adeo vt ad illos vniuerſus confluereret orbis, ita vt intra breuiſſimum tempus, totus orbis fit ad fidem conuerſus. Ad hos igitur expugnandos, totis viribus conuertit ſe draco, hos maximè expetiuit. *Expetiuit vos*, inquit Chriſtus: *Hunc cibum electum* quærit, cuius *caput* dixit Deus, *in nauibus eſſe piſcatorum*, vt ſupra expoſuimus. Iſti ſunt namque, qui eidem validum inferunt bellum, qui eius machinas detegunt, vireſque eneruant, qui ipſius ſubditos à tyrannica ſubiectione liberant, & ad Chriſti ſeruitutem reuocant. Quam autem crudele bellum contra huiuſmodi ſemen ſanctum, & habentes teſtimonium Ieſu Chriſti excitauerit, facile erit intelligere, ſi perſequutiones, quas contra Apoſtolos, eorumque ſucceſſores cōmouit, attendamus. Petrum perſequutus eſt, quem duris catenarum nexibus ſub Herode vinxit, & in cruce n ſub Nerone adegit: Paulum plagis, flagellis: lapidibus, & innumeris laboribus proſequutus fuit per iniquorum manus, & capite tandem per Neronē truncauit: Andræā per Egeā cruci affixit, Bartholomæū pelle nudauit, Matthæū lancea cōfodit, &c. Similiter eorum ſucceſſores Apoſtolicos viros. Linum, Cletū, Clementē, Irenæū, Ignatium, Cyprianū, Dionyſium, Polycarpū, & huiuſmodi innumeros, quorum fidem, conſtantiam, religionē quatere, & deſtruere cōtendebat: nec his tantū viſibilibus, corporeiſq; perſecutionib.

Apoc.9.9.

Eſai.61.9.

In cap.61. Eſa.

¶ 75.

Luc.22.31 Hab.1.16. Iob 41.25.

impu-

impugnabat, sed maiora durioraque aliquando spiritualia bella inferebat, vt Beatus Ambrosius annotat, quibus pertinaciter contendit, viros sanctitate præstantes euertere, & perdere. Hoc modo draco dicitur crudele bellum indixisse contra mulierem, nullo namque modo magis validius ac potentius, Ecclesiæ diabolus bellum infert, quàm persequendo viros Apostolicos, & sanctitatis claritate fulgentes, quia scit illos esse huius ciuitatis fundamenta, istius ædificij columnas, cœlos influentes in inferiora, clarissima sidera dirigentia illos, qui hoc enauigant mare, lumina fugantia tenebras, &c. Idcirco bello eos impetes, verè dicitur omnes malitiæ suæ machinas contra sanctam mulierem commouisse.

Lib. 9 in t. 21. Luc. in illud: Cum audieritis prælia.

Ser 92 de tempor.

His quadrant, quę Beatus Augustinus annotauit, non sine grandi consilio à Spiritu sancto expressum fuisse, quod hoc ipso ac populus Dei bibit aquas illas famigeratissimas de Petra Oreb excitati sunt contra illũ Amalecitæ, grande bellum committentes, vbi Deus firma constitutaque lege statuit, vt bellum esset perpetuum contra Amalech.

Exod. 17. *Bellum Domini erit contra Amalech, à generatione in generationem.* Bibit de petra populus, inquit Augustinus, & statim bellum Amalech excitatum est. Videte fratres, quia postquam quis de petra biberit, id est, Christi Sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere, tamdiu enim quis diabolum contra se expugnantem non sentiet, quam diu opera illius exercere voluerit. Qui verò illum reliquerit, & de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum, cui iusto iudicio voluit prępone re Christum. Quisquis ergo Christo coniungitur, non ad delitias, non ad voluptates, sed ad prælium prępar atur, quia omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur, qui intelligere debent, sibi perpetuum bellum indictum. Hæc, & alia Augustinus. Ex his discant in primis, viri qui tales fuerint timere, & cum multo timore, & tremore salutem suam, & aliorum operari, sicuti Paulus, qui dicebat: *Cum multo timore, & tremore fuimus apud vos.*

1. Cor. 2. 3.

Serm. 21. Ad quod institutum obtineat Augusti-

nus illa eiusdem Apostoli verba sæpiùs nobis inducta. *Ego nõ sic pugno quasi aerẽ verberans, &c. Sed castigo corpus meũ, &c. ne reprobus efficiar.* Beatus Apostolus (inquit Augustinus,) sine tremore nos terruit. Quia enim facies agnus, vbi acies tremit, &c. Vas electionis, (inquit Hieronymus, eadem verba expendens) in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorẽ suæ repugnare sententiæ, &c. & tu arbitraris absque lapsu, & vulnere posse tranare, nisi omni custodia seruaueris cor tuum? Discant insuper alij, cum aliquem talem virum viderint cecidisse, eum excusare, nec tragœdias propterea excitare, considerantes, non mirum eam ceciditse muri portionẽ, quæ omnes inimici vires quęrere, & rũpere conantur, vt scitè Diuus Thomas annotauit. Ex his patet, nullum maiores in hac vita passum fuisse tentationes, quam Christum, quem sicuti diabolus factiorem omnibus cognoscebat, super omnes persequi curauit, vt meritò dicat Apostolus: illum *tentatum per omnia fuisse*: quod, & ea etiam quæ in passione contra ipsum diabolus tentauit, manifestum reddunt. Has tamen, tot, tantas, ac tam validas voluit tentationes sustinere, vt nos instrueret, & doceret modum, quo inimicum nostrum reuincamus, vtque eum viribus enervatum nobis relinqueret, facilè superandum, vt alibi dictum est.

de verb. Apoc. *1. Cor. 9.*

Epist. 4. ad Rust. mon.

Heb. 4. 15.

§. 21. *Dia-*

§. 21. *Diabolum vocat Euangelista tētatorem, quia hoc eius est officium, & dolos tota die meditatur.*

¶ 76. *Accedens tentator.* Tribus nominibus hoc in loco sacer Euangelista dæmonem appellat: Diabolum, Tētatorem, & Satanam. De primò, & tertio nomine dictum est supra, dicamus nunc de secundo: Vocatur quidem dæmon aptè tentator, ab officio, quod nihil est aliud, quam tentare tentatione noxia, vt docuit Augustinus. Officium aliquod assumit quisquam, vt ei intendens, vitam transigere possit, propterea in quibusdam Rebuspublicis statutum legimus, quod omnes tenentur alicui officio se tradere, ne quis ocio torpescat. In hoc mundo diabolus agens, officium tentatoris ita assumpsit, vt nullus vnquàm ita alicui intenderit officio, sicut diabolus officio tentandi. Omnis enim artifex quantumcunque diligens, suæ artis opera intermittit, aut quia oportet, quod somno indulgeat, aut cibo sumendo intendat, aut à lassitudine releuetur. Cæterum diabolus, nunquam ab officij exercitatione cessat, qui nec dormitioni, aut refectioni aliquando intendit, nec lassitudinem contrahit, semper, indefessè, omni occasione, quo-
1. *Pet.* 5.8. uis loco, *circuit quærens quem deuoret*: in hoc enim positus est, & concessum est ei, in mundo manere, vt tentationibus homines impetat, quibus illi victoriæ coronam sibi possint comparare, vt alibi dictum est. *Hoc*, inquit Beatus Au-
In Soliloq. cap. 16. gustinus, *est continuum studium eius, hoc vnicum desiderium eius vt animas deuoret qui siue dormiamus, siue vigilemus, siue comedamus, siue bibamus siue quodcunque opus operemur omnibus modis instat die ac nocte fraudibus, & artibus, nunc palam, nunc occultè, sagittas venenatas contra nos dirigens, vt interficiat animas nostras.* Ita Augustinus. Hoc officium non viribus corporis agit, sed mentis, seducendo, decipiendo, instruēdo astute laqueos: ideo vocatur tētator, id est seductor, aut inductor ad malum, aut laqueorum seminator. *Qui seducebat gentes*, inquit Ioannes. Vnde vt an-
Apoc. 12.9 notauit Moyses Bar. Cephas, serpentis
Lib. de Paradis. c. 27. speciem in principio statim assumpsit, vt vel ex hoc ipso posset cognosci, hoc enim serpenti proprium est, in capite totam vim habere: ideo, & astutiæ symbolum semper fuit, quia tota diaboli vis, qua contra nos agit, in fraudibus, & machinis astutissimis sita est. Vnde, & Paulus dixit: *Ne circumueniamur à Sa-*
2. *Cor.* 2.11 *tana, eius enim cogitationes nouimus.* De quo infra latius. Hoc officium ita exequitur, vt nunquam ab illo cesset, semper, & vbique laqueos extruere parat. Quod egregiè Sanctus Dauid declara-
Psa. 37.13 uit: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam, & qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*, quæ verba Basilius de
Scholia. in Psal. 37. ea persequutione explicat, quam passus fuit à filio suo Absalon, quando amici eius, & proximi (quo nomine filium exprimit, & Achitophel, qui eius erat
2. *Reg.* 17. amicus) contra eum steterunt, & consilio coacto, dolos contra ipsum cogitauerunt. Quoniam autem Dauid expressam gerebat Christi figurā, Chrysostomus Augustinus, & Gregorius de Christo omnia interpretati sunt, quem deseruerunt amici, & discipuli, & contra quem Iudæi innumeros dolos meditati sunt. Sed ad nostrum institutum congruè omnia accipi possunt, *Vim*, inquit, *faciebant, qui quærebant animam meam*. In numero loquitur plurali, quia innumeros esse inimicos, qui in mundo relicti sunt, & nos impugnant, notum
Psal. 55.3. erat ei, qui dicebat: *Multi bellantes ad-*
Psal. 68.5. *uersum me*, & iterum: *multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*. Certum est enim, non vnicum
Hom. 14. *in Iosue.* dæmonem esse in mundo, sed quam plurimos. Quod Origenes annotat, expendens illud, quod contra Sanctū Io-
Iosue 11.4. sue congregati sunt Reges, & innumera multitudo, & exierunt ipsi, & Reges eorum cum ipsis: *sicut est arena maris in multitudine, & conuenerunt omnes Reges isti, & coierunt in vnum ad aquam Maron, pugnare contra Israel*, ide, inquit Origenes, quanta aduersum Iosue,

&

& Israeliticum exercitum, contrariarũ virtutum, & pessimorum dæmonum examina concitantur. Innumera ergo examina dæmonum contra iustos conueniunt. Hoc etiam obseruauit Hieronymus expendens illa verba: *Adhæsit vni ciuium regionis illius*. Quod autem ait, inquit Hieronymus vni de Principibus, plures esse intelligẽdum est, qui per istum volitant aerem, vt diuersorũ fraude vitiorum genus hominum suæ subijciant seruituti. Imò, & millia millium in mundo reperiri dicebat Antonius, vt refert Beatus Athanasius, demonstrauitque Beatus Hilariõ, (quem Antonius, filium suum vocabat) ex Euangelica historia, quando Dominus integram legionẽ dæmonum ex vnius hominis corpore pellens, eisdem concessit, vt duo millia porcorum corpora inuaderent, & suffocarent in mari. Cur Dominus talem porcorum perditionẽ permisit? Ad institutionem astantium, postulauerat namque Dominus, cum dæmoniacum coram se habuit: *Quod est tibi nomen, at ille dixit. Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et deprecabantur eum multum, ne in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum magnus, & deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, & concessit eis. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex precipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.* Voluit Christus Dominus, vt astantes verè cognoscerẽt, innumeram dæmonum multitudinem vnum illum hominem vexasse, non autem aliter credere potuissent (dicebat Sãctus Hilarion) de vno homine exisse tantam dæmonum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus, & quasi à multis actus pariter corruisset. Hæc refert Hieronymus scribens vitam Sancti Hilarionis, qui ex hoc ostendebat, immane odium, quo dæmones homines prosequuntur, expendens tantam illorũ multitudinem ad vnicum hominẽ torquendum conuenisse. Et quamuis quidam Theologi, vt defendant sententiam D. Thomæ, asserentis plures Angelos in vno loco esse non posse, censeant, dæmones illos fuisse in diuersis partibus corporis illius miseri hominis, vt Capreolus *a*, & ferrarienſis *b*, verius tamen alij, iuxta eiusdem Diui Thomæ sententiam censent, plures dæmones imò, & innumeros aliquando simul in vno loco esse, vt ex Magistro Cano docent Bannes, & Zumel *c*, quia tam auidè in nostram perditionem coniurant, vt ad modum exercitus se vniant, *& conciliæ in vnum faciant*, tum vt certius victoriam sperent, tum vt vnusquisque eorum, suæ satisfaciat malitiæ, cur minus satisfactum est, si non quiuis eorũ manum ad nostrum exitium applicet. De quibus infra latius. Optimè ergo Dauid, de inimicis suis in numero plurali loquitur, qui verè dicebat: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt aduersum me*: de quibus egregiè ait: *Vim faciebant, qui quærebãt animam meam*. Expende illud, *quærebãt animam meam* Non quærit diabolus aurum, aut facultates externas, sed animam: non contentus fuit, quod traderetur ei corpus Sanctus Iob, sed animã sitiebat: *Cibus eius electus*. Data est terra sibi in cibum, non tamen hæc est, quę illum delectat, sed animam cõcupiscit, quam quærit, vt perdat in gehennam. Vt hoc consequantur, *vim faciunt*: ad hoc omnem virium suarum potentiam dirigunt. In Hebræo habetur, *Vaiank sau*, à verbo *Nakas*. Quod est illaqueare, aut laqueos tendere, vel extruere? Vnde Pagninus: *Et tenderunt laqueos, quærentes animam meam*: quoniam tota vis dæmonis in hoc posita est. Ecce serpentes, quorum tota vis in capite est, vt diximus, id est in machinis, & fraudibus. *Et qui inquirebant mihi mala, locuti sunt vanitates*. In Hebræo. *Quærentes malum meum*. Ecce quid diabolus quærit, malum meum, perditionem. Offert secundum externam speciem bona, speciosa, pulchra, sed quid quærit? malum tuum, sicuti videre licet in Adam, cui bona proposuit, sed malum eius inquisiuit. Ad hoc *loquuti sunt vanitates*. Vanum est, quod secundum exteriorem speciem videtur aliquod bonum intra se continere, sed reuera nihil boni habet, vt nux vana, aut amygdala. Tales sunt dæmonis suasiones, quæ secundùm externam speciem aliquid boni promittunt, sed omni

Epist. 146. ad Damas. Luc. 15. 15

In vita Antonij.

¶ 77.

Luc. 8. 30. Marc. 5. 9. & Matt. c. 8. 30.

In vita S. Hilari. 30. 1 ad finem.

a 2. d. 2. q. 1 ad 1 cõt. 3. Conclus.
b 2 cont. Gent. c. 68.
c p. 1. q. 52. art. vlt.

Psal. 3. 2.

Hab. 1. 16.

ni bono interius vacuæ comprobantur.
In Psal. 37 *Et dolos*, fallacias, impoſturas, fraudes, *tota die*, id eſt, ſine ceſſatione (inquit Auguſtinus) perpetuò *meditabantur*. Meditari eſt, attentiſſima conſideratione, apertiſſimiſque oculis mentis conſiderare, quomodo dixit idem Dauid
Psal. 1. 2. de viro iuſto: *In lege Dei meditabitur die, ac nocte*. Dolos meditabantur, id eſt, omnibus mentis ſuæ viribus attendebant, qua ratione poſſent me decipere, dolis circumuenire, & fraudibus irretire, metaphora ſumpta à venatoribus, quibus maximè conuenit dolos meditari ad auiculas capiendas. ¶ 78. Mirum eſt, quàm auidè aucupes cupiant miſeras auiculas comprehendere, qui forſan hoc nomine vocantur, propter cupiditatem: qua ardent, auiculas capiendi, ad hoc innumeras fraudes, & dolos meditantur Ramos virides in arido ſgro plãtat venator, in quibus virgulas conſtituit veſco refertas, quaſi oſtendens auibus ſedem, vbi quieſcere poſſint ad cantandum cum alijs auiculis, quas caueis incluſas ibidẽ exhibet: laqueos abſcondit, iuxta quos grana expãdit, quaſi nihil aliud intẽdens, niſi cibum eiſdem præparare. Auiculas caueis clauſas cantantes, lætaſque proponit, & quaſdam caueas apertas exhibet, liberam exeundi facultatem ſimulans, & quaſi ad illarum ſocietatem eaſdem inuitãs: earum cantus ore refert, quaſi amicitiam earum captans, vt non fugiant, nec timeant eum, quem vocem voci ſuæ ſimilem referentem audiunt. Quid his omnibus dolis venator quærit. Certè malum auibus, earum exitium, & perditionem. Ad hoc dolos tota die meditatur. Hoc
Psal. 90. 3. agunt dæmones, quos idem Dauid venatores, aut *venantes* vocat, qui perpetuò fallacias componunt, vt vos capiant. Offert enim diabolus tibi delectationem, aut bonum delectabile, vel vtile, quaſi nihil aliud intendat, niſi tui commodum, & paſcere, ſuſtentare, & delectare, & ramum viridem, ac amœnum, in quo ſedeas: præparare. Exhibet coram oculis tuis, quoſdam alios peccati caueæ incluſos, quaſi in illa cantantes, qui in peccato perſiſtentes, lætam ducunt vitam, vt eorum expetas ſocietatem, & credas, te delitioſam vitam in peccato habiturum. Caueam exhibet apertam, repræſentans, quàm tibi liberum ſit, quando volueris à culpa exire per cõfeſſionem, & contritionem. Hoc agit tota die, hoc perpetuò operatur, hoc eius officium, laqueos extruere, tentationes parare. Et quidem tam ſapiẽs huius operis eſt artifex, vt quouis loco, quocunque tempore, ex quauis re validiſſimas extruat tentationes. Qua de cauſa à Beato Gregorio Nyſſeno vocatur, tentationum inuentor. Meritò abſolutè coqui nomen vendicaret, qui ex quacunque re, etiam ex folijs fagi, aut raphanitis, delicioſiſſimos cibos præpararet: ſimiliter, qui ex quacunque etiam minima panni portione, integrum veſtimentum homini magnę ſtaturę extenderet, & conficeret, iuſtè ſartoris nomen mereretur. Talis eſt diabolus, qui ex quacunque re, quocunque loco, ex quauis occaſione, tentationes fortiſſimas conſtruit, qui propterea callidiſſimus aduerſarius, & *Dan. 13. 52.* *inueteratus dierum malorum*, verius quàm ſenex ille, qui Suſannæ honeſtatem conatus fuit proſtituere, vocatur à Beato Hieronymo *a*. Deeſt illi in deſerto (inquit Ambroſius *b*) de paradiſo amœnitas arborum, conſiliatrix Eua; pomorũ ſpecioſa deceptio, tantum lapides in pauimento reperiuntur: ex eis tentationem conſtruit. Obſeruauit Philo *c*, Deum conſultò noluiſſe legem tradere populo ſuo, dum in Ægypto commorabatur, ſed cùm peruenit ad deſertum, vbi procul abeſſent ab illis occaſionibus, quas in Ægypto diabolus habebat ad tentandos eos, & excitandos ad legis tranſgreſſionem. Colebantur namque in Ægypto Dij multi, & varij, qui diuinitatis ſpeciem ex altaribus, & ſacrificijs præ ſe ferre videbantur: occaſione itidem ſeruitutis, & timore pœnarum poterant Hebræi induci ad multa peccata contra legem Dei. Voluit propterea Deus, vt Ægypto egrederentur, quatenus à Dijs Ægyptiorum alieni, & à potentia tyranni liberati, nihil ſe illis offerret, quod à legis obſeruantia impediret, imò in ſolitudine habitantes, ſolius veri Dei opera contemplantur cœlos, Lunam, & Stellas, quæ ille fundauit.

Li. de beatitu. oratio. 4.

a *Epiſt. 34. ad Iulian.*
b *Serm. 35 de ieiun. Domi.*
c *Libr. de decem Oraculis.*

¶ 79.

Item

Ita quidem factum est. Nihilominus ex ijs diabolus tentationes innumeras extruxit: nam contemplantibus illis, Solis elegantiam, Lunæ plenæ pulchritudinem, & Stellarum concentum, & splẽdorem, & considerantibus planetas micantes, & scintillas quasi emittentes, persuadere inde cœpit, veros Deos esse, qui tali præstabant pulchritudine, & tot bona terris inferebant. Et ita ad eorum adorationem illos pertraxit, vt necesse fuerit, Deum prohibuisse astrorũ curiosam contemplationem. Ex ipsa insuper solitudine occasionem accepit, vt eis persuaderet, necessarium sibi esse, aliquem Deum, quem coram se videret, & conspicerent, qui illos à tam deserta solitudine liberaret, & inde impulit ad extruendum vitulum conflatilẽ, quem oportuit comminui, & in puluerem redigi, vt à tali impietate reuocarẽtur. Obseruauit similiter Cyrillus historiam Sancti Loth, quem è Sodomis eductum, in montem ascendere iubent Angeli, & quidem vxore in itinere relicta, & in statuam salis conuersa, quæ Sodomis nimis affecta, posset Sodomæ memoriam excitare, ad sublimen perueniens speluncam, securus (inquit Cyrillus) iam esse videbatur, & esse de eorem numero, de quibus dixit Esaias: *Qui ambulat in iustitia &c. Hic habitabit in sublimi spelunca petræ firmæ*: ibi nihilominus laqueos diabolus extruxit, & filias, ne sine posteritate pater earum decederet, ad incestuosos complexus excitauit, ex quibus illa impia Moabitarum, & Ammonitarum orta est multitudo. Hoc nos quotidie experimur, dum in quocunque statu, quocunque loco, & quacunque die, eius tentationes sentimus. Si diuitias habes, inde te de superbia tentat, & allicit ad luxum, si eis careas, ad furtum inducit. Si sanus es, pœnitentiam dilatare suadet, si infirmus, impatientia ferire contendit. Si nobilis, ad aliorum contemptum impellit, si plebeius, odium in te erga nobiles excitare nititur. Si vxoratus fueris, vxoris fastidium generare cupit, & prouocat, vt leues eius defectus aduertas, & magnifacias, si vxore careas, ad congressum cum aliena mouet. Si filios habes, vt nimis eorum profectibus intendas suadet: si careas, tristitiam incutere procurat. Vnde optimè Petrus clamauit: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus circuit, quarens quem deuoret*. Quibus verbis alludere videtur ad illa: *Quid tu vides Ieremia; Et dixi: Virgam vigilantem ego video*. Chaldæus, *Regem festinantem ad malefaciendum video*. In Hebræo verbum, *Sakued*, quod vigilare, & festinare significat. Voluitque iuxta aliquos interpretes Propheta, Regem Babylonis indicare, quem Deus Prophetæ venientẽ ad destruendam Ierusalem ostendebat. Commune est namque apud omnes, sceptri, aut virgæ typo Regem significari: ideò dicitur *virga Regni*, & *ne tradas sceptrum ijs, qui non sunt*, id est, Regnũ infidelibus. Sed eum venientem vidit, & vigilantem ad malefaciendum, quia eum conspexit, attentissimis oculis cõsiderantem ciuitatem, eam circũeuntẽ oculis suis, omni ex parte eam lustrantem, vt videret quomodo ei malefaceret. Vnde idem est ac si dicat: Video Regem Babylonis festinantem, & vigilantissimis oculis circũeuntem, & considerantem Ierosolymam, vt videat qua parte melius possit eam destruere, omnia eius mœnia, omnes murorum partes, omnes portas considerat, vt ei malefaciat. Qui propterea dæmonis typum tenet, qui totus in hoc est positus, vt nobis mala inquirat. Vt hoc perficiat, oculis omnia lustrat, ad omnia quæ agimus mentem exigit, opera, verba, cogitationes, eo modo quo potest, attendit, vt impetum faciat. Oportet ergo nos omni ex parte vigiles esse, & non minori cura nostræ saluti, quam ille nostræ perditioni, intendere.

Deut. 4. 19.

Lib. 1 de Adoratione.

Esa. 33. 15.

1. Pet. 5. 1.

Ierem. 1. 11.

Psal. 44. 7. Hesther. 14. 11.

§. 22. Quia

§. 22. *Quia diabolus semper, & vbique arcus habet intentos, Sancti semper, & vbique se exhibent similes rotis oculatis Ezechielis, indutos veste oculata Sacerdotali.*

¶ 80. 1. Pet. 5. 8. BEatus Petrus illis verbis, quibus nos admonet: *Sobrij estote, & vigilate quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, &c.* quæ paulò ante cœpimus explicare, ad illas videtur famigeratissimas rotas alludere velle, quas Sanctus Ezechiel vidit, quæ apud eundem singularibus describuntur aspectibus, & figuris: quia tales erant, quæ à quodam mirifico animante, quod ipse Cherubim vocat, ducebantur, illiusque sequebatur, ductu in omnibus, quæ, & ibat nec reuertebatur, quarum *totum corpus oculis*, inquit *a plenum erat b & omne corpus eorum, & colla, & manus & pennæ, & circuli, plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum*. Quæ planè figura egregiè, vt sancti Patres docent, viri iusti describuntur; qui ductore Spiritu sancto feruntur, de quibus Paulus: *Qui Spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt:* eosque ducit secundum suam voluntatem, quorum vnusquisque dicere illud potest: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Ad rotarum autem typum, & symbolum describuntur, vt hoc ipso significetur, eos esse facilè mobiles ab eodem Spiritu sancto, quos tam facilè quo vult trahit, vt ad modum Habacuc, vel vno capillo ducat. Rectè tamen oculis pleni inducuntur, quibus perpetuam vigiliam, & attentionem ad omnia, quam Sancti habent, voluit indicare: oculus enim, vigilantiæ, & solertis curæ symbolum, etiam apud Gentiles tenet. Insignis fuit illa Iouis statua, quam refert Pausanias insubdiali alta, ad quē Priamum Troia capta confugisse proditum est, tribus insignem oculis, quæ à Stehenelo Capanei filio Argos fuit translata: quibus tribus oculis, hieroglyphicè, curam, & vigilantiam Iouis, qua erga cœlestia, terrestria, & inferna erat attentus, indicare voluerunt. Non credebant, duos solummodo oculos sufficientes ei, qui tribus intentus esse debebat. Rotis autem sanctis, quas Propheta describit, non solum non sufficiunt tres oculi, sed, & innumeri sunt necessarij, in capite, fronte, auribus, collo, labijs, ore, brachijs, &c. Et in ipsis oculis, vt nec Argos, cui perpetua vigilia mandata fuit, tot tantosque habuerit. Et rectè quidem tam vigiles, & oculatos erga omnem partem Sanctus Ezechiel viros iustos describit. Descripserat namque Esaias Regem Babylonis Deo permittente venientem, ad expugnādam ciuitatem Ierusalem, habentem arcus paratos, & intentos, in omnem partem. *Ecce*, inquit, *festinus velociter veniet: non est deficiens, neque laborans in eo: Non dormitabit, neque dormiet, neque soluetur cingulum lumborum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti*. Egregia dicendi phrasi inimicum aduenientem describit: vt vigilantes reddat omnes habitatores Ierosolymæ. Primo namque quam expeditus ille veniat, exprimit: *Ecce festinus, velociter veniet*. In Hebræo, Kal, idest leuis, à verbo, Kalal, קלל quod significat leuem esse, & nullo pondere impeditum. Nihil magis cursum impedit, quam pondus, quo quis grauatur. Vnde cursores etiam vestes exuunt, vt dixit Paulus: *Qui contendit in agone, ab omnibus se abstinet*. Loquitur de luctatoribus, & cursoribus, qui præmium intendebant. Ideoque ad cursum idem ipse nos excitans: *Deponentes*, inquit, *omne pondus*. Vult ergo Propheta dicere. Veniet inimicus, nullo pondere impeditus, ideoque festinans, tāta celeritate, vt præoccupet omnem diligentiam ciuitatis: nam quo tempore ciues attendent, iam pugnātium ictibus se præoccupatos inuenient. Nihil sanè est, quod magis astuti Duces procurent, quam præoccupare eos, quos debellandos assumunt, vt subito, & ex improuiso conuenientes, illos inueniant omni cura solutos: sicut Dauid fecit cum Amalecitis, quos propterea omnes expugnauit, absque eo quod vel vnū ex suis mi-

Ezech. 1. & 10.

a Ezech. 1. 18.

b Ezech. 10. 12.

Rom. 1. 14.

Psal. 72. 23

Apud Pierium, lib. 13.

Esai. 5. 26.

2. ad Tim. 2. 5. & 1. Cor. 9. 25.

ab Heb. 12. 1.

¶ 88.

1. Reg. 30.

militem amitteret. Deinde perſeuerantiam in bellando exprimit, ſubdens: *Non eſt laborans, neque deficiens in eo, non dormitabit neque dormiet*, id eſt, nullo labore defatigabitur: ideoque non ſolùm non ſe tradet ſomno profundo, ſed nec leuiter dormitabit. *Non ſoluetur cingulum renum eius.* Iuxta phraſim Hebræam, ſoluere cingulum, eſt ceſſare ab opere, cui quis erat intentus, ſicut accingere, eſt, ſe præparare ad illud. Semper erit accinctus, & paratus, & quaſi in procinctu, & nec calceamenta vnquam detrahet, aut deponet (hoc enim ſignificat illud: *Nec rumpetur corrigia calceamenti eius*) non ligaturam corrigiæ calceamentorum ſuorum ſoluet, ſemper erit ſtans, & currens, circuens, & ambulans. Neque tempus inſumet ad acuendas ſagittas, quas iam acutiſſimas parauit, *Sagittæ eius acutæ*, quæ penetrare omnia poſſint: *Et omnes artus eius extenti*: iam ſunt parati, armati, tenſi, & intenti in omnem partem, vt eo ipſo quod quacunque parte aliquis appareat, ſubito illum poſſit ſagitta transfigere. Timendus certè inimicus talis, nec vnquam ſimilem vidimus, qui ad omnes partes ſimul intendat, & contra quamcunque habeat iam arcum paratum, ſagittamque acutam in eo poſitam, imò, & arcus in omnes partes tenſos, & directos. Vnde egregiè ſub huius typo dæmonem Sanctus Propheta deſcribere voluit, cuius aptiſſimè Rex Babylonis figuram gerebat, vt Beatus Gregorius demonſtrat, de quo melius quàm de quocunque terreno Rege dicere potuit: *Ecce feſtinus velociter venit.* Nullo namque corporis pondere tenetur, aut impeditur. Non eſt noſtri ſimilis, in quibus *corpus quod corrumpitur*, ita *aggrauat animam*, vt cogatur Paulus clamare: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Vnde ſumma celeritate mouetur, & agit, & conatur propterea nos præoccupare, & imparatos inuenire. Et fit ſæpè, quod reuera hominem prius impetit, quam attendere poſſit, ſicuti experimur in ſubitis tentationibus, quibus aliquando prius homo impetitus eſt, quam plenè eas aduertat, quas propterea Richardus de Sancto Victore ſubitas vocat, quod plenum iudicium rationis præueniant. Feſtinus ergo velociſſimuſque venit, qui nullo pondere grauatur, aut impedimento aliquo detinetur, perpetuò currit, & circuit. Non mirum (inquit Didymus, expendens illud. *Circuiui terram, & perambulaui eam*) quod omnem terram, imò omnia, quæ ſub cælo ſunt, ſubitò circuat, cum ſit ſpiritus, ſubitò per omnia diſcurrens, & omnia percurrens. Et hinc (inquit Richardus, quod longè prius Tertullianus annotauerat) eſt, quod Scriptura ſacra, vitiorum incentores dæmones, ſæpè aues nominat, nam ſubitò, & quaſi auis volat, cùm mentem aliquando etiam ante deliberationem præoccupat, imò, & antequam deliberare poſſit. Sæpè enim tanta feſtinatione mens in turpem cogitationem labitur, vt priuſquam aliquid deliberare poſſit, in delectationem ſubitò rapiatur, tentatorque tunc, quaſi auis volans eſt, cùm venit ſubitus & improuiſus. Ex quibus explicat ipſe Richardus, illud quod dicitur; *Cecidit Babylon, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia* (id eſt locus quietis) *omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ.* Dæmones, inquit, & ſpiritus ſunt, & volucres: ſpiritus, propter naturæ ſubtilitatem, volucres propter motionis velocitatem. Is inſuper inimicus non eget ſomno, nec quiete, vt artus ſolutos reddat laboris vſui, quippe qui nullam contrahit ex labore laſſitudinem, non circundatus eſt carnis infirmitate, qui ad modum *mercenarij deſiderat vmbram*, *aut finem operis ſui*, vt paulatim quieſcat, & reſumat vires: *Quia non eſt colluctatio contra carnem, & ſanguinem*, ſed contra inimicos ſpirituales, qui neque cibo egent, aut potu, vel ſomno, ideoque indefeſsè expugnationi intendunt, & tam in procinctu ſunt, quod ſagittas iam habent paratas: *Sagittæ* namque *eius acutæ*. Non ſe detinet, cum tempus pugnandi ſe offert, ad acuendas ſagittas: iam illas defert limatas, & tam acutas, quod illis omnia poſſit penetrare, quia nec tantùm impetit eos, quos inuenit ſtantes otioſos in foro, aut in biuijs viarum ſedent,

Lib. 7. Moral. cap. 16.
Sap. 7. 15.
Rom. 7. 24.
Par. 2. in Pſal. 134.
In Catena in Iob. Iob 1. 7.
In Apolog. cap. 22.
Libr. 6. in Apoc. 6. 1.
Apoc. 18. 2.
¶ 82.
Iob 7. 2. ad Epheſ. 6. 12.

ſedent, omnibus venti ſtatibus expoſiti, ſed, & eos, quos in penetralibus abſconditos contemplatur. Nulla tam valida maceries monaſterij, quam tales ſagittæ non penetrent: nullus murus tam fortis circuit moniales, ad quem earumdem ictus non perueniant. Nullus Anachoreta ita ſe ad intima deſerti recipit, ad quem huiuſmodi tela non pertingant, quæ, & interiora cordis ſæpè attingunt, quibus homo ſentit ſuorum viſcerum præcordia ſauciari. Sed, & *omnes arcus eius extenti* perhibentur, ſicut Rex Babylonis, exercitu ſuo circuens Ieruſalem, omnes arcus extentos habuiſſe dictus eſt, quia contra quamcunque partem morum erant arcus intenti, & ſagittæ ſuper chordam aut neruum poſitæ, extenti, vt quacunque ex parte, aut quocunque modo aliquis appareret, poſſet illum ſubito transfigere. Ita ſe habet dæmon; omnes habet in omnem partem arcus extentos, vt in quacunque parte te viderit, poſſit ſagittam contra te emittere: ſi loquentem, impellit ad murmurationem, & detractionem ſi circundantem ciuitatem, vt ſpeciem mulieris attendas, & deſideres: ſi te intra domum contines, melancholiæ triſtitiam acuit: ſi negotijs intendentem auaritiæ iaculo ferire cupit: ſi in dignitate conſtitutum, ſuperbiam excitat: ſi orationi intendentem, mentis euagationem procurat. Vide quomodo ſe cum Iſraelitis geſſerit. De fuit aliquando Moyſes, quoniam aſcendit in montem ad legem accipiendam: ſubitò eos impugnat, proponens, quod non poterant ſine Duce, vel ad momẽtum perſtare, & eos propterea incitauit, vt *congregati aduerſus Aaron dicerent: Fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, neſcimus quid acciderit.* Cum autem Moyſes adeſſet, qui illos regere ſtudebat, eos inde expugnare cœpit, quaſi ſuadẽs, quod indignum eſſet populum illum ſubiici homini, qui Deum ipſum tanquam Ducem habebat, eos mouit, *vt ſtarent contra Moyſen, & Aaron dicentes: Sufficiat vobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus: Cur eleuamini ſuper populum Domini?* Quaſi dicant: Dominus eſt, qui huic populo, qui eſt multitudo quædam ſanctorum, præeſt: vos ergo deſiſtite iam à principatu, & præſidentia. Vidit eos diabolus conſumptis cibis, quos ex Ægypto reportauerant, famem patientes, eos ſtatim excitauit, vt contra Dominum murmurarent; & ollas Ægypti concupiſcerent, & dicerẽt: *Vtinam mortui eſſemus in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, &c. Cur eduxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Cum autem vidit eos cœleſti Manna abundare, cibo manibus Angelorum ſubacto, eos ad faſtidium prouocauit, vt clamarent: *Nihil aſpiciunt oculi noſtri niſi Man, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Cum vidit eos, quod iam ſolicitudinis & itineris laſſitudine fatigarentur, excitauit vt conquererentur, quod tardaret Deus verbum ſuum, quo promiſerat, eos introducere in terram patribus ſuis repromiſſam. Cum autem iam iam vellet Deus eos introducere, & ad hoc præcepiſſet exploratores mitti, timoris affectu eos perterruit, repræſentans talem fortitudinem habitatorum terræ illius, vt diffiderent de Dei potentia ad debellandos illos: qua de cauſa *vociferans omnis turba fleuit & murmurati ſunt dicentes: Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi noſtri ducantur captiui.* Ad omnem partem arcus habet extẽtos. Eo ipſo, quod conſpexit mulierem contemplantem arboris prohibiti pulchritudinem, gulæ ſagitta cor eius transfixit. Cum vidit Cain attendentem, ad fauorem quo Deus fratrem ſuum Abel proſequebatur, ſagitta inuidiæ illum confodit. Cum conſpexit Dauidem, contemplantem mulierem, ex aduerſo ſe lauantem, iaculo luxuriæ illum impetiuit. Cum vidit Iudam, conſiderantem vnguenti precioſi effuſi valorem, auaritiæ, & proditionis telo ſagittauit eius viſcera, ſicut, & Giezi, cum vidit eum attendentem ad ea, quæ Naaman magiſtro ſuo Eliſæo offerebat, de quibus paulo inferius adhuc ſermo erit.

Exod. 32. 1.

Exod. 16. 3

Num. 11. 6

Num. 13. & 14.

¶ 83.

Geneſ. 3.

Gen. 4.

2. *Reg.* 11.

Ioan. 12.

4. *Reg.* 5.

Optime ergo sancti viri, oculis vndique circundatos se exhibent, quia non ignorant, vt ait Paulus *cogitationes Satanæ*, & ideo curant, *ne circumueniantur ab eo*, qui ad omnem partem arcus habet extentos, vt non minori vigilantia salutem suam, quam diabolus ipsorum perditionem, procurent. Oculis pleni sunt, quos habent in ore, solicitè omnia verba, quæ loquuntur considerantes; in auribus attendentes, ne auscultent aliquid illicitum, in manibus considerantes omnia, quæ agunt; in pedibus omnes gressus suos conspicientes solicitè; in oculis ipsis solicitè prouidentes, ne eos figant, vbi non oportet. His concinere possunt, quæ circa Sacerdotis tunicam obseruant Hebræi. Præcepit namque Dominus Moysi, vt tunicam. *Facies*, inquit, *tunicam superhumeralis, totam hyacinthinam*: De qua egregiè loquitur Diuus Hieronymus. Hebræi autem annotant, tunicam istam, ita fuisse contextam, vt oculorum figuras opere phrygionico haberet, continuis, contiguisque ordinibus, vt erant scutulatæ vestes apud Romanos: & vndulatæ apud nos. Ita R. Salamon, & R. Abraham, & R. Sahia, quorum sententiam sequuntur Lippomanus, Vatablus, & alij, probantque ex eo, quod ibidem additur: *Stringesque tunicam*. In Hebræo habetur *vesibbatzta* à verbo *Sabatz*, quod significat, oculatum aliquid facere, opere phrygionico. Vnde, & illi legunt: *Oculabis*, aut, *ocelabis*, de quibus Pagninus Hæc quidem sicut, & alia, vt dixit Paulus, instituta, & scripta sunt ad nostram eruditionem. Sacerdotis typo, omnem virum iustum voluit Deus designare; non quod illi omnes sacerdotes sint, ad consecrandum, & offerendum verum Christi corpus in altari; id namque ijs tantummodo conuenit, qui peculiari consecratione ad id sacrati, & dicati sunt, vt fides Catholica profitetur, sed quia illis omnibus conuenit, offerre sacrificia laudis, & gratiarum actionis, & mortificationis carnis, & exhibere corpora sua Deo, hostiam viuentem, vt dixit Paulus *a*, quæ Petrus *b*, spirituales hostias, aut sacrificia vocauit, vt Basilius *c*, Augustinus *d*, Ambrosius *e*, Leo Papa *f*, cæterique sancti Patres tradiderunt. Veste igitur, vndique apertis, vigilantibusque oculis circundata, & ornata, voluit Deus sacerdotem vestiri, vt significaret, ita cuilibet iusto, & sancto incedendum, quod oculis vndique circundatus, illisque vigilantibus sit, vt aspiciat, cõspiciat. & circumspiciat, vbinam pedes figat; ad quidnã mittat manus, brachia extendat, applicet aures, os aperiat, linguam moueat, & oculos conuertat nauit enim Deus, ita inimicũ nostrum tentatoris officium plerè adimplere, vt vbique. & ex quacunque occasione tentationes eruat, laqueos paratos habeat. Circa quod, audienda est diuina vox, sæpius à nobis citata: *Communionem mortis scito, in medio laqueorum ingredieris, & super delentium arma ambulabis*. Circa quæ verba, egregiè loquitur Chrysostomus, vt supra insinuauimus: & videndus est Beatus Augustinus in illud: *In via hac, qua ambulabam* Id est in via Christi, *absconderunt laqueum mihi*. Vbi expendens Augustinus locum Ecclesiastici citatum: Hinc, inquit, laquei, & illinc laquei, à dextris laquei, & à sinistris laquei: laqueum à dextris, prosperitas seculi, laquei à sinistris aduersitas seculi, laquei à dextris, promissiones, laquei à sinistris terrores: *Tu in medio laqueorum, &c.* & alibi: *Inimicus*, inquit, *vt occidat, semper vigilat sine somno & nos vt custodiamus nos, nolumus euigilare à somno Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras repleuit decipulis, ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet? Laqueos posuit in diuitijs, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno & in vigilia laqueos posuit in verbo, & in opere, & in omni via nostra*. Ita Augustinus. *Multi laquei* (inquit Ambrosius) *quocunque pregradimur: laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo: laquei in Philosophis, laquei in cupidis artibus, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis, exiguis namque momentis mens inclinatur humana, & huc, atque illuc*

Exo. 28. 31

Epist. 127. ad Fabiol.

In Caten. Exo. 28 39

Rom. 15. 4.

a *Rom. 12. 1*
b *1. Pe. 3. 5.*

c *Serm. 2. de Baptis.*
d *Li. 20. de ciuit. ca 10*
e *Libr. 4. de Sacr. cap. 8.*
f *serm. 3. in Anniuer. Assumpt. sua.*

Eccl. 9. 20.

Hom. 15 ad pop & 8 in Lucam.
In Ps. 141.
Psal 141. 4 ¶ 84.

In Soliloq. cap. 16.

Libr. 4. in Luc.

pro versutia suadentis frequentur impelliur, &c. Oportet ergo oculatum vndique hominem esse. Ex his explicat Augustinus illa verba Apostoli, loquêtis de Christo: *Dedit*, inquit, *seipsum pro peccatis nostris, vt nos eriperet à præsenti seculo nequa*, aut malo. Inquirit Augustinus, cur præsens seculum vocetur nequam, aut malum. Nunquid Paulus sensit, quod postea Manichæi dicere conati sunt, hunc mundum malum esse, & à malo Deo conditum? Age (inquit Chrysostomus) dic mihi: Quid est seculum? Tempus, diebus, & horis discretum. Quid igitur? An spacium dierum malum est? An malus est Sol? cui fus? at nemo illud vnquam dicturus est? Dices: Non tempus dixit malum, sed præsentem vitam. Sed hæc præsens, innumerabiles coronas; præmiaque parat: vnde, & Paulus supra modũ laudat eam; *Quod si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro*: & cum sibi proponat optionem, vtrum malit viuere, an dissolui, & esse cum Christo; potius ducit, hic commorari, propter aliorum vtilitatem, necessitatem, & cõmodum; *Permanere*, inquit, *in carne, necessarium propter vos*. Quod si mala esset hæc vita, nequaquam hoc ille de seipso dixisset. Num hæc vita mala, in qua de futuris philosophamur, in qua ex hominibus facti sumus Angeli, cumque cœlestibus virtutibus simul choros ducimus? Si hæc vita mala est, ne crimineris eos, qui sibijpsis consciscunt necem, qui enim se subducit malis, non criminationem, sed coronam promeretur. Si hæc vita res est mala, coronandi forent homicidæ, qui nos à malo liberarent, &c. Hæc, & alia ibi Chrysostomus. Respondet tamen Augustinus, seculum hoc, aut hunc mundum, aut vitam: dici nequam, vel malum, eo modo quo saltus pleni latronum incursionibus, dicuntur mali, id est, periculosi: & id circo hoc seculum malum dicitur, quia periculis, & laqueis plenum est, quos Paulus vbique conspiciebat: *In mari, in terra, in ciuitate, in solitudine, ex genere, ex gentibus*, &c. Quo etiam modo, dies idem Apostolus vocauit *malos*, & Sapiens vocauit *tempus iniquum*, illud, quod plurimas iniquitatum affert occasiones, & laqueos. Et hoc est (inquit Chrysostom.) quod Christus Dominus fecit, iuxta Apostoli verba, quod nos *liberauit à præsenti seculo nequam*, quia nos à peccatis, quibus tenebamur, liberauit, & contra pericula, atque tentationes liberos reddidit, vincens tentatorem, & docens, ac instruens nos, quomodo eum vincere possumus, suæ gratiæ vires abundantissimè quantum est ex se subministrans. Quia ergo dæmon, ita officij sui partes complet, vt omnia laqueis, ac tentationibus compleat, optimè tentatoris nomen sibi vendicat: ideoque oportet, Spiritum sanctum audire admonentem, & hortantem: *Homo sapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendit ab inertia*, ideſt, à desidia, & negligentia. In omnibus metuit sapiens, quia scit tentatorem in omnibus laqueos parare: & *in diebus delictorum*, ideſt, toto tempore vitæ (quod ille modicum reputat, sibi concessum, vt nos ad peccata possit excitare) erit vigilans, & solertissimus. Et fortè ad hæc verba alluſit Petrus, loco supra citato: *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, circuit, &c.*

Li. 21. contra Faust. c. 10 ad Gal. 1. 4

In cap. 1. Gal.

Ad Philip. 1. 22.

2. *Cor.* 11. 26.

ad Ephes. 16

Eccl. 51. 16

Eccl. 18. 27

1. *Petr.* 5. 8

§. 23. *In quibus primus Adam victus fuit vincit secundus, & inuentus est fidelis tentatus, in quibus Israelitæ infideles fuerunt comprobati.*

¶ 85.

Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Tribus tentationibus Christus post baptismum in desertum ductus, tentatus est, ait Rupertus, & fidelis semper inuentus est, vt eisdem modis à secundo Adam vinceretur diabolus, quibus primum se vicisse gloriabatur, contra primum quippe hominem parentem nostrum, tribus se tentationibus erexit, quia hunc videlicet gula, vana gloria, auaritia tentauit, & tentando superauit. Sed eisdem modis secundo homini tentatus succubuit. Ipse igitur Dominus Deus, qui tulit hominem, quem formauerat,

In cap. 4. Matth.

& posuit eum in Paradiso voluptatis, præcepitque ei dicens: *De omni ligno* Gen. 2.17. *Paradiso comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*: permisitque eum tentari, vt manifesta fierent Angelis, & omnibus superuenturis seculis, quæ erant in corde eius, ipse hunc hominem secundum, quem de ventre Virgineo formauerat, *Tulit*, sive vt alius Euangelista ait: *Expulit in desertum*: expulit inquam, tanquam reum, & illius primi hominis portantem reatum, quia Esa. 53.6. *ipse posuit in eo iniquitates omnium nostrum*, vt inciperet vapulare ieiunando, quidquid cæteri in illo vno comedente peccauerunt. Perpulchrum est, collationem facere illius primi hominis, & secundi in eo, quod ille positus fuit in loco amœnitatis, & satietatis, & excepto vno ligno, appositæ sunt ei omnes deliciæ Paradisi: & tamen in illa tali, & tanta satietate, de gula in vno tentatus, facilè succubuit. Hic autem expulsus est, in loco horroris, & vastæ solitudinis, & quadraginta dierum ieiunium impositum est ei, quo peracto, esurijt, & tamen in illa esurie, de necessario pane tentatus, tentationi non succubit. Hæc Rupertus: & addit: veruntamen, quoniam non solum illud originale peccatum, sed etiam actuales in eo posuit iniquitates omnium [nostrum: tribus ijs tentationibus tentari voluit, vt totidem tentationes, quibus homines postea tentati sunt, euacuaret. Tribus siquidem tentati sunt Israelitæ, cum in solitudine quadraginta annis vitam egerunt, & infidelis inuenti sunt, tentationibus que victi succubuerunt. Prima fuit tentatio de panibus, quando dixerunt: Exod. 16.3 *Vtinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, &c. Cur eduxisti nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Deest panis, &c.* In hac tentatione infideles inuenti sunt, quia cum deesset panis, crediderunt, quod Deus eos non poterat sustentare. Psal. 77.19 Quod, & dixit Dauid: *Male locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Sic incipiens (inquit Rupertus) populus ille, per hoc vitium, scilicet per gulæ intemperantiam, deliquit. Secunda tentatio fuit superbæ curiositatis, quando deficiente aqua, *murmurauit populus contra Moysen, & ait: Da nobis aquam, vt bibamus, &c.* & postquam dedit Dominus aquam de petra, *vocatum est nomen loci illius, Tentatio* (In Hebræo *Massa*) *quia tentauerunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis an non?* vt quotiescunque nomen loci Israelitæ audirent, suæ curiosæ incredulitatis recordarentur. Curiositatis ergo vitio tentati, succubuerunt tentationi. Imo, & propterea curiosè Deum tentauerunt ipsi, quia sine necessitate miraculum fieri voluerunt: iam enim aquam sufficientem habebãt; Ex ipso namque Manna, quod ad calorem Solis liquefiebat, aquam necessariam habebant, vt annotant Doctores obseruantes, per vnam, & eandem rem, præbuisse illis Deum cibum, & potum. Nihilominus voluerunt miraculum fieri, non necessariũ, sed pro sua curiositate inquisẽtes: *Estne Deus in nobis an non?* De quo videndus est Abulensis. Tandem tentati sunt de oculorum concupiscentia appetentes Deum, quem præcedentem se, coram oculis suis viderent: vbi in tentationem illam impiam inciderent, quod fecerunt *vitulum conflatilem*, & Exod. 32. in forma vituli diabolum adorauit populus. Eisdem tribus tentationibus tẽtari voluit Christus, & fidelem seipsum perpetuò comprobauit, vt patrũ suorum deleret infamiam, nobisque animos ad vincendum faceret. Namque primò, postquam gulæ nostræ vitium in semetipso puniuit, & emendauit, per ieiunium quadraginta dierũ (quod propterea nõ vltertus erat protrahendum, inquit Rupertus, quia sacra iubebat lex, vt *plagarum modus* nõ excederet quadragenarium numerũ) Deut. 25.2 de panis inopia, & defectu tẽtatus est: secundo de curiositatis vitio, dum diabolus eum incitauit, vt se deorsum mitteret, miraculumque fieri sine necessitate tentaret; & hoc ipso Deum obligare, vt mitteret Angelos ad sustentandum se: tandem ad sui adorationem diabolus eum voluit inducere ostendens, & promittens oi, omnia

In cap. 17 Exo. q. 3. ad finem.

¶ 86.

regna-

regna mundi, &c. vt in omnibus, in quibus diabolus gloriabatur de victoria, victus subiectusque maneret. Et ex ijs intelligemus, vt expendit Rupertus, quam aptè Christus, tria peculiaria Scripturæ loca adduxerit, quæ occasione illarum tentationum, quibus tentati sunt Israelitæ fuerunt scripta. Quia illud primum: *Non in solo pane viuit homo*, dictum fuit, cum ostendere voluit Deus, quam ineptè Israelitæ victi fuissent, tentatione qua tentati sunt, de defectu panis, cum Deus posset eos sine pane sustentare, sicut, & de facto sustentauit. *Dedit*, inquit, *cibum, manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, &c.* Secundum autem illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, dixit, reprehendens populum, & in memoriam reducens, illam tentationem, qua victi, tentauerunt Deum, petentes aquas, & miraculum sine necessitate. *Non*, inquit, *tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*. Tertium itidem dictum: *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* scriptum habetur, volens Deus reprehendere Israelitas, quod educti de Aegypto, statim obliti sunt Deum qui eduxit eos, & fecerunt vitulum dicentes: *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Vnde ita scribitur: *Caue diligenter, ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*. Ex quibus, & nos vocet, quomodo tentationes insurgentes vincere valeamus, expendentes, quæ in similibus tentationibus scripta sunt: sed de ijs latius dicemus, cum vnamquamque Christi responsionem expendemus.

(?)

Deut.8.3. Deut.6.16 Deut.6.13 Exod.32.4 Deut.6.13

§. 24. *Diabolus ad gulam Christum famelicum excitat, qui vnumquemque in illo tentat, ad quod videt propensum, obseruans cutusque calneum.*

¶ 87.

Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Ex fame, & esurie, & appetitu cibi (fames enim nihil est aliud, quam appetitus cibi) quam vidit in Christo, tentationem instruit. Ob seruauit Gregorius ergegiè id, quod Deus dixit ad Beatum Iob: *Diuiditur æstus super terram*, intelligi aptè de æstu tentationum, qui diuiditur super terram, quia non vna, eademque tentatione diabolus impetit omnes homines, sed diuersis, iuxta id quod in vnoquoque videt. Nam sicut optimus Dux (ait Cyrillus) ciuitatem expugnaturus, prius eam considerat, & circũspicit omnia mœnia, si fortè videat aliquam muri partem inclinatam, aut minantem ruinam; quã vbi obseruat, versus illam omnes munitionis suæ machinas dirigit, ita diabolus: *Circuit quærens quem deuoret*, & obseruat, qua ex parte quis infirmetur, in quam partem appetitus vel affectus inclinetur, & quasi minetur ruinam, vt per eam tentationum suarum ictibus impetat. Ita Beatus Cyprianus considerat illud, quod clamans admonuit Petrus: *Aduersarius vester, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*. Quæ verba ex ipsa dæmonis confusione videtur sumpsisse, qui apud Iob, & semel, & iterum dixit Deo: *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Communiter sancti Patres expendere solent, vim illius verbi: *Circuiui*, aut, *circuit*. Quidam dicũt, quod dicitur circuire, quia est spiritus subtilis, incorporeus, subito totum orbem percurrere valens, quem non impedit grauitas carnis, aut corporis, quia spiritus est, nec vnico loco continetur; quippe qui secum defert pœnam, quæ non finit eum quiescere: ideoque omnia loca ambulat, quærens requiẽ, & nõ inuenit: est omninò quietis impatiens: ideoque amat

L. 19. Moral. cap. 14 Iob. 38.24.

Lib. 9. in Ioan. c. 16.

L. de Zelo & Liuore in princip. 1. Pet. 5. 8.

Iob. 1. 7.

Iob. 2. 3.

discur-

discursus, & vias, *Fitque coluber in via,* Gen. 49. 17 *& cerastes in semita,* vt vias, & semitas continuo percurrere intelligatur. Ita Tertullianus *a*, Isidorus *b*, Didymus *c*, & Chrysostomus *c*. Videtur tamen Cyprianum attendisse vim verbi Hebræi, *Sut*, quod est attentè discurrere, omnia circunspicere, & oculis emissitijs acutè perlustrare. Circuit ille (inquit Cyprianus) nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, & tentat, an sit pars aliqua murorum minus stabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Vnde affectus cuiusque attentè cõsideret, & circunspicit, quid quisque appetat, aut secundum suam naturalem inclinationem, aut secundum occasionem præsentem, vt tentationem tali affectui aptam construat. Prius (inquit Gregorius) complexionem vniuscuiq; antiquus hostis perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus aduersarius facile capiat, vicinas complexionis deceptiones parat. Quia enim voluptas lætitiæ iuxta est, lætis moribus, luxuriam proponit: & quia tristitia facilè in iram labitur, tristibus, discordiæ poculum porrigit. Quia timidi, supplicia formidant, pauentibus terrotem intentat: & quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit, blandis fraudibus trahit, &c. Et vt idem Gregor. annotauit, accommodata vnicuique opponit; sicut qui decipulam, aut muscipulam ponit, in vijs illis statuit eam, quas solent mures ambulare. Exemplum est ipsiusmet B. Gregorij. Existunt, inquit, quædam qualitates morum, quæ certis vitijs sunt vicinæ, nã mores asperi, aut crudelitati, aut superbiæ solent esse coniuncti, mores autem blandi, & quam decet paulo amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ, & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciẽ, ad quæ cognoscit facilius inclinari mẽtem, vt blandis, ac lætis moribus, sæpe luxuriã, nonnunquam vanam gloriam, asperis verò moribus, iram, superbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit, quia ibi periculum deceptionis inserit, vbi viam esse inuenerit propinquæ cogitationis. Ita Ille. *Vicinas complexionibus deceptiones parat*, inquit Basilius *a*, cui concinit B. Leo Papa *b*: *Omnium*, inquit, *discucit consuetudines, ventilat curas scrutatur affectus: ibi causas quærit nocendi, vbi quemque viderit studiosius occupari*. Et ex eis intelligere possumus, quod huic antiquo serpẽti, à primo mundi exordio, Deus dixit, quodque annotauit B. Irenæus *c*, de tentationibus Christi agens, indicauitque B. Augustinus *d*: *Tu insidiaberis calcaneo illius*. Calcanei namque nomine, affectus, aut inclinationes cuiusque possumus accipere, quibus animus huc, illucque propendet: ideo dicitur obseruare calcaneum, quia verè cuiusque affectus, & inclinationes diligentissimè attendit diabolus, vt iuxta eas, paret cuique insidias. Illuc, inquit, Cyrill. impellit diabolus, quo per seipsos inclinari homines prospicit. Quod, & egregiè Dauid expressit, ad Dei misericordiã implorandam se conuertens: *Multi bellantes aduersum me*. Etsi quæras, quomodo illi se habeant? *Omnes*, inquit, *eorum cogitationes in malum, inhabitabunt, & abscondent, ipsi calcaneum meum obseruabunt; sicut sustinuerunt animam meam*, ideest, expectantes animam meam, vt ex Symmacho obseruat Basilius. Quod illi expectant concupiscunt, & procurant, est anima mea. Hanc deuorare contendunt, & propterea *omnes cogitationes eorum in malum*. In Hebræo vox, *Hesebotum*, à verbo *Hasah*, quod est cogitare, machinari, metiri, supputare, considereque quid cuique rei conueniat. Vnde proprie significat machinas & technas, vt cum dicitur: *Fecit Ozias diuersi generis machinas, &c. vt mitterent sagittas, & saxa grandia, &c.* Innumeræ sunt diaboli cogitationes: quid enim ille non cogitat? Innumera machinatur, & nihil nisi machinas astutissimas meditari solet: sed oẽs illæ in malum nostrum sunt ab eo ordinatæ. *Cauete*, inquit Paulus, *ne circumueniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.*

a In Apol. cap. 22.
b L. 11. dif ferent. c. 12 cum catena deb.
Li. 29. Moral. cit.
Li. 14. Moral. cap. 6.
¶ 88.
a Hom. 23.
b Ser. 7. de Natiuit.
c Li. 5. con. hæres. c. 21.
d In illud Psal. 48. Iniquitas calcanei, &c.
Lib. 9 in Ioan. cit.
Psal. 55. 3.
Sch. in Psal. 55.
3. Par. 26. 15.
2. Cor. 2. 11

eius. Quid de cogitationibus eius non ignoras? *Quod omnes sunt in malum.* Vt hoc inducant, *inhabitabunt*, id est, congregabuntur: ita ex Symacho Basilius *& abscondent* proculdubio laqueos, quibus me capiant, & vt eos abscondant, *calcaneum meum obseruabunt.* Diligenter attẽdent, quonam gressus mei dirigantur, in quidnam affectus meus propendat, vt iuxta affectum parent laqueum. Singulis igitur, vitijs conuenientibus (inquit Gregorius) insidiatur, neque enim facile captiuaret, si aut luxurioſis pecunias, aut auaris scorta propone ret: si aut voraces de abstinentiæ gloria, aut abstinentes de gulæ imbecillitate pulsaret; si mites per studium certaminis, aut iracundos capere per fauorem formidinis quæreret, &c. Qui nauiculam ad seipsum trahere cupit, diligenter obseruat, si aliqua pars funis aut restis ex ea egrediatur, tunc enim inde apprehendens, trahere potest facile nauem, nam funis egredieus adiutrix est illius, qui nauem trahere cupit. Ita de animæ passionibus aut affectibus dicendum est, quas propterea Beatus Basilius vocat, diaboli adiutrices, tum quia illæ sunt, quasi ancilla ostiaria, quæ ostium aperit tentationi, tum quia illæ sunt, quibus se adiuuat diabolus, ad tentationes extruendas. Sunt illæ, vt dixit Augustinus, quasi pondus animæ, quo animus propendit & ducitur. Qui altũ parietem vult in terram deijcere, obseruat qua parte ille propendat, nec in contrariam illum conuertere nititur; id enim difficillimum esset: sed eodem ipso pondere, quo paries ad vnam partem se inclinatum exhibet, vtitur ad eum versus illam facillimè deijciendum. Ita diabolum se gerere, obseruauit Basilius, expendens: Iudam tanquam parietem inclinatum ad auaritiam. Expetebat Satanas discipulos, & diligenter obseruabat, qua parte aliquem videret inclinatum: vidit Iudam cupiditate succensum; huius ipsius cupiditatis opera vsus, auarum hominem ad sceleſtiſſimæ proditionis lapsum, nummis triginta argenteis stimulauit. Vidit Dauidem ociosum, & delicijs aliquãdo traditum id enim (inquit Chrysostom.) indicare voluit Spiritus sanctus, quando dixit, quod *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere*, animi recreationibus intẽdebat, ascendens solarium, ad carnis voluptatem excitauit, & induxit, vt mulierem se lauantem obseruaret, &c. Vidit Cain liuore, & inuidia afflictum & hoc ipso in fratris odiũ propendentem, ad fratricidium subinde eum impulit committendum. Obseruauit Heuam curiosè circumspicientem lignum interdictum; & considerantem, quam suauis esset fructus illius ad vescendũ, quem pulcherrimum contemplabatur quem dulciorem reddebat hoc, quod prohibitus erat: ex hoc ipso pondere ad esum eiusdem arboris pertrahere fuit conatus. nostris itaque affectibus (inquit Cyrillus) quasi armis nos impugnat, & ex qua parte hominem sentit infirmum, & inclinatũ (inquit Gregorius) eum tentat. Ita, & in Domino facere tentauit (inquit Basilius) quando esurientem illum animaduertens, dixit: *Si filius Dei es, &c.* Imo, vt obseruauit Beatus Chrysologus, Christus affectum famis, qui est appetitus cibi, in carne sua excitari voluit, vt sic tentandi materiã diabolus inueniret, qui ex nostris affectibus tentationum suorum laqueos extruere consueuit. Hinc iuxta doctrinam D. Cyrilli, explicare possumus, illud Iacobi dictũ: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.* Quomo tentatur vnusquisq; à concupiscẽtia sua? Nonne tentatur vnusquisque à diabolo, qui propterea tentatoris nomen sibi ailumpsit? Ita quidem, sed cõmunis tentandi modus, quẽ tenet diabolus, est tentare vnumquemq; iuxta cuiusq; concupiscentiam: *Omne enim quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia, &c.* Considerat callidus, astutusq; tentator, quisnam sit affectus potentior concupiscentiæ cuiusquam, & & in quã rem propendeat magis vniuscuiusque concupiscentiæ inclinatio, tunc q; secundum eam; validũ tentationis laqueum parat. Ex hac doctrina intelligemus, quantum nobis expediat, sequi consilium illud Spiritus sancti: *Fili, in vita tua, tenta animam tuam, et si fuerit nequam, non des illi potestatem.* Tentare animam est, explorare eius affectus, videre in quam rem sit propen-

Li 29. Moral. ca. 14.

In reg. Br. resp. 75.

¶ 89. *Hom. 3. in verb. Esa. Vedi Dom.*

1. *Reg.* 11. 1.

Eo. l. 1. c. 9. in Iaam.

Li. 7. epi. 53

Serm. 21.

Lib. 1. de ado.

Iac. 1. 14.

Ioan. 3. 16.

Eccl. 37. 30

sa, ad quam rem habeat inclinationem.

2. Cor. 13. 5. *Vosmetipsos tentate*, dicebat Paulus: *& si fuerit nequam*, id est, si apprenderis aliquem affectum malum peculiariter in te insurgentem, qui ad illicita inclinet, *non des illi potestatem.* Loquitur me thaphora sumpta à Domino, qui quem seruũ agnoscit fugacem, aut latronem non liberum dimittit, nec ei concedit liberè ad sui voluntatem incedere, aut eò tẽdere, vbi possit liberè, quæ vult agere. Sunt affectus animæ tanquã serui illius, quibus vtitur ad ea, quæ sibi necessaria sunt, procuranda, & agenda in id namque à natura dati sunt, vt Aristoteles docuit. Si aliquem affectum animæ tuæ inueneris rebellem, & ad noxia procliuẽ, maxime cura illum continere, & alligare, & ne ei concedas potestatem, aut locum, vt liberè possit agere. Si agnoscis te ad iram procliuẽ, attende illam comprimere, & ab occasionibus, & locis, vbi potest illa excitari, & accendi, te separa: si enim tu, qui te iracundum cognoscis, in domum ludi te recipis, tuum affectum noxium fores, eique potestatem das, & occasionem, ac materiã præbes, vt ex ijs, quæ ibi accidere solent, vehementer accendatur, & exardescat. Si agnoscis vehementes esse carnis tuæ illicitos motus, illos comprime vigilijs, ieiunijs, flagellis, & non des ei liberam insurgendi & agendi, potestatem, colloquutiones miscens cum mulieribus, aut ad earum domos procedẽs. Sicut igitur optimus ciuitatis gubernator, cum tempore belli ciuitas ab inimicis obsidetur, in eam partem muri maiori inuigilat curæ, quam inclinatam, & minãtem ruinam videt, quoniam illa est, quæ aditum potest inimicis offerre; ita iustus, qui carnis suæ curam diligentem gerit, erga illum affectum maiori solicitudine attendit, quem magis sentit in aliquod malum procliuem, atque propensum.

(·.·)

§. 25. *Tentatio est tam grauis, quam occulta hortari ad superflua, sub specie vtilitatis: carni necessaria concedantur, superflua denegentur.*

¶ 90. *In illud Ge. 3. cur præcepit.*

OBseruauit Chrysostomus, q̃ cum dæmon accessit ad tentandos parentes nostros seipsum exhibuit, quasi illorum curam gereret, & quod intenderet bonum ipsorũ procurare: quod & similiter nunc facere videtur. Considerant namq; idem Chrysostomus *a*, & Cyprianus *b*, dæmonem quandam compassionẽ simulasse erga Christum, quem valido ieiunio quasi confectum deplorabat, & subdola professione, qua si compatiens ei, subuenire periclitanti naturæ hortatur: sicque explorat, & tẽtat, nam necessitatis quasi extremæ titulo illum inducit, vt vel miraculum faciat, quo verum Deum esse cognoscat, aut impellat ad quærẽdum cibum, ieiuniumque soluendum, quo vitæ suæ iam pene deficienti consulat. Qua de causa B. Petrus Chrysologus eum vocat, malum consolatorem. Intelligendum namque est id, quod omnes fere authores hoc in loco meditãtur, dæmonem sub specie hominis sancti accessisse, & ex vna magnificasse Christi sanctitatem, & ideo eius vitam vniuerso orbi vtilissimam expostulasse: ex alia põderasse tale ieiunium, quale Christus egit, esse supra naturæ vires; & ideo ad reparandam vitam vniuerso orbi necessariam, oportere cibum quærere, vel per miraculum, vel alio modo. Necessitatis ergo titulum opponit, vt inducat ad soluendum ieiunium, & desiderandum cibum, & excitãdam gulam. Non itaque vt Petrus Chrysologus ait cibum parare vult, sed amputare ieiunium, & vt inquit Ambrosius, dum sanum, ac vtile consilium præbere videtur, primũ tormentorum suorũ spiculum de voluptate intorsit. Panem malus ingerit cõsolator (inquit Chrysolog.) vt virtutẽ mutet, & ꝓpositũ violet ieiunãtis. Hicq; modus est, quo diabolus sæpè Sanctos tentat, excitans eos ad

a *Hom. 13. in Mat.*

b *Lib. de ieiun. & tent. Christi.*

Serm. 13.

Serm. 12. Epist. 82. ad Eccl. Vere.

ad cibos quærendos, imò, & carnis delicias, ac voluptates procurandas, titulum confingens, & extollens neceſſitatis, & vtilitatis. Proponit namque illis carnis infirmitatem, & quod neceſſarium ſit eam reficere, vt poſſint vacare orationi, ſtudijs, prædicationi, ac cæteris, quæ proximis vtilia ſunt: quod deficiet caput, & cerebrum non ſtabit, ſi non benè comedant, & dormiant, & vires ad prædicandum non ſuppetent, ſi corpus caſtigatione langueſcat. Hæc eſt tentatio illa periculoſa, qua occultè diabolus viros impetit ſpirituales, vt annotauit Beatus Bernardus exponens illud: *A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & demonio meridiano.* Quædam diaboli tentationes ſunt, quaſi ſagittæ in die miſſę, quas quiuis videre poteſt, vt cum ad manifeſtè illicita pertrahere conatur, quaſi namque ſub meridiana luce diabolus incedit, dum ad id quod manifeſtè vitium eſt, incitat. Aliquando tamen negotiatur in tenebris, quando titulo ſanctitatis, & obſequij Dei, conten dit ab ipſamet ſanctitate, & Dei ſeruitio reuocare. Taliſque eſt hæc, vt inquit Beatus Vincentius Ferrarius, qua ſe viris ſpiritualibus ingerit, ſuadens, vt libere, & ſine timore comedant, quia neceſſarium repræſentat eis, ſeipſos conſeruare ad ſalutem proximorum, ſimiliter vt temporalia bona abundanter nimis habere procurent, quo poſſint quietius ſpiritualibus exercitijs vacare, & vt omnem populum, ac Principes eius ſibi ſubijcere procurent, quo facilius poſsint, Reipublicæ vitia comprimere, & omnes in officio continere. Hæc tentatio eſt, qua diabolus quaſi in tenebris negotiatur: eſt enim obſcura; dum namque perſonam conſolantis, & compatientis ſibi aſſumit (inquit Chryſoſtomus,) & ea dicit, quæ commoda eſſe videntur, reuera lethifera, & venenoſa inducit: de quibus etiam egregiè Gregorius. Optimè Deus de diabolo ſub ſpecie Leuiathan dixit: *Faciem eius præcedit egeſtas.* Quod poteſt exponi primò, iuxta ea quæ alibi annotauimus quod egeſtas oſtium patens exhibere videtur tentationi diaboli, nam hoc ipſo quod videt aliquem egere, ſequitur ſtatim ille, ex ipſa egeſtate viâ ſibi ſternens, inducenſque ad illicita: quo pacto mulierem egeſtate afflictam, inducit ad luxum, hominem inopia affectum, inducit ad furtum. Sed aptè etiam ad noſtrum inſtitutum verba iſta accipi poſſunt, quibus Deus exprimere voluit modum, quo ſæpè diabolus ad tentandũ procedit. Id enim facit, operiens faciem ſuam velo, & operculo egeſtatis, vt ſub titulo neceſsitatis ad id, quod vult inducat. Neque enim ſolum ſub tali ſpecie inducit mulierem ad illicitam conuerſationem, & mercatorem ad vſurã, & ad furtum illum, qui eget, ſed, & viros Sanctos, coram quibus pallio egeſtatis ſe induit, & velat faciem, ſuadet, neceſſarium eſſe indulgere carni, & eã nutrire, vt inſeruire Deo, & proximorum ſaluti aptius intendere valeant, & vt vires habeant, quibus orationi vacare poſsint. Caput namque, inquit ille, ventre vacuo minus ſtat: venter eſuriens, nõ ſinit labori ſtudiorum, & prædicationum attendere, cerebrum vigilijs laſſatum, ineptè diſpoſitum eſt ad acutos mentis progreſſus, corpus leguminibus paſtum, infirmum eſt, ad laborioſam concionandi exercitationem, aquæ potus, flegmata, & cruditates in ſtomacho generat, &c. Difficilis ſanè, obſcuraque tentatio, qua ſæpè viros ſpirituales diabolus pertrahit, ad hoc, vt ſaluti aliorum conſulentes, corpori ſuo nimis indulgeant, & temporalibus ac terrenis nimis afficiantur, & ſecularibus curis tradantur, & ſic efficiantur reprobi, idque tanto vehementius, quanto eos videt feruentiores in Dei ſeruitio. Quibus propterea repræſentat in primis, nihil eſſe Deo gratius, quam procurare ſalutem proximorum, quod eſt opus maximæ charitatis. Deinde varijs rationibus ſuadere conatur, neceſſarium eſſe ad illud, vires corporis procurare, indulgendo carni, & eam fouendo. Tali facie ſe operit, quando ſuadet prædicatoribus, & miniſtris ſpiritualibus, vt ieiunia temperent, imò, & dimittant, & relinquant carnis mortificationis, quo vires ſuppetant ad opera charitatis perficienda. Similiter quando excitat parentes, vt nimia ſolicitudine curent filijs theſaurizare, quia Deus parentibus filiorum curam commiſit; quando etiam homi-

In Pſa. qui habitat. Pſal. 90. 6.

Tract. de vit. ſpirit.

Hom. 13 in Matth.

¶ 91.

Lib. 3. Moral. cap. 19. Iob 41. 12.

hominem impellit, vt nimis honori suo consulat, & vindictam propterea expetat, quia cõseruare honorem tam expediens est ad Dei obsequium, vt homo sine honore, nõ reputetur homo quando itidem proponit diuiti, oportere nimis diuitias conseruare, ne egestate pressus, ad aliquid contra Dei honorem impellatur. Cum insuper proponit viris spiritualibus, quod ad orationis exercitium oporteret comedere, bibere, & dormire, ne langueſcat caput, cerebrum deficiat, & quod corpus alimento optimo nutritum, optimis honoribus vigeat. Et sunt multi, qui tali tentationi liberalissimè, & gratissimè succumbunt, in quos illa comminationis verba videntur dirigi:

Esa.5.18. *Væ qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis.* Iniquitatis nomine, intelligere possumus carnis voluptatem, delitias, & quæ appetitui nostro sunt conformia, quæ meritò vocantur *Iniquitates*, quia sunt radices iniquitatum, quomodo dicitur: *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, abundantia, & saturitas panis, otium, &c.* nam in vtroque loco, eadã vox Hebræa *Ghavon* habetur. Sunt enim quamplurimi, qui funiculis vanitatis trahunt iniquitatem, id est, rationibus friuolis (quas propterea, non funes, sed funiculos vocat; quasi nullam vim habentes) & sub titulo diuini cultus, & obsequij inducuntur, vt agat ea, quæ potius cõducunt ad sui appetitus satietatem. Quibus dicere Deus potest illud:

Esa.43.24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis.* Nomẽ enim peccati, sumitur sæpè in Scriptura sacra, pro appetitu, & cõcupiscentia, & carnis inclinatione, vt patet apud Paulum. Quosdam imo, & innumeros inuenies, qui vt suis satisfaciant concupiscentijs, & cupiditatibus, Dei obsequium prætexunt, *toman à Dios por capa de sus gustos, y cudicias*, vt in ijs, quos prædiximus, videre possumus. Hæc autem tentatione diabolus primum impetit Christum, supremum salutis humanæ authorem, & doctorem cœlitus datum, quia etsi multos hoc tẽtationis genere impugnet, præcipuè tamen prædicatores, & eos, qui salutem proximorũ procurant, vt sæpè adduxerit aliquos, ad nimiam carnis indulgentiam, & ad credendum, remittenda esse ieiunia, & vigilias, imo, & quod nullius sint meriti in prædicatore, cui magis expedit, vires corporis seruare ad ministeria, quæ saluti animarum conducunt. Contra quos illa agere videtur inuectiua, qua excãdescit Ambrosius in nõnullos, qui abstinentiæ, mortificationis, & continentiæ meritum, & vtilitatem tollebant, qui sub prætextu, quod salus necessaria est, ad opera spiritualia, ideoq; procuranda, optimo ciborũ genere, somno quieto sibi nimis indulgebant, & ex illis verbis Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo, ne cũ alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar*, infert Ergo, qui non castigant corpus suũ, & volunt alijs prædicare, ipsi reprobi habentur. Quæ istos Epicureos noua schola misit? Nõ Philosophorũ, vt ipsi aiunt, sed imperitorũ, qui voluptatem prædicent, delitias suadeãt. Et infra: Qui sũt hi præceptores noui, qui meritũ excludunt ieiunij? Et paulo inferius: O stultum Elisæum, qui sylueſtribus ramis, & amaris pascebat Prophetas, &c. Contra eosdem agit S. Bern. probans, hos, qui tanta cura saluti intendunt, potius vocandos discipulos Hippocratis, & Galeni, quam Christi. Vigilantia ergo summa tibi opus est, per quam ita concedas carni, quę necessaria sunt ad sui conseruationem, vt non potius eidẽ vires præstes, quibus cõtra spiritũ insurgat, & in discrimẽ vocet, & trahat. Qũ quis litem gerit cũ homine versuto, callido, astuto, & versipelli, qui multa falsa pro iure suo sub veritatis specie proponit, maximè inuigilat, expendens omnia, quæ ille proponit, & nimis attẽtus est, vt ea solũmodo eidem concedat ex ijs, quæ proponit, quæ manifestè vera sunt, ne forte si aliquid aliud dubię veritatis admittat, hoc ipso eidẽ vires præbeat, & arma, vt cõtra se prævaleat, & in lite obtineat. Quo fit, vt sæpè aliqua ẽt vera, quæ ab illo proponũtur, eidẽ deneget, quorũ veritas nõ est vndequaque cõspicua, & manifesta. Nõ ignota est lis, quã caro contra spiritũ mouet, quam Paulus sæpissimè exprimit: *Caro cõcupiscit cõtra spiritũ, &c.* Et quidẽ caro astutissima est, versipellis, fallax plus

Rom.7.

¶ 92.

Epi.82.cit.

1.Cor 9.27

4.Reg.2.

Serm.30. Cant.

ad Gal.5. 17.

quam

quam omnes vulpes. Fingit enim neceſſitatem, proponit ad ſuum ius pertinere, comedere, bibere, dormire, & circa hæc longas facit allegationes, adeo vt
Rom. 7. 24. ſæpè cogatur ſpiritus clamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Inuigilet ſpiritus, & illi quidem ea concedat, quæ apertè iuris ſui ſunt, eam ſcilicet comeſtionem, cibum, potum, & ſomnum, quæ neceſſaria ſunt, vt illam in vita ſeruet, attendat tamen, ne aliquid vltra concedat, ſibi enim præiudicium inferet, nam ex eo caro vires reſumet, vt in grauiſſimas anguſtias ſpiritum adigat. Multis ac variis rebus, inquit Gregorius Nyſſenus
Lib debeat. orat. 4. nobis ad vſum propoſitis, quibus afficitur, quæque appetit natura, multa nobis opus eſt ſcientia, vt nobis in eiuſmodi eſculentis diſcernamus, quid nutriat, quid noceat, ne id quod loco cibi ab anima ſumi videtur pro vita, mortem
Li. 30. Moral. cap. 25 & ſequen. nobis, & peſtem efficiat. Hoc ipſum longo diſcurſu obſeruat Beatus Gregorius
Iob 39. 10. expendēs illud, quod de viro iuſto, ſub typo Onagri Deus dixit: *Clamorem exactoris non audit*: perpendens vocem illam *clamorem*. Non dixit vocem, aut ſermonem exactoris non audit, ſed *clamorem*. Nulli dubium eſt exactoris nomine, carnem noſtram intelligi, quæ tā quam durus exactor, quę ſibi ſunt neceſſaria exigit, & vt dixit Gregorius Nyſſenus caro per famis affectionem, propemodum vocem emittens, ſe nunc egere cibo, declarat. Sed magnus, inquit
Li. debeat. cit. Gregorius diſcretionis labor eſt, huic exactori, & aliquid impendere, & aliquid denegare, & non dando, gulam reſtringere, & dando naturam nutrire, quæ fortaſſe diſcretio ſubinfertur, cum dicitur: *Clamorem exactoris non audit*. Sermo namque huius exactoris eſt, neceſſaria poſtulatio naturæ, clamor verò
¶ 93. eius, menſuram neceſſitatis tranſiens appetitus gulæ. Hic itaque Onager, exactoris huius ſermonem audit, clamorē non audit, quia diſcretus vir ac continens, & vſque ad temperandam neceſſitatem ventrem reficit, & à voluptate reſtringit. Ita ille. Et hinc factum eſt, ꝙ Sancti viri, cum caro fame, ſiti, vigiliis, & laſſitudine affecta, petebat cibum, potum, ſomnum, & requiem ſibi concedi, ſummo ſtudio expendebant, an verè peteret ea, quę præcisè ad ius ſuum expectabant, & quoniam ſæpè id ignorabāt, id eidem denegabant, etiam cum aliquando verè neceſſarium erat. Et conſiderantes illam Beati Baſilij ſententiā: *Serm. 2. de ieiun.* Quantum carni detrahis, tantum facis animam ſpirituali bona valetudine relucere, excedebant aliquando circa carnis mortificationem. Vnde (vt refert *Quodli. 5. art. 18.* D. Thom. egregiè de hac re diſputans) Beatus Bernardus ſe accuſabat, quod aliquando corpus ſuum ieiunando, & vigilando, nimis debilitauit, & Beatus Franciſcus morti proximus, cum lacrymis veniam petebat à corpuſculo ſuo, quod plus iuſto illud afflixiſſet. Sanctus Petrus martyr religionem ingreſſus tā conſtanter carnis reſtitit petitionibus, vt neceſſaria etiam eidem denegans, mortis pericula incurrens, à prælatis fuerit reprehenſus. Ita quidem, illi timentes ne carni cōcederent ſuperflua, *Lib. qq. ex vtroq; teſt.* negabāt neceſſaria. Nec mirum, inquit Auguſtinus: nam quanta ſolertia attendit medicus infirmo corpori, & febricitanti, alimenta præbere, quæ febrem non accendant, & vitam conſeruent, tanta ſolicitudine viri iuſti attendere debent, ita carni neceſſaria miniſtrare ad vitam, vt non potius ſanguinis calorem accendant. Et iterum, ſicut æger, *Lib de conflictu virtutum, & vitiorum, tom. 9.* inquit, ad medicinam, ſic ad ſumendas dapes debet quiſque accedere: nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, ſed neceſſitati ſuccurrens. Hinc *Luc. 21. 34* veritas dicit: *Attendite, ne grauentur corda veſtra crapula, et ebrietate.* Suſtentāda igitur, inquit, ſunt corpora, non grauanda, & quemadmodum medicamenta, ſic ſunt alimenta ſumenda. Caro, *Li. 10. conf. cap. 31.* inquit Gregorius, aliquando adiutrix eſt in bono opere, aliquando autem ſeductrix in malum. Si ei pluſquam de- *Hom. 19. in Eze. ad fin.* bemus tribuimus, hoſtem nutrimus, & ſi neceſſitati eius quæ debemus nō reddimus, ſocium necamus. Videndus eſt *2. 2. q. 146. art. 1.* D uus Thomas, qui hanc Auguſtini, & Gregorij doctrinam eleganter more ſuo expendit. Prudenter igitur agendū eſt, & videmus, quod parentes curriculos quoſdam conficiunt, in quibus filios ſuos paruulos collocant, vt ambulare addiſcant, quos tali lignorum firmitate con-

construunt, vt verè infantulos possint sustentare ambulantes, ne cadant, sed currant, ita leuigare ligna, vt suo pondere non impediant eos, cum ambulare, & pedibus agere nituntur. Similiter nos oportet erga corpora nostra agere quæ sunt quasi curriculi, in quibus spiritus, dum viuimus, positus ambulat, ferturque huc, atque illuc. Nec mirum, quod ita dicamus, cum à Spiritu sancto, corpora nostra vocentur equi, quibus insidet, ferturque spiritus. Ita ergo agendum est, vt corpora stare quidem possint, quibus necessaria sunt ministrãda, ne deficiant, sed tam moderatè, ne grauiora reddantur, impediantque spiritum affectibus, ne posit in cœlum tendere. Hinc primò colligit D. Thom. iustum esse prouidere carni, quę necessaria sunt, quæ nimio ieiunio, & vigilijs ac mortificatione, non est conficienda. Sed hæc, inquit D. Thomas, adhibenda sunt, cum quadam mensura rationis, vt scilicet concupiscentia deuitetur, & natura non extinguatur, secundũ illud: *Rationabile obsequium vestrum.* Neque immoderata, inquit Hieronymus, tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiã, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Philosophorum sententia est, moderatas esse virtutes, excedentes modum, atque mensuram, inter vitia deputari, vnde, & vnus de septem sapientibus dicebat: *Miden agan*: Nequid nimis. Quod tam celebre factũ est, vt Comico quoque versu expressũ sit. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis, & comitũ tuarũ vel porteris vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigilijs, solito quid minus facias. Et infra: Noui ego in vtroque sexu, per nimiam abstinentiam, cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam, præcipuèque in ijs, qui in humectis, & frigidis habitauere cellulis, ita vt nescirẽt, quid agerent, quoue se verterent, quid loqui, quid tacere deberent, &c. Ita Diuus Hieronymus, & D. Thom. refert eum, alibi dicentem: De rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderatè corpus affligit, &c.

Quodl. cit. ¶ 94. *Rom. 12. 1.* *Epist. 8. ad Demetr.* *Refertur de consecr. d. 5 c. 3. non me diocr.*

Colligit secundo, ita carnem esse curandam vt diligenter attendamus, ne quæ illa ad vitam quasi necessaria exigere videtur, potius sint ad voluptatem, & ad resumendas vires contra spiritum. Nec enim semper tanta necessitate tenetur, quam tam illa sæpè representat. Expendenda sunt, quę Diuus Hieronymus scribit de Beata Paula, cum ipse aliqua tanquam necessaria ad vitam cõsulebat. Agens namque de illius abstinentia, ita ait: Nulla iuuenum puellarũ, sano, & vegeto corpore, tantę se dederat abstinentiæ, quantæ ipsa fracto, & senili, debilitatoque corpusculo. Fateor, in hac re pertinacior fuit, vt sibi nõ parceret, & nulli crederet admonenti. Referam quod expertus sum. Mense iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem, cum Dei misericordia respirasset, & medici persuaderent, ob refectionem corporis vino opus esse tenui, & parco, ne aquã bibẽs in hydropem verteretur, & ego clam Beatum Papam Epiphanium rogarem, vt eam moneret, imò compelleret, vinum bibere, illa vt erat prudẽs, & solertis ingenij, statim sensit insidias & subridens, meum esse, quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cũ Beatus Pontifex post plura hortamenta exisset foras, quærenti mihi, quid egisset, respondit. Tantum profect, vt seni homini pene persuaserit, ne vinum bibam. Hęc refero. non quod inconsideranter, & vltra vires onera sumpta probem, monente Scriptura: *Super te onus ne leuaueris*: sed, quod mentis eius ardorem, & desiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perseuerantia. Ita ille.

Quodl. cit. & 2. 2. q. 147. art. 1. ad 2. *Epist. 27. ad Eustoc.*

§. 26 Dia-

§. 26. *Diabolus pauperrimum se probat, qui solum ad ipsius hominis sumptus, ipsum inuitat.*

¶ 95. *Serm.* 11. ACutissimè Beatus Petrus Chrysologus diabolum ex suismet verbis reuincit, contendens illum, se suis tentationibus stultissimum, insipientissimum, & omni rationis luce expertem comprobasse. Hoc autem manifestè demonstrat Sanctus Doctor ex eo, quod si has diaboli tentationes expendas, inuenies, quod in vltima mendacem, in media impotentem, & inualidum, & in hac prima pauperrimum seipsum conuincat. Quanta esset illius hominis insipientia, qui dum alterum decipere vult, aliquid illi suadendo, ita cum illo agit, vt seipsum eidem exhibeat, & profiteatur, pauperrimum, impotentem, & mendacem? Hac ergo prima tentatione diabolus seipsum demonstrat pauperrimum, & quod nihil penitus in semetipso habeat, quod possit offerre Christo, vt eum ad comedendum alliciat: qui propterea tantum offert lapides, quos Christus coram seipso habebat. Diabole, inquit Chrysologus, & prodidisti te, & tuum Dominum non pauisti. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Miser, malus vis esse sed non potes, cupis tentare. sed nescis. Esurienti tenera offerre, non dura debuisti, famem non asperis palpare, sed blandis, inediam, non horridis vrgere debueras, sed gulosis. Istis, non modò Dei filium, sed hominis filium tu laqueare nō potes. Ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas tentator intellige. Ita ille, quasi alludere volens 1. *Reg.* 5. 4. ad Dagonem, qui ad præsentiam arcæ, sine capite mansit. Dicito mihi, si Christus famescit, visque propterea eius appetitum inflammare, & excitare ad comedēdum, cur non tecum defers gallum gallinaceum, perdicem, succis suaue olentibus praparata, aut coturnices, aut pullos columbarum, aut aliquas suaues escas, tanta suauitate conditas, vt vel olfactu solo, vel visu appetitum ipsum prouocarent? Cur, qui in principio paradisum ingressus circa arborem interdictam substitisti, nō aliquē fructū ex eadem arbore, aut ex dulcissimis eiusdē Paradisi germinib. adduxisti, vt exhibēs, & præsētans fructū *pulchrū visu, & suauē ad vescendū*, ad comedendū excitares, sicut cum primis hominib. fecisti? Quis vnq; illi, qui cibos fastidiuit, vt alliciat ad comedendū, patinā lapidib. plenam exhibuit Certe q ita offert, eum ēt, q nimis comedere concupisceret, à tali appetitu reuocaret. Nihil sane, habet diabolus ex se, p possit offerre: nō est in eius repositō aliquid, p secum deferat ad comedendum. Ad illud propterea solūmodo inuitat Christū, p ipsemet poterat sua virtute præstare, quasi dicens: Fame, & esurie labora, si potes lapides in panē conuertere, id fac, & famē extingues: sin minus, in cibo carebis: ego .n. nihil tibi do. Nō igitur ò diabole Christo offers, nisi p ipsemet potest præstare. Ad expensas itaq; ipsius Christi, Christum inuitas. Recte dixit Chrysologus: Cupis tentare, sed nescis. Quis namq; volens mulierē nobilem ad suā pertrahere volūtatē, in ipso statim conuersationis exordio, profitetur se nihil habere, p ei offerat, aut donare possit? Quisnā, vt ab illa obtineret, quod vult, diceret: Tuis te vestib. indue, & iocalib. tuis ornare, vt mihi placeas, quæ si tua nō habueris, à me nō expectes, qppe qui tibi nō possū nisi tua præstare: Agnoscite tentatorem, videte, quod pauperrimus est, & tētando seipsū prodit, quippe qui nec atomum, aut guttulā aquæ suam habet, quā exhibeat, nec aliquid suum aliquando offert, ad quod te inuitet, vt tuum saties appetitum, sed ad tuas tantummodo expensas, mensam offert, & parat. Si tuis pecunijs aut diligētia, potes mulierē consequi, quam cōcupiscis, eā tibi offert, & tradis: si illis cares, nihil tibi præstat. Si vires tibi suppetūt, vt tota nocte vespertilionis aut noctuę more incedēs, & circuēs delectationes apprehēdas: illas tibi promittit, siu minus, nihil tibi dat. Si facultates, & pecunias habes, & fauores potentiū, q. b. possis ambitioni tuæ satisfacere, & dignitates obtinere, honorem

¶ 96. *Genes.* 3. 6.

tibi

tibi offert: sin minus, nihil ille ex seipso mittit. Te ad tui ipsius expensas inuitat. Vid. pdigum illũ, in quo mire Christus Dominus descripsit, quæ diabolus præstet ijs, quos in sui obsequium recipit.

Luc. 15. 13 *Consumpsit*, inquit, *substantiam suam viuendo luxuriosè*. Ad substantiæ ipsius sumptus, præbebat ei diabolus delicias, vnde tam diu eas præstitit, quam diu illius adolescentis substantia duravit. Consumptis tamen omnibus, quæ habebat, etsi fames valida eum oppressisset, sed *nemo illi dabat*. Si igitur substantiam habes, quam expendas, quæ emas, quæ ad delectationes, & appetitus tui satietatem conducunt, eam tibi diabolus offeret, si substantia cares, nihil tibi dabit. Si astutiam habes, & potentiam, ad peruertendum cor mulieris honestæ, per largitiones, & prodigas effusiones pecuniæ, & munerum, tuam expendendo potentiam, & substãtiam, te ad voluptatem, quam inde capias, diabolus inuitabit: si potentia defuerit nec habueris, quomodo cor illius emollias, nihil tibi poterit elargiri. Egregiè profectò Spiritus sanctus huius tyrãni, cuius mores probe nouerat, explicat dolos, vt Beatus Gregorius annotauit:

Lir. 13. Moral. c. 16. *Prædam pollicetur socijs*. Pagnin. *Amicis*, est enim in Hebr. vox, quæ frequentius

Iob 17. 5. amicos significat. Vtiturque metaphora eius, qui ad venationem excitat illum, qui habet ea, quæ ad capiendam prædã sunt necessaria, canes venaticos, accipitres, equos veloces, seruos ministrantes in hoc famulatu, illi pollicens prædam. Is quidem nihil venatori dat, sed tãtum allicit, vt venator ipse egrediatur, lucẽ matutinam præueniat, laboret, currat, expẽdat, quæ sua sunt, vt proprijs sumptibus, venaticis suis canibus, retibus, & laboribus, prædam sit habiturus. Ita se habet diabolus: illis enim, quibus tãquam amicis blanditur, prædam ex ipsorummet venatione pollicetur. Elegantissimè autem Iob (vt ait nostri tẽporis author) temporalia bona prædæ

Cypr. Ciss. nomine descripsit, talia sunt namque, vt non possit quis ea consequi, nisi ad modum prædæ vel raptus, quia cum bona hæc finita sint, non poteris pecunias acquirere tu, nisi alius eas deperdat, nec dignitatem, nisi alius eam amittat, & nisi ad modum venatoris talia bona quæras, currens, laborans, circumspiciens, inquirens, ita quod nulla ferarum, aut auium præda, tantò labore, curaque comparetur. Si delectationem ex alia vxore capere vis, oportet ad venationis modum, insequi prædam capiendam quod quæras, circumspicias, te in latibulo recipias, expensas facias: *Oculus enim adulteri obseruat caliginem, & circumspicit, &c.* Si lucrum quæras, quasi aucupem oportet te agere, oculos in omnem partem conuertere, currere, negotiari, &c. Si honorem adepturus es, ad modum venatoris est tibi agendum, & vtendum canibus venaticis, seruis scilicet, & personis interpositis. Quod Satanas ergo facit, est, te ad venationem excitare, pollicens, quod si habes vires ad currẽdum, canes, accipitres, equos, & omnia necessaria ad comprehendendam ferã, aut auem, eam capies. Nihil ille confert, tantum pollicetur, quæ tu viribus tuis, ac facultatibus, potes tibi ipsi præstare, ac comparare. Ad hoc institutum obseruat egregiè Cyrillus Alexandr. illum impium ducem Babyloniorũ Rabascem, typum diaboli tenuisse, qui oppugnaturus ciuitatem sanctam Ierusalem, postquam multa maledicta in Deũ coniecit, ad extremum illis verbis est a locutus eos, qui in Sancta ciuitate habitabant: *Hæc dicit Rex Assiriorum: Si vultis benedici, egredimini ad me, & comedite vnusquisque vitem suam & ficus suas & bibite aquam de cisterna vestra*. Ad tria inuitat, ad vuas, ficus, & aquã: quia diabolus ad nostræ concupiscentiæ satietatem inuitat, quæ circa illa tria ferri potest, quæ indicauit Ioannes dicens: *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Carnis ergo delicias, aut mundi diuitias, aut seculi honores ille nostrę offert concupiscentiæ: non tamen omnes inuitat, sed eos, qui suas habent vites, quę vuas possunt producere, & eos, qui suas habent ficulneas, quæ ficus valent proferre, & eos, qui cisternas suas habent, in quibus aqua contineatur, quia certè tale est conuiuium, ad quod diabolus inuitat, non enim ille vuas promittit, nisi ha-

¶ 97.

Iob 24. 15.

Libr. 1. de adorat. 4 Reg 19. & Esa. 36.

1. Ioã 2. 16

habentibus vites ſuas, nec ficus niſi habentibus ficulneas ſuas, nec aquam, niſi habentibus ciſternas ſuas: nam nec diabolus, vel minimam carnis delectationem præſtare tibi poteſt, niſi ſalutem habeas, & pecunias, quibus eam compares, nec diuitias, niſi diligentiam aſtutiamque, & labores exhibeas, nec honores, niſi eas habeas facultates, quibus tibi poſſis illos comparare. Ex quibus patet, quam durum ſit tali tyranno obſequi, qui certè ſimilis eſt illi crudeli Pharaoni Regi Ægypti, qui cum multã operam, laboribus plenam ab Iſraelitis expoſceret, quorum vitam ingenti laſſitudine conficiebat, nihil tamen de ſuo illis præſtabat, ſed omnes ex penſas ab illis exhiberi volebat, vt nec ſutum, nec paleas, ad laterum confectionem daret.

ad Phil. 2. 13. *1. ad Tim.* 6. 3. 17. Quam aliter Deus agit cum illis, quos ad ſui ſeruitium excitat, quibus ipſemet præſtat vires, facultatem, potentiam, quique *dat velle, & perficere, & præſtat omnia abundanter*.

§. 27. *Diaboli aſtutia eſt, quæ grauiſſima ſunt, tam facilia repræſentare, ac ſi ſolo verbo poſſimus perficere.*

¶ 98. CVm res ſit grauiſſima, & vltra natu æ vires, quã diabolus à Chriſto petit, dicens; *Dic, vt lapides &c.* illam tamen tanquam facilem proponit, quaſi vel ſolo verbo poſſet cõfici: *Dic*, inquit. Grauia ſunt quæ pateris, facillimum eſt tamen vel vnum verbum dicere. Quis nõ præſtabit, quę vel ſolo verbo poteſt perficere, vt à graui pœna, quam ſuſtinet, liberetur. Hic diaboli mos, expẽdere grauitatem eorum, quę patimur, & quaſi leuiſſima, & facillima proponere, quæ à nobis petit, vt ab illis liberemur, cum tamen reuera, ingentis põderis ſit opus, quod petit. Viſuſque eſt tenuiſſe illam loquendi, & ſuadendi formam, quam Ionadab tenuit cum Amnõ conſanguineo ſuo, filio Dauid Regis, quando vidit illum ardenti abominandaque cupiditate erga ſororẽ ſuam aſceſum. *Quare, inquit, ſic attenuaris macie fili Regis per ſingulos dies. Cuba ſuper lectum, & languorem ſimula, & cum venerit Pater tuus, vt viſitet te, dic ei: Veniat oro Thamar ſoror mea, &c.* Quidn ã difficile eſſe poteſt filio Regis. Quid facilius, quam ſimulare languorem, & ſuper lectum cubare? Quid facilius, quam à proprio parente, vel vnico verbo petere, vt veniat ſoror ipſius decumbentis? Quid facilius, quam opprimere mulierem, quam quis ſolam in cubiculo habet? Grauia pateris, continuò, & *per ſingulos dies*: facilia ſunt, quæ præſtare potes, vt omnem excutias pœnam, quę vel ſolius verbi prolatione potes præſtare: *Dic, vt veniat Thamar. Cur* ergo *ſic macie attẽuaris fili Regis.* Hoc ipſum diabolus dixiſſe viſus eſt: vidit enim Chriſtum per dies quadraginta ieiunãtem, & quod valida tandem affligeretur fame, quem audiuit vocatum à Patre: *Hic eſt filius meus.* Si filius Dei es, cur tam grauem pateris eſuriem, qui vel ſolo verbo potes habere, vnde famelicam carnem reficias? Non oportet in ſudore vultus panem quærere, id enim peccatoribus congruit. Verbum quod dico, non eſt in cœlo poſitum vt dicas: Quis aſcendet inde, &c. nec in abyſſo conſtitutum, vt dicas: Quis ad abyſſum deſcendet. Prope eſt verbum in ore tuo, dic. Centurio, ad oſtendendũ quam facilè eſſet Chriſto ſalutem ſeruo ſuo præſtare, *Tantum*, inquit, *dic verbo*. Nihil facilius, quam verbum proferre. Rem quidem grauiſſimam ille poſcit, ad quam præſtandam virtus infinita erat neceſſaria, & tamen tam facilem eã repræſentat, vt vel ſolius verbi prolatione, eam fieri depoſcat. *Dic*, inquit, *vt lapides iſti panes fiant*. Ita ſe gerit diabolus: repræſentat namque tãquam grauiſſima ea, quæ patimur, & tãquam facillima, quæ à nobis petit ad illorum remedium. Grauem, inquit, & tædioſiſſimam vitam ducis ò mulier, cum non habeas vnde comedas, aut veſtiaris: facilimum eſt ei conſentire, qui te ad luxum prouocauit, qui omnia neceſſaria ſubminiſtrabit tibi. Dura eſt ò homo pauperies, quam ſuſtines qui nõ ſolum te, ſed, & filios, & vxorem alere teneris, facilimum eſt autem vſuram committere, aut aliena furripere. Ita diabolus

Matt. 3. 17

Matt. 8. 3.

ius tentat, & tamen si rem attentè expendas, videbis ea, quæ petit, quæque tanquam familia exponit, esse tam grauia, tantique ponderis mala, vt sine omni potentis virtute, & peculiari fauore, non possis ab illis liberari: tam grauis res est, quam à te fieri postulat, vt per eam amittas ius ad Regnum cœlorum, amicitiam Dei, societatem Angelorum, Spiritum sanctum in te manentem. Sed de ijs multa alibi subinferemus.

§. 28. *Fune diuini verbi linguam Leuiathan Christus alligat, & desolat linguam maris: sic iusti agunt.*

¶ 92. QVi respondens dixit: *Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Nõ abundè, inquit Beatus Irenæus, inimicũ Christus destruxit, nisi ex dictionibus legis, & Patris præcepto. Per præceptũ enim legis repulit eum dicens: *Scriptũ est, &c.* Sed tamen si expendamus, quæ Sanctus Gregorius obseruat, verè adimplet Dei filius, quod promiserat, se fune ligaturum linguam Leuiathan seu ceti, & quod eum traditurus esset alligatum, vt cum eo puellę sicuti cum passere ludo ligato luderent. *Nunquid*, inquit ad Iob, *fune ligabis linguam eius. Nunquid illudes ei, quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis.* Nulli dubium est in Scriptura sacra, funis nomine, diuinam legem, diuinumque verbum intelligi. Nec mirum: certum est enim legem à ligando dici, quod liget ad modum funis, & eos quibus imponitur ligatos teneat, & obligatos. Et quidẽ primò diuina lex tanquam funis alligat nos, & obligat, ne vltra eam extendamur, imò vt secũdum eam vitam instituamus. Ita Origenes, funes tabernaculi iussu Dei extructi, expendere videtur: Deus nãq; qui omnia quæ agẽda erant præscribebat, cum præcepisset fieri tabernaculũ, simul præcepit fieri validos funes, quibus illud, loco in quo manebant Israelitę, firmaretur, nec huc, illucque ventorũ impetu duceretur, quorum funium expressam mentionẽ fecit Deus dicens: *Quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia vtensilia eius*: quibus id Deus indicare volebat, quod vt firmi persistamus in bono, nec nos huc illucque affectionũ, passionum, aut tentationũ imperus ducat, necessaria est diuina lex, diuinique verbi imperiũ, cuius virtute firmemur: nec mirũ, cũ verbũ Dei sufficiens fuerit, vt per illud cęli firmati sint, & mare eius solo præcepto, terminos suos nequaquam fuerit transgressũ. Non tamen solũmodo funis iste aptus est ad alligãdum nos, sed, & aptissimus est, vt nos per illum linguam Leuiathã, id est, diaboli tentantis alligemus: quam Christus Dominus hoc fune, ita nũc alligat, vt quam cœperat tentandi viam coactus fuerit deserere. Fidelis siquidẽ seruus, sicut domini sui voce, & præcepto se alligatum sentit, ita nulla re põt fortius alligare linguã illius, qui ad oppositum eum excitare voluerit, quam hoc ipsum domini sui imperium, & vocem exponendo, & opponendo. In hũc sensum aliqua ex parte B. Gregor. explicat illud Isaiæ: *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti.* Nomine linguæ maris, orã maris intelligere possumus, quo loquendi more Hispani præcipuè vtuntur, dicentes: *Llego à la lẽgua del agua*, nã præterquã q; mare, ibi quasi linguã extrahere videtur, dũ frequentatis vndis agit, certũ est, quod ibi validius susurrat, fremit, inclamat, in articulatas quasdam quasi voces edens, quibus eos qui in terra agunt terret. Ita Scriptura sacra agẽs de terminis sortis Iudę: *Initiũ eius à summitate maris falsissimi, & à lingua eius, quæ respicit meridiẽ*, id est, ab ora, & littore meridionali. Et iterũ: *Sunt exitus eius contra linguã maris falsissimi.* Et quidem, quãdo Israelitæ ascendebant de Ægypto, ad littus maris venientes, quasi tremefacti sunt, audiẽtes fremitus illos, & susurrationes maris, sed cũ Moyses virgã cõtra mare applicuisset, omnia illa defecerũt, & exsiccatis aquis, aditus patuit manifestus, & desolasse tunc dictus est Deus linguam maris Ægypti, id est, exsiccasse, vt Vatablus, Leo Castrensis, & alij sentiunt. Sed verè videtur loqui Propheta, metaphora sumpta ab altissimis turribus,

Lib. 1. cont. hæres. c. 21.

Lib. 33. Moral. c. 12. & 13.

Iob 40. 24.

Hom. 9. in Exod. Exo. 25.

Num. 3. 26

Esa. 11. 15

Ioſ. 15. 2.

Ioſ. 18. 19.

Exod. 14.

In c. 11. Esai.

& arcibus ciuitatis, quæ venientibus ingressum omnem prohibent, propter strepitum armorum, quem milites illic stantes, & vociferantes, ac armis resonantes referunt: aliquando tamen ita à potente expugnatore desolantur, vt æquatæ solo, pateat omnibus ingressus planus, & inoffensus. Ita intelligo factum fuisse, cum Israelitæ egressi sunt de Ægypto, & ad mare peruenerunt. Sicut namque postea, cùm peruenerunt ad Iordanis oras, voluit Deus, vt Iordanis omnes aluei sui ripas impleret, & quasi impossibilem exhiberet transitum, vt hoc ipso magis Dei potentia reluceret, si tunc facillimum Deus præberet trãsitum; ita credo, cùm primum Israelitæ peruenerunt ad maris rubri littus, altissimos fluctus fuisse excitatos, & quasi inarticulatè clamantes, frementes, & vociferantes ad modum militum armaturum, vndas, & fluctus resonasse. Sed omnis hic clamor, & strepitus timorem incutiens, breui contractu virgæ fuit ita compressus, excisus, & desolatus, vt illis via pateret plana, facilis, delectabilis, ac florida: ideoque dicitur, desolata lingua maris Ægypti. Ita, & nunc euenturum prædicere visus est Propheta. Mare siquidem Ægyptium: aut tenebricosum, diabolus est, cuius malitiæ profunditas non videtur habere terminum. Egregiè illos iustos laudat Dominus: *Qui non cognouerunt altitudinem Satanæ*: in Græco *Profunditates* eo sensu quo puteum altum appellat Ioannes, id est, profundum: qua etiam voce vtitur Paulus: *Sublimitas, & profundum charitatis Dei*: quo itidem modo dicimus: *Altitudines maris*, altitudines cogitationum aut conceptuum; quomodo de Ægyptijs in mare submersis dicitur: *Ab altitudine inferorum eduxit illos*, id est, ex profundo maris pelago, vbi suffocati sunt, eduxit, & ad littus deiecit. Altitudines ergo vel profunditates, Satanę dicuntur, immensum pelagus malitiæ, fraudis, & doli, eo modo quo dicitur: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Illi autem non cognouerunt hanc altitudinem Satanæ, in quos tam ingẽs multiplexque malitia non potuit aliquid efficere; eo modo quo in Scriptura dicitur, non cognouisse vim gladij aut sagittæ, qui eis non fuerunt vulnerati. Sicut autem in mari ex ingẽti profunditate aquarum oriuntur validi fluctus, quibus firmam & continentem obruere videtur, ita ex immensa dæmonis malitia excitantur tot, tamque variæ tentationes, quibus etiam iustiores viri obruendi apparent. Huius ergo maris lingua perpetuò resonat, & submurmurat, dum varia repræsentat, & exponit, quibus omnem transitum in via virtutis occludere conatur: sicuti quod non potest homo vitam seruare, si non rigorem remittat ieiunij, & carnis mortificationem: quod si Dei obsequio intendit instanter, deficiet panis, augebitur fames, & se inueniet, nihil nisi lapides duros habentem: quod nisi iniuriam vindicet, honorem amittet: quod si virtutem sequatur, tristitia absumetur: quod nisi curas seculares resumat, peribit; sicuti, & nunc cum Christo fecit. Audi linguam maris Ægypti: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Sed is qui Moysi præcepit, vt virgam applicaret ad mare, quo eius vociferantes fluctus comprimerentur, & exsiccaretur lingua maris nunc virgam, diuinam Scripturam scilicet sacram applicat, dicens: *Scriptum est, Non in solo pane, &c.* cuius virgæ, vel solo contactu, exsiccata tentatoris lingua ita remansit, vt quo vltra in hac tentatione progrederetur, non haberet: eiusque malitia quasi desolata, aut solo æquata fuit. Nihil ita videtur validum ad linguam tentatoris omnino exsiccandam, & vt loquendi vlterius amittat facultatem, quam applicare virgam diuinæ legis. Optimè Dauid: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es: virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Mediũ vmbræ mortis, inquit Chrysostomus, agnoscimus vitam tentationis: nam ille in medio vmbræ mortis ambulabat, qui dicebat: *Inhabitaui in tabernaculis Cedar*, id est, cum filijs tenebrarum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, dum loquebar*

Apoc. 2. 24. Ioan. 4. 11.

Ad Ephe. 3. 18.

Sap. 10. 19.

Prou. 18. 3.

¶ 101.

Psal. 22. 3.

In Psal. 22.

Psa. 119. 8.

quebar illis, debellabant me gratis. In medio vmbræ mortis ambulabat, qui talia tolerabat. Apostolus etiam, quando inter falsos fratres ambulabat, in medio vmbræ mortis incedebat: maledicebatur, benedicebat; iniuriam patiebatur, & non comminabatur; lapidabatur, & virgis cædebatur, & patienter ferebat: quando ista patiebatur, in medio vmbræ mortis ambulabat, &c. sed non timemus quia Deus pro nobis est, & fortior nobiscum magis quam cum illis, potentior est ille ad protegendum, quàm illi ad expugnandum. Ita Chrysostomus: *Virga tua, & baculus tuus, &c.* Duo ista, inquit Chrysostomus, sacramentis sunt plena, virga & baculus. Virga satis est, inquit Origenes, quid opus est baculo? qui virgam assumit, vtique baculum non tenet. Sed egregiè Beatus Gregorius: Virgam assumimus, vt percutiamus; baculum autem, vt sustentemur. Quod Scriptura sacra docet: de virga enim quod ad percutiendum assumatur, probat Origenes ex illo *a*: *Si mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum*: & Chrysostomus ex illo *b*: *Qui vultis, in virga veniam ad vos?* & alio loco *c*: *Reges eos in virga ferrea*: & patet manifestè ex illo *d*: *Virga consurget de Israel, & percutiet duces Moab*: & iterum *e*: *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percutieris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis, &c.* De baculo autem similiter sunt innumera loca, quod ad sustentandum assumatur ab aliquo. Ita Iacob; *In baculo meo transiui Iordanem*: & in lege: *Si surrexerit, & ambulauerit fortis super baculum suum*: sermo est de eo, qui ab infirmitate conualescit. Idcirco illi filium suum vocabant, *baculum senectutis* Scriptura ergo sacra, aut diuina lex, baculus est, cui niti debemus, vt iter rectum agamus: sed etiam virga, qua percutimus linguam maris Ægypti, quia per illam inimici tentationem ita castigamur, vt eum relinquamus elinguem. Ligans ergo Christus Dominus fune verbi diuini linguam Leuiathan, & exiccans linguam maris Ægypti virga diuinæ legis, hoc ipso nos instruit, vt eodem fune, eademque virga vtamur, qua huius draconis, ac tenebricosi maris linguam ligemus, exiccemus, & desolemus: & vnicuique nostrum dicere videtur illud, quod dixit Moysi: *Tu autem eleua virgã tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud.* Ex his explicare videtur Diuus Thomas illud, quod dixit Apostolus. *In omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela iniquissimi ignea extinguere.* Scutum summè necessarium est militi ad protegẽdum se, cum circundatur inimicis, qui in abscondito, & in tenebris sunt, & omni ex parte tela iaciunt. Exposuerat Paulus, nos esse potentibus inimicis circundatos, qui fortissima tela contra nos mittunt: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Quid ergo agendum? *Accipite armaturam Dei*, id est, arma fortissima & valida: nam secundum Scripturæ phrasim, cum aliquid est præstantissimum in aliquo genere, dicitur esse Dei: vt *Montes Dei, cedri Dei.* Signanter autem, *in omnibus sumentes scutum fidei.* Ad omnia valet hoc scutum, omnibus inimici ictibus hoc scutum est opponendum. In omnibus prælijs (inquit Anselmus) & in omnibus tentationibus suis sumentes scutum fidei, *in quo*, id est, per quod, *possitis*, non solum repellere, sed etiam *extinguere omnia tela nequissimi*, id est omnes suggestiones eius acutissimas, quibus corda nostra transfigere procurat. Tela dico, *ignea*, id est, ignem vitiorum accendentia: inflammant namque mentes hominum ad concupiscentiam, & ignem malitiæ, & cupiditatis succendunt. Opponite omnibus telis scutum Fidei. Fides est virtus Theologica, quæ diuinæ reuelationi, & diuinis verbis nititur. Tunc ergo scuto Fidei homo se protegit, & in eo excipit omnia tela inimici, cum inimico tentanti opponit diuina verba, & quæ Deus in lege sua expressit. Vnde, & Dominus, inquit D. Thom. diabolo tentanti, producebat, & opponebat authoritates sacræ Scripturæ,

In cate. Daniel. Barbar. Lib. 33. Moral. cit.

a *Psal.* 88. 32.

b 1. *Cor.* 4. 21.

c *Psal.* 2. 9.

d *Num.* 24 17.

e *Prou.* 23.

Gen. 32. 10. *Exod.* 21. 19. *Tob.* 5. 23. & *Tob.* 10. 4.

Exo. 14. 16.

In ca. 6. ad Ephes.

Ephes. 6. 16

Ephes. 6. 12

¶ 102.

Psal. 35. 7. *Ps.* 79. 11.

In ca. 6. ad Ephes.

Ibidem.

re, & sic debemus facere. Si tentat de
Rom.14.17 gula, inducendum illud: *Non in solo*
Rom.13 9. *pane viuit homo*: vel illud: *Non est Regnum Dei esca, & potus*. Si de luxuria, illud opponendum: *Non machaberis*. Si de furto, illud; *Non furtum fa-*
Psal.118. *cies*, & sic de alijs. Ita D. Thomas. Hoc
85. scutum Dauid opponere videbatur,
Ps.118.92. quando dicebat: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*: & iterum: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè perijssem in humilitate mea*, idest, in tentatione, quam
1.Pet.5.8. diabolus contra me excitabat. Ex his etiam possumus, & illud explicare: *Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide*. Non dubium quod loquatur Apostolus de fide, quæ est virtus Theologica, quæ diuini verbi veritate nititur: non tamen de quacunque tali, sed de perfecta, quæ hoc efficit, vt homo nõ solum credat mysterijs fidei à Deo reuelatis, sed, & vt eam fidelitatem seruet erga Deum, quam fidelis seruus erga dominum suum seruare tenetur. Qui enim talis est, perpetuò attendit, quid dominus suus sibi præcipiat, & cuique suadēti oppositum, hoc tantum opponit, quod dominus eius hoc vel illud præcepit, eique faciendum
Genes.39. præscripsit. Non habuit Ioseph scutum validius, ac fortius, quod opponeret impudicissimæ illi fœminæ, ad nefarium opus excitanti, quàm quod seruus erat viri sui; & ideò tenebatur eius honori prospicere, nihil contra eum admittere, quem tanquam legitimum dominum reuerebatur: hoc scutum eius continuis blanditijs, & suasionibus continuò opponebat, contra quod nulla tandem superfuerunt verba inuerecundæ mulieri, quibus persisteret suadendo malum, quod optabat: ideoque ad opera, manum extendendo ad illius pallium, se conuertit. Certè si diabolo tentanti, & excitanti ad malum, hanc fidelitatem, quam secum perfecta fides trahit, opponamus, eum quasi elinguem reddemus.

(?)

§. 29. *Caput serpentis contriuit Christus, docens non dandum locum diabolo, qui post caput totum corpus introducet.*

¶ 103.

CEnset Beatus Irenæus, verè nunc Christum opere complere inceptisse, quod prædictum fuerat à Deo, maledicente serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius, ipsa tuum obseruauit caput*, (ita ille legit, iuxta septuaginta, quomodo, & Cyprianus *a*, Ambrosius *b*, Augustinus *c*) *& tu obseruabis eius calcaneum*. Diximus suprà, calcanei nomine, affectus nostros in Scriptura sacra intelligi, quibus animus huc illucque discurrit: quos obseruat diabolus, vt ex eis ad impetendum nos, procedat: ideoque nunc diligenter obseruauit, si quem affectum in Christo deprehenderet insurgentem, vt ex eo ad tentandum viam sibi faceret. Deprehendens propterea famem, vel esuriem, aut appetitum cibi, ad tentandum progressus fuit, dicens: *Si Filius Dei es, &c.* Ipse ergo calcaneum Christi obseruauit. Sed verius Christus caput eius contriuit, quia statim in principio eius repulit tentationem, illius ignitum telum extinxit, nullumque locum ei cõcessit, vt in ea tentatione ad vlteriora progrederetur. Hoc enim est, inquit Gregorius, caput serpentis conterere, initia suggestionis eius à cordis aditu funditus extirpare. Vnde id Christus docuit opere, quod postea Paulus sermone, dicens: *Nolite locum dare diabolo*. Illis namque verbis, vt innuit Theophylactus, ad mentem visus est Paulus reuocare voluisse, quod diabolus est serpens, cuius, vt etiam dixit S. Gregorius Nyssenus, hæc est naturalis conditio, quod vbi caput immittit, mox reliquam corporis molem ingerit. Et propterea, inquit Ambrosius, serpens dicitur, à serpendo, quod serpat, dum namque locus illi in principio datur, vsque ad internas medullas se intromittit, vt vel ipsa experientia docente compe-

Li.5 cont. hæres.c.21
Gen 3.15.
a Li.2. aduer. Iuda. cap.9.
b Li.de fuga seculi cap.7.
c Lib.2. de Gens.cont. Manich. cap.13.
1.Moral.c. 38.ad fin.
ad Ephes.4. 27.
In lib. Eccles.ho.4.
Lib.de Sa. lom.c.3.

rimus. Caput namque applicauit serpens, cum Dauidem excitauit, vt solarium ascenderet, & intenderet mulieri ex aduerso se lauanti, inde viam sibi fecit patentem, qua totum corpus subinferret, dum ad desiderium accendit, ad adulterium excitauit, & ad homicidium induxit. Similiter, & cum Iudam perdidit, vt expendit Hieronymus: caput namque primò applicauit, dum ad aliqualem affectum pecuniæ illius cor excitauit; sed cum miser ille caput non contriuisset serpentis, paulatim ingredi cœpit, dum misit in cor illius, vt Christum traderet; tandemque quasi totum corpus inuexit, quando Iudas nec Christi benignitate motus, nec beneficijs supremis illectus? *Post buccellam introiuit in eum Satanas.* Ita, & agit nobiscum: excitat si quidem primo hominem, vt ad animi recreationem capiendam, cum muliere conuersationem admittat; dum caput hoc mittit, statim ad desiderium mouet, & accendit, & ad illicita pertrahit. Similiter mulieri suadet, vt admittat alterius vrbanam salutationem, & eius recipiat amatorias literas, mentem applicet ad eum auscultandum, quo paulatim voluntatem afficit, vt totum corpus introducat. *Nolite ergo locum dare diabolo*, sed caput eius statim conterite, & obseruate. Annotauit Rupertus, admirandum esse, quod de serpentis capite, & mulieris planta, vel calcaneo fida relatione eorum, qui rem explorauerunt, vt ipse asserit, comperit: nam si nuda mulieris planta viuacissimum serpentis caput, vel leuiter pressérit, statim totum cum capite corpus repentè interit, ita vt nullus omninò motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis, aut verubus, vel gladijs conficientibus effici potest. E contra autem, si vel leuiter serpens caput suum applicans, calcaneo mulieris non statim conteritur, sed locus ei conceditur, vt dentem leuiter figat, statim venenum suum effundit, & mulierem, imò, & virum, breuiter interficit: nam morsu suo venenum sanguini admiscet, quod statim ad cor peruenit, illudque inficit, ex quo mors sequitur. Inducit ad hoc institutum Rupertus illud Poetæ.

Noxia serpentum est admixtio sanguine pestis.
Morsu vias habent, & futum in dente minantur, &c.

Ad hoc propterea Paulus videtur alludere voluisse, dicens: *Nolite locum dare diabolo.* Est ille serpens, qui summè curat calcaneo affectus nostri, caput dentesque applicare; si ei conceditur locus, vt dentem figat, venenum suum mittit, quod feruenti sanguini nostræ concupiscentiæ mixtum, ad cor peruenit, & illud afficit, imò, & & inficit, ac interimit: vt signanter in eo, quod de Iuda dictum est, videre licet, quod, & considerat Chrysostomus, expendens illud: *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Per verba enim, quæ mulieris auribus applicauit, virus suũ immisit. Vidit appetitum erga fructum prohibitum excitatum, considerauit calcaneum mulieris, quæ attentius fructum aspiciebat, & videbat, & considerabat, quod *lignũ erat pulchrũ visu, & suaue ad vescẽdum*: ad hũc calcaneum caput applicauit, dentes misit, verba proferens illa: *Cur præcepit, &c.* per quæ virus effundere cœpit, quo tantam mulierem inficeret. Caput ergo eius summè est obseruandũ, & conterendum: non concedendus illi aliquis locus. Beatus Hieronymus indicat, Paulum alludere voluisse ad illam celebrem Sapientis sententiam: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare facit peccata maxima*: quam egregiè explicat idem Hieronymus *a*, & alij Sancti Patres, Gregorius Taumaturgus *b*, Olympiodorus *b*, Ambrosius *c*, Cyrillus Ierosolymitanus *d*, & Cyrillus Alexandrinus *e*, qui omnes censent, de diabolo esse sermonem, quem vocat, *Spiritum potestatem habentis*, idest Dei, quia nullam ille habet potestatem, nisi quam Deus illi concedit: qua etiam de causa spiritus, qui exagitabat Saul, dicitur *f*, *Spiritus Dei*, vt latius in sequentibus ostendemus. Hic spiritus conatur ascendere super te, id est, dominari tibi, te sibi subditum facere, cum te impugnat, & contra te agit: ideo Syma-

In cap. 4. ad Ephes.

Ioan. 13. 27.

Li. 3. in Genes. c. 20.

¶ Ic 4.

Lucani 4. Pharsal.

Apud Lippom. in caten. Genes.

Genes. 3. 1.

Genes. 3. 6.

In cap. 4. ad Epes. cit. Eccl. 10. 4.

a *Epi. 8. ad De mer. & lib. 2. Apol. cont. Ruff. ante med.*
b *In c. 10. Eccles.*
c *In Ps. 37. & 41.*
d *Catho. 2.*
e *Lib. 1 in Isa. pa. 171*
f *1. Reg. 16. 15. & c. 18. 10.*

Symachus legit: *Si ſpiritus poteſtatem habentis ſupervenient tibi, irruat in te*, ideſt, tecum congrediatur: *Locum tuum ne dimiſeris*: ideſt, omnem locum tuum tene: nullum illi concedas.

Prou.4.23. Cyrillus Alexandrinus legit: *Cor tuum ne dimittas*, adiungens illud: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*, ſicut adiungit etiam Hieronymus: *quia curatio*, ideſt, ſolicita cura, & diligens, *ceſſare facit peccata maxima*. Hieronym. nomine maximi peccati, intelligit peccatum opere commiſſum; quia tunc peccatū ad ſummum venit in ſua ſpecie, quando non ſolum cogitatione conſenſu, & locutione, ſed, & opere perpetratur. In quem ſen-

Pſal.18.14 ſum explicat illud: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*. Ad peccatum maximum, quod opere perpetratur (inquit Hieronymus) non peruenies, ſi incentiua vitiorum ſtatim mente iugulabis, & paruulos Babylonis allides ad petram, in qua ſerpentis veſtigia non reperiuntur. Aut ſenſus eſt, quod diabolus ex minimis principijs, ad maxima trahere ſolet peccata; vt Cain ex inuidiæ motu, ad ſceleſtiſſimum fratricidium; fratres Ioſeph ex liuore, quem conceperant,

¶ 105. quod Pater plus eum diligeret ad immenſa impietatis flagitia; Dauidem ex conſpectu mulieris, ad peccatorum barathrum; Iudam ex auaritiæ affectu, ad proditionem ipſius Dei, &c. Hæc peccata maxima, principium ſumunt ex leuibus tentatoris inſultis. Diligens ergo cura ſi adhibeatur, circa talia principia, curſum peccatorem excindet, & faciet, ne ad illa maxima perueniamus. In quem ſenſum trahit

Amos.1.2. etiam Hieronymus illud. *Super tribus & quatuor impietatibus illius, & illius ciuitatis, nonne auerſabor eam?* Ita ille legit. Inuenitur quidem Dominus contra varias ciuitates, & prouincias, & gentes, quod prioribus diaboli telis locum dantes, peruenerint ad vlteriora, & extrema mala; ex cogitatione ſcilicet, ad locutionem ex hac ad operationem, & ex hac ad ſummam obliuionem. Paruuli ergo Babylonis ſtatim ad petram ſunt allidendi, ne ſi adoleuerint, & creuerint, valida expugnatione reuincant. Vulpes paruulæ capiendæ ſunt, & euertendæ, ne ſi creuerint, vineam omninò demoliantur. Diabolus, inquit Hieronymus, *In cap.4.ad Ephes.* tanquam leo rugiens, quærit aditum, per quem poſſit irrumpere; quomodo namque pater, & Filius ſtant ad oſtiū, & pulſant, vt introeant, & cœnent cum eo, qui ſe receperit, ita, & aduerſarius, ſemper in nos eſt paratus irrūpere, & cum locum dederimus, ingreditur, Solet autem antequam veniat, quædam iacula præmittere, & præcurſorem aduentus ſui facere cogitationem. Hanc ſi nos in corde noſtro ſuſceptam nutrierimus, & creſcere fecerimus, cum in nobis prolem ſuam auctam viderit, & ipſe audebit intrare. Denique, & in Iudæ cor primam iecit ſagittam, vt traderet Saluatorem, quam ſi exceptam ille miſerabilis non fouiſſet, nunquam poſt intinctum panem introiſſet in eum Satanas. Ita ille. Claudendum eſt oſtium cordis, inquit Anſelmus, ne tentator ingrediatur; ſi clauſum inuenerit, tranſit. Quibus verbis videtur alludere voluiſſe ad Eliſæi dictum celebre. Quærebat impius Ioram Rex Iſrael, perdere Eliſæum Prophetam: & iurauit, dicens; *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi filij Saphat ſuper ipſum hodie*. Vt autem hoc opere compleret, præmiſit virum, quem ille ſequebatur. Hoc ſtatim reſciuit Eliſæus, per diuinam certè reuelationem, vt probat Abulenſis: idcircò dixit ijs, qui ſecum erant; *Nunquid ſcitis, quod miſerit filius homicidæ hic*, (erat enim Ioram, filius Achab, qui occiderat Naboth) *vt præcidatur caput meum? Videte ergo cum venerit nuntius, claudite oſtium & non ſinatis eum introire: ecce enim ſonitus pedum eius poſt eum eſt*. Nuncios ante ſui ingreſſum diabolus mittit, cupiens intrare, & vitam noſtram auferre: illi ſunt, primæ ſuggeſtiones, quas quaſi leues præmittit. Hoc ipſo quod talis ſonus auditur: diligenter claudendum eſt cordis oſtium, nullus locus eſt illi concedēdus; ingredietur namque ſtatim ille, & ſonitus pedum eius poſt huiuſmodi ſuggeſtiones eſt.

In ca.4.ad Epheſ.

1.*Reg.6.32.*

In ca.6.lib. 4.*Reg.qua.* 41.

§. 30. *Curandum, nec minima diaboli suggestioni concedere locum: nam inde ad vltimum exitium inferendum procedet.*

¶ 106. QVoniam Dominus hoc tam insigne opus, quod cum dæmone egit, ad nostram desygnauit eruditionem voluit vt ex eo, oēs diabolis fraudes agnoscentes, vincere addiscamus. Quod ergo cœpimus tradere, latius prosequi libet, ostendentes, quam egregiè Christus doceat nos, callidissimo tentatori illudere. Astutissimè certè callidus tentator Christum aggressus est, sed sapientissimè Christus illum profligauit, & subinde modum, quo eum expellamus, demonstrauit. Obseruarunt Sancti Patres, cancrum marinum, maximum symbolum esse deceptoris, cuius propterea fraudulentos mores ex professo prosecuti sunt, signanter Basilius *a*, & Ambrosius *b*. Cancer quidem (inquit Ambrosius) ostreo delectatur, & carnes eius epulam sibi quærit: sed vt appetens cibi, ita prospiciens est periculi, quoniam difficilis est venatio, & periculosa: difficilis, quia testis validioribus esca interior occluditur, & velut muris quibusdam mollitiē carnis natura muniuit, quam medio testarum, quodam sinu concauo nutrit, ac fouet. Ex quo (inquit Basilius) ostra, Cordemon, ideſt, animal testuceo operculo munitum, nomen accepit. Circuit cancer, attendens, quia via ostreum ingrediatur, eiusque omnia tentamen sunt cassa, quia aperire ostreum clausum nulla vi potest. Cum illæ duæ concauitates (inquit Basilius) inter se aptæ, & copulatæ ostreum concluserint, nihil omninò efficere cancri brachia, nihil contra moliri possunt. Sed quoniam si dum ostreum aperit testas, intra quas clausum seruatur, cancer brachiola sua immittat, fieri potest, vt si subitò eas ostreum claudat, cancrum comprimat, & discindat, insidias noua fraude molitur. Explorat namque, & expectat, si quando ostreum in locis ab omni vento remotis, contra solis radios, referet claustra testarum vt libero aere voluptatem quādam capiat: tunc clanculo calculū immittens, impedit conclusionem ostrei, ac si aperta claustra reperiens, toto brachiola inserit, & viscera interna depascitur. Sicque (inquit Basilius) quod vi non poterat, astu perficit. Si tamen ostreum, lapillum à cancro immissum, subitò repellat, concludatque repente testarum ostia, omnes cancri astus inualidos reddit, imò, & brachiola cancri, ostia sua occludens discindit. Et quidem in cancri fraudibus, dæmonis astutias, callidasque versutias Deus, qui naturæ est author, videtur depingere voluisse. Satis certè manifestum est, CHRISTVM Dominum suam personam absconditam tenuisse, inter duas illas naturas, diuinam, & humanam: ideoque diabolus, nequaquam ad eam expugnandam accedere audebat, quam inter diuersa diuinitatis, & humanitatis signa, videbat inclusam. Expectauit propterea, si fortè aliquatenus ostreū, testas, aut ostia aperiret, si fortè panderetur ostium, per quod ei aliqualis aditus pateret. Quod reuera tunc factum fuit, quando CHRISTVS ab ¶ 107. omni hominum consortio, & conuersatione separatus, in illa occulta eremi solitudine, cœlestium contemplarioni vacans, quasi radijs Solis se exponebat: tunc namquē veram famē, & esuriem ostendit, qua manifestè demonstrauit, se verum esse hominem. Hoc autem ipso, quod astutus cancer ostia patuisse præuidit, subitò, non lapillum, sed lapides obijcit, accedens, & dicens: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*: si fortè lapides isti oblati, aliquatenus ostia retinerent aperta, sicque ad Christum expugnādum pateret via. Sed sapientissimus Magister, tanquam ostreum diligentissimum lapidem subitò repulit, & ostia repentè tanta firmitate conclusit, vt nullum locum subintrandi reliquerit. Imo, & brachia, quæ diabolus misisse visus fuit, omninò confregit, atque contriuit, dicens: *Scriptum est: Non in solo pane viuit homo*: quibus verbis, vt supra dictū est, magis seipsum occul-

a Ho. 7. in Hexac. & cap. 10. de inuidia.

b Li. 5. Hexaem. c. 8.

occultauit, & in maiorẽ ſuſpenſionem diabolum adegit, & eius conatus omnino retudit. Ita nobiſcum fraudulentus deceptor agit, & oportet propterea, vt dixit Apoſtolus, attendere, *Ne circumueniamur à Satana, quandoquidem iam eius cogitationes agnoſcimus.* Callidiſſimus hic cancer, perpetuò circuit quærens, quem deuorer, & deglutiat, oſtrea deſiderat comedere, viros inquam iuſtos, quod vt faciat, vnumquemque obſeruat, qua ex parte cordis oſtia aperiat, vt ſupra expoſitum dedimus, ſubitoque tentationem qua ſi lapillum mittit, quem niſi ſubitò repellamus, & claudamus oſtia, extrema pericula incurremus. Ita cum Heua ſe geſſit in paradiſo, quam cum vidit arboris interdictæ pulchritudinem conſiderantem, in eam quaſi lapillum miſit quæſtionem illam; cur Deus arboris illius fructum interdixiſſet, tam ſuauem, & pulchrum: quia verò illa hunc lapillũ non ſubitò excuſſit, ſtatim poſt eum habuit ille ingrediendi locum, imò, & inferendi mortem, & exitium. Similiter, cum vidit Dauidem in ſolario, quaſi oſtreum ad ſolem aperiẽtem teſtas, ſeq; recreantem, quaſi lapillum miſit, ſuadens, vt oculos extenderet ad conſiderandam mulieris ſe ex aduerſo lauantis pulchritudinẽ, quem quia non ſubitò repulit, habuit locum cancer ingrediendi, & abſumẽdi eius interna præcordia. Idipſum, & cum Iuda egit, quem cum videret affectum pecuniæ, miſit in eum quaſi calculum, quòd conſideraret valorem vnguenti, quod mulier vngendo Chriſtum expendebat & quia Iudas hũc lapillum non ſubitò proiecit, tandem poſt illum introiuit in eum Satanas, ſuadens, vt Chriſtum proderet, quo poſſet pecuniam, quam mulier expenderat, recuperare. Chriſtus ergo Dominus, ſubitò atque lapillum diabolus miſit, ad cognoſcendam eius perſonam, aut excitandam gulam dicens: *Si Filius Dei es, &c.* continuò illũ repellens, ita teſtas occluſit, quòd diabolũ, vt B. Ireneus annotauit, magis anxium, & confuſum dimiſit, dicens:

Non in
ſolo pane, &c.

2 Cor. 2. 11.

Lib. 5. cont. hæreſ. cap. 21.

§. 31. *Non tam panem corpori, quam animæ, nec tam cibum ad vitam corruptibilẽ, quam incorruptibilem, quærendum docet Chriſtus.*

¶ 108.

NON *in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Varijs rationibus Sãcti Patres, hãc Chriſti reſponſionem expendunt, & explicant. B. Gregorius Nyſſenus ſingularem habet modum dicendi, aſſerens, dæmonem peruertere voluiſſe totius naturæ ordinem, dum Chriſto eſurienti lapides obtulit. Eſt ſiquidem fames appetitus cibi, aut nutrimenti neceſſarij, quo natura ad ſui reparationem indiget: nam cum perpetuò per inſenſibilẽ euaporationem, actionemque caloris naturalis, humidum radicale conſumatur, natura per famis affectionem, quaſi clamat, petens neceſſarium cibum, ne natiuus calor extinguatur; ſicuti lampas, ſi non ſuperfundatur oleum. Iniquus autem tentator, qui noſtris naturalibus affectibus vtitur, vt nos ad eiuſdem naturæ euerſionem excitet, cum intellexit affectum famis in Chriſto, non cibum neceſſarium, ſed lapides ad talem appetitum ſatiandum exhibuit. Hoc autẽ (inquit Gregorius Nyſſenus) eſt peruertere, ac detorquere appetitum à naturali cibo, ad ea, quæ à natura aliena ſunt. Non enim diuina prouidentia lapides fecit, vt per eos occurramus fami, & ſiti, ſed cibos aptos ad comedendum, & nutriendum hac de cauſa produxit. Hoc amplius declarat, ſupponens, vnicuique rei præſtandum eſſe alimentum, ſuæ naturæ congruum, & conueniens, quo fames ſatietur, & conſeruetur natura. Et quidem duplex fames eſt in homine iuſto vna corporis, altera animæ, de qua dictum eſt. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Proprium cibum vnaquæque expoſuit, & vtriq; ſubueniendum eſt ad vitam ſeruandam. Fames corporis ſatiatur pane, fames animæ ſatiatur adimplendo id, quod Deus verbo ſuo ſtatuit, & præcipit: *Meus*, namque, *cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit*

Lib. de beatitu. ora. 4. pag. 530.

Matt. 5. 6.

me, vt perficiã opus eius. Incongrue igitur, & contra omnem naturæ ordinem lapides tentator offert, qui nec corpori quidem satiando sunt apti. Et quando panem offerret, qui corpus satiaret, non esset prouisum sufficienter vitæ, quæ non tam posita est in hoc, quod corpori exhibeatur panis, quam in eo, quòd est, voluntatem Dei, aut verbum quod ex ore eius procedit adimplere. Hunc sensum extendit ipse Gregorius Nyssenus, eleganter agens, & copiosè, contra eos, qui vt naturæ affectib. prouideant, multa quærunt, quæ nec corporis, nec animæ necessitatibus satisfaciunt. Quidnam enim ad famem corporis vel animæ satiandum, tot tantaque vasorum aureorum, & argenteorum congeries? Quid tam exquisita mensarum, & mappatum materia? quidnam ad nuditatis miseriam operiendam, tot sericorum, & aureorum vestimentorum cultus? &c. Quæ omnia etiam meditatus fuerat Sanctus Clemens Alexandrinus, hanc Christi Domini responsionem expendens, qui multa differit, à quo, quæ dixit Diuus Gregorius Nyssenus mutuasse visus est. Tertullianus alium sensum indicat, quem etiam insinuat B. Petrus Chrysologus, quòd loquatur Dominus de ea vita, quæ nomen vitæ verè, & pleno ore promeretur; illa est æterna: quia verè illa vita est (inquit Chrysologus) quæ sudorem nescit, dolores non habet, finem non sentit. Hæc quidem vita, non solo pane sustentatur, sed Dei verbo, & virtute. Vnde sensus est: Non quæro nutrire vitam, quæ solo pane sustentatur; hæc namque vita carnis est, corruptibilis, sed illam, quæ diuini verbi virtute perpetua subsistit quæ non eget cibo, & potu visibili, & corruptibili: quem eundem sensum, etiam tradidit idem Tertullianus docès ad ostendendum, quòd in cœlo Sancti, quando cum Deo vitam agent, non erunt necessaria victus fulcimenta, ad talis vitæ præsidia, quadraginta diebus Moyses, & Elias ieiunio functi sunt (inquit Tertullianus) qui solo Deo alebantur, & iam tunc dicebatur: *Non in solo pane viuit homo, sed in verbo Dei.* Ecce virtutis futuræ lineamenta ita ille. Cum ergo diabolus te excitat ad aliquid, quod necessarium repræsentat ad istam agendam, mentem erige, & expende, non vitam istam æstimandam, quæ solo pane sustentatur, qui sicut corruptibilis est, ita non potest in corruptionem conferre. Quærendus præcipuè est cibus aptus ad illam vitam consequendam, quæ æterna est, quam nullius famis, aut egestatis labor afficiat. Miseri homines, qui hoc ipso, quod esuriunt, continuo labori se tradunt, & quodcunque opus, quantumcunque graue facile aggrediuntur libertate se priuant, seruituti se subijciunt, vigilias ingentes agunt, itinera longissima conficiunt, & omnia quæ possunt intentât, vt panem acquirant, quem sæpè tam difficilè comparant, vt quasi ex lapidibus extrahere videantur: & id quidem, ad seruandam vitam temporalem, corruptibilem, & omnibus malis refertam, quam breuissimè amissuri sunt, quam fames cruciat, si tis torquet, febris consumit, gladius discindit, &c. Vt hanc vitam seruent, & nutriant, sæpè diabolum auscultant etiam suadentem, vt ex lapidibus panes faciant, id est, ea committant, quæ laboriosa, difficilia, iniqua, & iusta sũt: & tamen ad illam obtinendam, quæ æterna est, quam Deus promittit, nequaquam præcipiente illo, aliquid agere, aut pati curant.

(.·.)

Ioan. 4. 34.

Lib. 3. Pædagog. c. 7.

Libr. de resurrect. carnis cap. 26. Serm. 21.

Eodem lib. cap. 62.

§. 32. *Vero*

§. 32. *Verbum Dei alimentum animæ, maximè faciendum docet Christus, iuxta Sanctorum expositionem.*

¶ 109. *Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Plerique Sanctorum Patrum intelligunt, hoc loco sermonem fieri de doctrina Dei, quæ dicitur, verbum procedens de ore Dei, quasi diabolo inducenti Christum, ad quærendum, & desiderandum cibum corpori reficiendo aptum, responderit, ex Scriptura sacra, non tam panem corporalem, quam eum cibum quærendum, qui animam in vita sustentat, quod est verbum de ore Dei procedens. Certum est vnamquamque rem viuentem egere alimẽto suæ naturæ, & conditioni proportionato, quo eius vita sustentetur, & conseruetur. Homo autem duplicem habet vitam, corporis scilicet, & animæ: idcirco duplici alimento eget. Et quidem alimentum corporis, panis, aut cibus corporalis est; animæ verò alimentum, est diuinum verbum, doctrina diuina, quæ de ore Dei processit. Sicut autem vita animæ tam longo interuallo vitam corporis excedit, quanto anima ipsum corpus: ita longè maiori cura quærendum est alimẽtum animæ, quam corporis: & inordinatè homo ageret, si remittens curam animæ, se totum ad quærendum cibum corporis conuerteret. Hocque Scriptura sacra iuxta sanctorum Patrũ intelligentiam dicere voluit illis verbis: *Non in solo pane, &c.* Idcirco illa inducens, optimè Christus satisfecit callido tentatori, quasi dicere volens: Non hæc cura angere debet, quæ solummodo quærendo cibo ad corporis vitam sustentandam, intendit, sed potius curandum est alimentum animæ, quod est verbum de ore Dei procedẽs. Ita Cyprianus: Non, inquit, erat digna responsione, quæstio malignantis, sed diuino eloquio satisfecit calumniatori, subtilissimo dogmate docens, corporis, & animæ vitæ, proprijs alimonijs deberi subsidia: & cibum animæ, id est, verbum Dei, edulijs corporalibus præponendum, & citius, attentiusque menti prouidendum, quã ventri. Ita, & B Ephrem Sytus *a*, Ambrosius *b*, Hilarius *c*, Chrysostomus *d*, & Hieronymus *e*, Augustinus *f*, & Cyrillus *g*. Vt hanc Sanctorum intelligentiã expendamus, annotandum est, certum esse ex Scriptura sacra, doctrinã Dei, eiusque verba, quæ ab illius ore procedunt, esse animę cibum, quo animam nutritur, reficitur, & sustentatur. Obseruat Origenes *h*, exponens illud, quod Paulus ex Dauide citat *i*: *Fiat mensa eorum, &c.* Scripturam sacram esse quasi quandam opulentissimã mẽsam, quam Deus tot ferculis exhibet plenam, quot verba in ea profert, de qua interpretatur illud K: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, &c. miscuit vinum, & posuit mẽsam.* Vt pater sufficienter prouideat filijs, non tantum debet illis extruere domum, & prouidere vtensilia, quæ ad vtum domus sunt necessaria; sed præcipuè prouidere debet cibos, quibus super appositas mensas vescantur. Ita æterna Sapientia, quæ filiorum suorum vitam ita curat, vt dicatur *l*: *Sapientia filijs suis vitam inspirat*, non tantum filijs suis, idest, fidelibus, prouidit domum, idest, Ecclesiam sanctam, quam Paulus *m*, *Domum Dei* appellat, quam ipse ædificauit, de quo dicitur *n*: *Ædificans Ierusalem Dominus*: sed, & posuit mensam, Scripturam s. sacramis tot Sacramentorum, & Mysteriorum, ac promissionum edulijs refertam, vt inde cibos abundantissimos ad vitam animæ sustentandam haberent. Corpus quidem (vt obseruat Beatus Gregorius Nyssenus) alimento corporali eget, quoniam eius vires paulatim deficiunt, per continuam actionem caloris natiui, & spirationem, aut insensilem euaporationem, quapropter necesse est, continua subministratione alimenti vti, qua reficiantur vires, & quod deperditum est, reparetur. Similiter, & anima, propter continuum concupiscentiæ ardorem, & labores, quos patitur, minuitur viribus, & deficere aliquando videtur: ideoque oportet, ei cibum præparari, cuius.

Deut. 8. 3.

L. de ieiun. & tent.

a *Serm. de compun. animæ pag. 594.*
b *Lib 4. in Luc. & ep. 82. & ser. 25. ad finẽ.*
c *Canon. 3. in Matt.*
d *Hom. 21. in Gen.*
e *In c. 5. Isai.*
f *in Ps. 90.*
g *Lib 1. de adorat.*
h *Lib. 8. in ep. ad Rom.*
i *Rom. 11. 9.*
K *Prou. 9. 1.*
l *Eccl. 3. 12.*
m *1. Tim. 3. 15.*
n *Psal. 146. 2.*

cuius continua ſubminiſtratione reparentur vires, & facultates roborentur. Et fortè hæc dicere viſus eſt Apoſtolus: *Euangelium virtus Dei eſt, in ſalutem omni credenti*. Videntur namque loqui, metaphora ſumpta ab eo, cui iam vires ita deficiunt, vt nec ſtare poſſit: cui ſubuenire curamus, per bucellam panis, & poculum vini, quo vires reſumit; ſicut videre eſt in Amalecita illo, qui laſſus in itinere remanſerat, cui dederunt panem, &c. *qui cum comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt*. Ita ſanè deficiunt vires animæ, per continuum concupiſcentiæ ardorem, per labores, quos patitur, curas quibus angitur, ſolicitudines, quibus torquetur, ita vt aliquando iam deficere videatur: cibus propterea aptiſſimus paratus eſt. Euangelium ſcilicet, aut diuinum verbum, quo virtus reparatur, & reficitur: *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam*, ideſt, animæ paſtum, *ſcripta ſunt, vt per patientiam, & cõſolationem Scripturarum ſpem habeamus*. Dauid aliquando ita premebatur laboribus, & ita eius vires deficiebant, vt niſi hunc cibum animæ eius ſumeret, defeciſſet omninò. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea*. Vnde, & ad diuini verbi epulum, animam ſuam deficientem prouocabat, quo ſpes eius augeretur, nutriretur fides, roboraretur charitas: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, &c.* Ita, & ſãctus Mathathias, filios ſuos penè deficientes, ob perſecutionem gentium, induxit, vt ad memoriam reuocarent, quæ Scriptura ſacra commemorat de ſanctis Patribus, quomodo ſalui facti fuerint. Ita, & Paulus Hebræos hortatur, vt ſanctorum Patrum geſta, quæ Scriptura refert, recolant, vt animos ſibi faciant ad virtutis, & religionis opera perficienda, & ſuſtinendos labores, &c. Ita ſancta, & Beata Paula (ſic eam Hieronymus vocat) animæ ſuæ vires reparabat, vt idem Hieronymus ait, ſacrarum Scripturam lectione, & aſſidua meditatione, quibus fortiſſima ad omnes labores reddebatur. Egregiè propterea Paulus, poſtquam dixit, Euangelium eſſe virtutem Dei, ſubdidit locum illum, quem alibi iterum atque iterum repetit: *Iuſtus ex fide viuit*. Certum eſt, ſermonem eſſe de fide viua, quæ per charitatem operatur. Quomodo iuſtus ex ea viuit? Nonne vnuſquiſque viuit alimento ſuæ naturæ proportionato, & conuenienti? Multis rationibus hoc Sancti Patres explicant, ſed, & hic non ineptus eſt: *Fides enim eſt ex auditu per Verbum Dei*, vt idem Paulus dixit. Corpus quidem viuit, ſumendo alimentum per os, & illud traijciendo in ſtomachum, vbi virtute caloris naturalis concoquitur, digeritur, & diſtribuitur; anima autem viuit, ſumendo pabulum diuini verbi, diuinæque doctrinæ per auditum; quod transfuſum in cor, ſi ibi digeritur per meditationem, & concoquitur per calorem charitatis, per illud anima viuit, nutritur, & roboratur, & inde opera vitæ valida, fortiaque procedunt. Egregiè Origenes ad hoc inſtitutum expendit illud; *Si ſederis cœnare ad menſam potentis, diligenter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam, ſciens quia talia te oportet præparare*. Ita ille, iuxta Septuaginta legit; quo etiam modo multi Sancti Patres legere conſueuerunt. Inuitat nos Deus in hac vita, & non prandium dicitur paraſſe, ſed cœnam, quia oris ſui verba, & quæ nos docet, non non ſub clara luce, & euidenti nobis tradit, ſed ſub lucernæ lumine, cuius vſus eſt in cœnis, id eſt, ſub reuelatione obſcura, facta ſanctis Apoſtolis, & Prophetis. Ita namque dixit Beatus Petrus: *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Sub hoc lumine nobis parat menſam Scripturæ diuinæ, in qua ſunt varia fercula, tot, ac tanta, quot ſunt diuina verba, quæ in ea traduntur. Mitte ergo manum tuam, diligenter attendens, quæ tibi apponuntur. Sicut namque in conuiuio vnuſquiſque ad illud ferculum mittit manum, quod ſibi aptius conuenientiuſque indicat, ita circa doctrinam diuinam agere oportet, vt vnuſquiſque men-

Rom. 2. 16. — Rom. 1. 17 — Habac. 2. 4 — 3. Reg. 19. 23. — Rom. 10. 17. — Rom. 15. 4 — Loco citato Prou. 23. 1 — Pſ. 118. 92 — ¶ 118. — Pſ. 41. 6. — 1. Matth. 2. — Hebr. 12. 1 — 1. Pet. 1. 19. — Epiſt. 27.

mentem conuertat, & id excipiat cor-
Epist. 1. ad S. Greg. Theolog. de, quod sibi magis secundum occasio-
nem in qua est, potest cõgruere. Quod
eleganter docuit Beatus Basilius ad Scri
pturæ sacræ studium excitans. In qua
re, inquit, quisque nostrum senserit, se
eo, quod oportet deficit, in illo assiduè
incumbens, tanquam ab officina quadã
medicinæ, appositum suæ infirmitati
medicamentum inuenire poterit. Ac
temperantiq quidem homo cupidus, hi-
storiam Ioseph assidua lectione euoluat,
ab ea namque addiscet actiones tempe-
rantiæ plenas, in fortitudine instituetur lector ex historia Iob. Rursus aliquis reputans, quomodo magnanimus idem, & clemens esse possit, ita vt animo quidem obfirmato aduersus peccatum, clementia verò vtatur erga homines, illic Dauidem inueniet, generosum in bellicis facinoribus, clementem, & placidum in inimicis vlciscendis. Talis erat Moyses, ingenti ille quidem ita in illos insurgens, qui in Deum peccauerant, sed miti animo perferens illos, qui sibi obtrectauerant. Honestatem addiscet mulier ex historia Susannæ: obedientiam filius ex facto Isaac: timorem concipiet peccator, ex subuersione Sodomorum, superbus ex vindicta, qua rebelles Dathan, & Abiron Deus puniuit, simulator ex morte Ananiæ, & Sapphiræ: qui in virtutis via lassatur, attendat promissa, quæ ibi exponuntur: qui voluptates sequitur, consideret finem, quem proponunt, &c. Alimentum ergo aptum ad vitam animæ sustentandam, verbum Dei ab ore eius procedens meritò dicitur. Patet ex ijs veriras sententiæ Scripturæ sacræ, quam Christus refert: *Non in solo pane viuit homo sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Nec enim solus panis quærendus est ad vitam, qui tantum corpus nutrit, verior potiorque hominis vita, ea est, quam verbum Dei sustentat. Quoniam autem, vt annotauit Tertullianus, tunc aptius homo potest animam meditatione diuini verbi pascere, quando corpus per ieiunij languescit, aptè nunc hanc sententiam inducit, eneruans diaboli tentationem. Patet etiam quam iustè Sanctus Ephrẽ inuehatur in eos, qui tantum attendunt quærere, & prouidere alimentum ad vitam corporis conseruandam, qui tamen nullatenus curant, vel minimam alimenti portionem animæ subministrare, quos egregiè redarguit Dominus: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* *Audite audientes me, & comedite bonum*. Quare, inquit, omnem operam insumitis, circa illas res comparandas, quę non sunt verus panis, id est, verum alimentum, & cur laboratis, vt ea acquiratis, quę non veram inducunt saturitatem, nec enim quę ad corporis vitam seruandam conducunt, veram habent rationem solidi alimenti, nec satietatem veram possunt adducere. Quidnam igitur quærendum? *Audite audientes me*, id est, diligenti studio attentas aures verbis meis prębete, vos ipsos conuertite ad verba mea percipienda: hoc namque est comedere bonum, hoc est alimentum validum, & solidum sumere, quo anima sustentatur. *Comedite bonum*: est heterosis numeri, *bonum*, pro bonis, comedite vera bona. Audiat attentè dives, quid diuitibus Deus verbo oris sui promittat, & quod fecit Abraham, cum dives esset, quantam sibi perperit gloriam ex eo, quod non solum peregrinos recipiebat, sed, & ad hospitium cogebat, quid autem dives ille epulo, qui Lazarum nullatenus curauit, de suis operibus, & facultatib. reportauit, qui vel aquæ guttulam nullatenus accipere meruit, nec in æternum accipiet. Consideret nobilis, illam Dauidis verã nobilitatem, qui coram arca Dei se vilissimum reputauit, & pauperũ ac oppressorum factus fuit protector. Attendat vxorata Susannæ pudicitiam, quam nec præsentissimum mortis periculum potuit flectere, sed summa in Deum fiducia maximum ei attulit honorem. Videat qui laboribus vndique se circundari dolet, Sanctum Iob, omni dolorum genere vndequaque circumseptũ dicentem: *Sit nomen Domini benedictũ*, quo, & promeruit, vt omnibus sibi à Deo in duplo restitutis, multo tempore gauderet. Qui egestate premitur, Lazarum contempletur, cui nec micas de mensa diuitis cadentes accipere fuit

¶ 112.

Li. de ieiun. adue. Pfyc. cap. 6.

Loco cit.

Esai. 55. 2.

Iob. 1. 21.

fuit conceſſum, & tamen quia patientiam ſeruauit, eius anima ab Angelis fuit deportata ad locum quietis. Qui inimicorum patitur inſidias, recolat Ioſeph a proprijs fratribus odio ſuccenſis, pretio vili diſtractum, à propria domina mendaci teſtimonio macularũ, qui tamen à Deo non fuit derelictus,

Sap.10.13. *donec obtineret ſceptrum regni, & potentiam aduerſus eos, qui eum deprimebant, & mendaces oſtendit, qui maculauerunt illum, &c.* Hoc modo ſi quis animum cœleſti verbo pauerit, dicere poterit,

Pſ 129.4. Pſal.16.4. quod dicebat Dauid: *Suſtinuit anima mea in verbo eius*, & iterum, *propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras*. Sicut quotidie corpori, inquit Chryſoſtomus, cibum ſuppeditas, ita, & animam non deſpicias, ne fame pereat, ſed da ei cõgruum cibum, admo-

Hom.21.in Geneſ. ad finem. nitionem videlicet ex lectione Scripturarum, nõ enim in pane, dicit, ſolum viuit homo, ſed in omni verbo, quod egredietur per os Dei.

§. 33. *Diuina collocutione ſæpè ſuſtentatur homo, de qua multi Patres, Chriſti verba intelligunt.*

¶ 113. *Hom.13.in Matth.* CHryſoſtomus cenſet, Chriſti verba: *Non in ſolo pane, &c.* intelligenda eſſe de alimento apto, ad vitam corporis ſuſtentandam: quaſi dicere voluerit, quod vita corporis, non ſolo pane ſuſtentatur, ſed etiam ſine pane poteſt ſuſtentari, ſolo verbo, quod de ore Dei procedit, id eſt, diuina collocutione. Vnde (inquit Chryſoſtomus) hoc eſt, quod dicit: Poteſt eſurientem Deus, etiam verbo paſcere. Et notandum, quod tunc dicitur, verbum de ore Dei procedere, quando Deus actu loquitur, vt Dei collocutionem, & conuerſationem cum homine, ſufficientiſſima ſit, ad ipſius vitam ſuſtentandam. Ita hunc locum intelligere viſus eſt Tertullianus, continetque egregiam doctri-

Li. de ieiun. aduc. Plychic. cap. 6

nam, ſcituque dignißimam. Dei ſiquidem collocutio, ita poteſt totum hominem ſuſtentare, vt neque famem ſentiat, neque deficiant vires. Id Tertullianus ex Moyſe, Elia, & alijs, qui familiari collocutione cum Deo conuerſati ſunt, demonſtrat, quos videmus admiranda, longaque ieiunia ſeruantes, egregia valetudine, & corporis robore præſtaſſe. Id inſuper fiet manifeſtum, ſi vitas Sanctorum Anachoretarum expendamus, qui multos dies ſine cibo agebant, & cum aliquando ad illum ſumendum ſe conuertebant, erat in tam parua quantitate, vt vix ad paſſerculum ſuſtentandum videretur ſufficiens, quos longißimam duxiſſe vitam eſt manifeſtum. Hinc proceſſit, ieiunium illud Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quæ per decem, & ſeptem annos, nec tres panes conſumpſit. Hinc vita eorum, qui poſt Solis occaſum, quatuor aut quinque caricas tantum comedebant, orationis namque exercitio intenti, perpetua Dei collocutione fruebantur. Et ne quæ antiquißima ſunt ſolummodo proferamus, vide Beatam Catharinam Senenſem, integras quadrageſimas ſine vllo cibo, aut potu egiſſe, ſolius Sacræ Euchariſtiæ ſuſceptione contenta, quia perpetuò Dei collocutione ſuſtentabatur. Nec mirùm: ſæpè namque alicuius ſapientis conuerſatio, aut collocutio, ita audientis animum ad ſe rapit, vt nullatenus dum audit, famis ſentiat affectum, qua ſaturitate expleta erat Regina Saba ex collocutione cum Salomone, cuius cõuerſatione ita refecta manebat, vt nihil amplius deſiderandum diceret. Ita Platonem *a*, ipſum ſenſiſſe, cenſet quidem noſtri temporis author *b*, cum enim explicare vellet quæſtionem illam celebrem apud Philoſophos, an voluptas ſit expletio, & qualis, demonſtrat, verè veteres ſenſiſſe, afferentes, voluptatem tunc eſſe, quando homo adimpletus eſt, non tamen cibo, potu, libidine corruptibili, quibus plerique mortaliu m pecudum more ſatiari cupiunt, quæ implendo corpus, animam vacuam tenent, ſed cùm anima completur Deo, qui eſt verum ens, & verum bonum, cui cùm homo adhæreat,

3. Reg.10.

a Lib.6. & 11. de Rep.
b Leo Caſt. in cap. 55. Eſai.

eum

cum audit, eius familiari conuictu per fruitur: quæ ita explicat Plato, vt exiſtimet prædictus auctor, illam, quam tradit doctrinam, ex Scripturis ſacris hauſiſſe, ſicut, & alia multa,
Eſai. 55.2. ſignant ex loco ſupra citato: *Quare appenditis argentum, & non in panibus, & laborem veſtrum, & non in ſaturitate, audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra, inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite, & viuet anima veſtra.* Contemplatur illo capite Deus homines, ſummo ſtudio, & laboribus duriſſimis defatigatos, quærentes bona terrena, quæ ad vitam perpetuò ſuſtentandam non ſufficiunt. Vnde quaſi eis compatiens, incipit clamare: *Omnes ſitientes venite.* Septua-
¶ 114. ginta, *Heu qui ſititis.* Heu, vox Hebræa aduerbium eſt dolentis, aut miſerantis. Hominibus ergo compatiens, quod labores ingentes, pro rebus quæ nihil valent, offerunt, ſuadet, vt ad verum cibum quærendum ſe conuertant. *Audite audientes me, & comedite bonum.* Bonum ore pleno vocat, ſui conuerſationem, & collocutionem, qua qui perfruitur, magis ſuſtentatur, quam ſi quoſuis corporales cibos ſumeret. Ex quo intelligitur quid ſit, quod ad comedendum vocat audientes. Hoc enim quod eſt, ipſum audire, & perfrui Dei collocutione, eſt comedere, quia verè verbo Dei reficitur homo, non tantum animo, ſed, &
Ibidem. corpore. Et ideò ſubdit, quod inde conſequens futurum erat: *Et delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Vnde Tertullianus conſiderat Moyſen, audientem quidem verba de ore Dei procedentia, & hoc ipſo validiores vires corporis reſumentem, quia illo ſubſtantifico collocutionis diuinæ pane reficiebatur, & eius inediam, De cõuerſatione faginabat. Ex hac doctrina dubium egregium mouet Beatus Ambroſius, expendens illud, quod
Serm. 67. Act. 10. 5. Petrus dum eſſet in Ioppe in domo Symonis Coriarij, aſcendit ad ſuperiora domus, *vt oraret*, id eſt, vt Dei conuerſatione, & collocutione fruere-

tur; id namque agit, qui orat. Et benè (inquit Ambroſius) ad orationem aſcendiſſe dicitur, quia omnis Sanctus, quando orat, relinquens humilia in altum mentis extollitur, & in ſublime ſuſpenſus rapitur, & cogitatione Sancta cœlo vicinus efficitur. Poſt orationem autem eſurijt, aut potius orando fames excitata eſt. Ita namque dicit facer textus: *Aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam, & cùm eſuriret, voluit guſtare.* Mirandum, inquit Ambroſius, cui Sanctum virum poſt orationem fames ſequatur, cùm ſoleat fames oratione depelli, & eſuriens anima non niſi obſecrationibus ſaginari. Sed puto, Petrum poſt orationem, non cibum eſurijſſe hominum, ſed ſalutem, nec inedia vexatum eſſe corporis, ſed inopia credentium laboraſſe. Cum enim Iudaicus populus, & ingratus, illo prædicante, Chriſto non crederet, famem quodammodo Petrus ſui officij ſuſtinebat. Ita Ambroſius. Itaque non famem corporis incurrit Petrus, ſed fames ſalutis gentium excitata eſt, quia is, qui cum Deo conuerſatur, & in oratione poſitus, Dei quaſi collocutione perfruitur, non tam famem corporis incurrit, quàm Spiritus, qua excitatur ad ea agenda, quæ ſaluti animarum congruunt, & quæ in Dei cultu obſequium. Hæc non ſolùm aſſerit Ambroſius, ſed, & probat ex eo, quod Petro ad ſuæ famis ſatietatem nõ panis allatus fuit, aut aliquis corporalis cibus, ſed in exceſſu mentis, aperto cœlo, eſurienti ſibi, inquit Ambroſius, hoc eſt, cogitanti in ſublimiori loco pro ſalute Iudaici populi, offertur vas, diuerſorum generum animalibus plenum, velut diuinitate dicente ſibi. Tu Iudæos ſolus eſuris, ecce famem fidei tuæ, cunctarum Gentium diuerſitatem reficio. Nam vtique diuerſa animalia collecta in vno vaſculo, diuerſarum Gentium congregationem, collectam in vna Eccleſia demouſtrant, quæ Eccleſia, dum non habet maculam, neque rugam, lintei nitore reſplendet, &c. Ita Ambroſius: qui, &

ſimi-

similiter sensit, Christus non tam esurie corporis nunc affectum fuisse, quàm animi, quia salutem nostram esuriebat: quod supra expositum est. Sed etsi dicamus Petrum, veram corporis esuriem incurrisse, sicut communiter authores locum illum enarrantes sentiunt, mirè adhuc nostro instituto deseruit historia. ¶ 115. Esuriebat Petrus, adeò vt opus eram daret, ad refectionem sumẽdam. *Et cùm esuriret*, inquit, *voluit gustare*. Interpres Chrysostomi legit: *Cùm esuriret, & vellet cibum sumere*. Sed quid factum est? *Parantibus autem illis* (qui scilicet erant de familia Symonis Coriarij) aliquid quod Petrus comederet, *cecidit super eum mentis excessus*, Græcè extasis. Quid est extasis, inquit Chrysostomus. Spiritualis contemplatio facta est in illo, quasi diceret quis, anima excessit è corpore. Oecumenius, extasis dicitur, cùm extra sensibilia factus quispiam, ad spiritualia deducitur. *Et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum, &c. in quo erant omnia quadrupedia, &c. & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manducа*. A quonam facta est vox? Ambrosius, à diuinitate, aut à Deo ipso. Quid hoc est, quod Petro famem patiente validã, adeò vt iam cibi pararentur, Deus ad sui collocutionem eum reuocauit, & induxit, vt vocem suam audiret? Nonne expectare poterat, vt prius resumpto cibo vires reficeret, famem, & esuriem satiaret? Imò quia verè voluit eius famem satiare, & excellentiori modo reficere, parantibus iam Seruis Symonis Coriarij cibos, Deus ad validiores epulas eum inuitasse visus est, vt scilicet mente quasi cœlum conscenderet, vbi verba Dei audiret, quibus arcana mysteria, circa Gentium vocationem ediscceret, quibus sanè ita Petrus satiatus mansit, vt quantum existimo, nullam deinceps famem illo die sentiret. Quod vel ex eo patet, quia postquam ab illa oratione, ac Dei collocutione est reuocatus, non ad comedẽdum properauit, aut de cibo corporali curauit, sed excipiens Gentiles, qui tunc ad domum, in qua perstabat, accesserunt, quos animalia illa, in lineo præuisa figurabant, eos docendos & instruendos assumpsit. Hæc itaque est Sanctorum doctrina, quam innumera Sanctorum exempla demõstrant, quam experiuntur ij, qui verè diuinorum contemplationi vacantes, dicunt cum Propheta: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*: quam Spiritus sanctus docere voluit Israelitas, cuius dictum Christus nunc inducit dicens: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Animalis homo non percipit quæ Dei sunt*, quia vt dixit Paulus, secundum carnis regulas omnia examinare conendit: percipiet spiritualis, qui veræ contemplationi, & orationi se tradere voluerit: quamuis namque communiter loquendo, etiam viri spirituales alimento egeant corporali, nec sine miraculo possint solius orationis, & contemplationis opere vitam seruare, sicut alibi dictum est: Verè tamen hæc miracula sæpissimè conspiciuntur in Sanctorum historijs. Potest panis è terra procedens, hominem sustentare, & esurientem pascere, & verbum à Deo procedens, non poterit id excellentius multo præstare?

Psal. 34. 9.

1. Cor. 2. 14.

§. 34. *Deus*

§. 34. *Deus potest sustentare sine pane, etiam per ipsummet ieiunium, qui creaturarum qualitates sicut in organo transmutat.*

¶ 116. MOdis supra expositis: alijsque alibi traditis, Sancti Patres interpretati sunt hunc locum Scripturæ sacræ, quem Christus induxit, quorum sententiæ magna cum reuerentia sunt obseruandæ. Planus autem ille esse videtur, quem tradunt Euthymius, & Theophylactus, vt per verbum ab ore Dei procedens, quamcũque rem à Deo bene visam intelligamus, quasi velit dicere: Non solus panis est, quo homo vitam seruare potest, sed potest sustentari quacunque re, quam *Deus* vel solo verbo iubens, exhibeat ad sustentandũ. Ac si diceret, ait Euthymius: Ad quid mihi opus est panes ex lapidibus facere propter famem, quæ me vrget, vt illis visis alliciar esca. Atqui non solo pane hominum vita seruari potest, sed, & alio præterea cibi genere. Omne siquidem verbum ab ore Dei egrediens, ad eum qui fame premitur, loco cibi vitam eius sustinet, & sufficit ei. Et verè hæc dicere voluisse visus est Deus in Deuteronomio, vnde Scriptura ista desumpta est *Dedit*, inquit, *tibi cibum, Manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo sed in omni verbo, quod egredietur de ore Dei*. Hebræi, inquit Theophylactus, cibati sunt Manna, quod non erat panis, sed per verbum implebat omnem Hebræorum indigentiam, & fiebat omnia quæcunque comedere cupiebant, siue piscem, siue ouum, siue caseum, &c. Potest itaque Deus sine pane sustẽtare seruos suos per quamcunque rem, quã ille vel solo verbi sui imperio exhibere voluerit, vt hinc primò pateat quod Deus non deseruit curam Christi, etiam si panem non prouiderit ei, vt diabolus verbis suis suadere voluit, quia Deus sine pane potest eum, & quemcunque hominem sustentare. Patet secundò, diaboli tentationem Christum non cogere, vt retrocedat à Dei obsequio, & se conuertat ad quærendũ cibum: quoniam facilè Deus solo verbo, quod de ore eius progreditur, id est, absque labore, absque eo quod necessum sit manus admouere labori, solius verbi prolatione (qua re nihil facilius intelligimus) potest vitam sustentare. Hic itaque planus sensus est, quem ipse indicauit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ, agens de Manna, quod Israelitis Deus dedit, vbi ex professo diuinam potentiam ostendit, secundùm quam sine pane potest sustentare, sine calore comburere, sine frigiditate congelare, & solius verbi sui virtute, quidquid vult, perficere. Expendit propterea ex professo, quæ Deus operatus fuit, quando Israelitas ab Ægyptiorum tyrannide liberauit, hos puniens, & illos in terram abundantissimã repromissam introducens. Tunc namque talia operatus est, quæ verè ab ipsomet Deo, in cuius conspectu nihil est mirabile, sæpè vocantur admiranda, stupenda, potentiæ, brachij, & dextræ suæ opera. Hæc etsi à Moyse maxima ex parte fuerint relata, signanter in libro Exodi, sed multa quæ ille tunc concisè enarrauit, voluit Deus latius explanare in libro Sapientiæ, in quo quæ in Sacris historijs Moysi minus expressè scribuntur, clarissimè per multa capita recensentur. Capite itaque 16. aliqua explicantur, quæ tunc contigerunt, quando Israelitas ex Ægypto Deus liberauit. *Negantes*, inquit, *te impij nosse, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti*. Loquitur de superbo Pharaone, qui dixit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam*. Vnde Deus validis flagellis contra eum egit, singulariter autem exprimit illam plagã; quam septimam refert Moysis: *Extendit Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram*. Ingentissimam tempestatem, vt dixit Philo, misit Deus, imbres grandinibus, & lapidibus

In cap. 4. Matth.

Deut. 8. 3.

Sap. 16. 16

Exod. 5. 2.

Exod. 9. 23

Lib. 1. de Moyse.

¶ 117. pidibus mixtos, procellas, turbines, collisiones nubium, continua fulgura, & validissima fulmina, tonitrua horrisona, talemque tempestatem, & turbinem, vt arbusta, segetesque vastarentur. Vocat autem, *novas aquas*, quia res noua fuit in Ægypto pluere, in qua rerò, aut nunquam decidebant pluuiæ, audiebantur tonitrua, aut videbantur fulgura, vt idem dixit Philo, & Iosephus *a*, & Plinius *b*, imò, & in Scriptura *c* expressit Deus. Valido ergo turbinis ac tempestatis flagello omnibus modis insolito, percussit Ægyptios Sed obseruat Spiritus sanctus rem quãdam mirabilem contigisse: *Quod enim mirabile erat, in aqua, qua omnia extinguit, plus ignis valebat, &c. quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, qua ad impios missa erant animalia, &c. quodam tempore, in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniqua terra nationem exterminaret.* Res quidem erat stupenda, tam grandis, inusitataque tempestas, sed hoc in ea magis mirandum quod calor ignis conseruabatur in aqua frigida, & frigiditas niuium, & & grandinum, in flammis comburentibus, ita quod verè nutrimentum ignis erat aqua: ideoque ignis ardebat in aqua, & nix, & grando in igne potentem congelandi habebant facultatem. *Et ignis quodam tempore mansuetabatur ne comburerentur, qua ad impios missa erant animalia.* Iansenius optime sciuti, & Carthusianus intelligunt, hoc ideò dictum fuisse, quoniam etsi ardentissimis ignibus tunc æstuaret Ægyptus, ranas tamen, & muscas, & alia animalia in vltionem Ægyptijs immissa, non consumebat ignis, imò illa conseruabat, & augebat. *Et quodam tempore, in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique*, id est, omni ex parte, quasi aquæ frigiditas acueret ignis ardorem. *Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Quasi dicens: omnium rerum quasi naturas immutabas, vt inimicos punires, è contra autem mira fuisti operatus, vt populum tuum sustentares, nam carenti panibus terrenis, præbuisti panem de cœlo. Vocatur Manna Angelorum esca, aut quia Angelorum ministerio fuit facta, aut quia adeò erat delicata, vt si Angeli aliquo cibo, non alio, ab illo reficiendi viderentur, aut quòd excellens fuit esca, eo modo quo linguam excellentem vocat Apostolus linguam Angelorum. *Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens, in grandine, & pluuia coruscans. Hic autem iterum vt nutrirentur iusti, etiam sua virtutis oblitus est.* Sæpè repetit, quid Deus intenderit. Volebat sanè, vt Israelitæ intelligerent, quod Deus per glacies, & niues, & aquas pluuiarum conseruabat ignem viuacissimum, qui propterea dicitur sustentatus à niue, & glacie, & hoc nutrimento roborabatur ignis. Et non tabescebant. Attende mirandum Dei artificium. Voluit Ægyptios punire, comburendo, & congelando, vt in eis exemplum aliquod vltimi infernalis supplicij exhiberet. Et poterat quidem ignem per se solum mittere ad comburendum, & niuem ac grandinem per se solum ad congelandum, sed noluit, nisi hæc permixta exhibere, vt viderent quòd ignis sustentabatur à niue, & nix ab igne, aqua flammis, & flammæ aqua nutriebantur. Ad quid hoc? *Creatura enim tibi factori deseruiens, &c.* Optima ratio. Creator plenum habet ¶ 118. cuiusque creaturæ dominium; idcircò potest in quemcunque vsum quamcunque creaturam conuertere, & per ignem frigefacere, & per niuem comburere, & facere, vt nix ignem nutriat, & acuat, & excedens calor ignis, qualis est in fulmine, niuem, & grandinem roboret ad infrigidandum, iustum est enim, vt omnia ei obediant, & dicatur: *Ignis, grando, nix, glacies, qua faciunt verbum eius.* Vnde egregiè subdit: *Propter hoc, & tunc in omnia tranfigurata, omnium nutrici gratia tua deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui ante desiderabant, vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitati fructus pa-*

a *Lib. 2. de antiquit.*
b *Libr. 2. c. 50.*
c *Deut. 11 10. 11. 12.*

In cap. 16. Sap.

1. Cor. 13. 1

Ps. 148. 8.

Lib. 3 de Trinit. c. 1.

paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderint conſeruat. Locus difficilis, varieque à varijs autoribus expoſitus, ſed quem egregiè explicauit Auguſtinus. Præmiſerat Spiritus ſanctus, quod creatura Deo factori deſeruit: *Propter hoc, & tunc*, creatura *in omnia transfigurata*; Auguſtinus legit, *in omnia ſe transfiguras*: in Græco, *tranſiens perans*, quia vnaquæque creatura illam temperamẽti rationem exhibebat, quâ Deus verbo ſuo ſtatuebat. Ignis contemperabatur aquæ, & aqua igni, calor frigiditati ſe aptabat, & calori frigiditas, vt vnaquæque res propriam videretur amiſiſſe temperiem, & figuram, & alterius naturæ temperaturam induiſſe. Omnis etiam creatura viſa eſt transfigurata, & tranſtemperata in vnico illo cibo, Manna ſcilicet, qui omnium ciborum videbatur naturam accepiſſe. Sicque omnis creatura, temperata ad oris tui imperium, *omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebat.* Gratiæ nomẽ, ſecundum latam ſignificationem, ſignificat quodcunque Dei donum, etiam naturale, ex Dei beneplacito proueniẽs, vt obſeruauit Auguſtinus: quam uis erraret Pelagius, qui, vt idem refert Auguſtinus, hanc ſolum gratiæ ſignificationem approbabat. Itaq; hoc in loco gratiam diuinam, vocat diuinum beneplacitum, gratuitam bonitatem, omnibus rebus prouidentem, quæ egregiè appellatur *Nutrix omnium*: nam omnia nutriuntur ijs rebus, quas Deus ſecundum beneplacitum exhibet: qui quamuis ſecundum naturæ curſum, cuique rei proportionatum alimentum deſignauerit, ſed nihilominus hoc intelligendum eſt, quod nulla res habet nutriendi facultatem, nec agendi, niſi ſecundum quod Deus verbi ſui præcepto, aut præſcriptione decreuerit. Et ſi fructus habent nutriendi virtutem, non eam habent, niſi quatenus Dei verbum, aut eius beneplacitum illam eiſdem confert. Vnde nec panis habet virtutem ſatiandi, niſi iuxta diuini beneplaciti decretum, nec *natiuitatis fructus* (in Græco, natiuitates, vel generationes fructuum) quos terra profert, paſcunt homines; ſed *ſermo tuus*: Græcè, *Verbum tuum*, aut imperium & de ore tuo procedens: hic paſcit, ſuſtentat, id eſt, tota ſuſtentandi virtus ab eo procedit. Vnde quæcunq; res, cui Deus talem voluerit virtutem applicare, vim ſuſtentãdi habebit. Ex quo fit, vt ſæpè ſacræ literæ clament, quod aliquando cum panis abundantia aliquis nequaquam roboratur; alius autem per cibos exiguæ virtutis magno robore præſtat: Deus namq; per quam cunque rem ſuſtentare poteſt. Sicut ergo tunc cõgelabat per ignem, & calefaciebat per grandinem, ſicut caloré acuebat per frigus, & frigus per ardentis ignis calorem, ita põt per ieiunium ipſum, & eſuriem ſuſtentare, & per abundantes epulas famem, & eſuriem acuere. Quod ſimiliter indicauit Spiritus ſanctus eodem libro, eadẽ iterum pertractãs: tam grauia namq; illa erant & tam digna, vt à nobis conſiderentur vt iterum atq; iterum illorũ tractationem inducat. *In ſe*, inquit, *elemẽta dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiũt, vnde æſtimari ex ipſo viſu certo poteſt.* Res cõperta fuit, & experientia ipſa cõprobata, omnium oculis patentiſſima, quod *elemẽta in ſe* inuicem *conuertuntur*: in Græco *tranſponuntur aut diſponuntur*: quod namque nũc calefaciebat, poſtea infrigidabat, & è diuerſo: & mutare videbantur qualitates ſuas, ſicut fit in organo. In Græco non habetur, organum, quod nomen apud Græcos abſolutè ſignificat inſtrumentum, ad quoduis opus, ſed habetur. *Pſalterium*, quam vocem Vulgatus transfert ſæpè, organum; ſignificans, vt inquit Auguſtinus, inſtrumentum quoduis muſicum, quod ad cãtilenã aptatur. Sed hoc in loco egregiè tranſtulit Vulgatus organũ, ſenſui Spiritus ſancti ſatisfacere volens. Eſt enim organum, inſtrumentum muſicum, ex varijs fiſtulis compoſitum, cui folles adhibentur: & mirum eſt, quomodo ad pulſantis voluntatem, & motũ tranſmutẽtur in organo qualitates ſonorum. Eiſdem namque fiſtulis nunc lætum ſonum reddit, nunc triſtem, nũc aptum concentum ad exhilarandum, nunc ad affligendum: & fiſtula, quæ nunc vocem acutam reddit, motu pul-

Epiſt. 91. Lib. de gratia Chriſti cap. 3 & ſeq.

¶ 119. *Sap. 19.*

In Pſal. 56

santis statim reddit grauem. Ita se habuit Deus, qui mundum tanquam organum composuit variis fistulis distinctum, dum varias naturas rerum in eo constituit, quarum quælibet in se suas qualitates seruat, & tenet. Sed mutantur illæ ad nutum Dei, vt verè calefaciat per aquam frigidam & glaciem, & comburat per niuem, & congelet per ardentem ignem: In aqua conseruet agrestia, & natantia in terra arida, vnde subdit: *Agrestia in aquatica conuertebantur, & quæcunque erant natantia in terram transibant.* Et quidem nouimus ranas, quæ morantur, & natant in aquis, in terram transisse, quia exeuntes, vt ait Carthusianus de fluuijs, & paludibus venerunt per siccam terram ad domos Ægyptiorum, & interiora cubicula etiam Regis repleuerunt, ibique verè conseruabantur. Quando agrestia in aquis egerint, non constat apud omnes: certum est tamen id reuerta accidisse, fuisseque vel visu ipso omnibus conspicuum, sicut hoc in loco dicitur: *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur. Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium.* Certè qui toties hoc factum inculcat & repetit, apertè indicat, velle, vt illud à nobis consideretur, quod igignis nutriebatur ab aqua, & aqua non solùm non extinguebat ignem, sed vinum illum conseruabat. Quod dictum est vel propter animalcula illa immissa à Deo, ad punitionem Ægyptiorum, quæ quantumuis flammæ fulminum domos incederent, talia tamen conseruabantur animalia: aut te mo est de iumentis Israelitarum, quæ cùm verè essent inter Aegyptios flammæ ardentes à Deo missæ, consumentesque Aegyptios, non consumebant Israelitarum pecora. Itaque flammæ illa seruabant, quæ occiura videbantur. Et vt hanc Dei potentiam magis intelligeremus, subdit: *Nec dissoluebant sicut glacies, bonam escam.* Vocat bonam escam ipsum Manna, quod vocauerat escam Angelorum: hanc exiguus radius Solis minimo calore dissoluebat, & liquefaciebat, maiori facilitate, quam dissoluitur, & liquefit glacies aut nix ad ignem: & nihilominus ingês ardentissimaque ignis flamma non solum non liquefaciebat eam, sed coquebat potius, vt patet ex Scriptura sacra Certè res miranda. Multo enim vehementius, & validius potest liquefacere globulos glaciei flamma ardentissima ignis, quam Solis ardentissimus æstus: & nihilominus grana illa Manna, à minimo Solis radio liquefiebant, & à summa ardentissimaque ignis flamma non solùm nõ liquefiebant, sed potius duriora reddebãtur, & concoquebantur. Ad quidnam hoc? vt intelligerent omnes, quomodo Deus per id, quod maxime liquefactiuum est, non solum non liquefaciat, sed rem reddat duriorem. Agit namque vnaquæque res id, quod ipse eidem præscribi, etsi contra particularem naturam rei videatur. ¶ 120.

Hoeque voluit Deus, vt omnes intelligerent, quod poterat per ignem seruare glaciem, & per niuem conseruare ignem, & per id, quo res videbatur abtumenda, eam nutrire, roborare & perficere. Et certè non alienum videtur ab hoc instituto, quod Dauid cecinit: *Qui dat niuem sicut lanam*: quorum verborum varius est sensus Egregie tamen B Basilius: Inexpugnabilem inquit, & infinitam Dei potentiam ex primit, quod, & nõdum existentes essentias mutat, & cuicunque rei valde adaptat: licet enim immotis naturæ finibus ligentur, hi tamen quando ei placent soluuntur, & aliquando ipsas essentias immutat, aliquando manentes ad aliam operationem transfert: Ita ille. Cuius mentem explicare vilus est Genebradus, docens, verè oportere terram calefieri, vt generet, & producat herbas, ac fructus: nam calor est principium generationis mixtorum. Deus autem volens calefacere terram niue eam operit. Eth enim illa frigidissima sit, tamen dum halitus, & expirationes terræ cohibet, ei calorem internum conciliat, & vim maximã fœcunditatis indit, instar lanæ, quæ calefacit, & fouet corpus pecudis: Vnde dicitur lætare, id est, fœcundare segetes, apud Poetã. Ne verò, inquit Basilius, insãsatorum

Pſ. 47 16.

Schol in Pſal 147.

In Pſ 147.

torum quiſpiam omnia hæc nudæ naturæ tribuat, ſubiungit: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*, ideſt, mãdatum eius hoc facit, non natura ventorum. Itaque ſecundum eius mandatum res omnes operantur, & ipſe ſæpe ad calefaciendum vtitur, & igne aliquando ad refrigerandum; aliquando per medicamenta, quæ ſalubria videntur, infirmat: aliquãdo per res quæ noxiæ iudicantur ſanat. Curauit Ezechiam maſſa ficorum, vlceri applicata, quæ ſecundum medicinæ regulas propter calorem ficorum erat exitium allatura, tamen verbi Dei iubentis virtute, integram ſanitatem adduxit. Serpentem æneum iuſſit exponi oculis eorum, quos morſus ignitorum ſerpentum infecerunt, cum ſecundum naturam conſpectus æris exitium afferat taliter affectis: & nihilominus verè quod ad mortem videbatur eſſe, vitam ſeruabat. Sanctum Ioſeph ad regnum per captiuitates, carceres, vincula, & infamiam prouexit. Et huiuſmodi ſunt innumera, vt intelligamus, Deũ per mortem poſſe viuificare, per paupertatem ditare, per venenum ſanare, & per famem, & ieiunium vitam ſeruare, & alere, quacunque re ſibi bene viſa, aut à ſe conceſſa. Deficientibus cibis, & panibus, conſumptaque penitus farina, quã de Aegypto Iſraelitæ aſportauerunt, nihil niſi meros lapides videntibus, & famem patientibus, Deus cibum, quem penitus ignorabant, de quo nullatenus vel cogitare poterant, prouidit: *Vt ſcires*, inquit, *quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod, &c.* Iuxta hanc doctrinã intelligit S. Bernardus illam Dauidis ſententiam. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum & alat eos in fame.* Notum eſt enim ſecundum Scripturæ ſacræ phraſim, præpoſitionem *in*, idem eſſe, ac *per*. Sicuti cum dicitur, *Maledicta terra in opere tuo*, ideſt, per opus tuum, &, *in baculo meo tranſiui Iordanem*, ideſt, per baculum. Vnde idem eſt, *alat eos in fame*, ac per famem. Per famem namque, & per ieiuniũ ipſum alit Deus, & ſuſtentat timẽtes, & ſperantes in ſe: ad quod conſiderandum Dauid omnes aduocat, dicens: *Ecce oculi Domini*, &c. Non deſpexit Deus ſperantes in ſe. Per ieiunium, inquit Bernardus, ſæpè Deus nutrit, & impinguat hominem, ſicuti in Daniele, & ſocijs eius videre licet. Ex quibus explicat, quomodo Dominus præcipiat in die ieiunij caput oleo vngi, & impinguari. Hoc certum ſit ei, qui verè Dei obſequio ſe tradidit, quod Deus *non occidet fame animam iuſti*, cui neque facultas deeſſe poteſt, nec voluntas. Non facultas, quia omnipotens eſt, cui ipſummet poſſe, ſubiectũ exiſtit, vt dicitur in libro Sapientiæ: *Subeſt tibi poſſe, cum volueris*. Non voluntas, quia pius, & iuſtus eſt, & ſæpè profitetur, quod mors hominis non eſt ſecũdum ſuam voluntatem. Nullus vnquam pius pater, aut clemens dominus, ita ſe durum exhibuit erga fidelem filium, vel ſeruum, vt quem ſine diſpendio, aut labore poſſet ſeruare, coram oculis ſuis ſibi fideliſſimè obſequentem, dimitteret crudeli fame interire. De quibus alio in loco. Idcirco ergo aptè dæmoni ſuadenti, vt à Dei obſequio deſiſtas, & te conuertas ad panes quærendos, reſponde: *Scriptũ eſt, quia non in ſolo pane viuit homo, &c.* ita namque reſpondit Dominus tentatori: & ad hoc puguat Imperator, vt milites diſcant: Idcirco ſic reſpondet Dominus (inquit Hieronymus) quia quia propoſitum erat, non vincere tentationem potentia, ſed humilitate, quam tu poſſes imitari. Non quaſi Deus (inquit Ambroſius) vtitur poteſtate: quid namque mihi proderat? ſed quaſi homo, commune ſibi arceſſit auxiliũm.

(?)

4. *Reg.* 21.

Num. 21.

Prou. 10. 3.

Sap. 12. 11.

In cap. 4. *Matth.*

Lib. 4. *in Lucam.*

Serm. 1. *in capite ieiun. ad fin.*

Pſ 32. 18. 19.

Geneſ. 3 17

Gen. 32. 10

§. 35. *Christus quæ diabolus petebat facere noluit, quia nihil inutiliter operatur, quem potentes imitari debent.*

¶ 121. *In Psal. 90*

QVid magnum erat Domino Iesu Christo (inquit Augustinus) de lapidibus panem facere, qui de quinque panibus tot millia satiauit? Vnde tunc processit panis? Fontes panis erant in manu Domini, &c. Quid ergo fratres, impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? Homines fecit de lapidibus, dicente ipso Ioanne Baptista, *Potens est Deus, de lapidibus istis, suscitare filios Abrahæ*. Quare ergo non fecit? Ita inquirit Augustinus, quod, & similiter inquisiuit, expendês miraculum factum in Cana Galilææ. Qui fecit, inquit, de aqua vinum, potuit facere de lapidibus panem: eadem enim erat potentia. Quare ergo non fecit? Ita similiter quærunt Chrysostomus *a*, Rupertus *b*, & Petrus Chrysologus *c*, estque communis quæstio, quam sancti Patres proponunt, quam, & D. Th. *d* egregiè suscepit explicandam. Mirum est namque, cui Christus non fecerit, quod diabolus petijt, cum id posset facere sine peccato: nam verè tempus erat opportunum, vt carni suæ refectionem præstaret & non minus esuriebat ipse, quam illi, qui postea illum sequebantur in deserto; quos cum vidit famescentes, nec panes ad manum subesse necessarios, non semel, sed, & iterum, manifestum edidit miraculum in panum productione, vel multiplicatione, ne deficerent in via. Communis tamen omnium Sanctorum responsio est, Christum non fecisse, quod diabolus petebat, quia nullatenus miraculum poterat vtile esse ad diaboli salutem. Tam adæquatè Christo Domino nomen Iesu cõpetit, quod Saluatorem significat, vt nihil vsquam egerit, quod ad alicuius salutem non esset vtile, vel expediens. *Dedit* quidem *ei omnia Pater in manus*, vt dixit Ioannes, & ipsemet confessus dicens: *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo*: ipse tamen apertè professus est, se illam insignem potentiam accepisse, ad salutem nostram procurandam, & dirigendam in vitam æternam. *Dedisti ei*, inquit ipsemet de seipso loquês ad Patrem, *potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternã*. Allusitque aliquatenus visus est ad id, quod de sancto Ioseph prædixit Moyses, quod de Christo Domino intelligit allegorico sensu Rupertus: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius; cornua Rhinocerotis cornua illius, in illis ventilabit gentes, &c.* Pulchritudinem, & fortitudinem sancti Ioseph haud dubiè elegantissimè describit. Pulchritudinê quidê depingit sub typo primogeniti tauri, aut iuuenci, agilis, venusti, qui omnium oculos ad se trahit, ad quem videndũ omnes cõcurrunt. Ita sanè fuit Ioseph, quem pater eius benedicens dixit: *Ioseph decorus aspectu, filiæ discurrerunt per murum*: certè ad eum videndum, cũ transibat. Et constat, inquit Rupertus, quia propter pulchrã faciem, decorumque aspectum sic à domina sua adamatus fuit, iuuenis decorus, velut à lasciuiẽte vacca taurus iuuenculus, & supra cæteros egregius appetitus est. Fortitudinem autem depingit, typo cornuũ Rhinocerotis. Grauis difficultas est inter eos, qui animalium naturas scrutantur, quodnam animal sit Rhinoceros: an scilicet sit vnum, & idem cum Monocerote, aut Vnicorne. Et quidem si propriè loquendum est, differunt valdè: nam Rhinoceros est animal ferum, indomitum, fortissimumque, de quo Plinius *a*, Solinus *b*, latiusq; Strabo *c*: sed excellentius Deus ipse, qui loquens cum Beato Iob *d*, eius vires, indomitam feritatem, & mores describit. Hoc animal hisce annis in Hispania vidimus deportatum ab ea insula Indica, quæ Habana dicitur, ingenti corporis mole, tamque firma pelle, qualem dixit Ælianus, quod ægre iaculo possit penetrari, cornu vnico tam ingentis fortitudinis, vt oportuerit illud secari, quia resistere eidem nihil poterat. Et quoniã cornu super nares habet, vocatur Rhinoceros, quasi dicas.

a *Hom. 13. in Matth.*
b *in cap. 4. Matth.*
c *Serm. 11. ad finem.*
d *3. p. q. 41 art. 4. ad 1*

Matth. 3. 9

Serm. 41. de temp.

Genes. 49. 22.

a *Lib. 8. c. 20.*
b *cap. 43.*
c *Lib. 16.*
d *Iob 39.*

Ioan. 13. 3. Matth. 11. 27.

¶ 122.

eas, Naricornis, quoniam Græcè Rhinos est naris, & ceros, cornu, vt Isidorus *a*, dixit, de quo, & Abulensis *b*. A nobis autem vocabatur Habada, corrupto aliquantulum vocabulo Hæbanæ insulæ, à quo fuit deductum. Vnicornis autem est animal Indicum, quod, & Monoceros vocatur, quasi vnicum habens cornu. Cuius duæ sunt species. Prima vocatur asinus, aut equus Indicus, de quo ex professo Aristoteles *c*, Plinius *d*, & Iulius Philostratus *e*, qui virtutes illius cornu prosequuntur, sicut, & Ælianus *f* Altera vocatur, Bos Indicus, qui vnicum etiam habet cornu, de cuius natura Plinius *g*, de feris Indicis agens, cuius cornu depingit Solinus *h*, quod longum sit quasi quatuor pedum, splendore mirifico: eius figuram describit Aelianus *i*, de quo agit Cæsar *K*. Et hunc absolutè vocant quidam vnicornem, vt videre est apud Albertum, & Beatum Isidorum, quos refert Paulus Iouius *l*. Et ita sêtire visus est Genebrardus *m*, in illud: *Dilectus quemadmodũ filius vnicornium*. De ijs omnibus diligenter tactis recens Hispanus author *n*. Cæterum in Scriptura sacra, quasi synonima sunt hæc vocabula Rhinoceros, Vnicornis, aut Monoceros, & interpres Latinus, nunc vno, nunc altero nomine indifferenter vertit, & promiscuè his nominibus vtitur: & Septaginta perpetuò Monocerotẽ, aut vnicorneum transtulerunt. Ita Philippus Diaconus *o*, annotauit, quod, & Albertus Magnus *p*, & Vincentius Bellouacensis *q*, imò, & illis antiquior Beatus Isidorus, docuerunt. Vnde, & Tertullianus *r*, Rhinocerotem, vnicornem vocat. Igitur Moyses de Ioseph agens, expendentque eius fortitudinem, eam dixit similem cornibus Rhinocerotis, aut vnicornis. Sed dubium est, cur cũ pulchritudinem Sancti Ioseph comparauerit Moyses primogenito tauri, non etiam eius fortitudinem expresserit per symbolum cornuum tauri: fortissima enim etiam sunt, adeo, vt per illa, fortitudo valida fuerit apud Hebræos præfigurata, vt quando falsus ille Propheta, cornua quasi taurina efformauit, ad significandam fortitudinem Regis Achab *f*, & similiter quando visa sunt illa quatuor cornua *s*, quæ quantum conijcio, similitudinem habebant cornuum tauri, quibus quatuor præcipuæ vires, & fortitudines significabantur. Sed egregiè sanctus Moyses locutus est, quoniam eth fortia sint cornua tauri, totaque illius vis in cornibus sita sit, licut, & omnium animalium cornigerorum, tamen longa est differentia inter cornua tauri, & cornu vnicornis; nam cornua tauri nullatenus data sunt a natura ad aliorum vtilitatem, sed potius eis vtitur taurus ad aliorum exitium. Vnde, & venenata dicuntur, & experientia compertum est, quod ita ardẽt, & inflammant eum, quem petunt, ac si ignito ferro impeterent. At cornua vnicornis, ad aliorum commodum, & vtilitatem data sunt, ad venena ictiicet depellenda: de qua re mira refert Philostratus, alijque authores, qui de eo agunt. Illudque communiter asserti, quod cornu suũ applicat ad aquas, veneno serpentũ infectas, vt animantia alia bibere possint. Ita ergo se habuit Ioseph, qui potestatem quidem supremam à Rege Pharaone accepit, illa tamen non est vsus, nisi in bonum aliorum: neque enim insæuit contra fratres, qui eum vendiderant, neque in eos, qui eum maculare conati sunt, sed omnibus extitit beneficus: & potentiam quam illi concessit Rex, ad regni ipsius conseruationem omnibus modis conuertit, ædificando horrea ad reseruationem trici, distribuendo illud, seruando populum, augendo Regias opes; & implendo eius æraria. Quo tandem factum est, vt corda omnium hominum, etiam eorum, qui in finibus terræ morabantur, ad se conuerterit, & suæ quasi subiecerit voluntati. Hocque est quod dicit: *In ipsis ventilabit gentes vsque ad vltimum terræ*. Hæc quidem de Ioseph Moyses dixit: sed vt dictum est ex Ruperto, verius de Christo Domino illa voluit prædicere, quẽ hac in parte egregiè Sanctus Ioseph præfigurauit. Fuit.n. pulcher aspectu, de quo dixit Dauid *Speciosus forma præ filijs hominũ*, cuius pulchritudinem, Sol, & Luna mirantur, q̃

a 12. *Ethy.* c. 2
b *In ca. 23. Num. ante quæst. 10.*
c *Li. 2. de histo anim. c. 1.*
d *Lib. 11. c. 37.*
e *Li. 3. de vita Apollonij.*
f *L. 5. c. 22.*
g *L. 8. c. 21 & lib. 37. cap. 53.*
h *Lib. 1 c 3.*
K *Li. 6. cõment.*
l *Lib. 18. sua histor.*
m *In Psal. 28.*
n *Hieronymus Huerta in ãnot. Hispa. ad lib. Plinij lib. 8. c. 20. & 21.*
o *In Catena Iob 39.*
p *Lib. 12. de animalib.*
q *In speculo maio. L. 19. c. 104*
r *Lib. 3. cõtra Marcionem. c. 18.*
s *3. Reg. 22 & Zach. 1. 18*
t *Li. 3. de vita Apollonij.*
¶ 1. 3.
Psal 44. 3.

Sponsa sæpè in Canticis describit. Eius tamen fortitudo similis dicitur cornibus vnicornis, quam loquendi rationem tenuerat Balaam: *Deus adduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est Rhinoceroti*: vbi quamuis Procopius credat, sermonem fieri de populo Israelitico educto de Ægypto, sed verius de Deo ipso, qui populum illum eduxit, locutus fuit, vt Glossa ordinaria sentit; & ita explicari posse locum, docuerunt Lyranus, & Abulensis. Et quidem Dei fortitudo dicta est similis Rhinoceroti: aut vnicorni, quia cornu potentiæ suæ, tantum est vsus in bonum electorum suorum, quos à tyrannide liberare volebat. Si enim Pharaonem afflixit, populum Ægyptiorum vexauit, mare aperuit, Aegyptios submersit, Mannā pluit, aquam de silice extraxit; omnia in bonum populi sui operatus fuit. Glossa tamen de Christo sermonem fieri credit, qui venit liberare populū suum de crudeli dæmonis tyrannide, & seruitute. Ille sanè maxima venit cum potentia, de quo dictum est: *Ecce Dominus in fortitudine veniet*. Sed hæc similis dicitur fortitudini Vnicornis, quia non ea vtitur, nisi in bonum, & vtilitatem eorum, qui saluari possunt, ad pellendum venenum infidelitatis iniquitatis. Vnde cum Apostoli eum excitarent, vt potentia sua vteretur in vltionē Samaritanorum, qui eum noluerunt excipere, respondit: *Nescitis cuius spiritus estis: filius hominis nō venit animas perdere sed saluare*. Similiter cum impij Pharisæi accesserunt, petentes, vt potestatem suam ostenderet, faciendo miracula de cœlo, quæ nullius futura erant vtilitatis, nullatenus eis acquieuit: sicut nec Herodi petenti miracula, tantum ad vanam curiositatem, & ad solam ostensionem potentiæ. Certè non vsus fuit potestate sua, nisi ad salutem, & vitam. Hoc illud est, quod diximus ab eo expressè dictum: *Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternā*. Quod hoc loco dicit: *Omne quod dedisti ei*, est, quod Moyses dicit, *Cornua* in plurali, quo nomine omnis potentia designatur. Ex quibus Rupertus [a] soluit argumentum, quod Beatus Ambrosius [b] indicat, & indissolubile visum fuit R. Heliæ, contendenti, verba Moysi, non posse de Vnicorne intelligi: nam Moyses dixit in plurali, cornua, at Vnicornis non nisi vnicum habet cornu. Cum dixerit, cornua, inquit Ambrosius; quomodo potuit Vnicornium, requirendum est. Et quidem nonnulli respondent, quod singulare Rhinocerotis ponitur pro plurali, quasi diceret, cornua Rhinocerotum: sicut è contrario dicere solemus, cornu tauri, pro cornua. Alij cēsent Vnicornem duo cornua habere. Ita Martialis geminum cornu tribuit Rhinoceroti, quasi oculatus testis. Lenius Marcilius credit duo cornua esse Rhinoceroti, alterum minutum, quod quasi pro nihilo habetur, alterū præcipuum cuius solius habetur cura. Ita sensit Genebrardus, & citat in hāc sententiam Iustinum martyrem, & Clementē Alexandrinum. Melius tamen respondet Rupertus Moysen cornua in plurali dixisse, quia omnem Christi potentiam voluit exprimere, quasi diceret: Eius omnes vires, omnesque potētiæ, similes sunt viribus, quas Vnicornes habent in cornibus. Si itaque ingredi velis potentias Domini, sicut Dauid, inuenies omnes eas in bonum, & vtilitatem nostram ordinatas, vt nihil egerit, nisi quod nostræ saluti fuit vtile, quod expediens erat ad Dei gloriam, & venenū peccatorum propulsandum. Vnde, & aptè subintulit (inquit Rupertus) *In ipsis ventilabit gentes*: id est, gentes sibi subijciet, cui dictum fuit: *Dabo tibi gentes in hereditatem, &c.* Ex isto principio sancti Patres difficultatem propositam explicant. Christus quidem miracula fecit, quando id expediebat ad salutem. Idcirco, vt annotarunt Augustinus, [a], & Rupertus, [b] aquam in vinum coram discipulis suis conuertit, quia id interdebat, quod ibidem subiungit Ioannes: [c] *Manifestauit gloriam suam, & crediderūt in eum discipuli eius*. Filium Viduæ suscitauit, quia per miraculum id futurum erat, quod *omnes timuerunt Deum dicentes*: *Propheta magnus surrexit in nobis, &c.* Lazarum à monu-

Nu. 23. & 24.

Apud gloſſam.

Eſai 40.10

Luc. 9. 53

Ioan. 17.2.

a *Lib.* 2 *in Deut. c.* 13

b *Lib. de Benedict c.* 11.

in Amphit. 22.

In Pſal 28. *Dial cont. Triphon.*

Lib. 1. *Pedagog cap.* 4.

Pſal. 70.16

Pſal. 2.8. ¶ 124.

a *Ser.* 41. *de temp.*

b *in cap.* 4.

c *Ioa.* 2.11.

Luc. 7. 16.

monumento vocauit, quia multi erant
Ioan. 11. crediturus in eum: & inde sibi ad passionem pro nostra salute iter parabat. Reguli filium iam expirantem, miraculosè sanauit, quoniam *crediturus erat*
Ioan. 4. *Pater, & domus eius tota &c.* Nunc autem si miraculum faceret, quod diabolus petebat, nulla vtilitas poterat sperari, quin potius diabolus eum agnoscens, nullatenus contra eum agere ausus fuisset. Et si ipsum *agnouisset,*
1. Cor. 2. 8. *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent,* vt ait Paulus. Potest (inquit Beatus
Serm. 11. Petrus Chrysologus) de lapidibus panes facere, qui aquas conuertit in vinum; sed signa fidei sunt præstanda, non dolis; credenti danda sunt, non sunt danda tentanti, & facienda sunt ad petentis salutem, non ad facientis iniuriam. Diabole tibi, ad quid signa cui totum restat ad pœnam, cui, & signa proficiunt ad ruinam? Expendit ad hoc institutum Beatus Gregorius, quod de Paulo scriptum est, qui
17. Mor. cap. 14. cum peruenisset ad insulam Melitæ, inuenissetque Publium patrem Principis, id est, prætoris aut gubernatoris insulæ, magnis *febribus, & dysenteria vexatum iacentem, cùm orasset, &*
Act. 28. 8. *imposuisset ei manus sanauit eum*: qui nihilominus ægroranti Timotheo, non per miraculum voluit subuenire, sed dixit: *Modico vino vtere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmi-*
1. ad Tim. 5. 23. *tates.* Quid est Paule, inquit Gregorius, quod ægrotum infidelem, orando ad salutem reuocas, & tamen adiutorem Euangelij more medici, per alimenta curas? nisi quod idcirco fiunt exteriora miracula, vt mentes ad interiora perducantur, quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ ad mirabiliora sunt, inuisibilia credantur. Signo quippe virtutis pater Publij sanandus fuerat, vt mente reuiuiscere, dum miraculo ad salutem rediret: Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui iam totus intus viuebat. Ita: Gregorius ex quibus tandem infert Quid est ergo mirum, si propagata fide, crebro miracula non fiunt, quando hæc ipsi quoque Apostoli, in quibusdam iam fidelibus non fecerunt? Docet nos Christus hoc ipso (inquit Chrysostomus) vt etiam si aliquid facere possimus, nihil tamen vel absque ratione vel cum aliqua vanitate faciamus: quod egregiè prosequitur Cyprianus, docens, non opera nostra metienda esse ex potentia, sed ex vtilitate: nec enim facienda sunt omnia, quæ potes, sed ea, quæ expediunt. Non ex eo laute comedendum, quia diuitijs abundas, non ex eo nimis vestium cultui intendendum, quia facultates habes: non ex eo contra inimicos agendum, quia potentia præstas, qua potes eos destruere. Hoc impiorum proprium
Sap. 2. 11. est, qui dicunt: *Sit fortitudo nostra lex iustitiæ.* Non id omne iustum æstimemus, quod possumus. Non omne, quod potest, fieri debet, inquit Cyprianus, cum scriptum sit: *Omnia licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non*
1 Cor. 6. 12. *omnia ædificant.* Habeat se homo sicut Vnicornis, qui cornu coram oculis habet, vt nulli rei illud applicet, quam non vtroque oculo conspiciat, quia ita quiuis homo potens, agere debet, vt ad nullam rem extendat potentiam suam, nisi prius attentè videat, quænam vtilitas inde sequatur, quidnam commodi vel incommodi inde possit oriri: & si nihil vtilitatis deprehendat contineat potentiam suam, imitans Deum, & naturam, qui nihil faciunt frustra. Si autem ita potentia exercenda est, vt nulli rei sine vtilitate applicari debeat, quanto minus erit
Hom. 13 in Matth. applicanda rebus illicitis, & quæ salutem
Lib. de Discip. & habitu virginū. destruunt?
Christus non solum non facit, quod est contra salutem, sed nec id, quod verè ad salutem non conducit.
(.·.)

§. 36. *Sufficiens ratio, ne Christus faceret, quæ Diabolus petebat, fuit, esse inimicum: cui in æternum credendum non est.*

¶ 125. ALiam assignant rationem S. Patres, cur Christus noluit facere, quod diabolus petebat, quamuis posset, quia scilicet ille est inimicus perpetuus, & perennis hostis, hostile perpetuò cor gerens. Fas non erat (inquit Chrysostomus) Dominum voluntati diabolicæ obtemperare, quam profitebatur inimicam: ita enim natura comparatum est, vt multa agamus ad petitionem amicorum, ex eo solum, quod amicitiæ lex requirit, vt quantum possumus, illis morem geramus. Multa itidem, quæ licitè, & liberè facere possemus, ex eo solum dimittimus, quod scimus ab inimico nostro expeti, & desiderari: & hoc ipso ea negamus, quod ab hoste nostro expetuntur, cui nullatenus volumus obtemperare, aut complacere. Nec enim iustum videtur, vt homo ei gratum reddat obsequium, quem toto conatu suam perditionem, & exitium procurare nouit. Si ergo sufficiens ratio ad aliquid denegandum iudicatur, quod qui petit, est inimicus crudelis, sufficiens ratio ad negandum, quod diabolus petit esse posset, quod is inimicus hostisque noster est, qui nostrum sitit sanguinem, & nihil ducit dulcius, quam vltimum nobis inferre exitium. Hanc rationem insinuat Augustinus, docens, Christum nequaquam feciſſe, quæ diabolus petebat, quia tentatoris inimici petitiones contemnendæ sunt: & eam ex professo expendit Chrysostomus, demonstrans, quod quamuis non essent paratæ pœnæ ijs, qui diabolo obsequuntur, vel ex eo solum deberemus, illi aliquid petenti non complacere, quod est hostis crudelis, omnibus modis curans, & procurans, vt æternas pœnas incurramus. Conuenerunt aliquando aliqui sancti Monachi, inter se de rebus spiritualibus confe-

Hom. 5. ex varijs in Matth.

Ser. 41. de verb. Domini.

Hom. 26. ad popul.

rentes, eaq; apud illos interposita est conuersatio, quodnam efficax esset remedium, ad reuincendas omnes diaboli tentationes. Quidam dicebat, quod se mortis muniebat memoria, & considerabat, quod citò erant transitura omnia, &c. Alter, se pœnarum infernalium consideratione roborari fatebatur. Tertius, iudicij extremi metu, & terrorem opponendum tentationibus inimici, tanquam remedium validum credebat. Sicq; singuli, quod in animo erat, exponebat. Cōclusit tamen conuersationem vltimus, dicens: hoc sibi maximum remedium, cum tentationibus vrgebatur, cōsiderare; quisnam esset, qui eum excitabat, qui eum eo loquebatur, petens, & suadens illicita: & hoc ipso quod expendebat hunc dæmonē esse, inimicum, impium, crudelem, vilem, perpetuæ dānationis sententia cōdemnatū, eius pellebat tentationes, dicens: Nunquid ego, qui à Deo creatus sum ad gloriam possidendam, & ab ipso adoptatus in filiū, huic vili mancipio, omnibus bonis priuato, omni iniquitate repleto, obsequi debeo? Ex quibus progreditur Chrysostomus, ad reprehendendā hominū nequitiam, inurbanam, & inuerecundā, quod Deo loquenti, petenti, roganti aliquid à nobis fieri, non obtemperamus, qui est Rex, Dominus, Pater, Amator nostri, vt vitam pro nobis verè posuerit, & sanguinem pro nobis dederit; cui vel hoc solo nomine deberemus obtēperare: & dæmoni inimico, crudeli, acerboq; hosti, qui nos genusque nostrum perdidit, & perpetuò id ipsum procurat, deformi, vili, & omnibus malis repleto, vel solo verbo excitanti, statim obedimus, vt vel hinc solum nos æterna damnatione dignos probaturus sit in Dei iudicio ipsemet inimicus: quem Cyprianus considerat, tunc prolamatū coram iudice contra nos: Ego pro istis, quos mecum vides, ò Iudex æquissime, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, sed nec Regnum illis cœleste promitto, nec ad Paradisum reuoco: & tamen mihi loquenti credidērunt, excitanti consenserunt, roganti morem gesserūt, &c. Quod, & simi-

¶ 126. *Lib. de Eleemosyna.*

liter

liter considerauit Augustinus, de quo alibi. Quando ergo iste inimicus id peteret, quod nos alias ex Dei vel Ecclesiæ præcepto, aut consilio agere debemus, agendum quidem illud esset, non quia inimicus id petit, sed quia Deo, & Ecclesiæ debemus obtemperare: quando tamen nulla vtilitas inde consequeretur, vel ex eo solum agendum non esset, ne complaceremus illi, quantò minus quando inde nocumentum maximum nobis metipsis inferimus, agendo ea, ad quæ excitat ille. Hæc omnia breuiter complexus est Theophylactus. Quod peccatum erat, inquit, facere lapides panes? Quia (inquit) audite diabolum in aliquo, peccatum est. Hanc tamen rationem profundius Sancti Patres expendunt, signanter Augustinus *a*, Chrysostomus *b*, Euthymius *c*. Certè diuina est illa Spiritus sancti admonitio, quod non statim cuilibet aliquid dicenti, homo credere debet. *Qui citò credit, leuis est corde, & minorabitur*, id est, minuetur, proculdub. o omni bonorum genere: perdet enim multos amicos, si credit cuicunque contra illos loquenti, perdet famã, & honorem, quia ab omnibus reputabitur leuis, bona itidem sua expendet, credens omni suadenti eorum expensionem. Signanter autem Spiritus sanctus totus est in suadendo, quod nullatenus credendum est inimico, quantũcunque ea proponat, quæ nobis expedire videntur, quantumuis insinuet, quod bonum nostrum intendit, & quærit, nostræque saluti consulit. *Ne credas*, inquit, *inimico tuo in æternum, sicut enim æramentum æruginat nequitia illius*. Id est, nunquam credas inimico tuo, quia etsi bona proponere videatur, sed illa in tui detrimentum cessura credes. Vas ex ære confectum, etsi secundum exteriorem speciem videatur splendere, sed nequaquam ei credimus aliquem excellentem liquorem, quoniam interior eius natura semper ex se emittit æruginem, ideoque statim corruptum inuenies, quod in illo reposueris. Ita si inimicus videatur amicitiæ signis splendere, & consulere, quæ nobis videtur oportuna, sed cor eius perpetuò profert contra nos odium, quo exitium nostrum desiderat. Vnde postquã latè hæc prosequitur Spiritus sanctus, subdit, quod etsi cum lacrymis aliquid petat, quamuis amicabilia verba proferat, nunquam ei credamus, nam malum nostrum intendit, & subuersionem nostram, quam vt inferat, dulciter loquitur. *In labijs suis inualescat inimicus & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam. In oculis suis lacrymatur inimicus, & si inuenerit tempus non satiabitur sanguine, & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas, caput suum mouebit, & plaudet manu*. Hæc quidam rigorem literæ expendentes, credunt intelligenda de inimico, qui iam fuit reconciliatus, à quo cauendum esse monet Spiritus sanctus. Cui illud celebre dictum Senecæ conuenit; Nunquam fidelem credas tibi, quem ex inimico amicum habueris. Quod Scripturę sacrę historijs fit apertum: Dauid enim credidit Absaloni, sibi ex inimico reconciliato, cum dixit ei: *Vadam, & reddam vota mea, quæ vouí Domino in Hebron, &c. Et dixit Rex: Vade in pace, & surrexit, & abijt in Hebron*, vbi crudelem cõtra patrẽ rebellionẽ excitauit. Similiter & Triphõ simulata amicitia occidit Antiochũ adolescentem, & strenuissimum ducem Ionathã circumuenit, & interfecit. Eademque ratione Ptolemæus Simonem illũ, quem Mathathias vocauerat Virum cõsilij, eiusq; filios peremit, postquã ab inimicitia ad amicitiã videbatur reuocatus. Sed verè credo sermonẽ esse de eo, qui verè inimicus est, qui semper nocere intendit, & ad hoc amicabilia verba ꝓponit, vt videatur alludere ad factũ Ioab, qui cœpit amirabiliter loqui ad Abner, & verbis amicabilib. cũ ꝓ fuxit ad mediũ portę, & locutus in dolo, percussit eũ. Aut verò ad factũ impij illius Ismahel, de quo narrat Ieremias, ꝙ ibat *incedẽs, & plorãs*, quasi compatiens viatoribus, quibus viam ostẽdere volebat, & suo ploratu seduxit octoginta viros, quos omnes miserè interemit. Verius autem credo sermonem esse de dæmone ipso, alijsque inimicis animę, carne videlicet, & mũdo. Certè dæmon sæpissimè loquitur nobis in dolo. *In labijs suis inualescat inimicus*

ille,

Ser. contra Iudæ. Pag. & Arianos tom. 6.

In cap. 4. Matth.

21. de doct. Christ. cap. 23.

b Hom. 13. in Matth.

c in cap. 4. Matth.

Eccl. 19 4.

Eccl. 12. 10.

Eccl. 12. 15.

q 127.

2. Reg. 15. 7.

1. Mac 13.

1. Mac. 16. 13.

1. Mac. 2. 65.

2. Reg. 3.

Iere. 41. 6.

iste, id est, labijs suis dulcia profert verba. *In oculis suis illacrymatur inimicus iste*, id est, maxima nostri compassione se commotum exhibet, quod duram sustineamus abstinentiam, quod carnem diro flagello percutiamus, quod honorem nostrum despiciamus, representat, se nostrum quærere commodum in furto, nostram vtilitatem in mendacio, nostram voluptatem in luxu, dulcia verba profert, hortans, vt carni indulgeamus, nostræ vitæ consulamus, voluptatem capiamus, &c. sed *in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam*. Ille est, qui cum tempus mortis aduenerit, cum mala te circundabunt, *inuenies eum illic priorem*, ad te accusandum, & lacerandum, ille cum te viderit damnatum, *caput suum mouebit, & plaudet manu*. Quod in illa prima collocutione, quam ad Patres nostros habuit, videre licet. Amicabilia enim verba visus est miscere, indicans quod eorum desiderabat bonum, immortalitatem, deitatem, sapientiam, &c. & tamen postea firmus ibidem permansit, quasi accusaturus eos, qui sibi crediderant. Vnde, & Serpens nec ab eis discessit, quem cum Deus accederet, adhuc ibi præsentem, quasi iuxta eos, scriptura commemorat. ¶ 128. Hoc ergo Christus Dominus sæpè docere visus est, vt nunquam dæmoni credamus. Vnde, & etiam aliquando vera dicenti *præcepit ei, vt taceret*: nuncque nequaquam ei consensit, repræsentanti amicabilibus verbis, quod ad sui refectionem ex lapidibus panes fieri attentaret. Esurijt (inquit Chrysostomus,) & non obedit imperanti, nos profecto erudiens, ne vnquã diabolo credamus. Quia enim primus homo hinc offendit Deum, legemque transgressus est, ex abundanti te docet, quod etsi non tibi præuaricationẽ ille præcipiat, nec sic quoque esse credẽdum. Et quid dico præuaricationem? etiam si vtile aliquid dæmones loquantur, nec sic quidem illos debes audire. Sic enim etiam illos dæmones loqui vetuit, qui eum Dei filium prædicabant, & Paulus rursum idipsum inclamantes increpauit, & certè erat vtile, quod dicebant, sed magis eos, magisque deprimens, eorumque insidias destruens exagitabat, salutaria quoque dogmata prædicantes, vndique eorum ora claudens, & tacere præcipiens. Idcircò ne tunc dictis quidem eius annuit Christus, sed quid ait? *Non in solo pane viuit homo*. Ita ille Similia annotauit Basilius expendens illud, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum*. Perpetuas hic inimicus nobiscum ducit inimicitias, caputque eius plenum est dolis. Et quamuis ita loqui videatur, vt vtilitatem nostram videatur optare, verè tamen intendit nos decipere. Idcircò vociferatur Apostolus: *Ne circumueniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius*. Videturque alludere velle ad illud: *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres de cibis illius: comede, & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum, cibos quos comederas euomes*, quæ verba mysticè expendens Iansenius, Rectè, inquit, per inuidum istum, & parcum, diabolum intellexerimus, nostræ saluti inuidentem, qui etsi fauere nobis videatur, dum ad mundi voluptates nos inuitat, animo tamen est à nostra felicitate alieno. Proinde ne desideret de cibis illius, id est, de voluptatibus mundi, ad quas pertrahit, quod si fecerimus, euomendum aliquando, quod sumpserimus, siue nunc per pœnitentiam, siue postea per pœnam. Tuncque illud erit quod dictum est à Propheta: *Vomitus ignominiæ, super gloriam tuam*, id est, maior erit tunc pœnæ vomitus, quam sit nunc delectationis suauitas, & voluptas.

Hom. 9. Deus malorum non est causa. *Gen. 3. 15.* *2. Cor. 6. 11* *Prou. 23. 6* *Hab. 2. 16.*

Luc. 4.

§. 37. *Diabolus semel victus ad acrius tentandum se conuertit, cuius cor constringitur sicut malleatoris incus.*

¶ 129. *Tunc assumpsit eũ Diabolus in sanctã ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Sub Leuiathan, aut Balænæ specie dæmonẽ omni ex parte Deus depinxit, vt sæpè dictũ est, & qui eius.

Luc. 4. Act. 16.

eius partes sigillatim describit, singulariter cor describēdū assumpsit, & quis
Iob.41.15. sit illius effectus. *Cor*, inquit, *eius indurabitur*, ideſt, durum eſt, *tanquam lapis, & cōſtringetur, quaſi malleatoris incus*. Cor in animalibus, vt Ariſtot.a & Plinius b dixerunt, carneum eſt, & neruoſum, quippe cum in illo validius vis animalis, & ſenſitiua debeat vigere: Cetus tamen, vt Plinius obſeruat, cor habet duriſſimum, rigidum, & hirſutum, vt totum oſſeum, lapideum, ac ferreum videatur, imo duritiem tenens incudis, qui quo validius percutitur, maiorem duritiam contrahit. Et quidem D. Thom. alijq; authores, hoc ideo de ceto dictum credunt, quia cetus, aut Balæna tali cordis audacia ob ſuā fortitudinē præſtat, vt neque tēpeſtatibus, neque maris ictibus, aut agitationibus, quibus cæteri piſces concutiuntur, & debilitantur, aliquatenus cedet, quin potius maiori tūc fertur agilitate. Ex quo ſequitur, quod
Iob.41.16. Deus ſubdit: *Cum ſublatus fuerit, timebūt Angeli & territi purgabuntur*. In Hebræo verbū *Naſa*, quod cū puncto, Ciboleth, ſignificat eleuare, aut in altum erigere, quia vt B. Iſidorus explicat, cū cetus caput eleuat, aut ſuper aquas quaſi aſſurgit, ſummo timore afficiuntur nauigantes, quos Angelos, id eſt, nuntios, hinc inde diſcurrentes, vocat; In Hebræo *Elohim* ideſt, fortes, & potentes, *timore purgabuntur*. Quidam de purgatione peccati accipiunt, quia fortiores nauigatores, cum videt cetum in aquis eleuantē caput, ſe totos ad Deum, propter timorem, quem cōcipiunt, cōuertunt, & quaſi in mortis periculo conſtituti, de purgandis peccatis per contritionē cogitāt. Cum puncto autem, Siboleth, verbum *Naſa*, ſignificat percutere, vel deſtruere, vt ſit ſenſus, quod cum percuſſus fuerit, vel graui ictu impetitus, timebunt vehementer fortiſſimi milites, qui eū percuſſerunt, ſcientes illius beſtiæ implacabilem, rabiē, & quod quātò maiori impetu percutitur maiori rabie cōtra percutientes excitatur, mare de nouo conturbans, & fluctus cōmouēs, vt i vitę periculo ſe cōſtitutos timeāt. In hmōi ergo ceti conditionibus, dæmonis qualitates mirè voluit exprimere: cuius voluntatem, cordis nomine, ſecūdū Scripturæ ſacræ phraſim, nobis eleganter aperuit. Hæc. n. in malo ita obſtinata obdurataq; eſt, vt nullis ictibus frāgatur, aut emolliatur; quin potius, quo validius percutitur, durior redditur. Ex quo id euenit, quod protinus ſubditur: *Cū ſublatus*, ideſt, percuſſus *fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur*. Et meritò quidem, tunc maiori timore pauent Sancti viri, cum validiori ictu, aut vulnere inimicum iſtum percuſſerint. Quando namque aliquis, contra illum inimicum agit, qui quo validius fuerit percuſſus, magis debilitantur eius vires, & eneruantur conatus: ad maiorem inimici percuſſionem minus timet: ſed quando talis eſt inimicus, quod ad maiorem percuſſionem magis augentur eius conatus, magis roboratur viribus, validiuſq; congreſſurus aſſurgit, certe maiorem percuſſionem, maior timor cōſequitur. Taliſque eſt hic inimicus noſter, qui non frangitur ictibus, non cedit percuſſionibus; quod in eo, quod ſubditur, indicatur: *Cum apprehenderit eum gladius ſubſiſtere non poterit, neque haſta neque thorax*. Omnia fere bellica inſtrumenta, quibus milites in bello vti ſolent. Deus ibi recenſet, gladium, lanceam, vibrantem haſtam, thoracem, arcum, ſagittas, fundam, malleum, iacula ærea, &c. quibus omnibus quantumcumque inimicus hic percutiatur, nequaquam perijt, quin potius ad maiores congreſſus ſeipſum excitat. Gladius qui contra eum admouetur, *non ſubſiſtit*, ideſt, non prævalet: nec enim poteſt gladius illum diſcindere, aut eneruare. Quando Aod percuſſit Regem Eglon, obſeruat Spiritus S. quod *non eduxit gladium ſed ita vt percuſſerat reliquit in corpore*. Et merito quidem: quippe cum vnicus illius ictus, ſufficiens fuerit, ad occidendum Regem. Similiter cum a Ioab gladio percuſſit Amaſſa, *ſecūdum vulnus non apposuit*, nec apponere curauit, quia primo ictu illum confecit. At non talis eſt inimicus noſter, in quem etſi diuini verbi gladiū diſtringamus, non omninò eum conficimus, aut occiſum relinquimus: quin potius validè percuſſus, validè conſurgit,

a *Lib. 3. de parti. ani. cap. 4.*
b *Lib. 11. cap. 37.*
In cap. 41. Iob.
¶ 130.
Iob.41.17.
Iudi.3.22.
a 2. Reg. 20.8

git, percussorem suum imperiturus. Idcircò Sancti viri tanto vehementius timent, quanto acriori vulnere percusserint, & acutiori sagitta confixerint, qui propterea tunc orationibus, humilitate, & mortificationis operibus seipsos purgare contendunt, id est, disponere, ac præparare, vt aptiores sint ad reuincendos, congressus sequentes. Hanc huius loci egregiam esse interpretationem, vel ex eo colligo, quod illam tradidisse visus est validissimus ille miles Antonius, huiusmodi bellorum scientissimus, qui sicuti omnes Principis tenebrarum acies inuictè Dei auxilio munitus superauit, ita, & omnes illius astus, machinas, callidasque cogitationes egregiè calluit. Is autem, vt refert Beatus Athanasius, in eius vita, quam elegantissimè describit, crebrò asserebat, talem à se visum diabolum, qualem, & Beatus Iob Domino reuelante cognouerat. *Oculi eius, vt species luciferi ex eius ore procedunt lampades, &c.* Et cætera refert, quæ in loco, quem explicamus, habentur. Duritiam autem, & obstinationem, qua nobiscum agit, exprimens dicebat, dæmones quidem orationibus ac ieiunijs vinci posse; sed solent, inquit, sanctij grauius assurgere, & mutata arte pugnadi, acrius in eos qui se vicerant, agere. Imò sicut prius idem Athanasius retulit, cum egregiam Antonius de diabolo tentante victoriam reportasset, neque Antonio (inquit) securitatem dedit hic vnus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecere vires: nam, & iste, vt leo rugiens quærebat aditum, per quem posset irrumpere, & ille scripturarum doctus eloquio, non ignorabat multas esse dæmonum captiones. Propter quod solerti proposito labore seruabat, considerans, quia posset Satanas in carnis collectatione superatus, nouarum aduersus se artium machinas acrius commouere. Idcircò magis ac magis subiugabat corpus suũ, ne victor aliorum, in alijs vinceretur, &c. Vide quomodo hic Angelus, eo ipso quod validè hunc percusserat inimicum, timore angitur, & seipsum purgare contendit, per mortificationis opera eximia, sciens, quod inimicus in primo certamine victus, statim erat aliud grauius bellum inducturus. Nemo securitatem sibi promittat, quantumcunque tentatorem deiecerit, quem enim de gula tentantẽ fortiter percussisti, statim experieris ad superbiam, vel inanem gloriam excitantem, & quem in luxuriæ materia, Deo adiuuante, superasti, subito sæties, si attendis, ad murmurationem, vel detractionem, vel aliud vitiorum genus pertrahere conantem. Vt hoc nos Christus Dominus doceret, seipsum exposuit tentandum, qui cum diuini verbi gladio inimicũ de gula tentãtem vicisset, non propterea ille destitit ab incepto, quin potius ad acriores impetus inferendos, se conuertit, ideoque assumpsit, & duxit eum, & statuit supra pinnaculum templi, vt qui victus in primo fuerat certamine, in secundo vinceret, & superaret.

In vita Anton. p. 6. 40.

Iob 41. 9.

§. 38. *In loco eminenti statuit Christum Diabolus, credens, qui in pinnaculis sunt, facilè præcipites dari.*

¶ 131. ASsumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit super pinnaculum templi, &c. Erat terra Iudææ altior omnibus alijs, quæ in circuitu eius erant. Vnde qui ex illa ad alias proficiscebantur, descendere, qui è contrario, ascendere dicebantur. *In Ægyptum descendit populus meus, &c. Ascendit Salmanasar Rex Assyriorum, &c.* Inter loca autem Iudææ eminebat Hierusalem: quare similiter qui ad eam tendebant ascendere, qui ex illa ad alia proficiscebantur, dicebãtur descẽdere. *Ascendit, & Ioseph à Galilæa, &c. Vos ascendite ad diem festum hunc. Homo quidam descendebat ab Ierusalem, &c.* Ideoque Ierosolyma, locus omnibus altior erat. Vnde considerat Beatus Hieronymus, aptè in Scriptura sacra Ierosolymam per caput significari, & exprimi, quia sicut caput cæteris corporis

Esai. 52. 4. 4. Reg. 17. & 18.

Luc. 2. 4. Ioan. 7. 8. Luc. 10. 3.

In cap. 5. Ezech.

poris membris altius eſt in homine, qui mundus minor dicitur, ita Hieroſolyma in mundo maiori, altior erat, & excelſior cæteris mundi circunſtãtibus prouincijs. Illam propterea capitis typo voluit ſignificare Deus, quando
Ezech. 5.1 præcepit Ezechieli, vt acciperet *gladiũ acutum, radentem piles*, id eſt, nouaculam, *& duces*, inquit, *per caput tuum, & barbam, &c.* Significare enim voluit, ciues Ieruſalem, qui in ea nati erant, creſcebant, & ſuſtentabantur, ſicut capilli in capite, per Nabuchodonoſorẽ, quem nouaculam vocat, radendos, & tradendos, quoſdam in gladium, alios in ignem, alios in captiuitatem, de quibus alibi. Erat igitur Ieroſolymæ locus altiſſimus. Locus autem altior Ieroſolymæ erat is, in quo templum erat extructum, mons ſcilicet Moria, qui altior erat etiam monte Sion, in quo domus Regia fuit à Dauide, & Salomone conſtructa, ideoque qui ad templum proficiſcebantur, dicebantur aſcendere:
Luc. 18.10 *Duo homines aſcenderunt in templum, vt*
Act. 13.1. *orarent, Petrus, & Ioannes aſcendebant*
Pſ. 77. 69. *in templum, &c. Ædificauit enim Dominus ſicut Vnicornium*, id eſt, ſicut cornu Vnicorni, *Sanctificium ſuum*, quod in ſupremo erat vertice, tanquam cornu in capite. Locus altior templi erat pinnaculum eius, quod erat ſupremum illius faſtigium: vt videas in altiſſimum totius terræ illius locum Chriſtum adductum fuiſſe. Erat inſuper locus ille ſanctior omnibus alijs totius orbis. Totus namque mundus plenus erat templis, ariſque damonum, ſolummodo,
Pſal. 75.2. *Notus erat in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius, & factus eſt in pace.* id eſt, Ieruſalem *locus eius, & habitatio eius in Sion*. Solummodo ibi Deo verò templum erat extructum, quod locus ſanctus, aut ſanctitatis dicebatur, in quo erant res ſanctæ, imò, & Sancta Sanctorum. Ideò ſola illa terra in vniuerſo orbe vocata fuit a *Sancta*, & b *ei-*
a *Sap. 12 3* b *2. Mac. 1.* *nitas Sancta*, vocata fuit Ieruſalem. Vt
12. & 3.1. hinc colligamus, Chriſtum ductum ad
Matt. 27. locum eminentiſſimum, & totius orbis
53. &c. ſanctiorem. Qui enim contendebat Chriſtum ad præcipitium inducere, locum quærere debebat aptiſſimum præcipitio. Nullus aũt melior eo, qui altior ſupremuſque eſt, quale fuit pinnaculũ tẽpli. Egregiè Spiritus ſanctus ſermonem ſuum conuertit, ad inſtruendos homines potentes, & qui ſuprema in curijs, Regum, Principum, & Pontificũ tenent ſuffragia, vt hoc ipſo caueant præcipitia, quæ paratiſſima ſunt ijs, qui in eminenti loco ſunt conſtituti. Præmiſerat dicens: *Procul abeſto ab homine* *Eccl. 9.18.* *poteſtatem habente occidendi*: deinde illos qui latera Principum cingunt, & in ſupremis locis iuxta eos conſtitutos, videt, alloquens: *In medio*, inquit, *laqueorũ ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis*. Græca ſequutus Chryſoſtomus, ita legit: *In medio laqueorum tranſis, & ſuper pinnacula ciuitatis ambulabis*: qua dicendi phraſi ſuprema pericula, in quibus verſantur ij, qui in aulis Regum, & Principum, tanquam in alto loco conſtituti ſunt, voluit exprimere Spiritus ſanctus. Nullus enim in maiori periculo conſtitutus eſt, quàm qui ambulat ſuper pinnas, vrbis: *Super dolentium*, inquit, *arma*: Græcè, *ſuper pinnacula*: *Hazuentaque andas ſobre cauallettas de teſados*, & quantò illa altiora fuerint, tanto periculum maius eſt. Facilis namque eſt, vt dixit Poeta, lapſus ex alto, & vt dixit Diuus Auguſtinus. Quantò quis in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Hoc expẽdẽs Beatus Euſebius Emiſſenus annotat, Chriſtum, qui nunc magiſterij munus exercebat, ideo ſe permiſiſſe duci à dæmone ad talem locum, in quo credebat diabolus, quod facilè poſſet eum ad præcipitium inducere, vt intelligamus verè diabolum ſæpè conari aliquos ad ſuprema loca ducere, & in ſupremo faſtigio collocare, quo facilius poſſit illos ad præcipitium impellere. Sæpè aliquos ad altiores Eccleſiæ ſedes extollit, quos ſtatim excitat, vt voluntatis ſuæ affectum, quem in Deo conſtituere debent, ad ima propinquorum, conſanguineorumque demittant, & Eccleſiaſtica bona, quæ alendis pauperibus erant tradenda, innepotes affineſque ſuos profundant. Quos ſacerdotij excellentiſſima dignitate videt ſublimatos, ſuadet, vt ſe deriuent ad res ſeculares pertractandas, negotiationes exercendas, facultates

¶ 132.

Hom. 15. ad populũ.

In regula.

Hom. in c. 4. Matt.

temporales nimio quærendas affectu. Iudices, quos in supremis Reipublicæ sedibus videt locatos, vt in amicos, leges, iuraque, contra omnem iustitiam cõuertant, ac demittant, hortatur. Quos in dominationis throno sedere videt, incitat, vt se ad virginem violandam, vxoratam solicitandam, tanquam ex superis ad ima proijciant, &c. Hinc videmus, sæpè viros Sanctos superiora loca recusasse, qui securiorem vitam animo, quam in excelso credebant, scientes
Serm. 13. quod dicit Beatus Petrus Chrysologus, dæmonem suos eleuare, vt de alto precipitet validius in ruinam, & in altum leuat, vt lapsu maiori ruant.

§. 39. *Diaboli vox est. Mitte te deorsum, qui curat, vt caput deorsum demittamus, sicut Pythonissæ verba indicarunt.*

¶ 133. *Mitte te deorsum.* Expendentes Sãcti Patres hæc verba, omnes agnoscunt hanc esse propriã diaboli vocem: *Mitte te deorsum*, qui cupit omnes deorsum cadere, & qui de superis ad infima cecidit, summopere exoptat eos quos videt altitudine meritorum euectos, ab illa deijcere, & ad ima deturbare. Ita Ambrosius *a*, Hieronymus *b*, Maximus Taurinensis *c*, Petrus Chrysologus *d*. Equidem diabolus dicitur Satanas, id est, aduersarius, quia aduersari, & contradicere Deo contendit. Deus autem perpetuò nos excitat, vt relinquentes ima, tendamus ad superna. Ideò Paulus vocationem Dei appellat supernam: *e Ad brauium*, inquit, *superna vocationis*. Imò, & in hoc venit in mundum, ipse qui de cœlis est, vt de mundo ad cœlestia eleuaret. *Vos*, inquit *f*, *de deorsum estis*, *ego de supernis sum*: g *qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit super omnes est, & quod vidit, & audiuit, &c.* Idcircò magno affectu suasit, thesaurum nostrum in superis constituendum, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, vt ad superna cor nostrum eleuemus: *vbi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum*. Propterea ille, qui totum bonum nostrũ est, ad cœlos ascendit, vt animum nostrum ad superna excitemus, vbi Pontifex pro nobis ingressus est Iesus, vt sicut ipse dixit: *Vbi fuerit corpus ibi congregabuntur, & aquilæ.* *Matt.* 24. 21. Ideò, & Spiritum sanctum in igne super discipulos effudit, quia ignis natura est, ad suprema ferri, vt corda inflammaret, & ad superna impelleret. Annotauit Augustinus, aptè, egregieque dictum à Propheta: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in conualle plorationis, in locum quem disposuit.* Ad hoc siquidem Deus auxilium homini confert, ad hoc excitat, interius adiuuat, & mouet, vt ascẽdat. Vbi ascensiones? in corde. Vnde ascendendum? A conualle plorationis, quo nomine omnia hæc inferiora possumus intelligere, vt verè nihil aliud sit mundus, quam conuallis plorationis, aut vallis lachrymarum. Ab illo propterea ascendendum. Et quo? In locum quem disposuit. Non alio modo id explicuit Dauid, sicuti neque Paulus, qui præmittens, quod *Nec oculus viuit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit*, subdidit; quod *præparauit, & disposuit Deus diligentibus se*. In cor hominis nõ ascendit. Ergo cor hominis illuc ascendat in locum, quem disposuit, &c. Ad excelsa ergo, & sublimia Deus nõ perpetuò excitat. Diabolus autem è diuerso, semper incitat, vt ad inferiora nos demittamus, & in illa feramur, quæ deorsum sunt, & longè nobis inferiora, ad quæ propterea tendentes, verè dici potest, quod nos deorsum mittimus. Hæc ergo (inquit Ambrosius) perpetua dæmonis vox; *Mitte te deorsum*. Animum tuum, qui verè omnibus his inferioribus penè infinitè altior est, ad hæc inferna omninò demitte. Summa solicitudine quære, quid comedas, quid bibas, quibus delecteris, quibus diues euadas, quibus fias splendidus in Republica, &c. Ita ab illo prodigo, filio quidem hominis nobilissimi, & ditissimi petijt, vt seipsum demitteret ad pascẽdos porcos. Et tales considerasse visus est

a *In cap. 4. Luc.*
b *In cap. 4. Matth.*
c *Hom. 2. Domin. 1. Quadrag.*
d *Serm. 13.*
e *ad Phi. 3. 1.*
f *Ioã. 8. 23.*
g *Ioan. 3. 31.*
Matt. 6. 19

In Præfa. in Ps. 119. Psal. 83. 6.

1. Cor. 2. 9.

¶ 134.

Ieremias, quod cùm inclyti ſint, ſe di-
Thren. 4. 2. miſerint ad vaſa teſtea. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea &c. Qui veſcebantur, voluptuosè interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora.* Obſeruanda ſunt verba illa, quæ cum Samuel excitatus fuit, dixit
1. Reg. 28. Pythoniſſa ad Saul. Quærenti enim, quid vidiſſet: *Deos*, inquit, *vidi aſcendẽtes de terra.* Et quidã mihi ſemper probabilior viſa eſt ſententia eorum, qui dicunt, verum Samuelem tunc excitatũ, de qua alibi. Certum eſt itidem, ibi plurale pro ſingulari poſitum, ſecundùm Scripturæ phraſim, eo modo (inquit Lyranus) quo cùm vnicum eſſe idolum, dixerunt Iſraelitæ. *Hi ſunt dij tui Iſrael.*
Exod 32. 4 Quod, & Varablus euidenter demonſtrat ex eo, quod ſtatim Saul in ſingulari de eo interrogauit; *Qualis*, inquit, *eſt forma eius*, & vnicum ſingularem mulier deſcripſit. *Vir*, inquit, *ſenex aſcendit.* Imò, & quidam codices in ſingulari legunt: *Deum vidi aſcendentem de terra.* In
אלהים Hebræo, *Elohim*, quæ vox nunc in numero plurali, nunc in ſingulari tranſfertur. Idem ergo (inquit Varablus) eſt, ac ſi dicat: Hominem quendam diuinum vidi aſcendentem. Quod ideò dictum credo, quia verè non in ſtatione virtute, aut dæmonis poteſtate excitatus fuit Samuel, ſed Dei virtute, vt impium Regem corriperet, & ad pœnitentiam denuntiatę mortis pauore
De arcan. Cath. veri. Lib. quæſt. in 1. Regũ. q. 61. circ. fin. pronocaret, de quo alibi. Hoc autem (vt inquit ex Hebræis Galatinus, dixeratque prius Theodoretus) mulier agnouit ex eo modo, quo aſcẽdebat Samuel, quia quaſi modum diuinum tenere videbatur. Qui enim dæmonis virtute, & magicæ incantationis vi excitabantur (ſiue homines eſſent, ſine quod verius eſt, dæmones in hominum figura) aſcendebant inuerſè, tenentes ſcilicet caput deorſum, & pedes ſurſum. Ita procedebant ij, quos diabolus excitabat. At Samuel aſcendebat rectà diſpoſitione, caput ſcilicet habẽs ſurſum, & pedes deorſum. Intellexit propterea mulier, hominem illum diuinum eſſe, quem Deus, non diabolus excitaret. Et verè ita ſe habet res. Quos enim Deus excitat, & agit, ita ſeruatur, vt caput ab imis ad ſuperna eleuent, mentem habeant in ſuperna erectam, & exaltatam, qui ſemper clamant: *Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.* Ad Coloſ. 3. 1.
Quos autem diabolus impellit, ita agit, vt capite deorſum ferantur: nam id ille contendit, caput, id eſt, mentem, & cogitationes ad ima demittere, & ineitare, vt terrenis adhæreant, de illis ſint ſoliciti, illa curent, & illa ſolummodo intendant: ad quos perpetuò clamat: Mitte te deorſum. Abiita, inquit Bernardus, incepit, in hac finiuit: nam qui nunc per ſeipſum in principio dixit Chriſto: *Mitte te deorſum* ad finem vitæ ipſius clamabat per ſuos miniſtros: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce*, volens, vt ex crucis faſtigio ſe ad ima dimitteret, totiuſque Paſſionis gloriam peſſumdaret. Serm. 2. de aſcenſ.

§. 40. *Diabolus non poteſt compellere ad malum, ſed ſicut bos lingua agere, ideo habet cornua in capite, Deus in manibus, qui illius potentiam comprimit.*

NOn impulit (inquit Chryſoſtomus) non tetigit, non appropinquauit, ſed tantum dixit: *Mitte te deorſum*, vt ſciamus, quia omnis, qui obtemperat diabolo, ipſe ſe deponit deorſum, nã diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt: ita ille, quod, & eiſdẽ verbis annotauit Auguſtinus *a*, idem, & Clemens Alexandrinus *b* Hinc infero, dæmonem nullatenus liberum hominis arbitrium cogere poſſe. Simul ergo (inquit Ambroſius *c*) diabolus inhæret malitiæ ſuæ, & malitiam deſignat, quia nemini poteſt nocere, nullumque poteſt demittere, niſi illũ, qui ſeipſum demiſerit. Eſt quidem ingens dæmonis potentia in ſe longè ſuperior viribus noſtris; ſicut enim ſuperior eſt natura, ita, & poteſtate. Quod, & manifeſtum eſt ex nominibus, quibus Scriptura ſacra eum deſcribit. Appellatur namque ¶ 13 §. Hom. 3. in imperf.
a Tract. 12 in Ioan.
b Lib. 6 ſtrom.
c Lib. 4. in Lucam.
1. Pet. 5. Pro. 30. 25.

Leo

Leo rugiens, qui *fortissimus est bestiarũ*:
Psal.90.13 aspis, quę flatu aerem inficit, *Basiliscus*, qui vel solo visu enecat, & vt diximus, Deus qui eum peculiariter describendũ assumpsit sub typo Elephãtis, & ceti, quod omniũ animalium pisciumque contineat robur, fortitudinem, feritatem, & sæuitiam, tandem concludit:
Iob 41.24. *Non est potestas super terram, quæ ei possit cõparari qui factus est, vt nullum timeret.* A Paulo vocatur; *Princeps tenebrarum, mundi rector, spiritualia nequitiæ in cælestibus*, quasi ex superiori parte nobiscũ pugnans, vt habere videatur culmen, & lapides, quod dicimus communi prouerbio, sicuti, & cõsiderat B. Augustin. hæc expẽdens, ab Angelo vocatur, *Exterminãs*, quia omnia exterminare posse videtur. Vide quid breuissimo tempore egit, cum Dominus ea, quæ erãt B. Iob, in manu sua posuit: subitò enim homines de terra adduxit, ignẽ de cælo demisit, turbinem, ac vehementẽ ventum è deserti regione excitauit; & innumera, quæ B. Iob possidebat, mirabili celeritate cõsumpsit. Ex quibus rationabilis querela moueri posse videtur: cur Deus, qui
Sap.11.12 *omnia in numero, pondere, & mensura disponit*, voluerit, vt nos, qui omnibus rebus infirmiores debiliores{q;} sumus, similes folio, quod leui flatu rapitur, contra inimicum omnibus fortiorem congrederemur: quam querimoniam
Hom.5.cit. S. Iob non semel cum Deo agens, proposuit, vt alibi dictum est. Cæterum intelligendum est, hunc inimicum, qui tanta in se potentia viget, respectu nostri infirmissimum esse, qui non solum (inquit Chrysostomus) non potest nos præcipitare, aut deijcere, sed nec leuiter tangere: tantum potest à nobis petere, vt nos ipsi malum nobismet inferamus, & quod ipsimet nos præcipites demus, & dicere: *Mitte te deorsum*. Ex quibus egregiè Deus processit, ad respondendum querimonijs, quas B. Iob hac de causa proposuerat, vt annotauit Methodius martyr, alijque Patres.
in cat. Gra. Conquerebatur Iob, vt diximus, quod iniustum videbatur, Deum exposuisse illum inimico, viribus, ac potentia longè superiori.
Iob 40.2. *Respondens autem Dominus ad Iob de turbine*: Patres Græci legunt, *Suscipiens Dominus Iob de nube*: qua loquendi ratione, etsi secundũ Scripturæ phrasim tãtum indicetur, quod voluit se Deus conuertere, ad respondendum ipsi Iob, sicut, *suscipiens Iesus* legis peritum, *dixit*, &c. *Luc.10.30* sed Græci patres magnam Dei benignitatem exprimi credunt. Vnde illi exponunt, *suscipiens*, id est, cõplectens, aut complexus, quod quasi ad complectendum Iob, se Deus conuerterit, eo modo quo pius pater ad filium, quem aliquandiu dimisit in tribulatione clamantem, se tandem conuertit, eumq; *In Catena Græca.* complexibus suscipit. Et tanta (inquit Origines) est Dei benignitas, vt non iudicis, sed eius, qui in iudicium vocatur, personam suscipiat. Ex quo genere illud est: *Venite, & disceptemus*: *Esa.1.18.* nec non illud: *Populę meus, quid feci tibi?* Deus ergo quasi benigne Iob *Micha.6.3* complectens, ad satisfaciendum querimonijs illius se conuertens: *An* inquit, *irritũ faciet iudicium meum?* quorum verborum (inquit B. Methodius Martyr) hic est sensus: Noli existimare, me absque recti iudicij pondere processisse, tibi talem inimicum deputans, qui congrederetur tecum: *Ecce* *Iob 40.10.* *enim Behemoth, quem feci tecum, quasi bos comedet paleas*. Cuius sententiæ plura sunt Sacramenta, quam verba, quæ, & alibi cœpimus aperire, annotantes, quod apud sanctos Patres certum est, Behemoth, aut elephanti nomine, dæmonem intelligere voluisse. Hic ergo, quem feci tecum congredi, tanquam bos comedet paleas. Obseruauit egregiè Origenes, hoc boui proprium inter animalia, quod ad scindẽ- *Hom.13.* dum fœnum, quod deuorare contendit, nõ vtitur manibus, aut pedibus, aut *in Numer.* vngulis, aut cornibus, aut verò dentibus, sicut, & cætera animalia, sed sola lingua, qua fœnum quasi falce secat: qua de causa, inquit Origenes, bos fœnum comedens eos significat, qui non ferro, aut armis validis, sed molli lingua, id est, solis nudisque verbis agunt. Voluit ergo dicere Deus ad Iob: *Non quasi crudelis suscitabo eum*: Ne me quasi crudelem iudices, qui tibi talem inimicum constitui, vt tecum congrederetur, qui quãtumcunque in

se va-

ſe validus ſit, cum tamen tecum certa men aſſumit, non alia arma admouere poteſt, quam linguam, & verba, qui ſolummodo ad malum hortari poteſt, & dicere: *Mitte te deorſum*: cogere autem, aut violentiam inferre non poteſt His proxima ſunt, quæ Ioannes expoſuit, draconem illum validiſſimum deſcribens, de quo duo dicit. Primum
Apoc. 12. 3. 14. eſt, *quod habebat cornua decem in capite, aut capitibus ſuis*. Secundum eſt, quod contra ſanctam illam, cœleſtemque mulierem pugnaturus; *miſit aquam ex ore tanquem flumen. vt eam faceret trahi à flumine*. Notum eſt in Scriptura ſacra, per cornu ſignificari, & exprimi fortitudinem, & violentiam: animalia enim cornigera, in cornu ſitam habent ſuam fortitudinem, & agendi virtutem. Vnde Sedecias ille
3. *Reg.* 22. 11. Pſeudo propheta *cornua ferrea* induxit, cum de bello inferendo ageretur, vt indicaret potentiam Regis Iſrael, qua deiecturus eſſet Syriam; ſicut bos cornibus ventilat id, quod impetit. Exquibus explicare poſſumus, cur de Chriſto Domino dicatur: *Cornua in*
Habac. 3. 4. *manibus eius*. Vere in manibus ſuis habuit fortitudinem, & potentiam *a*: *Cui omnia tradidit Pater in manus*, & poteſt quidquid voluerit facere *b*, *quia ſubeſt ei poſſe cum voluerit*: quique *c*, *potens eſt omnia facere, ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus*.
a Ioan. 13. 3
b Sa. 12. 18.
c ad Epheſ. 3. 20.
Diabolus verò habere cornua dicitur in capite, non in manibus, quia poteſt ille intendere malum, deſiderare, cogitare, machinari; nequaquam tamen poteſt, quod vult opere complere. Inſuper ſolummodo potuit contra mulierem aquas ex ore effundere, vt illa ab eis traheretur. Aquarum namque, & fluij nomine, intelliguntur voces, ſuaſiones, verbaque exhortatoria
In pſal. 92. *Pſal.* 92. 3. ex ore prodeuntia, iuxta Auguſtinum. *Eleuauerunt*, inquit Dauid, *flumina Domine, à vocibus aquarum multarum*: quæ verba de Apoſtolis intelligi poſſunt, quorum prædicatio validior fuit vocibus Philoſophorum, & omnium ſapientum mundi. Non ergo violenter potuit mulierem trahere, aut coacte, aut efficaciter interius mouendo, ſed ſolis verbis, hortationibus, ac perſuaſionibus agit, quibus trahere vnum quemque conatur, ac nititur. Hæc ad noſtrũ ſolatium egregiè expendit, nobiſq; expoſuit ſanctus Dauid Pſalmo ſexageſimo primo, vt elegantiſſimè, & eloquentiſſimè Auguſtinus obſeruauit. Eſt Pſalmus ille inſcriptus, pro Idithũ (inquit Auguſtinus) id eſt, pro tranſilientis: tranſilijt enim iſte, qui cãtat, omnia terrena, & vniuerſam creaturam, & peruenit ad Verbum vnigenitum Dei, vbi audiret, quid locutus eſt Deus. Vnde, & dicit: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*. Vnica, breuique locutione Deus omnia locutus eſt, & plura forte (inquit Auguſtinus) iſte audiuit, ſed tantum quæ nobis erant neceſſaria, expoſuit. *Duo*, inquit, hæc peculiariter obſeruaui, auſcultaui, *& audiui*. Quid eſt duo hæc audiui? Hæc duo, quæ vobis dicturus ſum, non à me vobis dico, ſed quæ audiui dico. Quænam duo? *Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*. His duobus continentur prope omnes Scripturæ. *Poteſtas Dei eſt*, Bene quidem, quia *non eſt poteſtas niſi à Deo*. Et *eſt illi miſericordia*, per quam ita omnem poteſtatem temperat, & coercet, vt nihil permittat diabolo poſſe, vltra vires noſtras. Diabolo (inquit Auguſtinus) poteſtas quædam eſt: plerumque tamen vult nocere, & non poteſt, quia poteſtas illa ſub poteſtate eſt: nam ſi tantum poſſet nocere diabolus, quantum vult, non aliquis iuſtorum remaneret, aut aliquis fidelium eſſet in terra. Ipſe per vaſa ſua impellit quaſi parietem inclinatum, ſed tantum impellit, quantum accipit poteſtatem. Vt autem non cadat paries, Dominus ſuſcipiet, quoniã qui dat poteſtatem tentatori, ipſi tẽtato præbet miſericordiã: ad menſuram namq; permittitur diabolus tentare: *Et potabis nos*, inquit, *lacrymis in menſura*. Noli ergo timere, permiſſum aliquid facere tentatorem: quia habes miſericordiſſimum Saluatorem. Tantum illi permittitur tentare, quantum tibi prodeſt, vt exercearis, vt proberis, vt qui te neſciebas, à teipſo inueniaris. Nã vbi, vel vnde, niſi de hac Dei poteſtate, & miſe-

In pſal. 61. 1

¶ 137.

Rom. 13. 1.

pſalm. 97. 6

ricordiæ, securi esse debemus, secundum illam Apostolicam sententiam:
1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus qui non permittit vos tentari supra id quod potestis.* Ergo *potestas Dei est, non enim est potestas nisi à Deo.*
Rom. 13. 1. Noli dicere: Et quare dat tantam potestatem? Ita Augustinus: quæ, & similiter obseruauit Basilius, peculiari quod edidit opusculo, cui titulum indidit; Quod sine diuina virtute, & gratia, resistere Satanæ nullus possit. Ex quibus licet intelligere, duo esse, quæ animos nobis faciant, vt dæmonis impugnationem nequaquam timeamus. Primum est, quod ille non agit quantum vult, aut potest, sed quantum Deus ei permittit, sine cuius facultate, aut permissione, nulla creatura habet virtutem agendi, in cuius manu sunt omnium potestates. Alterum est, misericordiæ diuinæ auxilia, quibus nos munit, armat roborat, vt inimicum vincere possimus. Hæc ansam præbent, vt aliter explicemus, quæ paulo ante induximus, obseruantes, dæmonem dici habere cornua in capite: Deum autem in manibus, quia diaboli desiderium, cupiditas, & cogitatio, manibus Dei comprimitur, & continetur, vt non solum non præualere, sed nec tentare, aut incitare vel leuiter possit, nisi Deo peculiariter ei permittente. Id quod
Lib. de ora. Matt. 6. 23 Cyprianus annotauit, expendens illud: *Et ne nos inducas in tentationem:* qua in parte (inquit) offenditur, nihil contra nos aduersarium posse, nisi Deus ante permiserit, vt omnis timor noster, deuotio, atque obseruatio, & obsecratio, ad Deum conuertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo (id est, diabolo) liceat, nisi potestas inde tribuatur. Quibus verbis visus est Cyprianus, insipientissimum Gentilium errorem refutare velle, qui timentes diaboli potestatem, ad illum orandum, se conuertebant; petentes, ne mala sibi fuisue rebus inferret, quem propterea sacrificijs placare, & beneuolum reddere procurabant. Insipienter quidem illi errabant, primo credentes, diabolum posse per obsequia illi exhibita, reddi beneuolum, cuius ita obstinata est voluntas in malum, contra Deum, & nos, vt nō possit, vel leuiter, nocendi remittere desiderium. Vnde quando facultas ei conceditur à Deo cō tra aliquem, siue in hac vita (vt cum inuasit iuuenem, qui Agnetis virginis pudicitiam voluit deturpare) siue in alia, cum manibus eius traduntur impij torquēdi; non minori rabie in eos, qui sibi obsequuti fuerunt, inuehitur, quam si sibi acres extitissent inimici. Deinde stulto errore agebant, conuertentes seipsos ad rogādum diabolum, qui non agit, quod vult, sed quod Deus illi permittit, & concedit. Vnde sicuti quis ferrum candens, lateribus alicuius applicaret, insipienter qui ardore ferri torqueretur, se conuerteret ad rogandum ferrum, sed tota eius oratio, et obsecratio, atque obseruatio, erga illum esset, qui ferrum candens tenet, applicatque: ita est diabolus, tanquam ferrum candens, succensumque pertinaci, & inflexibili malitia, odio, & desiderio nocendi, vt non magis possit hoc remittere, quam ferrum candens vim comburendi: applicatur autem tantum, iuxta diuini beneplaciti permissionem, & facultatem: ideoque non nostra erga diabolum debet esse obseruatio, & obsecratio, sed erga Deum quem rogamus propterea dicentes: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo,* id est, diabolo; quomodo egit Apostolus, qui sentiens se colaphizari ab Angelo Satanæ, non ad illum rogandum se conuertit, sed ad Deum. *Propter quod,* inquit, *Dominum rogaui, vt discederet à me, &c.* De quo statim latius. Hæc doctrina mire concinit varijs Scripturæ locutionibus, in qua diabolus vocatur *a seruus Dei sempiternus,* vt exponit Gregorius *b*, & *c*, *Spiritus Dei*, vt exponit Augustinus *d*: & dicitur ille *e*, *assistere Deo*, vt exponit Chrysostomus *f*, quia nihil nisi Deo concedente agere potest, de quibus alio in loco. Egregiè explicata est à Deo ipso, cum dæmonem sub Elephanti specie describere voluit, dicēs: *g: Ipse est principium viarum Dei qui fecit eum, applicabit gladiū ipsius.* Quibus verbis, vt alibi dictū est, verius dæmonem quam Elephantum describit, cuius naturam, potentiam, actionesq; vius depingit coloribus. Dicitur nāque

¶ 138.

a Iob. 40. 23
b 33. Mor. c. 18. & 19.
c 1. Re 18. 10.
d L. 22 qq. ad simp. q. 1.
e Iob. 1. 6. & 3 Re 22 19.
f Hom. 3 de Patien. Iob
g Iob 40. 14

de

de eo, quod ſit ipſe principium viarum Dei, quoniam omnibus creaturis eſt excellentior, ſecundum naturam, vt late Deus ipſe proſequitur. Quoniam autem, vt Beatus Dionyſius docuit, ad naturam ſequitur potentia, & vnaquæque res tanto maioris eſt potentiæ, quanto eſt excellentioris naturæ, & hoc ipſo, quod fatetur Deus, illum eſſe ſuperiorem ſecundum naturam, videbatur inferendum, quod omnes creaturas excedit, etiam ſecundum potentiã, quapropter nobis eſſe impoſſibile illi obſiſtere poſſe, ſubdit: *Qui fecit eum, applicabit gladium ipſius*: quæ verba, etſi alibi non incongruè de gladio creatoris expoſuerimus, aptè etiam de gladio ipſius dæmonis intelligi poſſunt, ſicut explicatur à B. Gregorio, annotante, applicare gladium, idem eſſe, quod reſtringere, replicare, implicare, vel inuoluere ad eum modum, quo acutum gladium vagina implicamus, & inuoluimus, qua eius acies incluſa tenetur, ne ferire poſſit. Si ergo diabolus ſibimetipſi relinqueretur, ſicut omnes creaturas ſuperat ſecundum naturam, ita ſuperaret per ſuam potentiam, quam gladij nomine Deus expreſſit: hæc tamen potentia comprimitur, inuoluitur, reſtringiturque à Deo, vt non quantum vult, ſed quantum ei permittitur, agere poſſit. Gladius (inquit Gregorius) iſtius Behemoth, ipſa nocendi malitia eſt; ſed à beo, à quo bonus per naturam factus eſt, eius gladius applicatur, quia eius malitia, diuina diſpenſatione reſtringitur, ne ferire mentes hominum, quantum appetit, permittatur. Hiſque alludere viſus eſt Apoſtolus, dicens: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod poteſtis*. Et vide (inquit Gregorius) quomodo gladiũ eius replicauit Deus, quando contra ſanctum Iob licentiam tentationis accepit: gentes mouit, greges abſtulit, ignem de cœlo depoſuit, perturbato aere ventos excitauit, domum concutiens ſubruit, conuiuantes filios extinxit, vxoris mentem in dolo prauæ ſuaſionis exercuit, mariti carnem inflictis vulneribus cõfodit; ſed eius gladius à conditore replicatur, cum dicitur: *Animam illius ſerua*. Gladio autem replicato, aut implicato, tam debilis eius redditur potentia (inquit Gregorius) quod vt Euangeliſta teſtatur, nec manere in obſeſſo homine potuit, nec rurſus inuadere bruta animalia, non iuſſus, præſumpſit, dicens: *Si eiicis nos, mitte nos ingregem porcorum*. Malitię quippe eius gladius, quam ſit replicatus oſtenditur, cui ſi poteſtas ſumma licentiam nõ præberet, nec graſſari in porcorum gregem valeret. Ex quo infert Gregorius, dicens: Quando ergo iſte ſua ſponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum conſtat, quod non iuſſus, cõtingere nec porcos præſumat? Hoc ipſum ex hac eadem hiſtoria ſimiliter D. Thomas *a*, ex B. Chryſoſtomo *b*, expendit. Vult ergo Deus dicere ad Iob: Non eſt, cur nimis potentiam illius timeas, quæ etſi magna ſit, tamen ita mea virtute comprimitur, vt nullam vim tuæ poſſit voluntati inferre.

Li 33. Moral. ca. vlt.

1. Cor. 10.

Lob. 2. 6.

Matt 8 31 & Marc 5 12. & Luc. 8. 33.

a 3 p. q 44 art. ad 4.

b Ho 24 in Matth.

§. 41. *Deus non permittit Dæmoni tẽtare vltra vires noſtras, nec niſi ad vtilitatem, ideo dicitur applicare gladium Behemoth, concludere mare, & cetum, & ventos librare.*

¶ 139. PEculiarẽ edidit tractatum B. Chryſoſtomus, oſtendens, quod Deo gratias agere debemus, qui commenſurata nobis certamina largitus eſt, in quo egregiam doctrinã tradit, ex qua eandem quã ſæpè induximus Dei ſententiam, dicentis de dæmone, ſub typo Behemoth, aut Elephanti: *Qui fecit eũ, applicabit gladium ipſius*, poſſumus clarius explicare, quã ſi rectè expendamus, videbimus, verè B. Paulũ eam explicandam aſſumere voluiſſe. Verbũ enim, *applicandi*, vt alibi dictũ eſt, proprium eſt medicorum, medicamenta applicantium. Vox autẽ Gladij in Scriptura ſacra, iuxta ſãctos Patres, quæſt. 9. & Hieronymum *a*; Auguſtinum *b*, Gregorium,

Hom 65. ad popul.

a In ca 65. Eſa.

b Epiſt. 59. ad Paulin. in Pſ. 108.

gorium c, id propriè significat, quod ad alterius destructionem, exitium, vel malum admouetur, quodque tribulationem inducit. Ita dicitur de peccatoribus d: *Et gladius in ore ipsorum*: & iterum e: *& lingua eorum gladius actus.* Ita persecutio illata sancto Ioseph, dicitur gladius, aut ferrum: *Ferrum*, inquit Dauid f, *pertransijt animam eius*: & tribulatio Virgini Beatissimæ inflicta in Christi morte, dicitur g, *Gladius pertransiens animam*: idque conformiter ad vim Hebræi sermonis, quo gladicitur *Hereb*, proprièque significat exiccationem, desolationem, vastationem, vt Brixianus h, annotauit. Vnde colligit Beatus Gregorius, gladium diaboli dici eius malitiam, & iram, qua nos vastare, desolare, ac perdere nititur. Quo supposito, elegantissimè dixit Deus: *Qui fecit eum, applicabit gladium ipsius*: vt locutio sit, sumpta metaphora à medicis applicantibus medicamenta, quæ in se sunt contraria, & destructoria naturæ, qualia sunt purgantia, vrentia, exiccantia, mordicantia, quæ in se ita sunt naturæ cõtraria, vt verè dicantur, eius venenum, quale est Dagridium, Scamonea, Coloquintidæ, Caustica: & hæc quidem quæ talia in se sunt, moderata, & contemperata à medico, & applicata in determinata quadam mensura, vim habent medicamentorum, & maximè proficua ipsi naturæ redduntur. Vnde, & medicus eorum malignitate virtur ad salutem hominum promouendam, temperando illorum malitiam, mordicacitatem, noxiam vim, & facultatem: qui solummodo ea applicat, cum ad salutem sunt necessaria, aut ad superfluos noxiosque humores expellendos vel exiccandos: id tamen præcipuè obseruat in eorum applicatione, vt nullatenus vltra vires patientis, applicari permittat. Metitur propterea, & ponderat ea, non tantum secundum libras, aut vncias, sed, & secundum dragmas, & scrupulos, imo, & secundum grana, sciens horum vim contra naturam nostram, quæ nisi temperatissima applicentur, exitium, & mortem certissimè inducent. Ita ergo Deus se habet: est siquidem diaboli malitia iniqua, & mala in se, contrariaque naturæ nostræ, cuius exitium omnibus viribus desiderat, & procurat: temperata tamen à cœlesti medico, nobis redditur proficua, ad superbiam purgandam, torporem excutiendum, exercendas virtutes, acuendas spirituales vires, disponendam animam ad excellentiorem coronam. *Non quasi crudelis suscitabo eum*, inquit Deus ad Iob, agens de dæmone sub specie ceti. Crudelis esset medicus, qui tantum ad torquendum hominem, & comburendum eum, applicaret ei potionem amaram, aut gladium scindentem carnem, aut ferram secantem crura, aut cauterium ardentissimum, similis certè Neroni, qui tantum ad comburendam Romam, ignem iussit applicari. Pius tamen, & benignus est, qui hæc quantumcunque aspera, acria, & mordicantia, applicat ad salutem, & bonam valetudinem. Non ergo Deus dæmonem suscitat, id est, permittit contra nos exurgere, & suscitari, quasi crudelis, sed tanquam pius, benignusque medicos, ad nostram salutem: solummodo cum id nobis vtile expediensque est. Idcirco nullatenus concedit, vt absolutè diaboli malitia nobis applicetur, nec eum finit agere, quantum vult, quin potius malitiæ suæ vires, & facultates contemperat, & nulla ratione nobis applicari ordinat, nisi secundum determinatam mensuram. Mensurata (inquit Chrysostomus) nobis dedit certamina; metitur propterea, & expendit attentissime, qui cordis nostri intima lustrat, vires cuiusque, non tam eas, quas à natura, sed præcipuè quas ab auxilio gratiæ suæ, quiuis habet: nec vllatenus vltra tales vires permittit nobis, diaboli applicari malitiam, aut actionem. Ideoque nullam potest diabolus violentiam inferre: si namque id posset, iam vltra vires nostras esset concessa illi facultas. Hæc quæ dixit Dominus, explicuit Apostolus dicens: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, vltra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, &c.* Quod, & in semetipso Paulus expertus fuerat. Ad exiccandũ siquidẽ humorẽ superbiæ noxiũ, qui suboriri poterat

c *Lib. 34. Mor. ca. 4.*
d *Ps. 58. 8.*
e *Ps. 56. 5.*
f *Ps. 104. 18*
g *Luc. 2. 35*
h *In arca tom. 1. f. 258.*
Iob. 41. 1. ¶ 140.
Ho. 65. in Mt.
1. Cor. 10. 13.

terat ex diuinis reuelationibus, quibus ſe videbat illuſtratum, applicauit Deus, aut applicarit ordinauit, aerem ardentiſſimamque diaboli ſæuientis malitiam, quam tanquam, Recipe (quod dicimus) applicauit cœleſtis
2. Cor. 12. 7. mœdicus. *Ne magnitudo* inquit, *reuelationũ extollat me, datus eſt mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Tanquam medico diceretur
In Pſal. 90 (inquit Auguſtinus) poſito forti epithemate: moleſtum eſt mihi hoc emplaſtrum, rogo te, tolle illud, & medicus: non opus eſt: diu ibi ſit: non enim aliter ſanare poterit: non vltra vires tibi applicatum eſt emplaſtrum, &c. Iuxta hunc ſenſum accepiſſe videtur idem Gregorius illud, quod ſan-
Li. 7. Moral. ca. 16. Iob. 7. 12. ctus Iob dixit; *Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circundediſti me carcere?* Duo ſiquidem ſunt; quorum impetum Deus peculiariter dicitur coercere, quæ, & propterea quaſi carcere incluſit. Primum eſt mare ipſum, in quo omnium aquarum multitudo congregata ſubſiſtit, quod vento, aut tempeſtate agitatum, tanto impetu fertur, vt omnem terram ferè ſubuerteret, ſi Deus eius potentiam, & impetum non coercuiſſet, imponens, & præfigens ei terminum, quem quantumcunque valido agitetur, & impellatur vento, nec latũ vn-
Iob. 38. 11. guẽ tranſire poteſt, cui dixit: *Hucuſq; venies, & non procedes amplius, &c.* Secundum eſt, cetus, quem Deus in mari Oceano tanquam in carcere claudere viſus eſt, per fretum Gadditanum, tanquam per oſtia, & portas; nec ei concedit, vt in mare Mediterraneum ſe transferat: quia eſt cetus, beſtia, aut draco immenſæ magnitudinis, qui potens eſt, vel ſolus, validam procelloſamque tempeſtatem excitare. Sicque ſi mare Mediterraneum ingrederetur poſſet nauiculas, quæ illud nauigãt (quæ minoris ſunt ponderis, & magnitudinis) facilè ſubuertere: eo præſertim, quod cum mare illud paruæ ſit extẽſionis, comparatione ad Oceanum, fere ſempet quæuis nauicula cetum inueniret ſibi occurrentem, & in magnum periculum conijcientem. Ideiro ſecundum diuinam prouidentiam ſtatutum eſt, vt cetus non niſi peculiari Dei licentia, in mare Mediterraneum poſſit ſe infundere, in quo id ſolũmodo agere poteſt, quod ei Deus peculiariter permiſerit; ſicut in facto Ionæ Prophetæ videre licet. Tunc enim peculiari ceto Deus indulſit, vt in mare mediterraneum ſe transferet, vtque Ionam ore exciperet, quem tamen non dentibus lacerat, ſed integrum, degluriret, & in ſtomachum traijceret, ibi illum retineret per triduum, non tamen vt abſumeret, aut diſperderet. Agit itaque cetus ſin mari Oceano, tanquam in loco ſuæ habitationis, quod ſibi licet; ſed in Mediterraneo id tantum, quod Deus ad peculiares fines illi permittit, in quo tanquam ligatus incedit. Eſt quidem dæmon ſimilis mari, in quem omne genus malitiæ influit, vt nihil aliud eſſe videatur, quam totius malitiæ abyſſus, & congeries, vt alibi dictum eſt: cuius propterea profunditas immenſa eſt, quæ vocatur: *Altitudo*, aut profunditas *Satanæ*. Tali autem, tamque valido ſuperbiæ, & inuidiæ agitatur vento hoc mare, vt facile omnem terram, hominem ſcilicet, ſubruere poſſet. Terminus tamen ita à diuina prouidentia eſt ſuæ malitiæ, ac potentiæ præfixus, vt non ei progredi liceat, niſi vſque ad illum, quem Deus ſtatuit. Vide quomodo terminum Deus præfigere viſus eſt huic mari, quando licentiam petenti, vt in Beatum Iob poſſet ſuæ malitiæ vndas extendere (nec enim ſine peculiari facultate id facere poterat) audiuit: *Omnia quæ habet, in manu tua ſunt, tantum ne extendas manum tuam in eum.* Tuncque malitiæ ſuæ vndas ad omnes facultates, & bona Beati viri ita extendit, vt illa omnia abſumpſerit: non tamen, vel leuiter ad illum pertingere potuit. Iterum autem, cum expeteret, vt ſibi poteſtas daretur, qua vlterius progredi poſſet, & vſque ad ipſum Iob fluctus ſuæ actionis iniquæ extendere, audiuit: *Ecce in manu tua eſt; verumtamen animam ipſius ſerua.* Quibus verbis, ad corpus illius

¶ 141. Ionæ 2. Apoc. 2. 24 Iob. 1. 12. Iob. 2. 6.

pertingere conceſſum eſt, non tamen ad vitam vaſtandam, vel animam contingendam: quæ de cauſa credit Beatus Auguſtinus, dictum fuiſſe ab ipſo met S. Iob: *Terra tradita eſt in manus impij*. Impij ſiquidem nomine diabolum intelligit, qui tantum habuit poteſtatem in id, quod Deus illi conceſſit. Solum autem conceſſit tangere terram, ideſt, bona temporalia, & carnem, non verò animam, aut vitam auferre. Eſt itidem dæmon in Scriptura typo ceti expreſſus, cuius propterea locus proprius eſt infernus, quod mari Oceano figuratur, in quo amplam habet facultatem agendi in damnatos, quos diuina iuſtitia illi torquendos tradit. Nequaquam tamen pro ſua libertate permittitur mundum ingredi, vel in eo ad voluntatem agere, in quo tanquam in mari Mediterraneo homines nauigant: ideoque magni dæmones, qui in inferno tenentur incluſi, non inde egredi, pro voluntate poſſunt, niſi cum peculiaris Dei licentia intercedit, & in mundo poſiti, vt Beatus Gregorius annotat, compreſſi tenentur, ne in homines quantum volunt, agere poſſint, ſed quantum Deus ſuæ prouidentiæ peculiari ordine permittit, non ad hominum perditionem, ſed potius ad eorum probationem, & gloriam. His addere poſſumus, quod idem ipſe ſanctus Iob annotauit, agens de diuinæ ſapientiæ gubernatione, & prouidentia. *Qui fecit ventis pondus*; Septuaginta, *libramentum*. Nihil magis ſine menſura procedere videtur, quam ventus, qui non ſolum naues maris, ſed, & arbores, imo, & turres in terra fundatas, ita impetit, vt appareat, quod nullius manu vllatenus comprimatur. Ita agere viſi ſunt quatuor venti in mari magno: ita, & motum illius indicauit Chriſtus Dominus, dicens: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat*. Certum eſt tamen, ventos ita librari a Deo, vt nec minimo flatu, vel leui ante fluant, niſi iuxta peculiarem menſuram, quam ab eo accipiunt: qua de cauſa dicitur, quod *ſpiritus procellarum faciunt verbum eius*: quod non tam de vento iſto corporali, quam de dæmone accipiendum credo, qui frequentiſſimè ventorum, ac procellarum, & turbinum typo deſcribitur, vt anno at Auguſtinus *a*, explicans ventos impingentes, in *b*, Domum bene, aut male fundatam, & Gregorius *c* expendens ventum *d*, turbinis venientem ab Aquilone, & Cyrillus *e*. Hic ventus, aut turbo, non ſecundum omnium virium ſuarum potentiam agit, quin potius comprimitur à Deo, qui nullatenus eum permittit agere, niſi in numero, pondere, & menſura: id enim ſignificat: *Qui fecit ventis libramentum*: ita namque ille, qui vires noſtras agnouit, qui cognouit figmentum noſtrum, & recordatur, quoniam puluis ſumus, vires huius turbinis, aut venti comprimit, vt non niſi iuxta earumdem virium noſtrarum menſuram agere poſſit; cum enim ille ventus ſit, & turbo vehementiſſimè perflans, & homo puluis ſiccus, & cinis aridus, ſi dimitteretur agere totum, quod poteſt, de homine omninò actum eſſet. Hæc omnia explicantur ex eo, quod is, qui in Chriſti perſona apparuit Beato Ioanni, inducit ſe habentem claues in manu, dicentem: *Ego habeo claues mortis, & inferni*. Quod Primaſius dictum credit, ad indicandum, Chriſtum tenere dæmonem incluſum, cui nullatenus conceditur egredi ad tentandum, aut agendum aliquid, niſi ſecundum, quod Chriſtus illi concedere voluerit, qui in manu ſua claues habet, qui iuxta ſuæ ſapientiæ diſpoſitionem oſtium aperit, aut claudit, concedendo dæmoni tentare, aut comprimendo illum. Et certè mortis nomine, dæmonem intelligi, patet ex eodem Ioanne, qui eum deſcripſit ſub typo equitis cuiuſdam: *Et nomen*, inquit, *illi mors*. Chriſtus itaque habet dæmonem, & infernum, id eſt, omnem poteſtatem Luciferi, & Principum eius, quaſi ſub claue, quam tenet in manu, qui nihil penitus agere poſſunt, niſi quod agere permiſerit. Nullam ergo nobis diabolus poteſt violentiam inferre, aut in malum deijcere: tantum hortari poteſt, vt nos ipſos deorſum mittamus. Vnde egregiè Pau-

Epiſt. 120. ad Honor. cap. 6.

Iob. 9. 24.

¶ 142.

Iob. 28. 25.

Dan 7.

Ioan. 3. 8.

Pſal. 148.

a Lib. 1. de Ser. Domi. in monte.

b Mat. 7. 24.

c L. 2. Moral. ca. 28. & li. 11. c. 24. & lib. 17. c. 5. & Hom. 2. in Ezec.

d Ezec. 1. 4

e Lib. 1. in Ioan. c. 22.

Apoc. 11. 8

Apoc. 6. 8.

lus; *Nolite locum dare diabolo* Locus inquit Diuus Thomas) datur diabolo, per conſenſum voluntatis, ideoque nullum locum in nobis ille habet, niſi quem libero noſtrę voluntatis conſenſu ei conceſſerimus. Ex quibus patet, quam dignus ſit reprehenſione, & pœna, qui à diabolo ſuperatur, cuius tam compreſſæ, imo, & eneruatæ ſunt vires. Si eſſet aliquis Caſtellanus in arce vel fortalitio conſtitutus à Rege, tanta fortitudine ab eodem munitus, vt aduerſarius nullo modo ingredi poſſet, niſi liberè locum ingrediendi ipſe concedat: ſi præterea inimicum ita Rex teneret ligatum, vt contra Caſtellanum non poſſet mouere manum, aut pedem, ſed tantummodo linguam, diceremus ſine dubio, talem Caſtellanum nihil amplius ad ſui ſecuritatem poſſe deſiderare, & quod Rex illum in tuto repoſuit, & quod vere crimen læſæ maieſtatis, ac proditionis admitteret, ſi inimico concederet ingreſſum quippe qui non coactus, ſed ſponte nus eidem ſe ſubijceret. Certe diabolus, nullatenus noſtræ animæ arcem, id eſt, ſuperiorem partem, poteſt occupare, niſi homo, liberæ ſuæ voluntatis conſenſu, ingrediendi locum ei concedat: & præterea, ita tenetur à Deo compreſſus, & ligatus, vt nullam poſſit volentiam inferre, ſed ſolummodo linguam mouere, dicens: *Mitte te deorſum.* Veriſſimè ergo intelligere poſſumus, Deum quantum eſt ex ſe, hominem in tuto repoſuiſſe, iuſteq; tanquam proditionis reum poſſe damnare, & punire illum, qui locum diabolo concedit, ad occupandam arcem.

(∴)

Ad Epheſ. 4. 27.

In ca. 4. ad Epheſ.

§. 42. *Tantum conceditur dæmoni agere verbis, ad deprecandum compoſitis, ex quo Deus probat, ſe non eſſe crudelem, illum nobis ſuſcitans impugnatorem.*

¶ 143. PRæcipua ratio, quam ſanctus Iob inducebat, ſuas pias quærelas Deo proponens, in eo fita erat, quod Deus illi impoſuerat congredi cum hoſte, tam valido, potenti, ac ſæuo, qualis eſt diabolus. Si namque ille iuſſiſſet, vt cum alio ſuæ naturæ homine decertaret, rationabile illud videretur; ſed quod bellum ageret cum eo, qui manifeſtè ſicut natura, ita viribus longe eſt ſuperior; durum aſperumque iudicabat. Deus tamen eidem reſpondens, in hoc totus eſt poſitus, vt oſtendat, nequaquam ſe illi rem duram, impoſſibilemve impoſuiſſe, quippe cum facilè ſit inimicum reuincere, qui quantumcunque in ſe potens ſit, & validus, quia tamen ligatus eſt, exiguis viribus præſtat, vt non ſit difficile illum reuincere. Hocque (vt ſæpe diximus) explicat, agens de dæmone ſub typo ceti, cuius vires fortes, validaſq; ac quaſi inſuperabiles, miris coloribus explicaturus, ne homo audiens nimio terrore corriperetur, ſupponit prius, ſe eum tenere hamo captum, funeligatum, ita vt etiam, qui exiguis viribus præſtant, quos ancillas vocat, poſſint ei illudere. Ex quo ſtatim infert quædam verba, quæ varijſque ſenſibus autores explicant, quæq; non inepte ad noſtrum inſtitutum poſſumus accipere, *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum.* In Hebræo vox, *Achzar*, quæ tantum ter aut quater in Scriptura inuenitur, ſignificans crudelitatem, & ſæuitiam, qua quis vtitur, dum eum, quem protegere tenetur, reliquit ſæuis inimicis aut crudelibus beſtijs deuorandum. Ita Ieremias: *Filia populi mei crudelis quaſi Struthio in deſerto.* Dicitur quidem Struthio crudelis, quia relinquit oua ſua, pedibus tranſeuntium conculcanda. Qua-

Iob. 41. 1. אכזר

Thren. 4. 3.

eadem voce vsus fuerat Iob, suas ad Deum instruens querimonias: *Mutatus est mihi in crudelem, & in duritia manus tua aduersaris mihi.* Crudelis vocaretur pater, qui filium leonibus obijceret, quem dentibus, & vnguibus lacerarent. Videbatur ergo beato Iob, agenti secundum partis inferioris discursum, quod Deus crudelem erga seipsum se exhibuerat, quem obiecerat dæmonum furori, cuius non solum bona exteriora, sed, & carnem innumeris lacerarent plagis, morsibusque, adeo vt in vnoquoque verme (vt dixit Origenes) vnum dæmonem, carnem suam deuorantem, conspiceret. Deus propterea eadem vsus voce: *Non*, inquit, *quasi crudelis suscitabo eum.* Suscitare in Hebræo est, *Ghur*, verbum militare, quod significat aliquem excitare, vt contra alium agat vt cum dicitur: *Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum*: &, *Framea suscitare super pastorem meum*. Deus propterea fatetur, se dæmonem excitasse contra Iob, quia quando ille totius orbis dominium præseferre videbatur, Deus in medium protulit beatum illum virum, dicens: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, &c.* quasi illum eidem opponens, in quem malitiæ, ac fraudis suæ tela conuerteret. Hæc quidem, & similia agit Deus, exponens sanctos suos potentis inimici ictibus impetendos: sed nullatenus propterea crudelis debet iudicari, quippe cum ita comprimat, & eneruet huius validi hostis vires, vt nullam possit violentiam inferre, cui tantum concedit, verbis, suasionibus, & hortationibus nos impugnare. Hocque statim exprimit subdens: *Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.* Græci legunt: *Non tacebo*, Pagninus, *Non silebo.* Etenim habetur in Hebræo verbum, *Hehheris*, quod apud Brixianum significat silere, tacere, dissimulare, & ex consequenti permittere: qui enim tacet, & dissimulat, consentire, aut saltem permittere videtur. Ita de Saule: *Ille dissimulabat, se audire*, & Habacuc: *Quare taces?* id est permittis, *conculcante impio iustiorem se? & mulier si voverit, quæ est in domo patris, & pater tacuerit*: id est, consenserit aut permiserit, *voti rea erit.* Vult ergo dicere Deus: Non ego permittam agere huic inimico, quidquid voluerit. non eum sinam, vt ad sui libitum manus moueat, sed hoc tantum, vt agere possit, *verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.* In Hebræo vox, *Bad*, aut, *Baddim*, quæ vectes significat: ideo Pagnus: *Vectes eius, & verbum fortitudinum*, quia vectis in Scriptura, symbolum est fortitudinis, & firmitatis, quia tota firmitas, roburque portarum, aut domus, vel ciuitatis, in vectium, & serarum fortitudine sita est. Ideo dicitur Deus, supernam Ierusalem firmissimam extruxisse: *Quoniam confortauit serat portarum eius: & frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium.* Vult ergo dicere: Tota dæmonis potentia, & fortitudo, qua eum agere permitto, sita est in verbis, compositis quidem, & ornatis, & aptis ad deprecandum. In Hebræo vox, *Garach*, de qua Brixianus, quæ significat componere, aut ornare aliquid, ita quod per illud aliquis decipiatur, vel alliciatur, aut prouocetur. Ita Scriptura vtitur, cum Rahab. composuit stipulas super exploratores, quos *operuit stipula lini, quæ ibi erat*: id est, ita composuit super eos stipulam lini, vt deciperentur quærentes illos, *Sedifti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est apud te*: id est, composita extructa ad gustum prouocandum, & succendendum. Tota ergo dæmonis vis, quam Deus illi permittit, sita est in verbis compositis, ornatis, fucatis, aut (vt R. Dauid, & Complutenses transferunt) mendacijs, id est, verbis fallacibus, deceptorijsque, quia nihil aliud ille agere potest, nisi ornatis, & compositis verbis, aptisque ad decipiendum locutionibus, & excitare, & inducere. Hoc sine dubio ille eleganter agit: mirum est enim, quomodo rationes componat, quo pacto res fœdissimas repræsentet pulcherrimas; & fulgentissimas illas, quæ obscurissimæ sunt; ac proficuas eas, quæ extremam inducunt perditionem. Quibus concinit, quod alibi dictum est ex Dauide:

Iob. 30. 11. *Esa. 10. 26.* *Zac. 13. 7.* *Iob. 1. 8.* *Iob. 43. 3.* *Vo. 1 f. 146.* *1. Re. 13. 28* *Habac. 1. 13* *Num. 10. 4.* *¶ 144.* *Psal. 147.* *Prou. 16. 19* *In arca. tit. 2 fol. 64.* *Iosu. 1. 6.* *Ezec. 23. 41*

Psal 39.13 nide: *Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*, & illud quod exposuimus: *Ossa eius, sicut fistula erit.* Sed verè parua quidem ac exilis valde illius esset vis, qui te in altissima specula existentem, non posset vel digiti contactu attingere, aut ad præcipitium impellere, sed tantum verbis prouocare, vt tumet teipsum dejceres, demitteres, ac præcipitem dares. Tantum itaque potest diabolus verbis compositis, & ornatis ad præcipitium inducere, sicut, & nunc Christum prouocat, componens verba, & ex Scripturis diuinis ea ornans, supponens Scripturę veritatem, diuinarum promissionum infallibilitatem, Dei erga iustos patrocinium, præsentissimam Angelorum custodiam, & assistentiam, vt non sit facile omnibus, eius capere mentē, & idcircò subdit ibidem Deus, esse valdè difficile reuelare, & explicare, quid ille verborum suorum ornatu prætendat, de quo alibi dicendum erit. Hoc nunc certum sit, quod, & Christus vult nobis manifestum facere, tam exiles esse vires dęmonis contra nos, vt solummodo possit mētem verbis compositis pulsare, & ad malum rationibus *Serm. 197. de temp.* fucatis inducere. Quod, & Beatus Augustinus egregiè prosecutus est, qui multa ad hoc institutum inducens, latrare, inquit, ille potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; quia non cogendo, sed suadendo nocet, non extorquet à nobis consensum, sed petit. Canis qui ita ligatus tenetur, vt tantum modo possit latrare, nulla autem ratione mordere, nisi volentes, non est timendus, quantumcunque in se magnas prę se ferat vires.

§. 43. *Nemo lædítur nisi à seipso, & cum homo peccat, non tam in diabolum, quam in se culpam referat, vt dixit Sapiens, & exposuit Antonius.*

¶ 145. *Hom. Quod nemo lædit &c. tom. 5.*

HÆc egregiè expendit Chrysostomus, in illa celebri Homilia. Quod nemo lædítur, nisi à seipso, quā propositionem, cum concionaturus, tāquam thema, & fundamentum futuræ concionis statuisset: Scio, inquit, quod crassioribus quibusque, & præsentis vitæ illecebris inhiantibus, atque ijs, qui per omnia terrę adhęrent, & voluptati, propriæque libidini deseruiunt, nec spiritualem sensum capere quærunt, nouus videatur hic sermo noster, ac mirus, & deridebunt nos fortasse, quod in ipsa statim tituli fronte, inepta satis, & quæ nulli videātur verosimilia, proponamus, lædítur enim homo inuitus à latronibus, prędonibus, homicidis, persecutoribus, calūniatoribus, &c. Quod tamen intenderat Chrysostomus egregiè demōstrat: quia læsio vera non est, nisi quę per peccatū fit, per quod homo amittit bonum virtutis, & animę, quod tantū verè bonū hominis dicendū est. Certè nullatenus vitem lędit, qui latos pāpinos, & diffusos palmites folijs spoliat, imò, & amputat, si inde verius illa disponitur, vt ei densior fructus sit, & vuæ fęcundior, solummodo autem lędítur vitis, cū aliquid patitur, per quod interna eius virtus ablumitur, aut minuitur, ad producendos fructus. Similiter (inquit Chrysostomus) de oliua, & alijs huiusmodi arboribus contēplamur. Ita de hominibus dicendum est, quos verè ac propriè non lædit nisi peccatum, per quod amittunt bonum virtutis, rationis, & animę, quod verè, & propriè hominis bonum dicitur. Hinc illa celebris sententia: *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* *Pro. 12.21* Accidens est apud Philosophos, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem: pro-

propterea illa propriè dicuntur iusti accidentia, aut accidere iusto, quæ subiectum iusti non corrumpunt, illa scilicet, quæ non destruunt iustitiam, gratiam, virtutem, per quæ iustus in ratione iusti constituitur. Hæc ergo non contristant iustum, quippe quæ nullam ei læsionem inferunt, quin potius, *Rom. 8.28.* vt dixit Apostolus, eis *cooperantur in bonum*. Vnde nec tyranni vllatenus Sanctos Martyres lædere potuerunt, quibus (vt dixit Augustinus) magis profuerunt odio, quam prodesse possent obsequio: nullumque damnum intulerunt ijs, quibus tantò maior fiebat diuinorum bonorum accessio, quàtò eos maioribus prosequebantur tormentis. Nec diabolus (inquit Chrysostomus) vllatenus læsit sanctum Iob, qui clarior, illustrior, & excellentioribus donis cuasit ornatus. Neque crudelis Nero læsit Petrum, quem crucifixit, nec Paulum, quem decollauit, nec Herodes Ascalonita verum malum intulit innocentibus, quos interemit, neque eius filius Herodes Antipas Ioâni, cuius caput abscidit, nec illius nepos Herodes Agrippa Iacobo, quem occidit gladio, &c. quibus omnibus, potius per hæc, quæ videbantur mala, ad verba bona patuit ingressus. Sed dices, inquit Chrysostomus: Quid ergo? Qui calumnijs circumuentus proscribitur, & amittit vniuersam substantiam, non est læsus, cum paternis nudatus bonis vltima egestate cruciatur? Non. Imò verò non solum læsus non est, sed, & lucri aliquid capiet, si vigilauerit. Quid enim, dic mihi, Apostolos Christi, penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame, & siti, & nuditate degebant: & pro his, clari magis, & magnifici habebantur, atque ingentem per hæc fiduciam quæsierunt apud Deum? Quid autem, & Lazarum? Nonne ægritudo, & vlcera, & egestas vltima, ad beatitudinem perduxit, & afflictio huius ¶ *Ibid.* mundi, coronas ei in æternum parauit? Quid verò Ioseph? Nonne quod opprobrijs domi, & peregrè, repletus est eo vsque, vt adulter putaretur, & quod seruituti subiectus, & parentibus, & domo extorris effectus? sed quid de exilijs, & paupertate, & opprobrijs illatis loquor. Mors ipsa, dic mihi, quid nocuit iustissimo illo Abel, & mors amara, & acerba mors parricidio illata, non homicidio. Nonne ob hoc in omni orbe terrarum canitur, & celebratur Abel. Progreditur vlterius Chrysostomus demonstrans, quod nõ læsi sunt iusti ab impijs, sed potius impij seipsos lædebant, dum lædere iustos contendebant. Id probat in fratribus Ioseph, & in ipsomet Cain. Quid enim (inquit) dic mihi, infelicius erat, quam Cain, quia mors illa, quæ manibus eius fratri illata est, illum quidem iustum reddidit per secula, ipsum vero, qui intulit, haberi fecit per secula fratricidã. Quid etiam Herodiade miserius, quæ caput Ioannis exhiberi sibi desiderauit in disco, vt suum caput perpetuis gehennæ ignibus, flammisq; demergeret? Quid etiam ipso diabolo deterius, qui nequitia sua ita clarum reddidit Iob, vt quanto illi gloria, tanto huic cresceret pœna, &c. Hæc, & alia eloquentissimè prosequitur Chrysostomus, probans, hominem verè ac propriè non lædi, nisi vbi peccatum admittit. Ad peccatum autem nullus potest eum cogere, aut efficaciter trahere, nisi ipsemet libero suæ voluntatis consensu feratur in illud. Tam nobilem namque nobis Deus concessit naturam, vt nullus possit ei inferre violentiam. Propter hanc excellentem illius libertatem (vt ex Beato Damasceno *a*, annotauit Diuus Thomas *b*) dicitur homo conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, quia actuum suæ voluntatis plenum habet dominium, & libertatem, & constitutus, ac *relictus est in manu consilij sui*. Vnde nec astra, aut verò omnia corpora cœlestia, vel eorum omnes influxus, nec Angelus, aut verò omnes Angeli simul, imò nec omnes creaturæ, à Deo productæ, vel quas producere potest, possunt vnius hominis liberam voluntatem efficaciter interius ex parte voluntatis ipsius mouere. Hoc enim solius Dei proprium est, qui eiusdem voluntatis est conditor, de quo Apostolus: *Ipse est, qui operatur in nobis, velle & perficere, pro bona voluntate sua*, & alibi: *Cor Regis in manu Domini, & quocunque voluerit vertet illud*. Cætera omnia,

a *Lib. 2. de Fide Ort. cap. 12.*
b *In. Prol. 1 2.*
Eccl. 15. 14.
ad Phil. 2. 13.
Prou. 21. 1.

omnia, tantum poſſunt mouere exterius, ex parte ſcilicet obiecti, repræſentando illud, & quaſi ſuadendo, vt voluntas in illud prorumpat, & ſe demittat, vt ex profeſſo oſtendit Diuus Thomas. Vnde niſi homo ipſe liberè ſuadenti cõſentiens, ſeipſum in peccatum præcipitem det, non poteſt diabolus, imò nec omnes dæmones, illum præcipitem dare. Si ergo homo læditur, à ſeipſo læditur. Ex ijs explicat Diuus Auguſtinus, cur homo cum peccat, dicatur in Scriptura ſacra, quod ſeipſum vendit dæmoni, & quod illius ſeruus, & captiuus effi itur, ſicut namque hominem, qui natura liber eſt, non poteſt aliquis iure vendere extraneo, quãtumcunque magnum offerat pretium, niſi homo ipſe ſeipſum vendat, aut ſuę venditioni conſentiat, ita non poteſt homo, ab aliqua creatura, imò nec ab omnibus creaturis ſimul violenter impelli, vt ſeipſum tradat dæmoni, offerenti delectationem, aut temporale bonum, niſi ipſemet ſeipſum liberè tradat. Et ita explicat Beatus Auguſtinus illud: *Scimus enim, quia lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis, venundatus ſub peccato.* Ecce (inquit Auguſtinus) vnde facti ſumus captiui, quia venundati ſumus ſub peccato. Quis nos vendidit? Nos ipſi, qui conſenſimus ſeductori. Quod, & Dominus ex profeſſo demonſtrare viſus eſt. *Quis* (inquit) *creditor eſt meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis.* Quæ verba expendens Origenes: Diaboli, inquit, ſerui fiunt peccatores, & vide, qua pecunia eos emat, homicidio, adulterio, furto, ſimilibuſque, hæc namque eſt diaboli pecunia. Feciſti adulterium. Diaboli pecuniam ſuſcepiſti, nam in eo eſt diaboli imago, & ſuperſcriptio, &c. quæ, & ſimiliter annotauit Ambroſius. Imò, & forte hęc Prophetę verba legerat Plato, ſicut, & alia multa, qui vt recęs quidam author refert, expreſsè dicit, quoties peccat quis, ſe tradere obligatum catena domino peſſimo, vt vilißimum mancipium, quod immaniſſimum eſt facinus, multo immanius (inquit) quam ſi filium, aut filiam, in mancipium dares hoſti ſæuiſſimo, & peſſimo, corruptus auro, aut argento, aut fœda aliqua voluptate, & tradit, qui peccat, miſeram animam, velut catenis reuinctam peſſimo, & ſæuiſſimo domino, &c. Hoc ergo certum firmiſſimumque manet, diabolum tantum poſſe ſolicitare, aut inducere hominis voluntatem ex parte obiecti. Ex quo, & illud, quod contendebamus, manifeſtum manet, exiguas eſſe diaboli vires contra nos, ſicut, & exilis eſſet eius poteſtas, qui te in alta turri exiſtentem, nec contingere manibus poſſet, ſed tantum verbis ſuadere, vt te ex alto præcipitem dares. Ex qua doctrina ſequitur, ineptè homines peccatores, quærentes, ſicuti primi parentes, excuſationes in peccatis, peccati ſui culpam omnem in dæmonem reijcere, quaſi ille eos fecerit peccare, quorum communis vox eſt: *Serpens decepit me*: quapropter innumeris maledictis diabolum inſequuntur. Sed audiant hi diuinam vocem: *Dum maledicit impius diabolo, maledicit ipſe animam ſuam*. Quibus verbis, vt annotat Diuus Thomas, eos vere reprehẽdit Spiritus ſanctus, qui in diabolum peccati ſui cauſam reijciunt. Si namque diabolo propterea maledicit, quia peccati ſui fuit cauſa, ſibi magis maledicere propterea videtur, qui magis talis peccati cauſa fuit. Ad quod inſtitutum ea facit hiſtoria, quam ſcribit Beatus Athanaſius, inducens Antonium exhortantem filios ſuos, ne diabolum timerent, & rem quandam referentem, quam veram eſſe (inquit) nullus ambigat audientium. Pulſauit aliquando dæmon, Monaſterij oſtium, egrediens, video hominem enormi ſublimitate porrectũ caput vſque ad cœlum. Cum ab hoc, quiſnam eſſet, inquirerem, ait: Ego ſum Satanas. Et ego: Quid inquam, hic quæris? Reſpondit: Cur mihi iniuſtra imputant Monachi, cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicunt? Et ego: Iuſtè faciunt, tuis namque frequenter moleſtantur inſidijs. At ille ait: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe inuicem turbant: nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo, nonne legiſti; *Quia defecerunt inimici framea in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti.* En nullum iam habeo locum, nullam poſſideo ciuitatem, iam mihi nulla ſunt arma: ipſi ſe quæſo tueantur,

1.2.q.9.& 3.contr. Gen.c.88. vſq.92.

In Pſ.125.

Rom.7.14.

Iſa.50.1.

Hom.16.in t.15.Exod.

Li.de Tob. cap.8.

Lib.9. de Repub.

Leo Caſtr. in c.50. Iſ. ¶ 147.

Gene.3.13

Eccl.21.30 2.2.q.76. art.1.ad 3.

In vita ipſius pag. 644.

Pſal.9.7.

antur, & me ſine cauſa non lacerent, &c. Commune eſt omnibus peccatoribus (inquit Auguſtinus) vt ſe excuſent, quærere quem accuſent, qui non valdè impius eſt (nam magni peccatores adeò deſipiunt, quod in Deũ ipſum peccata ſua reijciunt) ad manum Satanam habet, quem accuſet Satanas (inquit) fecit, ipſe mihi perſuaſit: quaſi Satanas habeat virtutem cogendi. Aſtutiam loquendi habet: ſed ſi. Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes vnde te excuſares. Modò aures tuę poſitę ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem: quare huc flectuntur, hinc auertuntur. Non ceſſat Satanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit inuitum, in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire. Ita Diuus Auguſtinus. Ex his Beatus Chryſoſtomus, noſtram iniquitatem eloquentiſſimè accuſat, qui diabolum auſcultamus loquentem, & inducentem ad præcipitium noſtrum, Deum autem proponentem, quę vtilia nobis ſunt, nequaquam audire volumus, & nihilominus ſemper in diabolum peccati noſtri culpam reijcimus. Firmus ergo ſta, & dic cum Habacuc: *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem.* Nec enim te deijciet inimicus, ſi tumet teipſum non deijcias. Et cum in peccatum lapſus fueris, in teipſum reducito peccatum ipſum, & dicito cum Propheta: *Iniquitatem meam ego cognoſco*, id eſt, agnoſco meam eſſe iniquitatem, & culpam, quam niſi voluiſſem deliberare, nõ commiſiſſem, & vt ait Auguſtinus, ſi aliquid perſuadente Satana mali feceris, dimitte Satanam, & accuſa te, vt accuſatione tua miſericordiam merearis: benè enim dixit Dauid: *Bonum eſt confiteri Domino*, in peccato tuo, quia tu feciſti. Inimicus namque efficere non poteſt præcipitium, ſed rogans, & petens dicere: Mitte te deorſum.

In Pſal. 91.

Hom. 29. ad pop.

Habac. 2. 1

Pſal. 50. 5.

Loc. citat.

Pſal. 91. 2.

§. 44. *Stulte diabolus tentat, Angelorum inducens cuſtodiam, quæ tanta eſt, vt contra tria genera dæmonum impugnantium, tria genera Angelorum cuſtodientium indicarint Sapiens, & Zacharias.*

¶ 148. *Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis Deus, &c.* Beatus Hieronymus in librum Eccleſiaſtes, & refert, & ſequitur expoſitionem Origenis, & Victorini, qui intelligunt eo in loco, Dęmonẽ vocari, *Regem ſenem, & ſtultum, qui neſcit prouidere in futurum*, ad effectus conſequendos, quos intendit. Et quidem diabolus appellatur Rex, qui huius mundi Principatum tyrannicè occupauerat, quem propterea Chriſtus vocat: *Principem mundi huius.* Senex autẽ eſt, quia ab initio mundi fuit à Deo productus, cui verè dici poteſt: *Inueterate dierum malorum.* Stultus, in Hebręo, *Cheſil*, quę vox ſignificat fatuum, ſtultum, inſipientem, inſcium, eum qui imprudentiſſimè agit in ordine ad finem, quem intendit. Quod Epitheton egregiè diabolo conuenit: cum namque ſummo affectu cupiat, vt ſuis tentationibus ſuccumbamus, ita eas proponit, quod potius nos inſtruit ad firmiter reſiſtendũ. Quando dux aliquis intendit victoriã, ſi prudenter agit, conatur in primis magnam virium ſuarum coram inimico oſtentare potentiam, & ſi vires deficiant, aut minuãtur, curat, ne id notum fiat inimico. Deinde nititur perſuadere eidem, exiguas eſſe illius vires ad reſiſtẽdum potẽtię ſuæ, & quod nullus eſt, qui poſſit ipſi adiumentum præſtare. Ita Rabaſces ille, dux Regis Aſſyriorum, cum obſeſſam haberet ciuitatem Ieruſalem, tempore Regis Ezechiæ, vociferabatur ad eum, repræſentãs ex vna, ſuam inuincibilem inſuperabilemque potentiam, qua innumeros Reges ſuperauerat: *An ignoratis, quæ ego fecerim, & patres mei, cunctis*

In cap. 4. Eccl. tom. 5

Eccl. 4. 13.

Ioã. 14. 30.

Dan. 13. 52.

סכל

4. *Reg.* 18. & 2. *Par.* 22. & *Iſai.* 36.

cunctis terrarum populis? Nunquid prævaluerunt Dij gentium, omniumque terrarum, liberare regionem ſuam de manu mea? Ex altera ſimiliter, ipſius Ezechiæ imbecillitatem repræſentabat, cui nullus poſſet opem ferre; *An ſperas in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, &c.* Stultiſſimus autem dux ille eſſet, qui deſcendens in arenam cum inimico, primò ei exprimeret, ſe vires adeò exiguas habere, quod nihil poſſet agere contra eum, qui ſibi reſiſtit, & quod tantum poteſt voce ſuaui reſonare, aut pulſare cythara, deinde eidem reuocaret in mentem, quod haberet plurimos, & validiſſimos milites ad ſui præſidium deſtinatos. Hæc agit diabolus, ideoque ſeipſum ſtultiſſimum comprobat, qui bellum committens, primò manifeſtat vires ſuas adeò eneruatas, & exiles, quod nullam poteſt violentiâ inferre, aut leuiter voluntatem internè mouere, aut attingere, ſed tantum ei obiectum proponere, & voce ac ſuaſione tantummodo perſonare, vt dictũ eſt. Deinde ipſemet profitetur, nos in numeros habere fautores, & patronos excellentes, Angelos ſcilicet, quorum cuſtodia munimur, & ipſemet tam imprudens eſt, quod hoc reducit in mentem, referens Scripturam ſacram, qua Deus viro iuſto repromiſit, quod dixit Dauid: *Angelis ſuis Deus mãdauit de te, &c.* Merito Beatus Petrus Chryſologus eum irridet, dicens: Miſer, cupis tentare, ſed neſcis, quem ſimiliter ſubſannat, quod ſuiſmet cõſilijs, ſe ipſum prodat, & eneruet. Nota eſt diuinæ prouidentiæ cura, quam expoſuit Sapiens, quod Deus vnicuique malo oppoſuit peculiare bonum, quod illi reſiſteret, ne omninò præualere poſſet: *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita, & ſic contra virum iuſtum peccator, & ſic intuere omnia opera Altiſſimi, duo, cõtra duo, & vnum contra vnum.* Quod egregiè annotauit Auguſtinus, vt alibi profecuti ſumus. Et quidem *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illũ in manu conſilij ſui: appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manũ tuam. Ante hominem vita, & mors, bonũ & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Homine autem ſic cõſtituto, ſtatim ad illum perdendum conſtituit ſe diabolus, qui in Scriptura ſacra ſæpè abſolutè *malus* dicitur, non vnus tantummodo, ſed quamplurimi. Primò namque ſtatuitur ad vniuſcuiuſque hominis perditionem peculiaris dæmon, cuius præcipua cura iugiter poſita eſt, vt illum perdat, ideoque perpetuò ad malum inducere conatur. Ita Diuus Thomas *a*, docueratque Abbas Serenus *b*, inducens librum Paſtoris, & varia Scripturæ ſacræ loca, & docuit ex profeſſo Beatus Gregorius Nyſſenus *c*, aſſerens, id certum eſſe ſecundum traditionem. Hunc que vocat naturæ noſtræ corruptorem, in omnibus contra annitentem, ad male viuendum impellentem hominem. Ita, & Origenes *d*, & Chryſoſtomus *e*, alijque, quos referunt Theologi *f*. Imò, & hoc aliqua ratione Gentilibus fuit notum. De Bruto enim ſcribit Plutarchus, quod cum noctu legeret ad lucernam, conſpexit quendam, cui dixit: Tu quis es? Cui ille reſpondit: Tuus malus Genius: in Philippis me videbis. Hæc deputatio fit à ſupremo Cacodæmone, tanquam à capite omnium malorum Angelorum, Deo id peculiariter permittente, vt ſaniores Theologi fatentur. Deinde præter hunc particularem dæmonẽ, deputantur ſinguli, perſonis publicis, vt Principibus, & Prælatis, ſingulares alij dæmones, qui omni diligentia procurent, eos inducere ad male exequendum officia ſua, quo ſibi alijſque perditionem afferant. Et iſti eò fortiores ac altiores ſunt, quo perſona, ad quam impugnãdam ſtatuũtur, maiori fulget dignitate. Ita Diuus Thomas. Et talem credo fuiſſe dæmonem, qui Beatus Iob impugnandum ſuſcepit, quamuis Abbas Serenus cẽſeat, fuiſſe dæmonem ſingularem, qui à natiuitate ſuæ impugnationi fuerit deſignatus. Talem inſuper credo fuiſſe illũ, qui Ieſum filium Ioſedech Sacerdotem magnum aſſumpſit impugnandum, qui poſtea ſtetit à dextris eius, vt ipſi aduerſaretur, vt ſupra dictum fuit. Tertiò ſtatuuntur etiam, præter hos, quos diximus, ſinguli dæmones, cõtra ſingulas Prouincias maiores, aut minores, iuxta Prouinciarũ qualitatem, vt docuit Beatus Hieronymus, quem refert Diuus

¶ 149.

a *In 2. diſt. 11. q. vnica art. 5.*

b *Apud Caſſian. coll. 8. c. 17*

c *Li. de vita Moyſis, col. 125.*

d *Hom. 10. in Lucam.*

e *Hom. 5. in imperf.*

f *Bãnes, & Zumel p. p. q. 113. art. 2. ad 3.*

Serm. 11.

Eccl. 33. 15

11. de ciui. cap. 18.

Eccl. 15. 14

2. *diſt. 11.*

Zach. 3. v.

In cap. 10. Danielis.

Tho-

Thomas. Tandem his singularibus dæmonibus, alij adiunguntur, missi à supremo Cacodæmone, quos ipsi in suum auxilium aduocant, iuxta diuersarum occasionum exigentiam, adeò vt sæpenumero multæ dæmonum legiones cõueniant, ad vnius hominis perditionẽ procurandam. Quod, & Christus Dominus indicauit, dicens: aliquando dæmonem vnum assumere secum septem spiritus (id est, multos, iuxta Scripturæ phrasim) nequiores se, vt ingrediatur animam alicuius. Hæc mala sunt ad hominis perniciem ordinata. Deus propterea sua paterna prouidentia, non passus fuit quicquam deesse, sed statuit contra malum bonum, vnum contra vnum, duo contra duo. Quoniam enim est vnus Angelus malus, cuique à natiuitate deputatus, qui inducat eum ad malum, deputauit ipse Angelum bonum cuique, qui ad bonum excitet. Ita Diuus Thomas, & cum eo Theologi latè probant: qui referunt Sanctos Patres id asserentes, quorum multi, de huiusmodi Angelis intelligunt multa, quæ in Scriptura habentur: vt illud Iacob: *Angelus qui eripuit me, & deduxit me, &c.* & ancilla dicente: Petrum pulsare ad fores, dixerunt: *Angelus eius est*, & illud: *Angeli eorum semper vident faciẽ, &c.* & a, *Angelus Domini in circuitu timentium eum, &c.* Tam certaque est hæc veritas, vt multis etiam Gentilium fuerit explorata, quos refert Augustinus Eugubinus *b*, quam expressè docuit Seneca *c*, dicens, cuique designatũ esse Angelum in custodem, & pædagogum. Hinc Diogenes *d*, disputat de Angelo Socratis, de quo librum edidit Apuleius: quẽ de Deo Socratis inscripsit, & meminit Cicero *e*. Vnicuique ergo Deus statuit Angelum custodem, qui maiori solicitudine procurat, vnumquemque ad bonum, quam singularis cuiusque dæmon, ad malum incitare. Cuius opera egregiè prosequitur Diuus Bonauentura, reprimit enim dæmonem, ne quantum vult, nos impugnet; confortat nos in via virtutis, vitij fœditatẽ manifestat, futuræ gloriæ magnitudinem proponit, occasiones mali submouet, aut temperat, ad orationem instigat, orationes nostras Deo offert, &c. Deinde, quoniam viris in potestate, aut dignitate constitutis, alius superadditur dæmon, ad eorum impugnationem, alium eisdem addit Deus Angelum, qui peculiari cura eis assistat. Ita insinuat Diuus Thomas *a*, & eius interpretes *b*, referentes Chrysostomum *c*. Talis fuit Angelus peculiariter datus illi celebri viro Sancto Iacob *d*, parenti duodecim Tribuum, & ille, qui sanctam Iudith *e*, fuit comitatus, qui itidem Sanctum Tobiam *f*, duxit, & reduxit, qui fuit Raphael, qui non fuit Angelus peculiaris custos Tobiæ, quippe qui erat vnus ex septem, qui astant ante Dominum, sed ad peculiarem occasionem datus fuit socius Tobiæ, vt magnum dæmonem ligaret, & in grandibus periculis Tobiam defenderet. Tertiò, quoniam singulis Prouincijs, singuli dæmones statuti sunt, ad earum impugnationem, constituit Deus cuilibet earum singularem Angelum, ad custodiam, vt Diuus Thomas eiusque interpretes cõprobant ex Scripturis, & Sanctis Patribus, qui ita explicant illud: *Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel*, vbi Glossa sequens aliã lectionem: *Diuisit terminos terræ, iuxta numerum filiorum Israel secundum Angelorum custodientium diuersas Israelis familias*: & illud, *In vnamquamque gentem posuit rectorem*, id est, Angelum. Multa de ijs apud Danielem, cũ agitur de Principe, id est, Angelo Regni Persarum, &c. Tandem quoniam sæpè multi dæmones, secundum varias occasiones accedunt, ad vnum hominem perdendum, ita sæpenumero multos Angelos mittit Deus, ad vnius hominis custodiam, vt patet, cum ad defensionem Eliszi, & pueri eius, misit Deus innumeros Angelorũ exercitus, qui apparuerunt in specie curruum igneorum. Hæc ergo diuina prouidẽtia animos nostros firmat, vt firmiter omnibus dæmonum impugnationibus resistamus: quam mirè expressit Deus ipse ad nostrum solatium: *Circundabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes, & reuertentes, & non transibit super eos vltra exactor.* Hebræa ita habent, vt annotauit eruditus Ribera: *Castra ponam domui meæ à malitia sine exercitu transeunte, &*

a 1. *par. q.* 113. *art.* 2. *ad* 1.
b Bannes & Zumel.
c Hom. 3. *in Coloss.*
d Gene. 48. 16.
e Iud. 13. 20.
f Tob. 3. 25.

& reuertentes, aut propter exercitum vel malitiam exercitus, euntium, & reuertentium: vt ſit ſenſus: Circundabo domum meam, propter exercitũ aduerſariorum, propter tranſeuntes, inquam, & reuertentes, ne noceant ei: quem ſenſum Rabbi Dauid ſequuntur recentiores. Bene tamen Beatus Hieronymus locum totum de Angelis intelligit, quos Deus milites ſuos vocat: ſicut frequentiſſimum eſt in Scriptura ſacra, ad oſtendendam Angelorum fortitudinem, quæ tanta eſt, quanta decet milites talis Regis, qui talium militum vocatur dux, & ab eis nomẽ illud frequentiſſimum accipit, quo vocatur, *Deus Sabaoth*, id eſt, exercituum, vt annotauit Beatus Gregorius Nyſſenus. Tam potentes, validique hi milites ſunt, quod vnus tantummodo eorum, abſque aliqua, vel minima defatigatione, vel labore, aut ſudore, aut verò reſiſtentia, percuſſit vna nocte centũ octoginta mille viros poſſetque eadem facilitate millio millium eorum interficere. Quod eloquenter annotat Scholiaſtes Auguſtini. Quoniam ergo nouit Deus, domum ſuam, Eccleſiam ſcilicet, aut animam viri iuſti, habere varios inimicos, & hoſtes, non carnales, ſed ſpirituales, qui ſummis votis contendunt eam deſtruere, ad eius cuſtodiam, & munimen, mittit ſpirituales etiam milites, ex iis, qui militant ſibi, vt illam circundent, ad modum caſtrorum, vt ſicuti tabernaculum circundabatur agminibus filiorum Iſrael, dum per deſertum agebat, ita circundetur domus eius Angelorum cuſtodia. Et ſunt *euntes, & reuertentes*, id eſt, ſumma cura attendentes ad omnem partem, aut ſunt ſicut apes, quæ nihil magis curant, quam ire, & reuerti ad alueoria, ferentes florum diuerſarum rorem, ad fauos dulciſſimos intra ea componendos, aut ſimiles ſunt illis, qui in ſcala Iacob apparuerunt, *aſcendentes, & deſcendentes*, ſummam ſolicitudinem hoc ipſo præferentes, vt annotauit Rupertus. Ex quo infert: *Non tranſibit vltra ſuper eos exactor*, ideſt, non calcabuntur ab inimico, non eis dominabitur, non ei ſuccumbent. Iuxta hunc ſenſum accipiendum cenſet Ambroſius, quod anima iuſti dicit apud Eſaiam, iuxta lectionem Septuaginta. Vbi enim Propheta iuxta Vulgatam, dicit ex perſona Dei: *Ego Dominus qui ſeruo eam, repente propinabo ei*. Septuaginta legunt ex perſona ipſius animæ ſanctæ, dicentis, *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obſeſſa*. Quaſi dicat: obſeſſa quidem ſum inimicorum innumera multitudine, ſed ſcio me munitam maiori Angelorum cuſtodia, vt nõ ſit minor vis munientium, quam obſidentium. Hæc eadem indicare viſus eſt Deus: *Capite nobis vulpes parulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit*. Quem locum expendit egregiè Beatus Gregorius Nyſſenus. Et quidem (vt ipſemet annotat) verba ſunt cœleſtis Sponſi, ad venatores ſuos, aut (vt dixit Origenes) ad cuſtodes vinearum, aut ad ſodales, ſocios, famuloſque ſuos, quos cuſtodiendis vineis ſtatuit, quos propterea idem Gregorius Nyſſenus, & Origenes, Angelos eſſe credunt. In Hebræo habetur, vt omnes recentiores annotant: *Capite nobis vulpes, vulpes parvulas*: Cuius vocis repitione, intelligo innumerã vulpium multitudinem, aut omnes vulpes, iuxta Scripturæ phraſim: vt *a*, *Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini*: & iterum *b*, *Generatio, & generatio laudabit opera tua*: & *c*, *Homo homo natus eſt in ea*: & *d*, *Populi populi in valle conſitionis*. Ita de militibus Antiochi, fœuientibus in Iſraelitas, qui leges Dei ſeruabant, dicitur: *Faciebant hæc populo Iſrael, qui inueniebatur in omni menſe, & menſe*: id eſt, in omnibus menſibus. Quam loquendi phraſim etiam Hiſpanus ſermo tenet: ad innumeram enim pluuiæ indicandam magnitudinem, dicimus. *Cayò agua yagua*, ad exprimendam gentium multitudinem immenſam, dicimus. *A ſudio gente y gente*. Itaque vulpium gemmata voce, innumeram exprimere voluit multitudinem. Quarum nomine (inquit D. Gregorius Nyſſenus) egregiè dæmones nobis inſidiantes explicauit, quos nõ vulpes abſolutè, ſed vulpes parvulas vocauit: nullum enim animal

In cap. 9. Zacha.

Hem. 8 in Eccleſ.

4. Reg. 19.

Viues. 13. de ciu. c. 18 ¶ 151.

Gen. 28.

In cap. 82. Geneſ.

Lib. 6. Hexaem. c. 8.

Iſa. 27. 3.

Cant. 2. 15

Hom. 5. in Cantic.

Hom. 4. in Cantic.

a *Pſ. 121. 4*
b *Pſ. 144. 4*
c *Pſ. 86. 5.*
d *Ioel 3. 14*
1. Macha 1. 61.

nimal timidius, infirmius, & magis ad fugã ꝓcliuius q̃ vulpes, etsi illa paruula fuerit, multo magis infirmior, timidiorque erit. Ille, inquit Diuus Gregorius Nyssenus, de quo hæc dicuntur, homicida, qui potens est in malitia, cuius lingua tanquam nouacula acuta, de
a *Ps.119.4* quo dicit Propheta *a*: *Sagittæ potentis*
b *Ps.9.9* *acutæ, cum carbonibus desolatoriis, & b,*
c *Ps.103.26* *Insidiatur tanquam leo, in spelunca sua:*
d *Hab.2.5.* *Draco ille magnus apostata: d, infernus*
e *ad Eph.6* *dilatans os suum: e, Rector huius mun-*
12. *dani potestatis tenebrarum: f, Qui habet*
f *ad Heb.2.* *imperium mortis*; & quæcunque ex ei-
14. ius persona narrat Prophetia: *g, Qui*
g *Deu.32.* *auferet terminos gentium, quos constituit,*
13. *nempè altissimus, pro numero Angelo-*
h *Isa.10.14* *rum suorum: h, Qui comprehendit orbem*
i *Isa.14.13* *terræ sicut nidum, & eam tollit tãquam*
arundinem i, *Qui dicit se positurum*
thronum suum, super nubes, & futurum
Iob 40.& 41. *similem Altissimo*; & quæcunque Scriptura de eo prosequitur in Iob, quæ planè sunt terribilia, cuius latera quidem sunt ænea, aurum autem fusile, spina, intestina autem lapis smyrites, & quæcunque sunt huiusmodi, per quę terribilẽ illam naturam describit Scriptura. Hic ergo talis, & tantus imperator legionum dæmonum, à vera, & sola potestate nominatur parua vulpes, & omnes, qui eum circumstant, & vniuersus, qui est sub potestate eius exercitus, omnes ex æquo despectui habiti, nominatur vulpeculæ, ab eo qui incitat venatores ad eos venandos, &c.
¶ 152. Et infra: Vnde non dixit, Venamini aprum, qui ex sylua vineam Domini depopulatur, aut rugientem ferum, aut rugientem leonem, vel magnam balænam, aut marinum leonem; vim namque aliquam inimicorum hęc verba præseferrent: sed ille omnes, inquit, terrestres potestates, & rectores tenebrarum mundi huius, & spiritus nequitiæ, sunt paruæ vulpes, dolosæ, & infelices, si cum nostris conferantur viribus, &c. Quamuis ergo inimicus
In Ps.88. conc. 2. ad medium. noster in se magnas habeat vires, tamen respectu nostri tam imbecillis est, vt meritò vulpes paruula vocari possit. Vulpes, inquit Beatus Augustinus, appellat sacra Scriptura dolosos, & timidos, quos vel sola terret virtus aliena hæc namque est, huius animalis conditio, quod dolosum est, & timidum, quodque ex hoc solummodo fugat aliquis, quod resistit ei, & faciem iratam contra illum conuertit. Dicunt aliqui (inquit Augustinus) Diabolus nobis aduersatur. Prorsus huic obiectioni illa verba respondent, quæ Beatus Iacobus dicit: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Vnde animaduertendum est, quis possit nocere eis, quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui vel solis præualere non resistentibus potest. Ita ille *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, sicut vulpes, hoc ipso, quod quis se contra eam conuertit, non solum non præualet, sed fugit. Et verè nihil facilius est, quam vulpeculam quærentem mordere calcaneum, eodem in illam retorto, caput eius conterere, & dentes excutere, aut saltem ad minus eam terrere, vt fugam arripiat. Vires ergo illius contra nos exiguæ sunt: ideo tantum dicitur, demoliri vineas florentes, & palmites teneros, illos videlicet, qui nulla in virtutis via fundamenta adhuc iecerunt. Et nihilominus nec hos imperfectos, & incipientes demoliri, sicut desiderat, potest: statuit namque Deus Angelos custodientes: quibus committit, vt tales vulpeculas comprehendant, alligent, & comprimant. Quomodo Sanctus Michael dæmonis conatum compressit, volentis corpus Moysi manifestare populo, recenter ex Ægypto liberato, & ad idololatriam propenso, de quo sanctus Iudas: & Sanctus Raphael dæmonem ligauit, ne posset iuueni Tobiæ, aut eius sponsæ nocere, de quo in libro Tobiæ. Hacque custodia muniti, facile possumus omnem inimici potentiam superare. Hocque est, quod Deus ipse per os Dauidis promisit: *Angelis suis Deus mandabit de te, vt custodiant te, &c. In manibus portabunt te, &c.* Ex quo infert securitatem à dæmonum impugnatione, subdens: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Non conculcaberis, sed cõculcabis, non deijcieris, sed deijcies, &

Lib. de nat. & grat. cõ. Pelag c.4. hæc 4.7.

in sua Canonica nu. 9. Tobiæ 8.

pro-

prosternes inimicum, & super eum ambulabis. Ex his omnibus patet, vere dæmonem se comprobasse stultum tentatorem, stultissimeque hanc induxisse Scripturam, quæ aptissima potius est ad hoc, quod homo iustus, animose, & validè ei resistat, sciens, & audiens se Angelorum custodia munitum, per quam omnes inimici vires, imò, & ipsum inimicum, quantumuis aspis, basiliscus, leo, & draco sit, possit conculcare, dejicere, & ad ima prosternere. Nunc opportunè, quæ supra ex Augustino induximus, possemus contra peccatores repetere, qui se excusant, cùm peccant, quod dæmon suis suasionibus, & suggestionibus fecerit eos peccare. Verum quidem est, dæmonem cor tuum excitasse ad malum: sed verissimum est, sanctos Angelos non minori affectu, cura, & ratione, ad bonum induxisse, vt verè cùm peccasti, positum illud fuerit inter monentes Angelos, & decipientes dæmones: & quidem Angeli, quæ vera sunt, exponebant, dæmones mendacium, dolosque extruebant: dæmon de more ad ima dejicere hortabatur, Angelus superna proposuit, ad quæ te conferres: Diabolus, vt tibi mortem inferas, Angelus vt vitam diligas, & teneas, clamat. Quare ergo (inquit Augustinus) cor tuum hinc auertitur, & illic flectitur? Certè tua malitia in causa est.

In Psal. 91.

§. 45. *Diabolus Scripturam sacram induxit diminutè, tantum inducens, quæ suo instituto satisfacere credebat.*

¶ 153. *Scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Singulari Dei prouidentia permissum est dæmoni, Scripturam sacram inducere, cum tentauit Christum, vt multa fierent nobis nota, quæ nosse erat nobis necessarium. Annotat in primis Beatus Irenæus, dæmonem per diuinam veritatem suum abscondisse mendacium: & verbum suum, quod dixit: *Mitte te deorsum*, quod proprium eius est, sub diuini verbi tegumento abscondere voluisse: non aliter certè, quàm is, qui alterum veneno interficere cupit, illud abscondit sub illo cibo, aut potu, quem alteri gratiorem esse cognouit. Deinde veritatem Dei per ipsammet veritatem Dei impugnare contendit, non quidem legitimè inductam (verum namque, vero contrarium esse non potest) sed ineptè, & fraudulenter citatam. Hoc etiam alij antiqui Patres ex professo annotandum susceperunt, & obseruant in primis, dæmonem Scripturam quidem diuinam induxisse, sed contra eius legitimum sensum. Ita Origenes Assumit, inquit, diabolus testimonium & interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est: nam hoc quod Psalmus dixit, de Christi persona intelligi non potest, qui non indiget Angelorum auxilio, qui maior est Angelis & melius ipsis hæreditatem est consecutus, & nomen: *Nulli enim vnquam Angelorum dixit Deus: Filius meus es tu &c.* Non ergo indiget Angelorum auxilio Filius Dei. Quin potius disce Diabole, quod nisi Iesus adiuuerit Angelos, offenderet, & ipsi pedem suum, & qui Angeli offenderunt ideò offenderunt, quia non extenderunt manum suam ad Iesum, vt apprehensi ab eo non offenderent. Ita Origenes, quem secutus est Chrysostomus. Verè, inquit, Filius Dei Angelorum manibus non portatur, sed ipse magis Angelos portat. Nec enim creatura portat Creatorem, sed Creator creaturã: si autem creatura baiulat Creatorẽ, ergo Creator antequam faceret creaturam, à quo portabatur? Nam vere, etsi portatur manibus Angelorum, non ideò portatur, vt non offendat ad lapidẽ quasi infirmus, sed propter honorẽ potestatis, quasi Dominus, de quo scriptũ est: *Qui sedes super Cherubim.* Ita, & Hieronymus *a.* & Augustinus *b*, docens, hæc dicta de Christo, nõ in se, sed ratione corporis sui, quod est Ecclesia, *ex* cunctis fidelibus constituta. Ita, & Theophylactus *c.* Sicq; intelligendus est Ambro-

Lib. 5. cont. hæres. c. 21.

Hom. 31. in Lucam.

Hebr. 1. 5.

Hom. 14. in Matth. & hom. 5. in imperf.

Psal 79. 1.

a In cap. 4. in Matth.

b In Psal 90.

c In cap. 4. Matth.

sius, dicens, dæmonem induxisse Scripturam, continentem prophetiam de Christo. Fitque hoc manifestum ex vera Theologia, quam tradit Diuus Thomas, secundum quam non est concedendum, Christum habuisse Angelum custodem: non enim egebat custodia Angelorum, quamuis plures habuerit Angelos, qui sibi ministrarent, & obsequerentur. Optimè ergo ait Augustinus: Diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret, non agnoscebat. Callidissimus tentator (inquit Cassianus) Domino Saluatori velut homini simplici tentauit imponere, dum ea, quæ generaliter sunt super omnium iustorum personis intelligenda, maleuola interpretatione corrumpens, specialiter huic, qui Angelorum custodia non egebat, conatur aptare dicens: *Quia Angelis suis, &c.* pretiosa scilicet eloquia Scripturarum, callida assumptione conuertens & ad contrarium, noxiumque sensum detorquens, vt imaginem tyranni cultus, sub colore nobis auri fallentis obijciat, &c. Secundò, dæmon citauit Scripturam sacram, non attendens ad præcedentia vel sequentia. Ita obseruauit idem Origenes, annotans, ante verba à dæmone citata haberi, quod Deus liberat, *à ruina à damonio meridiano*: & post verba citata à dæmone, subditur: *Super aspidum & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, quæ etiam silentio præterijt, quia contra ipsum met dæmonem erant scripta. Silet (inquit Origenes) & transit versiculos, qui contra seipsum sunt: cùm enim dixisset: *Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* tacuit illud quod sequitur: *Super aspidem, & basiliscum, &c.* Quare diabole siles, nisi quia tu es basiliscus, tu es omnium serpentium regulus, nocentiora habens venena quàm cæteri? Tu es leo, tu es draco, &c. Ita etiam obseruauit Beatus Gregorius Nazianzenus. Ostophitta malitiæ, inquit, cur sequentia supprimis? Rectè namque id noui, etsi tu fileas; quoniam super te aspidem, & basiliscum ascendam, &c. Sic, & Hieronymus *a*, Hilarius *b*, Chrysostomus *c*, & Bernardus *d*, Tertiò citauit scripturam sacram diminutè, tacens illud, quod eius inuentionem poterat eneruare, & solum referens, quod suo aptum videbatur instituto. Vnde tantum induxit: *Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*; quod autem Scriptura addit, *Vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, omisit ille, qui non ad viam, sed ad præcipitium hortabatur. Ita annotat Gregorius Nazianzenus, qui hac de causa vocat dæmonem, peritum Scripturarum latronem. Ita, & Hieronymus *a*, & Bernardus *b*. Mediam partem dimisit, inquit Hieronymus, tacuit quod sciebat contra se esse, & tantum quod pro se erat, expressit. Ita, & Beatus Bonauentura *c*. Considera ergo, inquit Beatus Chrysostomus *d*, diaboli insipientiam, de testimonio quoque ipso quod protulit: nam ea quidem, quæ à Domino prolata sunt, satis aptè vtique prolata, quæ verò ab illo vsurpata, ineptè nimium, ac prorsus incongruè, nec ad rem, de qua agebatur, aptè accommodari possunt. Quartò verbis Scripturæ sua inseruit, inquit Diuus Chrysostomus, vt quod potius aduersum se scriptum erat, pro se citaret. scriptum quidem erat: *Quoniam Angelis suis mandauit de te*: sed de suo addidit: *Mitte te deorsum*, quod scriptum non erat: in quo cognoscimus antiquam eius, & vsitatam versutiam; semper, vt fallere possit, malis suis bona miscere, & venena sua mellis dulcedine temperare. sic namque, & Adam iam dudum, vt de suo deciperet, quasi Dei verbum præmisit: *Quid vtique*, inquit, *dictum est vobis à Deo, Ab omni ligno Paradisi non editis?* vt proposito Dei mandato, hominem incautum, & falsa interpretatione, & verborum additione deciperet: nam, & ille de suo addidit: *Quid vtique dixit Deus: De omni ligno paradisi non editis?* Cum potius dictum a Domino fuisset: *De omni ligno paradisi edetis, de ligno autem scientiæ, quod est in medio paradisi, non editis* Mutauit ergo dicta diuina, & verbis suis quædam dicta Domini sociauit, vt facilius suaderet; & suadendo deciperet. Immiscuit verbis diuinis

verba

Libr. 4. in Lucam.

1. p. q. 103. art. 4. ad 1.

Lib. 2. cont. litt Petiliani c. 51.

In collat. 1. cap. 20.

Hom. 31. in Lucam.

¶ 154.

Ora. 2 sãct. baptisma non longè à prin.

a In cap. 4. Matth.

b Canon. 3. in Matth.

c Hom. 5. in imperf.

d Ser. 41. in

Psalm. Qui habitat.

a In Psa 9.

b Serm. 34.

c In cap. 4. Luca.

d Hom. 13. in Natiu.

Hom. 5. c. 3. diuers. in Matth.

Genes. 3. 1.

verba nequitiæ ſuæ, vt per dulcedinem mellis venenum mortis infunderet. Ita Chryſoſtomus. Sic dæmon euiſcerat fidem, inquit Ambroſius *a*, ſic iura pietatis impugnat, ſic, & hæreticos facit. Et hoc inquit Irenæus *b*, & Auguſtinus *c*, hæretici dæmonis filij, à patre ſuo didicerunt, qui veritatem Dei ex ipſamet veritate Dei, & verbo ſubuertere nituntur. Non mirum, quod illi Scripturis vtãtur, quas etiam mendacij pater diabolus ad mẽdacium ſuadẽdum induxit, & illi mendaciũ ſuum, ſub inuolucro diuinæ veritatis inducere conantur, ſicuti illa quæ ſub calice deaurato venenũ proprinnabat mortiferũ. Propterea nihil frequẽtius hæretici in lingua habent, quã Scripturam ſacram. De Scripturis agũt hæretici (inquit Tertullianus) & de ſcripturis ſuadẽt: ſed ſcripturas bonas (inquit Auguſtinus) non bene adducunt, nec bene interpretantur. Hæc hæreticorum prima cura, errorem ſuũ ſub tegumento ſanctarum Scripturarum inuoluere, vt fideles bibentes aquam diuini verbi, ſimul eorum imbibant errores, vt Origenes proſequitur. Quitamen eaſdem ſcriptas diminutè, truncatè, comaticè, non autem integrè, & ſecundum legitimum earum ſenſum inducunt.

a *Lib. 4. in Lucam.*
b *L. 5. cont. hæreſ. cita.*
c *Lt. 2. cõt. lit. Petiliani.*
Apoc. 17.
Li. de præſcript. citat Tract. 18. in Ioan.
Hom. 31. cit.

§. 46. *Hæretici parentem ſuum imitãtur, Scripturas ſacras truncatè, & cõtra legitimum ſenſum inducentes.*

¶ 115. *Apoc. 8.*

EGregiè oſtẽſus eſt Ioanni hic hæreticorum mos, in citandis Scripturis, ſecundum probabiliorem ſententiam Ambroſij, Ansberti, Haymonis, Pannonij, & ſignanter Richardi de ſancto Victore. Demonſtrare namque voluit Deus Ioanni, totum Eccleſiæ progreſſum, à tempore Chriſti Domini vſque ad mundi finem: quẽ in ſeptem tempora diuiſit, quoniam (vt inquit Richardus) omne tempus ſeptem dierum circulo reuoluitur. Primò ergo vidit Ioannes Angelum, *qui ſtetit ante altare, habens thuribulũ aureum, & data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum, &c. & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Hic Angelus retulit Chriſtum Dominum, qui quoniam legatus, nuntiuſque æterni Patris ad homines fuit, qui de ſe dicit *a*: *Ab ipſo ſum, & ille me miſit, & b, qua audiui ab eo, loquor in mundo*, vocatur *c Angelus Teſtamenti, & d magni conſilij Angelus*. Altare autem, Ambroſius, Beda, Brimaſius, Ansbertus, Ioachim, & alij, Eccleſiam electorum intelligunt, qui ideo altaris nomine exprimuntur, quod in eis ſpirituale ſacrificium peragitur, & aromata offeruntur cœleſtia. Ante hoc altare Chriſtus Dominus ſtat, tanquam verus, & legitimus Pontifex, per quem tanquam per mediatorem, munera noſtra Patri offerimus: *Per ipſum enim offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo*: & ſemper oramus, dicentes; Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Deinde Ioannes vidit ſeptem Angelos ſuo ordine, & ſibi inuicem ſuccedentes, canentes tuba, qui ordines prædicatorum Euangelij, qui in Eccleſia à Chriſti tempore vſque ad iudicium futuri erant, deſignabant: vidit ſimiliter perſecutiones, quas eiſdem temporibus contra veritatem Euangelij excitaturus erat diabolus, qui (vt annotauit Tertullianus) variè cuoctis temporibus æmulatus eſt veritatem. *Primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis mixta in ſanguine.* Hic Angelus primum concionatorum ordinem, id eſt, Apoſtolos (vt citati Patres exponunt) ſignificat, qui tuba Euangelicæ prædicationis primò in Iudæa perſonuerunt, contra quos Iudæorum zelus, æmulatio, rabieſque excitata eſt, quam Chriſtus, prædixerat: *Ecce ego mitto ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus &c.* Secundus Angelus ſequutus eſt, *qui tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare*, &c. qui eos prædicatores, qui Apoſtolos conſecu-

a *Ioan. 7. 23.*
b *Ioan. 8. 26.*
c *Malach. 3. 1.*
d *Iſai. 9.*
Heb. 13. 15.
Lib. contra Praxeam. in princip.
Matt. 23. 34.

ti sunt expressit, quique ad prædicandum gentibus surrexerunt. Contra quos excitatus est Mons magnus ardens igne, id est, diabolus, qui mõs per tumorem, magnus per tumoris magnitudinem, igne ardens per inuidiã, missus est in mare, id est, in corda Principum, ac Imperatorum mundi, quos excitauit validè contra Euangelij Prædicatores, ac sectatores, quos omnes tormentis crudelibus, & mortibus atrocissimis affecerunt, quosque propterea martyrij palma celebres conspicimus. Quando autem iam post lõga tempora Imperatorum sæuitia in Christianos cessauit tempore Constãtini magni, surrexit *tertius Angelus, & tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur Absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium, & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Nunquam Ecclesia in hoc seculo habitura est perfectam pacem, consumptisque, ac deficientibus quibusdam inimicis, alij statim insurgunt. Post Iudæorum namque persecutionem iniquam, & post Imperatorum, ac tyrannorum crudelem rabiem, prædicante Euangelium tertio Angelo, qui sanctorum Doctorum typum tenuit, insurrexerunt hæretici, quorum mores, ac dolos egregiè Ioanni ostensi sunt sub typo stellæ cadẽtis de cœlo. Hæretum sanè Principes, & authores dicuntur stellæ cadentes de cœlo, id est, deficientes ab Ecclesia, quæ cœlum sæpè in Scriptura dicitur: *Ex nobis exierunt*, inquit Ioannes: *ex vobis ipsis exorientur*, inquit Paulus, *viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se*: de quo Gregorius, exponens illud de dracone trahente tertiam partem stellarum de cœlo. Tertius Angelus tuba cecinit (inquit Richardus) id est, tertius prædicatorum ordo prædicauit, & cecidit de cœlo, id est, de Ecclesia, stella, id est, hæreticorum caterua, quæ bene dicitur stella magna, & ardens tanquã facula, stella, per acceptam scientiam, magna, per superbiam; ardens per inuidiam, tanquam facula, quia dum alius ad prauitatem incendit, semetipsam consumit. Vocatur autem *Absynthium*, quoniam summam tenet amaritudinem propter varias rationes. Prima, quia omne peccatum, per quod homo recedit à Deo, amaritudinẽ inducit, dicente ipso: *Scito, & vide, quã malum, & amarum est, reliquisse te Dominum, & non esse timorem eius apud te.* Maximè autem, cum homo recedit à Deo per hæresim. Ideo cuiusuis hæretico dici potest, quod dixit Petrus Simoni Mago: *In felle amaritudinis video te esse.* Secunda, quia in Scriptura peccata grauissima dicuntur absynthium; quoniam Deum amaricãt, vt alibi dictum est. Ita, *Qui conuertitis in absynthium iudicium*, id est, opera iniquissima agitis, per quæ Deum ad amaritudinem, & iracundiam prouocatis. Et illorum: *Conuertistis fructum iustitiæ in absynthium*, id est, in peccata grauissima, Deo amara ad modum absynthij. Tertia, quia apud eos, qui de herbis scribunt, absynthium vehementer acuit visum, & inter ea, quæ oculis clarificandis, & aperiendis apta iudicantur, ponitur. Hocque faciunt hæretici, quorum occasione visus Ecclesiæ, ac Doctorum eius acuitur, coguntque oculos aperire, vt videamus, quæ illi proponunt, ad respondendum eis, & quæ proponenda sunt eis ad reuincendum eorum errores. Ita Arethas in locum, quem explicamus, obseruauit. Mitum sanè est, quam validè Arrius acuit antiquorum Patrum oculos, vt Scripturis sanctis conspicarent æqualitatem, & consubstantialitatem Filij cum Patre: quomodo etiam Pelagius aperuit oculos sanctorum Doctorum, vt diuinæ gratiæ efficaciam in diuinis literis circunspicerent, & obseruarent, &c. vt verè dicendum sit, diuina prouidentia hæreticos à Deo permitti ad nostrum profectum, vt fidelium oculi acuantur, eorumque exerceatur sapientia; sicut permissi sunt tyranni, vt patientia Ecclesiæ clarior redderetur, vt sæpè Augustinus admonuit. Itaque sicut ad oculorum lippitudinem tergendam applicat quidam

¶ 156.

1. Ioan. 2. 19.

Act. 20. 30

Li. 32. Mor. c. 14.

Ierem. 2. 19.

Actor. 8. 23.

Amos 5. 7.

Amos 6. 13

In cap. 8. Apoc.

dem medicus absynthium amarum, quod tamen oculos clarificat, sed in sterquilinium tandem mittitur, aut in ignem: ita hæreticos amaricãtes Deus permittit: qui Doctorum fidelium acuant oculos, excutiant lippitudinem, quo tandem illud fit, quod hæretici in sterquilinium, aut ignem inferni mittuntur, sed remanent Ecclesiæ oculi clarissimi, ac mundissimi, ad salutis Sacramenta plenius percipienda.

Lib. de præscript. cap. 1. & 2

Quam rationem latius, & ex professo Tertullianus prosequitur. Flumina autem, fontesque aquarum (inquit Richardus) dicuntur illi libri, in quibus origo, & summa fidei comprehenditur, sicut sunt libri, Legis, Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum. Stella igitur de cœlo cadẽs, in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum cecidit, quia prauitas hæretica de sublimitate Ecclesiæ decidens, sacram Scripturam in parte suæ assertionis corrumpit. Non totam Scripturã hæretici corrumpunt, quia si ea integrè completèque consperciatur, corrumpi non potest, quippe quæ certam exhibet veritatem: ideo partem eius solummodo assumunt, suisque corrumpunt erroribus, & eam solummodo partem citant, & inducunt, quæ errores, quos volunt, sonare videtur. Ex quo illud efficitur, quod plurimi homines ex harum aquarum potu interierint. Ita Arrius, tantum eam Scripturam partem pronuntiabat, quæ exprimebat CHRISTI humilitatem, vt Filium minorem Patre persuaderet, sicuti obseruauit Beatus Gregorius Nazianzenus. Similiter, & Praxeas hæreticus, tantum ijs inducebat Scripturas, quæ vnitatem Filij cum Patre proferunt, vt Filium eandem cum Patre personam ostenderet, vt integro libro contra eum conscripto Tertullianus demonstrat. Pelagius itidem, eas Scripturas proferebat in medium, quæ arbitrij nostri libertatem, & facultatem prædicant, vt illi totum iustificationis nostræ negotium tribueret, vt sæpè D. Augustinus obseruauit: de quo alibi. Hi ergo filij diaboli, patrem suum imitantur, *& desideria eius volunt perficere*, vt dixit Christus Dominus Iudæis. Diabolus incepit, veritatem Dei ex ipsamet veritate impugnare, & mendacium per verba Scripturæ sacræ persuadere, citando Scripturam contra legitimum sensum, incompletè, corruptè, dimidiatè. Hoc illi perficere volunt: Quibus primò propriũ est, veritatem Dei ex ipsamet veritate Dei impugnare, & errorem suum operire velle veritatis diuinæ verbis. Ita annotauit Tertullianus *a*, tradiditque Ambrosius *b* egregiè. Hæretici (inquit) sunt, qui legem per verba legis impugnant. Proprium namque sensum, verbis astruunt legis, vt prauitatem mentis suæ commendent legis authoritate. Impietas namque, sciẽs authoritatem multum valere, fallaciam sub eius nomine componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, nomine boni commendetur. Ita ille. Deinde est illis vsitatissimũ, Scripturas sacras, aut non respicere, aut tantum citare truncatè, diminutè, cõtortè, contra earum legitimum sensum. Ita latè prosequitur Tertullianus integro libro de præscriptionibus hæreticorum, in quo dixit, quod hæresis quasdam Scripturas non recipit: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus, ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras; & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Illam deinde celebrẽ subnectit propositionem: *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum, & corruptor stylus.* Itaq; nullas vires habet Scriptura sacra contra veritatem, nisi quas hæretica mens, corrumpendo stylum, sensum, & verba ei tribuit. Alias namq; vt idẽ Tertullianus egregiè prosequitur, non haberent, per quę hæresim docerent, non enim illis (inquit) succedere potuisset corruptela doctrinę, sine corruptela instrumentorum eius. Hoc quia in hæreticis deprehendit P. Cyprianus, eos vocat corruptores Euangelij, atque interpretes falsos, qui extrema ponunt, & superiora prætereũt, partis memores, & partẽ subdolè cõprimẽtes: vt nãque ipsi ab Eccle-

a *Libro de præscript. cap. 17.*
b *In Epist. ad Titum ad finem.*

¶ 157.

Libro de præscript. Hæret. Eodem l. c. 17.

Oratione 2 in sanctum Pasch.

Lib. cont. Praxeam.

Eodem l. cap. 38. Li de vnitate Eccl.

l. 1 o n. 8. 44

Ibidem. *a de Hæres. 46 & 70. & lib 7. de Genes. ad litte. in ca. 2. ad Rom.* *b Libro de præscript. c. 17 & 38* *c Pamelius ibid.*

sia sciſſi sunt, ita vnius capituli sententiam scindunt. Quod Cyprianus de Donatiſtis probat, ſicut, & Auguſtinus *a* de Manichæis, & de Priſcillianiſtis, & de illis omnibus Origenes *b*, quos propterea vocat, Scripturarum fures, & adulteros. Tertullianus *c* varios modos breuiſſimè aperit, quibus scripturam adulterant, & corrumpunt hæretici: id namque faciunt (inquit) detractione, vel adiectione, vel transmutatione: quæ latè eius Scholiaſtes *d* proſequitur.

§. 47. *Scripturam ſacram, eiuſque legitimum ſenſum tradit Eccleſia Catholica: hæretici diabolo ſimiles ad ſui intentum illam deprauant, & libros Sanctorum.*

¶ 158. *Libro de præſcript. cap. 21.*

HAnc regulam, tanquam præcipuum fundamentum Tertullianus conſtituit Nullatenus (inquit) cũ hæreticis de Scripturis, aut ex Scripturis agendum, niſi eas inducant Scripturas, quas Eccleſia ſancta nobis tanquam tales proponit, & eo modo, & ſenſu, quo ipſa illas interpretatur. Inſuper expreſsè docet, regulam quidem fidei, eam eſſe doctrinam, voce vel Scriptura traditam, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus autem à Deo, accepit. Videturque alludere ad illud: *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quæ verba Beatus Gregorius, & Honorius Auguſtodenſis, de Scriptura Sacra intelligunt, quæ frequentiſſimè vt Gregorius oſtendit, aquarum nomine deſignatur. Et egregiè ſimul fons, & puteus dicitur (inquit Gregorius) quamuis hæc inter ſe videantur contraria. *Fons* namque dicitur, cùm aquæ in ſuperficie, & in promptu, ac ſine labore patent haurientibus; puteus autem, cum aquæ profundæ ſunt, & cum defatigatione extrahuntur: quod, & Auguſtinus obſeruauit. Sed hæc egregiè Scripturæ ſacræ qualitates explicant; nam quantum ad corticem, & quantum ad doctrinam communem, moraliaque præcepta, frequentiſſimè omnibus patet: tamen quantum ad myſteria, & reconditos ſenſus, ita profunda eſt, vt ingentem haurientium requirat laborem. Vocatur autem *Fons hortorum*, ideſt, particularium Eccleſiarum, inquit Honorius, aut diuerſarum animarum, inquit Gregorius, in quarũ mentibus virtutũ ſemina oriuntur. Dicuntur itidem aquæ *viuentes*, ideſt, perennes, fluentes, non ſicut aquæ paluſtres, putidæ, cœnoſæque, in quibus ranæ, & ſanguiſugæ oriuntur, & conſeruantur: de quibus videndus Auguſtinus, qui hæreticos ranis paludum egregiè comparat quia ſtrepitum ſolummodo vocis habent, &c. Hæ autem *fluunt impetu de Libano*. Ita perſpicuitatis cauſa tranſtulit Latinus: in Hebræo namque non habetur vox impetu, tantum dicitur, *fluentium de Libano*, nam ponitur participium *Nizlim*, à verbo *Nazal*, quod propriè ſignificat fluxum ſine vi, ſed potius proprio pondere; quod propterea propriè dicitur de aquis fluentibus pondere proprio; quæ quia cum impetu fluunt, addidit Latinus, *quæ fluunt impetu de Libano*. Taleſque erant aquæ Libani, fluentes in terram Promiſſionis: quoniam namque Libanus erat mons altior tota terra, aquæ, quæ ab illo procedebant, pondere proprio fluebant, & dilabebantur in terram illam. Et quidem Libanus, Eccleſiam ſanctam in Scriptura exprimere ſolet, vt obſeruarunt Origenes *a*, & Hieronymus *b*: Libanus namque idem eſt, quod mons dealbatus, aut candidatus: quia ſemper candidiſſimis niuibus eius altitudo erat operta. Talis eſt Eccleſia; quam Chriſtus Dominus ſuo ſanguine mundauit, dealbat, ac candificat (vt ita dicam) *lauacro aquæ, in verbo vitæ*, vt ait Apoſtolus. Duo ergo his verbis indicare vult Spiritus ſanctus: primum, quod aquæ, quæ irrigare debent peculiares Eccleſias, aut fidelium animas, à Libano debent procedere, quia eas tantum Scripturas, vtpote ſacras, debemus habere, quæ ab Eccleſia Catholica procedunt, id eſt, quas Eccleſia tanquam tales offert, exhibet, emittit, datquæ

Ibid. c. 37. *Cant. 4. 15* *In Cap. 4. Cantic.* *Tract. 15. in Ioan.* *Li. de conſentientia decè prac.* בול *a Hom 11. in Ezech.* *b In c. 14. Oſeæ, & in c. 10. Zach.* *Eph. 5. 19.*

que in lucem. Alterum eſt, quod illæ debent ſuo impetu, ac pondere fluere, prout à Libani altitudine accipiunt curſum, quia ita Scripturæ ſacræ accipiendæ ſunt, vt nulla eius inferatur vis, non manu huius, vel illius, huc, vel illuc detorqueantur, ſed prout ab Eccleſia curſum accipiunt: id eſt, prout Eccleſia ea explicat, & proponit. Duobus namque modis hæretici Scripturas contra fideles inducunt. Primò proponentes tanquam Scripturas ſacras, quas illi volunt; & expungentes à ſacrarum Scripturarum albo, quas expungere illis placet, & vt optimè proſequitur Tertullianus. Quidam eorum reijciunt Vetus teſtamentum: quorum princeps fuit Simon Magus Samarita, vt aiunt Epiphanius *a*, & Hieronymus *b*. Secuti ſunt illum Baſilides, Carpocras Gnoſtici, Ptolomeitæ, & alij, de quibus Auguſtinus *c*: & deinde Manes, à quo Manichæi, vt Epiphanius *d*: & poſt eum Fauſtus, Afer, contra quem longo miroque opere Auguſtinus *e* egit. Alij reijciunt Pentateucum, vt Ptolomeitæ de quibus Epiphanius *f*. Alij reiiciunt librum Pſalmorum vt Nicolaitæ, de quibus Philaſtrius; *g* quos noſtro tempore ſecuti ſunt Anabaptiſtæ. Alij reijciunt librum Sapientiæ, & Eccleſiaſtici vt quidam Pelagiani, quos refert Hilarius *h*. Euangelia reijciunt alij, de quibus Auguſtinus *i*. Imò, & nouum Teſtamentum, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis ſcriptum, ſed longo poſt tempore à quibuſdam incerti nominis viris, contenderunt Manichæi, vt idem Auguſtinus K ſæpè refert, contra Fauſtum agens. Euangelium Matthæi reijciebant Ebionitæ, vt ait Epiphanius *l*. Acta Apoſtolorum non recipit Tatianus hæreticus, nec Seuerus (à quo Seueriani) vt Euſebius *m* refert. Epiſtolas Pauli repudiauit Ebion, vt ait Irenæus *n*; & Helcheſeitæ hæretici, vt ait Euſebius *o*. Apocalypſim reijciunt Alogi, ſiue Alogiani, de quibus Epiphanius *p*. Hicque hæreticorum mos, quod hoc ipſo, quod aliquid reperitur in aliqua Scriptura, quod eorum errorem manifeſtè reuincit, clamant, illud adiectum fuiſſe, & ſuperadditum, quod frequentiſſimum eſt apud hæreticos noſtri temporis, vt latè proſequitur noſter Sixtus Senenſis *q*. Nec tantum reijciunt libros Sacros, quos volunt, ſed, & ſimiliter alios tanquam ſacros, quos illi commentati ſunt, inducunt, illis quidem commune familiariſſimumque eſt (vt dixit B. Iſidorus *r*) ſub Catholicorum Doctorum nomine, ſua dogmata vulgare, & integros libros ſcribere, & in lucem emittere ſub nomine alicuius Doctoris ſanctiaut vero, Doctorum Catholicorum libros adulterare; aut delentes, quæ doctrinam Catholicam confirmant, aut inſerentes, quæ hæreſes ſuas corroborent. Ita Hieronymus notauit Ruffinum, quod nomine Sifti Pontificis, vulgauerit librum Sifti Pythagorici: Illam, inquit, temeritatem, imò inſaniam eius, quis digno poſſit explicare ſermone, quod librum Sifti Pythagorici, hominis abſque Chriſto, atque Ethnici, mutato nomine, Sifti martyris & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, prænotauit? in quo iuxta dogmata Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo & de eius dicunt eſſe ſubſtantia, multa de perfectione dicuntur, vt qui nomen Philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Ita ille: qui etiam refert, eundem Ruffinum, librum Euſebij Cæſarienſis, Pamphili martyris vocabulo commutaſſe, vt facilius tali laudatore libros impijſſimos Romanis auribus conciliaret. Arriani varias confixerunt Epiſtolas, quas nomine Beati Athanaſij vulgarunt, vt ipſe Athanaſius conqueritur: alijque hæretici, nomine Hieronymi, epiſtolam prodiderunt, ad quendam errorem ſuadendum, quod ipſemet Hieronymus audiens, obſtupuit, vt ipſe perhibet. Eutychiani hæretici, impijſſimam epiſtolam in lucem dederunt, de morte Cyrilli Alexandrini, ſub nomine Theodoreti, vt Neſtorianam hæreſim, eiuſdem Cyrilli auctoritate firmarent. Extat epiſtola in quinta Synodo generali, cuius acta ab hæreticis magna ex parte corrupta, & mutilata pro-

q Lib. 7. & 8. Biblio.

r Lib. 3. Sententia. c. 12.

Ad Creſi. photem cō. Pelag.

In c. 18. Ezech.

Apologia ad Conſtantium.

Lib. 2. cont. Ruffin. c. 7.

Lib de præſcript. c. 1.
a In Anacephaleoſ.
b In præf. epiſt. ad Tit.
c In Cata. hæreſ. & l. 2. contr. aduerſar legi. c 12.
d Lib. 2. hæreſ. 66.
e Libris cō. Fauſtū to. 6
f Lib. 1. Hæreſ. 33.
g In Cata. cap. 127.
h Epiſt. ad Auguſt.
i Libr. 2. retract. c. 16.
K Libris cō. Fauſt.
l Lib. 1. Hæreſ. 30.
m Lib. 4 Hiſtor c 29.
n Lib. 1. cō. Hæreſ. c. 26.
o Lib 6 Hiſt. c 27.
p Lib. 2 Hæreſ 80.

Ann. 553. bat diligentissimus nostri temporis autor, Baronius. Appollinaris hæreticus, sub nomine Iulij Romani Pontificis confixit epistolam; suos errores continentem, ad Dionysium Corinthi Episcopum, qua, & similes eius fraudes ostendit Leontius, qui & docet, Eutychem, & Dioscorum hæreticos, quasdam orationes euulgasse, sub nomine Gregorij Thaumaturgi, & Athanasij. Iulij Pontificis, vt simpliciores deciperent. Nestoriani sub nomine Philippi Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, euulgarunt epistolam in fauorem Nestorij hæresiarchæ, vt ait Cyrillus. Imò, & eiusdem Cyrilli nomine, aliam sparserunt epistolam, vt ipsemet Cyrillus conqueritur. Monotelitæ epistolam confixerunt, sub nomine Mennæ Episcopi Constantinopolitani, ad Vigilium Papam: imo, & Eutychiani Epistolam vulgarunt, sub nomine ipsius Vigilij Papæ, ad suos errores suadendos, de quibus in sexta Synodo, actione octaua Andreas falsus monachus, sub nomine Beati Gregorii, aliquos vulgauit sermones, ad suos errores inducendos, vt ipsemet Gregorius annotauit. Sub nomine Gelasij Papæ, annotationes in Epistolas Pauli ediderunt Pelagiani, vt refert Cassiodorus. Quod solent (inquit) facere, qui res vitiosas cupiunt glorioſi nominis autoritate defendere. Hæretici Iconomachi, Epistolas sub sancti Ioannis Damasceni nomine ediderunt; quæ fortè mortis ipsius sancti fuerunt in causa, vt Ioannes Patriarcha scribit, Photius hæreticus tractatum, sub nomine Ioannis Pontificis dedit, ad suum errorem asserendum; de quo idem nostri temporis egregius author Baronius. Et quamuis innumera possemus afferre, quibus hic hæreticorum mos, ab initio nascentis Ecclesiæ omnibus pateret, tantum nunc libet referre, quæ in sexta Synodo generali acta sunt apud Constantinopolim. Tempore Agathonis Papæ, & Constantini Imperatoris quarti, Concilium coactum fuit contra Eutychianos, & Monotelitas, contendentes, in Christo vnicam esse naturam. Coram Pontificis legatis, & Imperatore, comparent hæretici, qui suos errores comprobantes, exhibuerunt acta quintæ Synodi generalis, & innumera testimonia sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, &c. Quæ cum ad requisitionem Catholicorum exactè fuissent examinata, inuentum est manifestè, hæreticos falsarios fuisse, qui actis quintæ Synodi, inseruerant tres integros codices, continentes suos errores, vt patet actione tertia eiusdem Concilii: & collatis Sanctorum sententiis, cum exemplaribus, quæ Imperator tanquam fidelissima in sua Bibliotheca seruabat, etiam deprehensum est, eos omnium sanctorum Patrum dicta adulterasse, mutasse, addidisse, vt ibidem actione nona refertur. Ita hæretici antiqui Moderni autem, maiori audacia idipsum prosequuntur, qui librum Bullingeri hæresiarchę, contra visibilem Ecclesiam, sub nomine Athanasij, prafixo titulo, De vera, & pura Ecclesia, prodiderunt: librum similiter impij Bucceri, contra merita bonorum operum sub nomine glorioſi martyris Ioannis Roffensis euulgarunt; quem inscripserunt, De fiducia, & misericordia Dei. Conciones scelerati Ochini, venditarunt sub nomine Thomæ Episcopi Iustopolitani. Oecolampadius opus emisit in lucem, contra diuinæ Eucharistiæ Sacramentum, sub titulo Bertrami Presbyteri. Carolstadius hæreticus opus prodidit contra Sanctarum imaginum vsum, sub nomine Caroli Magni, dicatum sextæ synodo generali. Caluinus impudentissimum librum erroribus plenum vulgauit, sub nomine Catholici Alcuini. Neque solum hæretici circa Doctorum libros ita agunt, sed circa Scripturas sacras. Fuit namque eius in more, varios libros à seipsis confictos, sub nomine Scripturę sacræ euulgare. Ita sub nomine Christi, quidam eorum euulgarunt librum de Magia ad Petrum, & Paulum, de quo Diuus Augustinus *a* Petri nomine inquit Hieronymus *b*, fueruntur quinque libri, quorum primus Actuum Petri inscribitur; alius, Petri Euangelium; terrius,

De sectis actu 8.

Epist. 39. ¶ 160.

De ijs Baronius ann. 656.

Lib. 9. epist. 69. De Diuina lect. cap. 8.

In vita damasceni.

Ann. 879.

a Libr. 1. de consensu Euan. c. 19.

b In Catal. script Ec.

tertius, Prædicationes Petri, quartus Apocalypſis, quintus, liber Iudicij. Eoſdem fere libros citant Euſebius *c*, & Beatus Clemens Alexandrinus *d* Nomine Pauli ſimiliter, varij tractatus ex officina hæreticorum prodierunt. Euangelium Pauli, Apocalypſis, reuelationes, aſcenſus, ad tertium cælum eiuſdē. Actus Pauli, Tertia epiſtola ad Corinthios, Tertia ad Theſſalonicēſes, alia ad Leodicenſes. Sub nomine itidem Ioannis Apoſtoli, nouam aliam ediderunt Apocalypſim Cherintiani hæretici. Alij ſimiliter vulgarunt Euāgelia varia ſub nominibus diuerſorum Apoſtolorum Andreæ, Thomæ, Iacobi, Bartholomæi, Philippi, Thadæi, Matthiæ, Barnabæ, imò, & Marthæ Virginis, vt referunt Gelaſius, Auguſtinus, Athanaſius, Irenæus, Epiphanius, Origenes, Euſebius, Clemens Alexandrinus, Innocentius primus, quos refert Baronius, Imò, & Iudæ proditoris Euangelium, quidam hæretici prodiderunt, vt referunt Epiphanius *a*, & Theodoretus *b*. Sed, & B. Leo Papa *c* fatetur, Manichæos non ſolum Apoſtolicas paginas abſtuliſſe, ſed multa volumina ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis Saluatoris euulgaſſe. Hæc, & alia noſtri temporis authores diligentiſſimi prodiderunt.

c Li b. 3. Hiſtor. c. 3.
d Li. 3. Stromat.
Tom. 1. annal.
a Hæreſ. 38.
b Li. 1. Hæreti. fabul.
c Serm. 4. Epiphan.

§. 48. *Sententias difficiles Scripturæ, iuxta Patrum ſenſum exponendas, & doctrinæ nouitates fugiendas, docuerunt Sapiens, & Paulus.*

¶ 161. 2. Pet. 1. 21

EX his omnibus liquet, quod dixit Petrus: *Non voluntate humana allatas eſſe Prophetias*: neque pro cuiuſque libito, aut iudicio eas inducendas, ſed neceſſarium eſſe Eccleſiam, à qua illæ proponantur, & dentur, & euulgentur: ita vt nullas alias Scripturas, tanquam diuinas aquas recipiamus, niſi ab hoc monte Libano profluentes. Neceſſariū etiam eſt id, quod antea annotabamus, vt tales aquæ effluant vi, & impetu ſuo, quem accipiunt ab ipſius montis deſcenſu, & curſu: quia Scripturæ ſacræ, non ſunt deprauādæ, aut per vim, huc illuc que detorquendæ, aut detorquendæ, ſed accipiendæ iuxta eū curſum, & ſenſum, quem accipiunt ab ipſo monte Libano, ab ipſa ſcilicet Eccleſia. Hæretici quidē Scripturas ſacras violenter huc, illucq; cōtorquent: quod dixit Beatus Petrus, agens de epiſtolis Pauli, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depranant, ſicut ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. Mentiuntur hæretici, qui dicunt, Scripturas ſacras ita eſſe perſpicuas, vt quiuis de populo eas poſſit intelligere. In eis ſunt *quædam difficilia intellectu*: etſi namque Scriptura fons ſit patēs, ſed eſt etiam puteus profundus, vt dictum eſt. Meritò Spiritus ſanctus vocat ſacras Scripturas, aquam ſapientiæ, qua Deus potat fideles, & panem vitæ, & intellectus, quo eoſdem cibat. *Cibauit*, inquit, *illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ potabit illum*: etſi nāque aqua facilis ſit, vt glutiatur, panis tamē eget dentibus, qui ſi non præmanſus in ſtomachum trajiciatur, infirmitates excitat. Eſt quidem aliqua ex parte Scriptura facilis, quā tanquā aquā poſſumus deglutire, ſed ex alia eſt difficilis, quæ dentibus eget, id eſt, Doctorū ſanctorū diligentia, quos propterea Sponſus, *dentes* Spōſæ vocauit, vt Beatus Gregorius annotauit. Egregiè autem Petrus hæreticos vocat *indoctos, & inſtabiles*: indoctos, quia non ſunt edocti ab aliquo, ſed decepti à proprio Spiritu inſtabiles autem, quia cum nullo firmo fundamento hæreant, recedantque ab Eccleſia, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis*, nullam ipſi in ſemetipſis habent firmitatem, ſed circumferuntur omni vento doctrinæ. Hi non ſolum epiſtolas Pauli, ſed, & *cæteras Scripturas depranant*. In Græco *Strebluſin*, id eſt, in obliquū trahunt, detorquēt, vt doctus diligenſque Bozius annotauit: quo docendi genere egregiè ſanctus Apoſtolus exprimit vim, quam ſanctis Scripturis inferunt, euertentes earum ſenſum, extrahentes eas à legitimo curſu, non curantes conferre ſequentia cum antecedentibus,

1. Pet. 3. 16.
Eccl. 15. 3.
Cant. 4. 2.
In c. 4. Cā.
1. Tim. 3. 15.
Lib. 3. deſignis Eccleſiaſt. c. 4.

tibus, nec præcedentia cum sequentibus, qui, vt egregiè Beatus Gregorius Nazianzenus dixit, ad sui dogmatis cõfirmationem adhibent quidem Apostolicam quandam vocem, sed neque Apostolicè intellectam, neque Apostolicè pronunciatam, & vt Hilarius annotauit. Scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt. Similes certè patri suo, vt obseruauit Beatus Athanasius. Cum vnaquæque, inquit, hæresis, sui commenti parentem habeat eũ, qui ab initio peruersus, homicida, & mendax fuit, diabolum, ac pudore tam exosi nominis teneatur, pulcherrimum, & quod super omnia est, nomen Saluatoris, profitetur, Scripturarumque dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veruntamen inde sententiam suffuretur, ac deinde intellectu, quem ipse confixerit, dolis inumbrato errorũ, homicida efficitur. Et iterum: Sin autem ex ignorantia ita æstuant, discant ex Scripturis, excogitatorem, inuentoremque hæresum, diabolum metu sui fœtoris, Scripturarum voces vsurpare, vt illis obtectis, aspero veneno suo simplices decipiat. Et vt ijs finem imponamus obserua illam excellentissimam Spiritus sancti sententiam: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit.* Quibus verbis regulam præscribit diuinam, quam tenere debemus in explicandis sanctis scripturis, contra quam hæretici agunt. Primum, quod supponit, est, exquirẽdam omnium antiquorum Sapientiam. Vtinam hoc attenderent multi nostri temporis authores, quibus nihil magis est in animo, quam nouitates inducere, inauditas doctrinas celebrare, tantumque illa contendere dicere, quæ nusquam exiſtimant dicta: similes Athenienſibus, de quibus sanctus Lucas dixit: *Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere, aut audire aliquid noui:* qui de doctrina, & sapientia censent, sicuti de fabulis, & comœdijs, inter quas, illas magis æstimant homines, & celebriores habent, quæ recentius sunt confictæ, & nouæ in theatro repræsentantur. Qui verè sapiens est, *ſapientiam antiquorum exquiret.* Sapientia enim continet solidam, ac firmam veritatem, hoc autem veritatis est proprium, semper esse vnam, & eodem modo se habere. Vnde illam depingebant antiqui sedẽtem in lapide quadrato, qui firmus fixusque manet, mendaciũ autem in lapide orbiculari, quod facilè nouum tenet situm. Hinc perpetuò à viris Catholicis nouitas quæuis iudicata est periculosiſſima, & cuiusuis non solum sententiç, sed & nominis introductio varias curas, & anxietates inducebat, vt videre est apud Hieronymum, in Epistolis ad Damasum, qui ingentem solicitudinem, qua tenebatur, propter quandam vocum nouitatem, quam in Syria audiebat, exponit, suppliciter orans beatum Pontificem, vt quibus verbis agere debeat, tradat. Intelligebant sanè viri Catholici, quod Apostolus grandi exclamatione ad discipulum suum dixerat: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Depositi nomine Chrysostomus intelligit, Catholicæ fidei doctrinam, quam vnam, & eandem, non augendo, nec minuendo, debet Doctor Catholicus conseruare: Beatus Anselmus intelligit thesaurum veræ scientiæ. Cum plurima, inquit, Timotheo Apostolus iniunxisset, post omnia iubet, vt depositum, id est, commendatum sibi thesaurum, scientiç videlicet, acceptum à Domino talentum benè custodiat, & idcircò nomine proprio illum vocat, vt vigilantiorem, & attentiorem reddat, ad seruandum, quod admonet, dicens: *O Timothee.* Benè autem veram fidem, aut sapientiam, vocat depositum, non enim illa vera est fides, aut sapientia, quam quis nouiter inducit, sed quam in corde Catholicæ Ecclesiæ, tanquam depositum quoddã Deus ab initio seculi deposuit, seruandum à generatione in generationem. Vt hoc seruetur illæsum, vult Paulus vitandas *prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*, quo nomine doctrinas intelligo nouas, quas sub nomine nouæ scientiæ, aut intelligentiæ

Aduersus Apollinarium.

Contra Cõstantium.

Orat. 1. cõtr. Arianos.

Orat. 2. cõtr. Arianos.

¶ 162. *Ecclesiastici 39. 1. 2.*

Act. 17. 21.

Epist. 57. & 58.

1. Ad Tim. 6. 20.

Hom. 18. in 1. ad Tim.

gentiæ quidam tradunt, quæ oppoſitæ ſunt doctrinæ, quam antiqui Patres Eccleſiæ tradiderunt. Has nouitates, qui promittunt, id eſt, qui clamant, ſe tradituros doctrinam quandam nouam,
¶ 163. oppoſitam antiquæ, *circa fidem exeiderunt*: iam credendum eſt, illos a fide defeciſſe, contendereque, veros fideles ad illam deturbare. Hinc intelliges, quomodo audiendi ſint, qui opponentes ſe ſanctis Doctoribus antiquis clamant, ſe nouas quaſdam inueniſſe doctrinas, ad reconditiora Catholicæ doctrinæ myſteria exponenda, & quod ipſi inuenerunt quæ antiquis Patribus fuerunt incognita: ſicut ergo qui depoſitum accepit cuſtodiendum, tantum dat, & extrahit, quod à prædeceſſoribus iuxta cuſtodiæ traditum fuerat, ita legitimus Doctor, doctrinam illam tradere debet, nõ quam ipſe confingere voluerit, ſed quã ab antiquis Patribus acceptam tenuerit, *Sapientiam enim antiquorum exquiret Sapiens*. Debet tradere Sapiens ſapientiam: vt illam tradat, non credat à ſe inueniendam, ideò exquirat illam ab antiquis Patribus. His concinit diuina illa ſententia, qua Deus per Ieremiam docuit fugiendos Pſeudo prophetas, falſam pacem offerentes, & quærendos Doctores veros, qui verum doceant, & exhibeant pacem. Quia autem poſſet aliquis quærere, quoſnam tales debeat indicare, inquit, *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris*. Expende egregium loquendi modum. Volens commendare, vt quærat homo viam bonam, ſupponit, interrogare debere de ſemitis antiquis, nulla enim cenſenda eſt via bona, quæ non fuerit antiquis conformis. *Interrogate*, inquit, *de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona*. Non eſt, quod Nouatores, & illos, qui nouas inducunt doctrinas, & inauditas opiniones in Eccleſia Dei, interrogetis, quænam ſit doctrina bona, tantum inuenietis bonam ad rectam fidem illam, quæ fuerit de ſemitis antiquis, id eſt, quam antiqui Patres probauerunt. *Interrogate de ſemitis antiquis*. Qui iter agit per terram ſentibus, paludibus, præcipitijſque plenam, nihil magis curat, quam ſemitas antiquas tenere, cui quouis noua ſemita, & recenter facta, ſuſpecta eſt, de qua hoc ipſo, quod nouam videt, timet ad præcipitium aliquod ducere. Sapientiam itaque antiquorum exquirit Sapiens. *Et in Prophetis vacabit*. Prophetarum nomine libros ſacros intelligit, quo nomine Chriſtus complexus eſt illos, dicens ex perſona Abrahæ ad diuitem epulonem: *Habent Moyſen, & Prophetas*. *Luc.16.29*
Horum ſtudio, qui vere ſapiens eſſe cupit, vacare debet. Sed vt id faciat, exquirat ſapientiam antiquorum, id eſt, antiquorum Eccleſiæ Patrum, & Doctorum, ſint illi tanquam baculi, quibus ſapiens innixus, pelagum Sanctarum Scripturarum ingrediatur. Hoc eſt, quod Sapiens agere debet, ad Scripturas ſacras intelligendas. Quod elegantiſſimè magis explicat Spiritus ſanctus in eo, quod ſubdit: *Narrationem virorũ nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit*. Expende aduerbium *ſimul*, quod magnum cõtinet myſterium. Verſutias parabolarum vocat, difficiles quaſdam Scripturę Sacrę ſententias, quas in varios ſenſus poteſt quis trahere, dicunturque verſutiæ à verbo verto, quod in varios contrarioſque ſenſus verti poſſunt. Vnde, vt annotat Lanſenius, in Græco habetur, *Strophas* à verbo, *Strophen*, quod eſt, vertere. Tales ſunt Scripturæ illæ, de quibus Apoſtolus Petrus dicit, quod paulò ante annotabamus, *in quibus ſunt aliqua difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant*. Qui ad harum ſententiarum intelligentiam introire parat, non ſolus introeat, ſed ſimul cum narratione virorum nominatorum, aut innixus doctrinę virorum nominatorum, quo nomine Eccleſię Doctores intelligit, quos Eccleſia nominatiores, & famigeratiſſimos habet, quos tanquam duces nobis exponit, vt ſimul cum illis ad ſacras Scripturas intelligendas, & explicandas, introeamus. Securè quis ingreditur ad loci alicuius intelligentiam, quando ſimul ingreditur cum Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Gregorio, Thoma, Bonauentura, &c. Fuit quidem nouæ cuiuſdam doctrinæ inductor, qui Beatum

¶ 164.

Ieren.6.16.

In cap. 19. Eccleſiaſt.

2.Petr.3.

Ber-

Bernardum carpere contendebat, quod de baptismo agens, minus benè explicaret verba Christi Domini dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, &c.* Qua de re, admonitus fuit Bernardus à celebri Magistro Hugone de Sancto Victore, ad quem respondens, postquam excellentem tradidit doctrinam, demonstrare volens, se rectè Christi verba explicuisse, ostendit, sequutum fuisse mentem Ambrosij, & Augustini, & subdit: *Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) mihi crede difficilè auellor. Cum his, inquam, me, aut errare, aut sapere fateor, &c.* Sicut igitur non sufficit visio eorū, quæ Deus ostēdit, nisi quid sub his, quæ visui exhibet, intelligere velit, demonstret, ideoque dictum fuit: *Intelligentia opus est in visione*, vnde nec Pharao, quid significauerint vaccæ pingues, & macræ, quid spicęę plenę, & vredine absumptę quas videbat intellexit, quousque Ioseph id sibi exposuit, similiter Nec Nabuchonosor, quid statua, quam viderat, portenderet, nisi Daniele exponente percepit, nec Baltassar eius nepos, videns Scripturā, vllatenus ipsius percepit significationē, nisi eiusdem Danielis adiutus ministerio, ita Scripturæ sacræ (inquit Beatus Hieronymus) non in legendo cosistunt, sed in intelligendo, alioqui si literam sequimur, possumus, & nos quoque nouum nobis dogma componere, vt asseramus in Ecclesia non recipiendos, qui calceati sunt, & duas tunicas habent, dum legimus: *Non duas tunicas, neque calceamenta portabitis.* Necessarij igitur sunt, qui quæ legis, tibi exponant, & intelligentiam tradant: ideoque non solus, sed simul cum illis ad percipienda Scripturæ sacræ mysteria procedas. De ijs satis.

Ioan. 3.

Epist. 77. ad magist. Hugonem.

Dan. 10. 1.

Dialogo. aduer. Luciferia. in vlt. verbis.

Matt. 10.

§. 49. *Diabolus tanquam Astrologus futura prædicit, diuersas constellationes ad inuicem non conferens, idcirco decipit.*

¶ 165. *Ait illi Iesus: Rursum scriptum est. Nō tentabis Dominum Deum tuum.* Modum, quem habiturus erat Deus ad reuincendum dęmonem, expressit ipsemet, de eo sub typo ceti vel balænæ agens: *Non* inquit, *parcam ei*, subde, *agenti verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.* Quę verba iam antea exposita, altius expendenda sunt, quę in Hebræo ita habentur: *Non tacebo*, aut *non silebo, & eius verba potentia explicabo.* R. Dauid, & Complutensis, *Non tacebo mendacia eius.* In Hebræo vox pluralis *Baddim*, quę sępè in Scriptura sacra sumitur, ad significandas prædictiones Diuinorum, aut Astrologorum, quos iudiciarios vocant, quę vt plurimum mēdaces sunt. Ita Isaias, vbi noster Vulgatus legit: *Irrita faciēs signa diuinorū*, habetur in Hebræo: *labefactans signa Baddim* id est, Astrologorum, & Ieremias, vbi Vulgatus legit: *Gladius eius super diuinos eius*, in Hebræo: *Et gladius eius super Badaim*, id est, Astrologos. Et quia vt plurimum Astrologi mendaces sunt, ideò, & pro mendacio hoc nomē, ab ipsomet Iob vsurpatum eleganter legimus: *Mendacijs tuis silebunt homines?* In Hebræo: *Baddebha*: de quibus diligens author nostri temporis. Expendit sępè Augustinus, mendacia Astrologorum, quos ipse sicut, & antiqui Patres, Mathematicos vocat, signāter aūt prosequitur, quomodo illi mendacia componant. Motus certè cœlorum illi inducunt, & stellarum aspectus producunt, regulas itidē citant à Sapientibus obseruatas, & traditas, ex quibus de futuris iudicia proferunt, & vni promittunt longam vitam, si sic vel aliter se temperet, alteri diuitias, si hoc vel illud agat, & tamen ferè semper mentiūtur, aut

Iob 41. 3.

בדים

Esa 44. 25 Ier. 50. 36.

Iob. 11. 3. Brixia in arca tom. 1 fol. 57. col. 4.

aut quoniam regulas sequũtur fallaces, quoniam non rectè cœlorũ motus speciemque considerant, aut quia minus bene stellarum aspectus instrant. Si nãque attendunt peculiarem constellationem, quæ fauere videtur ijs, quæ prædicunt, ignorant aliam, in altera cœli parte, quæ illius effectum attemperat, & modificat, aut impedit. Vnde semper irridet Augustinus eos, qui Astrologos auscultant, quos emptores mendacij vocat. Vt astrologus rectum iudiciũ prædictionemque certam possit tradere (id enim circa naturales effectus est possibile) non vnam solummodo constellationem debet attendere, aut quod vna sola stella indicat inducere, sed plures considerare tenetur, vnãque alteri conferre, & influxum vnius cũ influxu alterius cõmensurare: nam stellæ, aut cœlestes constellationes, influxus suos adinuicem modificant, & contemperant. Est Scriptura sacra cœlum, in qua quot sententiæ, imò apices sunt, tot fulgentes stellæ, aut cœlestes constellationes reperiuntur. Qui astrologari circa eas contendit, vt veras proferat prædictiones, non vnam, aut alteram debet solũmodo conspicere, sed omnes, quę ad in-
¶ 166. stitutum faciunt. Vnus enim Scripturæ locus, vnumque Spiritus sancti verbum per aliud modificatur, explicatur, & tẽperatur. Hocque est quod Theologi dicunt, Scripturas sacras considerãdas ad conferentiam, aut cum conferentia vnius loci, cum altero. Si vnam tantum, qui ex Scripturis Astrologatur, constellationem attendat, proferet mendacia intoleranda. Talem Astrologũ agit dæmõ, de quo idcircò dicit Deus: *Nõ tacebo mendacia*: in Hebræo; Astrologationes, aut diuinationes *eius*. Mendacijs nãque agit ad modum Astrologi, semper futura prædicit, & ex Scripturis sanctis, & doctrina sana prædictiones instruit: sicuti nunc Christum inducit, vt se demittat, prædicens ex Scripturis sacris, quod nullum incurret periculum, vnicã illam constellationem attendens: *Scriptum est* (inquit) *quia Angelis suis, &c.* Quo etiam modo inducit homines, vt se à statu virtutis demittant ad ima vitiorum: Scriptũ est enim, quoniã Deus est misericors, qui posuit Angelos, Sacerdotes scilicet, & ministros Sacramẽti Pœnitentiæ, qui te manibus excipiãt, vt peccatum nullatenus iã te offendat, nec exitium inferat. *Mitte te deorsum*: nam scriptum est: *In quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* Scriptũ est, quod eo ipso: *quod ad omnipotentem reuersus fueris, ædificaberis, & non remanebit malum in tabernaculo tuo, &c.* Iob 22. 23. Sed Christus Dominus nunc reuelat, non silet, exponit, & in lucem profert verba illius mẽdacia, & eum comprobat Astrologum mendacem, qui tantũ considerat vnius stellæ influxum, cùm, & alterius directionem oporteret considerare, quæ illius influxum modificat, & attẽperat. Verũ quidem est, Deum Angelis commisisse iusti custodiam, vtque cum seruent, ne offendat ad lapidem: hoc tamen modificandũ est per alterius Scripturæ influxum, aut considerata illa alia constellatione, qua Deus statuit dicens: *Nõ tentabis Dominum Deum tuum*. Angeli enim aderunt custodientes, cùm homo non vult id agere, per quod Deum tentaticum non præcipitia eligit, sed viam mandatorum Dei simpliciter perambulat. Vt discamus eludere prædictiones illius Astrologi mendacis. Si namque excitet vt remittas deorsum, quia scriptum est a *Misericors, & miserator Dominus*, respondet: Rursum scriptũ est: b *Iustus Dominus, & iustitias dilexit, &c.* Si dicat: *Mitte te deorsum*, quia scriptum est: c *Non vult mortem peccatoris*, & iterum, d *Parcit pœnitentibus, &c.* Respondet, rursum scriptum est: e *Perdes omnes, qui operantur iniquitatẽ*: f *Ira eius in peccatores respicit, &c.* g *Vultus Domini super facientes mala, &c.* Si scriptum est: h *In quacunque hora ingemuerit peccator*: rursum scriptum est: i *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* His quadrant, quæ paulo ante induximus, de Sapiẽte, de quo dicit Spiritus sanctus: *Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit.* Etsi nãque virorum nominatorum appellatione supra Sanctos Doctores intellexerimus, possumus etiam Scriptores ipsos sacros accipere, quia Sapiens non ingreditur ad vnam sententiam difficilẽ explicandam, nisi simul secum ferens

a *Psal.* 110. b *Psal.* 10. c *Ezech.* 18. d *Sap.* 11. 24. e *Psal.* 5. f *Eccl.* 5. 7. g *Psal.* 33. 17. h *Ezech.* i *Matt.* 25. 12. *Eccl.* 39. 2.

aliam,

aliam, quæ ipsam possit explicare, quomodo Christus agit. Diabolus vnam sententiam inducit Dauidis, *Angelis suis Deus, &c.* Christus ad eam explicãdam simul cum narratione viri nominati Moysis, quam mente conseruat, ingreditur, dicentis, *Non tentabis, &c.* de quibus statim latius.

§. 50. *Hæretici imitatur dæmonem non conferentes diuersas Scripturæ sententias, quas ad modum cortinarum tabernaculi copulatas quiuis simul debet trahere.*

¶ 167. HIc dæmonis antiquus mos, ad modum insipientis mendacisque Astrologi, vnam tantum Scripturæ sententiam, non conferendo cum alijs, inducere, vt mendacia persuadeat: quem eius discipuli Hæretici perpetuò secuti sunt, vt annotat Tertullianus, impiè propterea ex Scripturarum sanctarum conflellationibus astrologantes. In Scripturis sanctis, quæ Christum describunt, quædam dicuntur, quæ eius humanitatem exprimunt, vt quod est minor Patre, quod nescit diem iudicij, quod fleuit, mortuus est, &c. Alia quæ eius diuinitatem prædicant, vt quod sit ante Abraham, quod sit vnum cum Patre, quod sit Dominus gloriæ, &c. Ariani, vt mendacium suum persuaderet quod filius inferior erat Patre, inducebant tantum Scripturas, quæ id asserebant, sed non attendebant, quod etsi scriptum sit, Filium minorem Patre, rursum scriptum erat, quod erat vnum cum Patre, & quod ex diuersorum locorum conferentia resultabat, Filium minorem, & æqualem Patri, minorem secundùm humanitatem, æqualem secundùm diuinitatem. Similiter Manichæi, vt suum persuaderent errorem, quod Filius non habebat veram naturã humanam, eas tantum inducebant Scripturas, quibus asserebatur, eum esse verum Deum. Si tamen non solum istiusmodi Scripturas, sed alias attenderent, quas cum illis conferrẽt, in quibus manifestè Christus verus homo asseritur, rectam, & veram prædictionem proferrent. Veritas namque perfecta, & integra, inquit Tertullianus, nõ ex vna sententia Scripturę, sed ex integritate pendet Scripturarum Pelagius multas adducebat sententias Scripturæ, vt probaret, nos viribus nostris posse omne bonum perficere, quia scriptum est: *Posuit Deus hominem in manu consilij sui*, & quod *Deus vnicuique dedit secundum propriam virtutem, &c.* Lutherus è contra, multas affert Scripturas, contendẽs Deum ita operari omnia in nobis, vt homo nihil agat, sed sit motus à Deo tanquam inanime organum: *vt omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: ipse est, qui dat velle, & perficere pro bona voluntate sua.* Sed ambo hæretico spiritu falluntur, quorum vterque vnam tantum Scripturã considerat. Etsi nãque scriptum sit, hominem non esse liberi arbitrij, & posse facere quod sibi libet, rursum scriptum est necessarium esse diuinę gratię fauorem, sine quo nihil homo potest facere, & quamuis scriptum sit, ita esse hunc fauorem necessarium, vt omnia opera nostra Deus operetur, sed rursum scriptum est, hominem esse liberi arbitrij, & debere cooperari diuinæ gratię: & vt sacrum Cõcilium Tridẽtinum dixit, cùm in sacris literis dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis nostrę admonemus, cùm respondemus: *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, Dei gratiam nos præuenire cõfitemur. Ita, & Diuus Ambrosius hęc annotauit Quidam (inquit) hæretici, ad probandam vnitatem personarum, expendebant illis Christi verbis: *Ego, & Pater vnum sumus*, vocem illam, *vnum*. Alij ad probandam diuersitatem naturarũ, expendebant tantum verbum plurare, *sumus*. Si hæc simul integraque expenderent, viderent, vnitatem essentiæ, in eo quod dicit *vnum*, & distinctionem personarũ, in eo quod in plurali dixit, *sumus*. Et huiusmodi sunt innumeræ, quę Sancti Patres annotant. Ad hęc latius explicãda, possemus annotare cor-

Libro de præscript. cap. 38.

Eccl. 17. 6. Matt. 25. 14.

Esa. 26. 12 Ad Philip. 13.

Sess. 6. c. 5. Zach. 1. 3.

Thre. 5. 21 Lib. 4. in Lucam.

Ioã. 10. 30.

cortinarum

tinarum compoſitionem, ex quibus Deus iuſſit fieri tabernaculum, ad ſeruanda, & continenda in prima, & ſecunda eius parte omnia Sancta, vt mēſam propoſitionis, candelabrum, arcam, propitiatorium, vt dixit Apoſtolus. Tabernaculum ergo ad Sancta continēda, fieri iuſſit, *ex decem cortinis, de byſſo, hyacintino, purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario*. Rupertus, & Hugo de ſancto Victore, intelligunt per opus plumariū id, quod fit acu; per quā byſſum varijs figuris ornamus: ideoque alij legunt: opere Phrygionico: ſunt enim Phrygiones, qui vel acu, vel textura, varias figuras in aulæa, & tapetia introducunt, qui vernacula lingua, Reclamatores vocantur. Caietanus Vero intelligit, opus polymitarium, id eſt, contextum ex filis variorum colorum miro artificis ingenio. Id namque, inquit, ſignificat vox Hebræa. Hæ omnes cortinæ eiuſdem menſuræ erant cōſtruendæ: *vnius menſuræ*, inquit, *ſicut vniuerſa tentoria*. Suſtentandæ autem erant quibuſdam columnis ſibi inuicem fortiſſimis vectibus vnitis, firmiterque in terra defixis: columnis inquā, nam etſi in noſtra Vulgata appellentur tabulæ ſtantes, Septuaginta tamen columnas ſcripſerunt, quam lectionem ſecutus eſt Origenes *a*, & Proſper Aquitanus *b*, & id Auguſtinus *c* ex profeſſo obſeruauit. Quoniam aūt pulchra quidem cortinarum varietas (inquit Rupertus *d*, & dixerat Gregorius *e*) & pretioſa textura eſt, non erat exterius relinquēda nuda, quæ ſuſtineret imbrium, ventorum, grandinum, & pulueris iniuriam, iuſſit Deus eas operiri ſagis filicinis, aut (iuxta Hebræum, vt ait Caietanus) cortinis caprarum, ideſt, confectis ex lana caprarum; Auguſtinus *f* vocat vela capillacea, quia ex pilis, aut capillis caprarum erant confecta. In Hebræo: *Facies cortinas ex pilis caprarum, in fine ad operimentum*. Sed quod maxime Deus circa cortinas illas ſtatuit, eſt, vt ſibi mutuo iungerentur, & ſibi ita cohærerent, vt vna alteri eſſet quaſi colligata: ideo *anſulas hyacinthinas*, inquit, *in lateribus, ac ſummitatibus facies cortinarum, vt poſſint inuicem copulari*, vt qui vnam apprehenderet cortinam, hoc ipſo aliam etiam traheret, nec vnam ſine alia trahere poſſet. Itaq; iunctæ eſſe debebāt, vt quamuis cortinæ diuerſæ eſſent in ſe, vnicum tamen efficerent tabernaculum: *Vt vnum tabernaculum*, inquit, *tabernaculum fiat*. Sub huius tabernaculi typo (vt annotauit D. Thomas) aliqua miræ excellētiæ myſteria voluit Deus exprimere, poſſumuſque Scripturam ſacram accipere, ſub qua Deus voluit ſancta includi, & teneri; ſub illa enim, quæ ad myſteriū Trinitatis Dei, ſecretum humanitatis Chriſti, virtute paſſionis, & Sacramentorum eius, quæ ad Sanctorum gloriam, peccatorum vindictam, &c. voluit Deus concluſa teneri, & ſeruari. Vnum quidem erat tabernaculū, etſi multis cortinis conſtitutum, quia vna eſt abſolutè Scriptura ſacra, etſi multis libris varijſque ſententijs conſtituta. Vocatur *a vnus liber*, & vocatur *b*, vnicum *Euangelium gloriæ Chriſti*, quamuis varij libri, & diuerſæ Scripturæ, tanquā diuerſæ cortinæ, Vna ergo eſt Scriptura tum ex parte principalis ſcribentis, qui eſt Spiritus ſanctus, tum ex parte doctrinæ, q̄a vnicā continet fidē, tum ex parte finis, q̄ eſt Chriſtus, aut beatitudo æterna. Sunt cortinæ diuerſæ, quia differētes libri diuerſæ ſentētiæ, oēs quidem ſummo artificio depictæ, & variegatæ, quia in eis deſcriptum eſt, quid credendum, quid agendum, quid ſperandum, &c. variatæ diuerſis ſenſibus, quos in ſe continent. Eiuſdem itidem ſunt menſuræ, quia eiuſdem veritatis, & eiuſdem fidei; quippe cum omnes ab vna prima veritate reuelante procedant, & omnes ad vnam ſupremam fidem ſtabiliendā pertingant. Ab artifice ſumma ſapientia prædito ſunt contextæ, quia à Spiritu S. ita Scripturæ ſanctæ cōcinnatę ſunt, vt omnē ſapientiam creatā excedant: tali artificio, vt nec minimū filum ſuperſit, aut deſit: ideoque ſæpè admonemur, nec detrahere, aut addere vel minimum iota. Has operiunt ſagaci licina, vel aulęæ ſeu cortinæ ex lana capraram; literæ ſ. cortices, qui impoliti, & inculti ſæpenumero apparent, & aliquando ex his rebus cōtexti, quæ ad lanam

¶ 168. *Ad Heb. 9. Exod. 26. Apud Lippomanum. Exod. 25.*

a Hom. 3. in Exod.
b Lib. de promiſſio. par. 1. c. 1.
c L. qq. in Exod. q. 100. & 109.
d In cap. 25 Exod.
e Lib. 25. Moral. c. 22.
f Quæſt. 173. in Exodum.

1. 2. q. 102. *art. 4. in cor. & ad 1.*

a Apoc. 5. 1.
b 2. Cor. 4. 4.

¶ 169.

lanam caprinam videntur pertinere, vt quod Tobiæ canis habebat caudam, qua applaudebat, &c. sub quibus excellentissima continetur cortinarum pulchritudo, vt egregiè Hieronymus *a* annotauit, & Chrysostomus *b* sæpissimè Cortinæ istæ columnis summa coniunctione vnitis firmatisque sustentantur, & extenduntur. Columnarum nomine (inquit Origenes) sacros Apostolos, Doctores, & Prædicatores, Prælatosque Ecclesiæ intelligi oportet, de quibus dixit Paulus: *Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse*. Quod, & similiter obseruauit Rupertus, Prosper Aquitanicus, Gregorius, Beda. Sacri ergo Doctores firmiti, & firmiter stãtes, in fide vniti, & coniuncti in vna Ecclesia cortinas sustentant; quia ea legitima Scriptura iudicanda est, quam sancti Doctores in vna Ecclesia vniti tradunt. Hi extẽsas explicatasque habent cortinas, quia ad eos pertinet Scripturas sanctas nobis proponere, & explicare: nosque Scripturas secundum eorum explicationem accipere debemus. Vnita tamen sunt tanta adhæsione, vt vnam ab altera non liceat separare, quin potius vna alteram trahere debet, quia nequaquam vna tantum Scripturæ sententia considerandæ est, sed altera statim inducenda, quæ illam sequatur, remque totam explicet. Non tantum consideranda tibi ea Scriptura est, qua Deus dicitur misericors, & quod misereatur omnibus, & dissimulat peccata; sed, & illa trahenda est, qua Deus dicitur iustus, & qui peccatores infœlicissimæ damnationi tradit, vt ex vtraque timorem spemque simul concipiat: *Et misericordiam, & iudicium cantare* cum Dauide addiscas. Si tantum percurras legens, quæ Deus tibi facienda præcipit, animo fortè deficies, nisi, & cum his ingentia præmia, quæ Deus fibi obsequentibus parata reseruat, similiter legas. Si consideras vilia, quæ de Christo in Scriptura dicuntur (inquit Ambrosius) fortè ad illum contemnendum induceris: idcircò percurre similiter, quæ de eo magnifica scribuntur, & si consideras vilia, considera mirifica, ex qua vtraque Scriptura rectam fidem de eo concipies? Ita sancta Margarita, impio iudicio iudici obijcienti, quod crederet in hominem crucifixum: Vnde oro (inquit) didicisti, Dominum Iesum fuisse crucifixum? Tunc præses: Ex libris Christianorum. Cui Margarita: Quænam verecũdia est, vt cum in eisdem libris legatur, & pœna Christi, & gloria, alterum credatis, alterum respuatis? Cur diuinam Scripturam trahis? Trahe integram, & si scripta sunt ea, quæ sunt humilitatis, rursum scripta sunt, quæ diuinitatem eius manifestant. Hæc obseruanda sunt, nõ solum, vt impios reuincamus hæreticos, sed, & eos cõuincamus peccatores, qui ad peccatorum suorum excusationem Scripturas sacras inducunt. Hi certè diabolo obtemperarunt, dicenti: *Mitte te deorsum, Scriptum est enim, &c* Ita Theodosius Imperator, B Ambrosio sibi opus impium exprobranti, respõdit: Scripturam sacram exponere, quod Dauid peccauit, qui tamen sanctus fuit: sed subiunxit egregiè sanctus Antistes: Sequutus es errantem? Sequere pœnitentem. Quasi diceret: scriptum quidem est, Dauid peccasse, sed rursum scriptum est, grauissimam egisse pœnitentiam. De qua re agit egregiè Augustinus, & in eos inuehitur, qui vnam Scripturæ sententiam considerant, qua Dauidis peccatum describitur, ad peccata defendenda, excusanda, vel committenda, & non integras Scripturas attendunt, in quibus si Dauidis peccatum enarratur, etiam eius pœnitentia describitur, vt non eius casus illos, qui stant in virtutis altitudine ad se dimittendum inducat, sed potius eius resipiscentia illos, qui se ad vitiorum ima deiecerunt, ad arripiendam pœnitentiam excitet. In multos id conuenire videtur, quod ex Dauide retulit Apostolus: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum*. Vbi non imprecantis, aut optantis affectu, sed prædicentis, & deplorantis spiritu locutus est Dauid, vt Augustinus *a*, & Anselmus *b* annotarunt. Mense quidem nomine, sacram Scripturam multi Patres intelligunt: Origenes *c*, Anselmus, *d*

Tob. 11. 9.

a In Psal. 90.

b Hom. 10 14. 15. 18. in Genes. & 1. de Dauide.

Hom 9. in Exod.

Ad Gal. 2. 2. 9

In Catena Lippoman.

Exod. 25.

Psal. 100.1

Lib. 2 in Lucam.

In Psal. 50 ¶ 170.

Psa 68. 23 ad Rom. 11

a In Psal 68

b In c. 11. ad Rom.

c Lib. 8 in ep ad Rom.

D. Tho.

D. Thomas *a*, Hilarius *b*, Bernardus *c*. Verum namq; panem, sc. Verbum Dei, quo Spiritus viuit, & spirituale cibum sermonis diuini in hac mensa nobis Deus voluit ministrare, in qua, & varijs sententiarum ferculis nos pascit: de qua propterea D. Thom. illud *d* intelligit: *Posuit mensam*, quod, & similiter Origenes *e* annotauit, qui, & illum locum ad idem institutum expêdit, quem supra tetigimus: *f Si federis cœnare ad mensam potentis, diligenter attende quæ apponuntur tibi*, &c. Ita enim habetur apud Septuaginta, quam lectionem sequuti sunt Augustinus *g*, & Ambrosius *h*. *Diligenter*, inquit, *attende* In Hebræo *Considerando considerabis*: *Bin Thabin*, à verbo, *Bun*, quod significat penetrare, discurrere, circumspicere. Et aprè quidem hoc admonemur: cibus namq; qui in hac mensa appositus est ad vitam, poterit mortem inducere, nisi diligenter attêdas, & circũspicias. Nam quæ tibi apponuntur, vt laqueos euadas, tibi in laqueum cedere poterunt, nisi attentè consideres. Si enim tantum attendas Dauid peccasse, Sansonem defecisse, fortè diabolus mensam procurabit esse tibi in laqueum, te incitãs vt te dimittas, & tradas in laqueum, qui poteris liberari, sicut, & illi liberati sunt. Si tantum percurras legendo. Deum esse misericordem, & quod in Ecclesia est potestas dimittendi peccata; & quod Deus peccantibus habet paratam misericordiam, fortè quæ ex mensa Scripturæ accipis, erunt tibi in captionem, nisi diligenter attêdas, circumspiciasque alia, quæ in eadem mẽsa tibi apposita sunt. Omnia ergo considera, & vide, quod si Sanctos cecidisse legis, etiam eorum ingentem pœnitentiam ibidem habes expressam: & quod si scriptum est, Deum esse misericordem, & quod peccantibus parcit, rursum scriptum est, Deum esse iustum, qui disperdit omnes, qui operantur iniquitatem, vt paulò ante dictum est.

(∴)

a In cap. 11 ad Rom.
b In Ps. 68.
c Ser. 29. in Cant.
d Prou. 9. 2
e Eod. lib. 8
f Prou. 23. 1
g Tract 47 & 82. in
h Lib 1. Offic. c. 13.

§. 51. *Cognoſces quæ tibi ſuggeruntur, vtiliane, & ſancta ſint, ſi examines ſecundum diuinæ Scripturæ regulas, iuxta ſenſum, quem Eccleſia recipit.*

¶ 171. NOn tentabis Dominum Deum tuum. Demonstrat Christus Dominus eum, qui vt se demittere, excitabat, Satanam fuisse, qui se transfigurauerat in Angelum lucis; quippe qui id suadebat, quod expresse contra Dei præceptum erat, dicentis in Scriptura: *Non tentabis*, &c. Difficile est aliquando ad cognoscendum, an aliqui impulsus, quibus homo excitatur, à Deo sint, an potius a dæmone. Ita enim aliquando Satanas se transfigurat, & talia suadet, talibusque rationibus vtitur, vt videatur Angelus lucis. Quod & Deus ipse testatus est, agens de eo sub specie ceti: qui postquam præmisit eum agere verbis dolosis, & sermonibus ad decipiendum aptissimè compositis, subdit: *Quis reuelabit faciem indumenti eius? Et in medium oris eius qui intrabit?* Faciem suam (iniquam scilicet mentem) ita operit aliquando, indumento iustitiæ, vt difficile sit eam detegere: & verba oris eius tanta duplicitate constant, vt ad intimum eorum difficile sit peruenire. Hic de causa maximè laborauerunt sancti Patres præscribentes regulas ad discernendum spiritus, & impulsus, vt agamus quod dixit B. Ioannes: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus vtrum ex Deo sint.* Summè enim necessarium esse hanc scientiam dicernendi spiritus, docebat Antonius; vt Cassianus refert. Quãuis autem varias regulas sancti Patres tradãt, q̃b hanc scientiã cõparemus, illa tamen certa communisque est, q̃ omnes illi præscribunt, q̃ si id, ad q̃ excitaris, est contra fidem, vel contra expressam legẽ Dei, vel Ecclesiæ, iudicare debes talẽ impulsum esse ab Angelo Satanæ, quantũcunque ad

Iob. 41. 4.
1. Ioan. 4. 1
Collat. 2. c. 4

illum excitandum, Scripturæ loca, aut alia virtutis præseferat indumenta, transfigurat enim se in Angelum lucis. Ita Beatus Vincentius ferrarius hoc remedium inter alia assignat, ad resistendum dolis inimici. Omne (inquit) sentimentum quantumcunque altum, & omnis visio quantumcunque sit secreta: & secreto tibi appareat, quæcunque sit, ex quo ducit cor tuum ad opinionem, vel infectionē contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, & maximè contra humilitatem, vel contra honestatem, exhorrescas, quia sine dubio ex parte diaboli venit. Propterea iure reprehendit Cassianus illum Heremitam, qui dum lōgo tempore dæmonem in Angeli susceptit claritate, tandem iussus ab ipso, vt Deo filium suum, qui cum eo pariter in monasterio manebat, offerret, vt hoc scilicet sacrificio, Abrahæ Patriarchæ meritis in nullo inueniretur inferior, hoc agere attentauit, perfecisseteque nisi aufugisset puer, videns illum acuentem gladium: hoc enim contra expressum Dei præceptum est: *Non occides.* Similiter, & Mesopotamenum Monachum, propterea deceptum refert idem Cassianus, quod cùm diabolus sæpè tanquam Angelus lucis multa ei reuelaret vera, tandem eundem impulit, vt ad Iudaismum se transferet, &c. Certè facilè poterat cognoscere, non Angelum lucis esse, qui veram lucem fidei extinguere conabatur. Et huiusmodi sunt innumera exempla. Ex his intelligitur, cur lex Dei vocetur lucerna, & lux. a *Lucerna pedibus meis verbum tuum: b Mandatum lucerna est, & lex lux*: hæc enim est lucis natura, manifestare, & *omne*, inquit Paulus c, *quod manifestatur, à lumine manifestatur*. Vnde si vis manifestum facere impulsum, quo te excitari intelligis adhibe lucem diuinæ legis, & vide, an talis impulsus eidem legi sit conformis, an potius contrarius: ex hoc enim manifestum tibi erit, qualis sit impulsus ille. Vnde, & ibidem de diuinis præceptis subditur: *Vt custodiant te à muliere mala & à blanda lingua extranea.* In Hebræo, vt notat Caietanus *à blanditijs lingua extranea.* Caro excitat sæpè ad delectabile bonum; dæmonis itidem lingua varijs nos allicit blanditijs si vis non decipi, attende, si aliquid tibi contra legē Dei suggeritur, aut suadetur. Vnde religiosus cui Angelus splendidissimus appareret, & induceret, vt vxorem duceret, hoc ipso intelligere deberet, illum esse Angelum Satanæ, qui rem sacrilegam legeque prohibitam peteret; quantumcunque multas validasque suo iudicio rationes proponeret; nec vllam probabilitatem posset religiosus prætendere, si consentiret; se tantam dæmoni, suæque libidini satisfacere velle. Similiter fidelis, cui Angelus similiter nimio fulgore tutilans appareret, si eum excitaret, quantumcunque fortissimis rationibus, vt summi Pontificis obedientiam non teneret, aut superiorum leges transgrederetur, hoc ipso iudicare teneretur, illum non lucis, sed Satanæ Angelum fuisse, qui contra id, quod scriptum est: *Obedite prapositis vestris, & subiacete eis*, loquitur. Aperte quidem, & manifestè Apostolus dixit, nullatenus credendum, quod nobis contra Dei statutū proponitur, à quocūque aut quacunque ratione proponatur, quantumcunque sit Apostolus, aut verò Angelus de cœlo: nec posse illud aliquo pacto reputari probabile quod potius hoc ipso tāquam anathema execrari debemus. *Licet nos, aut Angelus de zelo, euangelizet vobis, praterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Alludere videtur ad Prophetam, qui contra Dei mandatum egit, inductus à quodam Pseudopropheta, tanquam Dei voluntatem proponente, quod erat contra illius apertū mandatum: quem debebat hoc ipso anathematizare, non illi credere, aut probabile reputare, quod proponebat. Inquirit S. Bernardus quando possimus credere, & iudicare, vere Deum esse, qui nos ad aliquid instigat, interiori vel exteriori excitatione: & respondet, tunc quando id, ad quod instigantur, ad veram iustitiam, & sanctitatem confert, & disponit: vt enim Deus ad aliquem veniat, iustitiā præmittit, quā ille sequitur iuxta illud: *Iustitia ante eū ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Vbi aptè ad hoc

Colla. 2. c. 7

Exod. 20.

Ead. Colla. 2. c. 8.

a *Psal. 118. 115.*
b *prou. 6. 23.*

c *Ad Ephe. 5. 13.*
¶ 172.

prou. 7 5.

In c. 7. pro.

ad Heb. 13. 17.

ad Galat. 1. 8.

3. Reg. 13. 15

Serm. 57. in Cant.

Psal. 84. 14.

ad hoc instituit B. Bernardus locum i-
Psal 88.15 stum explicat: illumque adiungit: *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Non ergo sedes paratur Deo in anima per id, quod non est iustum, aut per id, quod contra diuinam legem est; sed potius dæmoni. His egregiè fauet il-
Ps. 8. 24. la Dauidis sententia: *Consilium meum iustificationes tuæ*: In Hebræo, vt ait Pagninus: *Viri consilij mei, iustificationes tuæ.* Iustificationes vocat, diuina præcepta, iustificata in semetipsis.
Homil 43. ad populū Considerat B. Chrysostomus hominem, quasi Regem sedentem in solio cordis sui, quem multi inducunt ad hoc, vel illud agendum. Eget proprerea consiliarijs, quorum directione sine errore procedat. Quos ergo consiliarios adhibebit, vt rectè se determinet? *Viri consilij mei, iustificationes tuæ*: quia id solum homo rectum iudicare debet, quod consulit diuina lex, vel diuinum præceptum statuit,
In Ps. 118. secundum legitimam Ecclesiæ intelligentiam. Quacunque persuasione reiecta, ait, Basilius, obedire oportet iustificationibus Domini, id est, diuinis eius legibus. Hanc regulam nobis cœlestis magister nunc suo proponit exemplo, qui id, ad quod excitabatur, impium esse, & malum colligit ex eo, quod diuinæ Scripturæ contrarium est, dicenti: Non tentabis Dominum Deum tuum.

§. 52. *Difficilia visa sunt Salomoni, quæ facilia in Christo redduntur, signanter via colubri super petram.*

¶ 17. ITerum *assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Beatus Ambrosius peculiarem librum ideo de Salomone inscripsit, quia totum illum consumpsit in explicatione earū quæstionum, quas Salomon explicatu difficiles, imo impossibiles (iuxta lectionem Septuaginta, quam sequitur ipse) proposuit: vestigia aquilæ volantis,
Lib. de Salomone.
Prou. 30. 18. vias serpentis super petram, semitas nauis, & vias viri in iuuentute. In primis miratur Ambrosius, cur Salomoni hæc impossibilia ad explicandum visa fuerint, qui sapientissimus omnium hominum fuit, & Propheta. Petijt ille à Deo sapientiam, qua omnia sciret. *Da mihi Dominem sedium tuarum assistricem Sapientiam, vt sciam dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem omnium rerum.* *Sap. 7. & 9.* hanc sibi à Deo concessam fatetur ipse: *Omnium artifex docuit me Sapientia:* & iterum: *Inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ.* *Sap. 7. 21.* Et quidem quod tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cum omnia cognouisset, quæ in carnis abditarum dispositionum tenebantur abscondita, hæc sibi impossibilia prætendit, quippe qui à Deo esset sapientiam consecutus, qui nouerat mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cœlum omne, quod cernimus, ardua sublimitate suspensum: quemadmodum fieret aeris istius circumiectus, & fusus, æquo moderamine libratus in medio; quibus modis pigro ad imum dilapsa terra pondere subsisteret, qua ratione intra certas littorum metas, liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exstruet: quod principium rerum, quis finis, & quæ essent media: quæ iterum diuisiones, & mutationes temporum, non latebant, qui comprehenderat, qualiter sibi annorum mutua vicissitudo, redeunte orbe succederet, qua causa varios stellarum ageret cursus, præcedendo se nonnunquam, aut subitò subsequendo, vnde earum esset ortus, aut obitus, & alia multa, quæ sapientia docente cognouerat. Mirum, inquam, quod illa, quæ sibi impossibilia esse dicit, aut scire non potuit, aut videre. Et admirationem auget, res illas tales videri, quæ nec difficiles, nedum impossibiles ad intelligendum, tres saltem primæ quæstiones videntur. Quot enim venatores sunt, qui aquilæ cursum, & volatum, etsi cœlum fere pertingētem, viderunt oculis, & explicauīt verbis? Facile est ad intelligendū

cur nullũ volatus sui vestigium in aere relinquat, quoniam aer facillimè à volantibus scinditur, sed facilius eis transeuntibus cõtinuatur. Facilior videtur via nauis in mari; quod namque nauigatores sunt, qui vias eius mari certis regulis circumscribunt, & qua ratione illas certissimè conficiat, tradunt? Nullamque sui itineris relinquit semitam, quia aquæ fluidæ sunt, quæ facilius ad seipsas redeunt, quam à se inuicem separantur. Sed, & ita est facillimum intelligere, vias colubri super petram, vt potius, quid ibi sit difficile, non appareat. Nec enim difficile est ad intelligendum, duriorem esse petræ fortitudinem, pectore quantumcunque duro serpentis. Vnde quantumcunque serpens, omnes quas voluerit vias super petram agat, hac, & illac super eam feratur, nullatenus, vel leuiter petrã excauare poterit, suæ viæ aliquod vel minimum relinquens vestigum, sed potius eius pectus, quo super petram reptat, remanebit contusum, cõtritumque. Hæc nihilominus (inquit Ambrosius) impossibilia ad explicandum tunc viis sunt Salomoni, qui quoniam propheticè loquebatur, & ea quæ futuro tempore erant complenda, figurabant, tunc cum prædicebantur, videri manifestè non poterant: nec enim adhuc tempus erat, quo vmbra corpus fieret: aut veritas de figura. Nobis verò quibus Dominus Iesus Christus ostendit, quod omnia de seipso essent in lege conscripta, quibus, aut nihil est occultũ, quod non reueleturs & postquam signatum illum septem sigillis libũ, nemo alter potuit reserare, quã Christus, permissum, & indultum est nobis, vt omnia, & videre possimus, & nosse, sicut ipse Dominus ait: *Pater, abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*: & iterũ: *Vobis inquit, permissum est scire mysterium hoc.* Non ergo Salomon reprehendendus, quod non potuerit scire, quæ multo post cũ tẽpore erant manifestanda, qualia erant mysteria illa Christi profundissima, quæ in via nauis, aquilæ, & serpentis præsignata agnoscebat. Signanter aũt per vias colubri super petram, quæ faciliora omnibus videntur, arcanum mysterium voluit præsignare, inquit Ambrosius. Quis enim serpẽs? Quæ petra? Quæ via? Quid est, quod nullum ibi serpens reliquerit vnquam vestigium? Hanc petram, Dominum nostrum esse, ambigere non debemus: quia sic Apostolus ait: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: Petra autẽ erat Christus*: & Psalmographus: *in petra*, inquit, *exaltasti me*: Et Moyses in Cãtico Deuteronomij: *Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra*, ideſt, quod dulcem daturus ijs esset Euangelij suauitatem, aut Spiritũ Sanctum, per Christmatis vnctionem. Et alibi ait: *Beatus qui tenet, & allidit infantes suos ad petram*. Quod vtique in religiosis patricidium erat, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim Beatus in funere est, qui infantes suos allidit ad petrã; sed ideo Beatus est, quod illos coniungit ad petram. Dixit ergo petrã, Dominum, & Saluatorem nostrum in Scripturis omnibus inuenit: serpens autem, ex ipso nomine, quod sit diabolus apparet, sicut callidior omnium bestiarum, quæ sunt super terram, id est, diabolus, qui ideo serpens dicitur, quod occultè serpat, & quod sensus hominis tenuiter in labendo pertenet: quot si conuicerit, medullis se hominum atque ossibus implicat, & immergit. Hic serpens, in corpore hominis, quod Dei filius induerat, nullas malitiæ, suæ potuit imprimere vestigia, quamuis illud ausus fuerit sæpè tentare, sicut ipse Dominus in Euangelio ait: *Ecce venit Princeps mundi & in me nihil inuenit*: & alibi: *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei*. Hæc est ergo petra, id est, caro Christi nulla inimici iniquitate respersa, in qua nullũ serpentis vestigium apparet, vt scriptum est, *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Ita Amb. Quæ, & eisdem fere verbis tradit Chrys. annotans, verè nũc sanctũ Euãgelistã Matthæũ, clarissimã huius, quã stionis exhibuisse explicationẽ. Vias namq; (ita enim in plurali ex LXX. legit Ambrosius, quis in Vulgato, *Via* in singulari legatur)

¶ 174.

Matth. 11. 25. *Luc.* 8. 11.

Eod. lib. c. 3.

1. *Cor.* 10. 4

Psalm. 6. 3 *Deut.* 32. 13.

Psal. 136. 6.

Ioan. 14. 30. *Psal.* 88. 23.

1. *Pet.* 2. 22

Hom. 5. *ex diuersis in Matth.*

tur (ſerpens ſuper petram egit, quia omnes tentationes, quibus agere ille conſueuit, nunc induxit, in omne latus ſe conuertit: nulla fuit via, quam non teneret, nullum iaculum, quod non emitteret, nullus ſui pectoris dolus, quo non circa petram ſe circumuoluerit, ſed nullum penitus veſtigiũ reliquit: nihil namque eorum, quæ intendebat, fuit conſecutus: nam nec
¶ 175. an Chriſtus eſſet filius Dei, potuit deprehendere; nec vllatenus tanquam hominem, vel ad leuiſſimum peccatũ potuit inducere: vt verè hinc Paulus dicere potuerit, ſicut explicant Anſelmus, & D. Thomas: *Tentatum per omnia, abſque peccato*. Tentatus fuit per omnia, quia omnes tẽtationes ſuas diabolus induxit, omneſque vias ſua ſerpens peregit, ſed abſque peccato: quia nullum vel leue ex vijs, & itineribus iſtis, peccati veſtigium fuit relictum. Non vnicam viam ſerpens egit, ſed omnes, quas potuit, quia non vnica tentatione curſum perfecit, ſed iterum atque iterum regreſſus, per omnia tentationum genera vagatus eſt, & omnem viam voluit tenere. Idque varijs modis: primò ex parte obiecti, quia ad omnem concupiſcentiam excitare fuit conatus; ad concupiſcentiã carnis per gulam, ad concupiſcentiam ſuperbiæ per ambitionem; ad concupiſcentiam oculorum per auaritiam, vt benè dixerit Lucas: *Conſummata omni tentatione*; quod non diceret (inquit Ambroſius) ſi non omnium tentationum genera tentaſſet: de quo ſupra. Secundò, ex parte agentis: omnes enim figuras, & formas, quibus decipere ſolet, aſſumpſit. Namque initio ſub ſpecie hominis ſancti acceſſit, inducens Chriſtum, vt ex petris panes faceret: deinde ſub ſpecie Angeli lucis, eundem incitauit, vt ex pinnaculo ſe demitteret: & tandem propriam dæmonis perſonam referẽs, impijſſimam idololatriam ſuadere voluit. Tertiò ex parte locorum, nam ad omnia, quæ voluit loca, quæ ſuis tentationib. aptiora iudicabat, Chriſtũ duxit. Et tandem ex parte numeri ternarij: tres enim congreſſus, ad omnimodam victoriam ſtatuti videntur

in cap. 4. ad Hebræos. Hebræ. 4. 15.

Luc. 4. 13.

Lib. 4. in Lucam.

belligerantibus, ſecundum communem æſtimationem, iuxta quam dicimus: *A la tercera va la vencida*: & iuxta Philoſophorum doctrinam, quam tradit, & refert Ariſtoteles, numero ternario rem omnem com prehendi. Propter tria namque, inquit Ariſtoteles, Pythagoricorum doctrinam citans, omnia ſunt, ipſumque ter, eſt omnia quæque. Nam quæcunque res numero ternario continetur, & abſolvitur, principio, medio, & fine. Propter quod, inquit, numerum ternarium Deo Gentes in ſacrificijs tribuebant, volentes hoc ipſo, Deo id, quod totum, & perfectum eſt, exhibere. Et certè in Scriptura ſacra omnis actio frequenter numero ternario finitur. *a* Ter Paulus Dominum rogauit, *b* ter Chriſtus orauit ad Patrem; *c* ter Petrum de dilectionis affectu examinauit, ſicut ille ter, ideſt, omninò denegauerat, quaſi numero ternario completo, non ſit vltra progrediendi locus. Communiter quidem, diabolus ſemel victus, fugit (inquit Ambroſius, *d*, & Diuus Thomas *e* explicat) quoniam cũ ſuperbiſſimus ſit, maximè timet ſæpius vinci, & ſuperari. Aliquando tamen ita ex profeſſo bellum contra aliquem aſſumit, vt totum ſuum honorem in eo conſtituturum iudicet: tuncque ſi in primo congreſſu victus fuerit, non ad eundẽ reuertitur, ſed ad alium tranſit fortiorem. In quo ſi iterum ſuccubuerit, omnes tandem fortitudinis ſuæ vires educit. Id quod Origenes in Beato Iob (quem ex profeſſo tanquam rem in qua ſuum conſtitutum cernebat honorem, & æſtimationem, expugnandum aſſumpſit) conſiderauit. Admirabilis Iob, inquit Origenes, cũ prima congreſſione victoriam de diabolo perfeciſſet, atq; triũphator de maligno exticiſſet, quanto magis victoriam de illo ſumpſit, tãto amplius illum ad zelũ circa ſe, & ad maius certamen, atq; bellum cõmouit: velut enim inextinguibilis ignis flãma ſuccenſus nequiſſimus tractãs apud ſemetipſum dixit: Nunc mihi eſt belli tempus, nunc euidẽter cecidi propter tolerantiam eius: non eſt mihi fugiendum: adhuc eſt

Lib. 1. de Cœlo Tex. 2. & 3.

a *2. Cor. 12. 8.*
d *Matth. 26.*
c *Ioan. 21.*

d *L. 4 Luc.*
e *1. p. q. 114 ar. 4.*

¶ 176. *Tract. 2 in Iob in prin.*

mihi congrediendum. Timeo ne rursus terribiliter cadam ante eum, sed melius est, vt congrediar: forsitan tandem victoria ad me reuertetur: forsitan contemnit sua; ideo ille in primo vicit congressu: forsitan, & filios non summe diligebat, & ideo in secundo congressu victor euasit: sed seipsum non contemnit, suum proprium corpus non spernit, proprios suos dolores non despiciet. Quæram illum, ipsum requiram, corpus ipsius percutiam dolore, liquefaciam vulneribus, consumam vermibus, forsitan his doloribus succumbens, maledicet; forsitan hanc pœnam non sufferens, blasphemabit. Adhuc mihi spes est victoriæ. Hæc itaque, & his similia cogitãs, atq; apud semetipsum tractãs nequissimus diabolus, rursus impudentia vtitur importunitatem demonstrat, rursus tanquam canis rabidus in baculum irruit. Hæc, & alia Origenes. Assumpserat diabolus tãquam rem sibi summe honorificam, B. Iob ad aliquam blasphemiam trahere. Primo itaque congressu, bona eius absumpsit; secundo iam fortitus agens, filios illius occidit, & cum se in hoc congressu victum cerneret, tanquam rabidus canis percussus, validiori ira, & indignatione summè commotus, omne venenom tandem euomens, ipsummet vulnere seu vlcere pessimo impetiuit. Similiter igitur nunc cum Christo Domino agere contendit, & tanto validius contra illum insurgit, quanto eum fortiorem ipso B. Iob experitur; & victus tanto maiori confusione manet respersus, quanto Christus validius quam S. Iob eius contriuit conatus, quem quasi calcans, tandem omnimodè pudefecit, dicens: *Vade Satana.*

(?)

§. 55. *Diabolus mentitur promittens bona, quæ tamen repræsentat gloriosa, cuius linguam Dauid vocauit dolosam, cum carbonibus desolatorijs.*

SEmel, & iterum coluber reptauit ¶ 177.
super petram, nullatenus tamen petra cessit, nec aliquod itineris sui vestigium potuit in ea relinquere, propterea tertio, *iterum*, inquit Euangelista, fortius toto pectore nititur, laborat, & reptat, & eam aggreditur viam, qua fortiora corda solet emollire. Illa est, cum ingentia, & excellentia bona repræsentat, liberaliter offerens illi, qui quæ suadet compleuerit. Huius tentationis efficaciam ostendit Propheta ipse, vt annotauit Beatus Gregorius Nyssenus, expendens Dauidem, illis verbis: *Sagitta potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs*, dicere voluisse, illas esse sagittas acutiores, & potentiores, quæ sunt cum carbonibus desolatorijs. Potentis nomine, iuxta Gregorium Nyssenum, diabolus intelligitur, cuius potentiam ipse varijs Scripturæ locis ostendit, quam, & expressit Deus dicens: *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari*. Sagittæ illius sunt tentationes, quibus animam impugnat. Hæ aliquando sunt infirmæ, ac debiles, tunc autem sunt validæ, ac potentes, quando sunt cum carbonibus desolatorijs: & his vtitur ipse, quando omnes suæ potentiæ vires extrahit, vultque totaliter rem conficere. Carbones desolatorij, apud Basilium, & Chrysostomũ, sunt, qui desolationem faciunt, & consumptionẽ. In Hebræo, vt annotat Chrysostomus, dicuntur carbones iuniperini, aut iuniperei: inter omnia enim lingua iuniperus est aptior ad recipiendum, & conseruandum ignem, ita quod carbones iuniperi, ardentiorem acutioremque continent ignem validissimum ad succendendam, & colliquãdam rem duriorem, etiam lapides ipsos; quo propterea vtuntur cõflatores;

Homil. 5. in Can. ad finem.

Psal. 119. 4.

Iob. 41. 24.

In Ps. 119.

res; quando duriora metalla volunt emollire, aut colliquare. Idem eſt ergo cum carbonibus deſolatorijs, & cum carbonibus ardentiſſimis, ignitis, ſplendentibus, micantibus quales ſunt iuniperini, qui ad ſuccendenda, & deſolanda ea, quæ fortiſſima ſunt, validiores exiſtunt. Hos autem carbones intelligit Nyſſenus, bona terrena, diuitias, facultates honores, quæ quoniam diabolus repreſentat tanquam ignita ſplendentia, fulgentia, ac micantia, tanquam carbonibus ardentiſſimis, ardore concupiſcentiæ per illa cor ſuccendit, ſicque deſolat corda, & omne animæ bonum conſumit, & ad malum, quod vult, eorum promiſſione perducit. Ex quibus non incongrua Pſalmi intelligentia erui poteſt. Dauid, vt annota
In Pſ. 119. uit Auguſtinus, eſtque communis ſenſus ſãctorum Patrum, illum Pſalmum edidit, ex perſona hominis aſcendentis ad ſuperna, qui propterea primus eſt eorum, qui pro Cantico graduum inſcripti ſunt, vt ſæpè annotauimus. Hic autem eo ipſo, quod aſcendere nititur, tribulationes experitur, quibus compellitur orare ad Dominum, qui propterea in principio inducitur dicens. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Et ſi quæras: Quidnam eſt, quod magis torquet, & quid eſt, quod magis timet iſte aſcendens, propter quod ad diuinum fauorem implorandum ſe conuertit? Ipſe ſeipſum explicat, ſubdens: *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.* Non dubium, per labia iniqua, & linguam doloſam, intelligi labia, linguamque dæmonis, non quidem carnea, ſed ſpiritualia, quibus ſpiritualiter loquitur, decipereque conatur: quæ per antonomaſiam dicuntur in qua, & doloſa, aut fallacia,
Ioan. 8. 44. & mendacia, ſicut ipſe propriè,
¶ 178. & abſolutè dicitur, *iniquus. & mendax, & pater mendacij, & cum mendacium loquitur, ex proprijs loquitur.* Tunc autem diabolus agit labijs iniquis, & lingua doloſa, quando doloſis mendacibuſque promiſſionibus, ad iniquitatem, & peccatũ pertrahere nititur: eum ſcilicet inducit ad rem illicitam, ſpondens, & promittens pecunias, delectationes, honores, &c. Quod ergo ſummè timet iſte aſcendens eſt, verba doloſa, aut promiſſiones mendaces diaboli, per quas crudele bellum indicere ſolet. Per hanc enim linguam doloſam, deiecit parentes noſtros in Paradiſo, cum eminentiſſimis Dei donis eſſent ornati, dicens eis: *Eritis ſicut Dij.* *Gen. 3. 5.* Per hanc in maximas anguſtias coniecit Dauidem, dum promittens ei honorem, & gloriam, concitauit ad numerandum populum. Per hãc *1. Paral. 21.* induxit Acham, vt manus contra Dei legem extenderet, ad regulam auream ſuffurandam, vnde ſibi extremum ma- *Ioſue 7.* lum induxit. Per hanc quotidie deijcit innumeros; hunc in luxuriæ cœnum, promittens delectationem, illum in profundum auaritiæ, promittens pecuniarum abũdantiſſimam copiam; alium ad ima perditionis, honores eidem offerens; vt vere dicere poſſimus illud: *Repromiſſio nequiſſima, multos perdidit dirigentes, & commouit illos, quaſi fluctus maris.* *Eccl. 29. 24.* Quia ſicut fluctus maris mentem turbant, & hominem è ſtatu ſuo deijciunt, & ita promiſſiones dæmonis, titubare faciunt eos, qui ſanioris ſunt capitis: *Viros potentes girans*, id eſt, in circuitu trahens *Lieua al retorcero à los mas poderoſos: Migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus alienis.* Quid non obtinet diabolus *2. Reg. 11.* huiuſmodi promiſſionibus? Quem non deijcit, & à ſupremo ſtatu in imum detrudit Dauidem, qui leonibus fortior erat, in circulum traxit, & de- *3. Reg. 11.* iecit, promittens delectationem, quam cum Bethſabee habere poſſet, ſi eam vocaret Salomonem omnium hominum ſapientiſſimum, vagare fecit in gentibus alienis, dum promittens ei ingentes animi oblectationes ad alienigenas ducendas, & earum Deos colendos incitauit. Iudam Apoſto- *Ioan. 13.* lum ad immanem proditionem pertraxit, promittens pecunias. Saulem ad ſui ipſius homicidium crudele, & ſtultum compulit, repræſentans, id ſibi honorificum, &c. Doloſam ergo linguam iſte aſcendens vehemẽter timet. Sed aſcendentem interrogat Dauid, quaſi obijciens: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?*

sam? Quasi dicens; quod quæris remedium, quod tibi applicetur, ad hoc vt linguam non timeas, quam dolosam agnoscis, & confiteris? Nihil enim amplius necessariũ videtur, vt libereris ab illa, quam cognoscere eam esse dolosam. Si quis remedium peteret, vt liberaretur ab eo, cuius verba scit esse dolosa, quibus eum excitat, vt comedat cibum, in quo venenum latet, responderemus, facillimum esse remedium: illud est, non credere verbis, quæ dolosa esse agnouit. Verba quidem quæ ita sunt dolosa, vt homo eorum dolum, & fallaciam ignorat, timẽda sunt; nam illa sæpissime exitium inferunt; qualia fuerunt quæ in dolo locuti sunt filii Iacob ad Regem Sichem, qui credebat verba illa simplicia esse, non dolosa. *Gen.34.* Similiter quæ in dolo locutus est Ioab ad Abner, quæ Abner nesciebat esse dolosa, nec credebat, quod Ioab in dolo loqueretur. *2.Reg.3.* Illa insuper quibus ad octoginta viros locutus est Ismahel, filius Nathaniæ, quos quia dolos non suspicabantur, duxit ad locum, vbi eos interfecit. *Ierem.41.* Imo, & dolosis verbis deceperunt Gabaonitæ sanctum Iosue, quia nequaquam aliquatenus fuit suspicatus, eorum verba fuisse dolosa. *Iosue.9.* Illa tamen verba, quæ ab aliquo cognoscuntur esse dolosa, nulla ratione timentur ab eo. ¶ *179.* Stultissimè certè mortem incurret is, qui prouocatus promissionibus quantumcunque magnis ab eo, quem nouit inimicum, & verbis dolosis agentem, intendẽtem solummodo mortem inferre, in eum locum tenderet, ad quem ab illo aduocaretur. Facile fuit Iudæ Machabæo eiusque fratribus, non solum non comprehendi promissionibus Nicanoris, sed eas irridere, quas nouerant fuisse dolosas: *Innotuit enim sermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum, & conterritus est ab eo;* id est, timuit eum, & caute recedendo (vt exponit Lyra) illas promissiones declinans, *noluit videre faciẽ eius.* *1.Mac.7.30.* Hoc ergo vult dicere Dauid: Quodnam remedium petis ad linguam dolosam? Nihil melius dari, aut apponi potest, ne tibi noceat, quam intelligere linguam illam esse dolosam. Quid enim tecum agere poterit lingua, quãtumcunque multa sint, quæ promittit, si dolosam eam agnoscis, & supponis? Respondet tamen ipsemet, ex eiusdem ascendentis persona, causam exprimens, cur linguam timeat dolosam: verba namque quæ ab ipso procedunt, sunt *sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs*, ignitis, accensis, splendentibus, ac micantibus. Quamuis namque ea, quæ diabolus promittit, nullius sint ponderis, & dolosè loquatur, illa tamen ita repræsentat, vt videantur fulgentissima, splendida, & refulgentia ad modum carbonum iunipereorum, qui splendent ardentissimo igne, & eius ardore cor succendunt, & cupiditatis calore emolliunt, & desolant. Mirum est; quomodo Christo repræsentauit regna mundi, non quidem obscura, sed splendida, refulgentia, gloriosa: *Ostendit*, inquit, *omnia regna mundi, & gloriam eorum*, quasi carbones accensos, fulgidos, & splendentes, potentes corda fortissima, nisi diligenter attendant, desolare. *Iob.41.12.* Visusque est Dauid alludere ad illud, quod de dæmone sub specie ceti, Deus dixit: *Halitus eius prunas ardere facit.* In Hebræo verbum, *Lihat*, quod significat ignire, inflammare, à quo nomen, *Lahat*, quod significat rem fulgentem, & splendentem, quomodo depingitur, *gladius flammeus in manus Cherubim.* *Gen. 3. 24.* להט Prunæ autem in Hebræo dicuntur *Gabbeleih*, quæ vox significat carbonem qui cum in se nigerrimus sit flatu tamen, aut halitu, splendidissimus redditur, vt velit dicere. Flatu, aut halitu oris sui, carbones atros, obscurissimosque reddit fulgentissimas, & plendentes, & micantes prunas: vt Solis cuiusdam clarissimi, aut fulgentissimæ stellæ speciẽ tenere videãtur. Hoc diabolus agit, hęc eius vis, & astutia, q. res supponit, in se quidẽ viles, & dignas cõtemptu, sed quas, suasionis suæ halitu, & instigationis suæ flatu ita accẽdit, vt eas splendẽtes reddat, ac fulgẽtes. Vide bis hominẽ toto pectore affectũ mulierculæ vilissimæ, fœdissimæ, ac immũdæ, & miraris, quo modo vir cordatus id agere possit: sed ratio est, q. diabolus suggestionis, & suasionis suę halitu eam mẽti illius, tanq; splendidissimam, pul-

pulcherrimamque exhibet. Videbis alium summo conatu diuitias optãtem, & quærentem, quæ nihil aliud sunt, quã vile, *ac denſum lutum*, vt dixit Habacuc: sed diabolus eas refert, quasi fulgentes stellas: ex quarum influxu omne mundi bonum proueniat. Inuenies similiter hominem, suprema diligentia quærentem, honoris locum, qui in se vanior est ipsa vanitate: sed diabolus eum exhibet tanquam fulgidum sidus, quo in Republica fulgere possit, sicut Sol in cœlo residens. Ex his explicat Diuus Gregorius Nyssenus, quomodo potuerunt parentes nostri, qui eximia præstabant sapientia à Deo infusa, credere, in paruo pomo talem esse vim, & diuinitatẽ, vt manducantes, non solum redderet diuinos, sed & Deos faceret. Nemini dubium est, Adam saltem, cognouisse linguam dolosam, & mendacem: *Neque enim ille seductus fuit in prauaricatione*, ait Apostolus, sed cognouit apertè, pomum in se, rem esse parui momenti, & nullatenus habere virtutem, qualem lingua dolosa mentiens fingebat: illud tamen diabolus suæ instigationis, & suggestionis halitu, ita succendebat, splendidumque reddebat, quod repræsentabat tanquam rem dulcissimam, & suauissimam, quasi cibum ipsius Dei, proportionatum, & aptum ad conferendum, & conseruandum diuinum esse, & aperiendum oculos, vt omnia scirẽt, qui eo vescerentur, & ita ille loquebatur lingua dolosa, quod simul pomum, tanquam illustrissimum carbonem succendebat, & cor desolabat: *Vidit namque mulier lignum, quod pulchrum erat visu suaueque ad vescendum*. Non tantum pulchritudinem pomi, sed, & gustum, quem sola lingua percipere potest, quasi per oculos diabolus ingerebat, ideoque suauissimum ad vescendum mulier videbat pomum, cuius saporem nusquam adhuc per gustũ perceperat, comedit propterea ipsa, & comedit Adam. Hoc ipsum in Dauide licet intueri, viro quidem secundum cor Dei, cuius mẽtem ita illustrauerat Deus, vt fateatur ipse, quod erat *sicut aurora, cum mane sine nubibus rutilat*, & dicere potuit: *Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi*. Quomodo ergo à dæmone tractus fuit ad adulterium, homicidium, & scandalum? *Vidit*, inquit, *mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, & erat mulier pulchra valde*. Cognoscebat sanè Dauid, quidnam substantiæ haberet mulier, & quam fallax eius esset pulchritudo, qui dixit: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed, & frustra conturbatur*, & allicitur rerum pulchritudine, & venustate, quæ quauis imagine fallacior est. Linguam ergo mendacem, dolosamque deprehendit: nihilominus ita diabolus mulieris speciem repræsentabat pulcherrimam, & gustum, quem cum ea habere poterat, ita mentis suæ oculis ingerebat, vt quasi splendidum Solem illam coram eius oculis exhiberet, quo totus ipse posset oblectari, cuius ardore cor illius succendit, & omninò desolauit. Sciebat igitur linguam, quæ eum excitabat, fuisse dolosam, sed ita carbonem flatu suo succendebat diabolus, vt fecerit mulierem tanquam ardentem prunam inflammantẽ, & consumentem omnia eius viscera, & præcordia. Qua de causa meritò postea clamabat: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*, quia verè se à diabolo illusum deprehendit, omniaque quæ ille repræsentauerat, phantastica illusoriaque fuisse: *Et non est sanitas in carne mea*. Hoc ipsum quotidie apud nos ipsos, magno cum nostri detrimento, experimur. Equidem tu, quem diabolus ad auaritiam excitat, apertè cognoscis, hæc omnia terrena, esse vilissima stercora, indigna vt pro eis animę bona perdas, & te constituas in damnationis æternæ periculo, & quod illa omnia dimissurus es in morte, quã nescis, si hodie sis incursurus. Cognoscis ergo linguã esse dolosam, quę te excitat ad furtum, rapinam vsuram, &c. vt dives fias. Quid est ergo, quod agnoscens dolum linguæ, eius ductum toto pondere infectaris? Similiter tu, quẽ lingua diaboli suadet luxum manifestè cognoscis delectationem citò transituram, mansurũque peccatum, & æternæ damnationis reatum, & quod nullum fructum habiturus es in his, in quibus postea erubescens. Linguam ergo dolosam es-

Hab. 2. 6.

Li. de Opifi. hom. c. 20.

1. Tim. 2. 14.

¶ 180.

Genes. 3. 6.

2. Reg. 23. 4

Psal. 50. 8.

2. Reg. 11. 12.

Psal. 38. 6.

Psal. 37. 8.

se,

se, quæ te decipit, agnoscis. Quid igitur est, quod tam miserè, & effrenatè duceris? Tu itidem, quem ad ambitionem, inimicus impellit, euidenter cognoscis, vtilius esse animæ tuæ, & rebus tuis intendere, quam ambiendo dignitatem, nunquam quiescere, & immensas facere expensas, laqueumque tibi ipsi parare. Quid igitur esse potest, quod linguam, quam mendacem, & dolosam esse cognoscis, sequaris, & auscultes? Certè horum omnium ratio est, quia dæmonis halitus, prunas facit ita splendentes, micantes, & ardentes, vt voluntatem tuam succendant, & ad se alliciant. Repræsentat enim tibi pecunias, tanquam summum quoddam bonum, quibus qui abundant, omnia, quæ desiderare possunt, habent, qui illis carent, omnibus bonis spoliati iudicantur. Repræsentat tibi vxorem alienam, & delectationem carnalem, tanquam rem summè appetibilem, quæ omnino tuum posset facere appetitum. Refert similiter dignitatem, tanquam quid splẽdidum, quod te illustrissimum clarissimumque reddet. Quamuis ergo lingua sit dolosa, sed sagittas suas ardentibus efficit carbonibus, splendidisque, quibus animam desolare contendit. Vide quomodo volens Christum penitus deijcere, sagittas misit cum carbonibus desolatorijs, ostendens, & promittens regna mundi, non quomodocunque, sed splendentia, gloriosa, & quasi micantia, quę animum illius cupiditate succenderent, & appetitum alliceret, & inclinarent.

§. 54. *Diabolus ostendit regnorum gloriam apparentem, qui vera mala abscondit sub apparentibus bonis: è contra Deus sub apparentibus malis, vera bona abscondere solet.*

¶ 181.

Ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum. In Hebræo gloria dicitur, *Chabod*, quæ vox significat, id omne, quod illustre est, & splendidum, vt diuitias, delitias, honores, dignitates, & quidquid conducere potest, vt aliquis inclytus excellensque appareat: quia voce filij Laban vsi sunt, de Iacob loquentes. *De illius* (scilicet Laban) *facultate ditatus factus est inclytus.* In Hebræo, fecit gloriam. Et Esaias, *suspẽdam omnem gloriam domus patris eorum*: Et de Assuero dicitur: *Vt ostenderet diuitias gloriæ Regni sui*, id est, diuitias, quibus eius imperium splendebat, & potens erat. Ostendit ergo diabolus omnia Regna mundi, & gloriam eorum, id est, quicquid in eis est splendidum, illustre, glorioſum, fulgidum, honorificum, &c. More suo diabolus agit, tantum ostendens id, quod erat glorię in Regnis mũdi. Certè mundus ipse, omniaque illius Regna plena sunt doloribus, afflictionibus, & curis. Ad hoc demonstrandum, Rex Salomon (vt annotat Chrysostomus) postquam omnia comprobauit concionatoris agens officium, librum edidit Ecclesiastes, in quo ostendit, sc. quidem manum ad omnia, quę in mundo splendida, & glorioſa apparent, cõiecisse, omnia tamen inuenisse plena laboribus, & tristitijs. *Vidi*, inquit, *cuncta quæ fiunt sub Sole*, id est, in mundo vniuerso eueniunt, *& ecce vanitas, & afflictio spiritus.* In Hebræo verbũ *Raghah*, quod significat conterere, & confringere. Ideò Chaldæus. *Omnia confractio spiritus Todo es quebrantamiento de alma, o quebranto de corazon.* Quod inductione

בבר

Gen. 31. 1.

Esa. 22. 24

Esther. 1. 4

Hom. 55. ad pop.

Eccl. 1. 14.

לעע

ductione ab experiẽtia deſumpta elegantiſſimè proſequitur, & demonſtrat. Exponit namque ſe pecunias innumeras auri, & argenti coaceruaſſe, & ſubſtantias Regum, ac Prouinciarum obtinuiſſe, delitijs cunctis vacaſſe, omni ciborum genere fuiſſe oblectatum, innumera ſeruorum multitudine ſeptum, ædificaſſe domos, plantaſſe vineas, feciſſe hortos, & pomaria conſeuiſſe, & conſeruiſſe ea cuncti generis arboribus: extruxiſſe piſcinas aquarum, poſſediſſe ſeruos, & ancillas, multamque familiam habuiſſe, armẽta quoque, & magnos ouium greges, feciſſe ſibi cantores, & cantatrices, ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda, *& omnia*, inquit, *quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ paraueram, & c vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*. Quiſnam explicare valeat, quibus torqueantur doloribus Principes, quibus curis affligantur diuites, quibus torſionibus conterantur, qui mundi nitẽt gloria. Pulcherrimum quidem reddebant ipſum Abſalon capilli, qui quo longiores erant, magis eius augebant ſplendorem, & pulchritudinem, *ſed cæſaries grauabat caput eius*, & ingenti capitis dolore tenebatur, & tanto dolor ipſe creſcebat, quanto capilli, quibus fulgebat, magis augebantur. Glorioſus ſplendiduſque Rex apparet, regnorum ſuorum gloria, ſplendenti purpura, &c. ſed quanto maior hæc eſt, maiori capitis dolore angitur, & torquetur, maioribus diſtenditur curis, & timore ampliori affligitur, & conteritur. Semel ad viſionem vnius ſomnij, *conterritus eſt ſpiritus illius* magni Principis, ſupremique Monarchæ Nabuchodonoſor, & iterũ, cum quietus eſſet, & *florens in palatio ſomnium*, inquit, *vidi, quod perterruit me, & cogitationes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbauerunt me*. Somniũ ſufficit ſupremos Principes conturbare, leuis ſuſpicio eos valdè ſolicitos reddit, & vigiles. Inclytus apparet diues pecuniarum ſuarum gloria, ſed immenſis curis affligitur, & innumeris anxietatibus ſolicitatur, quæ neceſſariæ ſunt ad opes conquirendas, augendas, & conſeruandas Extendit Moyſes manum ad puluerem terræ, & ſtatim cinifes orti ſunt, qui nullatenus quietum ſomnum ſumere ſinebant. Ita accidit diuiti, qui ad diuitias, quæ ſunt puluis terræ, cor applicat, & extendit, qui etiam ipſamet abundãtia ſæpè torquetur, & perunigil redditur, ſicut ille, qui noctu in lecto cogitabat, *facere horrea maiora*: de quo ſupra late dictum eſt. Glorioſus apparet pater, filijs circundatus, tanquam *oliua* nouellis germinibus circundantibus eam: & ſicut *vitis* plena racemis, ſed quantos dolores, curaſque afferant, expreſſit ille inſignis vir, magnuſque pater, aut Patriarcha Iacob, qui ad primogenitũ ſuum Ruben dixit: *Tu principium doloris mei*, nã etſi multos dolores antequam filios habuiſſet, eſſet perpeſſus, paſtoris officium agens, dolores tamen acres, & afflictiones, quæ hoc nomine dignæ eſſent, tunc in eo cœperunt, quando filios incepit habere. Si verò alia, quæ in mundo ſunt, aſpicias, ita omnia plena lacrymis, & gemitibus inuenies, vt infelicem iudices eum, qui in mũdo verſatur. Ita Salomon: *Verti me ad alia & vidi calumnias, quæ ſub Sole geruntur* (alij legũt oppreſſiones, circumuentiones, fraudes) *& lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, &c. & laudaui magis mortuos viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole fiunt*. Omnia ergo mundi regna plena ſunt malis, doloribus, timoribus, anxietatibus, curis, lacrymis, oppreſſionibus, ſuſpicionibus: *& totus denique mundus in maligno poſitus eſt*. Nihilominus tamen nihil horum oſtẽdit diabolus, ſed ſolũmodo gloriam, & ſplendorem exterius fulgentem, & nitentem, ſub quo tot tamque innumera mala abſcondita latent. Hic dæmonis eſt mos, inquit B. Gregorius, quod vt trahat animos hominum, ea tantum illis oſtendit, quæ voluntati eorum poſſunt placere, allicereq; eorum appetitum, ſub quibus grandia multaq; abſcondit mala, quæ incurrant. Ita explicat de eo illud: *Sub lingua eius labor, & dolor*. Linguã eius vocat, inſtigationem, ſuaſionemque illius, quam facit

Eccl.2. ¶ 182.

Exod.8.

Luc.12.18

Pſal.127.

Gen.49.3.

Eccleſ.4.1.

2.Re.14.26

Dan.2.

Dan.4.

1.Ioan.5. 19.

Li.14.Moral.cap.5.

Pſal.9.7.

pro-

proponendo solummodo ea, quæ videtur bona, sub quorum specie abscondit laborem, & dolorē, qui in eis inuenitur, & mala, ad q̄ petrahere conatur, sicut piscator sub specie sibi cōuenienti, quem ostentat, abscondit hamum, quo piscem capiat. Hæc fient manifesta, si obseruemus diuersum, imo, & contrarium esse agendi modum, Dei, & diaboli. Deus inducit quidē ad verum bonum, & æternam gloriam, quā tamen induit specie mali apparentis, & pœnæ temporalis: diabolus è diuerso ad id, quod verè, & plenè malū est, & ad æternā pœnam excitat, quam tamen induit specie, & velamēto apparentis, & temporalis iucunditatis, & gloriæ. Semper consueuit Deus bona abscondere sub specie apparentiū malorum: in naturalibus enim, absconditur aurum, & argentum sub terræ arentis facie, vniones, & coralium sub aquarum profunditate, &c. Vnde Dauid de impijs loquens, *de absconditis*, inquit, *Ps. 16. 14.* *tuis, adimpletus est venter eorum*, ideſt, voluntas eorum curat impleri thesauris auri, & argenti, & pretiosorum lapidum, vt exponit Eusebius, quos Dauid absolutè. *Abscondita*, vocat, quia omnia huiusmodi bona Deus abscondit in visceribus terræ, & maris. Neque hoc est mirum, cum vsque ad nucleum abscondat sub duro cortice in fructibus, &c. In semetipso Deus id- ¶ 183. ipsum præstitit abundè, cum se voluit modo manifestare: tunc siquidem nihil aliud facere visus est, quā abscōdere bona sua, diuinitatem sub humanitate, diuitias sub paupertate, omnipotentiam sub fragili conditione, gloriam sub pœnis, & lacrymis, vt bene dixerit Propheta: *Vere tu es Deus ab-* *Esa. 45. 15.* *sconditus, Deus Israel Saluator*: & ipse similē seipsum dixit: *mulieri, quæ ab-* *Luc. 13. 21.* *scondit fermētum in farinæ satis tribus, donec fermentatum sit totū*, Sed, & bona, quæ nobis repositа habet, sub tēporalibus malis semper abscōdere vo- *Matt. 5.* luit: Regnum cœlorum sub paupertate spiritus, consolationē sub lacrymis, facietatem sub esurie, gloriā sub ignominia, tranquillitatem sub persecutione, vitam æternam sub morte, æternā beatitudinē sub opprobrio crucis. Vnde egregiè de eo agens Esaias: *Ecce*, inquit, *in iustitia regnabit, Rex, &c. Et e-* *rit sicut vir qui absconditur à vento, &* *Esa. 32. 1.* *celat se à tēpestate*. De Christo Domino sermonē esse docent Hieron. Theodoretus, Procopius, & Cyrillus, qui verè plenè, & absolutè dicitur Rex, *In c. 32. Es.* cui omnia tradita sunt à Patre, qui dixit per Dauid: *Ego autem constitutus* *Psal. 2. 6.* *sum Rex ab eo, &c.* Mentitur diabolus (vt dicemus) quando ostendens omnia Regna mundi, dixit, se Regem, & Dominum eorum esse, & sibi hæc omnia tradita fuisse. Hoc enim Christo conuenit, *quem constituit* Pater *hæredem* *Heb. 1. 2.* *vniuersorū*, cui *omnia dedit in manus*, *Ioan. 13. 3.* *&c.* Rex iste regnaturus dicitur in iustitia, aut ad iustitiā, aut vt in Hebræo, *ad iustificandū* ad hoc enim ordinatum fuit Regnum eius, de quo alibi. *Et erit sicut vir, qui absconditur à vento, &c.* In Hebræo: *Erit vir occultans spiritum*, ideſt, occultans suam diuinitatem, inquit Procopius. Vnde cum Petrus fuis- *Matth. 17.* set eam confessus, prohibitus est tam ipse quā eius condiscipuli, id manifestare, quousque patefieret. Septuaginta: *Erit vir occultans sermones suos*, quia loquebatur Christus in parabolis (inquit Cyrillus, & Theodoret.) quibus mysteria sua indignis occultabat, vt ipse Apostolus dixit, *Vobis datū est* *Luc. 8. 11.* *nosse mysteriū Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes nō videāt, &c.* Sed existimo, nomine sermonum suorū, intellexisse diuitias suas, bona sua, res suas, cōmuni phrasi Scripturæ, qua signāter idem Esaias vsus est, agens de Ezechia: *Non fuit verbum, quod non o-* *stenderet eis Ezechias*, ideſt, nulla fuit res in thesauris suis, quam non demōstraret nuntijs Regis Babylonis Hoc rex iste acturus inducitur, quod erit *Esa. 39. 2.* occultans thesauros, diuitias, facultates, ac bona sua. Quod, & verè Christus Dominus cōpleuit, qui quæ fidelibus suis promittebat bona, occultabat sub specie malorum apparentium. Vnde, & dicebat ad oēs: *Si quis vult post me* *Luc. 9. 23.* *venire, abneget semetipsū, & tollat crucem suam, &c.* & iterum: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*: Et, *si quis non re-* *Ioan. 12. 25* *nunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Et, *qui non* *Luc. 14. 33*

odit

odit patrem, & matrem adhuc, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: E, *qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Venit ad eum quidam Scriba, ſuperbia, & auaritia excitatus, vt ſancti Patres annotant, Chryſoſtomus *a*, Ambroſius *b*, Hieronymus *c*, Auguſtinus *d*, & Gregorius *e*, exiſtimans, quod ſi in eius ſocietate viueret, poſſet temporalia bona, acquirere, quia videbat, Chriſtum magna in veneratione haberi, & quod ijs, qui ſibi adhærebant facultatem dabat, vt dæmonia eijcerent, & languores curarent, vnde ille poſſet magnam bonorum copiam acquirere, ſicuti Simon Magus, qui ab Apoſtolis emere volebat gratiam faciendi miracula, vt temporalibus bonis redundaret: cuius mentem Dominus cognoſcens, reſpondit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet:* Quaſi dicat: Ego in hoc mundo, id non habeo, quod vulpibus, & volucribus, & animalibus non deeſt; quid putas habiturum eum, qui ſequitur me, & ad meam deſiderat tranſire ſocietatem? Intellige, quod ſequentibus me, non bona temporalia, delitias, diuitias, aut lautam vitam exhibeo, ſed pauperratem, nuditatem, contemptum, deiectionem. Hæc de causa difficile videbatur hominibus, illum ſequi, & ſcandalizabantur innumeri in verbis eius, quibus dixit: *Vultis me, interficere, quia ſermo meus non capit in vobis.* Dixi, me Chriſtum Regem eſſe, & videtis, me oculis veſtris offerre paupertatem, contemptum, crucem, mortificationem, quæ omnia indigna veſtro iudicio videtur vero Regi Meſſiæ, quem expectatis, vt vobis tribuat diuitias, honores, delitias, &c. *Sermo meus non capit in vobis*: nequaquam mens veſtra capit, ſub paupertate veras diuitias, ſub lacrymis verũ ſolatium ſub morte veram vitam, ſub cruce omnia beatitudinis, & gloriæ bona contineri. Ita ergo Deus agit, & agere ſolet: ſub ſpecie enim, & velamine apparentium malorum, abſcondit vera bona, & oculis hominum talia mala oſtendit, vt ad illa vera bona perducat. Hæcque eſt totius Euangelij, & doctrinæ Chriſti ſumma, hæc illius prædicatio, quod ijs, qui ad eius obſequium ſe transferunt, ſtatim coram oculis ponit, & exhibet lacrymas, perſecutiones, famem remiſſionem offenſæ, amorem inimicorum, mortificationem, imo mortem & crucem, non vnam, ſed plures. Hæc tamen fidelibus proponit, qui viua fide, ſub ijs, quæ oculi exterius conſpiciunt, vera æternaque bona contemplatur, & cognoſcunt. Diabolus è diuerſo, ſub bonorum temporalium, & apparentium ſpecie, abſcondit ea, quæ verè, & plene mala ſunt, & vt hæc inducat, illa demõſtrat. Offendit enim tantummodo diuitiarum potentiam, & honoris æſtimationem, & gloriam, & delectationis guſtum, ſub quibus latét vanitas, & afflictio ſpiritus timores, anxietates, & auaritiæ ingens malum, ambitionis culpa iniqua, luxuriæ inquinatio turpiſſima, offenſa Dei amiſſio cœleſtium donorum, reatus æternæ damnationis. Offendere voluit Angelus Ioanni mulierem quandam meretricem, cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & corrupit terram proſtitutione ſua, quæ ſedebat ſuper aquas multas, quæ vinũ propinabat: quo inebriabat homines. Vt autem Ioannes illam videret, *ſi ſtulit*, inquit, *me in ſpiritu in deſertum, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ.* Multa ſunt, quæ difficultatem habent circa hanc viſionem. Primum eſt, cuius rei typũ mulier illa geſtaret, quidve ſignificaret. Secundum, quæ ſint aquæ multæ, ſuper quas ſedebat. Tertium, quæ ſit beſtia, quæ illam ferebat. Quartum, quomodo ſedere dicatur ſuper beſtiam, ſi prius dicitur, quod ſedebat ſuper aquas multas, circa quæ multa Doctores annotant, quæ tamen a nobis breuiter ſunt percurrenda. Mulier illa apud Rupertum, erat hieroglyphicũ quod damnpiditatis, aut concupiſcentiæ. Nos dicere poſſumus, fuiſſe hieroglyphicum iniquitatis, & impietatis, ſub qua eadem effigie, Angelus alter Zachariæ impietatem demonſtrauit: nam oſtendit illi mulierem quandam, & dixit: *Hæc eſt impietas.* Hæc dicitur

Luc. 14. 26

Luc. 22. 26

¶ 147.

Matt 8. 19

a Hom. 28. *in Matth.*

b Li. 3. *offi. cap.* 11 *&* *ſerm.* 79.

c In cap. 8. *Matth.*

d Ser. 7. *de ver. Dom.*

e Lib. 19. *Mor. cap.* 1.

Act. 8. 18.

Apoc. 17.

¶ 158.

Libr. 10. *in c.* 17. *Apoc.*

Zachar. 5. 8.

sedere super aquas multas, quia in cordibus hominum residet, & ipsemet Angelus dixit ad Ioannem: *Aquas quas vidisti ubi meretrix sedet populi sunt, & gentes, & linguæ.* Hæc in hominibus sedet, hæc illis dominatur: quocunque enim verteris, videbis illud, quod per Oseã dixit Deus: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt, &c.* sedere regnantis est, dixit Diuus Thomas ideoque sedere mulierem super aquas, aut iniquitatem super gentes, est in illis regnare. Et benè Apostolus huiusmodi Regnum agnoscebat, qui hortabatur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Rectè igitur dicitur mulier sedere super aquas. Hæc meretrix est, inquit Rupertus, cum qua fornicantur Reges terræ, id est, homines, qui in terra constituti sunt, quasi Reges, quibus dixit Deus: *Dominamini piscibus maris, & bestijs terræ.* Fornicari autem, inquit Rupertus, est elongare se, aut discedere à Deo, & ad creaturam toto corde se cõuertere. Vnde Dauid cum dixisset: *Ecce qui elongant se à te, peribunt*, addidit, *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Cum iniquitate igitur homines fornicari dicuntur, quia propter eam à Deo recedunt. Hæcque fornicatio est, quæ terram corrumpit, quia cum homines se tradant iniquitati, corruptionem, & stercora amplexantur, & ex vino huius meretricis inebriantur homines, quia tradentes se iniquitati, ita agunt, ac si ebrij essent, & intellectu priuati, ac extra se positi. Quid minus ebrio facit homo, traditus luxuriæ erga mulierculam, quã diligit? Quid auarus erga pecunias, quibus cor tradidit? Quid iracundus? Quid honorem ambiens? Ideò peccatores in Scriptura ebrij vocantur, talia namque agunt, qualia nec ebrius, aut qui capitis vertigine agitur. Quamuis autem meretrix illa super aquas sedere dicatur, sedere etiam dicitur eadem super bestiã coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, quia à tali bestia ducitur, & fertur. Bestiam hanc, dæmonem esse Diuus Thomas Richardus de Sancto Victore, & alij communi asserunt consensu, quæ coccineo ac verius sanguineo colore, crudelitatem huius tyranni exprimebat, aut verò feruentem, ardentemque eius inuidiam, qua succensus, nostram perditionem procurat. Qua de causa sub specie bestiæ illius describitur, quæ tali ardore vrebatur, & ardebat, quod *de ore eius procedunt lampades ardentes, & sternutatio eius splendor, aut ardor ignis.* Et ideò ab eodem Ioanne vocatur, *Mons magnus, & ardens igne.* Mõs magnus, propter superbiam, ardens igne, propter inuidiam, qua succensus est, & ardet, cuius stimulis inflammatur, & vrgetur ad nostram perditionem procurandam. *Plena erat bestia nominibus blasphemiæ*, quia omnibus, quibus potuit modis, omnibusque rationibus, quas potuit meditari, contra Deum blasphemare nunquam cessauit, attribuendo ei, quod non habet, suadendo Deum impium, inuidum, & mendacem, vt cœpit facere cum primũ parentes nostros tentauit, & auferendo ab eo, quod habet, & sibi arrogando cultum Deo debitum, idolorum inducens religionem. Hæc bestia mulierem portabat, quia diabolus est, qui iniquitatem adduxit, & intulit in mundũ: *Inuidia enim diaboli, mors introiuit in orbem terrarum*: quia introduxit peccatum. Ille eam fert, & ducit, ac introducere conatur, eo modo, quo equus equitem suis humeris portat. Qualiter autem illam ferat, exprimit Ioannes. *Et erat*, inquit, *mulier circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis.* Ecce quomodo iniquitatem diabolus introducit, nõ nudam, non apertam, non propriam referentem faciem, sed fucatam, ornatam, circundatam purpura, coccinoque, & inauratam auro. Nunquam diabolus, inquit Beatus Gregorius Nyssenus, iniquitatem nudam demonstrat, neque prout in se est, exhibet: est enim illa in se tam turpis, abominatione, & odio digna, quod vnusquisque eam summa celeritate auersaretur, & reijceret; sed vestit eam ornamentis illis, quibus pulchram reddere contendit: ficuti fecit, inquit, cum parentibus nostris in paradiso, quibus in obedientiam & gulam, nequaquam nudam exhibuit, sed pretiosis ornauit monilibus, ostendens ligni pulchritudinem, dulcedinem pomi,

Apoc. 17. 5 *Osee. 4. 2.* *3. par. q. 68 art. 1. & 2.* *Rom. 6. 11.* *Gen. 1. 28.* *Psal. 72. 27.* *In cap. 17. Apoc.* *Iob. 41. 12.* *Apoc. 8. 8.* ¶ 186. *Sap. 2. 24.* *Li. de offic. cap. 20.*

pomi, & vtiliſſimam perſuadens eius comeſtionem. Ita crudelis beſtia mulierem ducit, aut inducit, non nudam, ſed ornatam, vndique circundatam ornamentis, & monilibus, quibus intuentium oculis grata poſſit eſſe; non enim repræſentat auaritiam, verbi gratia, nudam, prout illa in ſe eſt; quis enim non auerſaretur eam, verius quam cuiuſuis colubri venenatam faciem? Sed veſtitam inducit, repræſentans pecuniarum ingentem vim, & potentiam, & quantam in mundo habeant æſtimationem. Non ſuperbiam proponit apertã, crudelior enim quocũque crudeliſſimo tyranno facies eius deprehenderetur, ſed veſtitam oſtendens eius gloriam, qua ſplendent, qui loca tenent ſuprema quibus alij corpora, & capita ſubmittunt. Non repræſentat luxuriam, vt in ſe eſt, nam fœdior ſue iacente in volutabro luti agnoſceretur, ſed ſub placida delectatione, guſtuque carnis, & ſatietate appetitus. Ita vbique beſtia introducit mulierem, vt pacificè ſedeat, & dominetur gentibus, & populis. Tanta autem calliditate, & aſſutia eam operit, & illius faciem ornat, & circundat, vt difficile ſit, propriam, veram, genuinamque ſpeciem, & figuram, agnoſcere. Vnde obſeruat Rupertus, aptè Angelum, qui volebat Ioanni talem mulierem cognoſcendam exhibere, *ſuſtuliſſe eum in ſpiritu in deſertum.* Eſt ſiquidem deſertum, locus contemplationi vacandæ congruus, vt enim vera talis mulieris cognoſcatur effigies, alta contemplatione opus eſt. Voluit Angelus eidem Ioanni, ſub alterius mulieris typo beatitudinis gloriam demonſtrare. *Veni*, inquit, *& oſtendam tibi Sponſam vxorem agni, &c.* Vt autem eius poſſet ſpeciem contemplari, *ſuſtulit*, inquit, *me in ſpiritu, in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi ciuitatem, &c.* Expende inſigne myſterium. Magna differentia inter has mulieres, & ad eas verè cognoſcendas vocatur Ioannes ab Angelo. *Veni*, inquit, *& oſtendam tibi meretricem, &c. Veni & oſtendam tibi Sponſam, &c.* & ad vtramque ſine errore cognoſcendam eleuatus eſt ſpiritu in deſertum, & in montem magnum, & altum, vbi ſine impedimento terrenarum rerum, poſſet intellectus altiſſimè, & clarè contemplationi vacare: quia ad vera bona æterna beatitudinis, quę Deus nobis promittit cognoſcenda, oportet eleuare mentem, & terrena tranſcendere, vt magna luce fidei, intellectus in apparentibus malis vera bona conſpiciat, & in temporali labore æternam requiem, &c. Similiter, mentem attollere oportet, vt mala, quæ diabolus inducit, & proponit, homo cognoſcat, & videat, bona quę ille repræſentat, eſſe fucata, & quæ ſub apparenti delectatione continent æternam pœnam, & ſub temporali iucunditate, ignem extinguibilem. Non mirum, quod cœleſtia bona ſub apparentibus malis non cognoſcamus, qui nunquam nos in montem altum contemplationis ſuſtulimus, nunquam mentem ad illa conſideranda bona attollimus, tantum oculis conſpicimus apparentia mala, quæ patent, & non ad bona, quę ſub illis latent, mentem extendimus. Nec mirum, quod mala, quę diabolus inducit, tam facile admittamus, quia non attendimus, niſi apparentem externam ſpeciem boni, ſub qua illa abſcondita ſunt. Ioannes, qui acie intellectus præſtabat, vt vtramque mulierem poſſet ex vera facie cognoſcere, in montem altum, & ſeparatum deſertũ, in ſpiritu ductus eſt. Ita igitur beſtia mulierem introducit, ornatam, opertãque. Recte propterea Apoſtolus, id admonet, quod ſæpe inductum eſt: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Alludere videtur ad ſagittas, cum carbonibus deſolatorijs, aut ſplendentibus, de quibus paulò ante dictum eſt. Sunt eius ſagittæ igneæ, aut cum carbonibus ignitis, vel ſplendẽtibus, quia ſub promiſſionibus ſplendidis, & fulgentibus, tentationum ſagittas mittit: telum vltionis, ſub ſplendore honoris, telum luxuriæ, ſub luce delectationis, telum auaritiæ, ſub fulgore diuitiarum, &c. his propterea opponendum eſt ſcutum fidei, in quo poſſitis, inquit, omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Expende vim verborum Apoſtoli. Nihil ſplendidius, aut lucidius, quam carbo ignitus, valido flatu excitatus, &

¶ 187.

Lib. 10. cit.

Apo. 21. 10

Epheſ. 6. 16 Pſ. 119. 4.

nihil

nihil obscurius, à splendore, & luce remotius, quam idem carbo extinctus. Nihil fulgidius, aut illustrius, quam delectatio vel bonum, quo diabolus cor nostrum tanquam sagitta transfigere procurat, & quod introducere in animam nostram tanquam bestia ferens mulierem ornatam, contendit: nihil autem obscurius, quam eadem delectatio, aut bonum, dum per fidem splendor eius apparens, & ardens extinguitur, per quam ibi non bonum, sed supremũ malum morte amarius, & super omne malum fugiendum, apprehendimus. Est enim fides lumen quoddam supernaturale, à Deo menti nostræ impressum, per quod videmus interiora cuiusuis rei, cui proprium est, non iudicare de rebus secundum exteriorem apparentiam, aut faciem, quæ exterioribus oculis repræsentatur, sed secundum ea, quæ in re interius latent, & abscondita sunt. Ideoque sicut per illam sub paupertate videmus cœlestes diuitias, & sub cruce gloriam, & sub fame satietatem æternam, ita per eandem sub delitijs, & oblectationibus, videre debes æternam pœnam, sub pecuniarum inordinata collectione, paupertatem pereuntem, sub honoris fastu, & ambitione, infimã abiectionem. Simus oportet similes Christo Domino, de quo dictum fuit: *Esai. 11.3.* *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Fruſtra diabolus eius oculis ostendit omnia regna mundi, exterius gloriosa, & splendida, qui non per visum oculorum de rebus iudicabat, nec per exteriorem apparentiam, aut picturam ducebatur.

§. 55. *Felix quem non induxit in errorem artis pictura, qua diabolus seducere consueuit, sicut ciues Ierusalem Chaldæorum picturis.*

¶ 188. PRobabilem alibi indicauimus sententiam Beati Ephrem Syri, Ruperti, & Theophylacti, apparentia, & phantastica solummodo regna, & quasi depicta viuis quibusdam oculos rapientibus coloribus, dæmonem ostendisse, quæ ideò quasi gloriosa, & splẽdida repræsentauit Magnus pictor diabolus, qui rerũ figuras, viuis coloribus, & vmbris depingit, melius quã Zeuxes vuas, ad quas aues se toto conatu demittebãt, vt alibi dictum est. Gratias agit Deo Sapiens, quorundam fidelium nomine, quos non in errorem pictura ingẽti arte elaborata induxit. *Non enim in errorem induxit nos, malæ artis excogitatio, nec vmbra picturæ, labor sine fructu effigies sculpta per varios colores.* *Sap. 15.4.* De arte tã sculpendi, quam pingendi loquitur Sapiens, per quã idola fiebant, quã supra ex professo descripserat, docens, idolorũ culturã per illã fuisse introductam, per quã fiebant simulachra sculpta, de qua primò fuerat loquutus, aut verò in linteo vel tabula depingebãtur, de qua posterius agit. Vocat aũt artis excogitationẽ, quã supra vocauit *artis inuentionem* *Sap. 13.10* in Græco, *meditationẽ*, quia magna meditatione, & vehementi cogitatione ars pingẽdi inuẽta est, & ex illa procedit vt pictor rẽ, quã vult ad viuũ exprimat. *Vmbram* verò *picturæ* vocat, quia, *Lib. 10.* vt dixit Fabius, tota picturæ ars ex Vmbrarũ formatione resultat. Hęc aũt per varios colores, ita per vmbras res quasdã adũbrat, & alias ita eleuat, vt verè rẽ ipsam exhibere videatur præsentem. Et quidẽ pingendi ars, multis nominibus cõmendationem, & laudẽ meretur, vtilissimaq; est, & in pretio apud sapientes habita: sed ex eo dicitur *mala ars*, quod in errorem induxit insensatos, qui in rerũ effigie manentes, decepti fuerunt, colen-

colentes ſimulachra, & imagines picturas, tanquam Deos. Et ideo ſubdit: *Cuius aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortua imaginis effigiem ſine anima.* Quid per artem pinSap. 1. 14. guendi fiat, exprimit, quod, & ſupra prædixerat: accipit enim, inquit, artifex inutile, inſenſibileque lignum, & per iſtam artem, *illud alicui ex animalibus comparat, & perliniens rubrica*, id eſt, minio, & *rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt, perliniens*, vt non iam, lignum nodis plenum, ſed animal ſenſibus viuidum appareat. Similiter accipit *inutilem lapidem*, & illud ita apcat, vt cum lapidem ſolummodo oculis exponat, verum hominem exponere videtur; cuius aſpectus amorem in conſpicientibus generabat. Sed verè exiſtimo, alluſionem egregiam fieri ad verba illa difficilia Ezechielis, qui agens de Ieroſolyma, ſub nomine Ooliba, pro tempore, quo à Deo illa defecit, & idola coluit, rationem huius ſceleſtiſſimæ deceptionis, & intolerabilis erroris reddere volens dixit: *Cui vidiſ*Ezech. 23. 14. *ſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum formam ducum omnium ſimilitudinem filiorum Babylonis terræque Chaldæorum, in qua orti ſunt inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum, & miſit nuncios ad eos in Chaldæam. Cumque veniſſent ad eam filij Babylonis, ad cubile mammarum, polluerunt eam ſtupris ſuis, & polluta eſt ab eis, &c.* Horum verbo¶ 189. rum legitimam intelligentiam, credit Lyranus, ex eo ſumi, quod accidit 2. Reg. 16. Regi Achaz, & populo Ieruſalem. Cum enim obſideretur ciuitas à Raaſim Rege Syriæ, & Phacee Rege Iſrael, Rex Achaz eiuſque populus depoſita confidentia, quam in Deo habere tenebantur, totam ſpem, & oculos in Chaldæis collocarunt, mittenteſque nuncios ad Theglatphalaſar Regem Chaldæorum, ingentiumque theſaurorum dona, in ſuum auxilium aduocarunt Chaldæos, de quorum adiutorio talem ſpem impius Rex Achaz conceperat, quod credidit, nullum aliud auxilium, etiam diuinum ſibi neceſſarium. Hicque legitimus ſenſus eſt eorum verborum, quæ Iſaiæ dicenti: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, &c.* Eſa. 7. 11. reſpondit: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Tentare Deum, eſt, aliquid ab eo miraculosè fieri velle, quod per communia media poteſt exhiberi. Voluit dicere: Iam habeo media opportuna, quibus ab inimicis obſidentibus vrbem, liberet, ſcilicet auxilium Chaldæorum, quos aduocaui; ideo non media miraculoſa petere volo: eſſet enim tentare Deum. Ideo autem hanc tam magnam, & certam ſpem de Chaldæorum auxilio, & potentia Achaz, & eius populus conceperant, quia in parietibus depictas habebant illorum victorias. Satis enim cõmune eſt, multa bella, & inſignia virorum fortiſſimorum facinora, imo, & ipſos illuſtres viros, ſolita depingi in aulæis, & in ædium parietibus, quomodo (vt Poeta refert) Troiani cum Carthaginem peruenirent, ſe ſuaſque ærumnas, & varios caſus, & Græcorum victorias. *Virgil.* in parietibus depictas inuenerunt. In parietibus ergo Ieruſalem depicta erant Chaldæorum bella, vbi, & inſignes viri viuis coloribus depicti, ſpectantium oculos delectabant. *Videbat*, inquit, *viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus.* Nõ obſcurè, ſed expreſſè imagines erant depictæ virorũ, quos referebant, *accinctos balteis renes*, ideſt, militaribus cingulis, in ſignum probitatis: *& tiaras tinctas in capitibus eorum.* in ſignũ nobilitatis. Erãt tiaræ, faſciæ quædam capite circumductæ, quas Turbantes nũc Lib. 1. vocant, quibus vſos fuiſſe Chaldæos, docet Iuſtinus. Dicuntur autem tiaræ tinctæ, quoniam hoc diſtinguebantur tiaræ magnatum, & ducum à tiaris Regum, quod hæ candidæ erant, illæ autem aliquo peculiari colore tinctæ vt Plutarchus *a*, ſcripſit, & docuit Iuſtinus *b*, & tradidit Dionyſius *c*, a *In Lucido* Erant igitur depicti duces, & Ma- b *Lib.* 15. gnates, tiaras tinctas geſtantes in c *In vita* capitibus, quibus formam ducum *Pompeij.* omnium exprimebant. His picturis allecti Ieroſolymitæ cernere videbantur Chaldæos ipſos, eorum duces,

magnates, Principes, ac milites, multo magis validos fortes, folertes, ſplendidos, & armis munitos, quam ipſi in ſe ipſis erant, ſicut communiter fieri ſolet in picturis quæ ſæpè res ipſas pulchriores exhibent, quam res ipſæ in meripſis ſint. Hæc attendentes ciues Ieroſolymæ, crediderunt vtiliſſimum ſibi fore, ſi eos in auxilium ſuum vocarent, quod, & fecerunt: ſicque Ieruſalem *inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum*, vt vidit eos, quos pictura referebat, tam pulchros, nobiles fortes, accinctos, expeditos, & validos illum enim videbant depictum occidentem inimicum validum, alium contemplabantur deijcientem equum cõtrarium, ducem alium conſpiciebant Regem inimicum decollantem, &c.

¶ 190. Cœpit inſanire, credens, reipſa ita eſſe ſicuti depicta effigies oculis offendebat, & propterea vehementi cupiditate, & quaſi inſaniẽs, eorum amicitiam quæſiuit: & idcirco eos in ſui auxilium aduocauit. Eis autem venientibus Ieroſolymam, cum inordinato amore erga eos Ieroſolymitæ eſſent affecti, ad colendos eorum Deos excitati ſunt quo tandem factum eſt, vt ad illam impiſſimam idololatriam peruenirent, qua Rex Manaſſes, idola Caldæorum in templo Dei poſuit, ab ipſis Iudæis adoranda. Ex his patet cur dixerit Sapiens; picturæ artem, & effigiem per varios colores depictam in errorem induxiſſe: *Cuius*, inquit, *aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam*. Hoc enim eſt quod accuſaſſe Ieroſolymæ dixit Ezechiel, *Inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum*. Qua ergo res depictæ in errorem ſolent inducere, diabolus, vt nos decipiat, egregium ſe exhibet pictorem, & per varios colores, talem mortuæ rei exhibet imaginem quæ inſenſatis det concupiſcentiam, ad quam appetendam toto pectore ſe conuertant. Per huius autem artis inuentionem, meditationem, & cogitationem, vt dixit Spiritus ſanctus, ea quæ in mundo ſunt illis depingit coloribus, quos videt cuiuſuis inclinationi proportionatos. Depingit vindictam iracundo, tanquam rem ſummè honorificam, & in illum errorem practice inducit, vt credat ſibi omnino expediẽs eſſe vindictam ſumere. Honorem ambitioſo depingit, tanquam quid excellentiſſimum, & in errorem eum inducit, vt practicè credat, etiam per illicita media procurandum. Mulieris pulchritudinem, & carnalis delectationis guſtum, tam ad viuum depingit luxurioſo, vt eum inducat in errorem, quo practicè cenſeat, nihil delectabilius ſibi poſſe euenire. Hincque prouenit error, quo omnis, qui peccat, tenetur, ex huius ſcilicet malæ artis pictura. Oportet igitur, vt ſenſati ſimus; nam tantum *eius aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam* in Græco, *apkroſin*, id eſt, inſenſatis, amentibus, imprudentibus, ſtultis, ijs ſcilicet, qui exteriorem ſpeciem tantum conſiderant. Hinc intelligemus, cur diabolus tot tantoſque decipiat, & concupiſcentia ſuccendat, vt vere dixerit Ioannes: *Quidquid eſt in mundo, concupiſcentiam eſſe*: nam quidam ardent concupiſcentia carnis, alij oculorum aut diuitiarum, alij honorum, aut ſuperbia vitæ: non mirum, quia inſenſatorum, & ſtultorum infinitus eſt numerus, quos diabolus per malæ artis picturam, in deceptionem trahit: nec enim viuacioribus coloribus ciues Ieruſalem depictas habebant pulcherrimas Chaldæorum imagines, ſuper quas concupiſcentia oculorum inſanierunt, quando diabolus exhibebat depictas delectationes luxurioſis, pecuniarum iactantiam auaris, honorum excellentiam ſuperbis. Chriſto regna mundi glorioſa pulchritudine depicta offert: ſed quoniam Sapiens ille erat, nequaquam in ipſo concupiſcentiam eorum potuit ſuccendere, qui non per colores externos, & apparentem gloriam ducebatur, de quo dictum fuit, quod *non ſecundum viſionem oculorum iudicabit*.

4. *Reg* 21.

1. *Ioã.* 1. 16.

Eſa. 11. 3.

(·)

§. 56. *Sicut alienigena mulier veſte denudanda erat, ne ornatu, & fuco deciperet, ita quæ diabolus proponit ornata, & gloriosa.*

¶ 191. ALio modo poteſt exponi, quod Sapiens dixit, gratias quorundam iuſtorum nomine, Deo referens, quia nõ eos in errorem induxit malæ artis excogitatio, aut vmbra picturæ, quæ tantum inſenſatis dat concupiſcentiã, vt non tantum loquatur de arte pingẽdi, aut ſculpendi idola, ſed de omni arte pingendi, quæ in errorem inducit; vt videatur etiam ad eam alludere voluiſſe, qua mulieres ſeipſas pingunt minio, aut ſynopide, ceruſſa, & vario genere mundi muliebri. Hæc enim, mala ars, à Sanctis Patribus vocatur, contra quam vehementer inuehuntur, ſignanter Chryſoſtomus, Cyprianus, & Hieronymus: de quibus alio in loco. Hæcque eſt, quæ in errorem quotidie inducit, per quam mulier, quæ nigra eſt, iudicatur candidior niue: quæ pallida, rubra ſicut vermiculus; quæ vetula ſicut Sara, iuuencula; & quæ deformiſſima, pulchior Sole. Per hãcque artem producitur effigies depicta vel ornata, *per varios colores cuius aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam.* Et forte alluſio fit ad id, quod ſtatuit Deus, cauens ne depicta mulierum forma, vel effigies, in errorem ſuos induceret milites in bello. *Si egreſſus ad pugnam contra inimicos tuos & tradiderit eos Dominus Deus in manu tua, captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt, ſedenſque in domo tua flebit patrem, & matrem ſuam vno mẽſe &c.* Circa hanc legem multa Sancti Patres obſeruant, quam egregiè explicant Beatus Hieronymus *a*, & Diuus Thomas *b*. Sed non incongruè intelligere poſſumus, voluiſſe Deum, milites ſuos munire, ne deciperentur effigie externa depicta mulierum, & iudicantes ſe ducere vxores pulcherrimas, cum quibus in gaudio vitam agerent, ducerent deformes, quas ſtatim odio haberent. Quo etiam id fieret, vt raro, aut nunquam fideles ſui ducerent mulieres alienigenas, quas ſicut facilè amarent, dum depictas, & ornatas viderent, facilius odirent, ſi cæſarie abſciſſa, & veſte mutata, & lacrymis cõfectas, & deformatas contemplarentur. Exiſtimo enim, hoc ſæpè in more poſitum fuiſſe apud Gentes, quod cum vrbs aliqua iam ſe tradebat inimicis debellantibus, mulieres ſeipſas maiori qua poterant curioſitate ornabant, pingentes faciem ceruſſa, & minio, & ſplendidam reddentes mundo muliebri, componẽtes capillorum cæſariem, induẽtes ſe pretioſioribus veſtibus, vt milites, qui furentes ingrediebantur, earum pulchritudine allecti, benignè ſecum, & cum domibus ſuis agerent. Ita Plutarchus memorat in vita Pompeij magni, cui ad bellum Mithridaticum profecto, cum victoria potiri inciperet, oblatæ fuerũt mulieres, inſigni forma, & egregio decore ornatæ, certè vt earum ſpecie cor illius poſſet ad benignitatem conuerti, ſicuti de facto conuerterunt; quas tamen contingere noluit, ſed parentibus vel viris ſuis intactas honorificè tradidit. Hoc cõ filio Delius Cleopatram Ægypti reginam munuit, vt idem Plutarchus deſcribit. Erat quidem Antonius contra eam frenens, quam intellexerat fauiſſe Bruto, & Caſſio, occiſoribus Cæſaris: iccirco procedens ille ad bellum contra Parthos, in iudicium eam vocauit, iubens vt ſe coram eo ſiſteret in Prouincia Ciliciæ. Volens autem illa omnem Antonij indignationem, & furorem extinguere, & in benignitatem eius commutare animum, cum voluit ſe coram illo præſentem dare, mira arte capillos ſuos compoſuit, quibus poſſet eius animum irretire; veſtibuſque pretioſiſſimis induit ſe, faciem mundo muliebri ſuoque elegantiſſimè ornauit, & ſplendidam reddidit vt ad ſui concupiſcentiã prouocaret. Et

In vita Pompeij magni.

In Antonio.

Deut. 21. 10.

a Epiſt. 26. ad Læmach.

b 1. 2. qua. 105. art. 4. ad 6.

reuera quod intendebat obtinuit: non enim solũ modo eius mitigauit, & extinxit furorem; sed, & illius animum ardentissima sui concupiscentia succẽdit: de quo Hispanus, diligens, recẽsque author, longum texit sermonem. Sed, & huius rei exemplum in Scriptura sacra habemus, nã quando Princeps ille Iehu, munitus armis, & militibus, ira succensus procedebat contra domum impiæ Iezabel Reginæ cuius filium, Regem scilicet Ioram iam occiderat, quando illa resciuit quod Princeps ille furijs inuectus cõtra seipsam veniebat, & vrbem intrabat, in qua illa habitabat, *Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio*, id est, quodam colore nigro (inquit Abulensis) quo fœminæ vruntur ad reddenda supercilia nigra, & palpebras, & vocatur à nobis, Alcohol, de quo agit Plinius; *Et ornauit caput suum*, cæsariem componendo, quo pulcherrima appareret. Quærit Abulensis, cur hoc Iezabel feciſſet, eo præsertim tempore, quo in luctu esse debebat, propter filij sui Regis Ioram mortem: & respondet: tempus quidem fuisse, quo magis parata erat ad luctum, quam ad ornatum; sed vt animum Iehu leniret, & benignum erga se redderet, voluit oculis eius se exhibere depictam, & ornatam. Ex his patere potest, cur Deus suis militibus præceperit, vt qui mulierem alienigenam bello captam ducere vellet, illius pulchritudine allectus, non eam conspiceret solummodo depictam, & ornatam; facilè enim malæ artis pictura in errorẽ eum inducere posset, sed ita agendum voluit, vt omni deposito ornato, & fuco, illam contemplaretur, rasa scilicet cæsarie, vestibus, quibus se ornauerat exutis & post longam deplorationem. Quæ namque tunc remaneret pulchra, bene posset formosa iudicari: sicuti cum fucis erat depicta, poterat in errorem inducere. Qua sanè doctrina voluit Deus spirituales milites instruere, quos diabolus sæpè in errorem induxit malæ artis pictura, & effigie per varios ducta colores, vt res considerent semotis omnibus picturæ ornamentis: aliter enim ducentes mulierem, quam pulchram iudicant, statim sublato fuco inuenient deformem; & quæ prius gaudium, & delectationem inferebat, erit statim causa mœroris, & luctus. Videbis hominem, qui summo ardore in luxũ tendit, tanquam in rem maxima concupiscentia dignam; quem tamen postea, cum mortis hora inciderit, aut tempus confitendi peccata aduenerit, deprehendes tristem, & mœstum, id summo odio prosequentem, quod prius ingenti dilexerat ardore: & huius ratio est, quia rem, quam fucatam, & ornatam, maximè concupiscibilem iudicauit, sine fuco tunc, & ornamentis, secundum ea tantum, quæ in ea remanent iudicans, summo odio, & horrore dignam agnoscit. Imo, & hæc causa est, cur impij post hanc vitam, ea maiori odio prosequentur, & deformiora iudicabunt, quæ eis, dum viuerent, videbantur pulchriora, & quæ maiorem oblectationem inferebant, ac vehementiori diligebant ardore, quæ tunc, iam omni depositio fuco, & ementito ornatu conspicient, de rebusque sicut in seipsis sunt, iudicium ferent. Quod non obscurè Sapiens ipse expressit, impios in alia iam vita constitutos describens. *Tunc videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, pœnitentiam agentes, & pra angustia spiritus gementes. Videntes*, inquit, apertentes oculos, res ipsas prout in se sunt, iam depositio fuco contemplantes, turbabuntur, & mirabuntur. In Græco, extasim patientur, quasi extra seipsos positi erunt præ admiratione, considerantes subitam rerum mutationem; seipsos mirabuntur, quod tam patenti errore decepti fuerint, summe eas res amantes, quas tunc vel minimo amore dignas iudicabunt, quas potius summo prosequentur odio, dolentes, de ijs, quibus delectabantur; pœnitentiam agent de ijs, quæ summo complectebantur amore; tunc dicent: *Erraui-mus à via veritatis*, picturæ mala ars nos in errorem induxit; quem fuco depositio nunc deprehendimus: *Lassati*

Pined. 1. P. Monar. vol. 2. li 9. cap. 36. § 2 ¶ 192.

4. Reg. 9. 30

Lib. 33. c. 6

In 4 Reg. c. 9. q. 38.

Sap. 5. 2.

¶ 195.

in.

ſumus in via iniquitatis. Grauiſſimum videbunt, & ſentient pondus eorum, quibus ad ponderis ſubleuationem vti ſolebant. *Ambulauimus difficiles*. Difficiles iudicant vias, quas antea faciles delectabileſque iudicauerant. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Alij legunt: Diuitiæ cum exultatione. Quod maximi pretij videbatur, & iudicabatur tanquam res maximè proficua, & honorifica, nunc tanquam nihil agnoſcitur, ideo ſubdunt: *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius velociter percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam cuius non eſt inuenire veſtigium, aut tanquam auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, &c. Sic, & nos nati, continuo deſiuimus eſſe, in malignitate noſtra cõſumpti ſumus, &c.* Malignitas, inquit Diuus Thomas, importat malum ignem, quo quis ſuccenſus ardet: ideoque idem eſt, *in malignitate*, ac in ardenti cupiditate, qua affecti fuimus rebus ſeculi, cupide eas amantes, quas diabolus pulchras repræſentabat. Denudanda ſunt igitur, quæ diabolus pulchra, ornata, ſplendidaque facie exterius proponit, & conſideranda, illo ornatu ſemoto, relegato. Attendendum, cum luxum proponit, quid delectatione tranſacta, quam exterius refert; remaneat; nihil enim hoc ornatu ſemoto reſtat, niſi culpa, corruptio, confuſio. Cum diuitiarum offert iactantiam, denudandæ ſunt diuitiæ, & videndum quidnam illæ in ſe ſint, & quod *diues cum interierit, nõ ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria eius, ſed relinquet alienis diuitias ſuas, & ſepulchrum eius domus illius in æternum*. Quando dignitatem, pulchritudine honoris ornatam exhibet, illam tali pulchritudine denudet, & videat, qualis tandem relinquendus ſit etiam ſupremus Monarcha, poſt breues paucoſque dies adueniente morte, &c. Qui ita agit, ſenſatus eſt, & non in errorem malæ artis excogitatione inducetur. Ecce ergo nunc pictorem acutum, qui refert mundi regna, varij colorum fucis ornata: oſtendit namque omnia regna mundi glorioſa, vt vel ſic Chriſtum in errorem malæ artis pictura induceret. *Huius tamen aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam*, non illi, qui ſumma pollebat ſapientia, qui ſub illo ſplendore mala, quæ latebant, videbat, qui de rebus non ſecundum viſionem oculorum iudicabant, vt dixit Propheta, qui propterea non ſolum non dilexit mundum, ſed ſe illius inimicum conſtituit, cuius mala eſſe opera perpetuò clamauit.

In cap. 1. epiſt. ad Rom. li. 8.

Pſa. 48. 18

Eſaiæ 7.

§. 57. *In momento, regnorum mundi gloriam oſtendit Diabolus, quæ talis eſt, vt momento conſpici poſſit: gloria Regni cæleſtis, æternitatem exigit.*

¶ 194. SAnctus Lucas hæc eadem referens, dixit: *Et oſtendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis*. Bene in momento temporis ſecularia, & terrena demõſtrantur, inquit Ambroſius, qua dicendi forma non tam conſpectus celeritas, quàm caducæ poteſtatis fragilitas exprimitur. In momẽto enim cuncta illa prætereunt, & ſæpè honor ſeculi abijt, antequam veniret: ita ille. In momento ergo omnia regna orbis terræ: & omnis eorũ gloria demonſtratur, quæ tota vno momento ſubſiſtit, & finitur. Annotat Beatus Gregorius, veram fuiſſe illam ſententiam Sophar Naamathitis, amici Beati Iob, à qua ſuæ locutionis ſumpſit initium, quamuis bene illam eidem Beato viro applicare cõtenderit. *Hoc ſcio à principio, quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*. Septuaginta, *lætitia impiorum, aut exultatio*: commune eſt enim, in Scriptura ſacra, lau-

Luc. 4.
Luc.

Lib 14. Mor. c. 2.

Iob 20. 4.

dare, pro exultare ponit. a *Laudate habitatores petræ*, ideſt, exultate, tripudiate. b *Laudate ſuper Babylonem*, id eſt, gaudebunt, aut exultabunt. Itaque laus impiorum, ſignificat lætitiam, exultationem, gloriationem, qua ſibi in bonis ſuis complacent. Hæc breuis eſt, quæ nunquam niſi per momentum poſſidetur: quia non poſſidetur niſi tempore præſenti: tempus autem præſens, vnico ſolummodo inſtanti ſubſiſtit; & ſi ab ipſo humani generis exordio (inquit Gregorius) vſque ad hoc tempus, in quo ſumus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit, quam breue fuerit, videmus. Ponamus enim, quemlibet hominem à primo die mundi conditum, vſque ad hodiernum diem vitam duxiſſe, hodie tamen eandem vitam, quam quaſi longam ducere videbatur, finire: ecce, finis adeſt, præterita iam nulla ſunt, quia cuncta tranſierunt; futurum in hoc mundo nihil eſt, quia nullum ad vitam vel breuiſſimũ reſtat momentum. Vbi eſt ergo longũ tempus, quod inter initium, finemque deprehentum ita conſumitur, ac ſi nec breue vnquam fuiſſet? Hæc Gregorius. *Et gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, ideſt, ad momentum vel inſtans. Vox Hebræa hoc loco poſita, eadem eſt, quæ apud Ieremiam, *Repente, & ſubito*, quaſi dicat: gaudium mundi, quo hypocrita exultat, ſubito extinguitur, & euaneſcit, quaſi ſcintilla, quæ hoc ipſo, quod ſuccẽſa ſplendorẽ emittit, extinguitur, & abſumitur. Quod, & impij ipſi liberè confitentur: *Nos nati continuò deſinimus eſſe*. Continuò, nulla intercedente mora, ad inſtar puncti, quaſi non maiorem durationem contraxerit gaudium, quam efformatio puncti in continuo. Ita Diuus Gregorius. Inſuper dicens Euangeliſta, diabolum oſtendiſſe omnia regna mũdi, & eorum gloriam *in momento*, apertè voluit deſignare, quã parua omnia illa fuerint, quæ vnico momẽto potuerunt repræſentari, breuiſſimoque inſtanti ad vnã oculorum conuerſionem cuncta manifeſtè luſtrari. Ex quibus conſtare poteſt, quam longè Regna cœlorum, & eorum gloria ſuperent omnia regna, & gloriam orbis terrarum: illa enim non videntur, niſi ſub æternitate, cuius participationem omnibus Beatis concedit Deus. Eſt autem æternitas talis menſura, quæ ſimpliciſſima cum ſit, omne tempus ambit, non ſolum quod fuit aut erit, ſed, & quod eſſe poteſt. Hæcque neceſſaria eſt ad conſpicienda, quæ in illorum Regnorum gloria oſtendit Deus, quæ ſi ſub tempore oſtenderentur, millium annorum nullatenus ſufficere poſſent. *Oculi tui* (inquit Eſaias) *videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam*, tanta gloria redundantem, vt niſi ſub menſura, quæ omne tempus ambiat, nullatenus poſſit oſtendi. Hæc autem regna mundi omnia, omniſque illorum gloria, vel vnico temporis momento, ad vnum oculorum ictum diabolus conſpicienda proponit. Quod Deus vniuerſa, quæ in mundo ſunt, quaſi modico Solis radio collecta, euidentiſſimè oculis Beati Benedicti cõſpicienda propoſuerit, vt tradit Beatus Gregorius, non mirum: eſt enim ipſe *pater luminum*, vt dixit Sanctus Iacobus Sed quod diabolus qui tenebrarũ eſt princeps, omnia regna mundi ſub vnico temporis momento conſpicienda, ad vnum oculorum ictum exponat, apertè oſtendit, quam paruæ entitatis omnia ſint, quæ tam facilè luſtrari poſſunt. Et verè plura ſunt in eis indigna, ad quæ vir cordatus oculos conuertat, quæ potius obligant oculos apertos claudere, ne videantur, quam clauſos aperire, vt conſpiciantur, vt bene orauerit Dauid, poſtulans, & dicens: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* (?)

a *Eſa.* 42. 11.
b *Ierem.* 51. 48.
Eſa. 33. 20
2. *Dial. c.* 33.
Iacob. 2. 17
c *Ierem.* 4. 20
d *Ierem.* 18. 9.
Sap. 5. 13.

§. 58.

§. 58. *Mentitur diabolus, dicens, ſua eſſe regna mundi, quæ poteſt dare cui voluerit: ſunt enim Dei, quæ ipſe gubernat, dat, & transfert.*

¶ 195. VEntoſa dæmonis verba, & omni iactantia plena expreſſit S. Lucas: *Luc. 4. 6.* *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa. Tu ergo procidēs ſi adoraueris me, erunt tua omnia.* Seipſum iactat, exhibet, ac facit legitimū, & naturalem Dei filium, omnium rerum creatorem, & totius mundi gubernatorem (ait Chryſoſtomus) cui *Hom. 13. in Matth.* omnia tradita ſunt, qui, & propterea tanquam legitimus omnium Dominus poſſit in quemcunque vſum ad ſui voluntatem omnia conuertere. Egregiè *Lib. 5. cont. hæreſes à c. 21. vſq. 24.* B. Irenæus hæc verba diaboli expendit, ſupponitque, verè, ac bene Chriſtum Dominū de eo dixiſſe, quoniam *Ioan. 8. 44.* *mendax eſt ab initio, & quod in veritate non ſtetit, & veritas in eo non eſt.* Si veritas in eo non eſt, nunquam veritas ex eo egredietur, aut ex illo prodibit ſed ſolummodo mendacium, vel quod ad mendacium ordinatur, & diſponit. Et quidem à principio fallaci promiſſione hominem decipere volens, plura mendacia, quàm verba protulit. Primum namque ſuadere voluit, Deum mendacem fuiſſe, cum dixit: *Morte mo-* *Gen. 2. 17.* *riemini:* ac proinde non eſſe ei credendum. Secundò, Deum eſſe inuidum, quod noluiſſet eos eſſe ſibi ſimiles in ſapientia, quod facilè aſſequi poterant Tertiò, illi arbori tantam vim inſitam vt poſſet eos æquales Deo facere. Quartò, Deorum pluralitatem eſſe in natura poſſibilem. Quintò, hominem de viliſſimo terræ limo fictum, poſſe induſtria propria ad ſummi Dei æqualitatem pertingere, de quibus egregiè *Renardentius in libr. 3. c. 23.* Ieenæi Scholiaſtes. Aſſuetus autem (inquit Irenæus) ad ſeductionem per mēdacia, ſuam ſeruans conſuetudinem, nunc multa mendacia ſimiliter confingit, ex quibus fallacem componit promiſſionem. Tot ſunt illa, ac tanta, vt plura ſint, quàm eius verba. Mentitur in primis (inquit Irenæus) in eo, quod dicit, omnia regna mundi ſibi tradita fuiſſe: hæc enim ipſius Dei ſunt. cuius *Pſal. 23. 1.* *eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo.* Aptè Dauid dixit *Regna terræ cantate Deo* *Pſa. 67. 33.* *Pſallite Domino.* Quem primò vocat Deum deinde vocat Dominum, quia Dominus regnorum ipſe eſt Deus. Deinde ſecundò mentitur in eo, quod dicit, ſibi datam eſſe poteſtatem agendi quidquid voluerit, quod habeat plenam poteſtatem in mundo, eiuſque vniuerſalem gubernationem: hāc nam que nunquam Deus tradidit dæmoni, ſed ſibimet reſeruauit, cuius prouidētia cuncta gubernantur. Ita Heliu dixit ad Iob: *Quem conſtituit alium ſuper rer* *Iob. 34. 13.* *ram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem* *fabricatus eſt?* Per ſe quippe (ait Gre *24. Moral.* gorius) mundum regit, quē per ſe con- *c. 26.* didit, nec eget alienis adiutorijs ad regendum, qui non negligit quod creauit. Quod bene creauit, vtique bene regit, quia quod pie condidit, impie non diſponit; & qui necdum facta curauit, vt eſſent, quæ nunc facta ſunt, non deſeruit. Optimè Ambroſius: om- *Libr. 4. in* nia à Deo: neque enim ſine Deo mun- *Lucam.* dus, quia, & mundus per ipſum factus eſt, & ſine ipſo, omnia in nihilum recidunt. Inſuper ſancta illa Anna ex eodem principio deduxit, *quod Dominus* *1. Reg. 2.* *eſt*, qui in mundo *mortificat, & viuificat pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat: Domini namque ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*: ideſt, ipſius ſunt omnes præcipuè partes terræ, Oriens Occidens, Meridies atque Septentrio, ſuper quas tanquam ſuper fundamenta quædam conſtituit reliquum totum orbem, ac proinde in ſua poteſtate habet omnia pro libito ſuo in hoc mundo diſpēſare, & com- ¶ 196. mutare. Ita etiam Sapiens: *Tu autem* *Sap. 12. 18.* *Domine virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos; ſubeſt enim tibi, cùm volueris poſſe.* Et iterū: *Tua autem Pater proui-* *Sap. 14. 3.*

dentia gubernat: Ideoque omnia ei subiacent; quod apparet, quoniam *dedisti in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam*. Imo (vt ex professo probat Sanctus Irenæus) maiorem potestatem habet homo in regna terræ, & potiori fruitur iure quàm dæmon. Quod probat ex eo, quod Deus, ordinariam potestatem regendi, & gubernandi hominibus tribuit, quibus obedire cæteri tenentur, quam nunquam cõcessit dæmoni. Ita Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Et iterum de ipsis ait: *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè operatur.* Hæc, inquit Irenæus, non de Angelicis potestatibus, nec de inuisibilibus Principibus dixit, quomodo quidam audent exponere: sed de ijs, quæ sunt secundùm homines, potestatis, ait: *Propter hoc enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Et hoc Dominus confirmauit, qui nunquam in mundo agens, aliquatenus se subdidit Dæmoni etiam dicenti: *Hæc omnia mihi tradita sunt, &c.* hominibus autem potestatem habentibus, se subdidit, & obediuit, iubens pro se, & pro Petro dari tributum qui, & Pilato dixit *Non haberes potestatem aduersum me vllam nisi tibi datum esset desuper*. Et quidem quamuis potestatem dederit hominibus in mundo ad regendum, & gubernandum; ipse tamen supremam potestatem sibi reseruauit. Vnde aptè dixit Iob: *Sub quo curuantur, qui portant orbem*, id est, Reges, & Principes, qui clauum Reipublicæ tenent, vt intelligit Gregorius. In Hebræo verbum *Subbahh*, prosternuntur, humiliantur, summa deiectione se coram eo demittũt, supremam illius authoritatem, & potestatem profitentes: sicuti, & postea Ezechiel, supremos Monarchas, sub typo animalium portantium orbes, aut rotas, vidit, quod haberent super capita sua Deum sedentem in solio gloriæ tanquam supremum gubernatorem, ad cuius vocem animalia demittebant alas, & se omninò subdebant. De quo alibi. Quinimò nullus est homo quantumcunque vilis, & despectus, qui non maiorem habet potestatem erga res, & regna mundi, quam dæmon. Nullus est enim, cui non possit conuenire legitima potestas administrandi aliquid eorum, quæ ad regna mundi pertinent. Nullus est, qui saltem non legitimam habeat sui potestatem, nam vnumquemque constituit Deus in manu consilij, &c. Nullus est, cui de iure non conueniat habere locum in mundo nam terra data est filijs hominum, & vnusquisque nascitur cum iure accipiendi ea, quæ simpliciter necessaria sunt ad vitam sustentandam. Imò, & vermes, & formicæ maiorem potestatem habent in mundo, quam dæmon: nam legitimus locus vermium, & formicatum mundus est, & illis apte, & sine iniustitia conuenit, vti rebus mundi, quæ ad sustentationem eorum sunt congrua. quorum nullum conuenit dæmoni, qui si aliquando aliquid potest, id euenit ex peculiari Dei ordinatione vel permissione, vt satis supra probatum est. Ex quibus Beatus Augustinus explicat difficultatem illam, cur Magi Pharaonis serpentes & ranas non tamen sciniphes facere potuerunt, cùm maius sit facere serpentem, quàm sciniphem, Ratio est, quoniam illi operabantur virtute dæmonis, voluitque Deus ostendere, nihil penitus dæmonem in creaturis posse, quod sibi Deus non permiserit, aut concesserit. Qui facit maiora, quando Deus agere permittit, minora non potest perficere, quando Deus illi agere non concedit. Vnde cùm diabolus aliquid operatur, id non operatur, quia plenam habeat potestatem, qui nec minimum sciniphem ex se ipso agere potest. Mentitur ergo diabolus (ait Beatus Irenæus) dicens se habere plenam potestatem, & dominium orbis, quem Deus sita regit, gubernat, & administrat, vt nolente Patre nostro, qui in cœlis est, & sine eo, *neque passer cadet in terram*, vt dixit Christus. In huius confirmationem expendit Diuus Thomas illud, quod scriptum est: *In manu Domini potestas terræ, & vtilem rectorem suscitabit super*

Lib. 5. c. 14.

Rom. 13. 1.

Rom. 13. 4.

Matth. 17. 26.

Ioan. 19. 11

Iob 9. 13.

Ezech. 1.

Libr. 3. de Trinit. c. 9. Exod. 7. ¶ 197.

Ibid. c. 22.

In prolog. super 1. ad Timoth. Eccl. 1. 4.

ſuper illam in tempore ſuo. Quibus verbis manifeſtè aſſeritur. Deum eſſe, qui totius terræ habet dominium, regimẽ, & adminiſtrationẽ, cuius ordinatione ſuſcitantur, & erigũtur Reges, & Principes, qui regant, & gubernent. Mentitur inſuper tertio (inquit B. Irenæus) *Eod l. c. 24.* in eo, quod dicit, ſe dare regna cui vult. *Cui volo do illa.* Nõ enim ipſe determinauit huius ſeculi regna, ſed *Prou. 21. 1* Deus: quia *Regis cor in manu Dei*: & *Prou. 8. 15* per Salomonem ait Verbum; *Per me Reges regnant, & poteſtates tenent iuſtitiam* (quem locum ad idem inſtitutum etiam obſeruauit Chryſoſtomus) *Per* *Hom. 5. in imperfe.* *me Principes exaltantur, & tyranni terra.* Et Paulus Apoſtolus: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Hoc manifeſtè docuit *Rom. 13. 1* Daniel: *Ipſe mutat tempora, & ætates,* *Dan. 2. 21* *& transfert regna atque conſtituit.* Hæc *Prou. 8. 31* de cauſa dicitur Verbum Dei, aut Sapientia diuina, *ludens in orbe terrarum*, vt expoſuit Lyranus, quia ſicut qui ludit pila, eam in iſtum, vel in illum locũ, vel in alterum, facilè pro ſuæ volũtatis libito mittit, ita Deus transfert regna de gẽte in gentẽ, & de perſona in perſonã, & de proſapia in proſapiã. Quod Deus demonſtrare volens, *Lib. 10. de* inquit Auguſtinus, in Scriptura ſacra *ciuit. c. 14.* ſæpè ſe exhibet dantem, auferentem, transferentẽque regna. Dedit Regnũ *a 1 Reg. 10* Iſrael Sauli *a*, à quo illud abſtulit, & *b 1. Reg. 16* dedit Dauidi *b*. A Roboã abſtulit, par- *c 3 Reg. 12* tem Regni *c*; & dedit Ieroboã. A domo aũt Ieroboam tranſtulit in domũ Baaſa, &c. eo modo, quo ipſe voluit, & *d Iſai. 45.* ſtatuit. Et apud Iſaiam *d* dicit, regnum dediſſe Cyro: qui à Chaldæis abſtulit Imperium, & dedit Medis, & Perſis: à quibus illud abſtulit, & tranſtulit in Græcos, dãs Alexandro Magno dominũ orbis, cui manifeſtè prius apparuerat, idipsũ illi promittẽs. Deinde à Græcis ad Romanos trãſtulit Monarchiã. Propterea oẽs Reges, qui fideles extiterunt, agnouerunt ſe regnum habuiſſe, ex diuina donatione, & gratia. Ita *a 2. Reg. 6.* Dauid *a*; ita, & Salomon *b*: *Tu feciſti* *b 3. Reg. 3.* *fœdere ſeruum tuũ ſuper ſolium Regni, &c.* *7.* Ita Catholici, fideleſque Reges ſolent profiteri, dicentes: Philippus Dei gratia, Rex Caſtellæ. Legionis, &c. Hẽricus Dei gratia Rex, &c. Sãcti illi, qui meritò Regũ effigiẽ referebãt, coro-

¶ 198.

nas ſuas, quas capitibus ſuperpoſitas geſtabant, ad pedes agni, & ante eius maieſtatem, & thronũ proijciebant, quaſi dicente, quod Dauid morti proximus cecinit: *Tua eſt Domine magnificentia, et potentia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus: cuncta enim, quæ in cœlo ſunt, & in terra, tua ſunt: tuũ Domine Regnũ, & tu es ſuper omnes Principes: tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium: in manu tua virtus, & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium.* Proſequitur hæc Sanctus Anaſtaſius Nicenus, expendẽs illud, quod ſcriptum eſt: *Dabo vobis Principes ſecundũ corda veſtra*: vbi demonſtrat, neminem obtinere regnũ, aut Principatum, niſi Deo agente, aut permittente: & quod cum Reges, aut Principes ſunt impij, dati ſũt peculiari Dei permiſſione, ad vindictam iniquitatum populi. In cuius confirmationem refert, quod quando Phocas tyrannus factus fuit Imperator, & per Bonoſum lictorem, eas cœpit facere ſanguinis effuſiones: quidã Monachus in ciuitate Cõſtantinopolitana, vir sãctus, & qui ad Deum magnã habebat fiduciam, cum Deo diſceptabat, dicens in ſimplicitate: Domine, cur eum feciſti Imperatorem? Et cum multis diebus hoc dixiſſe, vox ad eum à Deo venit, dicens: Quoniã non inueni peiorem. Refert inſuper, quod cũ quædam Thebaidæ ciuitas innumeris ſceleribus, & peccatis implicata, Epiſcopo careret, Angelus Domini diſpoſuit quendã hypocritam impium eligi in Epiſcopum: & cum electus cœpiſſet ſe in ſuperbiam erigere, acceſſit ad eũ idem Angelus dicens: Cur ſuperbis, & magnificè tibi places, ò infelix? Reuera non tanquam dignus ſacerdotio factus es Epiſcopus, ſed quia hæc ciuitas tali digna erat Epiſcopo. Ita n. ſolet Deus iniquas ciuitates: & Prouincias punire: qui etiam pro magno beneficio ſibi obſequentibus dat Principes, & Paſtores ſanctos, iuxta illud: *Conuertimini filij reuertẽtes, &c. & da-* *Ierem. 3.* *bo vobis Paſtores iuxta cor meum.* Hæc *4. De ciuit.* omnia egregiè proſequitur B. Auguſtinus, qui rem omnẽ concludens: *Non* *cap. 33. & lib. 5. c. 21.* inquit, *tribuamus dandi regni, atq; imperij poteſtatẽ, niſi Deo vero, qui dat felicitate-*

Apoc. 4.

Paral. 29. 11.

Lib. qq in Sacrã ſcri. q. 15 to. 1. bibliot. SS. PP.

licitatem in regno cælorum solis pijs. Regnum verò terrenum, & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Quando voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit, qui dedit Assyrijs, vel etiam Persis, &c. Mentitur ergo diabolus, inqt Cyprianus (à quo mutasse verba videtur S. Bernardus) in quem propterea inuehitur, dicēs: Nec cœli, nec terræ tu conditior, nec Solē moues, nec cursum das sideribus, nec per te voluitur firmamentum, nec vides, aut intelligis Deū, nec vllum est tibi cum cęlesti militia consortiū. Hac occasione ibi Cyprianus, quale sit regnū diaboli, latè elegāterq; describit, *Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*: eius regna sunt vitia, quæ inhabitāt diuersi generis homines. In his regnas (inquit Cyprianus) quos inquinas, & in ijs, quos polluis, dominaris.

Li. de ieiu. & tent. Christi. Serm. de resurrect.

In ora. ad horratoria aduers. gntes. In Psal. 54 Contri status sum, &c. Ad Eph. 6. 12.

Propterea Clemens Alexandrinus vocat diabolum, Principem, aut Regem vitiorum: in vitiorum enim malitia dominatur ille, & principatum tenet. Quod, & B. Aug. tradidit, exponens illud Apostoli, quo vocat dæmones: *Principes, & potestates, & rectores mūdi tenebrarum harum.* Ne forte, inquit, cum dixisset, *Mundi*, intelligere, dæmones esse rectores cœli, & terræ, mundi dixit, tenebrarum harum, mūdi dixit, amatorū mundi; mundi dixit, impiorum, & iniquorum; mundi dixit, de quo dixit Euangelium: *Et mundus eum non cognouit.* Si enim mundus non cognouit lucem, quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, & ipsæ tenebræ, quæ non comprehenderunt lucem præsentem, mundi nomine appellātur Harum tenebrarum sunt illi rectores.

Ioan. 1. 10

§. 59. *Mentitur diabolus, dicens, se dare gloriam Regnorum terræ: qui non nisi pœnas habens, solum potest pœnas dare. Deus est, qui dat diuitias, & terrenam felicitatem.*

¶ 199. QVartò mētitur Diabolus dicens, se dare gloriam regnorum, idest diuitias delitias, honores, & reliqua, quæ gloriosa, & splendida in mundo iudicantur: nemo enim dat, quod non habet; diabolus autem in se non habet gloriam, delitias, aut diuitias. B. Augustinus expēdit ænigma positum à Salomone, quod difficile videtur. Quid hoc est, quod quædam *mulier insipiens, & audax, inops panis effecta, cōuocat præteruntes, dicens: Panes occultos libenter attingite, & aqua furtiua dulcedinem?* Ita ille ex Septuaginta legit. Si mulier est inops panis, quomodo potest inuitare, & promittere panum abundantiā? Et verè aliquo modo ex ijs, quæ Augustin. tradit, possumus ad nostrum institutum ænigma declarare de dæmone. Vocatur mulier, propter virium imbecillitatem, vt supra ostendimus. *Insipiens* aūt, quia *in veritate non stetit, & veritas in eo non est.* Sapientia namque caret, qui veritate caret, & in veritate non iudicat de rebus. *Audax* verò, quia ab initio tentauit sedē suam collocare super astra, & contendit esse similis Altissimo; & nihil est, quod non tentare audeat, habens fiduciā, quod, & Iordanis influat in os eius, talem, qui semel, & iterum ausus est Christum impetere, & inuerecūdè ab eo postulare, vt se adoraret, *Inops panis effectus*, aptissimè dicitur, quia creatus fuit in maxima abundantia donorum, quæ omnia amittēs, pauperrimus effectus est, vt meritò à Propheta comparetur *vinacijs vuarum*. Vua namq; cum viti adhæret, habet in racemis grana plena, & redundantia liquore dulcissimo, sed cū calcantis pede teritur, extrahitur omnis humor, & remanēt vinacia, idest follicula, & acini, aut officula sicca, & arida, omni liquore dulci expresso. Ita diabolus cū primò creatus fuit, adhærens Deo per gratiā, redundabant racemi essentiæ, & potentiarum suarum, egregio liquore donorum, & gratiarum: cum tamen à Deo ipso conculcatus fuit, omnis liquor ita expressus est, vt nihil in illo remanserit, nisi natura arida, sicca, nullo gratiæ, sapientiæ, oblectationisve bono, vel leuiter madefacta. In opus panis effectus propterea dicitur, quia in Scriptura, panis nomine, quicquid sustentare; aut delectare potest, sæpè significatur. Qui ergo nihil habet gratiæ, gloriæ, delectationis, diuitiarū. &c. inuitat, & hæc oīa abundan-

Tract. 97. in Ioan. Fron. 761.

Ioan. 4. 44.

Osea. 3. 1.

dantissimè ꝓmittit, quorũ nec minimũ ipse ꝓstare pót, qui in se non habet nisi dolorem, timorẽ, rabiem, inuidiam; da

Tract. de ieiun. & ton. Christi.

mnationem, pœnam. Optimè Cyprianus, in dæmonem inuehitur, conuincens eum mendacij: Tu impie, ac mendax, quid habes, quod dare possis? Tua est scabies, languentis tua sunt vlcera; hæc scalpis, hæc impurus ablingis. Tu cadauerib. affides, tu contrectas putredines, tu versas fœtores, tu spiritus nequam, sanctitatis corruptor, simplicium perturbator, incẽdiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor: quid das? Scabiem, & putredinem, & vermes dedisti Iob; mortem eius filijs, deperditionem eius substantiæ; cæcitatem, surditatem, & torsiones ei, quem ingrederis; mortem, & submersionem porcis, in quos tibi ingredi concessum

¶ 200. *Libr. 10. de ciuit. c. 14.*

fuit, &c. Egregiè B. Aug. prosequitur quomodo Deus, sciens homines induci maximè ad aliquid faciendum, spe temporalium bonorum, & terrenæ felicitatis, vt etiam per hoc medium eos ad se allicete, & ab obedientia dæmonis reuocaret; ex professo conatus fuit demonstrare in sacris litteris, se esse talium bonorum autorem, & distributorem, nec vlla ratione à dæmone talia bona esse separanda, sed ab ipso. Qui propterea superioribus seculi temporibus dispensauit vetus Testamentum, in quo bona terrena promisit obsequentibus sibi, & abundanter largitus

Lib. contra Adimantũ Manichæũ cap. 18.

est. Quod, & ex professo iterum expẽdit, inducens locum illum: *Si audieris vocem Domini Dei tui, benedictus eris in agro tuo, benedictus in prato tuo, benedictus fructus ventris tui, generationes iumentorum tuorum.* Hunc quidem locum Manichæi inducebant, contendentes, Vetus Testamentum Euangelio esse contrarium, quoniam in illo bona terrena promittuntur ab illius authore, quæ ab authore Euangelij iubentur contemni. Ex quo inferebant, dæmonem esse authorem Veteris Testamenti, quem terrenorum bonorum authorem prædicabant; Christum autem Noui, qui paupertatem spiritus induxit. Quibus respondet Aug. à Deo vtraque bona procedere, ita quod solus Deus est illorum author, qui antiquis hominibus, tanquam imperfectis

Deut. 21.

& pueris, bona puerorum largitus est, temporalia scilicet, qui spiritualia bona reseruabat, tempore Legis Euangelicæ profundenda. Quod, & Tertullianus obseruauerat, expendens benedictionem, quam S. Isaac dedit filijs suis Iacob, & Esau: nam benedicens Iacob: dixit: *Det tibi Deus de rore cœli, & pinguedine terræ, &c.* Benedicens autem Esau, dixit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua.* quo duplici titulo, duplex bonorum genus exprimere voluit; cœlestium scilicet, & terrestrium. Vtrumque quidem à Deo procedit: Deus est. n. à quo bona cuncta procedunt. Ad populum Iudaicum loquens, qui in Esau fuit designatus; primò expressit bona terrena, significata pinguedine terræ: populum aũt Christianum, expressum in Iacob, benedicens, primò cœlestia bona pronũtiat, sub typo roris cœlestis: quamuis & populo Iudaico etiam bona spiritualia contulerit, sicut populo Christiano etiam bona temporalia largitur, qui apertè dixit. *Primum quærite Regnũ Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Imò nihil potest homo facere, quod ad terrena bona acquirenda magis conducat, quam Deo seruire, & eius mandata seruare: hæc namque loco additamenti, etiam à Deo superadduntur. In cuius itidem cõfirmationem Augustin. notat illud, quod in lege scriptum est: *Ego sum, qui diuitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis.* Quæ verba, nescio vbi habeantur formaliter: forsitan desumpta sunt ex Aggæo, de quo annotat S. Anastasius Nicenus, post illa verba, quę per eũ Deus dixit: *Meum est aurum, meum est argentum,* in quibusdam codicib. additũ fuisse: *Qui voluero dabo ipsum,* quæ ab insipientibus addita censet. Voluit Deus, inquit Augustinus, vt perpetuò homines intelligerẽt, se habere in manu sua diuitias, & quicquid ad terrenam felicitatem conducit, vt intelligerent, illas non à dæmone expectandas, sed à se. Ideo clamat: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra, diuitiæ, & gloria* Et iterum: *Meum est aurum, meum est argentum, dicit Dominus.* Hac de causa vehementer irascebatur cõtra eos, qui temporalia bona accepta ferebant Lu-

Libr. 4. cont. Marcio. ca. 24.

Gen. 27. 28

Gen. 27. 39

Eodem lic. cont. Adimantum.

Lib. qq. in Scrip. q. 10. tom. 1. bibl. SS. PP.

Aggæi. 2. 9.

¶ 201.

Prou. 3. 16.

Aggæi. 2. 9.

Iserem. 44.

næ, aut siderum constellationibus: & similiter contra eos, qui fortunæ ferebãt recepta: *Qui ponitis*, inquit, *fortunæ mensam, numerabo vos in gladio*: & conqueritur de illa, quæ dicebat: *Vadã post amatores meos, qui dant mihi lanã meam, & linum meum, vinum meum, & oleum meum. Hæc nescivit, quia ego dedi ei frumẽtum, & vinum, & oleum.* Hæc eadem idẽ Augustinus ex eo confirmat, quod Patribus antiquis abundanter bona terrena contulit Deus, quos ditissimos effecit, vt ostenderet, talia etiam bona, dona esse sua. Ipse igitur Deus est, homo ille nobilis, qui seruis suis dat bona sua: ipse homo dives, qui quibus vult, bona sua committit dispensanda. Tandem mentitur (inquit Chrisostomus) quia nullatenus intendebat dare, quod promittebat, dicens: *Hæc omnia tibi dabo.* Certè vni dare non poterat omnia, nisi ab omnib. alijs omnia tolleret, & cunctos spoliaret bonis, quæ habebãt. Si autem omnes spoliaret, à nemine adoraretur, cum diabolus nõ ex amore colatur ab aliquo, sed quia promittit diuitias, aut dat. Quomodo aũt expediebat diabolo ab omnibus omnia tollere, & vni dare, vt ab omnibus cõtemnatur, & ab vno solo colatur? Non ergo intendebat dare, quod promittebat: ideoque mentiebatur. Sic parentes nostros decepit, promittens eis diuinitatem, & æqualitatem Dei, in sapientia, quod nullatenus intendebat complere, nec poterat. Vnde idẽ Chrysost. expendit verba, quæ postea dixit Deus ad Adam: *Adam vbi es?* Quasi dicere voluerit: Quonam peruenisti? nũquid ad regnum, quod tibi diabolus fuerat pollicitus? ad diuinitatem: quã tibi promiserat? Ex ijs omnib. concludit B. Irenæus, manifestum esse, quoniam mẽtitur diabolus, dicẽs, sibi omnia tradita fuisse regna, & eorum potestatem, & gloriam; & quod hæc dare potest, cui vult, & quod Christo omnia esset daturus, si eum adoraret. Rectè ergo Chrysostomus: Omnia offert, & vniuersa spondet se dare, qui nihil penitus habet, quod det.

Epist. 120. ad honorat. de grat. Noui Test. c. 7

Hom. 5. in imperfect.

Ser. con. Iudæos, & Gẽtiles de nuptijs, tom. 3

Lib 5. cont. hæres. c. 24.

Hom. 5. ex diuers. in Matth.

§. 60. *Ipse dæmon explicat, illum adorare, esse cadere: quia minimis incipiens, tandem suprema suadet iniquitatem.*

Si cadens adoraueris me. Obseruat Ambrosius *a*, cuius dictum refert, & sequitur D. Thomas *b*, dæmonem nõ simpliciter dixisse, si adoraueris me, sed *Si cadens adoraueris me*, quia habet ambitio domesticum periculũ: vt namque dominetur qs, prius seruit, & curuatur obsequio: & quo quis sublimior esse appetit, demissior fit. Mirum est certè, quantũ quis se demittat coram eo, à quo exaltationem sperat: B. aũt Irenæus diabolum obiurgat, quod tentare nesciat, quippe qui, dum tentat, ipsemet explicat, ad quãtum malum perducere contendebat. Ipsemet namque confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatẽ eius facere; est cadere à gloria Dei. Et quid, aut suaue, aut bonum participare põt, qui talis est; nisi mortẽ? Ei enim qui cecidit, proxima mors est. Hæc ille. Quæ similiter annotauit Hieronymus, ex ipsius diaboli verbis inferens, corruere verè illum, qui dæmoni se subijcit. Alij annotant, dæmonem contendisse similem se Deo exhibere: & sicut Deus eos, qui se humiliãt exaltat, & extollit, ita ille præfert, se exaltaturum Christum, si coram eo se humiliaret. Cæterum D. Thom. obseruat, hinc modum nobis manifestum fieri, quem tentando diabolus tenet. Non enim statim virum spiritualem de grauioribus tẽtat: sed paulatim à leuioribus incipiens, ad ea, quæ sunt grauissima, perducere conatur. Quod, & egregiè annotauit B. Gregor. in eo, quod Deus dæmonẽ sub specie Behemoth, aut Elephãti describens, incipiẽs ab eius capite, dicit: quod *herbã sicut bos comedit*: & tãdem dicit: quod *stringit*, aut erigit, vel exaltat, *caudam quasi cedrum.* Quid hoc est? Huius Behemoth (inquit Gregorius) caput, herba est, cauda cedrus: a tenera herba initium ducit, & in fine altitudinẽ cedri tenere dẽ, quia prima tẽtatione blãdiens, minora suggerit; q

¶ 202.

a Libr. 4. in Lucam.

b 3. p. q. 41. art. 4.

Libr. 5. aduers. hæres. cap. 22.

In cap. 4. Matth.

3. p. Ibid.

Lib. 52. Moral. c. 17.

Iob. 40. 12.

in

in fine, ad grandia, & suprema pertrahere cõtendit. Quare idem Diuus Thomas eiusdem Gregorij doctrinam inducit, qui illud obseruans, quod de viro iusto, & Christiano milite, sub typo generosi equi Deus dixit: *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus:* Odore (inquit Gregor.) sæpè decernimus, quæ oculis sunt abscondita. Et certè callidus hostis occultè nobis bellum parat in ijs, quæ ad oculum secuta videntur. Vnde oportet eius latentes insidias, quasi subodorãdo indagare, & percipere. De quo odoratu Dominus in Ecclesiæ laudibus dicit: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano.* Per nasum quippe odores, fœtoresque discernimus, & quid per nasum, nisi Sanctorum prouida discretio designatur, turris verò speculationis in altum ponitur, vt hostis veniẽs, longè videatur. Rectè ergo Ecclesiæ nasus turri in Libano similis dicitur, quia Sanctorũ prouida discretio, dum solicitè circũquaq; conspicit, in altum posita, priusquam veniat culpa, deprehendit. Ita ille. Nequaquã itaque diabolus, statim in principio, apertum bellum repræsentat, nec se quasi inimicum, aut contrarium bellatorem exhibet, sed primò ingreditur pacem simulans, & minima proponẽs, quæ non videntur aliquod malum notabile continere, per quæ tandem apertum bellum, & exhortationem, & clamorem ducum, & vlulatum exercitus inducit, apertè ad malum perpetrandũ incitans, & mouens. Iustus ego procul odoratur bellum, quia in ijs, quæ ad pacem, & conuenientiam apparentẽ diabolus proponere incipit, percipit bellũ, quòd ibi instruit, & parat, qui ex minimis, & quæ culpam non præferunt, transit ad ea, quæ manifestè mala sunt inducenda, quæ typo (inquit Gregorius) *Ducum, & vlulatus exercitus*, exprimuntur. Ex tam leui principio, quod assumpsit dicens Christo famelico: *Die, vt lapides isti panes fiant*, vide ad quid tandem peruenerit, *Cadens adora me.* Et quidem, si Christum, qui minima nõ neglexit, quem ad ea, quæ ille iure facere poterat, trahere non potuit, ad maiora, & grauissima suadenda transiuit, quid faciet in eo, cui facilè, quæ leuia sunt, persuadet. Quid in eo, quem prioribus tentationibus vicit, & imbecillem, ac fragilem inuenit. Hunc certè facilè trahet ad suprema vitia, vt ex parentibus nostris probat Diuus Thomas, quos cũ primo incitasset ad comedendum, tandem ad extremam superbiam traxit, vt appeterent Dei æqualitatem, ita, & quotidie mulierem, cui primò suadet, vt literas ab alio missas recipiat, tandem ad apertam impudicitiam trahit. Vide B. Greg. Nyssenum, latè pertractantem, quomodo, qui primis suggestionibus diaboli, vel carnis locum concedit, hoc ipso locum dat, vt tota illius malitia se in hominem effundat, quod explicat exemplo serpentis, cui si caput intromittere concesseris, totum corpus introducentem statim senties: de quibus supra satis dictum est.

Ibidem. *Lib. 31. Moral. c. 30. & seq.* *Cant. 7. 4.* *Ibid. 3. p. in li. Eccles. sias. hom. 4*

§. 61. *Aggreditur Christus, quod Iob prophetarat, opprimere magnum cetum, quem blasphemantem, verbi sui virtute fugauit.*

¶ 203. TVnc dicit ei Iesus: *Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sancti Patres, Hieronymus *a*, & Ambrosius *b*, sequuti Septuaginta Interpretes, verba Sancti Iob, quæ noster Vulgatus legit in plurali, c *Qui parati sunt suscitare Leuiathan*, in singulari legunt: *Qui habet magnum cetum opprimere*, quasi indicet Iob aliquam personã particularem, cui reseruatum sit opprimere magnum cetum: vt Beatus Gregorius obseruauit. Annotant autem isti Sancti Patres, meritò Scripturam sacram admonuisse, Beatũ Iob non peccasse labijs suis, nec stultum aliquid cõtra Deum loquutum fuisse, cuius verba erant potius prophetica, & signanter hæc, quæ præmisimus, in quibus Christi mysterium cecinit, quem oculis fidei in laborum fluctibus positus contemplabatur, qui reseruatum dicit, Leuiathan, aut magnum cetum opprimere, subiugare, conterere. Ita enim Septuaginta verbũ, *Chur*, verterunt, quod Vulgatus transtulit, *suscitare*. Certum est siquidẽ, nomine ceti, aut Leuiathan, dæmonem describi, vt ex eodem Iob sæpe probatum

a in c. 2. Iona ad fin. *b Lib. 4. in Luc. c. de recessu diabo li.* *Iob. 3. 8. 4. Moral. c. 11.* חור

batum est: ideoque magnus cetus, est supremus dæmon, qui in procelloso huius seculi mari dominabatur, cuius vires cognouit Iob tales, ac tantas, vt intelligeret, neminẽ ex puris hominibus posse illum reuincere, aut opprimere, vel mundo expellere. Quod, & Deus ipse de eodem cetо indicauerat, cum eodem Iob agens: postquam enim multa de illius robore, potentia ac fortitudine præ-
Iob 41.17. miserat subdit: *Cum apprehenderit eum gladius*, ideſt cum gladio impetitus fuerit gladius ipse *sub sistere non poterit*, cuius potius acies manebit retusa. Vnde quantũuis Gedeon ex gladio commendatus sit, qui potentissimus fuit, & Iu-
1. Mac. 3. 3. das Machabæus, *Gladio protegebat populum*, inimicosque arcebat, neuter eorũ contra hunc cetum potuit præualere,
Iob 40. 18. de quo subdit, quod *reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignũ putridum æs*: ideoque etsi Tubalcain sapientissimus fuerit malleator, in cuncto opere æris, & ferri, huic cetо nihil, vel leuiter potuit nocere. *Non fugabit eum vir sagittarius*. Quare etsi eximij fuerint sagit-
Gen. 49. 23 tarij, famigeratissimi Patriarchæ, quos propterea Iacob eorum pater, vocauit *tenentes iacula*, in Hebræo, *Domini sagittarum*, propter peritiam artis sagittandi, sed hunc cetum non solum non trãs fixerunt, quin potius sagitta-inuidiæ ab
Iob 41. 19. illo vulnerati ceciderunt. *In stipulam*
2. Reg. 17. *versi sunt ei lapides funda*. Dauid, qui ingentem Gigãtem lapide fundæ deiecit, illum euincere, opprimere, aut fugare non potuit, qui potius clamat, &
Psal. 55. 2. conqueritur, se ab illo conculcatum: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo*. Hominem eum vocat, quomodo
Matth. 13. 28. Christus illum vocauit, *Sub ipso erunt radij Solis, & sternet aurum quasi lutum*.
Iob 41. 21. Vnde quantumuis Salomon magnificatus fuerit splendore, gloria, & diuitijs, super omnes Reges terræ, non tamen cetum istum opprimere potuit, quin potius miserè ab illo oppressus succubuit. Tandem Deus rem concludit, di-
Iob 41. 24. cens: *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari, qui factus est, vt nullum timeret*. Deluper terra ergo futurus erat, qui illum esset oppressurus. Hunc Iob intelligit esse illum, qui de cœlo de sinu Patris erat in mundũ venturus, *qui habet magnũ cetum opprimere*. Christus ergo Dominus, ad hoc paratus fuit eo modo, quo Propheta dixit:
Parauit Dominus brachium sanctum suũ Esa. 52. 10
in oculis omnium gentium. Ad hoc venit in mundum, & descendit in campum, vt eum opprimeret, contereret, & fugaret. Quamuis autem id tandem perfecturus erat in fine vitæ, quãdo per mortem destructurus erat eum, qui mortis habebat imperium, & effecturus quod Ioan. 12. 31
dixit: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*: huius tamen eiectionis, & cõtritionis specimen, & principium nunc ¶ 204.
voluit exhibere, opprimens, & fugans cetum magnum, dicens: *Vade Satana*. Sicut ergo dum vixit, aliquando mortem fugauit, vt in Lazaro, filio viduæ, & filia Principis, quo ostenderet, se esse illũ cui datum erat, mortem omnino conterere, quam per mortem erat præcipitaturus in sempiternũ, vt dixit Esaias: Esai. 26.
ita similiter, dum vixit, dæmonem aliquãdo eijcere, fugareque voluit, vt hoc ipso demonstraret, se esse eum, cui datũ erat, illũ *longe facere*, elongare effugare Ioel. 8. 20.
omninò, *illum qui erat ab Aquilone*, id In Catena est, superbum diabolum. Ita eundẽ locũ Græca.
Beatus Iob intellexit Beatus Didymus. Fugare ergo volens Dominus magnum cetum, non multis armorum machinis vtitur, sed solo verbo. Is namque de quo
Iob 41. 19. Prophera dixerat: *Spiritu labiorum suorum*, (id est verbi solius emissione) *interficiet impium*, solũmodo dicens: *Vade Satana*, perfecit, hoc enim solo verbo illum fugauit, oppressit, & deiecit. Et Origenes quidem ex professo contendit, Homil. 1. in Matth.
reijciẽdam aliquorum codicum lectionem, in quibus legitur: *Vade retro Satana*, aut. *Vade post me Satana*, obseruãs, diuerso modo Christum alibi increpasse Petrum, ac dæmonem hoc in loco: Petro namque non absolutè dixit, *vade Sa-* Mat. 16. 23
tana, sed addidit, *post me*: *Vade*, inquit, *post me Satana*, quia etsi Petrus aduersatus fuerit Christo, se eidem opponens, & perens ne ad mortem, quam prædicebat tenderet, id tamen erat ex bono in Christum affectu, nondum plenè intelligens, necessariam fore illius mortem. Vnde Christi increpatio, ad hoc tendebat, vt corrigẽs errorem Petri, eum induceret ad sui sequelam retinendã, & vt mentem suam diuinæ ordinationi subijceret, vtque proprium iudicium abne-

negaret, & Dei dispositionem sequeretur. Vnde, & increpaturus Petrum, dicitur: *Conuersus ad eum.* Beatus enim (inquit Origenes) est is, in quem Christus conuertitur, etiamsi corripiendi causa conuertatur. Tamquam namque felicitatem ingentẽ reputabat Propheta hanc Dei conuersionem, vt vel minimum eius, summo affectu expostularet dicens; *Conuertere Domine aliquantulum.* Ad Petrum autem, non aliquantulum, sed se totum conuertit, quem ad sui sequelam firmauit, ad diabolum verò absolutè dixit: *Vade Satana*, quem omninò pellere, & fugare intendebat, cuius verba impia erant, mens impijssima, quem non ad sequendum se, sed persequendum omninò nouit paratum. Idipsum quod Origenes, annotauit Hieronymus: Non, inquit, vt plerique putant, eadem sententia, Satanas, & Apostolus Petrus condemnantur; Petro nãque dicitur: *Vade retro Satana*, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ, hic verò audit: *Vade Satana*, & nõ dicitur, retro me, vt subaudiatur: vade in ignem æternum, qui paratus est tibi, & Angelis tuis. Nihilominus in aliquibus codicibus legitur; *Vade post me*, aut *Vade retro Satana*, quomodo legunt Chrysostomus *a*, Remigius *b*. Maximus *c* Beda *d*, & Theophylactus *e*. Euthymius *f* annotat, quod quãuis Matthæus absolutè dicat. *Vade post me*, sed Lucam scripsisse: *Abi post me Satana*, quomodo legit ipse, & Theophylactus apud Lucam, quamuis in pluribus codicibus nõ legatur, neque in Biblijs Sixti. Qui autem ita legunt? *Vade post me Satana*, variè exponũt: idem (inquit Euthymius) est: *Abi post me*, quod, è conspectu meo te aufer, quod enim post aliquem ponitur: ipsi non apparet. Itaque idem significat, sicut quod Hispanè dicimus, *Quitate me delante*. Ex quibus intelligere possumus, quomodo verba hęc à Christo Domino fuerint prolata. Sæpè namque mecum cogitaui, quidnã Christus Dominus corde animoq; versaret, quãdo illum, qui primus erat in creaturis, & per superbiam omnium vilissimus euaserat, videret nunc impijssimè superbientem, & exposcentem, se tanquam Deum adorari. Nunquid Domine Iesu, indignatus es in illum superbum, cuius superbiam ascendentem videbas; an potius tuæ compassus es creaturæ, ad tam miserum statum deductæ, quę iam impiecatis suæ pœnas sustinebat, & eãdem impietatem firmius tenebat? Nunquid in crudelem leonem, ferocissimumque draconem fuisti ita commotus, quem calcares? an in vulneratum superbum fuisti aliqua miseratione commotus, videns eum miserè cœcutientem? Beatus Ambrosius considerat, per irrisionẽ fuisse Christum locutum; nam naturæ suæ, dispositionisque conscius, sua sibi videbat offerri. Et verè Satanam irridet Cyprianus: Insanissimè, inquit, Satan, qua fronte, qua lingua ausus es dicere Saluatori, vt ante te, qui stat inflexibilis, & immobilis caderet, vt te damnatum, ipse qui te damnauerat, adoraret? Quis ausus? quâ impudens hæc præsumptio? quid desperate speratti? An Dei Filium putabas posse tecum apostatam fieri. His irrisorijs verbis Satanam vrget Cyprianus Remigius, quem refert Abulẽsis, legens secũdum aliqua exemplaria: *Vade retro Satana*, censet voluisse inducere eum, vt retro acta tempora reduceret in memoriam, quasi dicere vellet: Reminiscere retro acta, & recordare in quanta gloria conditus fuisti, & in quam tam miseriam deuenisti. Chrysostomus quodam loco, Christi verba per modũ simplicis præcepti, non aũt correctionis aut increpationis credit accipienda: alibi tamẽ rem ipsam declarasse videtur, annotans, Christum in prima tentatione, non exasperatum fuisse, nec excitatum ad increpationem, vel abiectionẽ, qui sustinuit, & mitis permansit: tantũ contra verba tentationis, cõgrua dedit exempla. Similiter in secunda, quamuis esset iniuriatus, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es mitte te deorsum*, turbatus non est, nec increpans ei dixit: *Vade Satana*: Nunc autem, quando diabolus, Dei sibi præsumpsit honorem, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*, & hoc quæsiuit sibi fieri à Christo, quod soli Deo fieri debebat, exasperatus est, iratus est, increpauit eum, & repulit dicens: *Vade Satana.* Ita Chrysostomus, quem sequitur Theophylactus. Et verè, meritò credit

Chri-

Mat.16,23

Psal.89.13.

Lib.4.in Lucam.

Li. de Iein. & tentat.

In cap.4. Matth.

In cap 4. Mat 4 54.

Hom.13.in Matth.

Hom.5.in imperf.

In cap.4. Matth.

a Hom.5.in imperfe.

b Hoc in loco, & habetur in Catena aur.

c Thoma. Hom 2. & 4 Domi. 1. Quadrag.

d In cap 4. Matth.

e In cap. 4. Matth.

f In cap.4. Matth.

¶ 205.

Christum, tali tamque execranda iniu-
Ioan.2.1.5 ria exasperatum, qui videt illum postea flagellum de funiculis facientem, & flagellantem illos, qui templum, in quo Deus adorabatur, prophanarunt, audit-
Psal.68.10 que Apostolos considerasse illud: *Zelus domus tuus comedit me.* Quid ageret nunc, videns dæmonem aperto Marte Dei adorationem, & honorem eradicare contendentem, & sibi impudentissimè vendicantem, quo zelo fuit inflammatus? quam ira succensus? Existimo verè nunc Christum vnum ex maioribus tormentis, quæ in vita sustinuit, præsentisse. Multas ei pœnas, & opprobria intulerunt Iudæi, sed corde obcœcati erant, pro quibus tandem orauit in cru-
Luc.23.34. ce, *quia nesciunt*, inquit, *quid faciunt*: Et quidem illi contra corpus suũ agebant, & vitam, diabolus tamen aperta malitia contra Deum insurgit, non contra Christi corpus, sed contra animam, non contra corporis vitam, sed contra spiritum agens, id euertere procurans, quod maxime Christus intendebat, gloriam scilicet Dei, ad quam procurandam omnia sua dirigebat. Vnde nihil acrius Christo vnquam fuit, quam quod contra Patris sui gloriam fieri, aut attentari videbat. Quidnam quæso nobilissima, ac fidelissima Regina corde verſaret, quæ Regẽ virum ſuum pluſquam vitam ſuam diligeret, ſi videret ſe ab Æthiope mundiſſimo, & ſqualido, manifeſta inhoneſtiſſimaque petitione induci, vt Rege contempto, & conculcato, ſibi ſubijceret,
¶ 206. & ſecum adulteriũ cõmitteret? Quidnã ageret Princeps, Regis vnigenitus filius, & hæres, ſi illius viliſſimum mancipium peteret ab eo, vt Rege patre conculcato, & corona regali ab illius capite detracta, coram ſe procumberet, caderet, tanquam legitimum Regem adoraret, & Regni coronam capiti ſuo imponeret? Quam ardenti iuſtaque ira, cõmota fuit pudiciſſima virgo Agnes, contra iuuenem Præfecti filium, qui magnis diuitiarum, preticſarum veſtiũ, & lapidum promiſſionibus, ad ſui dilectionem, & amorem prouocabat. Diſcede, inquit, à me, pabulum mortis, nutrimentum peccati, membrum diaboli,
Act.8.20. ab alio enim amatore præuenta ſum, &c. Quando Apoſtolorum Princeps audiuit ſacrilegum Simonem Magum, oſferentem pecunias, vt Symoniacæ ſuæ petitioni conſentiret, iuſta ira contra illum excitatus, repulit, dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti, pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum cum Deo.* Expendit ipſemet Petrus grandem afflictionem, & ingentem triſtitiam Sãcti Lot, quam concepit ex illa impudiciſſima petitione Sodomitarum, quam petierunt, vt illi traderet viros, quos in domo ſua receperat, vt illis abuteretur
2.Pet.2.7. *iuſtum*, inquit, *Lot, oppreſſum à nefandorum iniuria, ac luxurioſa conuerſatione eripuit: aſpectu enim, & auditu iuſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtum iniquis operibus cruciabant.* Quia ille iuſtus erat pudicus, honeſtuſque, nihil poterat grauius illius animum torquere, quam iniqua illa, & impudica poſtulatio. Vnde ſe grauiſſimè cruciatum, & affectum exhibuit, quando illorum audiuit impudiciſſimã petitionem. Quid ageret, ſi petiſſent, vt ſemetipſum illis traderet ad impudicum vſum. Quam igitur intelligemus Christum commoueri, affligique potuiſſe tam inuerecunda dæmonis petitione. Afflictus quidem fuit Beatus Iob, videſ contra ſe ſuaque omnia concitatos Sabæos, Chaldæos, cœlum ipſum concitatum, & terram, quo factum eſt, vt cum ſe omnibus facultatibus, & filijs videret ſpoliatum, non tamen aliquod querimoniæ verbum protulit, ſed tantum in terram procumbens adorans Deum,
Iob.1.21. miti quietoque corde dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* Cum autem vxor ipſa ſua ad eum acceſſit, & apertè induxit, vt contra Deum vel minimum blaſphemiæ verbum proferret, qui eouſque os clauſum continuerat, nec vlla ratione ſe exaſperatum exhibuerat, acri increpatione, & vehementi zelo ratus, contra eam inſurgens: *Quaſi vna*
Iob 2. 10. (inquit) *de ſtultis mulieribus locuta es, &c.* nihil namque magis poteſt virum iuſtum commouere, ac ſuccendere ira, vel inflammare, quam ab eo petere, vt vel minimum verbum, contra Deum dicat, vel proferat. Quid igitur acturus erat Chriſtus, fideliſſimus erga Patrem, dum videret, animam ſuam, ab Æthiope viliſſimo ad ſupremum

adul-

adulterium, idololatriæ, inquam, actum prouocari: ſuadeturque non tantum proferre minimum verbum contra Deum, ſed, & ſupremum contra illum opus exercere? Exaſperatus eſt (inquit Chryſ.) & iratus eſt, & acri ſonoraque voce increpauit, & repulit eum dicens: *Vade Satana*, vt nos illius diſcamus exemplo (inquit Chryſ.) noſtras quidem iniurias illatas ab impijs, ſiue in dicto, ſiue in facto, magnanimiter ſuſtinere: Dei autem iniurias, & contemptum, nec vſque ad auditum ſufferre: quoniam in proprijs iniurijs eſſe quem patientem, laudabile eſt; iniurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium. Sicut ergo quando ementes, & vendentes eiecit è templo, vt annotat. Hiernoymus, tunc zelo Dei ſuccenſum, radios quoſdam à ſe emiſiſſe, qui ingentem metum illis incuſierunt, ideoque nihil amplius expectare auſi fuerunt, ita, & nunc accidiſſe credendum eſt vnde ſubditur, ſtatim: Reliquit eum Diabolus.

In cap. 21. Matth.

§. 62. *Ab increpatione Chriſti, talem nunc timorem diabolus concepit, vt deinceps ſolo eius nomine audito terreretur nec ſtaret.*

¶ 207. TVnc reliquit eum diabolus. Diabolus reliquit eum, quia perterritus, & contritus fugam arripuit. Tunc enim adimpletum fuit illud, ait Chryſ. *Tu confregiſti caput Draconis.* Eſt valida Dei increpatio, à qua, & maria ipſa, quæ nullam potentiam reuereri ſolent, fugiunt: *Ab increpatione tua fugient*, dicebat Dauid, *à voce tonitrui tui formidabunt.* Talis eſt vis diuinæ increpationis, qualem idem ipſe depinxit, dicens: *Ab increpatione tua Deus Iacob dormierunt*, id eſt, mortui ſunt, *qui aſcenderunt equos*, id eſt, fortiſſimi quippe duces exercitus Pharaonis. Quaſi ergo timore correptus fuit diabolus, audiens diuinum tonitruum, & increpationem: *Vade Satana?* Quis explicare valeat, quam triſtes eiulatus emittens clamoribus querulis perſtrepens, fragores excitans, receſſerit? In ſanctorum hiſtorijs legimus ſæpiſſimè, dæmones victos ab aliquibus viris Sanctis, illorum machinas retegentibus, illos increpantibus receſſiſſe, clamoribus, & eiulatibus vehemētiſſimis emiſſis, excitatis fragorib. & cōmotionibus aeris, & ædificiorū, relicto tetro fœtentiſſimoq; putore, vt in Hiſtorijs S. Antonij, Benedicti Dominici, Petri martyris, & aliorū quā plurimorum videre licet. Quos nunc fragores excitaſſe, querulis vocibus, & clamoribus perſonaſſe credere poſſumus, cū vidit à Chriſto fraudes ſuas retectas, ſeq; acri obiurgatione percuſſum? De ipſo, vt ſæpè diximus, ſub typo Leuiathan, aut Balænæ agit Deus. Cum aliquando Balæna contra nauem inſurgit, & ſe exhibet quaſi illam deglutire volens, ſi forti perſonantique ictu, naui emiſſo, feriri ſe ſentiat, fugit, ſub aquis ſe ſubmergens, tam grandē maris commotionem excitans, vt grandē videatur cōmouere totius illius tempeſtatem. Quod, & Deus dicere voluit: *Feruere*, inquit, *faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt: poſt eum lucebit ſemita & æſtimabit abyſſum quaſi ſenescentem*: albicantibus namque ſpumis totum mare candidum, & quaſi canum reddit: ſignanter viam, aut ſemitam per quam fugit, aut recedit. Non aliter diabolo contingit, cum à Sanctis, quos deglutire vult, acri reprehenſione expellitur, & percutitur. Multo autem magis nunc percuſſus à Chriſto duræ increpationis ictu. Egregiè B. Petrus Chryſologus: Senſit, inquit, mox virtutibus Deum pœnis iudicem, ſupplicem præmijs, quem quærebat: nam Chriſti nomine cœpit ab obſeſſis corporibus effugari, & dare tremens illi gloriam, cui ſuperbus callide irrogarat iniurias. Et hinc factum eſt, vt poſtea ipſum Chriſtum adeo timeret, vt eum deprecatus ſæpè fuerit, ne ſe torqueret: & Apoſtoli, vel ſolo Chriſti nomine eum expellerent: nec ſolum Apoſtoli: ſed, & alij, de quorum vno dixerunt ad Chriſtum: *Domine inuenimus quendam in nomine tuo dæmonia eijcientem.* Et verè nūc Chriſtus Dominus illud adimpleuit, quod

Hom. 5. ex diuerſis in Matth.
Pſ. 73. 14.
Pſ. 103. 7.
Pſalm. 75. 5.
Iob 41. 12.
Serm. 15. ad finem.
Luc. 9. 49.

se facturum pollicitus fuerat, de dæmone ibidem agens, sub typo eiusdem Leuiathan, vel Balænæ: qui postquam promisit, se ligaturum funè linguam eius, subdit: *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet tecum pactū, & accipies eum seruum sempiternum?* Hæc quidem Iob, aut purus homo præstare nō poterat, sed solus Christus, qui paratus fuit opprimere magnum cetum, vt diximus. Hic sane funè verbi Dei, illius alligauit linguam, vt dictum est: nunc tandem increpans eum, ita oppressit, & terruit, vt deinceps omnes illius milites (vt expendit Chrysostomus) videtes Principem suum omninò contritum, & deiectum, ei cederent, & simplici eius verbo obedirent: qui omnes ad mollia solummodo verba, tanquam iam deuicti, & superiores Christi vires agnoscentes, loquebantur, multiplicantes preces, & dicentes: *Iesu filij Dei, rogo te ne me torqueas &c* & iterum: *Permitte me hinc exire, & abire in porcos, &c.* Qui postea seruorum more, illius imperio sine aliqua mora obtemperabant, vt D. Greg late prosequitur. Valida ergo increpatione Christus contra diabolum egit, nuncque adimpletū exhibet (inquit Chrysostom.) quod præsignatum fuerat. Cum diabolum assistentem ad dexteram filius summi Sacerdotis Iesu filij Iosedech, eique aduersantem, acri correptione, & obiurgatione voluit Dominus, vt à Domino increparetur. Dixit enim Dominus ad Satan: *Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te.* Dominus statuit, vt Dominus increparet Satan: nam Dominus est Pater; Dominus itidem est Filius, dicente Dauid: *Dixit Dominus Domino meo:* & iterū: *Pluit Dominus à Domino ignē &c.* Dominus Filius, qui procedit a Domino Patre, &c. Stauit ergo Pater æternus, vt Christus, non simplici verbo pelleret Sataṅam superbū, audentem accedere ad tentandū eum, imò ad suadendum, quod se adoraret, sed acerba, forti, rigidaque obiurgatione; quā, & iuxta Scripturæ phrasim repetitio illa significat: *Increpet Dominus in te Satan, increpet Dominus in te.* Non simplici verbo tecum agat, sed valida, forti, vrgentissimaque increpatione. Ita explicuit Hieronymus, *In cap. 3. Zacha.* asserens hunc sensum esse, quem Catholici, qui locum illum de Christo intelligunt, tradūt: quod, & obseruarunt Tertullianus *a*, Cyprianus *b*, Augustin. *c*, & alij quamplurimi. Nunc tandem id Christus adimplet, quod se facturū promiserat, agens de dæmone sub typo Leuiathan, vel certè *d. Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.* Vide egregiam victoriam, quam de illo terribili cete reportauit, cuius spem frustratam reliquit: diabolus nihil eorum quæ intendebat, potuit obtinere: nam nec Christum potuit petrahere, vt suam manifestaret personam, neque vt aliquod vel minimum peccatum committeret. In vanam ergo, & sine causa consumpsit miser fortitudinem suam. Nec tantum infelix sua spe frustratus manet, sed videntibus cunctis fuit præcipitatus, coram multis namque Angelorum agminibus, qui aderant ad spectaculum istud, proiectus fuit. Aut verò dicitur præcipitatus cunctis videntibus, ad significandum, tam euidentem, & patentem fuisse victoriam, vt omniū oculis manifesta esse posset. Manifestè ergo præcipitatus est. In Hebræo habetur verbum, quod significat eijcere, proijcere, manu valida expellere, ita Christus expulit Leuiathā, verbi sui potentia, & acri reprehensione; & quem primo de cœlo præcipitauit ad tartara, nunc inde egressum, in eadem præcipitem dedit, dicens: *Vade Satana.*

a L aduers. Iudæos c 34. & li. 3. cont. Marci, c. 7.
b Li 2. testimon aduers Iud. nu. 9.
c Lib 12. con. Faust. cap. 36.
d Iob 40. 28.

Iob 40. 88.
Hom. 5. ex variis in Matth. ¶ 208.
Luc 8. 28.
Matth. 8.
Ibidem.
Hom. 5. cit.
Zach. 33.
Ps 209. 1.
Gen. 19. 14

§. 63. *Diabolus vincitur ex eo solum, quod illi resistitur: victusque aufugit, vincens cum eo qui vicit, manet, & perseuerat.*

QVasi puluis, quem proijcit ventus a facie terrę, & quasi folium, quod vēto pellitur, & rapitur, discessit malignus ille tentator: idque adimplerum fuit, quod Dauid cecinit: *Exurgat Deus, & dissipētur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius, sicut deficit fumus deficiant, & sicuti* ¶ 209. *Psal. 67. 1.*

fluit

fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & iuſti epulẽtur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Recedente namque inimico, *acceſſerunt Angeli*, lætantes, & gaudentes, exultantes in conſpectu Chriſti, &c. Lau-

Li. de natura, & gratia contra Pelag. c. 58 to. 7. dat Beatus Auguſtinus aliquorum ſententiam dicentium, facilè eſſe dæmonẽ vincere, cuius iam exiguę ſunt vires, vt ſolum reſiſtendo poſſimus eum fugare, dicente Apoſtolo Iacobo: *Reſiſte diabolo, & fugiet à vobis.*

Iacob 4.7. Non oportet multa agere, ſed tantum reſiſtere. Sola reſiſtẽtia ita eum ſuperat Chriſtus, vt ad accipiendam fugam cogat. Quando diabolus aliquem vincit, non relinquit illum, nec recedit, quin potius cum eo manet

2. Pet. 8. 19 tanquam dominus, *à quo enim quis quis ſuperatus eſt, illius ſeruus efficitur.* Verè miſeram ſibi comparat ſocietatem, qui peccat, cui manet aſſiſtens diabolus, eũ

Gen. 3. comitans. Cum in paradiſo parentes noſtros ſubiecit ſerpens, non receſſit, nec illos vllatenus reliquit: ſed comitabatur ad quæcunque loca, ad quæ ſe recipiebant. Vnde, & aduenies Dominus, Serpentem cum eis manentem, & in eorum ſocietate exiſtentem inuenit. Non momordit, & fugit, non virus iniecit, & receſſit, ſed potius hoc ipſo, quod vicit, & ſuperauit, eos fuit comitatus, vt oſtenderetur, dæmonem cum eis manere, quos vicit, quos miſera ſeruitute ſubiectos retinet. Diabolus contrarius eſt Chriſto, & ea agit cum ſuis, quæ Chriſtus cum ſuis agere conſuetuit. Chriſtus illum, qui facit, quæ ipſe ſuggerit, proponit, ac inducit, non relinquit: recedit autem, & relinquit eos: quos verbis ſuis rebelles inuenit, nolentes quæ ipſe proponit auſcultare.

In primam ad Cor c 10 Ita annotauit Beatus Anſelmus illud,

1. Cor. 10. 4 quod dixit Apoſtolus: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Magnum namque myſterium voluit Apoſtolus indicare, quod

Exod. 17. ſcilicet, Chriſtus petra eſt, ſpiritualiter in illa petra ſignatus, de qua fluenta aquarum antiquitus eruperunt, à quo fontes dulciſſimi diuinę legis procedũt. Qui has aquas biberit, & quæ ipſe ſuggerit fecerit, habebit ipſum conſequentem ſe, ſe comitantem, & ſociantem; nec enim Chriſtus relinquit eos, qui

Mat. 28. 20 ſibi obſequuntur, quibus dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*: de quo ipſo Apoſtolus refert, ad Sanctum Ioſue dictũ, quod ſi legem eius ſeruaret: *Non,* Ioſue 1. 5. inquit, *te deſeram aut te derelinquam.* Illos autem, qui vocem eius non audire volunt, relinquit, & ab eis recedit, quomodo reliquit Iudæos rebelles, & contumaces, & illos ad quos dixit: *Ego* Ioan. 8. 21. *vado, & quæretis me & non inuenietis, &c.* Idipſum, & Deus agit, qui cum ijs, qui ſermonibus ſuis obtemperant, ita manet, vt dicat Chriſtus: *Si quis diligit* Ioan. 14. 23 *me ſermonem meum ſeruabit & pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: & iterum: *Deus charitas eſt & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioã. 4. 16 Is autem manet in charitate, vt explicuit Ioannes, qui mandata Dei cuſtodit, eiuſque præceptis obtemperat. Ita diabolus agit, qui cum ijs, qui ſibi obſequuntur manet, & eos comitatur, & ſequitur: at eos, qui illum audire nolunt, ſed verba eius repellunt, relinquit, & ab eis diſcedit. Sicut autem felix ille eſt, cum quo Deus manet: quoniã namque lux eſt, illuminat, quoniam diuitiæ, locupletat, quoniã omne bonum, beatificat, ſine quo Moyſes nullatenus incedere audebat, quantumcunque Angelus comitaretur, vnde Deo dicenti: *Præcedet te Angelus meus*, reſpondit: *Si* Exod 33. *non tu ipſe præcedas, non educas nos de loco iſto*: ita infelix eſt is, cum quo diabolus manet, qui quoniam mendax, decipit, quoniam mors, occidit, quoniam inuidus, torquet, quoniam inimicus, perdit, quoniam tentator, ad malum inducit, & quoniam perpetuæ damnationi traditus, in eam pertrahit. Hoc ergo ipſo quod Chriſtus diabolo reſtitit, & nihil eorum, quæ ſuggerebat ille facere voluit, eum reliquit, & fugit.

§. 64. *Euangelista nos excitat ad videndos Angelos accedentes, ministraturos vincenti, animos ad pugnandum, & vincendum nobis faciens.*

¶ 120. *Hom. 5. ex varijs in Matth.*

ET *ecce accesserunt Angeli, & ministrabant illi.* Duo annotat Chrysostomus Primum est, in eo, inquit, quod consummata omni tentatione, refert Euangelista, Angelos Domino ministrasse; Filium Dei, Deum, & conditorem vniuersitatis manifestè cognoscimus: quia Angeli ministrare non poterant, nisi Domino, & creatori suo, vnigenito Dei Filio: quod, *Hom. 16. in Euang.* & similiter B. Greg. annotauit. Notandum, inquit, est, quod subditur, quia recedente diabolo Angeli ministrabant ei: ex qua re quid aliud quam vnius personæ vtraque natura ostenditur? quia, & homo est, quem diabolus tentat, & idem ipse Deus est, cui Angeli ministrant. Cognoscamus ergo in illo naturam nostram, quia nisi hûc diabolus hominem cerneret, non tentaret: veneremur in illo diuinitatem suam, quia nisi super omnia Deus existeret, ei nullo modo Angeli ministrarent. *Hom. 13. in Matth.* Secundũ quod obseruat Chrysost. est: Euangelistam per illud aduerbium *ecce*, nos voluisse incitare, ad videndos Angelos venientes, ad ministrandum victori: vt hoc ipso tu discas, quod te quoque post confectam de diabolo victoriam, Angeli repente suscipiant, plaudentes tibi, teque stipatorum more vbique comitãtes. Sic, *Luc. 16. 11* & Lazarum, post fornacem paupertatis, ac famis, totiusque angustiæ, suscipientes Angelis ad requiem pertulerunt. Ita ille: qui, & ex his egregiã *Hom. ad Neophytos quæ incipit Benedictus Deus. tom. 9.* eruit considerationem. Considera dæmonem, & vide, qua vigilantia, & cura perpetuò velatorem agat: nunquam quiescit, perpetuò circuit: nunc instigat ad gulam, nunc ad inanem gloriam, nunc ad auaritiam, nunc in deserto agit, nunc ad ciuitatem ducit, nunc ad altissimi montis trahit cacumen. Et si quæras? Quodnam præmium illi reseruatum sit pro tali labore, cum quod desiderat, obtinet intellige, graues pœnas, & acriores stimulos. Ipse enim (vt in Apocalypsi dixit Ioannes) cum ipsis, quos decipit, *Apoc. 19. & 20. 14.* mittitur in stagnum nouis cruciatibus puniẽdus: & in die iudicij, ex hoc maximè cruciabitur, quod peculiariter punietur, propter mala, quæ inferre curat hominibus. Similiter, cum non consequitur, quod vult, ingenti confusione repletus fugit. Si igitur ille non deficit, nec laxatur, ea agens, per quæ in quocunque euentu grauissimas pœnas incurret: quid nos agere debemus, qui videmus gehennales pœnas paratas, si vincimus; & repositam illustrem, ac celebrem coronam, & Angelorum ministeria, vincentibus? Aspiciamus ergo Angelos in ministeriũ victoris paratos, quos Euangelista facer nobis videndos proponit, dicens: *Ecce Angeli accesserunt*, & propposito coronæ præmio ad victoriam obtinãdam festinemus, illo præstante, qui viuit in sæcula Deus, Amen.

Tractatus Octaui, qui est Secundus de ieiunio, & tentationibus Christi, FINIS.

Omnia, quæ dicta sunt, & semetipsum Autor subijcit ex animo, & toto corde censuræ, & correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Sit laus, & gloria Regi Regum Iesu Christo, Dei Filio, illiusque Sanctissimæ Matri semper Virgini Mariæ, omnibusque Sanctis in æternum, Amen.

Angelus Cantinius Florentinus Corrector.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

273
Signat. Top.
Est. 55
Tab. 4ª
Num. 6

4177